





THESAURUS
ROMANARUM
ANTIQUITATUM.

THESAURUS
ANTIQUITATUM
ROMANARUM,

IN QUO CONTINENTUR

LECTISSIMI QUIQUE SCRIPTORES,

Qui superiori aut nostro seculo Romanæ reipublicæ rationem, disciplinam, leges, instituta, Sacra, Artesque togatas ac sagatas explicarunt & illustrarunt,

CONGESTUS

A JOANNE GEORGIO GRÆVIO.

ACCESSERUNT

Variæ & accuratæ tabulæ æneæ.

VOLUMEN PRIMUM.

EDITIO ALTERA.

Scriptores hujus tomi post proœmium ad lectorem invenientur.



P. Monaro Fecit

VENETIIS,
Typis BARTHOLOMÆI JAVARINA.
M. DCC. XXXII.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO EXCELLENTISS. SENATUS.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & Approbatione del P. *Fr. Tomaſo Maria Gennari Inquiſitore* nel Libro intitolato: *Theſaurus Antiquitatum Romanarum, in Tomi dodici, Auctore Jo: Georgio Grævio*, non v' eſſer cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica; & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza a *Bortolamio Giavarina Stampatore*, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 16. Aprile 1732.

{
{ Alviſe Piſani Kav. Proc. Ref.
{ Gio: Pietro Paſqualigo Ref.

Agoſtino Gadaldini Segr.

1732. 10. *Maggio*.
Regiſtrato nel Magiſtrato Eccell. degli Eſecutori contro la Beſtemia.
Angelo Legrenzi Segr.

PRÆFATIO.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES GEORGIUS GRÆVIUS.


B omni hominum memoria nullum floruit regnum, nulla respublica, quæ foris latius tot populis imperarit, domi vero sapientissimorum institutorum & optimorum exemplorum fuerit feracior, quam respublica Romana. Nusquam invenies, sive sapientium monita, sive gentium ceterarum omnium excusseris res gestas, unde documenta capias & plura, & magis salutaria, cum ad rempublicam prudenter administrandam, tum ad vitæ & morum probitatem excolendam, quam in iis monumentis, quæ ingenia decora de rebus Romanis immortalibus litteris consignarunt. Quantum Græci præceptis, tantum Romani valuerunt exemplis, quæ vera est Quintiliani sententia. Ad tantum enim humanæ potentiæ fastigium ex imis incrementis, & initiis tenuissimis crevit hæc respublica, non fortunæ munere, sed sapientia, pacis & virtute belli, ut nil ei sit par & secundum. Admirandus ille tam civilis quam militaris disciplinæ ordo, illæ leges, jura, sacra, religiones, magistratus, comitia, census, delectus, arma, castra, denique ille, qui reipublicæ huic fuit impositus, status, & illa quæ colebatur morum severitas & integritas hanc peperit firmitatem & magnitudinem imperii, ut multis egregie disputat sapientissimus historicorum Polybius lib. VI. Nisi sic morata, nisi sic constituta fuisset hæc civitas, nisique tam moderate civium, magistratuum, omniumque ordinum munera descripta fuissent ad omnes pacis bellique functiones, nunquam potuisset inter tot gentes, quæ & viribus & duritie corporis, & animis ad mortem paratis, & numero hominum, & calliditate, & scientia rei militaris tam pedestris quam navalis longe Romanos anteibant, emergere. Igitur in hac istius reipublicæ tam pulchra temperatione & descriptione cognoscenda, quicunque civilis prudentiæ studio tenentur, semper temporis operæque plurimum posuerunt; sic enim sentiebant ex nullo fonte posse hauriri uberius sapientiæ civilis doctrinam, quam ex historiis rerum publicarum. Hac enim cognitione imbutos, non secus ac multorum annorum usu in ipsa rep. tractanda exercitos & eruditos, recte tam de scitis magistrorum politices, quam de ipsis rebus civilibus, ut se habeant, existimare posse. Nec id ignoravit summus Aristoteles, qui antequam de civili doctrina libros suos luci committebat, collegerat & ediderat centum & octoginta rerumpublicarum historias. Unde quantus ex Romanæ reipublicæ cognitione fructus capi possit, quæ tam prudenter & tam mirifice instituta erat, ut omnes ceteras, quas sol unquam adspexit, & rerum gestarum magnitudine, & temporis, quo floruit, longinquitate superaret, pulchre intelligebant. Verum illius notitia perobscura est, & perquam difficilis ejus pervestigatio, cum propter linguæ, quæ in longa illa ac fœda barbariei nocte obsolevit, tum propter scriptorum veterum penuriam,

Nullus enim, qui florente republica & imperio eam deformarit ad nos pervenit. Itaque genus omne ſcriptorum, quos de rebus Romanis ex illo naufragio rei litterariæ tanquam tabulas quaſdam nobis propitium quoddam Numen ſervavit, hiſtorici, oratores, poetæ, philoſophi, grammatici, Græci Latinique ſunt evolvendi, & ex multis variiſque locis & particulis tanquam ex longe lateque ſparſis ruderibus & parietinis quibuſdam collapſum ædificium veteris Romæ fuit redintegrandum. Non requirebatur tantum ad has tenebras diſpellendas multa & aſſidua lectio, ingens induſtria, memoria firma fidaque rerum lectarum cuſtos, attentio maxima, ne quid retruſum & abditum præteriretur, acris ingenii vis & perſpicacitas ad occulta pervidenda & ex latibulis eruenda, judiciique ſumma ſubtilitas & ad diſcernenda, quæ ſpectent hanc, quæ aliam reip. partem, & ad apte componenda lacera diſſipataque membra, nodoſque, qui paſſim occurrunt, difficillimos ſollerter expediendos. Itali principes fuerunt, qui a renatis litteris aditum quaſi aperuerunt ut ad ceterarum optimarum artium, ſic & ad hujus doctrinæ intelligentiam. Inter eos tres eminuerunt præcipue, fere æquales, Paullus Manutius, Carolus Sigonius, Onuphrius Panvinius. Nam qui ante hos in hac ornanda Sparta deſudarunt, Blondus Flavius, Raphael Volaterranus, Julius Pomponius Lætus, aliique nonnulli, non inutilem quidem, ut illis temporibus, rei Romanæ ſtudioſis navarunt operam, & probabile eſt eorum ſtudium & egregia voluntas bene de Romana & litteraria re merendi; ſed nondum ſatis politi erant, nec ea doctrinæ copia, nec iis ſubſidiis inſtructi, quæ hoc genus ſcribendi poſtulabat. Quæ præclare inchoata hi reliquerant, pulchre perfecerunt qui illos excepere. De civitate Romana primus quidem Onuphrius Panvinius Veronenſis edidit commentarium Venetiis anno M. D. LVIII. ex officina Eraſmiana: nam Caroli Sigonii de civium Romanorum jure libri duo Venetiis primum vulgati ſunt biennio poſt anno M. D. LX. Manutii vero de civitate liber diu poſt lucem adſpexit, nimirum poſt ejus fata Romæ M. D. LXXXV. Quia tamen liber Manutii brevior eſt & multo elegantiæ ac eruditionis ſale perſperſus, & quia præterea in paucis doctorum virorum bibliothecis reperitur, juſſi illum ceteris omnibus tanquam τηλαυγὲς πρόσωπον, & omnibus elegantibus hominibus gratum oculiferium anteponi; quamvis forte temporis quoque ratione, quo ſcriptus eſt, ante illos ſi non locari, certe illis non poſthaberi debeat. Equidem illo tempore, quo ſuum Onuphrius typis commiſit de civitate librum, hic quoque Manutii ſic jam ſcriptus videtur fuiſſe, ut poſtea fuit editus a filio. Declarat hoc ſatis liquido epiſtola, quam præfixit libro de legibus, ad Hippolytum Eſtenſem Cardinalem, qui publici juris eſt factus anno M. D. LXXI. Teſtatur ibi ex decem antiquitatum Romanarum libris, quos adornarit, ſe nunc librum de legibus edere caſu potius, quam conſilio, cum ceteri quoque tantum non conſummati eſſent. Nam cum dixiſſet, ſe ante decem annos, auctoribus duobus eximiis viris, Petro Bembo, & Bernardino Maffeio, ſe dedidiſſe ad res Romanas illas veteres obſervandas, & ex omnibus antiquorum monumentis omni ſtudio colligendas, ut illam rempub. univerſam animo ac ſcientia comprehenderet, Latinis litteris explicaret, & poſteris relinqueret; addit accidiſſe iniquo quodam fato ſuo, ut cum horum utrumque, Bembum primum jam ſenem, deinde Maffeium non ætate minus, quam virtute florentem, in quo ſui ſpes otii ſita omnis fuerit,

importuna morte ereptum amisisset, fractus & debilitatus animo institutum antiquitatum opus omiserit, & ad alia se converterit. Postea cum ab Hippolyto Estensi Cardinale honorifica imprimis conditione delata in ejus familiarium numerum fuerit adscitus, quod abjecisset opus rursus suscepisse, & ex decem quos exorsus esset libris, hunc de legibus potissimum, quem mitteret ad Mæcenatem suum delegisse, non quod ita postularet ordo, sextum enim in antiquitatum voluminibus locum obtinere, sed quod, cum omnium librorum materia non modo coacta jam in unum esset universa, verum etiam satis diligenter in partes distributa, casu acciderit, ut hic minus quam ceteri rudis, minus fuerit impolitus. Post editum hunc de legibus commentarium, Paullus variis jactatus casibus, morbis, & domesticis incommodis, ut modo Romam transferret sedem fortunarum suarum, modo Roma Venetias remigraret, quod nobis ex ejus epistolis & ex Musæo Joannis Imperialis constat, aliis præterea districtus occupationibus hanc in ceteris novem antiquitatum libris perpoliendis & emittendis in publicum curam ad tempus spe melioris otii seposuit. Post ejus diem fatalem filius Aldus non passus est hæc parentis sui monumenta, quæ invenit, in tenebris delitescere; sed tres alios ex illis decem, quos pater moliebatur, libris antiquitatum produxit in dias luminis auras, unum de civitate, alterum de senatu, tertium de comitiis. In προσφωνήσει diatribes de senatu ad Jacobum Boncompagnum narrat, eam quidem serius aliis ejusdem argumenti commentariis a viris doctis scriptis edi, (existimo Zamoscii de senatu Romano libros significari) longe tamen prius ab ipso scriptam esse, ne quis ea surripuisse aliis, in quibus cum iis conveniat, putet. Quæ sunt argumento istos libros postumos, quos filii curæ debemus, fuisse concinnatos, cum liber de legibus prodiret, & sic temporis quoque ratione primum ei locum in hoc primo tomo fuisse assignandum.

Sequuntur Caroli Sigonii, qui Mutinæ in patria, Venetiis, Patavii, Bononiæ docuit rectissima studia magno cum concursu & applausu, de antiquo jure civium Romanorum libri duo. Is Manutio fuit carissimus & longo annorum usu conjunctissimus; Sigonius vero colebat Manutium & observabat imprimis. Ei tribuit in his libris principatum ingenii & elegantiæ; Manutius quanti Sigonium fecerit, tum aliis in locis, tum in epistola ad illum data, quæ est in lib. v. epistolarum, ostendit: *Vides*, inquit, *quo te in loco tua virtus, quanta omnium exspectatione, constituerit. nihil mediocre præstandum est: nec ut cum aliis, quibus te jam doctrina industriaque antecelluisse omnes judicant, sed ut tecum ipse certes, teque ipsum, si licet, vincas, omnique laudis genere cumules, elaborandum*. Sigonius autem in hac tractatione de antiquo jure civium Romanorum, multo copiosius versatus est quam Manutius: hic enim agit præcipue de urbe & agro Romano, de tribubus, centuriis, classibus, ordinibus civium: ille non solum hæc executus est, sed & jus gentilitatis, sacrorum, connubiorum, legitimi dominii, testamentorum, tutelæ, tributorum & vectigalium; de sacerdotiis, magistratibus, triumphis, senatoribus, publicanis, & multis aliis, sine quibus Romanæ reipublicæ disciplina intelligi non potest, accurate disputavit. Equidem hæc mea semper fuit sententia, hos Sigonii libros permagnum emolumentum afferre iis, qui vel Romanæ historiæ ac eloquentiæ, vel juri student; multis auctor fui, ut antequam elementa hujus scientiæ delibent ex

Juſtiniani Imperatoris inſtitutionibus, iſtos libros pervolvant. Nulli non, qui meæ paruerant auctoritati, operæ pretium ſe tuliſſe ſunt teſtati, mihique gratias egerunt. Sine horum, quæ exponuntur hic a Sigonio, cognitione Latina veterum, præſertim Tullii & Livii, monumenta nec legi cum fructu, nec intelligi poſſunt. Iis accedunt Onuphrii Panvinii Veronenſis, doctiſſimi hominis de eodem argumento, quod multis antiquis titulis illuſtravit, nimirum de civitate Romana libri duo, & tertius de Imperio Romano. Huic inſtituto maxime quoque ſerviunt Paulli Manutii unus, quem pauci viderunt, nihil enim illo rarius, & Nicolai Grucchii Rhotomagenſis, viri exquiſita doctrina, de comitiis Romanorum tres libri, eruditiſſime ſcripti. Nam ſine trium illorum comitiorum, in quibus leges, pax, bellum, fœdera jubebantur, magiſtratus creabantur, de capite civis, deque libertate ac jure civitatis judicabatur a populo Romano, ratione, quæ tamen eſt intricatiſſima & cognitu difficillima, rempub. Romanam, cujus potiſſima vis in his comitiis erat ſita, cognoſcere & perſpicere nemo poteſt, nec Livii, aliorumque ſcriptorum ſententiam aſſequi. Grucchii tantum fuit nomen, ut non ſolum Lutetiæ, Burdigalæque, ſed & in Luſitania, quo fuerat invitatus ad promittendas optimas artes, omnium laudem & admirationem fuerit promeritus. Sed cum de lege curiata magiſtratuum & imperatorum ab eo diſſentiret Sigonius in his, quos modo laudavimus, commentariis, gravis exarſit inter hos duos viros eruditiſſimos contentio, civiliter tamen primo, certe variis libris agitata, quos hic quoque videbis. Illic res cognitione digniſſimæ, ſed ſpiſſis nebulis ante hanc controverſiam motam obſeſſæ, clara luce fuerunt perfuſæ. Ab eruditorum ſenatu vero ſecundum Grucchium fuit datum, ſi credimus Scævolæ Samarthanio, id tradenti in Gallorum doctrina illuſtrium elogiis.

Jure civium, & comitiorum ratione explanata, ſenatus quoque, qui civitatis conſilium erat, cujus auctoritate omnia gerebantur, hiſtoria fuit explicanda. nam ut homo ex anima & corpore, ſic reſpub. Romana ex ſenatu & populo fuit conſtituta. Nec hic defuit nobis induſtria duorum inſignium virorum, Paulli Manutii, cujus poſtumum commentarium de ſenatu Aldus filius nobiſcum communicavit, & Joannis Sarii Zamoſcii. Is fuit ſui temporis maximus & incomparabilis heros, omnibus pacis bellique artibus, ſi quiſquam, ornatiſſimus, qui & ſcribenda omniumque ſeculorum memoria celebranda geſſit, & omnium admiratione digna ſcripſit. Domo fuit Polonus, & illius regni magnus Cancellarius, nec non ſummus exercituum imperator; ut erat ipſe doctiſſimus, ſic artes ingeniaque fovebat impenſe & mirifice. In Roxolanorum finibus condidit novam urbem ſplendidam Samoſcium: in eaque Academiam excitavit, cui Hippeo nomen, quod viris doctis non plebeja doctrina, ſed recondita, & elegantia ingenii præcellentibus, quorum ſpectator & exiſtimator erat egregius, inſtruxit, magniſque ſtipendiis conduxit, de quo hic plura dicere locus non fert. Ejus laudes decantant annales, & exſtat in publico de magni viri vita rebuſque diſertiſſima Adami Burſii, qui Athenæi Samoſciani ſingulare decus fuit, oratio Lugduni Batavorum anno hujus ſeculi duodecimo typis mandata, nec non Joannis Caſellii ſummi hominis ad Thomam Zamoſcium de parentis virtutibus epiſtola lectu digniſſima, quæ in epiſtolarum centuria ad viros principes eſt ſeptuageſima. Hos de ſenatu libros Zamoſcius adornavit,

& edidit in primo ætatis flore Patavii, cum ibi vix vicesimum secundum annum agens expoliendi ingenii caussa degeret. Unde nonnullis suspicionem movit, se non esse tam docti & pulchri libri, qui ab omnibus magno applausu excipiebatur, parentem, sed Sigonium, quo in primis Patavii utebatur, quod Thuanus in libris de vita sua prodidit. Sed qui sic suspicabantur, alius ingenium de suo spectabant. M. Antonii Majoragii libellus de senatu Romano in manibus hominum etiam est. Sed is, quamvis in aliis scriptis, quæ edidit plurima, viri illius eruditionem & eloquentiam faciam permagni, strigosior est, nihilque docet, quod non uberius & ornatius prosecuti sint Manutius & Zamoscius.

Hæc primus tomus complectitur. Præfixus tamen his omnibus est Octaviani Ferrarii, viri doctissimi, liber de origine Romanorum, quamvis serius ad nos perlatus sit, cum jam plerique omnes, quos in hunc tomum conclusimus, essent editi. Utinam potuisset hanc lucubrationem vir eximius perficere; sed acerbis fatis occupatus & exemtus rebus humanis fragmentum hoc reliquit, quod tamen ne periret dignissimum est & merito servatum ab ejus amicis. De hoc ipso Ferrario plura diximus in procemio, quod præmisimus ejus libris, de ritu concionum veteris ecclesiæ. Denique nec hoc prætereundum est, in libris Sigonii de jure civitatis Romanæ nos secutos esse editionem, quam in Germania in operibus Sigonii junctim editis expresserunt Francofurtenses. Postea incidimus in Parisiensem anni CIↃ IↃ. LXXIII. indicio viri doctissimi Rutgeri Kemingii, cujus singulari curæ & studio hic thesaurus plurimum debet, quæ multis in locis fuit emendatior & auctior priore. Hanc secundam editionem, ab ipso Sigonio recensitam & elimatam nunquam ante, quod non diffitemur, videramus, persuasi Francofurtenses, qui post obitum Sigonii omnia ejus opera collegerant, optimas & recentissimas editiones in manibus habuisse. Sed cum hanc opinionem nos fefellisse intelleximus, quæ emendata sunt in illa Parisiensi editione, & quæ illi accesserunt non paucæ observationes, calci tomi primi subjecimus.

In his præclaris præstantissimorum virorum monumentis occurrunt quidem hinc inde, quæ miniatulis ceris notari merentur, quæve a posterioribus scriptoribus sunt rectius & dilucidius, ut dies diem docet, explicata: sed hoc nos ingenio sumus, ut ab opere censorio abhorreamus. Ut tamen aliorum magis serviamus voluntati & studio, quam nostro morem geramus animo, en tibi specimen.

In Ferrarii dissertatione de origine populi Romani pag. (*6*) ait Pelasgorum, qui coloniam in Italiam duxerint, patriam antiquiorem Argos Argolicum esse in Achaia, qui inde domo profecti Thessaliam occuparint, eamque in tres partes distribuerint, Phtiotin, Achaiam, & Pelasgiotin, quas ex nominibus Ducum suorum appellarint. Diversa sententia longe est vero similior. Nam Thessalia fuit parens cum ceterarum Græcarum gentium, tum & Pelasgorum, qui ex Thessalia profecti in Helladem & Peloponnesum se diffuderunt & in illas terras patriorum fluminum & urbium nomina detulerunt. Hellenes, Aeoles, Dores, Iones, Achæos esse Thessalos origine, & quidem Phtiotas ex Thucydidis procemio, Strabone & Apollodoro constat. Deucalionem antiquissimum Regem Thessaliæ fuisse nemo ignorat, nisi hospes in historia prisca. Hujus filius fuit Hellen, a quo Hellenes, qui antiqui & genuini incolæ sunt Phtiotidis, uti etiam soli appellabantur memoria belli Trojani, quo illorum Rex

erat Achilles, nondum communicato hoc nomine cum ceteris Græciæ populis, qui & post bellum Trojanum, ad differentiam verorum Hellenum Thessalicorum, dicti sunt ab Hesiodo Panellenes, ut & Homero Iliados β. v. 331. si versus illi genuini sunt, quos obelis suis jugularunt Græci veteres Critici, uti videndum apud Eustathium. Hellen sustulit Achæum, a quo Achæi, qui tenuerunt itidem Phtiotin, & æque ac Hellenes parebant Iliaca tempestate Achilli, quod præter Homerum prodidit Strabo lib. VIII. Ion, a quo Iones, Hellenis nepos fuit, Achæi frater. Iones etiam ex Thessalia in Peloponnesum migrarunt, ac illi peninsulæ, quæ ante dicebatur Ægialia, nomen Ioniæ dederunt, ut auctor est idem Strabo lib. VIII. Ab Æolo Hellenis filio Æoles, a Doro Dores, qui & ipsi patria Thessalia relicta sedes transtulerunt cum in Helladem, tum in Peloponnesum. Pelasgus, cui originem debent Pelasgi, aut pater fuit Æmonis, aut secundum alios avus. A Pelasgo Thessalia dicta fuit Pelasgia, si Stephano fides, Θεσσαλία ἀπὸ Θεσσαλοῦ, ἡ πρότερον Πελασγία. *Thessalia a Thessalo, quæ prius Pelasgia dicta*; uti post ab Æmone Pelasgi nepote Æmonia fuit appellata, & a Thessalo filio Æmonis Thessalia, testante id eodem Stephano, quamvis in generis serie discrepent alii. Hi Pelasgi, uti ceteri Thessaliæ prisci populi, sedes transtulerunt in Peloponnesum. Ibi in memoriam antiquæ patriæ, quæ Ἄργος Πελασγικὸν dicebatur, more colonorum condiderunt urbem in Peloponneso, quam nominarunt Ἄργος, sed ad discrimen Thessalici Argi Ἄργος Ἀχαϊκὸν, quamvis ab Achæis, & ipsis origine Thessalis, illam urbem excitatam fuisse velint alii. Scio veteres auctores esse, qui tradunt duos esse Pelasgos, Peloponnesiacum, & Thessalicum: ab illo sanguinem ac nomen ducere Pelasgos Peloponnesiacos, ab altero Thessalicos, a quibus pars Thessaliæ dicta fuerit Pelasgiotis. Sed hæc diversitas opinionum inde orta videtur esse, quod, cum in Thessalia Pelasgos fuisse didicissent, & Pelasgos quoque in Peloponneso olim consedisse accepissent, a quibus illa Chersonesus Pelasgiæ nomen acceperit, ante Danai & Pelopis in illam adventum, duos existimarint fuisse Pelasgos, in quo sæpe peccarunt Græci, cum unus tantum fuerit Thessalicus antiquus, cujus posteri Pelasgi in Græciam cum se contulissent, & Arcadiæ aliasque Peloponnesi terras occupassent, Arcades, qui in primis antiquitatis gloriam affectabant, unde se προσελήνους esse prædicabant, invidentes Thessalis originis suæ auctorem, Pelasgum apud se natum aliumque a Thessalico esse jactabant. Quod explanatius posset explicari; non enim me fugit Pelasgis aliam tribui ab aliis originem, dictosque fuisse βαρβαροφώνους, si hujus instituti ratio ferret. Equidem non est credibile Pelasgos Peloponnesiacos ex Græcia in Thessaliam contendisse & ibi Argos Pelasgicum condidisse, cum ceteri Græciæ populi orti in Thessalia ex illa in Græciam venerint æque ut Pelasgi, & ibi consederint.

Pag. 34. ubi agit de notariis & notis in Paulli loco ex Pandectes lib. XXXVII. qui ex Pedii sententia scribit, notam non esse litteram, & propterea scriptas tabulas non valere, valde argutatur. Nec notæ illæ apud Ciceronem in lib. II. de divinat. (nam ibi notæ sunt signa, quibus aliquid præsignificatur) nec notæ turpitudinis, nec Threiciæ, quas Thraces inurebant corporibus, huc quicquam faciunt, nec illæ notæ, quibus res secretas significabant amicis, sive illæ fuerint litteræ aliter scriptæ, ut si *b* pro *a*, *c* pro *b* ponatur ad exemplum Julii Cæsaris, sive fuerint

certæ quædam litteræ figuræve voces denotantes, nihil faciunt ad Paulli notas. Is loquitur de his notis, quibus ταχύγραφοι utebantur, qui oratorum orationes excipiebant, quarum ſingulæ vocem ſignificabant, vel etiam plures, quæ *ſiglæ* poſterioribus temporibus appellabantur. Hæ notæ fuerunt duplices, ut in tabulis judicum N. L. pro *non liquet*, A. *amplio*. SC. *ſenatusconſultum*, quæ in frequenti uſu fuerunt ab antiquiſſimis temporibus, ut liquet ex priſcis legibus, lapidibus, inſcriptionibus, & aliis monumentis: aut figuræ quædam ut, qua *faſcis*, *Imperator Cæſar*, *orbis terrarum totus* ſignificabatur, de quibus extat liber a Grutero in lucem emiſſus, qui Tyronis & Senecæ nomen præ ſe fert, quæ ſunt vocum compendia. Has notas intelligit Paullus, cum ait notam non eſſe litteram, & propterea teſtamentum notis ſcriptum eſſe irritum. De his notis accipienda eſt quoque lex *Lucius*. D. de teſt. mil. *L. Titius miles notario ſuo teſtamentum ſcribendum notis dictitavit, & antequam litteris perſcriberetur, vita defunctus eſt*: de qua vide Cujacium III. Obſerv. 3. Cauſſa, præter alias rationes, cur teſtamentum pagani notis ſcriptum nollent valere JCti, erat, quod facile poſſent circumſcribi heredes aut legatarii, quod Galbæ accidit apud Suetonium, qui HS quingenties cum præcipuum inter legatarios habuiſſet, quia notata, non perſcripta erat ſumma, heres Tiberius legatum ad quinquaginta revocavit. Nimirum notatum erat IƆ HS, quod valebat quingenta ſeſtertia, & quingenties ſeſtertium, inter quas ſummas immane diſcrimen erat. Si litteris perſcriptum fuiſſet *ſeſtertium quingenties* non potuiſſet circumveniri Galba, niſi vi. Si L. HS. fuiſſet notatum in teſtamento, ut vult Caſaubonus, quomodo hanc notam potuiſſet interpretari Tiberius quingenta, cum L non quingenta, ſed quinquaginta ſeſtertia denotaret? Poterat eadem nota IↃ HS quingentos ſeſtertios ſignificare. Non tamen inficior poſſe a Paullo litteras etiam illas ſingularias intelligi, quæ vocem integram denotant. Nam licet ſint litteræ, non tamen vim litterarum obtinent, ſed vocum, ut. S. V. V. B. E. E. V. in epiſtolis Tullii, quibus, ut notum, ſignificatur, ſi vos valetis, bene eſt, ego valeo. Has litteras non litterarum loco habet IC. ſed vocum, ideo notæ dicuntur, quod eſſent notæ & ſigna integrarum vocum. Verum prior ſententia mihi verior videtur eſſe. Iſtæ notæ, quibus litteræ ſingulariæ voces denotant, diu ante Ciceronem & Tyronem fuerunt adhibitæ in publicis privatiſque monumentis & tabulis: harum vero, quibus utebantur notarii, artem dicitur condidiſſe Cicero, aut ejus libertus Tyro, quamvis de illarum ambigatur inventione.

Paullus Manutius de Civitate Romana p.33. ubi agit de diviſione Populi Romani a Romulo facta, in tres ait partes eum fuiſſe diviſum, quas vocarit tribus, & ſingulas rurſus in denas, quibus nomen curiæ impoſuerit, quod iis, ut Feſtus videatur oſtendere, publicarum rerum cura commiſſa ſit. Sic non ſolus Manutius, ſed Sigonius, Gruchius, Onuphrius, & quis non? Sed de veribervio τȣ̃ *curia* Feſtus fallitur, & alios fefellit. Nam vocabulum *Curia* Romulus accepit a Græcis. Iis, præſertim Athenienſibus, dicebatur κυρία ἐκκλησία, & ſimpliciter κυρία tota populi concio legitime convocata ad vetandum jubendumve, quod e rep. cenſeret eſſe. Romulo non toti populo, ſed parti ejus trigeſimæ, quæ ſi cum ceteris viginti novem curiis legitime conveniſſet, jus habebat ſci-

tres equitum centuriæ a Romulo lectæ, quæ legioni adjicerentur, quæque ſubinde creſcente urbe creverunt, & a ſucceſſoribus Romuli fuerunt auctæ, equites tantum fuerunt, qui in acie peditatui opponerentur, non qui in urbe ordinis equeſtris numero eſſent, ſenatuique opponerentur, unde quæſo eſt ille ordo equeſtris? a quo, & ex quo genere hominum, & quando fuit is inſtitutus? In Romuli rebus geſtis nullorum equitum, quos delegerit, meminit quiſquam, quam illarum trium centuriarum. Ait quidem Sigonius utriuſque equitis diviſionem inſtitutam a Romulo fuiſſe; ſed cum Tatienſes, Ramnes, Luceres ab equeſtri ordine removet, nullam oſtendit hujus ordinis originem. Fundamentum hujus ſententiæ unicum eſt, equites alios fuiſſe, qui meruerint equo publico, hos equeſtris ordinis homines eſſe; alios, qui equo privato meruerint, qui in exercitu peditibus reſponderint, & qui diverſi fuerint ab equeſtri ordine. Nihil in his eſt veri, ſi accipias, ut accepit Sigonius. Reſpublica Romana a Romuli tempore uſque ad Marium nullos alios novit equites, qui peditibus legionariis in acie reſponderent, quam qui in Urbe ſenatui opponebantur, nimirum qui merebant equo publico, ſive ordinis erant equeſtris viri. Tres illæ centuriæ Tatienſium, Rammnetum, & Lucerum a Romulo lectæ, fuerunt equeſtris ordinis origo; hi & illorum poſteri fuerunt equites ex civibus Romanis, qui in caſtris peditatui Romano, in Urbe ſenatui opponebantur. Nullus in triginta turmis equeſtribus alius merebat civis, quam qui eſſet equeſtris ordinis, niſi forte temporibus iniquiſſimis, cum neceſſitas reip. non pateretur leges & inſtituta tueri. Reliqui omnes cives merebant pedibus in legione. Videamus nunc loca, quibus Sigonius, & qui ejus ſectam ſequuntur, ſuam putant firmari ſententiam. Primus eſt Ciceronis ex III. de legibus: *Cenſores pecunias, ævitates, ordines partiunto: equitum peditumque prolem deſcribunto*. Ordines cum dixit, inquit Sigonius, ſenatum, plebem, & equites equo publico intellexit, cum peditum equitumque prolem, qui privato equo, quique pedibus ſtipendia facerent, ſignificavit. Quis mortalium hanc ſententiam ex verbis iſtis Ciceronis colligat, niſi qui hanc opinionem imbiberit, quam ſibi perſuaſit Sigonius? Nihil aliud illa præ ſe ferunt, quam cenſores cujuslibet patrimonium & ætatem deſcripſiſſe, & ſecundum facultates retuliſſe cives in claſſes & ordines, ut, qui cenſum equeſtrem haberet, ſi nihil aliud obſtaret, in equeſtrem ordinem, qui ſenatorium cenſum haberet, in ſenatorium ordinem adſcriberetur, utque præterea tam equeſtris ordinis, quam ceterorum civium liberi utriuſque ſexus, quot & qua eſſent ætate, in tabulas referrentur cenſorias. Si aliorum equitum fuit illa proles, quam equeſtris ordinis, cujus ordinis fuit proles peditum? Nam cenſores plebem quoque in ſuum ordinem deſcripſerunt, hoc eſt, tertium. Alii ergo deberent eſſe pedites, quorum proles in cenſum referebatur, quam plebs Romana. Sed hæc abſurda ſunt. Sequitur apud Sigonium Livii locus, qui non ſtabilire ſententiam ejus, ſed evertere mihi videtur planiſſime. Eſt in libro V. cap. 7. ubi, cum narraſſet de clade Vejenti, & metu ſenatus hoc nuncio accepto, ſubjicit: *cum repente quibus cenſus equeſter erat, equi publici non erant aſſignati, ſenatum adeunt, equis ſe ſuis ſtipendia facturos promittunt*. Hos cenſet Sigonius non fuiſſe equeſtris ordinis homines, ſed qui dicti fuerint equites equo privato. Primo *equitum equo privato* quis meminit? Non, quia ſunt *equites*

equo publico, consequitur fuisse quoque *equites equo privato*. Sane in nullo antiquo monumento, quod ad nos pervenit salvum ex illo rei litterariæ naufragio, ullum vestigium lest aut memoria equitis equo privato. Dein est hic extraordinarius pane, & fortuitus quidam casus, cum extremis reipublicæ temporibus illi qui censum equestrem habebant, sed nondum a censoribus essent in equestrem ordinem relati, sponte suam offerrent operam, quam navaturi erant reipublicæ sine ære equestri, quod merebant equites equo publico, reliqua plebs horum exemplo commota, quæ non habebat censum equestrem, æque gratuitam reipublicæ operam deferebat, ac illi fecerant, qui dicuntur in epitome hujus libri *suis equis meruisse*, ut legendum quoque in ipso Livio, quia nondum equus publicus illis erat assignatus. Si fuisset talis ordo in republica, qui suis equis meruerit, cur hoc tanquam singulare quid notasset Livius, illo tempore fuisse, qui equestrem censum habebant, qui sine stipendio equis suis reip. volebant præsto esse? Cur ii tantum, qui equestrem censum habent, profitentur nomina? Nimirum quia etsi nondum adscripti fuerant equestri ordini, spes tamen erat ut proximo lustro ei adscriberentur a censoribus: interea in turmis equestribus, quæ illa clade imminutæ erant, idem volebant reip. præstare officium suis equis, quod præstabant equites equo publico. Equidem si turmæ equestres, quæ in acie opponebantur militi legionario, non fuerunt equites equo publico, cur dicit hic Livius, eos *quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, equis se suis stipendia facturos promittunt?* quia publicos nondum habebant. Si turmæ equestres potuissent suppleri hominibus, qui suo equo militarent, inepte scripsisset Livius, *quibus census equester erat, equi publici non erant assignati*. Suffecisset, quibus census equester erat, adeunt senatus, equis se stipendia facturos promittunt, scilicet gratis. Vides igitur hunc locum frangere sententiam Sigonii, non roborare. Nec plus præsidii est Sigonio in Ciceronis loco quem affert ex prima Philippica, quo conatur ostendere, non omnes, qui equo mererent, ex ordine fuisse equestri, quia Tullius in Philippica, cum in legem Antonii disputat, qua ex centurionibus novam, eamque tertiam judicum decuriam conficiebat, scripserit: *At quæ est illa decuria judicum? centurionum, inquit. Quid? isti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeja, Aurelia non patebat? Census præfiniebatur, inquit, non centurioni quidem solum, sed etiam equiti Romano. Itaque viri honestissimi, atque fortissimi, qui ordines duxerunt, res judicant & judicaverunt. Non quæro, inquit, istos; quicunque ordinem duxit, judicet. Atque si ferretis, quicunque equo meruisset, quod est laudatius, nemini probaretis. In judice enim spectari & fortuna debet & dignitas.* Ex his verbis putat Sigonius perspicuum esse, non quicunque equo meruisset, equestrem ordinem explevisse, sic loquitur, quia equester ordo alteram judicum obtinuerit decuriam, cui tertiam centurionum addere voluerit Antonius. Non probo. Num omnes, qui equestris erant ordinis, quia secunda judicum decuria ex equite conscribebatur, in illam legebantur? Poterant legi, sicut omnes qui senatorium, omnes qui equestrem censum habebant, poterant in illos ordines adsci, non tamen, nisi cum censoribus, probarentur, in illos legebantur; id quod multo magis observabatur in judicibus, quia, ut ipse Cicero hic liquido declarat, non tantum spectari debebat in judice legendo fortuna, sed &

dignitas, hoc eſt, non tantum equeſtris ordo, ſed in judicibus ex eo legendis gravitas, juſtitia, fides, quas virtutes in judice requiri teſtatur in oratione pro Milone Cicero. Non omnes vero equeſtris ordinis fuiſſe judices ex judiciariis legibus nemini poteſt obſcurum eſse. Lex Gracchi trecentos fecit, omnes ex equeſtri ordine, lex Druſi trecentos equites, & totidem ſenatores, lex Plautii quingentes viginti quinque ſanxit, ex ſingulis tribubus quindecim conſtituit, lex Cornelia trecentos ſenatores, ſequentes vero numerum judicum auxerunt, ut dudum viri docti ex antiquis monumentis docuerunt. vide inprimis Paulli Manutii caput xv. de legibus. Itaque apud Ciceronem *quicunque equo meruiſſet*, nihil aliud ſignificare, quam quicunque equo publico meruiſſet, non tantum ex iis elucet, quæ attulimus, ſed & inde, quod nulli judices fuerint lecti unquam ex aliis equitibus, ſi vel fuiſſent equites equo privato, quos tamen nullos fuiſse ſupra docuimus, quam ex equeſtris ordinis viris. Ex hoc loco Ciceronis igitur effici nullo modo poteſt in rep. Romana fuiſse alios equites, qui fuerint equeſtris ordinis, alios, qui in acie oppoſiti fuerint pediti: multo minus ex loco Valerii Maximi, qui in libro II. cap. 9. narrat, quadringentos equites bello Punico II. a cenſoribus fuiſse ſpoliatos equis publicis. Atqui, inquit Sigonius, illis temporibus innumeri erant, qui equo merebant. Quid inde? Cum ſingulis legionibus adderentur triginta turmæ legionariæ, ex legionibus duabus quadraginta turmas delectas ad rem illam, ad quam delegati erant, explicandam, quam cum male ſua, credo, culpa geſſiſsent, fuiſse ſpoliatas equis publicis. Equidem ad Marii tempora ſemper hoc fuit obſervatum, ut turmæ xxx. quæ ſingulis legionibus apponebantur, non niſi eſsent equites equo publico, niſi forte cum ſummum reip. diſcrimen id exigeret, nonnunquam nonnulli ſuis mererent equis, qui cenſum habebant equeſtrem, quamvis nondum eſsent lecti in equeſtrem ordinem. Poſt Marium, ſicut ab illo militaris res Romana tota fuit immutata, ut præclare docuit ὁ πάνυ Salmaſius in fragmento de re militari Romana, ſic etiam equeſtris magna facta fuit immutatio. Nam loco triginta turmarum, quæ ex Romanis equitibus ante Marii tempora conflabantur, poſt conſcribebantur equites ex Italia & provinciis, qui addebantur legionibus loco priſtinarum triginta turmarum. Dicebantur autem *alæ*, nunquam *turmæ*. Plerumque ala non erat tricenaria, ut xxx. turmæ legionariæ, ſed vel quingenaria, vel ſexcenaria, vel milliaria. Hinc in C. Cæſaris exercitu in Gallia bellantis pauci fuerunt equites Romani; qui erant, ii diſtinguebantur ab equitatu, quem ille habebat ex Gallis, & Germanis, aliiſque gentibus. Equites enim Romani junguntur aut evocatis, aut tribunis, aut aliis præficiebantur adminiſtrationibus bellicis, ſive quod bellis civilibus valde attritus eſset equeſtris ordo, ut tot legionibus, quibus tum res gerebatur, non ſufficeret; præcipue cum Romæ præeſsent alii judiciis, alii vectigalia conducerent, aut quod illius ordinis dignitas ita creviſset, ut inter gregarios equites legionarios merere plerique gravarentur, quod princeps docuit vir maximus, Hermannus Rhabodus Schelius, Satrapa Tranſiſulanus, qui & natalium ſplendore, & ſapientia, & propoſiti ſanctitate, & ingenii præſtantia, copiaque variæ doctrinæ ſummis, quos noſtra tulit ætas, hominibus eſt annumerandus, in eruditis illis annotationibus ad Hyginum & Polybium de caſtris Romanorum, & in diſputatione illi ſubjecta de ſtipendio militari, in qua difficillimum il-

lum locum Livii ex libro v. cap. 7. quem ſupra laudavimus, quique viros eruditiſſimos Lipſium, Salmaſium, Puteanum miſere torſit, dilucidavit feliciſſime & veriſſime. Ne ad alia progrediamur, politiſſimus Lipſius nos moratur, qui & ipſe 1. de milit. cap. 5. duplices equites Romanos fuiſſe cenſet, non tamen Sigonii ſecutus rationem, ac ſi fuiſſent ſemper Romæ alii equites, qui peditibus in acie, alii, qui ſenatui opponerentur in urbe. Sed Lipſius ſentit alios fuiſſe equites equo publico, alios ſine eo. Illos fuiſſe vetuſtiſſimos, & prope ſolos equites dictos, eoſque dici a Plinio militares, lib. XXXIII. cap. 1. *Annuli plane medium ordinem tertiumque plebi & patribus inſeruere, & quod ante militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt.* Equos publicos contendit Lipſius fuiſſe militares. Si ſoli equi publici dicti ſunt militares, quomodo dicebantur illorum equi, qui merebant nonnunquam equis ſuis ut Vejente bello; nonne illorum equi fuerunt etiam equi militares? Verum hæc non eſt mens Plinii, qui cum hæc ſcriberet ſuam reſpiciebat ætatem, qua equeſtris ordinis viri non merebant in turmis legionariis ut olim, quibus propterea equus publicus erat aſſignatus, & æs equeſtre ad illum alendum, & hic equus publicus, quem militarem dicit, erat tum inſigne ordinis equeſtris. Suo vero tempore non requiri ait Plinius equum publicum, ſed tantum cenſum equeſtrem, quem qui habebat, donabatur annulo aureo, hoc eſt, adſcribebatur equeſtri ordini. Pecuniæ tantum, ſive cenſui equeſtri tribuebatur equeſtris ordinis dignitas, retinebantque hoc tantum equeſtris ordinis inſigne equites Romani ſui temporis annulum nimirum aureum, altero vero, equis militaribus, dudum carebant. Nam ſub imperatoribus non legebantur turmæ triginta legionariæ, ut olim, ex equeſtri ordine, ſed ex Italicis & provincialibus alæ, ut vidimus paullo ante. Qui quadrigena poſſidebat equeſtri ordini adſcribebatur, quanquam nunquam militiæ nomen eſſet daturus, ut Ovidius, qui, ut ipſe prodidit, habebat equum publicum, nunquam tamen militavit. Sic enim de ſe ſcripſit:

Aſpera militiæ juvenis certamina fugi,
Nec niſi luſura movimus arma manu.

Nec aliter intelligendus Aſconii locus in divinationem: *His decem annis victore Sulla ſpoliatus eſt populus Romanus judicandi jure, quod habuit per equites Romanos militares;* per equites, ex quibus olim XXX. turmæ, quæ ſingulæ legioni ſolebant addi, legebantur in delectu, quod ſuo tempore exoleverat, cum nullæ eſſent turmæ legionariæ, nec equites militares gregarii, ex equeſtri ordine lecti, aut valde rari. Hinc ipſe Plinius in eodem loco, quem attulimus, ſtatim prioribus ſubjicit: *Equitum nomen ſubſiſtebat in turmis equorum.* olim ſcilicet, non ſuo tempore, quo dudum nullæ turmæ fuerant equeſtris ordinis. Vidiſſe ſententiam hujus loci Pliniani ex parte quoque Salmaſium de re militari cap. 24. poſtea cognovi. Nec tamen in omnibus acu rem tetigit. Lipſius putat mutatum eſſe bello Vejenti, ut ſoli equites equo publico fuerint militares. Illo enim bello & deinceps fuiſſe in legionariis turmis multos, qui equis ſuis militarint. Cave credas. Quomodo locus ille Livii ſit intelligendus, egregie oſtendit ille Schelius de equeſtri ſtipendio, quem vide. Sed quinam fuerunt equites equo publico, quorum apud Tullium, & in inſcriptionibus antiquis, imperatorum tempore ſcriptis, ſæpe fit mentio? Erant equites

PRÆFATIO.

Romani, qui equum publicum habebant, ut olim, non ut militarent ut antiquis temporibus, cum nullus alius equitatus esset Romanus, quam ex equestri ordine conscriptus, sed ut esset tantum insigne honoris, & equestris ordinis. Equo publico donabantur multi a censoribus, aut imperatoribus, qui censorum personam sustinebant nonnunquam, cum lustrum conderent; hi in equitum transvectione recognoscebantur. Inprimis sub imperatoribus nonnulli sive milites, sive alii, sive quod rebus præclare gestis hunc honorem essent meriti, sive gratia imperatorum, eorumve, qui illos imperatoribus commendarant, donabantur equo publico ut alii ornamentis senatoriis. Sic imperator Adrianus M. Antonino, *honorem equi publici sexenni dedit*, teste Jul. Capitolino; & in inscriptione antiqua apud Gruterum honestatur equo publico puer septennis. Equus publicus tum erat tantum monumentum honoris, quo erant affecti, & insigne ordinis equestris, in quem erant allecti. Hominum ex equestri ordine, sive equitum equo publico tempore Ciceronis alii publicum conducebant, alii judices legebantur, sed nulli in delectu, quem consules agebant, legionarii legebantur equites, ut priscis temporibus. Nullæ certe ex illis equitibus equo publico sub imperatoribus conscribebantur legionariæ turmæ, nec est credibile tum temporis tantæ dignitatis viros peregrini generis alis, quæ tum temporis loco turmarum legionibus adjiciebantur, fuisse admixtos. Præficiebantur vero Romani equites aut alis, aut cohortibus, aut tribuni legionibus præerant quæ *equestres militiæ* dicuntur Suetonio & Plinio in epistolis. erant autem curationes militares, quibus tum præficiebantur equites Romani, aut in Ægyptum aliasque Cæsareas provincias legati imperatorum mittebantur. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Sub rep. virtutis præmium erat, cum equiti Romano equi publici alendi gratia fieret a censore; sed erat quoque ignavorum pœna publico equo spoliari a censore. Utriusque rei exempla non una sunt in Livio, quæ dudum collegerunt viri docti. Præmium, credo, fortium virorum erat, cum onere levabantur alendi equum publicum; nam cum levarentur hoc onere, levabantur simul munere merendi equo in turma. Hoc docet Livius lib. XXIX. *S. C. factum, ut tribuni pl. ferrent, ut P. Æbutio, cujus pater equo publico meruerat, emerita stipendia essent, ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret*. Vides fuisse beneficium, si equestris ordinis viro non assignaretur equus publicus, caussam vero fuisse, ne invitus militaret. Quicunque enim illis temporibus equum publicum habebant, cogebantur decem stipendia facere. Insignis etiam de hac re locus est apud Plutarchum in vita Pompeii: Ἥδιστον δὲ θέαμα τῷ δήμῳ παρέσχεν αὐτὸς ἑαυτὸν, τὴν στρατείαν παραιτούμενος. ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίων τοῖς ἱππεῦσιν, ὅταν στρατεύσωνται τὸν νόμιμον χρόνον, ἄγειν εἰς ἀγορὰν τὸν ἵππον ἐπὶ τοὺς δύο ἄνδρας, οὓς τιμητὰς καλοῦσι καὶ καταριθμησαμένοις τῶν στρατηγῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἕκαστον ὑφ' οἷς ἐστρατεύσαντο, καὶ διδόντας εὐθύνας τῆς στρατείας ἀφίεσθαι. *Gratissimum vero spectaculum populo se ipse (Pompeius) præbuit, cum militiæ vacationem postularet. Mos est equitibus Romanis, ubi legitimum tempus stipendiorum expleverunt, ut equum in forum ad censores adducant, enumeratisque singulis ducibus & imperatoribus, sub quibus meruerunt, ac reddita militiæ ratione, petant vacationem.* Hoc fecisse videntur reddito equo publico. Nam hæc erat caussa, cur equum Pompeius ad censores in forum deducebat, ut ex sequentibus patet. Si cui ante confecta stipendia hæc vacatio daba-

tur, propter insigne aliquod meritum in remp. erat id utique beneficium, & jus quoddam præcipuum, quo liberabatur merendi necessitate. Pœna vero equitum qui male rem gesserant, erat ademtio equi publici; quia cui adimebatur equus publicus, removebatur ex equestri ordine amittebatque illius ordinis dignitatem. Cognosces hoc, ut alia prætercam, liquidissime ex Suetonii Caligula. Is inquit in cap. 17. *equites Romanos severe curioseque, nec sine moderatione recognovit: palam ademto equo quibus aut probri aliquid, aut ignominiæ inesset: eorum, qui minore culpa tenerentur, nominibus modo in recitatione præteritis*. Porro de incrementis equestris ordinis ut a prima ejus origine paulatim creverit & auctus fuerit, vide Joannem Fridericum Gronovium pulchre disputantem lib. III. Observ. c. 25.

P. 36. de Civitate Romana notat Manutius: *In rep. summus ordo promiscue cunctis, vel patricia vel plebeja familia natis datus est, nobilesque simul omnes, sive patricii, sive plebeii generis, modo senatorii essent ordinis, appellati*. Hoc ego pernego. Senatoria dignitas non nobilitabat apud Romanos, sed jus prodendi imaginem. Jus vero hoc non habebant senatores, sed ii soli, qui curulem gesserant magistratum. Ideo qui primi ex sua familia ad has dignitates tollebantur a turba mobilium Quiritium, dicebantur *homines novi*, ut Cicero, non qui senatores tantum erant, & altius adscendere non poterant. Unde Cicero dicit in Verrina V. se ædilem designatum adeptum esse antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam posteritatemque prodendæ. Mentionem quidem facit imaginum senatoriarum Suetonius in Augusto: *Balbus paterna stirpe Aricinus multis in familia senatoriis imaginibus*. Sed non proprie hac voce ibi usus est, sed quadam abusione vocis & ἀκυρολογίᾳ, qua nihil aliud significavit, quam multos illum habuisse in sua familia senatores, nullos vero ædiles curules, aut prætores, aut consules.

Quæ pag. eadem notavit, equestris ordinis tantum fuisse, qui jus annuli habuerint, ceteros quocunque censu equo suo militare potuisse. Hoc ex iis, quæ superius de equestri ordine disputavimus, recte potest intelligi. Nimirum si quando reip. tempus requirebat, aut etiam alicujus libido voluntasve ferebat, sive senator esset, sive censum haberet equestrem, ut suo equo quis vellet merere, is levabat tantum remp. illo stipendio, quod ex erario pendebatur equitibus equo publico, sed tamen merebat in illis turmis legionariis, quæ ex equitibus Romanis conscribebantur, nisi mallet in sociis copiis equestribus militare, quod, nullus civis Romanus ut faceret, facile in animum potuisset inducere. Peregrinitate illa contaminari genus Romanum existimabant.

Nec possum subscribere Manutio, cum pag. 39. scribit, Tarquinium Priscum tunica purpurea, & toga picta, sive trabea regum Romanorum usum esse, perinde ac trabea fuisset toga picta. Nam licet trabea fuerit, ut quidam volunt, toga, sed brevior, & minus laxa, non tamen fuit toga picta, quæ tota erat purpurea, aut picta filis aureis, qua utebantur triumphantes, cum trabea esset coccinea, purpureo limbo prætexta, & clavis pupureis distincta, ut ex Dionysio Halicarnasseo certis argumentis declaravit Rubenius de Re Vestiaria, de lato clavo cap. 5. Hinc equites Romani, post regum tempora in transvectione, trabea dicuntur fuisse induti, non vero toga picta.

Pag. 46. male interpungitur in editis, quod poſset lectori non doctiſſimo negotium faceſsere, *quippe qui honeſtiſſimo vitæ genere, flagitioſi ac perditi, languoris expertes, victum ſibi comparent*, cum ſit diſtinguendum, *quippe qui honeſtiſſimo vitæ genere, flagitioſi ac perditi languoris expertes*.

P. 51. Idem ait, quod & ſuperius affirmavit, ingenuos, ſi rura poſſideant, in ruſtica tribu cenſeri. Hoc nullo idonei Romani aut Græci ſcriptoris teſtimonio comprobabit. Primis temporibus reip. cum cenſus a Servio Tullio eſset inſtitutus, vero ſimile eſt obtinuiſse, ut qui fundos poſſiderent, in tribus referrentur ruſticas, ut ſecernerentur a χειρώναξι, ſed poſtea cum reſp. creviſset, num, ſi quis eorum, qui ſedentariis artibus ſe tuebantur, tantum pecuniæ quæſiviſset, ut agrum paraſset, propterea ex tribu urbana referebatur in ruſticam a cenſoribus? Nemo veterum hoc tradit. Hoc vero credibile, omnes, qui in ruſticis tribubus cenſebantur, habuiſſe rura, ut Plinius ait, ſed nemo dixerit, omnes qui rura habebant, fuiſse in tribum ruſticam translatos, ſicut non omnes equites, qui cenſum ſenatorium habebant, ſenatores creabantur, ut conſtat ex C. Nepotis Attico, & Suetonii Octaviano.

P. 54. *Is fuit Catinenſis ſed eſt una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli. Erat enim in id municipium adſcriptus ante civitatem ſociis Latinis datam*. Hæc verba ſunt iiſdem litteris exarata, quibus *Manlius eſt Soſis*. Sunt enim Ciceronis, non Manutii verba.

P. 59. docet Manutius cives Romanos duorum generum fuiſse. Alios qui domicilium intra pomœrii terminos habuerint, alios, qui in agro Romano, & deinceps in omnibus 35. tribubus, quouſque protenderentur, fuerint. Hos cives Romanos, illos populum Romanum. Inter cives Romanos, & populum Romanum fuiſse diſcrimen, eſt Manutii commentum nullius veteris ſcriptoris auctoritate ſubnixum. nec ejus opinionem quicquam adjuvat locus Suetonii, ſcribentis de Auguſti teſtamento: *legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies HS*. Pro quo Tacitus eandem rem deſignans dixit in annali: *legavit populo & plebi* CCCCXXXV. Quadringenties quod populo Romano legavit, voluit inferri populi Romani ærario, ut ad communem reip. uſum in illo ſervaretur. Tricies vero quinquies, quod tribubus legavit, voluit viritim diſtribui plebi tenuiori per omnes 35. tribus ſparſæ, ſive illa Romæ habitaret, ſive in agro Romano, cujus parti dabatur etiam frumentum menſtruum ex publicis horreis. Sæpe *tribus* accipitur pro plebe viliore & pauperiore, quod multis exemplis probat magnus Caſaubonus ad hunc Suetonii locum, quem vide. *Plebs* ſæpe diſtinguitur a populo. Apud Ciceronem X. ad fam. epiſt. 35. LEPIDUS IMPER. ITER. PONT. MAX. SENAT. POP. PL. Q. R. S. D. Sunt & alia in iiſdem epiſtolarum voluminibus exempla. Quid vero differat populus a plebe docet Gellius X. Noct. Att. 20. ad definitionem legis ab Atejo Capitone factam: *Lex eſt generale juſſum populi aut plebis rogante magiſtratu. Plebem*, inquit Gellius, *Capito ſeorſum a populo diviſit: quoniam in populo omnis pars civitatis omneſque ejus ordines contineantur. plebes vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non inſunt. plebiſcitum igitur eſt ſecundum eum Capitonem, lex, quam plebes, non populus accipit*. Sed ut redeam, quo ſum digreſſus, *tribus* Suetonii, & *plebs* Taciti erant tenuiores cives, quibus viritim aliquid nummorum diſtribuebatur, ſive intra Romæ pomœria degeret, ſive in agro Romano. Non tamen inficior, cum tota Ita-

lia civitate donata esset, plebem Romæ habitantem liberalius habitam fuisse in talibus largitionibus, quam Italicam. Suetonius cum Julii Cæsaris liberalitates post partas victorias commemorat: *Annuam habitationem*, inquit, *Romæ usque ad bina millia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit*, hoc est, pro plebe, quæ in conducto Romæ habitabat, solvit dominis ædium annuæ habitationis vectigal ab his mille HS. sed pro plebe, quæ extra Romam in conductis ædibus degebat, solvit tantum quingenos nummos. Ut hoc verum est, sic falsissimum, plebem intra urbem dictam esse populum Romanum, quæ extra urbem egerit, tribus.

P. *62*. contendit Manutius, municipes, qui habebant jus civitatis & censebantur, non potuisse in legione merere, & paullo post idem ait, colonos locum quidem habuisse in legione, sed non fuisse Romæ censitos. Utrumque falsum. Si coloni in legione potuerunt merere, cur non municipes, qui plerique meliore jure cives erant Romani, quam coloni? Exempla quoque municipum in legiones adscriptorum præsto sunt. Non poterant autem in legionariorum esse numero, nisi Romæ in tabulas censorias essent relati. Quod nemo diffitebitur, qui norit, ut Romæ delectus fuerit habitus, de quo vide præcipue Lipsium de re militari Romanorum lib. 1. cap. 3. Conveniebant ergo Romæ dicta die cum delectus esset habendus tam municipes quam coloni, qui jus civitatis habebant, & in sua tribu & centuria respondebant.

P. *63*. non capio Manutii argumentationem, in his verbis, ubi vult probare nobis, Romanos omnes censos fuisse, a quo nati erant, quod verum est, *si*, addit, *robustiores tantum censi essent; Ser. Tullio regnante, qui censum instituit, Romæ fuissent hominum CC. millia*. At hoc recta ejus adversatur rationi. Nam si robustiores soli censi tantum numerum confecerunt, quantus debuit numerus esse hominum, si iis accedant infantes & adolescentes intra XVII. annum, nec non mulieres? Atqui in sequentibus ex Livio docet octoginta tantum millia censa fuisse in primo Servii censu, quod tamen verum esse sibi persuadere non potest. Itaque Manutius scripsit, *Romæ non fuissent CC. millia*.

P. *64*. scrupulum, quem injicit Manutius de numero civium tempore primi census acti evellit cum omnibus fibris Sigonius lib. 1. de antiquo jure civium Romanorum cap. 14. quem consule.

P. *65*. notavit Paullus, censum in foro factum, lustrum vero in Campo Martio conditum fuisse. Hoc non omni tempore factum est. Primis temporibus census fiebat in foro, sed postea in villa publica, ut jam pridem docti viri observarunt: sed Romanorum equitum transvectio semper in foro instituebatur.

P. *66*. cum scribit Manutius: *expletis tribubus non in centuriis, sed in sua quemque tribu censum fuisse crediderim*. Non ego. Nam in centuria sua quemvis civem fuisse censum, vel ex delectu militari, ne de aliis dicam, elucet. Is cum haberetur, vocabantur singulæ centuriæ, unde tribuni legebant, quos centuriaret. Unde vero hæ centuriæ, nisi ex censorum tabulis cognoscebantur? Vide Lipsium de re militari Romanorum, lib. 13. Patet id etiam ex centuriatis comitiis. Quis enim in centurias descripsisset cives Romanos, nisi censor? Non mirum autem Livium lib. XXIX. ubi agit de censura Salinatoris & Claudii Neronis, mentionem tantum facere tribuum, nullam vero classium. Tribus

enim singulæ pro fortunis distinctæ erant in quinque classes. In tribubus nulla habebatur ratio facultatum, sed in singula tribu fuerunt omnium classium homines, qui pro divitiarum modo in centurias dividebantur. Cum comitia centuriata habebantur, conveniebant omnes tribus in campo Martio, sed distinctæ in suas centurias. Hinc toties fit mentio tribuum in centuriatis comitiis, cujus rationem non potuit perspicere Manutius, sed postea perspexit Gruchius, quem vide l. 1. de comitiis c. 4. & Joann. Fridericum Gronovium Observationum l. IV. c. 1.

P. 70. affirmat duos census fuisse, unum civium Romanorum, quibus vel in urbe, vel in agro domicilium esset, alterum municipum. Quis veterum hoc dixit scripsitve? Municipes censi sunt ut ceteri cives Romani in suis tribubus & centuriis. Quæ opponit huic sententiæ de numero civium tempore belli Gallici, quod gestum fuit an. V. C. 528. sexennio ante Punicum secundum, armatorum nominis Latini quadringenta millia inter socios populi Romani adversus Gallos pugnasse, postea vero Pompejo & Crasso Coss. qui fuerit annus V. C. 698. quo maximus census fuisset, censoribus CN. Gellio, & L. Lentulo, censa tantum fuisse CDL. millia hominum, cum tamen tum temporis ipsi quoque municipes fuerint in censum relati, civitate post bellum sociale Italis, hoc est, Latinis data. Fieri itaque non potuisse, quin censorum omnium numerus quadrigentorum quinquaginta major fuerit. Unde conficit, duos census fuisse, unum civium Romanorum, alterum municipum. Verum hæc ratio nulla est. Manutius non satis attendit ad utriusque temporis, de quo agit, rationem. In bello Gallico Italia tota cum Romanis, metu Gallorum Italiam infestantium consurrexit & arma cepit, omnibusque viribus contendit, ne illa ferocissima gens denuo inundaret Italiam. Post bellum vero sociale non mirum est, censorum capitum non fuisse majorem numerum, cum hoc bellum amplius quam trecenta millia juventutis Italicæ abstulisse testetur Vell. Paterc. II. 15. Quin ita juventutem exhausit hoc bellum, ut libertinos sacramento adigere coacta fuerit respublica. Non igitur his exemplis uti Manutius potest ad duplicem censum, ab omni memoria inauditum, fingendum. Quod paullo ante ipse Manutius dixerat de censu a Julio Cæsare habito, in quo tantum CL. hominum censa fuerint, ad tantam paucitatem redactam fuisse remp. bellis civilibus, id ei hic quoque cogitandum erat de bello sociali. Valeat itaque commentum duplicis census.

Vides in his duobus libellis quanta sit messis animadversionum, cum tamen uterque eorum auctor, Manutius præcipue, ingenio, doctrina, judicio valuerint plurimum, & nihil scripserint temere & inconsiderate, sed perpensis accurate veterum monumentis & testimoniis, ex quibus sollertia sua non pauca ignorata eruerunt. Sic si vellemus progredi in ceteris, præcipue in Onuphrio Panvinio, in quo fuerunt multæ litteræ, multa industria, sed tanta ingenii vis non erat, quanta in Manutio & Sigonio, quorum scripta longe sunt limatiora, volumen alterum nasceretur, forte pondere hac ipsa συναγωγῇ tot scriptorum, qui rei Romanæ ritus exposuerunt, non inferius.

Sigonius de antiquo jure civium Romanorum l. 14. notavit moris fuisse, primum ut in foro, deinde in villa publica, quæ erat in campo Martio, census ageretur, quem morem Cæsar labefactarit, qui, ut ostendit Suetonius, recensum populi nec more, nec loco solito, sed vicatim

per dominos insularum egerit. Sed verba Suetonii male intellexit Sigonius de censu lustrali totius populi Romani sive omnium ejus ordinum. Quomodo illum agere potuissent domini insularum? Agit ibi Suetonius de recensu populi tenuioris frumentum menstruum gratuitum accipientis, ut observarunt docti, & ostendunt sequentia: *Ne qui novi cœtus recensionis caussa moveri quandoque possent, instituit quotannis in demortuorum locum ex his, qui recensiti non essent, subsortitio a prætore fieret.* Quis enim non videt, ad plebem pauperiorem hæc pertinere, quam pascebat frumentum publicum? His elocatæ erant insulæ, quas possidebant homines pecuniosi. ideoque per illos, insularum nimirum dominos, facile poterant recenseri earum incolæ.

Libro II. cap. 3. scribit *celeres* dictos equites vel a celeritatis officio, vel a duce Romuli Celeri, qui his tribus centuriis equitum præpositus fuerit. quod falsum. Est *celer* a Græco κέλης, pro quo dixerunt Æoles κέληρ. Κέλητες vero dicebantur, qui in ludis equestribus certabant, non bigis aut quadrigis, sed equo singulari. Hinc equites singulares dicti κέλητες, *celeres* Latine, ut docuit Salmasius in exercitationibus Plinianis & ante illum Angelus Caninius in Hellenismo.

In eodem capite cum scribit: *Quid autem fuerit equus publicus, parum compertum est. Varro in libris de Latina lingua equum publicum mile assarium vocat. quibus verbis stipendium fortasse aliquod vel alendi, vel emendi equi caussa de publico constitutum significat.* Quid sit equus publicus, jam satis notum est, nimirum qui dabatur a censore ei, qui erat equestri loco natus, quique haberet censum equestrem, si censoribus placeret ut mereret in turmis legionariis Romanorum equitum, cuique ad alendum illum equum erat assignatum stipendium. Quantum fuerit illud, & quomodo hic locus Varronis cum Livio, qui videtur longe grandius stipendium equestri constituere, sit in concordia redigendus, contra Lipsii & Salmasii sententiam verissime docuit Schelius, in illa dissertatione de stipendio militari, quam superius laudavi. Verba curarem apponi, nisi totum librum constituissem edere in illo tomo, in quo agetur de re militari Romanorum.

Lib. II. cap. 10. de mercatoribus & negotiatoribus, ubi agit de conventu pag. 190. ait Sigonius, legi etiam consuevisse judices a prætoribus in provinciis ex conventu civium Romanorum. idque probat in addendis locis aliquot ex Verrinis Tullii petitis, præcipue ex oratione de jurisdictione: *Ceterarum rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent.* Verum nulli fuerunt conventus civium Romanorum. In provinciis dicebantur oppida, in quibus qui Proprætore aut Proconsule præerant provinciæ, jus dicebant, *conventus*, quia in illa ad diem, quem Proprætore indixerat, ex agro vicino conveniebant omnes, qui lites habebant, quas volebant decidi. significabat etiam rem ipsam, quæ in conventu agebatur, nimirum jurisdictionem. Hinc *conventum agere* est jus dicere in conventu. Quin & sic dicebantur homines qui in conventu litium caussa conveniebant, ut apud Horatium I. Sat. 7.

Persius exponit caussam, ridetur ab omni
Conventu.

In his oppidis vero plerumque versabantur & habitabant etiam cives Roma-

ni, qui negotia habebant in provinciis. Ex his solebant prætores proponere judices, quibus caussas committebant decidendas, æque ut Romæ prætor, ut multis docuit J. Frid. Gronovius III. Observat. c. 22. ubi & hunc Ciceronis locum sic legendum censuit: *Cæterarum rerum selecti judices civium Romanorum ex conventu proponi solent*. Selectos judices civium Romanorum ostendit esse judices ex civibus Romanis, *ex conventu* autem esse ex illo oppido, ubi conventus agebatur, ubi negociabantur & domicilium habebant cives Romani quidam. vide laudatum locum, ubi pluribus hæc exequitur vir magnus, multis erroribus Manutii, Hottomanni & aliorum castigatis.

Lib. II. c. 18. p. 213. male ex corrupto Suetonii loco, qui est in Octaviani vita cap. 32. colligit annum ad judicandum legitimum fuisse trigesimum quintum. Sed hunc locum dudum emendavit JCtorum princeps Jacobus Cujacius, approbante Casaubono, observat. lib. XXI. c. 32. qui legendum ostendit: *judices a vicesimo ætatis anno allegit*, *id est*, *quinquennio maturius quam solebant*. ut legitimus ad judicis personam sustinendam Romæ fuerit annus vigesimus quintus. vide Casaubonum ad hunc locum. In fine ejusdem capitis in Ciceronis loco omissum est *me*, sine quo sententia non constat. *Me L. Cotta*, *homo censorius*, *in senatu juratus dixit*, *se si censor tum esset*, *cum ego aberam*, *me meo loco senatorem vocitaturum fuisse*. Sic lege.

En tibi quoque δεῖγμα in Onuphrio animadversionum, ex magna messe paucas spicas. De civitate Romana cap. 8. ubi agit de legibus curiatis, quintam legem curiatam fuisse dicit, qua sacrorum detestationes fiebant. *Sacrorum detestationes* interpretatur consecrationes, quas publice in concione populi fieri oporteret. Quid *detestatio* esset non intellexit. Docet nos hoc Paulus in lib. 53. ad Edictum in Pandecte in l. 39. de verb. significatione: *Detestari est absenti denunciare*, ut & Cajus lib. VI. ad legem 12. tabularum in eodem libro de verb. signif. leg. 238. *detestatum est testatione denunciatum*, quod fit cum denunciamus aliquid absenti adhibitis testibus. *Detestatio* igitur *sacrarum est*, cum denunciatur heredi, aut legatario calatis comitiis, ut ea suscipiat sacra, quæ testamenta, & hereditatem sequebantur. Notum est Romanas gentes habuisse sacra, quæ ad suæ tantum familiæ homines pertinebant, quæ heredibus erant oneri. Hinc Plauto *hereditas sine sacris* est magnum commodum sine ullo onere. Detestatio sacrorum est igitur, cum heredi aut legatario denunciatur sacra esse suscipienda. Hinc & Servius Sulpicius IC. librum scripsit de sacris detestandis, teste Gellio VI. Noct. Att. 12.

Cap. XVII. de auguribus affert locum Varronis, ubi de voce templi disputat, in quo loca veterum poetarum sunt corrupta, quæ sic sunt legenda:

O magna templa cælitum
Commista stellis splendidis.

Cap. XXV. sequitur communem sententiam, ubi agit de Flaminibus; Floram fuisse meretricem, quæ heredem scripserit pecuniæ corpore quæsitæ populum Romanum, ex cujus annuo fœnore celebrati sint quotannis ludi Florales. Hanc omnes hauserunt ex Lactantii lib. I. c. 20. sed Floram non fuisse meretricem, nec ex ejus hereditate ludos celebrari,

ſed fuiſse Deam Sabinorum, cujus, ut nonnullorum aliorum deorum ac dearum, ſicuti Fortis Fortunæ, Fidei, Larium, Titus Tatius cultum Romam attulerit; & jam temporibus Romuli ac Numæ ſacra ejus ibi floruiſse, licet ludi Florales demum inſtituti fuerint anno Urbis ıɔxiii. non ex Floræ meretricis hereditate, ſed ex eorum pecunia multaticia, qui peculatus damnati fuerant, quod publicum populi Romani agrum occupaſsent, ex Varronis libro iv. & vi. de L. L. ut & Ovidii v. Faſtorum dudum præceperunt viri docti.

Cap. xxvi. de Flaminibus in initio ſtatim legitur inſcriptio pulcherrima de P. Aelio Marcello & ejus honoribus. Inter alia habetur: FLAMINI. LVCVLARI. LAVREN. LAVINAL. Sed apud Gruterum CCCLVII. i. & apud Manutium Schol. in i. Cæſar. de bello civili legitur LAVREN. LAVINA. ut littera L. apud Onuphrium ſit delenda, aut forte mutanda in T. ſignificat enim *Flamini Laurenti Lavinati*. Laurentes Lavinates commemorantur in CCCCLXXXIV. 3. Et in inſcriptione inedita elegantiſſima LVPERCO LAVRENTI LAVINATI FRETRIACO. Dicuntur aliter ſimpliciter Laurentes, ut apud Gruterum: SENATVS POPVLVSQVE LAVRENS. In eadem inſcriptione Q. Q. LAVRENTIVM. LAVINATIVM. In alio epigrammate apud Reineſium dicuntur Laurentini. Oppidum Latii Laurentum, quod & Laurolavinium appellatur.

Cap. xxxi. agit de Saliis Palatinis, cap. 34. de Saliis, quos *Agonales* dicunt vel *Agonenſes*, ut auctor eſt Varro, qui & *Collini* a colle Quirinali dicti, quos Tullus Hoſtilius inſtituit. Quin & Servius ad viii. Æn. tradidit *Collinos* & *Quirinales* a Numa inſtitutos, ab Hoſtilio *Pavorios* & *Pallarios*. Sed de his, uti & magiſtro & præſide Saliorum, nec non manſionibus eorum, quarum ſit mentio in antiqua inſcriptione apud Gruterum;

MANSIONES. SALIORVM. PALATINORVM
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM CONSTITVTAS
LONGA. AETATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT
PONTIFICES. VESTAE. V. V. C. C. PRO. MAGISTERIO
PORTI. ACILLI. LVCILLI. VITRASI. PRAETESTATI
V. V. C. C.

vide viri ampliſſimi Gisberti Cuperi obſervat. lib. iv. c. 2. ubi docet manſiones fuiſſe domos in id poſitas ac dedicatas, ut in illis pernoctarent & epularentur Salii, cum feſtis Martii diebus circumferrent quotannis ancilia. Fuiſſe quoque in collegio Saliorum præter *magiſtrum*, ad quem non ſolum ſpectabat inaugurandi & exaugurandi poteſtas, ut cenſet Cl. Salmaſius ad Julium Capitolinum, ſed & partes inſtituendi in cantibus, ſaltationibus, & ritibus, quibus cum circumferrent ancilia, utendum erat, juniores Salios; etiam *præſulem*, qui & *præſulator* dicitur, quia præſultabat; ac *vatem*, quem ὑμνῳδὸν fuiſſe, ac reliquis præcecinisse, ſicut præſules præſaltabant, credimus Salmaſio hæc docenti ad illa Capitolini verba in M. Antonini Philoſophi vita: *Fuit in eo ſacerdotio*, (ſive ut loquitur in verſu præedente *in Saliorum collegio*,) *& præſul, & vates, & magiſter, & multos inauguravit atque exauguravit, nemine præeunte, quod ipſe carmina cuncta didiciſſet*.

Virgines Saliæ, quas *facere ſacrificium in Regia paludatas cum apicibus in*

modum saliorum Festus tradit, erant paludamento indutæ, æque ut Salii, quamvis trabeatos Salios circumtulisse ancilia Dionysius Halicarnass. moneat, de quo videndus Albertus Rubenius lib. I. de lato clavo; præterea capitibus gestarunt apices, qui erant pilei ex ovillis pellibus, quibus utebantur Pontifices aliique sacerdotes, de quibus plura Philippus Rubenius II. Electorum 25.

Cap. XLIV. de vespillonibus, locus Festi est contaminatissimus. Nullæ enim ibi *vespulæ* commemorantur in editionibus emendatioribus. Sic enim in iis habetur: *Vespæ & vespilones dicuntur*, &c. *quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa duci propter inopiam nequeunt*. Martialis:

Qui fuerat medicus, nunc est vespilo Diaulus.

Verba quæ præcedunt Martialis locum, glossema esse vidit ante me Clarissimus Dacerius.

Cap. 55. Trabeam tribuit prætextam Consulibus. Trabea nec prætexta fuit, nec vestis Consularis, nisi posteriorum Imperatorum temporibus, ut superius ostendi. Paullo post scribit, cautum fuisse, ut alter Consul fasces XII. securibus alligatos, alter vero virgarum fasces tantum cum lictoribus haberet. Quod falsissimum. Primum P. Valerius Poplicola secures avulsit fascibus, ut nunquam in posterum Consules in urbe securibus fuerint usi, sed tantum foris in bello, uti constat ex Dionys. Halicarnas. lib. IV. Deinde vicissim quot mensibus alter Consulum habebat fasces, alter tantum apparitorem, ut ex Suetonii Julio cap. 20. & aliis non ignotum est.

Cap. 56. recenset magistratus populi Romani, & inter illos duos Prætores Cereales. Mihi crede, nullos unquam Romæ fuisse Prætores Cereales, sed Ædiles Cereales. Locum Pomponii de origine juris male intellexit, cum scribit: *Julius Cæsar duos Prætores, & duos Ædiles, qui frumento præessent, & a Cerere Cereales constituit*. Sed *Cereales* non Prætores, sed tantum Ædiles spectat. Jam pridem hæc explosa sunt a Viris doctis inprimis ab eruditissimo Ruperto ad hunc Pomponii locum, quem etiam vide de vario Prætorum numero sub Imperatoribus.

Cap. 69. docet tributis comitiis proconsules omnes, proprætores, & proquæstores in provincias missos. Quod si generatim accipias falsissimum est. Nam Consules & Proprætores simul ac magistratum inierant, aut sortiebantur provincias a senatu nominatas, aut comparabant inter se: sin vero cui provincia mandanda erat extra ordinem, non sortito, aut si cui imperium provinciale erat propagandum, id fiebat jussu populi in Comitiis tributis. Itaque Julius Cæsar Consul cum Galliam Cisalpinam cum Illyrico provinciam affectaret, effecit ut extra sortem illa ei daretur lege Vatinia Comitiis tributis a populo, contra morem majorum, secundum quem una provinciarum a senatu nominatarum, ubi sortitus esset aut comparasset illas cum collega, fuisset ei obeunda. Senatus veritus, ne plura per populum invitis patribus consequeretur, sponte ei quoque decrevit Comatam Galliam. Suet. Jul. 24. Merito igitur rejicitur hæc sententia Panvinii, Proconsules & Proprætores omnes missos fuisse tributis Comitiis in provincias. Non loquor de antiquissimis temporibus, cum Coss. tempore sui consulatus mitterentur in provin-

cias, & ſequente anno nonnunquam eis propagandum eſſet imperium, lege populi in tributis Comitiis lata. Sed hæc accurate perſequitur Gruchius II. de Comitiis Romanorum cap. 2.

Onuphrius de imperio Romano c. 5. ſcribit exteras gentes in civitatem admiſſas varii generis fuiſſe, alias fuiſſe fœderatas, alias ſtipendiarias, alias populos fundos. Sed populi fundi nulli fuerunt. Verum ſi quis ejurata quaſi patria in aliam civitatem vellet adſciſci, non poterat id fieri, niſi populus fundus eſſet factus, hoc eſt, auctor iſtius immutationis, ut & Sigonius, & alii viri docti diſputant in diſſertationibus, quas in ſecundum harum antiquitatum tomum incluſimus.

In eodem capite recte monet, nemini in legione militare fas fuiſſe, niſi civi Romano. Sed quod addit, non eſt nauci: *Ideoque ſoli cives ad ærarium in beneficiis deferri ab Imperatoribus, & beneficiarii milites fieri poterant*. In beneficiis ad ærarium deferebantur comites magiſtratuum ex cohorte prætoria, non ut beneficiarii milites crearentur, ſed honoris & commendationis cauſſa, ut is honor eis aliquando prodeſſet aut in honoribus conſequendis, aut periculis declinandis, ut contra Scaligerum docuit J. Fr. Gronovius lib. III. de ſeſtertiis. *Beneficiarii* autem milites dicebantur, qui gratia aut ſuffragatione ducis, legati, tribuni legionis, centurionis, provehebantur in locum honeſtum in caſtris, nulla habita illorum ratione, qui in beneficiis ad ærarium delati erant a Proconſulibus aut Proprætoribus. Apud Suetonium legimus in Tiberio, *per quoſdam beneficii ſui centuriones*, hoc eſt, qui illius gratia conſecuti erant ordines, ejus beneficiarii.

Cap. XI. de coloniis, Colonia XIX. ex Vellejo Paterculo docet Sutrium coloniam ductam eſse a. V. C. 371. ſed Diodorus Siculus altero a capta Urbe a Gallis anno hanc coloniam deductam ait. Ut forte librariorum vitio perperam apud Vellejum exaratum ſit *Sutrium*, pro *Satricum*, quo ſexennio poſt a ſenatu deducta eſt colonia; quæ & Cluverii in Italia antiqua eſt ſententia.

Colonia 33. *Carſeoli*. Fuit Pelignorum oppidum Colonia Latina. In Saxo Romano, quod eſt in monte Aventino, cujus titulus nondum eſt editus, ſcribitur *Carſæoli*, cujus

DIANAE. AVENT. SACRVM
L. CALLIDIVS. L. FIL.
CLAVD. FEROX. CARSAEOLANVS
V. S. L. M.

Sed a vulgata ſcriptura non eſt propter hunc lapidem recedendum. Ovid. IV. Faſt.

Frigida Carſeolis, nec olivis apta ferendis.

Et paullo poſt:

Nam dicere certam
Nunc quoque lex vulpem Carſeolana vetat.

Dicebatur autem *Carſeoli*, ut apud Livium, Vellejum & alios, & *Car-*

seolis, ut non tantum clare patet ex Ovidii loco modo laudato, sed & ex Frontino de coloniis. *Carseolis. Ager ejus, iter populo non debetur.* Colon. 74. *Auximum* Municipium appellat inscriptio inedita in collectaneis Marquardi Gudii:

L. VELIO. L. F. VEL.
LVCRIONI
III VIRO. MVN. AVXVM.
IVR. DIC. AGRI. D.
ET. PROCVR. ANNONAE.
KARAE. FRVM.
DENARIO. MODIVM.
PRAESTITIT.
OPTIMO. ET. DIGNISSIMO.
S. P. Q. AVXIM.
D. D.

Auximi. & ibidem:

APOLLINI. INVICTO.
SACRVM.
C. OPPIVS. C. F. VEL.
PATRON. COLON. AVXIM. &c.

Colonia Fanum Fortunæ p. 476. De hac colonia est quoque inter Gudianos vetus lapis rarus & elegans:

C. VIRGINIVS. Q. F. QVIR. GALLVS.
VI VIR. AVGVSTALIS. MAGISTER.
PAGI. AVG. FANENS. FORTVNAE FANESTR
SVA. IMPENSA. D. D.

P. 478. Coloniam Asculum antiquus titulus, qui nondum lucem adspexit, vocat municipium. Est is quoque promtus ex Gudiano corpore.

A. FANNIO. A. F. ARNEN. SERGIANO
EQ. PVBL. FLAMIN. AVGVSTAL.
PATRONO. COLON. IGVVIN
ET. CVRAT. VIAR. PRAEPOSITO
ET. PROCVR. ANNONAE. FLAMINIAE
ET. PICEN. III. VIR. CAPITAL. MVNIC.
ASCVLAN. CVRATORI. MAXIMI. EXEMPLI
PVBLICE
L. D. D. D.

Iguvini.

Cap. XII. pag. 484. Municipium Trebula. Apud Frontinum de Coloniis scribitur *Tribule municipium* corrupte pro *Tribulæ* aut *Tribula*. Nam sic quoque dicebatur. Hinc apud Ptolemæum legitur Τρίβουλα ut & apud Dionysium, quod perperam Cluv. in Italia antiqua mutari velit in Τρηβοῦλα. Veteres enim Tribulam etiam appellasse hanc urbem patet ex Frontino, & ex inscriptione antiqua in Gudian. Collect.

D. M. S.

D. M. S.
M. AERVMNIO. M. F. CLAV
TORVO. TRIBVL. MVTVST
PRAEFECTO. PRAETORI
EX. COHORT. V. PRAET. SIBI
ET. SVIS. VIVENS. FECIT. IN. FR
PED. XI. IN. AGR. PED. XIII
ET. AERVMNIAE. NVMMO
NIAE. CONIVGI. SVAE. PIISSI
MAE. VIX. ANN. XXX. M. III
D. VIIII. E. D. S. M. P.

Patet etiam ex D. Aldhelmo de laudibus virginitatis cap. 26. in quo *Tribulanum territorium*, & *Tribulanum mancipium* legitur. Præterea ex hac inſcriptione diſcimus Trebulam eſſe Mutuſcam, quod & Cluverius probat lib. II. Ital. antiquæ. In inſcriptione autem, quam attuli, vocatur *Mutuſta*, ſicut & in alia, quæ in Gruteri opere legitur CCCCLXXXVII. 9.

Q. VIBIO. Q. F. AIMILIA
VETENIO. EQVO. &c.
PATRONO. AEQVICVLA
GEST. TR. IVVENT. TREBVL
MVTVSTAE. QVI. OBLATA &c.

Credo *Mutuſtæ* ſcribi pro *Mutuſcæ*, quia litteræ T, & C ſæpe permutantur in antiquis lapidibus. vid. indices Gruteri & Reineſii.

Cap. XVI. In re militari Romana Onuphrius nondum multum profecerat. Hinc dicto cap. 14. ſcribit, *legioni addita eſt trecentorum equitum turma*. Imo triginta turmæ legioni addebantur, ſingulæ erant triginta virum. Dein turmam ait quoque dictam alam, quod equites alarum vice pedites tegerent. quod verum eſt de temporibus Cæſarum, non vero de antiqua illa tempeſtate. Alæ enim olim dicebantur tam pedeſtres quam equeſtres copiæ ex ſociis Romanis collectæ, quæ in prœlio collocabantur ad utrumque aciei, quæ erat legionum, hoc eſt, civium Romanorum, latus: ſed alæ ſub Imperatoribus dicebantur equites, qui loco triginta turmarum equo publico legionibus addebantur, ut ſupra docui. Male ibidem dicit legionem quadratam dici. Agmen dicitur quadratum, quod & pilatum appellatur, nunquam legio, nec etiam acies quadrata commemoratur, ut multi alii exiſtimant. Nec melioris eſt notæ, cum ait juniores vel tenuioris fortunæ homines dictos *pilanos*. Atqui *pilani* ſunt veterani, qui aliter dicuntur *triarii*, unde *primipilus* primus pilanorum centurio. Nec poteſt laudari cum in eod. capite tradit ante Marium nullam cohortium fieri mentionem apud priſcos ſcriptores. Nihil falſius. Poſt Marium acies non manipulatim, ut ante, ſed per cohortes inſtruebatur. Cohortes vero fuerunt diu ante Marium, ut hæc in tomo, ubi agetur de re militari, docebuntur pluribus. Sic ineptum eſt, cum ait mox primam cohortem mille centum quinque peditum, & equitum loricatorum centum quadraginta duorum fuiſſe. Hæc nullus veteris rei militaris peritus intelligit. In cohorte legionaria tot centum erant viri, quot mille in legione. Conficiebatur ex tribus manipulis, manipulo haſtatorum, principum, & triariorum. Equi-

tum nulla erat ratio in cohorte, quæ ſemper erat pedeſtris, ſed in turmis tantum. Nam cohortium equitatarum apud Plinium in epiſtolis longe fuit alia ratio, ut tum oſtendetur, cum hoc argumentum exequemur. Cohors prætoria quidem ceteris major erat, ſed legionariæ erant æquales. Confundit cohortes veteris reip. legionarias, cum cohortibus, quæ ſub Imperatoribus ſeparatim ſub vexillo nonnunquam habebantur, quibus adjuncti erant equites. Quæ in ſequentibus de cohortibus ſcribit ſunt nullius momenti. Longe abſurdius eſt, legionem in decem cohortes, cohortem in quinquaginta manipulos, & manipulum in viginti quinque milites rurſum diviſum fuiſſe. Jam tyronibus notum eſt manipulum duas confeciſſe centurias: in legione fuiſſe ſexaginta centurias: triginta manipulos, decem cohortes. Quæ mox ibidem leguntur, ſcatent erroribus: *Qui ſingulis legionibus præerant, legati legionis, qui cohorti tribunus, vel præfectus, qui centum militibus centurio, qui ducentis ducenarius, qui manipulis manipularius, vocabantur*. Sub rep. libera nulli fuerant legati legionum, ſed legati procoſs. & proprætorum, qui nonnumquam legioni, nonnunquam parti legionis, nonnunquam toti exercitui præerant, ut rerum exigebat ratio. Sub Imperatoribus fuerunt legati conſulares & prætorii, quorum illi exercitui, hi legioni præerant. Nec cohortibus præerant tribuni. Sed toti legioni ſinguli. Horatius:

Cum mihi pareret legio Romana tribuno.

In legione decem erant cohortes, ſed ſex tantum tribuni. In acie mille viros ſive decem centurias curavit tribunus, unde Græcis χιλιάρχης. Præfecti erant cohortium ſocialium & auxiliarium, qui proprie præfecti appellabantur, in legione vero nullus erat præfectus, ut male hic Onuphrius. Nonnunquam tribuni dicuntur, ſed hi nihil ad legionarias cohortes. Miror virum maximum hac noſtra tempeſtate credidiſſe, tribunos fuiſſe cohortium legionariarum. Sed hæc alibi. Æque abſurdum eſt, cum Onuphrius dicit, qui ducentis præfuerint, dictos *ducenarios*. Ignorat hos ducenarios in militia omnis antiquitas. Singulis centuriis centurio præerat. qui duas junctim regeret nullus erat. Et cur fuiſset? cum ſingula centuria ſuum haberet rectorem? Hoc vero fidem excedit, cum addit *manipularium* dictum, qui manipulo præfuerit: cum manipularius ſit miles gregarius, caligatus, qui in manipulo meret. Quid hoc? *Univerſi exercitus ſignum, vel vexillum ante Hadriani tempora imago Cæſaris, vel Auguſti dicebatur, poſtea vero labarum vocari cœptum eſt*. Quis unquam audivit imaginem Cæſaris ſignum dictum eſſe? Imagines imperatorum in parvis orbibus adnectebantur haſtis ſignorum, non ipſæ erant ſigna. *Præfectus caſtrorum* in veteri militia ante Imperatorum tempora ignorabatur: *Dendrophori* in caſtris nulli, ſed ad urbana pertinent munera & collegia. Hinc in inſcriptionibus conjunguntur toties dendrophori, centonarii, fabri. Alii dendrophori ſunt, qui in ſacris pinum circumferebant. Hoc non notaſſem, niſi veritus fuiſſem, ne tanti viri auctoritas minus verſatis in priſci ævi doctrina militari eſſet fraudi.

Cap. XXI. de coloniis extra Italiam. In Aquitania commemorat Lugdunum ſub Pyrenæo. Illa eſt Lugdunum Convenarum, hodie *oppidum S. Bertrandi*.

Ibid. In Galliæ Narbonenſis coloniis corrige *Acuſiorum* pro *Ancuſiano-*

rum. Non ignorant docti appellari etiam alio nomine id oppidum *Cularonem*, posteaque dictum esse *Gratianopolim*.

Ibid. In insula Sardinia ponit coloniam, turres Libysonis. Sed in Plinii loco, quem laudat, vocatur: *Ad turrim Libysonis*. Antonino simpliciter *ad Turrim* dicitur, ut notavit eruditissimus Harduinus. Etiamnum hodie retinet vestigia veteris nominis; dicitur enim *Torre*, si fides Cluverio. In eadem insula scribit aliam commemorari coloniam a Ptolemæo, quæ dicatur *Vestipolis*. Sed nulla est urbs hujus nominis in Sardinia. verum ab illo nominatur οὔσελλις πόλις κολωνία. *Usellis Urbs Colonia*. Et sic scribendum apud Onuphrium. Plinius tamen unam tantum in illa insula coloniam fuisse ait.

Ibid. In Norici coloniis recenset coloniam Solvensem, sed Plinius in lib. III. 20. non in numerum coloniarum hoc oppidum refert, sed tantum in oppidis Norici esse tradit *Flavium Solvense*, quod putant hodie *Solfeld* dici. In coloniis vero Daciæ nominat coloniam *Perendanesiorum*, quæ nulla est. *Prendavesiorum* populi in Dacia meminit Ptolemæus, sed nullius urbis, ac coloniæ, quam tenuerint. Πρενδαυήσιοι ei dicuntur.

In Macedonia coloniam fuisse scribit, quæ Orestias sit dicta. Minime gentium. Orestias regio fuit Macedoniæ confinis Epiro, non urbs cujus incolæ dicti sunt Orestæ. vide præter Plinium Stephani ἐθνικὰ in Ὀρέσται. Pro Orestiade autem laudatur in illo tractu *colonia Diensis* quæ *Dium colonia* dicitur Plinio. vide ad Plinium eruditissimas Cl. Harduini notas.

In Græcia duas colonias commemorat, coloniam *Marcilaidam* apud Antoninum Pium in Itinerario, & coloniam *Megaram* in Attica. Sed in tota Græcia nulla fuit *Marcilais*. In Cappadocia fuit *Archelais*. In Itinerario Antonini: *Archelaida*.

Ozzola *M. P. XXVII.*
Nitazi *M. P. XVIII.*
Coloniam Archelaida. M. P. XXVII.

In corruptis libris legitur *Marcilaida*, in editione Aldi Manutii 1518. *Coloniam Arcilaidam*. sed *Archelaida* corrigendum esse vidit olim Josias Simlerus & Hieron. Surita, quem vide ad dictum Itinerarii locum. Mox recte *Archelaida* collocat inter Asiæ provincias. Non possum comminisci, unde in Græciam Marcilais irrepserit, nulli veterum cognita. Mox, cum agit de provinciis Achajæ dicit Corinthum coloniam ductam ab Augusto fuisse. perperam. a Julio Cæsare ducta fuit. vid. Suet. in Julio. Mox addit *Epiropiam* insulam in mari Aegæo fuisse coloniam, teste Plinio IV. 12. sed primo non vocatur *Epiropia*, sed *Aperopia*, dein Plinius non dicit fuisse coloniam, sed refert illam tantum inter insulas sinus Argolici.

In Syriæ coloniis numeratur Apulensis ex Ulpiano, sed illa non Syriæ fuit, sed Daciæ colonia ad fluvium Marisium, quæ & *Apulum* ac *Apulesium* dicebatur, cujus in inscriptionibus crebra mentio. Hunc errorem Onuphrii castigavit jam Ortelius in thesauro. Mox addit *Colonia Capitulum*, deducta a Tito Cæsare Imp. In Itinerario Antonini, & a Ptolemæo *Capitolias* dicitur: fuit Cœle Syriæ urbs. Potuit tamen Capitulum quoque dici, uti Hernicorum oppidum in Italia nominatum fuit *Capitolias* & *Capitulum* apud Plin. III. 5. & Strab. V. In inscriptione vetusta,

domo Capitoliade , & in alia , quam ante triginta quinque annos vidi effodi Grimlinghufæ , pagus eft in ripa Rheni e regione Dufleldorpii , DOMO . CAMP. hoc eft, *domo Capitulo* , ut recte Reinefius, ad quem iftud epigramma miferam , exponit. M. enim fæpe in vetuftis lapidibus interponitur . vide in claffe VIII. 57. Non longe abhinc legitur apud Onuphrium : *Colonia Hel--nummus argenteus* . Eft *Colonia Heliopolis* , quæ in nummis Severi, Caracallæ, Severi , Pertinacis, Philippi occurrit. Erat & ipfa Syriæ Cœles urbs . Vide Harduinum in nummis antiquis illuftratis. Sequitur ftatim : *Colonia Julia Sert. Sac. Aug. Felix. Nummus* . Serdica fuit urbs mediterraneo Thraciæ, cujus meminit Ammianus XXI. & alii quæ Sardica eft Ptolemæo, fed coloniam, aut in Syria fuiffe, nemo tradit. Male detritis , puto , litteris hunc nummum lectum fuiffe , cum legendum effet *Colonia Julia Germ. Sac. Aug. Felix.* eundemque fuiffe nummum, qui proxime fequitur : *Colonia Julia Germanicia Sacra Augufta Felix.* quanquam nullus antiquariorum , qui excufferunt Regum , Principum , & aliorum φιλοκάλων cimelia , talem nummum fe vidiffe teftetur. ut fufpicer numifma id , quod vidit Onuphrius , fuiffe Commodi , cujus hæc fuerit vera infcriptio : *Colonia Aug. F. German.* hoc eft, Germanorum, ut interpretatur dignitate & ingenio illuftris Spanhemius , de præftantia nummorum antiquorum ; fed *Germe* non fuit Syriæ colonia, fed Galatiæ. Fuit & alia hujus nominis urbs Hellefponti, ut ex nummis & prifcorum fcriptorum libris docuerunt viri docti. *Germanicia* fuit provinciæ Euphratefiæ urbs, fi nummus talis reperitur, ut hic defcribitur ab Onuphrio , ad illam referendum eum effe cenfeo. Paullo poft ex Ulpiano Syriæ coloniis accenfet Onuphrius *Naconenfem*. Verum in editionibus emendatis ex Florentino fcribitur *Napocenfis*, quod merito tuetur maximus Cujacius, pro *Napucenfis* . *Napuca* eft Daciæ urbs , ut ex Ptolemæo conftat , cujus & mentio in infcriptionibus . Male igitur collocatur in Syria , ut & *Zarmizegethufa*, quæ & *Sarmizegethufa* vocatur, quæ eft Daciæ urbs, poftea *Colonia Ulpia Trajana* dicta, hodie *Varhel*. Hæc etiam non ignota lapidibus apud Gruterum & Reinefium . Male fcribitur apud Onuphrium *Zarme Tigetufa* , licet fic quoque legatur in nonullis editionibus Pandectarum . Statim apud Onuphrium : *Colonia Paranifenfis deducta a Severo . Ulpianus*. Sed rectius in melioribus editionibus legitur *Pataviffenfium vicus*. Nec hic in Syria, fed in Dacia fuit. corrupte apud Ptolemæum Πατρούισα legitur, pro Παταούισα, quod obfervavit Cujacius. Dein *Melitene* apud Ptolemæum non eft colonia Armeniæ majoris ut vult Onuphrius, fed eft Armeniæ minoris regio, in qua colonia eft *Sinis*. Poft his additur *Indicia Cyrenenfium*, legunt alii, *Zermenfium*. Sed fœdam maculam fubfidio Bafilicorum eluit Cujacius . *In Dacia quoque Zernenfium* , aut potius *Zermenfium colonia* . vide dictum Obfervationum librum.

Ad Africæ colonias cum tranfit , primo nefcio quæ fit *provincia Cæfarienfis*, cum paullo poft fequatur *Mauritania Cæfarienfis*. Duæ funt Mauritaniæ, altera Cæfarienfis , altera Tingitana. Hanc vero voluit fignificare, in cujus coloniis prima vocatur *Abilis*, ridiculo errore , cum in Ptolemæi Latina verfione legatur *Alybe*, (corrupte, pro *Abyla*) *columna*, fcilicet Herculis. Sic mons ille ad fretum Gaditanum appellatur, cui in Europa Calpe opponitur. Ex *columna* fecit Onuphrius *coloniam*. Ibid. *Colonia Tubil*, alias *Zili*. Nufquam *Tubil* occurrit, nifi in libris corruptis. fed verum ejus nomen *Julia Conftantia Zilis*. Plin. V. I. hodie *Arzilla*.

PRÆFATIO.

In Mauritaniæ Cæſarienſis provinciis legitur *Colonia Gunugi Auguſti cohors Prætoria*. inepte. Apud Plinium enim ſic diſtinguendum eſt lib. v. cap. 11. *Cartenna colonia Auguſti legio* 11. hoc eſt, legionis ſecundæ colonia, ut recte Harduinus. *Item Colonia ejuſdem, deducta coborte Prætoria, Gunugi*. Ut ſignificet unam cohortium prætoriarum, ab Auguſto inſtitutarum, deductam fuiſſe in hanc urbem. Ibidem pro *Colonia Igilgi* ſcribendum *Colonia Igilgeli* ex Plinio & Ptolemæo. Retinet hoc tempore veſtigia priſci nominis, appellatur enim *Gigeri*. Dein *Oppidoneum* eſt Ὀππιδόνεον, quod Plinius vertit *oppidum novum*, de quo vide Harduinum. In municipiis illius provinciæ recenſetur *Ionium*, cum id dicatur *Iomnium* Ptol. Ἰόμνιον, & in itinerario Antonini, in quibuſdam vitioſis libris legitur *Ionium* notante Surita. Ibid. pro *Ruſaxis* lege *Ruſazis* Plinio *Ruſazus*. Mox: *Municipium Tigauda*. *Tigava* emendavit recte Surita, Ptolemæo Τίγαυα. Plin. v. 2. *Tigavæ*.

In Numidiæ coloniis eſt *Simitu*. Sed ſcribendum *Simittu*, ut recte itinerarium, Ptolemæo Σιμμίστου corrupte pro Σιμμίττου, Plin. v. 4. *Oppidum Simittuenſe*. Ibidem: *Municipium Culli*. Scribendum erat *Cullu*. Sic enim Antoninus, Plinius, & Ptolemæus.

In Provincia Byzacena ſcribendum *Quina*, non ut in Onuphrio, *Cuina*. Deinde pro *Colonia Ocea*, quod librariorum vitium eſſe puto *Oeea*, incolæ Oeenſes. Uxor Appuleii fuit *Oeenſis*.

In Africa veteri legitur, *Admedera*, in itinerario Antonini verius *Ammedera*, Ptolemæo Ἀμμαίδαρα.

In Africa nova collocatur *Tiba* ex Ptolemæo. Sed apud hunc nullam Tibam eſſe Ortelius olim notavit, qui & conjicit forte legendum *Thigiba*. Dein *Colonia Tuburbis*. Dicitur etiam *Tuburbus*. vide quæ de hac urbe notat Cl. Noriſius in animadverſionibus in Garnerium. Mox pro *Utina* ſcribe *Uthina*, Ptolemæo οὐθίνη.

In capite ſequenti XXII. *quinque millia myriades*. Latinæ linguæ ratio poſtulat, ut ſcribatur *quinquies mille myriades*, aut *quinque millia myriadum*. In hac locutione ſæpius offendit Onuphrius in hoc capite & alibi. In eodem capite cum notat ſeſtertium æquare bajocos tres & ſemis, fallitur. Aequat enim tantum bajocos duos & ſemiſſem, ut poſt a viris doctis eſt accuratius obſervatum. Quatuor ſeſtertii efficiunt decem bajocos, ut bajoci reſpondeant Romanorum aſſibus valore. Sed de omni pecuniæ veteris æſtimatione præſtat ut conſulas Budæum de aſſe, & Gronovium de ſeſtertiis, & hunc in primis lib. III. cap. 4. quod dedicavit ſigillatim diſpungendis calculis Onuphrii in Græca Romanaque pecunia æſtimanda. Sic in illo capite oſtendit ὁ πάνυ talentum Ægyptium non eſſe Alexandrinum, ut cenſet Panvinius, ſed teſte Varrone & Plinio tertia parte minus, noſtra pecunia, mille ducentorum ſcutatorum. Sic cenſus Romani imperii tempore Hadriani Cæſaris, quem Appianus tradit fuiſſe *talentorum quatuor & ſeptuaginta millium*, noſtra pecunia eſt, octingenties octogies octies centena millia coronatorum, ſive milliones octoginta octo cum dimidiato & inſuper trecentis millibus.

Longe plura poſſent his adjici, in primis in illis capitibus, in quibus agit de Parthorum, Perſarum, Saracenorum regibus, quæ longe accuratius ſunt poſterioribus temporibus ex antiquitatis tenebris eruta a Scaligero, Petavio, Ruperto, ex quibus Onuphriana poſſunt emendari.

In capite XXX. de Imperatoribus Romanis ſæpius quoque hallucinatur.

PRÆFATIO.

Nunquam Tiberius, quamquam ab Augusto adoptatus, nec etiam Caligula, usi sunt nomine Julii, sed ille dictus fuit *Tiberius Cæsar Augustus*, Caligula vero *C. Cæsar Aug. Germanicus*. Dein Imp. Hostilianus male *Vibius* appellatur, cum in nummis & in lapidibus sit: *C. Valens Hostilianus Messius Quinctus*. Inferius: *Imp. Cæsare Fl. Claudius Aug.* cum scribendum esset *Imp. Cæsar M. Aurelius Claudius*. Paullo post itidem corrupte scribitur *Imp. Cæsar Fl. Valerius Constans*, cum dicatur *Fl. Julius Constans* in nummis. Post: *Fl. Valerius Majorianus*. omissum est nomen *Julius*. dictus enim est *Fl. Julius Valerius Majorianus*. Deinde male quoque scribitur *Imp. Cæs. Fl. Vibius Severus* pro *Fl. Libius Severus*. In hac serie Imperatorum nonnulli quoque sunt omissi, quos facile ex aliis repones. Plura nunc addere non libet, nisi Viri doctissimi Latini Latinii animadversiones in Sigonii libros de antiquo jure civitatis, & provinciarum, nec non in Gruchii libros de comitiis. Vale lector & his fruere.



OBSERVATIONES

LATINI LATINII,

In Carolum Sigonium de antiquo Jure Civium Romanorum.

In Agrum lib. 1. Et quoniam civis pars est *civitas*) Civitatis.

Lib. 1. cap. 3. Ramnenses Albani erant, qui ad tria millia peditum. ^ CCC) equites.

Cap. 3. Ut autem inter urbanas suburana primam sedem obtinuit) At non ita habet vetus marmor anno 1563. effossum, & servatur penes Rainutium Farnesium Cardinalem amplissimum, cujus fragmentum est:

NVMERVS. TR.
QVIBVS LOCIS.
PSAL. HIIII. CLXXXXI.
SVC. HIIII. LVIII. IA
ESQ. HCC. DCLXXVII A.
COL. H. CCCCLVI.
ROM. H. LXVI.
VOL. H. LXXXX.

Similis inscriptio habetur penes Gruterum pag. 201. n. 10. Carolus Macrus.

Quamquam scriptum nihil extat, possumus suspicari) Volsinienses quidem Terentinæ vicinos scribit Cicero pro Plancio.

Cap. 4. Qui centum millia professione detulissent) Vide quæ notatata sunt in Gruchio lib. 1. de Com. Rom.

Qui minore summa, quam centum, & viginti millium censi essent) Addo Gell. lib. 7. cap. 13. qui cxxv. M. æris scripsit. Sed Asconius, Festus, Gell. non de censu ad classium distinctionem a Servio institutam; sed ad appellationem classicorum, id est, opulentiorum referendi sunt; quemadmodum etiam Plin. lib. 33. cap. 3. maximum censum Servio Rege CX. M. fuisse cum scribit, non id voluit significare, ut primæ classis cives tantum possiderent, sed neminem ea tempestate fuisse, qui majorem summam in censum detulisset, id quod manifeste declarant ea verba, *Illo Rege*.

Cap. 9. Ex quibus *rebus* illud intelligi potest) verbis.

Civi Romano ^ nisi cum cive fuisse connubium) non

Unde Catullus: F*lammeum cape*) Comitabatur etiam sponsam colus compta, & fusus cum flamine, curque id institutum, & quando docet Plinius cum scribit lib. 8. cap. 48. *Inde factum, ut nubentes Virgines comitaretur colus compta, & fusus cum flamine*. Plutarch. in Problem. Rom.

Quoniam tertiæ noctis *posterioris* sex horæ alterius anni essent) posteriores.

Ut aliarum rerum, sic etiam uxorum usucapionem fuisse) Considerandus Taciti locus lib. 13. ubi Poppææ ad Neronem verba refert: *Si ultra unam, alteramque noctem attineretur, nuptam esse se dictitans, nec posse matrimonium amittere.*

Cap. 10. Tamen auctoribus pontificibus lex curiata ad populum a magistratu aliquo, ut a consule ferebatur) Sui videtur oblitus, qui auspiciorum tantum caussa curiata adumbrata comitia relinquat, nec quidquam interesse putet inter comitia curiata, & legem curiatam. Vide infra notata cap. 17.

Cap. 11. Et quoniam ex auctione illa *dominum* sibi justum) dominium.

Hinc etiam auctoritas, *in* actione quæsitum dicitur) jus.

Quod æquabile, atque unum omnibus esse possit) Quod æquabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit.

Nam ut perveniat ad me fundus, testamento alicujus fieri potest, & usucapio fundi) Nam ut perveniat ad me fundus, testamento alicujus fieri potest, ut retineam, quod meum factum sit, sine jure civili non potest: fundus a patre relinqui potest, aut usucapio fundi.

Cap. 14. Et Cicero *in Planciana: Illud quæro sint ne ista prædio*) pro Flacco.

Duodecim *coloniam*, quod numquam antea factum erat) coloniarum.

Cap. 15. observatum est præterea in legione ^ nisi ingenuos) non.

Ne quis ante *unum* decimum septimum ad militiam cogeretur) annum.

Quæ juniorum ætatem annis triginta definivit) Triginta annorum tempus esse, intra quod juniores appellantur, & militiæ nomen dare debent, certum quidem est; at non propterea triginta implere stipendia tenentur; sed ea tantum, quæ legitima esse placuit, quorum numerus qui sit ex 6. fragmento Polybii, & ex Plut. in Gracchis, & Tacito in seditione Germanica, & Pannonica plane constare poterit.

Tres secundos secundæ, duos *obsequentes* tertiæ) subsequentes.

Unde Juniores quatuor ætate, & corporis habitu similes exercerent) Vide Polyb. nam hic ordo non enumeratur plane.

Quibus prodeuntibus, primum primæ legionis *tribunum*) tribuni.

Diximus de *vocationibus* militum, nunc de præmiis) vacationibus.

An vero ille ὀψώνιον (hac enim voce utitur) pro integro stipendio accipiat, parum liquet) Quin liquet maxime ὀψώνιον integrum stipendium esse Polybio; at non una ejus pars, quæ singulis diebus duorum obolorum esse scribitur, integrum stipendium est, neque item tritici modii quatuor, qui pediti in menses singulos dabantur, nec vestis, aut arma, si quibus indigebant; sed hæc simul omnia, quoad forte ad xxx. denarios perveniretur, qui integrum stipendium efficerent. ὀψώνιον autem stipendium militare esse docet etiam Luc. cap. 3. ubi militibus vitæ formulam præscribit. Itemque Paul. ad Rom. cap. 6. & 1. Cor. 9.

Adjicit Polybius, frumentum, vestes, arma sæpe militibus data) Sæpe non est apud Polybium, quin potius ex ejus verbis certum tritici modum peditibus equitibusque, & sociis præberi solitum intelligimus, cujus pretium & vestimentorum, & armorum ex stipendio menstruo detrahere Quæstorum munus erat.

Ut torques, armillæ, ^ hastæ puræ) phialæ. Nam peditibus eas, ut equitibus phaleras Polybius donari solitas scripsit frag. 6.

Erant etiam, quæ universis, ut pecunia ^ : de coronis notum est illud Gellii) Ut singulis fisci æris. Plin. lib. 7. cap. 28.

Aut si lentius animadvertere voluissent, principi, sanguinem missum) Aut si lenius animadvertere voluissent, in principiis sanguinem missum.

Quem sequutus credo Plinius lib. xxx. cap. 3. scripsit) XXXIII.

Antias

OBSERVATIONES.

Antias certe teſte Livio, & eum ſequutus Vellejus ducenties millies) Antias certe teſte Livio lib. 45. & eum ſequutus Vellejus millies ducenties.

Cap. 17. Ut enim curiæ, de quibus diximus; ſic etiam comitia curiata) Videtur ſui oblitus; hic enim adumbrata curiata ſemper in omnibus rebus fuiſſe definit. ſupra vero cap. 10. clare in adoptione omnia legitima ſervata contendit. Confundit autem fere ubique curiata comitia, & legem curiatam, quod in binorum comitiorum quæſtione omnia adeo impedit, ut nullum exitum habere poſſint.

Nam [A] centuriata lex cenſoribus ferebatur) cum. Ita legendus ex ſcriptis, vetuſtiſque codicibus.

Id quod eo gravius eſſe ſignificat, quod cum majores) Uterque mea ſententia fallitur in eo, quod comitia, & legem confundunt. Magiſtratuum creandorum comitia ſunt, ubi populi ſuffragio mandatur magiſtratus, qui tamen ſine lege curiata, vel centuriata non geritur. In prioribus comitiis deſignandorum magiſtratuum cauſſa habitis, locum habebant prærogativæ tum centuriæ, tum tribus. Nec ideo, quod bina ejuſmodi appellat comitia Sigonius; tamen ad jus, & imperium mandandum non fuiſſe neceſſariam legem curiatam arbitror.

Quia Gellius ſcribit minoribus Magiſtratibus, comitiis tributis, magiſtratum dari, ſed *juſtius* curiatis) Hic locus, ut puto, corruptus rem obſcuram obſcuriorem facit; ego vero non *juſtius*, ſed *jus* legendum eſſe arbitror. Nam ut curiatis comitiis magiſtratus aliquando mandari ſoliti ſint, ita nunquam lege curiata magiſtratus; ſed jus, facultatem, & imperium dari reperiemus.

Ex tribus comitiorum generibus curiata [A] niſi primis temporibus) non.

. Pontifici Numa ſacra omnia [A] exſignataque attribuit) exſcripta.

Quin etiam tribunis pl. in comitiis *auſpiorum* uſum conceſſerunt) auſpiciorum.

Lib. 2. cap. 2. Nondum a Cenſoribus in ordinem Senatorum *electum*) adlectum. V. C.

Narrat etiam Suetonius, Auguſtum equites in Senatum legiſſe) Conſiderandus locus Suetonii eſt; nam lubricus eſt, & non ita explicatus a Sigonio, ut eam ſententiam manifeſto probet. latius autem attingendus erat, ut ex ejus verbis certior ſententia elici poſſet. Verba vero Suetonii hæc ſunt, quæ mihi videntur aliud velle, quam Sigonius: *Comitiis tribuniciis, ſi deeſſent candidati, Senatores ex equitibus Romanis creavit; ita ut poteſtate tranſacta, in utro vellent ordine manerent*. Vide Paulum Manutium de legibus in explicatione Atinii plebiſciti, ubi Suetonii, & Gellii locum, qui eſt lib. 14. cap. ult. nititur declarare.

Cap. 18. De qua *item* Pedianus) idem.

Cap. 19. Nam ad eam diem indiſcreti *ierant*) inibant.

OBSERVATIONES
LATINI LATINII,
In Libros de Comitiis Romanorum Nicolai Gruchii.

Notaram olim Gruchii lapſum in re mihi, niſi fallor, valde clara; quamquam eam ab ullo explicatam non videram, multique me viri eruditiſſimi non facile audiendum cenſebant. locus eſt in capti tabernaculi vitio, de quo M. T. lib. 2. de Nat. Deorum, item 2. de Divin. Epiſt. 2. ad Q. Frat. lib. 2. Livius lib. 4. Valer. Max. lib. 1. cap. 1. Plutarch. in Marcello, Varro initio lib. 6. in verbo *Templum*, Feſtus in verbo *Locus captus*. Tabernaculum capere, eſt locum, ſedem, templum auguriis captandis certis terminis definire, ac deſignare. Nec aliquid hæc obſervatio commune habet cum tabernaculo caſtrenſi, quod pro more procoſs. prætorib. & aliis magiſtratibus, legatiſque in provinciam euntibus ex publico præberi ſolitum erat.

In eodem Gruchio, itemque in Sigonio notaram rem plane abſurdiſſimam, ut neuter eorum nullum diſcrimen faceret inter comitia curiata, & legem curiatam. Quamquam curiata comitia, ut in Rullum ſcripſit Cicero, antiquæ tantum imaginis retinendæ gratia ſic vocabantur, in iis tamen nulli ſuffragiis mandabantur magiſtratus: ſed lex tantum de Imperio & jure magiſtratibus deſignatis mandando, vel moderando ferebatur. Hæc autem obſcuritatis, difficultatiſque originem ducunt a verbis Gellii lib. 13. cap. 14. ubi C. Tuditani verba refert: ſic enim habent omnes, quot vidi adhuc codices; *Minoribus creandis magiſtratibus tributis comitiis magiſtratus*; *ſed juſtius curiata datur lege*. Quis, obſecro, verba hæc mendum continere neceſſario non videt? Si enim magiſtratus minores tributis comitiis, ut omnes ſemper ſcripſerunt, dari, vel mandari ſoliti erant; quid hic loci habere potuit adverſativa particula, niſi aliud eſset lex curiata, aliud tributa comitia. Sed diu inveteratus error, ex unico forte exemplari in omnes diffuſus, difficultatem attulit. Eſt ergo detrahenda ſyllaba, quæ per negligentiam adhæſerat, & locus legendus: *Sed jus curiata datur lege*. Quæ vera, & conſentanea lectio cenſeri debet.

In Præfatione.

Sed partem aliquam adeſſe jubet, non comitia, ſed concilium edicere *jubet*) debet. L.

Lib. 1. cap. 2. Sed *juſtius* curiata datur lege) jus

Nam centuriata lex Conſulibus ferebatur) *Nam cum centuriata lex Cenſoribus ferebatur, cur curiata ceteris patriciis magiſtratibus, tum iterum de iiſdem judicabatur, ut eſſet reprehendendi poteſtas, ſi populum beneficii ſui pœniteret*. Ita habent veteres ſcripti Codices. Error autem, ut puto, ex eo natus eſt, quod idem faciunt comitia, & legem, cum diverſa ſint. Cum lex fertur jam creati ſunt magiſtratus, niſi quis lege prius de modo habendorum comitiorum caveri oportuiſse intelligere velit. Comitiis autem creari magiſtratus, nunquam vero lege obſervatum eſt, quod ſciam.

Tum si Senatui ita videretur, *videbatur*) jubebatur.

Dum collegam consuleret, moratus *permittere* eo nocte) permittente.

Quæ ut *distituta* expectatio est) destituta.

Ad unum omnes, non modo *centurio;* sed etiam homines) centuriæ.

Quæ pro Collegio Pontificum *habentur*) haberentur.

In ea tamen *ratione* judices sedisse) oratione.

Paulo post velut enumerationem faciens eorum, qui *judice* sederunt) Judices.

Tribuni pleb. jussissent populus) Tributim plebs jussisset populum.

Utrum populi jussu indiceretur bellum, an satis *esse*) esset.

Qui aliquem vocat ^ judicium populi) in

Ac si actio *hujusmodi* esset, ut de jure potius) ejusmodi.

Ut *repundarum*, ambitus, majestatis, peculatus) repetundarum.

Verre Prætore urbano sortitionem, *ac sortitionem*, ac subsortitionem.) Dele.

Principem judicum ^ fuisse a Prætore) alium.

Cap. 3. Sic enim locus restitui debet) At ego nihil mutandum censeo: nam verum est Prætorem, qui magistratus major est, Prætorem jure rogare non posse. Collega igitur ejusdem magistratus rogare collegam non potest, atque id est, quod ex Tuditano ad Messalæ confirmandam sententiam attulit Gellius. L.

Appellat, aut locationibus ^ censoribus factis) a.

Ex tamen apud Suetonium in Cæsare locus.) Est.

Antequam ^ tabellas suffragium ferri a populo) per.

Ut inquit Appianus ^; sed agebat trigesimum quintum) In extremo lib. primo.

Quoniam per quinque annos Consulem fieri minime licebat) In codicem corruptum incidisti, ideo legendus locus est: *Quoniam per annos Consulem fieri non licebat*. atque ita emendavit Sig. Epist. 50.

Id ego ita *invenisse* existimo) evenisse.

T. Quintium *Flaminium* consulatum ex quæstura petere non patiebatur) Flamininum.

Epulum dat, & tres minas in singula civium capita) Mirandum est tam hunc, quam Gulielmum Budæum Plutarchi locum non vidisse, qui tamen, & ipso initio, & postea quoque, iisdem verbis repetitur: Καὶ σῖτον ἐμέτρησεν εἰς τρίμηνον *Trium mensium frumento in civium capita diviso*.

Propter has igitur receptas Romæ largitiones, *aut* ministerium) erat.

Acta mea illi *displice* quis nesciat?) displicere.

Quemadmodum fecisse Camillum, *Corionalum*, Servilium) Coriolanum.

Cap. 4. Et ex itinere *permitterit* edictum) præmitteret.

Ut Græcum verbum *Eispherein* ostendit εἰσφέρειν.

Quam Græci *manticim* appellant) μαντικήν.

Tripudio autem augurium accipiebatur) Tripudium.

Consentibus cunctis diem indixit) Consentientibus.

Cæterosque Deos, *quod* præsides suæ coloniæ fecerat) quos.

Aut agri certo carmine ab *auguro* lituo finiti) augure.

De dirarum obnunciatione *erat* historia) extat.

Consul quasi ad usurpationem vetustatis extra pomœrium tabernaculum habere dicebatur die comitiorum, velut Dux exercitus) Vereor ne fallaris in tabernaculi hujus acceptione. Nam tabernaculum capere idem esse puto,

quod locum capere; captus autem locus, inquit Festus, dicitur ad sacrificandum legitime constitutus. Quare nihil ad tabernaculum campestre, vel militare attinet id, de quo Cic. Plut. & Val. Max. scribunt in Augurum disciplina fuisse. Vide quæ scripsit M. Varro de Ling. Lat. lib. 6. in verbo *Templum*. Videndus etiam Dionys. initio lib. 2. ubi de auspiciis in Romulo Rege designato inaugurando actis loquitur; ibi enim sub dio consedisse ex solemni more narrat. Quare tabernaculum nullum adhibitum.

Quod *C. Curiatius*, qui comitiis eorum præfuerat) Curtius.

Ergo primum auspicia consulenda erant in capiendo tabernaculo) At tabernaculum extra pomerium in hortis Scipionis jam captum erat ex verbis Cic. vitio, ea de caussa, quod auspicari oblitus esset, cum iterum pomerium ingressus rediisset in priorem locum, ut Plutarchus in Marcello scribit. Cum enim priore capto loco non addicebant aves, locum inauspicatum arbitrantes, alium secundo deligendum esse ex augurum disciplina constitutum fuisse ostendit.

Et quoniam hæc duo genera *auspicorum* reliqua erant) auspiciorum.

Trripudio autem magis alibi uterentur) Tripudio non videntur usi neque augures, neque magistratus ulli in urbanis negotiis intra Urbem sed tantum magistratus in Provinciis, ut ex observatione veterum constare poterit.

Erant autem solemnia, & velut concepta verba obnunciantis *Alio die*) ALIO DIE.

Hinc enim perspicuum est Consules, cum habituri essent comitia Centuriata, noluisse obnunciatione impediri) Non sunt idem servare, & obnuntiare. Quare ex edicti formula impeditur certe servatio; sed modesto verborum interdicto. Obnunciatio autem non interdicitur; late enim vagata esset impietas, si huc ventum fuisset.

Tua quid interest, nulla auspicia tuorum sunt, cum sis religiosus.) Si legamus, ut ex veteri Codice Basilicæ S. Petri emendavit Faernus, videlicet: *Cum tua quid interest, nulla auspicia sunt, cum tuorum, tum sis religiosus*. Et sensus erit clarus, & nulla coacta Gruchii expositione opus erit.

Qui frustra hujusmodi edicta proposuissent) Non verum est, si id, quod præcedit, negatur, consequens etiam prohiberi, cum id non simplex est, sed duplex, vel multiplex. Consules ne comitia impedirentur (quod licebat) cavebant, ne vellent minores Magistratus de cœlo servare; at contra religionem erat, non habita Deorum prohibentium comitia ratione, obnunciationi non parere; cum si nemo servasset, nulla injecta Deorum prohibentium religione, comitia rite haberi posse viderentur, quæ alioqui nisi spreta religione (quam auspiciis contineri antiquitas jam pridem sanxerat) haberi, ac perfici rite non poterant, si obnuntiatio intercessisset.

Nec curiæ de vobis suffragium *fuerunt*) ferunt.

Scribit a Sp. *Licinio* Tribuno Pl. altero anno) Icilio.

Ac de intercessione quidem hactenus: *Certa* persequamur.) Cætera.

A Servio institutæ nihil pertinerent *ab* tribus) ad.

Ut absque ulla distinctione ordinum, & census ^ unam centuriam.) in.

Sic distinctas centurias sors ducebatur, cui *omnem* obtingeret) omnium.

Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus plus *ad suffragium consilii*) adhibet ad suffragium auxilii. O.

Sub Servio *lege* fuisse centum, ac decem millium æris) rege.

Sane nisi corrupti sunt Plinii, Gelliique codices, nihil habeo, quod in

tanta Auctorum diversitate dicere possim) Addendus ad hunc locum Festus in verbo *Infra classem*, ubi cxx. mil. æris taxat censum , non primæ classis civibus ; sed iis , qui classici , vel opulentes erant . Asconius item lib. 3. in Verrem centum millia sestertiorum ait , fuisse eorum censum, qui more majorum censi dicebantur : ita ut idem non sit cum taxatione classium Servii Tullii. Plinii locus non videtur adversari Livio & Dionysio ; nam loquitur de Romanorum Civium opibus , quæ , Rege Servio , supra eam summam cx. mil. æris non fuit . Non enim hinc sequitur Servium primam classem ad eam summam definivisse ; sed ne major c. m. esset. Ita etiam Gellius conciliari potest ; nam cum Festo , & Asconio aliud spectat.

Tumque nominatim singuli appellabant, quem vellent) Eumque. Alias.

In quo tabellam populo [A] dederat) non.

Atque omnes rumusculos populari ratione *occupante*) aucupante.

Carbonis est tertia de jubendis , ac *legibus vetandis*) vetandis legibus.

T. Quintio *Flaminio* anno Urbis 631.) Flaminino .

His duobus in locis agitur de comitiis tributis , quæ in foro habebantur) Ponderandus locus M. Varronis de re rust. lib. 1. cap. 2. qui corruptus est, & ope conjectoris eget, ubi de Licinio Tribuno legem de VII. jugeribus ferente loquitur.

Porro autem ex eo Ciceronis loco ad [A] colligo) Atticum.

Nam in tributis *alius* fuisse postea ostendimus) aliud.

Nec omittendum est , quod vocatas jam Centurias revocare erat in potestate) Verum est postulante eo , de cujus suffragatione agebatur , id est , eo , qui suffragiis jam renunciabatur creatus Magistratus ; nam ita ex prædictis colligitur . Eo autem tacente , vel repugnante non videtur licuisse Consuli , qui comitia habebat, revocare Centurias, si rite omnia adhibita fuerant , & servata.

Contra vero legem [A] Centuria non accipi pronunciabatur) a.

Duumvirum navalem , *quæ* ut inauguraret Pontifex) quem.

Sed subinde alias , atque alias [A] , quarum , ut quæque introducta) Centurias.

His expletis, quærendum est, postquam renunciata erat alicujus Centuriæ sententia , an eædem tabellæ rursus darentur diribitoribus) In hac non admodum necessaria quæstione utrumvis afferas , ferri non potest , nec video quid ex alterutra absurditatis , aut incommodi oriri possit. Illud autem certum est : si tabellæ diribitoribus reddebantur , minorem earum numerum parari opus fuisse, cum eædem sæpius distribui possent: Satis autem si alteri Centuriæ non erant , supplebatur earum numerus ex cista , ubi recentium tanta copia servabatur , quanta satis superque futura erat suffragantium numero.

Si tantum eductas de cista tabellas reddi diribitoribus oporteret) Non video quid prohibeat, quominus etiam novæ dentur , quoad Centuriæ copiosior numerus singulas tabellas habeat.

Quæ si aperte redderentur , quomodo suffragium cujusque occultum esse potuit) Poterant tabellæ retentæ a singulis in cistas ad id paratas conjici , indeque a ministris sumi , & discerni , & ad diribitores iterum referri . Neque hinc suffragia cujusque indicabantur , cum confuse & quod verisimile est, nullo præsente custode in cistam conjici possent.

Hinc rursus perferenda erat cistella per omnem Centuriam : quæ

omnia abſurdiſſima ſunt.) Poſt datam tabellam, id eſt, poſt ſuffragium, quæ erant reliquæ in manibus Centuriæ tabellæ, poterant in exitu pontis hinc, atque inde, id eſt, dextra & ſiniſtra locari aliæ ciſtæ, in quas conjicerentur. Sed nimis anxie de rebus hujuſmodi quærimus, & uſus docet nos non ita fuiſſe difficile, quod Gruchius ob difficultatem maxime repudiat. Retentas aliquas in manibus ſuffragantium tabellas poſt initum, latumque alicujus tribus ſuffragium conſtat ex Var. lib. 3. de re ruſt. cap. 2.

Quomodo in anguſtis pontibus tot homines conſtitiſſe probari poterit) In pontium longitudine ita poterant deinceps diſponi, ut nihil propterea impedirentur centuriæ ſuffragantes. Præterea non video cur DCC. numerum tanquam abſurdum metuat, cum unicuique tribui viceni diribitores eſſent.

Ut duodecies multiplicetur numerus tribuum, *aut* ita) atque.

Verum illa in *gerrere* dicta non nihil habent) genere.

Ad extremum examinandus eſt nobis locus Ciceronis ex 2. Philip.) Videndus locus in codice a Faerno emendato, ubi quæ Gruchio implicatiſſimam quæſtionem creant, planiſſima apparebunt.

Prima claſſis vocatur, renunciatur: *Deinde ut aſſolet*, *ſuffragia*) Deinde, ita ut aſſolet, ſuffragatum ſecunda claſſis vocatur. Ita hunc locum reſtituit Antonius Auguſt. & Faernus.

Hoc erat populum neceſſitate obſtringere, ut non *potet*, ſi vellet) poſſet.

Dum legem tot centuriæ ex hac claſſe *acceperint*) acciperent.

Cap. 5. In lucum Peteliuum extra portam *Furmentariam*) Flumentanam.

Cap. 6. Velut infauſta appellatione *damnatur*) damnarunt.

Unde apud Livium ſæpe reperitur mentio comitialium dierum, ut lib. 3. [A]) decad.

Nundinarum dies non inter ferias *relit*) retulit.

Lib. 2. cap. 1. Sic enim legitur in omnibus codicibus, recte ne, an ſecus, poſtea *videmus*) videbimus.

Palatinam, Suburranam, *collatinam*, Eſquilinam) Collinam.

Jam vero, ſi eadem fuiſſent *Centuriata*, & Tributa comitia) Curiata.

Qui ſuperiorem numerum reliquit; *ſe* duabus tribubus addidit) ſed.

Reſque cenſemus fuiſſe Velinam, & Sapiniam) Eaſque.

In illa vero opinione etiam Dionyſium fuiſse ex eo colligi) Vide Carolum Sigonium lib. 1. de Antiquo Jure Civium Rom. cap. 3. ubi longiſſima diſputatione rem explicat.

Ut *intelligendi poſt* eo, quod ſcribit Livius in fine libri primi) intelligi poteſt ex eo.

Sed, ut idem Livius ait, vis ſuffragiorum penes primores erat) ubi.

Poſtrema ratio ducetur ex loco Ciceronis lib. 4. Epiſt. ad Attic.) At ex hoc ipſo Ciceronis loco ad Att. videtur argumentum eodem modo ſummi poſse. Si enim licebat Conſuli in Campo Martio comitia habere, ergo Centuriata erant, non tributa. Et tamen non fuit in utriſque eadem ratio, ut videbis infra, ubi de loco tributorum agitur. Poterant enim tributa comitia in Campo Martio, quam alibi haberi.

At illa ædilium comitia habiturum ſe in comitio dicebat Metellus) Si poſtulabat Metellus, ut in foro poſtridie ſibi obnunciaretur; (ſe enim

hora prima in comitio futurum pollicebatur) cur eam rationem fuisse ne in Campum descenderet comminiscemur, quæ nulli usui futura erat? Cum æque facile posset in foro, & comitio obnunciari, atque in Campo, & inter eundum in eum?

Una dicitur ex eo, quod Cicero in 2. orat. in Rullum dicit Patritios) Vide supra; nam aliter legitur ille Ciceronis locus, & necessario etiam intelligendus est, ex quo loco male intellecto, multa consequuntur implicata, & difficilia impedimenta tum ad Patritios, & Plebejos Magistratus discernendos, tum ad bina comitia recte dilucidanda, & explicanda.

Nam centuriata lex Consulibus ferebatur, & cæteris *Patriis*) Patritiis.

Verum singulatim *subjectæ probationes* fient apertiores) subjecta probatione.

Hinc apparet, *quo* Triumviri capitales primum creati) quod.

Qui quatuor primis legionibus præessent reperio; legiones enim tandem sena millia continere cœperunt) Falsum reperisse te facile ex Polybio 6. fragmento constat. Ubi legiones quaternum millium, ac ducentorum numero definit & tamen Tribunos senos singulis assignat.

Cn. Pupius, & Cœlo Quintius *Flammius* ædem) Flamininus.

Id quod propter *magnitudinem deligendi*) magnitudinem periculi, necessitatemque deligendi.

Ut eam desponsam, non decretam ^ videatur) habere.

Si nullum esset in Provincia bellum, *quo ad naturandum* vergeret) quod ad maturandum.

Cicero Proconsul missus est, & Bibulus in *Cyriam*) Syriam.

Ut præter eos, qui Magistratus gerebant, *aliquid* singulari virtute) aliquis.

Qui tunc lex Cornelia lata non erat) Quia.

Quia enim ^ Provinciam suam bellum gerere Magistratui non liceret) extra.

Quasdam provincias *Quæstores* tribuamus) Quæstoribus.

Cohorti Prætoriæ H. S. mille 635. millia) Rarus loquendi, & numerandi mos.

Lectisternio tunc primum in urbe facto ^) Deos placavere.

Exitu anni & C. *Sertilius* Geminus Pont. Max. decessit) Servilius.

Atque *illum* facile erit demonstrare) illud.

Q. Martius Rex & *Catinius* Labeo Trib. Pl. ad plebem tulerunt) C. Antinius.

Omnes v. & xxx. tribus, uti *rogatæ*, jusserunt) rogas.

Cap. 3. A. *Aterinus* legem Centuriatam tulerant) Aterius.

Polybius in sexto de Rep. explicat his verbis) Non videtur Polybius ibi ita posse intelligi, nec ejus verba, quæ vulgo impressa habemus, possumus ad eum modum interpretari. Vide eundem locum Polyb. a Sigonio lib. 2. cap. 15. de Antiq. Iur. Civ. Rom.

Qui quatuor ordinariis legionibus præessent, singuli singulis millibus) Neque hoc eo tempore verum fuit, cum legio quaternum millium ducentorum peditum ccc. equitum erat, ut Polybius ibi scribit.

Candidatum ergo hujus Magistratus nemo se profiteri jure poterat, nisi qui legitima illa stipendia confecisset) Ex loco Polybii supra citato, quia manifestum est, aut mancum esse, aut mendosum, id asserere non puto viri religiosi esse: etsi alioqui res ipsa per se nequissima videri possit.

Idcirco, ut poſſet in id *collogio* cooptari) collegium.

C. Valerius Tappo Trib. Pl. promulgavit, ut ii ſuffragii latio) iis.

Rogatio perlata eſt, ut ^ Æmylia tribu) in.

Quemadmodum de Campanis equitibus ſcribit Livius ^) Dec. 1. lib. 8. & Dec. 3. lib. 3.

Ut docet A. Gellius lib. 16. cap. 13. & Aſconius ^)In divinat.

Alia erat, cujus meminit Appianus lib. 2. bell. civil.) 39.

Certum enim eſt ex Suetonio in Cæſare ^ poſt eam legem) cap. 3.

Nam lib. 8. dec. 1. legimus *Lanuvios*, Aricinos, Nomentanos) Lanuvinos.

In amicitiam adduxi conceſsa eis *ἰσοτροπολιτεία*) *ἰσοπολιτεία*.

Cap. 4. Hoc igitur Tributis etiam comitiis conveniebat, ut auſpicia hactenus ſervanda eſsent) Abutitur auſpiciorum nomine Gruchius: ideo rem impeditam implicatiorem multo reddit. Vide quæ notavi infra.

Unde ſequitur his etiam comitiis *locum* obnunciationi parendum fuiſse.)

Neque Cicero diceret Vatinium contra legem Æliam, & Fuſiam feciſse) M. Cic. poſt red. in Senatu ita ait: *Quo inſpectante, ac ſedente legem Trib. pleb. tulit; ne auſpiciis obtemperaretur, ne obnunciare concilio, aut comitiis, ne legi intercedere liceret, ut lex Ælia, & Fuſia, ne valerent, quæ noſtri majores firmiſſima præſidia Reip. contra tribunicios furores eſſe voluerunt.*

Et Clodius initio ſui tribunatus legem tuliſse legitur, ne obnunciationi ſibi parendum eſset) Et hoc falſum omnino puto, ut Clodius legem tulerit obnunciationi ſibi non parendum eſse. Multo enim verius, prudentiuſque ſcripſiſset, Clodium legem tuliſse, ne, cum ipſe cum populo ageret, quiſquam de cœlo ſervaret, aut ſi ſervaſset obnunciare ei liceret. Vide quæ notavi ſupra aliqua non contemnenda.

Quamquam autem tributa comitia hactenus auſpicio haberi debeant) M. Cic. lib. 2. de divin. *Itaque in noſtris commentariis ſcriptum habemus. Jove tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Hoc fortaſſe reip. cauſſa conſtitutum eſt; comitiorum enim non habendorum cauſſas eſſe voluerunt. Itaque comitiorum ſolum vitium eſt fulmen: quod idem omnibus rebus optimum auſpicium habemus, ſi ſiniſtrum fuerit.*

Ex his Dionyſii & T. Livii locis intelligi poteſt plebejos magiſtratus nulla ^ auſpicia) habuiſse.

Adhibitis auguribus, pullariiſque, ut in magiſtratibus majoribus fieri ſolebat) Pullariis in auguriis neceſsario uſos fuiſse magiſtratus, qui cum imperio extra Urbem eſsent, ſæpe legimus, in Urbe vero auſpiciorum cauſsa pullarios adhiberi ſolitos in re publica, non memini legere.

Attamen ſi quo die creati eſsent, aut *fulguraſſent*, aut tonuiſset) fulguraſset.

Illud vero ita demonſtrari poteſt ex verbis Meſsalæ apud Gellium lib. 13. cap. 14.) Meſsala, ut nihil omitteret, non modo magiſtratus creandi tributis comitiis morem deſcripſit, ſed etiam jus & imperium qua lege acciperent adjecit.

Sed *juſtius* Curiata datur lege) jus. Vide quæ ſupra notavi.

Si igitur etiam auſpicia tribueremus tributis comitiis proinde ut curiatis, profecto multo juſtiora comitia fuiſsent tributa quam *centuriata*) Curiata. Fieri non poteſt, ut quod omnino falſum eſt & abſurdum, ita feliciter, atque artificioſe ſuſtineri aut defendi poſſit, ut tandem falſitas, abſurditaſque ſe ipſam non prodat. Alioqui Meſsalæ verba mi-

hi necessario postulare videntur, ut cum præcesserit, tributis comitiis Magistratus minores dari; si quid erat additurus, quod adversaretur, comitia curiata, non legem opponere debuisset.

Qua ex parte omnia comitia erant auspicata: ratione tamen legis curiatæ) Hoc puto falsissimum esse.

Leges enim ex Senatus decreto ferri solitas) Vide supra, ubi citatur Livius lib. 8. dec. 4. Nam ibi videtur oppositum statui.

Aut vero, si ad eos spectemus, qui convenire ad ea comitia) At.

Qui primum *cuncti* utrum ne illum in campo per comitia) cunctati.

Si in ^ crimen est, quia suffragium tulit) eo.

Ex hanc igitur distinctionem per genera hominum in libertinos) Et.

Voluerunt igitur hi Censores in singulis tribubus distinctionem esse inter ^ ex caussis) cives.

Quia tamen fiebat sententiarum renunciatio) non.

Pronunciati erant Diis ^ ad fungendum Sacerdotium) accepti.

Inaugurari ante competitores oportuisse, quam de *his* comitia haberentur) iis.

Cap. 5. Et leges fere in foro latæ dicantur, quæ in comitio latæ erant) Videndus locus Varronis 1. de re rust. cap. 2. de C. Licinio Tribuno pl. qui populum primus ad legem agrariam accipiendam e Comitio eduxit; in forum forte, nam locum puto mendo non vacare, primum in annorum calculo, deinde etiam in verbis *Jugera forensia*.

Inermem, atque imparatum Tribunum alii gladiis *oriuntur*) adoriuntur.

Quod vero *multa* in comitio dici soleret, argumento esse possunt) mulcta.

Quod vero etiam hoc tempore crearentur Tribuni militum & secunda) ex.

Quibus Calend. Jan. *magistratibus* inibatur) magistratus.

Sed ^ tempore, omninoque de tributis comitiis satis superque dictum est) de.

Lib. 3. cap. 2. Jam vero Cornelius Tacitus scribit lib. 11.) Taciti gravissimum alioqui testimonium quanti sit faciendum, quivis mediocriter eruditus, qui annales legerit, facile judicare poterit. In eo enim loco antequam Quæstorem meminerit, ita scribit: *Ac ne ætas quidem distinguebatur, quin prima juventa consulatum ac dictaturas inirent*. Quod omnino falsum esse constat.

Tr. pl. etum curiata iterum de eisdem judicabatur) Tributa plebeiis. Tum.

Sed *justius* Curiata datur lege) jus.

Præsertim cum secunda comitia *reprehendi* potestatem) reprehendendi.

Si ergo Curiata comitia illa lege exclusa erant) Legem Curiatam ferre, & comitia Curiata habere magistratibus creandis non arbitror idem esse; atque hinc oriri maximam eorum errorum partem, qui in hanc comitiorum tractationem veniunt, supra etiam testatus sum.

Cæteros autem magistratus ita creari solitos, ut imperium his comitiis non daretur) Ergo non creandis magistratibus, sed jam creatis imperio, aut potestate ornandis curiata lex ferebatur. quod necessario etiam fatendum ante fuerat, aliaque ratio ineunda, quemadmodum M. Tullii verba in 2. Agraria intelligenda, & non corrumpenda essent, & qua etiam via modoque Gellii locus restitui posset, ut sententiam Mes-

ſalæ non repugnare cum veteri Rom. conſuetudine intelligere poſſemus. Nam nulli dubium eſt Curiatis comitiis Meſſalæ ætate nullos magiſtratus mandari ſolitos, qui tamen populi ſuffragiis mandarentur, ſed aut Centuriatis, aut tributis. Quare non *juſtius* legendum, ſed *jus* opinor eſſe, ut idem dicat, quod Cicero, & alii, qui imperium curiata lege dari ſcribunt.

Legem curiatam Conſuli *ferre* opus eſſe) ferri.

Adeo ut non ſatis eſſet lex curiata omnium magiſtratuum communis) Vide quam late ſerpat erroris exigua radix in principiis male intellectis. Nam hinc videre potes non bina, ſed terna etiam comitia neceſſaria eſſe Gruchio.

Nec voluiſſe in ſingulos dies pluſquam novem *numeros*) nummos.

Veluti cum *Ciceronis træ* Aſiaticæ diœceſes ad Ciliciam) Ciceronis tres.

Neceſſe enim erat ſuo ſumptu proficiſci Appium) At Cicero de lege, non autem de ſen. conſulto mentionem facit.

Unde ſequitur non fuiſſe curiata comitia, quibus *ſingulis* Curiones) ſinguli.

Patriciis negantibus C. *Manlii Attelii*, qui unus ex plebe) Manilii Vituli.

Tribuni appellati ad Senatum rejecerunt, Senatus *populus*) populo.

Cap. 2. Tum igitur ea ratio inventa eſt omnes cives admittendi, ut *illis*) illi.

Unde etiam Lælius apud Gellium ait, *Juſtius lege*) Unde M. Valerius Meſſala apud Gellium ait, *Jus lege*. Hinc ego ortam arbitror errorum omnium radicem, quod comitia, & legem eandem rem plerique eſſe tradiderunt; cum comitia creandis Magiſtratibus, lex vero facultati, & juri, & imperio mandando adhiberetur.

Ut Cicero in Rullum oſtendit cum ait, majorum inſtituto, populum binis comitiis judicare de omnibus Magiſtratibus ſolitum) Bina quidem neceſsario comitia jubebantur, altera magiſtratibus ſuffragio populi creandis, altera quibus lex de eorum imperio, vel poteſtate ferretur.

Non tam in populi judicio hæc ſacerdotia fuiſse *dixi* poſset) dici.

Hoc modo dicere poſsumus, *ſi quæ* adhuc eſsent juſta comitia) ſi qua.

Præſertim cum lege Curiata juſtius magiſtratum acciperent, quam Tributa) Non video quid tibi ea ratione videatur colligi poſse, quod ad rem faciat. Sæpe legis curiatæ nomine pro curiatis comitiis abuteris; Tributam vero, quod etiam legem nominas, id vere eſt abſurdiſſimum.

Ut de jure *adoptionibus* cognoſcerent) adoptionis.

Cap. 4. Ut poſt illud tempus nulli deſignarentur magiſtratus comitiis curiatis) At ſi hoc retines, in Gellii verbis mendum eſse invitus, vel imprudens verius fateris; nam non juſtius curiata lege datur, ſed jus curiata lege, cum magiſtratus comitiis tributis prius datus ſit.

Quod Cicero oſtendit cum probare ^ legem de adoptione) conatur.

Quæ mali ominis erat *quando erat*, quando legem curiatam.) dele.

Lex ſane Cæcilia, & Didia ætate Ciceronis lata eſt anno Urbis 1556.) 656.

Cicero pro domo ſua: Quod eſt Pontifices jus *adoptionibus*) adoptionis.

In quo *certo* quoddam erat juramentum a Pontificibus) certum.

Niſi forte ita quæſitum eſt, num *perturrari* Remp.) perturbari.

Tum populus ^ magiſtratu rogabatur, uti legem juberet) a.

Observationes.

Cap. 5. Curiata comitia non fere poterant auſpicato fieri, niſi intra pomœrium) Vide quæſo quam apte concludat ita fieri oportere cum centuriata comitia in Campo Martio auſpicato haberentur; ſi ergo in curiatis auſpicia adhibenda erant, cur non ibi quoque adhiberi, ut in centuriatis) poterant?

Ex verbis Camilli concludi poteſt non fere potuiſſe auſpicato haberi, niſi in foro) Rem, ut puto, veriſſimam, ita rationem ita colligendi falſiſſimam exiſtimo.

In ea fori parte, [a] qua erat comitium) in.

Cap. 6. Quod [a] comitiales dies *quando* a Numa inſtituti ſunt) cum. dele.



Scriptores, qui in primo tomo Thesauri Antiquitatum Romanarum inveniuntur.

Accedunt hæ tabulæ.

OCTA-



ANTIQVÆ VRBIS ROMÆ IMAGO ACCVRATISS. EX VETVSTIS MONVMENTIS, EX VESTIGIIS VIDELICET ÆDIFICIOR. MOENIVM RVINIS, FIDE NVMISMATVM, MONVMENTIS ÆNEIS, PLVMBEIS, SAXEIS, FIGLINISQ. COLLECTA VETER. DENIQ. AVCTOR. FIDE CONFIRMATA IN HANC TABVLAM REDACTA ATQ. DESCRIPTA A PYRHO LIGORIO ROMANO PER XIIII REGIONES IN QVAS VRBEM DIVISIT IMP. CÆSAR AVGVSTVS
VIA NVMENTANA
VIA SALARIA
CASTRVM
VIVARIVM
ORIENS
ALBVLA
VITELLIA & PORTVENSIS
VATICANVS



OCTAVIANI FERRARII
MEDIOL. PHILOSOPHI, ac MEDICI
DE ORIGINE ROMANORUM
LIBER.

AD REGIUM PROVINC. MEDIOL. MAGNUM

CANCELLARIUM,

DANESIUM FILIODONIUM,

BARTHOLOMÆI CAPRÆ


Jurisconsulti Mediolanensis,

IN OCTAVIANI FERRARII LIBRUM
DE ORIGINE ROMANORUM
PRÆFATIO.



X omnibus bonis humanis nullum majus, nec præstantius veritate, atque hominis magis proprium viri sapientes cum semper existimarint, in ea perquirenda suum omnes studium non modo posuerunt, sed quam aliquando maximis laboribus invenissent, eam litterarum etiam monumentis publici commodi caussa mandarunt. Horum exemplum Octavianus Ferrarius, civis noster, philosophus, ac medicus, ad imitandum sibi proposuerat: & eam vitæ rationem ab ineunte ætate susceperat, quæ tota deinde in maximo veritatis campo elaborata est: in quo ille sese exercendo tantos processus fecit, ut præter ceteros excelluisse, communi doctorum, atque intelligentium virorum judicio, fuerit existimatus. ac maximo quidem illum non solum investigandæ veritatis studio incensum fuisse, sed acerrimo etiam in ea judicanda ingenii acumine præstitisse, libri, quos ipse vivus edidit, planissime testificantur. sed multo plura hujusce rei argumenta nos haberemus, si, quæ jam exorsus scribendo fuerat, ad exitum perducere potuisset. quorum specimen sane non obscurum hic de Romanorum origine liber in primis dabit: quem ille, te primum admonente ac petente, propter excellentem tuam ad id ipsum veritatis studium propensionem, non solum aggressus fuit, sed ob tua maxima in eum beneficia etiam in tuo clarissimo nomine apparere voluit: ut antiquitatis studiosi fructum omnem, quem ex hoc libro capiemus, tibi viro amplissimo feramus acceptum: cujus maximam auctoritatem ego tanti facio, ut etiam pauculos versus, quos extremo operi visum est adjungere, lectoribus non omnino ingratos futuros esse confidam.

OCTAVIANI FERRARII
MEDIOL. PHILOSOPHI, ac MEDICI,
LIBER
DE
ORIGINE ROMANORUM.



ORA omnis maritima, quæ Tyrrheno mari ad occidentem, Ionio ad orientem alluitur, a tergo autem lunatis Alpium jugis inclusa cingitur, Italia dicta est a Græcis, simul & Latinis veteribus. De qua universa nihil equidem dicam hoc tempore. tantum partem ejus parvam ad id, quod mihi proposui, pertinentem paucis omnino, ac summatim attingam. Ea igitur, de qua facturus sum verba, terminetur ab occidente Tiberi fluvio, ab oriente Leucopetra, agri Rhegini promontorio. Intus autem, & a tergo Appennino monte, in fretum Siculum excurrente, & qua littus a Tiberis ostio ad Leucopetram usque in longitudinem patet; Tyrrheno, & Ionio mari, quod inferum, & superum vocant Romani, terminis finiatur. In hac extrema est cornu, ut Mela Pomponius, & Plinius appellant, quod Siculum fretum prospiciens, sinu duplici in angustas fauces coarctatur; e quibus alter Scyllæus, ab oppido Scyllæo, quod ibi etiam nunc nomen retinet; alter autem Hipponiates Straboni, ab Hipponio, quod post mutato nomine, in Vibonem abiit; ex quo Vibonensis Plinio; Antiocho tamen Napetinus; Aristoteli vero Lameticus; his temporibus divæ Euphemiæ sinus nuncupatur. Hæ fauces, & terrarum angustiæ interius Bruttiorum continenti conjunguntur. Bruttiorum regio ibi fuit olim, ubi nunc est Calabria. Quapropter cornu totum, quod diximus, & priscis sæculis, & nostra item ætate, Calabris, hoc est, Bruttiis contribuitur. Porro cornu hoc, terra est illa, quæ Italiæ nomen, in orbe terrarum universo clarissimum, prima omnium invenit. Inde nomen idem in proximum Bruttiorum agrum secundo migravit: cujus erant fines Metapontum, urbs sita in littore sinus Tarentini; & ex adverso, qua spectat mare Siculum, Laus amnis, qui non longe a Buxento decurrit. Nec dubium est, quin Italiæ nomen a Bruttiis ad proximos Lucanos transierit, & ab iis ad Picentinos, tum ad Campanos, inde item ad Latinos: ubi tanquam domi suæ, aliis sedibus relictis, remanserit. Placet hoc loco, quæ de Terra Italia exposui, a quo potissimum scriptore petierim, paucis demonstrare. Antiochus, Xenophanis filius, antiquissimus fere scriptor historiarum, fuit Syracusanus. Is & libros de rebus Siculis novem conscripsit, quorum meminit libro duodecimo Diodorus, & de Italia separatim volumen unicum; in quo eam Siculo freto, & sinu Scyllæo, ac Vibonensi circumscribit. ad hæc primos habitatores, una cum regibus illorum, leges latas, mores, bella gesta ordine persequitur. Sumunt ex Antiochi libro (qui utrum extet abditus alicubi in latebra, incertum est) Dionysius Halicarnasseus, antiquitatis Romanæ diligentissimus investigator, & Strabo geographus, quæcunque de Italia, & illius incolis veteribus in primo libro alter, alter in sexto nobis exponit. Multo ante hos etiam Aristoteles, de Italia, & Rege Italo, ejusque legibus quæ narrat in septimo de Republica, id quod res loquitur, indidem ex libro Antiochi, unde alii duo post hauserunt, veluti rivum e fonte uberi in domesticum fundum deduxit. Ergo valde bonus auctor est Antiochus, ut qui non solum antiquus sit, verum etiam certus, & gravis: quodque pluris est, quam omnia, doctis, & judicio præstantibus viris vehementer probatus. Dixi de regione: deinceps, quæ gentes eam a principio habuerint, explicabo. Tenuerunt igitur Italiam diversis, ac disjunctis locis primi omnium Siculi, barbara, & fera natio, nec tamen advena, sed indigena. Ante Siculos utrum Italia celebris, an deserta fuerit, firme asseverare quempiam posse, in initio Romanarum antiquitatum negavit Dionysius. incoluisse Italiam Siculos, planissime confirmat Thucydides historiarum libro sexto; & hoc amplius; Has gentes ipsius ætate Italiam etiam tunc habitare. Diodorus quoque Siculus in quinto Bibliothecæ libro sententiam hanc eandem confirmat: id quod & libro sexto præter hos omnes facit Strabo ex historia Antiochi, de quo prius dictum est. Plinius item libri tertii capite quinto Siculos in Latio semel, iterum in Lucanis, collocat: ex quo apparet verum esse id, quod ante ex Dionysio proposui, habuisse Siculos in Italia sedes diversas, atque disjunctas. C. Julius Solinus denique in octavo capite Polyhistoris, Latii Siculos habitatores fuisse arbitratur. Nec reticere debeo in præsentia, horum populorum temporibus Italiam appellari Saturniam in sermonibus consuevisse, a Saturno scilicet ducto nomine, cui erat dedicata. Id quod ita se habere, ex Sibyllæ versibus primo, dein ex Jovis Dodonæi oraculo, quo scripti genere nullum opinor extare antiquius, apposite Dionysius, ut ejus mos est, confirmavit. Siculis Italiam habitantibus, Græci Arcades ex medio Peloponneso magna classe ad illius littora transvecti appulerunt. quorum duces Lycaonis filii duo fuerunt, Oenotrus, & Peucetius. Hic ubi primo stationem habuerat, ultra promontorium Sallentinum, expositis in terram popularibus, sedes ibi collocavit. ab eo orti, dicti Peucetii, & Peucetia regio, alias Apulia. Oenotrus vero sinistra ad occidentem cursum tenens, in Tyrrheni, hoc est, inferi maris sinum cum majore exercitus parte navigavit. in cujus ora cum descendisset, indeque barbaros expulisset, in agro ad pascua, & arationes idoneo, cum suis omnibus consedit. parvas urbes in montibus ædificavit, pro ea, quæ tum erat, consuetudine. regionem, quam tenuit, Oenotriam; populus, quibus imperabat, Oenotros nominari voluit. Testificatur Dionysius, primam omnium hanc fuisse classem, quæ Græcos colonos e Græcia solvens in Italiam transportaverit. In Arcadicis affirmat idem Pausanias, cujus verba subscribam: *Oenotrus vero*, inquit, *liberorum Lycaonis minimus natu, a Nyctimo fratre pecunia, & hominibus impetratis, in Italiam navibus trajecit. & Oenotria regio nomen habuit ab Oenotro rege. prima hæc classis e Græcia in colonias missa est. Enumeranti autem summa cura, ne ex barbaris quidem ulli prius, quam Oenotrus, in externam regionem transierunt.* Quorum verborum sententia quin vera sit, nihil est,

quare quisquam dubitet; cum ab Antiocho quoque Syracusano, Strabone, aliisque gravibus, ac certis auctoribus ex antiquis: nostra vero memoria ab omnibus, qui rem Romanam curant, uno consensu ea comprobetur. Nec me fugit tamen novicios aliquot scriptores inveniri, qui nullo quidem teste freti paullo graviore, sed Viterbiensem, ut videntur, tantum secuti, a superiore veterum auctorum historia discedant. quod quam intelligenter, ac perite faciant, postea videro. nunc redeo unde abii. Oenotro mortuo, excepit imperium Italus. de quo quæ narret apud Dionysium Antiochus, rerum Italiæ scriptor ut admodum vetus, ita valde bonus, malo te ex illius, quam ex meis verbis, cognoscere. Sic enim fere in primo Romanarum antiquitatum legimus: *Hunc autem Italum dicit Antiochus Syracusanus bonum, ac prudentem virum extitisse, & ex finitimis alios oratione persuadendo, alios per vim cogendo, agrum sibi omnem subjecisse, quicunque intra duos sinus Napetinum, & Scylletinum continetur: qui primus terra Italia ab Italo nominatus est; qua regione cum potitus esset, & mortales multos haberet sub potestate, e vestigio proximos quosque appetiisse, & suæ ditioni civitates multas adjecisse, illum autem fuisse Oenotrum genere*. apparet ergo ex narratione Antiochina, Italum esse hominem Græcum ex Arcadia: siquidem est Oenotrus, Oenotri vero ab Arcadia, quæ in media Peloponneso est, in Italiam profecti sunt; ut ex Antiocho, Dionysio, Pausania ante docui. id quod ex libro sexto Thucididis verba hæc planissime confirmant: *Et sane adhuc extant in Italia Siculi, ipsaque regio ab Italo quodam, Arcadum rege, hoc habente nomen, sic est cognominata*. Ergo Italum Arcadum regem hominum Græcorum, cum firma ratione, tum gravissimo etiam testimonio Thucididis extitisse convincitur. Adde, quod in septimo de Republica tradit Aristoteles, regem hunc Oenotris præfuisse: quos ex suo nomine Italos nominari voluit. ita enim scribit: *Ajunt ex iis, qui illic habitant homines facundi, Italum quendam Oenotriæ regem fuisse: a quo, nomine mutato, Italos pro Oenotris esse appellatos*. & paullo post: *Hunc Italum ferunt, Oenotros, qui pastores erant, agricolas fecisse; & cum alias eis leges tulisse, tum eum instituisse primum convivia publica*. quare cum Oenotri essent Arcades, ut toties dictum est, ii vero etiam pastores, fit ut & vere narretur ab Aristotele, Italum eos a pastoricia vita ad agriculturam traduxisse, & recte putetur, eundem Italum Arcadibus, Græcis videlicet hominibus, in Italia imperasse. Ac ne quem prætermittam de veteribus, qui Oenotros Arcadas fuisse testetur, producam testem historicum longe antiquissimum, Pherecydem, non illum Syrium, unum e septem sapientibus, sed antiquiorem alterum, qui origines Atticorum, & Arcadiæ regum pluribus libris complexus, inter Lycaonis filios, Oenotrum, & Peucetium numerat; & de Oenotro, ut recitat Dionysius, privatim ista scribit: *Oenotrus a quo, qui sunt in Jonio sinu, Oenotri appellantur*. omnia hæc igitur, Oenotros, atque Italos ex Arcadia Græcos fuisse, satis fidem faciunt. Italo autem admodum seni successit Morges. hic quoque ad superiorum exemplum eos, qui ipsius imperio parebant, de suo nomine nuncupavit. quare factum est, ut qui dicti erant Itali, iidem, appellatione immutata, Morgetes appellarentur. Dum regnaret autem Morges, accidit, ut quendam, Siculum nomine, domo, ut opinor, exulem, hospitio acciperet. Is principatum affectans, illum per ambitum sibi quærere instituit. quæ res eo progressa est, ut gentem Morgetum duas in partes veluti per seditionem disjungeret. Qui relicto Morgete, Siculi sectam secuti sunt, iis impositum nomen Siculorum. Et hi quidem Oenotri, &

A advenæ, prorsus diversi generis fuerunt ab Siculis illis, quos barbaros, atque indigenas a primo in Italia supra demonstravi constitisse. quod ita contigisse Antiochi verba, quæ in Dionysii primo antiquitatum referuntur, plane omnino declarant. ex quibus, Siculorum genus istuc, de quo loquor in præsentia, esse Oenotrum, & e Græcia advectum, perspicue intelligitur. Nam ubi de Morgetis hospite Siculo, cujus opera Oenotri duas in partes abierant, fecisset verba, hæc adjecit: *Ita vero Siculi, & Morgetes facti sunt, qui sunt Oenotri*. Patet igitur unam & eandem Græcam gentem, eosdem incolas Italiæ nomina quattuor habuisse: nam primo

B Oenotri, dein Itali, tertio Morgetes, postremo quadam ex parte Siculi ab eorum ducibus omnes dicti sunt. Probant hoc idem Plinii verba ex quinto capite libri tertii: ubi scribens de Bruttiorum regione, antiqua Italia scilicet: *Tenuerunt eam*, inquit, *Pelasgi, Oenotri, Itali, Morgetes, Siculi, Græciæ maxime populi*. certe locus hic ad id, quod proposui, facit vehementer; nihil enim dubitationis relinquit, cum in eo fateatur aperte Plinius, Græciæ populos esse maxime, qui Bruttiorum agrum, cui ante alios Italiæ nomen impositum est, primis temporibus coluerunt. atque ab his populis,

C tamquam a parentibus, habuerunt ortum Aborigines. quibus postea alii ex aliis Græci, quod infra narrabimus, accesserunt. postremo etiam Trojani Aboriginibus sociati, ædificarunt urbem Romam, simul & Romanos procrearunt: de quibus ex antiquorum monumentis, sumpto hinc initio, summatim pauca repetam. Aboriginum juventus apud suos non solum frequens, & multa, sed abundans etiam, ac nimia, quod illorum temporum ferebat consuetudo, novas sibi sedes quærens, Siculorum agrum, qui erat finitimus, ingressa, eum tentavit per vim occupare. qua injuria commoti Siculi, armis se, suaque tueri decreverunt. hæc causa præ-

D cipue inter Aborigines, & Siculos Italiæ indigenas, bellum excitavit grave, ac diuturnum; cujusmodi antea nunquam acciderat. Dum autem gereretur, utrique populo casu intervenerunt Pelasgi. iis patria antiquior Argos Argolicum in Achaja. domo profecti, Thessaliam occupaverant; eamque in tres partes distributam, Phthiotim, & Achajam, & Pelasgiotim, ex nominibus ducum suorum appellaverant. Ejecerunt armis eos e Thessalia Curetes, & Leleges, Ætoli, & Locri, posterius nominati. Pelasgi fusi, ac fugati, alii alio dispersi iter intendere. pars eorum major ad Dodonæos in

E Epiro, quod & ejusdem generis essent, & ob summam illius oraculi religionem, ab omni bello tuti viderentur. apud quos aliquandiu commorati, cum popularibus suis propter victus inopiam se molestos, & graves esse sentirent: inde statuunt proficisci, Dodonæi Jovis oraculo persuasi, quod Pelasgos, ut Siculorum terram Saturniam, & Aboriginum Cutyliam quærerent sibi sedem, admonebat. Oraculi versus, si quis requirat, apud Dionysium in primo antiquitatum inveniet, & apud Stephanum de urbibus in voce, *Aborigines*, item apud Macrobium in capite septimo primi Saturnaliorum. Conscenderunt ergo naves Pelasgi, diuque per Jo-

F nium, atque Hadriaticum mare navigantes, ad Padi ostium Spineticum advecti sunt. Ibi in terram expositi, stativa castra posuerunt. in eis turbam, quæ itineris laboribus, atque incommodis ferendis minime erat idonea, reliquerunt; & ut essent, qui classem ad incertos casus tuerentur. qui remanserant, post suorum discessum, castris muro circumdatis, Spinam urbem condiderunt. de cujus nobilitate, opibus, & copiis Plinius in tertio libro capite sextodecimo meminit; Strabo autem in quinto libro, & in primo Dionysius multo plura narrant. Barbari accolæ, Græcorum florenti fortu-

næ invidentes, magno exercitu circumſederunt urbem, atque expugnarunt: nemini parcentes, qui in ea fuerant, Pelaſgos ad unum omnes interfecerunt. Pelaſgorum vero pars, quæ terra pedibus iter ſuſceperat, ii, ſuperato Apennino, in Umbriam deſcenderunt. inde ab Umbris pulſi, aſciverunt eos finitimi Aborigines, tum quia erant ejuſdem generis, tum vel maxime, quia in bello, quod contra Siculos tunc ardebat, Pelaſgorum opera magno uſui fore videbatur. Atque hoc loco Pelaſgi terram Saturniam, Siculos, Aborigines, aliaque omnia, de quibus præmonuerat Dodonæus Juppiter, invenerunt. acceſſione harum copiarum meliores facti Aborigines, acrius, quam antea, Siculos urgebant. qui cum viderent ſe pares hoſtibus eſſe non poſſe, cum liberis, & conjugibus, cumque iis, quæ cariora habebant, locis planis, ac patentibus relictis, ſeſe in montes receperunt. per eos iter continuarunt tandiu, quoad in fines Italiæ, ubi fretum eam terminat, pervenerunt. Suppetente ibi materia, ex ea confectis ratibus, iiſque inter ſe colligatis, dum æſtus maris minueretur, in objectam inſulam tranſierunt univerſi. Ea tum Sicania ab Sicanis, qui ex Hiſpania depulſi a Liguribus, occupaverant inſulam ab incolis vacuam, nominabatur. Poſt autem inde fugatis Sicanis, Siculi ex ſe ipſis illi Siciliæ nomen dederunt. Res Pelaſgorum cum brevi uſque eo creviſſet, ut maxime floreret, ſubito converſa, ut ſunt humana, pæne ad nihilum recidit. nam ex eis maxima pars in Græciam, & Barbariam diſſipata eſt, qui remanſerant, alii fame, & morbo, alii a barbaris extincti ſunt. pauci omnino incolumes Aboriginum cura ſervati ſuperfuerunt. poſt autem aliquanto alia claſſis Græca ad has ipſas Italiæ regiones applicuit, ante Trojam captam annis circiter ſexaginta, ut rationem ineunt Romani, profecta ex urbe Arcadia, Pallantio. duæ naves fuerunt, non ex communi ſententia civitatis in Coloniam eo miſſæ; ſed orta in populo ſeditione, quæ pars infirmior valentiori ceſſerat, impoſita in naves Evandrum ducem ſecuta, in Italiam ſua ſponte venerat. Rex Aboriginum Faunus in ea tunc imperabat, homo fortis, & prudens; qui, Evandro amice & benevole accepto, aſſignavit ei, tantum ex agro ſuo, quantum ille ſibi, & ſuis opus eſſe judicabat. Arcades collem, qui non longe aberat a Tiberi flumine, delegerunt. vicum parvum, qui duarum navium ſocios navales caperet, ad ejus radices ædificant. vico huic, Pallantium, ab Arcadiæ urbe ipſorum patria nomen imponunt. vulgus deinceps, duabus litteris extritis, pro Pallantio, Palatium uſurpavit. ibidem poſtea, circa collem ducto aratro, urbem Romam condidit Romulus. Atque hæc gens Græca, quæ in Italiam poſt Pelaſgos altera venerat, ſociata cum Aboriginibus, in optima Romæ regione una cum illis habitavit, magno ſane Aboriginum commodo. litteras enim Græcas, quarum notitiam domi paullo ante habuerant, omnium primi apportarunt. Sic enim tradit is, quem hoc tempore ſequimur, Dionyſius. nam C. Plinius ſecundus, unaque cum eo C. Julius Solinus inventionem litterarum tribuunt Pelaſgis. attulerunt Arcades etiam organa muſica diverſi generis, iis gentibus inuſitata, ut quæ paſtoricia fiſtula tantummodo uterentur. ad hæc iidem leges quoque rogarunt, & vitam agreſtem, ac feram ad humanum, & civilem cultum traduxerunt. artes item, & diſciplinas protuliſſe in medium feruntur. quas ob res comiter eos acceperunt Aborigines, atque in primis caros habuerunt. paucis autem annis poſt Arcadas alia claſſis Græca, duce Hercule, in Italiam renavigavit. Victorem exercitum vir fortiſſimus ex ultimis terris domum, hoc eſt, Argos in Peloponneſum, ſubacta Hiſpania, aliiſque gentibus, quæ ſunt ad occaſum, reportabat. Complures ex militibus il-

A lius, alii diuturnæ peregrinationis odio, alii aſſiduitate laborum defatigati, ab duce impetrata miſſione, nacti collem idoneum, quem, qui tum vivebant homines, Saturnium, eorum poſteri Capitolinum dixere; in eo ſedem rerum omnium ſuarum collocarunt. Ii maximam partem erant Pheneatæ, & Epæi ex Elide; qui, ſuis urbibus vaſtatis, ac direptis ab hoſtibus belli tempore, quod contra Herculem fecerant, (quod ut geſtum ſit, & quibus de cauſſis, in primo Eliacorum narrat Pauſanias) nullo redeundi domum deſiderio tenebantur. quibus Trojani aliquot ſe aggregaverunt e numero eorum, B quos, Ilio capto, cum ibi Laomedon regnaret, Hercules captivos in militiam abduxerat. habuerunt igitur collem Saturnium a principio ſoli, ſeparatim a ceteris. non ita multo poſt autem, ſuis cum ſacris, tum legibus, & victu cum Aboriginibus, quod idem Arcades, & antea Pelaſgi fecerant, communicatis, in unum convenerunt, pacto fœdere, ut cuncti eodem jure eſſent, & ejuſdem civitatis populares cenſerentur. Scio, de rebus Herculis, permultos fuiſſe, qui ſcripſerint. ex quibus alii commenticias, alii veras, vel certe veri ſimillimas memoriæ prodiderunt. fictas ego fabulas, etiam ſi ad meum inſtitutum quadrarent, de induſtria ſilentio C præterii. quæ vero colorem, ſic ut dicam, veritatis præ ſe ferebant, paucis complexus breviter tranſivi; præſertim cum certum ſit optimis, ac diligentiſſimis quibuſque antiquitatis Romanæ auctoribus eas admodum probari. Poſt Herculis diſceſſum, una & altera hominum ætate decurſa, hoc eſt, annis ſexaginta, vel, ut rationem ineunt Romani, annis quinque & quinquaginta, Aboriginum rex erat Latinus, Fauni filius, vel potius Herculis, qui annos jam quinque ac triginta regnabat. hoc tempore ipſo Trojani una cum Ænea, Ilio capto, qui profugerant, Laurentum in ora Tyrrheni maris non longe ab oſtio Tiberis tenuerunt. Conceſſu Aboriginum D accepto ad habitationem loco, a mari modico intervallo remoto, quodam in colle ædificarunt oppidum, cui Lavinii nomen indiderunt. Poſt autem ſpatio temporis brevi, vetere nomine immutato, ſimul cum Aboriginibus, ab eorum rege Latini cœperunt nominari: &, relicto Lavinio, conjuncti cum incolis, urbem ampliorem, Albam nomine, condiderunt. Inde profecti, ædificarunt alias urbes multas, quæ priſcorum Latinorum dictæ ſunt. Sexdecim vero ætatibus exactis, miſerunt coloniam in Pallantium: ubi relicti ab Hercule Peloponneſii, & Arcades primo conſederant. Reſtabant etiam E tunc antiqui generis reliquiæ. Cinxerunt igitur vicum quadratæ figuræ mœnibus, ita ut tum primum urbis ſpeciem haberet. Romam vocarunt ab Romulo, qui eo loci coloniam deduxerat; quemque ſeptimum, ac decimum poſt Æneam regem præſtantes in hiſtoria viri numerant. atque hi ſunt populi, unde tanquam a parentibus liberi, initium ortus ſui ducunt Romani. Non puto alienum hoc loco eorum commemorationem denuo iterare, ut in conſpectu, & ante oculos poſiti, magis aperte perſpici queant, magiſque firme comprehendi memoria. Primi omnium ergo ſunt Aborigines, fugatis Siculis, Oenotrii ab rege ſuo dicti; qui eos ex Arcadia, quæ eſt in F Peloponneſo, in Italiam tranſportavit. Poſt hos ſecundo loco Pelaſgi, ex Theſſalia, quæ temporibus illis Hæmonia dicebatur. Tertio Arcades ex urbe Pallantio in Italiam Evandri ductu trajecerunt. Poſt hos Epæi, & Pheneatæ, quibus admixti erant ex Trojanis nonnulli, in Italia Herculis permiſſu remanſerunt. Poſtremo Trojanos una cum Ænea, domo profugos, capto per dolum Ilio, Laurentum ad Tiberis oſtia ſatis conſtat appuliſſe. quod ſi Trojanos gentem fuiſſe Græcam Dionyſio, qui hoc probat diligenter, profectam ex Peloponneſo in Phrygiam, concedimus, Romanos prorſus a Græcis eſſe

procreatos oportet. Neque vero est, cur ista finxisse Dionysium suspicetur quisquam ea re, ut homo Græcus ad suos Romanorum gloriam transferret. nam multis sæculis ante hunc Romani complures in eadem fuere sententia, eamque monumentis litterarum consignatam posteris prodiderunt, quorum in numero est C. Sempronius Asellio, historiarum scriptor, & primus Porciæ gentis M. Cato censor: qui unus tria illa præstitit, quæ homines prima putant, ut optimus orator, optimus imperator optimus senator haberetur. Is omnium Italiæ civitatum, in primis autem Romæ, origines accuratissime conquisitas, pluribus libris explicuit. Laudavit eximie origines Catonis ab eloquentia M. Tullius libro, qui Brutus inscribitur. De quibus, cum senectutem ornaret laudibus, ex ipsius Catonis persona dixit idem: *Septimus mihi liber originum est in manibus. omnia antiquitatis monumenta collіgo.* iis ergo in libris ab Achæis, hoc est, a Græcis, qui e Græcia in Italiam transierant, multis ante Trojanum bellum ætatibus, Romanos ortos esse homo Romanus memoriæ prodidit, Cato. Atque hæc quidem in primo libro Romanarum antiquitatum tradit Dionysius. Addit etiam C. Sempronium, quem memoravi prius, alios ex Romanis multos una mente, ac voce Catonis sententiam confirmasse. Hanc Romanos de sua ipsorum origine opinionem, inde usque a primis conditæ urbis temporibus, posteris a majoribus traditam per manus, non ab exteris gentibus acceptam, habuisse, ex eo manifeste apparet, quod etsi Romani scriptores Græcos Romani generis auctores fuisse narrent; qui rem tamen approbet, testem e Græcis idoneum, a quo monumentis annalium hæc mandata sint, producunt neminem. Et horum quidem utrumque, de quibus paullo ante dixi, etiam Græce scisse, nedum Latine, antiquæ fides historiæ facit, ut minime dubitemus. Nam certe Cato Censorius Græcas litteras admodum senex didicit; & sua scripta Græcorum opinionibus, atque historiis, tamquam floribus, conspersit. quod præter M. Ciceronem in libro de senectute aureolo, etiam in illius vita refert Plutarchus. particulam vero procemii, ut opinor, ex libro primo rerum gestarum Sempronii Asellionis, quæ in quinto libro Atticarum noctium recitatur a Gellio, si quis legerit, is de Sempronio idem, quod proxime de Catone, dum quidem sit doctus, & intelligens existimator, judicabit. Porro autem ne a Græcis quidem, qui ante hos de ea re scripserant, antiquitas Romana peti poterat. Et vero sane multi extiterunt; sed iis pæne omnibus ista, quæ hoc tempore quærimus, erant ignota. Ex quo illa sunt a Dionysio scripta in primo libro: *Adhuc enim (ad ejus ætatem scilicet) a Græcis prope omnibus antiqua Romanæ civitatis historia ignoratur.* Et ab eodem loco non longe admodum de Græcis historicis, qui res Romanas conscripserunt, Hieronymo Cardiano, Timæo Tauromenio, Antigono rerum Italicarum scriptore, Polybio Megalopolitano, Sileno Calatiano, & sexcentis aliis: *Horum*, inquit, *singuli de Romana antiquitate pauca, & ea neque studiose, neque diligenter, sed ex qualicumque auditione, hoc est, communi fama, ac sermone collecta, litteris tradiderunt.* Atque hæc de Græcis suis Dionysius Halicarnasseus statuit; qui Romæ vixit, cum Augustus rerum potiretur; ubi totos annos viginti, quod ipse de se prædicat, in conquirendis, & componendis rebus Romanis, ac Latina lingua perdiscenda consumpsit. in quo officii munere ita se gessit, ut hoc in genere, quomodo quidem docti homines arbitrantur, tum superiores, tum æquales rerum dispositione, orationis elegantia, explicatione illustri sine controversia ulla vicerit. In eo igitur standum, quod hactenus ex optimis auctoribus, iisque perantiquis, ac nobilibus docui, Romanos a Græcis ortum in primis habuisse; quod cum eruditissimi Romanorum, non hi duo solum, sed & complures alii probarint, hoc istuc ipsum nos quoque, si minus ut verum, at ut maxime verisimile, non gravate concedamus. Atque hæc quidem quamquam ita se habent; qui tamen contra sentiant, inveniri nonnullos non ignoro. Extat parvum opus Berosi Chaldæi nomine, patrum memoria editum. hoc in quinque libros est distributum, qui rerum capita potius, quam libri, videntur. In eis notata sunt admodum multa, quæ superioribus ex toto repugnant; eaque maximam partem ficta, & commenticia, ut qui libellum exilem illum confecit, id unum spectasse credi possit, ineundam sibi rationem qua vetus nuncia veritatis historia, vanitate fabularum novarum, oblivione perpetua obrueretur. Quæ res caussam nobis, & gravem, & necessariam attulit, in extrema parte hujus commentarioli verba faciendi de istis, quantulicumque sint, annalibus, ut susceptum veritatis patrocinium, pro nostra consuetudine pristina, tueamur. Primum igitur de Beroso ipso, tum de illius opere, postremum de rebus indidem, veluti e fonte, haustis a scriptoribus novis dicemus. Berosus igitur fuit Babylonius, quomodo quidem ex Tatiani oratione ad Græcos aperte potest perspici. Is Chaldæi honorem, ac dignitatem gessisse, ex Flavii Josephi auctoritate putatur ab eo, qui summatim illius vitam attigit, Annio Viterbiensi. in quo partim recte, partim dicit perperam. nam eum in primo Judaicæ antiquitatis Josephus Chaldæum vocat præcise; at idem in primo contra Appionem plene, Berosus, inquit, Chaldæus genere; ut Chaldæi vocabulum non honorem, sed gentem ostendere videatur. Quod quidem verum esse, ex iis, quæ mox suggeram, satis patebit. Genus est duplex eorum, qui Chaldæi vocantur, locorum, ac regionum, quas alii alias incolunt, distinctum varietate. nam qui terram habent, pertinentem ad sinus Persici initium, definitam Arabia illa, quam Pomponius Mela, & C. Plinius, sterilem, hoc tempore ad Græcorum imitationem desertam dicunt, ii a Chaldæa terra, ubi ætatem agunt, Chaldæi nominantur. Ad hæc Babylon est urbs, & ejus regio Babylonia; in qua vicus fuit, ad habitandum nationis, & gentis ejusdem philosophis assignatus; qui similiter, ut superiores, Chaldæi sunt nuncupati. atque hi quidem tempus omne, omnem operam in disciplinarum studiis, Astrologiæ præsertim, consumpserunt. inter quos extiterunt nonnulli, qui quid cuique eventurum esset, ex natali die profiterentur se posse prædicere. Sed istos contra alii minime approbarunt. nam Chaldæorum, de quibus in præsentia loquimur, sectæ fuerunt complures, discretæ cum opinionum dissimilitudine, tum cognomento a suis urbibus tracto: quod alii Orcheni, ab Orcha; Borsippeni, a Borsippa; a Babylone, Babylonii dicerentur; de rebus iisdem dissidentes inter se, ac repugnantes. quam dissensionem a Tito Lucretio Caro in quinto de rerum natura reddente caussam, quid sit, cur lunæ lumen sæpius in mense varietur, significari puto his versibus:

Ut Babylonica Chaldæam doctrina refutans,
Astrologorum artem contra convincere tendit.

Non viderunt ista interpretes a Strabone explicari: unde & hæc, & alia, quæ supra posui, sumpta sunt. Male igitur Annius, qui, Chaldæum, honoris nomen esse comminiscitur. at Josephus bene; qui eodem verbo nationem designat eruditam. Sit ergo Berosus genere Chaldæus, idemque in Astrologia facile princeps. Quærat hic aliquis forsitan, cum Astrologorum sectam duplicem proposuerim; alteram, quæ natalitia prædicta improbet, alteram, quæ approbet; ex his duabus quænam sit, in qua Berosum censere oporteat. Equidem non dubito, quin prædicendi etiam scientia præstiterit. adducor, ut ita credam, M. Vitruvii verbis ex libro nono a

sic habentibus: *Cetera ex Astrologia, quos effectus habeant signa duodecim, stellæ quinque, Sol, Luna, ad humanæ vitæ rationem, Chaldæorum ratiocinationibus est concedendum: quod propria est eorum genethlialogiæ ratio, uti possint ante facta, & futura ex ratiocinationibus astrorum explicare. Eorum autem inventiones, quas scriptis reliquerunt, qua sollertia, quibusque acuminibus; & quam magni fuerint, qui ab ipsa natione Chaldæorum profluxerunt, ostendunt: primusque Berosus in insula, & in civitate Coo consedit, ibique aperuit disciplinam.* Hæc M. Vitruvii verba, Berosum prædicendi artificium tenuisse; idque Græcis, ejus rei insciis primum omnium patefecisse, fidem faciunt. in quo excelluisse illum præter cæteros argumento sunt, quæ Plinius in libro septimo in hanc sententiam scribit: *Beroso*, inquit, *ob divinas prædictiones Athenienses publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuerunt.* honos hic statuæ datus ab Atheniensibus Beroso, non est ob eam caussam illi datus quia in Athenarum urbe docuerit, sed ob prædictionem divinam, hoc est, quia prædixerit, & divinarit fore aliquid, quod & evenerit, & prospere quidem evenerit. quapropter longe fallitur Annius, qui ex hoc Plinii loco, Berosum Chaldaicas litteras Athenis docuisse, falso narrat. Errorem cujus, si nihil aliud, M. quidem Vitruvii auctoritas, plane coarguit. qui non Athenis Berosum, sed in insula, & civitate Coo, Chaldæorum disciplinas demonstrat primum omnium Græcis tradidisse. Illud item, quod ait Annius, etiam si verum sit, minime tamen necessarium videtur: *Si est*, inquit, *ut Berosus sit Chaldæus, sequitur, ut idem quoque sit sacerdos.* consecutio hæc non est, ut modo dixi, necessaria. neque enim omnis Chaldæus est sacerdos. id ex eo quivis unus perspicue cognoscat licet. Babylon est urbs, Chaldææ caput, auctore Plinio. in ea qui habitarunt, Chaldæi fuerunt omnes, ut apud Stephanum Byzantinum legimus. hic ergo, si Annium sequimur, sacerdotes oportet fuisse Babylonis cives, atque incolas universos. neque vero hos solummodo, sed etiam Chaldæos agricolas; & ex aliis Chaldææ urbibus Orchenos, & Borsippenos; aliosque innumerabiles. Sed verbi notio ea est, quæ Annio errorem tantum objecit. nam suo sibi jure sumpsit, Chaldæi vocabulo honorem demonstrari, in quo falli eum ante docui. docuit etiam A. Gellius in Atticis noctibus libro primo: *Vulgus*, inquit, *mathematicos dicit, quos gentilicio vocabulo Chaldæos dicere oportet.* Et multis annis ante hunc in primo de divinatione Cicero, cum de Assyriis loqueretur, hæc subjecit: *Qua in natione Chaldæi non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione syderum, scientiam putantur effecisse.* Ex quibus locis manifesto liquet, Chaldæum, nomen esse gentis, & nationis, non autem honoris. quamquam igitur Berosus sit Chaldæus; hac re tamen sacerdotem illum fuisse, non infertur necessario. Hic mihi Diodorum afferet Annius, qui secundo Bibliothecæ libro Chaldæos dicit; Diis colendis sacerdotes creatos ab Assyriis, exemplo sacerdotum Ægypti: itaque ut nomen Chaldæi honorem ostendat, confici. Sed & hoc totum nihil est, quamvis aliquid esse primo aspectu videatur. nam, si ita sit, etiam Ægyptius, quod nomen est nationis, esset idem, qui sacerdos: & Ægyptius omnis sacerdos haberetur. quod perspicue falsum est. quemadmodum igitur, etiam si quis sit Ægyptius, ob hoc non efficitur, ut idem sit sacerdos; ita, ne si Chaldæus quidem fuerit aliquis, eum continuo sacerdotem esse oportet. At enim urgebit Annius, Chaldæus est sacerdos, auctore Diodoro: equidem contra minime tendam, neque verum quod est, insipienter negabo. venit mihi tamen in mentem quiddam, quod præterire tacitus nequaquam debeo. Nam in sextodecimo de geographia libro, qua in parte Babylonem describit Strabo, Chaldæorum regionem, urbes, disciplinam, sectas summatim quidem ille, verum tamen multo, quam Diodorus, persequitur & distinctius, & uberius. Atqui de eorum sacerdotio ibidem littera nulla est. Cujus quidem rei reticentia magnam mihi movet admirationem: ut qui Herodotum sciam, Diodoro, & Strabone antiquiorem, cujus libros Strabo minime omnium ignorabat, Beli sacerdotes fuisse Babylonis habitatores Chaldæos, in primo libro historiarum memoriæ prodidisse. Sed, ut ut est, demus aliquando, Chaldæos si non omnes, at certe Babylonios, fuisse sacerdotes; & hoc amplius, Berosum simul & Chaldæum, & Beli fuisse sacerdotem: præsertim cum istuc ipsum, quod ultimo loco posui, in extrema oratione ad Græcos Assyrius Tatianus planissime scripserit. Chaldæi porro vox duo significat: primo, gentem; deinde, præditum scientia hominem ex observatione syderum futura prænoscendi. qui hanc tenent, vates, & divini a Romanis hominibus, qui pure, & eleganter scripserunt, Chaldæi sunt appellati. itaque M. Cato in libro rerum rusticarum villico præcipit, Chaldæum ne quem consulat. eosdem vulgus Romanum, eversa republica, mathematicos nominare maluit: quod verbum Tacitus, & Tranquillus frequentarunt. Lapis etiam vetus Romæ, ut ajunt, apud Atilium Delphinum extat, in quo incisi versus hi leguntur.

Nomine, quo genitor mihi dicitur, hoc ego vixi,
Telephus est genitor, Telephus ipse fui.
Augustina parens, quarto me flebilis anno,
Terdecimoque die perdidit orba satum.
Non igitur lector lachrimes: decepit utrosque
Maxima mendacis fama mathematici.

Esto igitur Berosus cum genere, tum scientia Chaldæus, hoc est, Mathematicus, ut qui possit futura præscire, ac prænunciare. Idem quoque sit sane Beli sacerdos. Ex qua re una Berosum & notarium, & scribam fuisse Annius constanter nimis asseverat. quod quidem quale sit, paulum consideremus; quo rem involutam, paucis quidem cognitam, nos omnibus studiosis magis explicatam communicemus. de primo igitur dicamus prius. Notarius, quod nemo non concedit, est a nota. Notam Gellius ajebat litteram esse singularem sine syllabæ coagmentatione ulla, ut C. Caius. P. Publius. S. P. Q. R. Senatus, populusque Romanus. & ejusmodi sexcentæ, quas Probus, & Diaconus in duo volumina contulerunt. Sed in libro Digestorum trigesimo septimo, titulo de honorum possessionibus, ex Pedii sententia, Paulus notas litteras non esse, opinatur. Nam ibi hoc pacto scriptum est: *Notis scriptæ tabulæ non continentur edicto. quia notas litteras non esse, Pedius libro vicesimoquinto ad edictum scribit.* Et re vera notæ nomen videtur patere latius, quam litteræ, ut fulminis ictum, quo statua lactentis Romuli de cœlo tacta est, notam in secundo de Divinatione vocat Cicero, cum inquit: *Hoc tamen callide Jupiter cogitavit, Romulus lactens fulmine ictus. urbi igitur periculum ostenditur ei, quam ille condidit. quam scite per notas nos certiores facit Jupiter.* Quapropter, si fulminis ictus est nota, idemque ictus non est littera; ut nota non sit littera, oportet consequi. Eodem etiam pacto in oratione pro C. Rabirio P. Furium quendam, hominem omnibus insignem turpitudinis notis esse dixit. & in secundo de officiis, Alexandri Pheræi satellitem barbarum, compunctum notis Threiciis, (sic enim stigmatiam Latine vertit) ex historia fuisse narrat. plena est exemplorum antiquitas, quibus recitandis supersedeo, quod nimia eorum copia non procul abesse videtur ab ineptiis. Sed notarum etiam usus, quæ litteræ non sunt, inter principes viros hac hominum ætate usitatissimus est. Notarii porro munus, & officium, tribus verbis varie junctis, significari maxime a veteribus invenio. Dicunt enim: *scribere*

aliquid notis, ut in exemplo supra posito apparet: *Notis*, inquit Jurisconsultus, *scriptæ tabulæ non continentur edicto*. item, *scribere per notam*, ut Digestorum libro vicesimo octavo, Titulo de hæredibus instituendis: *Siquis*, inquit Ulpianus libro quinto ad Sabinum, *pro centum ducenta per notam scripsisset, idem juris est*. Ad hæc, *scribere per notas*, ut ex Ciceronis secundo de Divinatione ante docui. postremo pro eodem verbum, *notare*, usurpavit Suetonius. quibus omnibus Latine loquendi modis singulare verbum contrarie opponitur, id vero est, *perscribere*, & quod idem valet, *litteris perscribere*. primi probatio ex Galba Suetonii, in quo hæc sunt: *Quia vero notata, non perscripta erat summa, ne hæc quidem accepit*. ubi *notata*, & *perscripta*, inter se opponi pæne repugnanter, perspicue cernitur. Secundi vero ex Gellii loco libri decimi Atticarum noctium, qua in parte refertur, M. Ciceronem persuasisse Cn. Pompeio, ædem victoriæ dedicaturo, ut in ejus gradibus, qui vice Theatri essent, neque tertium, neque tertio scriberetur, sed ad secundum usque t, fierent litteræ, tert. *ut verbo*, inquit, *non perscripto, res quidem demonstraretur, sed dictio tamen verbi lateret*. Est & quæ ad hanc rem pertineat in libro vicesimo nono Digestorum titulo de testamento militis lex in hæc verba: *L. Titius miles notario suo testamentum scribendum notis dictavit, & antequam litteris perscriberetur, vita defunctus est*. in qua licet videre, *scribi notis*, & *litteris perscribi*, velut ex altera parte alterum alteri respondere: & recte mea quidem sententia. sunt enim ex responso Pauli verba, ejus, cui notam non esse litteram placuit. Sed ea etiam mendose scripta sunt: cum quidem in Pandectis Florentinis, *præscriberetur*, perperam pro eo, quod aliis in libris plane ac probe est, *perscriberetur*. Est ergo notarius proprie is, qui in scribendo notis ad celeritatem utitur. Eum M. Manilius in quarto Astronomicon paucioribus omnino verbis, quam Ausonius, non ineleganter tamen ita describit;

Hic & scriptor erit felix, cui littera verbum est;
Quique notis linguam superet, cursumque loquentis;
Excipiet longas nova per compendia voces.

Exposui verbi originem; nunc vero etiam rei aperiam. Anno post Romam conditam sexcentesimo nonagesimo exeunte propemodum M. Tullius Cicero consul, in ædem Concordiæ senatu advocato, ad eum retulit, quid de iis fieri placeret, qui cum Catilina conjurasse contra patriam deprehensi, custodiis liberis, privatim asservarentur. Is antequam senatum consuleret, scribas complures alibi alios dispertivit; eosque notas prius edocuit, quibus quam quisque sententiam de animadversione in conjuratos dixisset, celerrime exciperent. Ab hoc igitur Ciceronis facto, quod Plutarchus in Catone Uticensi memorat, scribendi ratio per notas, quæ ad eam diem inusitata vulgo erat, ut in communi usu versaretur, Romæ tunc primum fecit initium. Sed M. Cicero etiam pridie ejus diei, quam de puniendis conjuratis ageretur, hoc est, quo die legatis Allobrogum, & Vulturcio in senatum introductis, eorum indicio patefacta est conjuratio, consimile hujus consilium ceperat. Nam in ea oratione, quæ pro P. Sulla extat, se constituisse senatores testatur, qui omnia judicum dicta, interrogata, responsa perscriberent, quos sciebat memoria, scientia, consuetudine, & celeritate scribendi facillime, quæ dicerentur, persequi posse. De scribis tamen, & notis illo quidem in loco nihil loquitur. Non desunt autem scriptores, qui hoc inventum aliis auctoribus assignent. Dio enim in libro quinquagesimo quinto Romanæ historiæ, Mæcenatem ait primum notas quasdam litterarum invenisse ad celeritatem, earumque doctrinam per libertum Aquilam

A plurimis tradidisse. At Eusebius in Chronicis Tyroni, Ciceronis liberto, notarum tribuit inventionem. in quo uterque sine dubio fallitur. nam ante hos & M. Ciceronem & C. Cæsarem, eum, qui perpetuus fuit dictator, in epistolis ad amicos, & familiares notis multa scribere consuesse, certum habemus. De C. Cæsare, apud Suetonium in ejus vita hæc sunt. *Extant & ad Ciceronem epistolæ, item ad familiares domesticis de rebus, in quibus si qua occultius perferenda erant, per notas scripsit, id est, sic structo litterarum ordine, ut nullum verbum posset effici*. De iis C. Julii notis Valerius Probus, B antiquus grammaticus, librum scripserat, ut A. Gellius in libro decimo septimo prodidit, quem de occulta litterarum significatione epistolarum C. Cæsaris inscripserat. M. vero Ciceronem hoc scribendi genere usum, ex eo perspici potest, quod in libro decimo tertio epistolarum ad Atticum ipse scribit hoc pacto: *Quod ad te de decem legatis scripsi, parum intellexti, credo quia διὰ σημείων (hoc est, per notas) scripseram*. Usi sunt ergo notis in scribendo C. Cæsar, & M. Cicero. quod cum ita sit, credere Mæcenatem, qui Cicerone, ac Cæsare mortuo floruit, & Tyronem, Ciceronis disciplinæ alumnum, primos invenisse notas, non sane verum est. Multo C item minus vere dici potest, quod inconsiderate facit Annius Berosum hominem Babylonium fuisse notarium, ut qui annis minimum quinquaginta vixerit, nempe circa initia belli Punici primi, antequam Romæ rationem scribendi notis, Cicero magistratu abiens pervulgaret. Et erat scribendi genus ejusmodi Romanis hominibus usitatum solummodo, Græcis vero, quorum lingua scribens utebatur Berosus, aut barbaris gentibus, quod quidem sciatur ex historia vetere atque antiqua, non item. Neque ego is sum, qui ignorem, extitisse nonnullos, qui epistolas notis aliquando conscripserint. nam in epitoma septimi libri historiarum Polybii litteras Ariani D ad Achæum, ut earum sententia occultaretur, hoc modo scriptas fuisse legimus. Verum notas, quales essent, quibus ex composito illi utebantur, neque Polybius ipse, neque Suidas, qui Polybii locum interpretatur, nobis ita explicant, ut plane liceat intelligi. Sed qualescumque fuerunt, aliis quidem fuerunt inusitatæ, nec ullum ad exemplum illarum inde ortum est scribendi per notas genus. Berosus ergo non vere notarius ab Annio nominatur. Æque vero falsum est, scribam esse Berosum, quod idem eidem affingit Annius. quod quidem mendum, nisi si cognitum est prius, qui sint scribæ, quæve sit eorum conditio, vix opinor posse corrigi. E Sextus igitur Pompeius, Latinitatis auctor vel optimus, scribarum duo facit genera: librarios primo, deinde poetas. *librarii sunt*, inquit, *qui rationes publicas scribunt in tabulis*. Sed ii Prisciano *a calculis*, Ulpiano autem, ac Modestino dicti sunt *calculatores* a subducendis calculis. Nam in Ciceronis Lælio hæc scripta sunt: *Hoc quidem est nimis exigue, & exiliter ad calculos revocare amicitiam, ut par sit ratio acceptorum, & datorum*. Scribæ sunt etiam tabularii, qui magistratibus, aut civitatibus in publicis, aut privatis negotiis cautiones, & acta, hoc est, gesta negotia referunt in tabulas, & F conficiunt instrumenta fide publica. iidem etiam *Tabelliones* dicti. Scribæ erant item librarii, qui libros perscribebant, quorum in locum typographi hoc tempore successerunt. Adde huc eos, qui *ab epistolis* & *a secretis* vocantur, atque hos quidem scribas omnes, *servos publicos*, aut *privatos* appellarunt antiqui ob eam caussam, reor, quod initio servitutem serviverunt. abundant exemplis Romanorum historiæ. ex quibus hæc illustria maxime supponentur; Cn. Flavius, Cn. filius, hominis libertini, atque ordinis propemodum infimi, fuit Appii Cæci scriba. quem cum tribus

ædilem creaſſent, qui comitia ædilitia habebat Ædilis, ejus nomen negavit ſe accipere, cum ob generis humilitatem, tum præcipue quia ſcriba eſſet. Id factum & T. Livius (ut Ciceronem, ac Plinium reticeam) in extremo libro nono ab urbe condita, & multo, quam ille, purius, ac jucundius in tertio annali L. Piſo Frugi his verbis expoſuit: *Cn. Flavius*, inquit, *patre libertino natus, ſcriptum faciebat, iſque in eo tempore ædili curuli apparebat, quo tempore ædiles ſubrogantur. eumque primæ tribus ædilem curulem renuntiaverunt. At ædilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque ſibi placere, qui ſcriptum faceret, eum ædilem fieri. Cn. Flavius Cn. filius dicitur tabulas poſuiſſe, ſcriptu ſeſe abdicaſſe, iſque ædilis curulis factus eſt. Idem Cn. Flavius Cn. filius dicitur ad collegam veniſſe viſere ægrotum. & in conclave poſtquam introivit, adoleſcentes ibi complures nobiles ſedebant. Ii contemnentes eum, aſſurgere ei nemo voluit. Cn. Flavius Cn. Filius id ariſit. ſellam curulem juſſit ſibi afferri. eam in limine appoſuit; ne quis illorum exire poſſet, utique ii omnes inviti viderent ſeſe in ſella curuli ſedentem.* hæc L. Piſo ille Frugi in Annalibus ſuis ſcripta reliquerat. in quibus etiam ſi Cn. Flavium ſcribam non appellet ſuo nomine; ex iis tamen, quæ de eo narrat, ſcribam omnino eum fuiſſe, haud obſcure oſtendit. Nam quod ait Cn. Flavii nomen, ab ædili non acceptum, ideo quod Cn. Flavius ſcriptum faceret; hoc perinde eſt, ac ſi dixiſſet, acta ædilis, cui Flavius apparebat, in tabulas ab eo referri, & in iis perſcribi, quod ei officio ac muneri Cn. Flavius præeſſet. Eos porro omnes, ſcribas eſſe: qui quia in ſordido munere verſarentur, non digni videbantur habenti comitia ædili, quorum nomina inter ſubrogatos ædiles reciperentur. Valebit ergo *ſcriptum facere* idem, quod *ſcribæ fungi officio*. quod antiquum dicendi genus, quaſi ſi minime ſit Latinum, in T. Livio Cardinalis Hadrianus reprehendit non ſane intelligenter. Ut ſcribæ, qui magiſtratibus, vel civitatibus apparerent, ſervi dicerentur publici, & haberentur pæne ſervorum loco, diu tenuit conſuetudo. Sed eam Arcadius Imperator, conſtitutione edita, quæ extat, funditus ſuſtulit. Ex eo igitur ſcribarum ordo eſt honeſtior. & hæc quidem de Cn. Flavio: ſcribas vero privatos ſerviviſſe notius eſt, quam ut longa oratione probari debeat. quis enim paullo humanior Tullium Tyronem, & Tullium Lauream, M. Ciceronis libertos neſcit? Extat etiam Cornelii Nepotis in Attici vita locus, de illius familia memorabilis; quem, quia valde ad rem facit, recitabo. *Uſus eſt*, inquit, *familia, ſi utilitate judicandum eſt, optima; ſi forma, vix mediocri. namque in ea erant pueri litteratiſſimi, anagnoſtæ optimi, & plurimi librarii; ut ne pediſequus* [illegible] *quiſquam eſſet, qui non utrumque horum pulchre facere poſſet*. Nunc reſtant poetæ; nam & hos Romani ſcribas vocabant. Livius Andronicus, tragicus ſimul & comicus poeta, bello captus. Romæ aliquandiu ſervivit. Euſebium in Chronicis hujus hiſtoriæ teſtem invenimus. in qua tamen mendum ineſt duplex. in tempore alterum, alterum in prænomine. In tempore, quod Plautum, ac Nævium anteire tradit, qui tamen ætate longo intervallo inferiores Livium ſubſequuntur. nam Cicero, & apud eum in Bruto Atticus, Varro etiam in libro de poetis primo, Gellius libro decimo ſeptimo, & in Chronico Aurelius Caſſiodorus, ita ſe rem habere docent. Errat item in prænomine Euſebius, quod Livium eundem poetam, Titum eſſe ait, quem A. Gellius capite ſeptimo libri ſeptimi, & libro decimo ſeptimo capite vigeſimo primo, & in Chronico Caſſiodorus Lucium appellarunt. res quidem videtur parva, in prænominis nota decipi. Verum ea parvitas tantum momenti habuit, ut doctiſſimo, & ſanctiſſimo viro divo Thomæ Aquinati errorem magnum objecerit. Nam quod Euſebius de poeta Livio, tragœdiarum ſcriptore, litteris mandat, hoc ipſum divus Thomas in ſecundo ejus operis, quod de regno effecit, in hiſtoriarum ſcriptorem Livium Patavinum confert. quod a vero perſpicue alienum eſt. Nam L. Livius Andronicus poeta, qui Romæ primus fabulam dedit, C. Claudio Centhone, M. Sempronio Tuditano conſs. annis amplius CC. vixit ante T. Livium Patavinum hiſtoricum; quem, Auguſto, ac Tiberio regnantibus, ob excellentem eloquentiam, ſcimus omnes, maximo in honore viguiſſe. A principio igitur poetæ quoque fuerunt Romæ ſervi. poetica vero facultas ipſa ſpernebatur illis temporibus a noſtris, ac pro nihilo ducebatur. Inde Ciceronis illud in prima Tuſculana de poetis manavit, *Honorem*, inquit, *huic generi non fuiſſe declarat oratio Catonis, in qua objecit, ut probrum, Marco Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxiſſet. duxerat autem conſul ille in Ætoliam, ut ſcimus, Ennium*. hanc autem Ciceronis ſententiam in libro de moribus approbat Cato ipſe, in quo, ut in libri decimi ſecundo capite recitat A. Gellius, erant hæc ſcripta: *Poeticæ arti honos non erat. ſi quis in ea re ſtudebat, aut ſeſe ad convivia applicabat, graſſator vocabatur.* Hoc modo ſcribarum generibus enumeratis, & ſimul eorum conditione patefacta; in eo, de quo quæritur, ecquid ſit veri, non difficile eſt videre. Nam certe Beroſum Beli ſacerdotem fuiſſe, Annio conceſſimus, & probavimus; qui ergo minus convenit, quam iis honoribus hominem ornamentum contaminare, ac ſacrum ſacerdotem inquinare, impoſito ei munere non modo vili, ſed etiam ſervili? ſunt iſta quidem non veriſimilia; & certe, quod res ipſa clamat, indecora. Habuerunt in Romana republica Pontifices ſcribas, quorum opera utebantur; habuerunt Ægyptii ſacerdotes; habuerunt, opinor, etiam Chaldæi. ipſos vero Pontifices, & ſacerdotes, ſcribarum functos officio putare, atque in eorum ordinem redigere, meo quidem animo, prorſus deſipere eſt. Sed Romæ Pontifices uti ſcribis ſolitos, quoniam quidem non ſatis notum iis videtur, qui de hoc ordine multa collegerunt, nos ex L. Caſſii Heminæ, ſcriptoris antiquiſſimi, annalium libro quarto notum faciamus. Loquitur autem de Veſtalibus: *Scriba*, inquit, *Pontificius, qui cum eabus ſtuprum fecerat*. atque hæc ex Priſciani libro ſeptimo aſſumimus. pari modo Ægyptiis ſacerdotibus apparuiſſe ſcribas, in Bibliothecæ libro primo atteſtatur Diodorus. Inſpicienti enim exta Ægyptio Regi, & litanti præſto aderat ſcriba ſacrorum, (hierogrammatea vocat, quod munus geſſiſſe Moſen, in primo contra Appionem putat Chæremon) qui clarorum virorum conſilia, & res geſtas ad Regis utilitatem ex libris ſacris recitaret. Quod ſi Chaldæorum ordo Babylone, quod idem tradidit, ad ſimilitudinem Ægypti ſacerdotum inſtitutus erat, atque ordinatus; Ægyptios autem ſacerdotes ſcribis uſos fuiſſe, pro certo habemus; profecto, ut eoſdem Chaldæis quoque miniſtros, ac ſervos præbeamus, rationi contentaneum videtur. ergo ſi eſt ita, occurret mihi Annius: *Chaldæi ſacerdotes ſcribæ fuerunt*. ridiculum. cur non hoc modo herus, & ſervus; magiſtratus, & is, qui magiſtratui operas dat, miniſter, ſit idem? longe diſtincta ſunt hæc inter ſe, tum conditione, tum præcipue officio, ac munere: id quod nemo non videt. Ex quibus manifeſto cernitur, neque notarium, neque ſcribam fuiſſe Beroſum ſacerdotem: contra quam Annius crediderit. Unum etiam ſupereſt, ut, & quando natus, & quandiu vixerit Beroſus, dicatur. Nam, quæ hac de re tradit Annius, uti quæ ex hiſtoria mendaci petita ſint, levi admodum conjectura, qua nihil incertius, nituntur. qua tempeſtate igitur in Perſas Magnus Alexander imperium tenuit, natus eſt Beroſus. Is ad Antiochum uſque, qui in Syria poſt

Alexan-

Alexandrum regnavit tertius, processit ætate. ad quem res gestas Assyriæ regum, in tria volumina distributas, misit muneri. quæ quidem ita se habere, Assyrii Tatiani, Berosi popularis scilicet, ex oratione ad Græcos, verba hæc aperte declarant: *Berosus*, inquit, *homo Babylonius, Beli apud eos sacerdos, natus Alexandri tempore, Antiocho post illum tertio de rebus Chaldæis historiam, digestam tribus libris, misit. & , expositis regum gestis, de quodam eorum narrat, nomine Nabuchodonosor, qui Phœnicibus, & Judæis bellum intulit*. Ex quibus Tatiani verbis, quæ de Græcis ipse verbum e verbo expressi, perspicue liquet, & natum Berosum, Alexandro in Persis dominante, & ad Antiochum usque regem, qui Alexandro tertius successit, vitam perduxisse. Quapropter ante dominatum Alexandri floruisse Berosum, non vere judicat Annius: siquidem natus est non ante dominatum, sed in ipso Alexandri dominatu. Ex quibus, Berosum pervenisse ad annos septuaginta, & eo amplius, licet, conjici. Nam, si Berosus natus est, Alexandro dominante; Alexandri vero dominatus (in eo enim T. Livius libro octavo, & A. Gellius in decimo septimo una mente consentiunt) in annum urbis conditæ quadringentesimum tertium incurrit; Berosum esse natum iisdem quoque temporibus profecto oportet. Ut autem hoc certum est, sic & illud minime dubium, ut ex Tatiano docui prius; Berosum eundem ætate Antiochi, ejus, qui & post Alexandrum in Syria tertius regnavit, & ad quem Chaldæam historiam scripsit Berosus, vitam egisse. Atqui Antiochus hic, de quo loquimur, Eusebio teste, olympiade centesima vicesima nona Syriæ imperavit. quo tempore ipso belli fuit initium primi contra Pœnos: idque Polybius, & Dionysius in primo historiarum libro comprobant. Belli autem primi contra Pœnos initium anno conditæ urbis quadringentesimo & nonagesimo factum est, ut inter omnes convenit. quapropter Berosum item quadringentesimo nonagesimo post Romam conditam anno vixisse, rationi consentaneum est. Ad hæc cum natus sit Berosus, urbis conditæ anno quadringentesimo decimo tertio, quemadmodum initio posui; ab hoc autem anno CDXIII. ad quadringentesimum nonagesimum numerentur anni septem & septuaginta; verisimile est Berosum ad annos circiter septem & septuaginta vitam perduxisse. in hoc enim sic est dicendum; quod diem Berosi natalem, & quando mortem obierit, certo nescimus. & in annorum numero scriptores inter se nonnihil variant, nec, si cura quanta maxima possis, annorum rationem ineas, quadrabit omnino summa. Sed de hoc alias: redeo ad Berosum. Is Babylonius fuit, natus Magno Alexandro Persarum imperium obtinente. Beli sacerdos idem, idem Astronomiæ peritissimus, & ex syderum observatione vates optimus, in insula, & civitate Coo Græcos disciplinam hujusmodi primus omnium publice docuit. libros de Astronomia, & Chaldæorum philosophia, ut in primo contra Appionem Josephus est auctor, itemque de rebus gestis Assyriæ regum libros tres Græce scriptos edidit; de quibus non ita multo post dicam uberius. ad annos circiter septem & septuaginta vixit, in Syria regnante Antiocho, ab Alexandri Magni interitu, rege tertio, quem Græci Theon vocarunt. Cumanam Sibyllam, sunt, qui Berosi hujus filiam fuisse existiment: in quo est Justinus philosophus, & martyr Palæstinus in ea oratione, qua Græcos ad verum dei cultum cohortatur, quod idem in libro de Sibyllis Panvinio, homini antiquitatis bene perito, placere animadverti. Sed hoc, quantum video ipse, non est, ut fieri possit ullo pacto. Nam, si Babylonia Sibylla, quæ quia Cumis in Campania vaticinabatur, ea re Cumana est dicta,

A illa est, ut Julius Solinus memoriæ prodidit, quæ L. Tarquinio (Prisco-ne, an Superbo regi, ad rem parum interest; alterutri certe dedit:) libros fatidicos vendidit; Cumanam Sibyllam oportet vixisse post Romam conditam anno vel centesimo quadragesimo, vel ducentesimo vicesimo, si M. Varronis annorum summam sequimur. At Berosus, historiæ Chaldaicæ conditor, post Romam conditam anno quadringentesimo tertio decimo natus est: qua ætate, exactis regibus, Romæ creabantur consules, ut docui antea. Convincit ergo veritas, Berosum, qui res gestas Assyriæ regum tribus libris complexus fuerat, annos amplius ducentos, post Cumanæ Sibyl-
B læ mortem, ortum habuisse. quapropter non fieri potest, ut, qui Chaldæam historiam scripsit Berosus, Cumanam Sibyllam produxerit. Errorem hunc tantum creat nominis similitudo. Nam certe Sibylla Babylonia ex patre nata est Beroso, ut & in collectaneis Suidas, & in Phocicis Pausanias tradidit. itaque quod Sibylla genita est Beroso Babylonio, Babylonius vero Berosus est historiarum scriptor, ideo ut Cumana Sibylla Berosi filia sit, ejus, qui scripsit historias, confici crediderunt. Sed falso mehercule. ex tali enim argumentatione nihil unquam necessario infertur. cujus rei caussam expo-
C nere, non est hujus loci. dicendum tamen omnes quotquot Babylone Berosi nomen tulerunt, neque vixisse una ætate, neque fuisse historicos. Sibyllæ quidem pater Berosus ante bellum Trojanum erat in vita, ut Suidas narrat. qui vero historias conscripsit Berosus, multis etiam sæculis, nedum annis, post id bellum, tot annis post Romam conditam, quot docui, natus in terris vitam egit. patria igitur fuit eadem, nomen idem, ætatis tempus, & studium in utroque Beroso dispar. Sed hac super re nimis. Ad libros enim, quorum gratia superior omnis oratio habita est, jam tandem ut abeam, res ipsa postulat. Eorum igitur inscriptionem
D primo, deinde numerum, post autem scribendi genus, postremo subjectam materiem, datis in res singulas testibus incorruptis ex antiquorum auctoritate, ac fide gravi & certa, considerabimus. quæ opera istos, qui Berosi nomine feruntur libri, illius non veros esse, sed subditicios, dilucide patefaciet. Omnium igitur prima sit inscriptio. Ea vero est ejusmodi. *Defloratio Chaldaica*: quæ dimidia ex parte falsa est, & commenticia. Nulla est enim apud antiquos defloratio. Ex quibus qui Berosi meminerunt, quod hactenus invenerim, ejus volumina historiæ Chaldaicæ, aut alio, quod idem va-
E leat, nomine semper appellant. Justinus martyr, atque philosophus, de vero dei cultu scribens ad Græcos, Sibyllam, quæ Cumis oracula olim edidit, Berosi filiam fuisse narrat, *ejus*, inquit, *qui Chaldaicam historiam conscripsit*. Item in primo antiquitatis Judaicæ Flavius Josephus in extremo capite quarto: *Berosus*, inquit, *qui Chaldaica collegit*. Græce sic habet, Βηρώσσος ὁ τὰ Χαλδαϊκὰ συναγαγών· hunc quoque locum ementitur Annius, nihil veritus in eo deflorationis fieri mentionem comminisci. Assyrius etiam Tatianus ad Græcos scribens in extrema libri parte, *Berosus homo Babylonius*, inquit, *qui Chaldæorum historiam scripsit*. & divus Hieronymus in commentario ad Danie-
F lem prophetam, de Sennacheribo rege Assyriorum hæc dicit, non eum esse Nabuchodonosoris filium, ut vulgo legentes arbitrantur, *sed juxta Berosum, qui Chaldæam scripsit historiam*: & quæ post sequuntur. Athenæus postremo in libro quarto decimo Dipnosophistarum, *Berosus*, inquit, *in Babyloniacis*: quod nomen vim eandem habet. Chaldæi namque Babylonii, & Assyrii, aliis atque aliis vocibus, iidem populi sunt, ut supra memoravimus. Nova ergo est, & ficta inscriptio, quantum ex his, quæ modo dixi, liquet: ut quam

probati auctores, Berosi libros qui non ignorarunt, taciti praeterierint. Ne numerus quidem librorum Berosi, (numerum enim secundo loco posui) quem Annius protulit primus, cum eorum numero, quos scripserat antiquior Berosus, convenit. Nam subditicii hujus Berosi, qui extat, quinque sunt libri, ita breves, quinto excepto, ut indigni sint, qui librorum nomine ab erudito quopiam vocentur. At historiarum a Beroso scriptarum libros tres solummodo commemorat antiquitas: ut vel ex hoc uno maxime, quos nunc in manu vulgus tenet, a veteribus Berosi libris esse admodum diversos manifesto appareat, ac primi libri meminit in quarto decimo Athenaeus his verbis: *Berosus autem in primo*, inquit, *Babyloniacorum*. Ex ejusdem libro tertio caput recitat Flavius Josephus in primo adversus grammaticum Appionem, quod antequam adscribat, de Beroso haec loquitur: ***Ita enim Berosus narrat in tertio***. Tres vero historiarum libros confecisse Berosum testatur in Protreptico Clemens Alexandrinus, qui de Persis, & Medis, & Magis ignem, & aquam, ut Deos, colentibus quodam tempore, cum scriberet: *Multis tamen*, inquit, *postea decursis annorum curriculis, eos imagine hominum formae similes coluisse ostendit Berosus in tertio Chaldaicorum*. Ejusdem numeri etiam Assyrius Tatianus, scriptor vetus, in oratione ad Graecos fidem facit. Ejus verba Latine conversa quamquam antea proposuerim; tamen ad probationis firmitatem, infra iterum subjicere non gravabor: *Berosus*, inquit, *homo Babylonius, sacerdos apud eos Beli, Alexandri aetate natus, Antiocho, qui post illum regnavit tertius, Chaldaeorum historiam, in tres libros collatam, misit. hos eosdem longo intervallo post Juba Mauritaniae Rex, quem in C. Caesaris vita Plutarchus inter doctissimos Graecorum numerat (Graece enim historias homo Afer texuit) ad duo volumina redegit*. Cum igitur Berosi historiarum veri libri, ab antiquis, & bonis auctoribus laudati, tres sint tantummodo; qui autem tenentur hodie, sint quinque, non tres, necesse est, ut qui hoc tempore extant attributi Beroso libri, non ejus sint veri libri. Venio ad dicendi genus, de quo ex instituto nunc dicam. *Brevis est*, ait Annius, *narratio, cujusmodi scriptores ad orientem uti consuerunt*. qui sunt ergo scriptores ad orientem, quos cum edicere deberes, subdole reticuisti? Non tibi veniunt in mentem Herodoti, non Dionysii, quae te certo scio lectitasse, historiarum volumina? Horum uterque est Halicarnasseus e Caria, hoc est Asiaticus. Uter tandem istorum narratione tua brevi utitur? neuter profecto. quin contra potius copiosissima, & ornatissima est utriusque oratio. quod idem de Theopompo Chio, & Ephoro Cumaeo verissime possumus affirmare. nam, & si eorum scripta, quod jamdiu non comparent, ideo periisse existimentur; tamen M. Cicero, Dionysius, M. Fabius testes locupletissimi sunt, atque certissimi, nuda & concisa brevitate repudiata, in conscribenda historia, ambos cum orationis nitore, & copia, tum omnibus dicendi ornamentis abundasse. Quo in numero etiam Syros repono, ut Josephum Judaeum, Theophilum Antiochensem, Lucianum Samosatensem, Tatianum Assyrium; scripta quorum longe absunt ab hac inornata brevitate. Adde quod Berosus ipse, quantum video, genus hoc abjectum vitavit. nam ex illius Chaldaicis duo capita in primo adversus Appionem ponit Josephus, cum Berosi hujus narratiunculis, rebus, & verbis tantam habentia dissimilitudinem, ut, qui utrumque opus inspexerit, ea ex alia atque alia exisse officina facillime internoscat. In orientis ergo partibus nec Asiatici, nec Syri genus hoc scribendi humile, ac jejunum frequentant. Nam brevis narratio, quam in Beroso suo probat Annius, non est historici propria, sed ei cum

A oratore, qui & ipse breviter, ac dilucide narrat, communis. nostrae igitur partes isto loco sunt quaerendi aliquid privatius: quod quidem satis commodo fiet, hinc sumpto initio. Cum enim tria numerent, qui Latina verba curant, historiam, annales, ephemeridem, libros Berosi Anniani in uno aliquo ex his tribus censeri necesse est. Atque hi quidem libri non sunt historiae. nam in historiis non modo res gesta exponitur, sed per quem, quo consilio, quo modo, ubi, quo tempore, non sine benefactorum laude, ac vituperatione malefactorum. quae si non omnia, maximam certe partem a Beroso praetermitti, vel Annii ipsius permissu, qui non historias, sed excerpta ex eis, tanquam ab eo, qui flosculos carperet, aequo animo agnoscimus. Restat ergo alterutrum, ut hi libri sint vel ephemerides, vel annales. In ephemeride per dies singulos res gestae scribuntur. Eam diarium in primo libro rerum gestarum Sempronius Asellio interpretatur. Cum vero per annos, quae gesta sunt, digeruntur; ejusmodi opus, annales vocant. Id autem duobus modis potest effici, aut ornate, quemadmodum in historiis; itaque etiam historiae erunt annales: aut inornate, hoc est, ut quid factum, & quo anno factum quidque sit, nullo ornatu demonstretur, quo in genere Anniani Berosi libri sine controversia collocandi sunt. Tales scriptiones in libro de conscribenda historia nudos commentarios appellat Lucianus, quos gregarius miles, vel militis servus, vel lixa, quivis unus, modo in exercitu fuerit, queat conficere. Et Sempronius Asellio, qui hanc scribendi rationem sequerentur, eos non historias scribere, sed pueris ajebat fabulas praedicare. atque haec quidem hactenus. Quale autem fuerit trium Berosi librorum argumentum, multa sunt, ex quibus potest perspici. Primum omnium est inscriptio. Ea cum plena est, ut fere fieri solet, materiem universam, ut Ilias bellum ad Trojam gestum, vel ejus partem praecipuam, ut Aeneis Aeneae ducis personam notat, & designat. Cum igitur Berosi tres historiarum libri, Chaldaei, vel Chaldaici, & Babyloniaci inscriberentur; iique omnes, ut ante docui, sint Assyrii; cumque Assyrii regum imperio paruerint, Berosum tribus libris res gestas ab Assyriorum regibus complexum fuisse, maxime consentaneum est. Ad haec Tatianus Assyrius in Chaldaea historia Berosum testificatur, exposuisse quae ad reges pertinerent. Postremo, quae apud Josephum Berosus loquitur in primo contra Appionem, ita se rem habere, ut dico, plane confirmant. nam tribus historiarum libris Berosus a Cataclysmo, quem *aquosam cladem*, & *inundationem terrarum*, Julius Solinus, alii, ut T. Lucretius *diluviem*, Vergilius *diluvium* vocant, Regum Assyriae historiam exorsus, ejus perpetuam narrationem ad usque Nabuchodonosorem, quem ipse nominat Abobassarum, ut Theophilus auctor est, deduxit. In Annii autem Beroso de rebus Assyriorum pars est minima; de gentibus externis, & peregrinis multo maxima. Omitto dicere, quod ex Assyriae regibus sex & triginta, sexdecim tantummodo commemorat; qui reliqui erant viginti, silentio cunctos praeteriit. quod idem in regibus tredecim contigit; qui, amisso Mediae regno, Babylonii coepti sunt dici: de quibus in Annii Beroso litteram nullam reperias. horum tamen vitas summatim, item ut eorum sexdecim, supra quos ostendi, qui sunt omnino tres & triginta, Berosus noster, ille antiquior, tribus libris narravit: quod ex Josepho, referente Berosi ipsius verba, didicimus. De Berosi historia quae communiter dicerem, haec erant. Deinceps vero de libris ejusdem agam sigillatim. alia enim vetus, alia novus Annii Berosus narrat: cum tamen uterque in eodem versetur argumento. nam superior Berosus in primo libro Babylone dies festos quinque agi exposuit, Sa-

turnaliorum quadam ex parte similes, quæ Romanis celebrabantur. Atque hoc ita fieri consuevisse, in quarto decimo libro his, quæ subscripsi, verbis docuit Athenæus: *Berosus in primo de Babyloniacis, mensis Loi die sexto decimo, Babylone dies festos quinque, Saceas dictos, agi tradit. in quibus moris fuit, ut servi dominis imperarent, & in domum totam imperium teneret eorum unus, veste indutus regalis consimili, quem etiam Zoganem appellabant. Diei hujus festi etiam Ctesias in secundo de rebus Persicis meminit.* hæc Athenæus ex Beroso illo vetere; quæ a primo novi hujus ita absunt, ut ne in ceteris quidem quattuor, diei istius festi apud Babylonios ulla prorsus fiat mentio. quod eo magis mirandum est, quod Cnidius Ctesias, Herodoto inferior ætate, vetere Beroso antiquior, ut qui, Cyro juniore acie victo, ejusque exercitu maxima ex parte cæso, in eo prælio captus, Parysatidi Artaxerxis, regis Persarum, matri operas dedit, medici functus munere: de rebus Persarum libros tres & viginti; in primis sex Medorum, & Assyriorum res gestas complexus, conscriptos posteris reliquit. Extant ex eis excerpta, Græce divulgata. Tanti hunc fecit Diodorus, ut in secundo Bibliothecæ, de imperio Assyriorum scripturus, hunc quam Herodotum sequi maluerit. Quod autem festus dies Babyloniorum similis esset Saturnalibus Romanis, in Annalibus suis L. Attius poeta, simul & historicus, docuit his versibus.

Maxima pars Grajum Saturno, & maxime Athenæ
Conficiunt sacra, quæ Cronia esse iterantur ab illis.
Cumque diem celebrant, per agros urbesque fere omnes,
Exercent epulis læti, famulosque procurant
Quisque suos, nostrique itidem: & mos traditus illinc
Iste, ut cum dominis famuli tum epulentur ibidem.

Ad hæc veteris Berosi liber tertius, bellum magni Assyriorum regis, quem Nabuchodonosorem Judæi, Abobassarum vero sui vocant, illatum Phœnicibus, Syris, Ægyptiis, una cum illius victoriis, in quibus est Hierosolymorum expugnatio, & liberorum, ac nepotum successionibus usque ad Nabonedum continebat. quem Cyrus prælio fudit, ejusque regnum ab Assyriis in Persas, quibus imperabat, primus omnium transtulit. Hæc a Beroso vetere in tertio narrabantur, ut in ejus primo adversus Appionem verba declarant. quæ in libris Anniani Berosi, ut eos millies legas, nulla tamen uspiam invenies. quæ vetus haberet Berosus, novus non haberet, hactenus exposui: dehinc e contrario quæ novus iste habeat, vetus non habeat, eadem via explicabo. Igitur in hujus libro quinto legimus, Nino Assyriorum rege mortuo, uxorem Semiramim in ejus locum successisse; eam rei militaris scientia longe excelluisse; gentes multas devicisse; divitiis abundavisse; Babylonem urbem maximam condidisse; opera denique alia complura magnificentissime extruxisse. Hæc, ut dixi, tradit in quinto tanquam verissima, Annii Berosus. Atqui eadem ista antiquior Berosus in libro tertio, ut ficta & commenticia, redarguit. quam opinionem Berosi testimonio etsi confirmare, librorum illius ope destitutus, non queo; verbis tamen Josephi, hominis in historia doctissimo cuique probati, ne labatur & cadat, firme fulciam. Is in primo adversus Appionem, de iis cum ageret, quæ Berosus in tertio tractaverat, pauca hæc adjecit: *Hæc iste Berosus de prædicto rege, & multa præterea de rebus Chaldæis narravit, ubi de scriptoribus Græcis conqueritur, ut frustra opinantibus ab Assyria Semiramide Babylonem conditam, & opera mirabilia, quæ in ea sunt, ab illa extructa fuisse, falso scribentibus.* Hæc ex Josepho. nam in hoc Beroso alios item consentire vi-

A deo. Babylonem enim Medi filium fuisse ferunt, virum summa sapientia: qui Babylonis urbem annis mille octingentis, ut ait interpres Dionysii Eustathius, aut duobus millibus, ut est in libro Stephani de urbibus, condiderit; antequam Semiramis rerum potiretur. itaque auctorem sententiæ istius qui Berosum veterem opinabitur, meo quidem animo, non is a vero longe abibit. quod si creditur, ut credi par est, certe novum Annii Berosum, ab illo vetere omnino alium fuisse fateri oportet. Quod autem Annii Berosus in eodem quinto scribit, Celtis imperavisse Lugdum, a quo provincia Lugdunensis, & homines Lugdovici, &c, exempta littera, B Ludovici nomen traxerint; id cujusmodi sit cum cura videamus. est enim res ejusmodi, quæ patefacta, hos Annianos quinque libros (qua de re agitur) nullo modo esse veteris Berosi, planissime, ac firmissime demonstret. Occiso Cæsare in senatu a conjuratis anno insequenti in Gallia Cisalpina exortum est bellum inter Decimum Brutum proconsulem, & M. Antonium consulem. Mutinæ se tenebat Brutus. eam circumsidebat cum exercitu Antonius. quapropter cum Bruto obsesso timeret senatus, eique opem ferre magnopere vellet, præter illius anni duos consules, C. Pansam, & A. Hirtium ad C eum obsidione liberandum missos cum exercitu, etiam ex Transalpina Gallia M. Æmilium Lepidum, & L. Munatium Plancum, qui eam proconsf. cum exercitu tenebant, ad opem D. Bruto ferendam per literas evocavit. Sed, audita defectione M. Silani, qui præfectus M. Lepidi ad M. Antonium transierat, cum vereretur senatus, ne Lepidus ipse, unaque Plancus Silani perfidiam imitati scelus idem patrarent, seque cum Antonio conjungerent; ut in loco consisterent, nec se quoquam moverent, eis iterum mandaverat. de quo nihil ut suspicarentur, ex eoque aliquid mali facerent, jussit eos ab Allobrogibus Narbonensi Vienna ejectos cives, & inter D Rhodanum, & Ararim, qua confluunt, collocatos, ut in unam urbem cogerent. atque ita illi remorati, Lugdunum quidem tunc nominatum, nunc vero Lugdunum, condiderunt. Expressi hæc, postrema maxime ex Dionis libro historiarum sexto & quadragesimo, sic ut verbum verbo cum fide reddiderim. Sed Lugdunum a L. Planco ædificatum etiam in Chronico tradit Eusebius: *Munatius*, inquit, *Plancus, Ciceronis discipulus, orator habetur insignis: qui cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.* Item vetus inscriptio in rotunda æde prope Cajetam, quæ, ut ajunt, extat istiusmodi, idem approbat:

E
L. MUNATIUS L. F. L. N. L. PRON.
PLANCUS. COS. IMP. ITER. VII. VIR
EPULON. TRIUMPH. EX RÆTIS. ÆDEM SATURNI
FECIT. DE. MANUBIIS. AGROS DIVISIT. IN ITALIA
BENEVENTI. IN GALLIA. COLONIAS. DEDUXIT
LUGDUNUM. ET. RAURICUM

Quod vero ad Lugudunum attinet, ne quis mendosum putet Dionem, sunt argentei nummi, in quorum parte altera est Leonis signum, cum hac F voce, LUGUDUNI, quos Lugduni percussos a magistratibus Romanis existimo. Ut autem ita sentiam, facit in quarto de geographia Strabo, qua in parte caussam reddit, quamobrem Lugdunum, excepto Narbone, omnium Galliæ urbium maxime sit frequens, ac celebre. *Utuntur enim*, inquit, *mercatu, & hic argenteos, simul & aureos nummos signant Romani magistratus.* Atque hæc quidem superiora, quis Lugdunum condiderit, & quo tempore condiderit, docent planissime. Galliam enim Plancus Comatam, & Lepidus Narbonensem anno septingentesimo decimo post Romam conditam, iis provinciis præfecti

a C. Cæsare bellum in Parthos paranti, administrabant: in quo historiæ omnes, omnia antiquitatis monumenta sine varietate ulla inter se consentiunt. Huic igitur integro, & inviolato initio, quem habituri sumus, de Lugdunensi provincia sermonem attexamus. Gallia omnis dupliciter ab antiquis dividitur. primo namque alii, quos C. Cæsar sequitur, ejus tres partes faciunt, Aquitaniam, ab occasu quæ Pyrenæis montibus, ab ortu Garumna fluvio definitur; Celticam, quæ Romanis proprie Gallia est, & Garumna flumine, ac Rheno, itemque Oceano, & Alpibus, iis, unde Rhenus, & Rhodanus decurrit, continetur; & Belgicam ad Oceanum, & Rheni exitum sitam, in extrema Galliæ ora, Germanis finitimam. atque hæc quidem Galliæ tripartita divisio est antiquior. potitus enim rerum deinceps Augustus de eadem re fecit alio modo: ut qui quattuor in partes Galliam dispertiverit. nam tribus superioribus Galliæ partibus quartam Narbonensem adjecit, ei Celticæ quadam ex parte attributa. Celticæ autem reliqua assignavit Lugduno urbi, quam Celticæ partem, non ut ante Celticam, sed Lugdunensem ex urbis nomine dici voluit. Sunt autem hæc a Strabone philosopho in libro de geographia quarto sub ejus initium narrata his verbis: *Augustus vero Cæsar*, inquit, *divisa in quattuor partes Gallia, Celtas Narbonensis provinciæ fecit, Aquitanos eosdem, quos & pater illius, auctos tamen additis decem populis, ex iis, qui inter Garumnam, & Ligerim fluvium incolunt. Reliquam Galliæ partem bipartito divisam, unam usque ad superiores Rheni partes Lugduno, alteram Belgis assignavit*. Et aliquanto infra hunc locum eodem in libro quarto loquens de Celtica: *Hujus*, inquit, *regionis partes superiores, quæ sunt ad Rheni, & Rhodani fontes, usque ad medios fere campos, Lugduno subjectæ sunt*. quapropter ob hæc, quæ Strabo narrat, a Stephano in libro de urbibus, Lugdunum urbem, & Lugdunensem, provinciam esse Celtogalliæ non male scribi arbitror. quæ quidem omnia, & quis ex Celtica Gallia, Lugdunensem provinciam, & quando fecerit, ita patefaciunt luculenter, nihil ut fieri queat illustrius. profecto enim res gesta est ab imperatore Augusto Cæsare anno septingentesimo sexto post Romam conditam: id quod Dio in libro quinquagesimo tertio narrat uberius. Nunc, si tempora conditæ urbis Lugduni, potissimum autem provinciæ Lugdunensis constitutæ cum temporibus Berosi veteris conferantur, non fieri posse, ut ista Berosus noverit, perspicue probabitur. Cum enim Augustus Cæsar Imperii Romani provincias anno urbis conditæ septingentesimo vicesimo sexto ordinarit, ab hoc autem anno ad urbis conditæ annum quadringentesimum nonagesimum, quo vixisse Berosum supra docuimus, anni ducenti triginta sex exierint, ordinatam fuisse ab Augusto provinciam Lugdunensem, annis post Berosi mortem ducentis triginta sex, necesse est. ita effici oportet, ut Coloniæ, ac provinciæ Lugdunensis Berosus ne appellationes quidem tanto ante mortuus audierit. De quibus cum Annii Berosus meminerit, adulterinum eum, nedum mendosum esse, hoc uno quam maxime revincitur. De *Ludovico* autem, quod Annius una cum suo Beroso ait, nihilominus falsum est. nam ejus nominis quæ sit origo, sententia est duplex: quarum una conjectura probabili, altera historiæ fide nititur. Sunt qui Celticum, hoc est, Gallicum esse nomen putent; & eundem hodie *Ludovicum*, quem ipsorum lingua antiquitus *Litavicum*, Galli nominarunt. Credibilis est conjectura ob eam caussam præsertim, quod in commentariis belli Gallici libro septimo Litavicus Æduus, adolescens amplissima familia natus, a C. Cæsare celebratur. Alii a Francorum rege, Clodoveo, qui primo fuit Luduveus, Ludovicum, declinant: quod verius videtur. Nam Theoderici, regis Italiæ, in secundo & tertio Cassiodori variarum etiam nunc leguntur epistolæ, Clodoveo huic inscriptæ hoc modo: *Luduin*, vel, ut in libris vetustioribus inveniri ajunt, *Ludovico. regi. Francorum. Theodoricus rex*. quod cum ita se habeat, ab Italis Ludovicum, quem Clodoveum Franci vocant, haud dubie dici apparet. est igitur nomen Germanicum, cum Franci sint ex Germania. in nominibus vero hujusmodi præter consuetudinem Latini sermonis, liquidæ afflatum præponebant. hoc pacto enim hæc ab illis scribebantur. HLOTARIUS. HLUDUVEUS. HLUDUVICUS. Ac de tribus his, quod in extremo est nomen, in marmorea grandi tabula, quæ Mediolani est in Divi Ambrosii, sicuti proposui, ita insculptum esse animadverti:

Hic cubat æterni Hluduvicus Cæsar honoris,
Æquiparat cujus nulla Thalia decus.

Quapropter putare Ludovici nomen deduci a Lugdo, quemadmodum fecit Annius, & a probabili conjectura discedere est, & ab historiæ fide. nullum enim Lugdum in Gallia regnasse ullius certi auctoris testimonio comprobat: quinimo Gallos constat, antequam a C. Cæsare subigerentur armis, res publicas, annuo magistratu creato, optimatum consilio in pace gubernasse: similiterque belli gerendi curam uni mandasse, quem plebs ad eam rem designasset. nam de Gallorum civitatibus hæc extant in Strabonis quarto: *Pleræque Respublicæ erant*, inquit, *optimatum. Unum vero ducem creabant quotannis antiquitus. Eodem modo ad bellum unus dux a plebe creatur*. Nec multo secus mihi videtur Cæsar in sexto de bello Gallico sensisse de Gallorum moribus, cum dicit: *Cum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert: Magistratus, qui ei bello præsint, ut vitæ, necisque potestatem habeant, deliguntur. in pace nullus communis est magistratus; sed principes regionum, atque pagorum inter suos jus dicunt, controversiasque minuunt*. Optimates vero, de quibus loquitur Strabo, iidem sunt cum iis, quos Principes Cæsar nominat, illi videlicet, qui nobilitate, aut divitiis, aut potentia, & gratia, aut bellica virtute multitudinem superant. hæc sunt enim discrimina, quibus optimates a plebeiis hominibus in quarto de rep. & alibi secernit Aristoteles. quamobrem neque Berosus, neque illius interpres Annius, ullo modo audiendi sunt, cum in Gallia regnasse Lugdum confingunt, quem in terris nusquam gentium vixisse testificantur. itaque has ob res, easque præterea, quæ de inscriptione, ac numero librorum, & scribendi genere, subjecta denique materie communiter, & separatim de istis Anniani Berosi quinque libris dictæ sunt, non veros esse hos veteris Berosi libros, liquido potest perspici. quo sermone perfecto, nunc ad id aggredior de tribus antea propositis quod mihi restat tertium. id vero erat, ut in suscepti hujus muneris parte ultima, de rebus ageremus, quas ex istis novi Berosi libris scriptores aliquot nostra, patrumque memoria ad Italicæ historiæ claritatem obscurandam, sibi sumpserunt. Imperium in Italia tenuisse regem Italum in initio demonstravimus. hunc porro unus Annii Berosus narrat habuisse fratrem, Hesperum nomine, eventu prospero, simul & secunda Hispanorum voluntate in Hispania regnantem. ab eo etiam provinciæ nomen impositum addit Annius, ut non Hispania, sed a rege, quem illius nationes unice diligerent, Hesperia diceretur. Vinci se a fratre opibus, & amplitudine imperii cum iniquo animo ferret Italus, ad eum in Hispaniam statuit proficisci. quo cum pervenisset, fractum calamitatibus, ac præliis Hesperum inde ejecit. quare fratri cessit Hesperus, venit in Italiam, in eaque biennium regnavit; quo confecto, discessit e vita.

A Mortuo Hespero in Italiam iterum renavigasse Italum, relicto, qui in Hispania regnaret, filio Sicoro, fingit Annius, quem sequitur is, qui ea, quæ de Italo, ac Sicoro, reliquisque duobus & viginti regibus Hispaniæ commentus ante fuerat Annius, in historiam de rebus in Hispania gestis, Hispane conscriptam, de suo tamen quibusdam additis, tanquam mutuo sumpta transtulit. Appulsa primo ad Siciliam classe, & expositis militibus, qui, ut ajunt, Hispani erant, Italus quoque e navi egressus est. In insula commoratus aliquandiu, Hispanorum bonam partem ex iis, quos secum advexerat, militibus ibi reliquit: ipse cum exercitus parte reliqua in Italiam transmisit: B in qua quod reliquum vitæ fuit sine ulla belli turba, in tranquillitate summa vixit otiosus: qui in insula Hispani remanserant, ii non parvam illius partem, alioqui desertam, coluerunt domiciliis, atque oppidis. alii vero, quos una cum Italo transiisse in Italiam dictum est, procedente tempore, urbem Romam in Tiberis ripa, multo prius, quam Romulus nasceretur, omnium primi condiderunt. ex eo Romanos rerum dominos, spretis, contemptisque scriptoribus Latinis omnibus, Hispanos fuisse ab origine ultima asseverant. ista quidem Zamorensis Florianus a Viterbiensi Annio, Annius porro ab hoc Beroso, cujus est interpres, C &, quantum video, auctor, hauriunt. Itaque ex Berosi fonte, cujus est aqua turbidior, fabulam erratis turpibus inquinatam, ambo derivant. quam talem esse, qualem dico, ut pateat, hinc capiam initium. Regnasse in Italia quondam Italum regem, inter antiquos omnes omnino convenit. At Hesperum illi fratrem aliquando fuisse, ex eis qui narret, est nemo. Unus tamen Annii Berosus Itali fratrem Hesperum esse vult. & eundem in Hispania obtinuisse regnum, Mamiti, & Mancalei, Assyriæ regum, temporibus. atqui neque Eusebius in Chronicis, neque illius interpres, & amplificator divus Hieronymus, cum Assyriæ reges ad unum D omnes ex ordine notaverint, illorum cujusquam ætate vixisse Italum, & Hesperum memorant. Satis autem constat ex nono de præparatione Evangelica, Eusebium, & ex commentario in Danielem divum Hieronymum Berosi libros diligenter evolvisse. Unde igitur Annii Berosus, quæ alii nesciant, solus ista didicit? Ex Hygino, respondet Annius. scite mehercule, ut alia omnia. Verumtamen, Anni noster, scire te oportet C. Julium Hyginum Augusti Cæsaris libertum fuisse. quapropter annis ducentis & triginta post Berosi mortem vixisse Hyginum, necesse est. tot enim a Berosi morte ad E Augusti dominatum anni fluxerunt, ut supra ostendimus. Sed esto, dixerit hoc Hyginus. quonam igitur in opere? multa enim conscripsit. hic satis scio conticesces. non enim ille, qui, ut ita responderes, te docuit, Hygini opus aliquod nominat. ille vero est commentarius Servii, mendis refertissimus. nam ex Æneidos primo, cum exponit illud: *Est locus, Hesperiam Graii cognomine dicunt;* totam hanc Anniani Berosi fabulam ex Hygino refert. etenim in his, quæ extant, Hygini fabulis, & in Apollodori bibliotheca, de Hespero, Ceycis ejus fratre, qui naufragio periit, fit sane mentio. sed ita ut nec regem, nec Itali, vel Atlantis fratrem illum fuisse F neuter dicat. quod si quis etiam concedat ab Hygino dici, faciet inepte, &, nisi quid me fallit, parum proficiet. Virgilianus enim versus vehementer eum refutabit. nimis enim aperte cum ait Virgilius, Hesperiam Graii cognomine dicunt, Italiæ regionem Hesperiam a Græcis ostendit appellari. quam Virgilii sententiam in primo Romanarum antiquitatum affirmat Dionysius. ante adventum enim Herculis in Italiam, eam regionem Hesperiam, & Ausoniam Græcos docet nuncupasse. hoc pacto namque Dionysius; *Temporibus vero superioribus, hoc est, ante adventum Herculis, eam Græci Hesperiam, & Ausoniam vocabant: Indigenæ vero Saturniam: ut dixi prius.* quibus cum ea, quæ Stephanus Byzantius in libro de urbibus prodidit, maxime congruunt. Inibi enim, quænam sit ejus significatio, cum declarat: *Hesperia*, inquit, *Occasus, & pars occidentalis. popularis, Hesperius, & Hesperiota, & Hesperites, qui est Occidentalis, ab Hespera, occasu.* Est igitur, ut Virgilio recte placuit, Hesperia vox Græca: cujus origo non ab Hispanis hominibus, ut Annius, aliique illum secuti somniant: sed a Græcis, qui terrarum oras, qui in ipsorum comparatione occidentem solum spectant, hoc nomine signarunt, debet repeti. Nec ab istis Horatii interpres perantiquus (vixit enim multo ante Priscianum, & Charisium) longe discedit: Nam in primo carminum, ubi Horatius cecinit: *Qui nunc Hesperia sospes ab ultima;* ibi Helenius Acron subjecit, hæc *Hispaniam dixit. Hesperia autem ab Hespero dicta, quasi in Occidentali plaga.* Sed omissa regis Hesperi fabula, ad Italum denuo revertamur. Qui profectum ex Italia in Hispaniam Italum contendunt, ab his quærendum, eo ne duxerit, transportaritve exercitum, an ierit Dux sine exercitu. Nam, si nullum habuit, quomodo dimicavit cum hoste? quomodo eum fudit, fugavit, ex Hispania expulit? neque enim res tantas sine exercitu firmo, & florenti, credibile est, geri potuisse. qui si ex Italia exercitum pedibus duxit, aut classe portavit in Hispaniam, exercitum certe illum ex Italicis hominibus constituisse, necesse est. Itaque eundem si reduxit, aut reportavit, & Siciliam excultam, & Romam conditam non ab Hispanis, sed ab Italis fuisse prorsus est verisimillimum: nisi siquis dicat, statim ut Hispaniam perventum sit, milites Italos suam imaginem perdidisse, alienam cepisse, Hispanorum veneficiis, & cantionibus immutatos. Sed quid ego argumenter subtilius? Hesperus rex, fictus est, ludus est, ut ante docui: Itaque caussæ nihil fuit, cur propter eum in Hispaniam proficisceretur Italus: qui domi semper mansit, pedem quoquam non extulit, in Italia vixit, in eadem senex mortuus est. Narravit hæc Syracusanus Antiochus, scriptor omnium antiquissimus. Ab illo accepta iteravit eadem Aristoteles, Strabo, & Dionysius. quorum narrationi multo major haberi debet fides, quam unius Servii commentario. Sicorum autem ex Italo natum fuisse regem, quod scribit Annius, æque ac bellum in Hispania gestum ab Italo, a commenti suspicione non longe abesse putandum est, nullam enim ex antiquorum annalibus (Annii Berosum minime numero) Sicori ullius regis mentionem faciunt. Italum namque sine liberis decessisse idonei sunt auctores, iidem illi, quos modo supra nominavi. qua re una etiam si Annii mendacium manifesto potest coargui; videamus tamen unde istum terræ filium regem, silentio quidem ab antiquis, quorum maxima est auctoritas, præteritum eruat; & ad ejus usque tempora in recessu abditum producat in oras luminis, ut ait Ennius. Lingua Ægyptiorum sacra ὑκ, hoc est, *Hyc*, syllabam habuit, cujus aspirationem ad exemplum Græcarum, ἕξ, *sex*, & ὗς, *sus*, in *syc*, vel Annius ipse, vel nescio quis alius convertit, more Latinis usitato. hæc vero syllaba duo significat, vel Regem, vel Captivum, quemadmodum in Manethonis historia legisse se in primo adversus Appionem Josephus refert. Et quoniam in Sicori, Sicano, Siculo, syllabam Ægyptiæ similem animadvertit, quod simile erat quadam ex parte, id ex toto esse idem Annius voluit sane licenter. Itaque ideo Sycorim vel Sycorum, ut inusitate, ac barbare scribit Annius, regem Orum, Sicanum, regem Anum, Siculum, regem Ulum, historiæ veteri per jocum illudens, ludendus ipse interpreta-

tur. Ex eo Hispaniæ, Orum, Anum, Ulum alium ex alio regem præfecit. atque hic quidem est Hispaniæ regis Sicori, qui quærebatur, exortus. De quo pauca quæ dicam, habeo. Primum igitur cum ad Latinos transit aspiratio, non verum est eam in (s) mutari semper. ei rei argumento sunt, Hesperia, Hilarus, Hippolytus, Hymnus, alia sexcenta, in quibus Græcam aspirationem, nulla mutatione facta, conservant Latini. Quapropter in Ægyptia syllaba, *Hyc*, afflatum in (*s*) verti minime necessarium est. qui si maneat, sequitur, ut Ægyptia vox, in Sicori, Sicano, Siculo loci nihil habeat. Ad hæc Ægyptiam vocem per *y* tenue Græci scribunt. at Sicorim, Sicanum, Siculum per iota, quemadmodum Latini faciunt. quocirca in tribus his nominibus syllaba prior ab Ægyptia alia est iota, ut quæ ex duabus diversis omnino litterulis componatur. itaque horum nemo his de caussis rex erit appellandus. postremo etiam si detur, his nominibus vocem inesse Ægyptiam, quod Annius suo sibi jure sumit, ne sic quidem ex his tribus unum aliquem fuisse regem necessario inferatur. nam duo sunt, quæ vox ostendit Ægyptia; primo Regem; deinde, quod Josepho probabilius videtur, Captivum. Si quis in istis vocabulis syllabam priorem indicare, Captivum, contendat; ut Sicoris sit captivus Oris, Si canus captivus Anus, Siculus captivus Ulus, quibus argumentis contra pugnabimus? nullis prorsus, ut opinor. certe enim nulla extat, quæ nobis opituletur, historia. Sed Annius in eo fuit totus, ut ex syllabis reges, ex præcisis dictionibus homines procrearet. cum tamen hominem ex homine, equum ex equo, canem ex cane gigni appareat. Quod ajunt Italum una cum Siculis ex Hispania in Siciliam, inde in Italiam revectis Romam condidisse omnium primos, in eo longe admodum a vero aberrant. Falsam enim hanc opinionem, de Italo quæ supra dixi, apertissime refellunt. neque enim in Hispania fuisse Italum, neque in ea bellum gessisse, neque vero ex ea Siculos in Siciliam, & Italiam portasse, unquam auctor idoneus quisquam ex antiquioribus memoriæ prodidit. hæc quidem, ut modo monui, diximus antea. Nunc hoc amplius explicetur, non licuisse Italo cum suis militibus, undecunque illi tandem fuerint, ædificare urbem Romam in Latio. nam nec Latium, ubi est Roma, regnante Italo, erat in Italia, nec ejus regis imperio temporibus illis Tiberis accolæ parebant. Atque hæc ita se habere, quam apertissime potero, infra patefaciam. Vetus Italiæ regio intra Isthmum continetur, quem duo sinus efficiunt, quorum alter est Scylleticus, alter autem Vibonensis. Ea vero ad fretum usque Siculum pertinet. Romanis temporibus habitatores Bruttios habuit, quos hodie Calabros vocamus. Ante hos longo sane intervallo, Oenotri primo, post Itali, aliis atque aliis nominibus eædem gentes, adeoque ipsa regio, Oenotria, & Italia, quemadmodum Oenotri, & Itali ab regibus Oenotro, & Italo nomen tulerunt. Definitam his terminis regionem Oenotriam esse & Italiam, ab Oenotris, atque Italis habitatam, in qua Italus regnaverit, demonstremus, testimonio ejus, qui, ut ait Lucretius, *humanum genus ingenio superavit*. Est vero is Aristoteles, in cujus septimo de Republica, ex Antiochi libro assumpta hæc leguntur: *Ajunt enim diserti homines, qui illic habitant, Italum quendam fuisse, regem Oenotriæ; a quo, nomine mutato, Italos pro Oenotris esse appellatos: atque oram hanc Europæ adeptam nomen Italiæ, quæcumque intra Sinum Scylleticum est, & Lameticum. distant enim hi sinus inter se dimidii diei itinere*. Ex his verbis Aristotilem manifesto cognoscimus, similiter atque ego feci paullo ante, & Italiam inter eosdem sinus, Scylleticum, ac Vibonensem, quem Lameticum vocant, & easdem in ea gentes, Oenotros, atque Italos, collocasse; & regem illis præposuisse Italum: quæ si vera sunt, & Tiberim, & Romam, & Latium, fateri omnino necesse est, intra fines veteris hujus Italiæ, in qua regnavit Italus, nullo modo contineri. Veteris Italiæ terminos, quibus eam definivit Aristoteles, ab eo sumptos ex Antiochi libro fuisse, non sine caussa dixi. Etenim Antiochum ipsum ita sensisse scriptum in sexto de geographia Strabo reliquit, qui Italiam hanc, de qua loquor, verbis describit hujusmodi: *Ad hæc autem antiquitus Oenotros, simul & Italos solos ait dici eos, qui sunt intra Isthmum ad fretum Siculum pertinentes. Est autem Isthmus ipse centum sexaginta stadia, inter duos sinus, Scylleticum, & Vibonensem, quem Napetinum Antiochus nominavit*. Hæc, & alia item complura ex Antiochi libro de Italia singulari, Strabo recitat. in quibus Aristoteli perspicue consentit Antiochus. etenim eam regionem inter duos sinus reponit, quorum alter Scylleticus, alter est Napetinus, quem Vibonensem interpretatur Strabo. ab Antiocho tamen dissentiens Aristoteles sinum eundem Lameticum appellat. quorum utrumque bene habet, cum ab sinus illius maritimis oppidis duo hæc nomina deducantur. argumento sunt incisa in antiquo lapide verba, quorum copiam Joannes Vincentius Pinellus, vir humanissimus, idemque longe doctissimus, mihi non ita pridem fecit. ea vero sunt hæc, quæ infra subscripsi;

EX AUCTORITATE

IMPERATORIS. CÆSARIS. DIVI. NERVÆ. FIL
NERVÆ. TRAJANI. AUG. GERMA
NICI. DACICI. PARTHICI. PONTIFI
CIS. MAXIMI. TRIBUNIC. POTEST. V.
COS. V. P. P. CURAT. VIARUM
L. LICINIUS C. F. SURA. IIII. VIR. IT
M. JULIUS. M. F. FRONTO. IIII. VIR.
T. LÆLIUS. Q. F. COCCEIANUS. IIII. VIR.
SEX. FLAVIUS. L. F. FALTO. IIII. VIR.
CIPP. TERM.
VIAM TRAJAN -- BRUTT
SALENTIN -- PUBL --
BRUTTIEI. SALENTINEI. OPPIDA --
NAPETINEI. HIPPONIATEI --
RHEGINEI. SCYLLAC -- -
LAOMETICEI. TERINAEI. TEMSA
NEI. LOCREN -- THURIAT
CUR -- MILL. P. --
-- CC --

Laometici, vel Lametici, quod idem valere opinor, sine dubio nomen est oppidi, ut ex verbo, OPPIDA, apparet, cujus postremam syllabam rerum edax tempus absumsit. Assentior enim Pyrrho Ligorio, omnis antiquitatis peritissimo, qui OPPIDATIM, inscriptum lapidi olim fuisse conjecit, hoc etiam oppidum a Stephano Lametini dicitur: idque nomen a Lameto fluvio, quem etiam nunc Lamatum vocant accolæ, declinari tradit. is in Antonini itinerario, fluvius Sabbatus, mendose, nisi me animus fallit, scribitur. Sinus ergo Lameticus vel ab oppido, vel fluvio, vel ab utroque Aristoteli dictus est. Barrius, situm Calabriæ magna cum cura qui describit, ab urbe Lametia sinum Lameticum nomen habuisse censet, affirmat id, quod dicit, duorum testium fide; e quibus unus est Stephanus Byzantius, alter autem Lycophron poeta obscurior. in quo, si Græce scit, bona ejus venia dixerim, nos decipit; sin autem nescit, ipse decipitur; neque enim in Stephani verbis Lametiæ urbis ulla est omnino mentio. scribit enim ille pauca hæc ad verbum expressa: *Lametini*, inquit, *urbs a Lameto flumine, quod labitur prope Crotonem. Hecatæus in Europa. A flumine autem Lameto, Lametini. Civis, Lametinus*. hæc Stephani sunt. in quibus neque Lametia urbs,

neque Oenotri, aliter atque narrat Barrius, nominantur. apud Lycophronem vero Alexandra fore vaticinatur, ut Pelasgi, ad Italiæ littora ejecti, supra Tyrrhenum vadum, hoc est, mare, in Lametiis vorticibus Lucanorum campos habitent. ad quem locum Græcus interpres Isacius Lametios vortices, hoc est, aquas fluminis in se contortas, & circumactas, id quod de Lameto flumine vere accipiendum erat, ex nescio cujus Philogenis sententia ad Lametum urbem, quæ nulla est usquam gentium, falso refert. in quo etsi peccet Isacius, urbem tamen Lametiam, qui erat error alter, nullam agnoscit. quare teneamus illud, a Lameto, & Lameticis, vel Lametinis, id est a flumine, & oppido, sinum Lameticum nomen invenisse. Sed redeo ad institutum. quin autem sinum illum Antiochus Napetinum appellaverit, dubitari minime debet, cum eundem hoc ipso vocet nomine, in primo Romanarum antiquitatum Dionisii. ergo inter eosdem sinus regionem locat Antiochus, intra quos & Aristoteles; & Isthmi intervallum tantum esse tradit, quantum videtur Aristoteli. stadia enim centum sexaginta, millia passuum viginti efficiunt; quæ sunt dimidiati unius diei iter, ut recte Aristoteles dimetitur. Ipsum vero stadium octava pæne pars est milliarii unius; quod in vita Gracchorum Plutarchus docet. Convenit etiam Aristoteli cum Antiocho, quod Oenotros, & Italos in Italia sedes habuisse uterque narrat. Sed Antiochus tamen hoc amplius, quod & ad Siculum fretum producit Italiam, & Oenotros, atque Italos solos, qui in ea regione consederunt, dicit appellari. quam certe sententiam non longe ab eo loco etiam Strabo approbat: *Oenotriam*, inquit, *usque ad ejus extrema transcurrimus; quam solam antiqui Italia nominabant*. quod idem facit in primo Dionysius, cum ait: *Morgete in Italia regnante, erat Italia tunc a Tarento Vibonem usque ora maritima*. quæ res non leve momentum habet ad ea, quæ dicebam paullo ante, confirmanda. Si est enim, ut Itali antiquitus, hoc est, Italo rege vivo, & successore illius Morgete, fuerint illi solummodo, qui intra Isthmum ab utroque latere clausum Vibonensi, & Sylletico sinu, sine dubio oportet Tiberis accolas omnes, nedum Romanos, extra veterem Italiam transferre. ex quo ne Italum quidem cum suis militibus ad Tiberis ripas potuisse Romam condere, non modo aperte, verum etiam necessario convincitur. Quod dicunt, Romam multo ante Romulum conditam, non sunt reprehendendi. quod addunt hanc eam esse Romam, septem quæ una sibi muro circumdedit arces, faciunt imperite. Nam de Roma duo quæri solent: quorum alterum est in re, in tempore alterum. In re quærunt quis condiderit; in tempore, quo anno sit condita. in utroque magna varietas est & dissensio. Sententias enim iis de rebus, octo Plutarchus, decem Sextus Pompejus, duodecim habet Dionysius. scriptorum tamen tum Latinorum, tum Græcorum pars maxima eo inclinat, urbem Romam, cujus perillustris fuit dominatus, Romulum, Iliæ filium, condidisse. Neque vero in tanta scribentium vel turba, vel copia invenias, qui de ædificatoribus Romæ Hispanis litteram ullam scripserit. Atqui Annius, quem sequuntur alii quidam Historici, ante Romulum extitisse Romam urbem, Antiocho, & Plutarcho auctoribus, asseveratione omni affirmat. potest ferri hoc, sed hac lege, ut Italum, ejusque milites Hispanos ædificavisse Romam, veterem istam Antiochi dico, ea re nequaquam consequatur. quæ res fusius enarranda est, quo possit plane intelligi. Nam multo ante dominam gentium Romuli Romam, ut in monumentis antiquorum reperimus, non una modo fuit Roma, sed una & item altera. Ex quibus unam Ascanii frater, filius Æneæ Romus condidit, vocatam Romam ex ipsius conditoris nomine. Hanc au-

A tem per aliquot tempora desertam, inquit, Dionysius, rursum alius adventu coloniæ ab Albanis missæ, Romulo, & Remo ducibus, pristinum statum recuperasse. quapropter duas esse Romæ ædificationes, unam paullo post Trojanum bellum, alteram quindecim ætatibus posteriorem priore. Atque hæc in primo Romanarum antiquitatum ab Historicis Romanis accepta, narravit Dionysius. quæ cum istorum nova, & commenticia fabula parum apte cohærent. Nam hanc Romam Æneæ filius Romus condidit. non ergo Italus, aut Morges, ut falso garriunt. Ii enim ante adventum Æneæ in Italiam, ut initio exposui, seculis pæne innumerabilibus diem

B suum obierant. Nec videre igitur hanc Romam, nec ejus nomen audire potuit Morges, aut Italus. Neque vero Roma hæc est ab Hispanis condita. Trojanos enim, atque Aborigines, uno verbo Latinos, qui sub jure, & imperio Æneæ paullo ante Romum fuerant, ædificasse illam oportet. Ita enim ad verbum Dionysius in primo: *Alii ajunt, Ænea mortuo, Ascanium, omni accepto imperio, cum fratribus Romulo, ac Romo tum illud, tum regionem, & Latinorum vires tripartito divisisse. Ex his igitur tertiam partem regionis, & Latinorum habuisse Romum in sua potestate, quibus ad ædificationem Romæ uteretur, perspicue admodum constat*. Itaque

C Roma vetus non ab Hispanis, sed est a Latinis condita. Etiam illud, non minus quam hæc, leve est, & nugatorium. Ampliatam ferunt veterem Romam tantummodo, non constitutam a Romulo. quod totum Dionysii verbis, ut effutitum temere, validissime refellitur. *Hæc*, inquit, *quodam tempore deserta, iterum alius adventu coloniæ ab Albanis missæ, Romulo, & Remo ducibus, veterem statum recuperavit*. Nam certe, quod in hujus particulæ extremo ait Dionysius, *veterem statum recuperavit*. non idem valet, quod *ampliavit*; Sed est pro eo, ac si dixisset, *renovavit, ac redintegravit*, hoc est, vete-

D res muros, & ædes refecit, novisque civibus solitudinem illius frequentavit. Forsitan hoc loco existet, qui dicat, Antiochi Romam debere accipi; ut quæ illa ipsa sit, quæ Itali, ac Morgetis temporibus steterit. Equidem ex Plutarcho, qui Antiochum non appellat, quod dicam ipse, nihil habeo. possum tamen ex Dionysio, qui, adscriptis Antiochi verbis, expedite rem omnem explicat. Is vero præter secundam, & primam, de quibus dictum est, utraque antiquiorem quoque Romam dicit inveniri: constitutam ante, quam cum Trojanis Æneas veniret in Italiam: *Atque hæc*, inquit, *non unus e multis, nec recens auctor narravit, sed Antiochus Syracu-*

E *sanus, de quo etiam antea memini. narrat autem, Morgete in Italia regnante, (erat autem tunc Italia a Tarento Vibonem usque ora maritima) venisse ad eum exulem Roma. Dicit autem hoc pacto: Italo senectute confecto, regnavit Morges. hujus tempore homo exul Roma venit, cui nomen Siculo*. Ista quidem sunt Antiochi verba, ex Dionysio. ex quibus fuisse Romam supra bellum Trojanum, manifeste tanquam oculis cernimus. Est enim Morges, quo regnante fuit Roma, Trojano bello longe antiquior. Sed hæc Roma sitne, an non illa sit, quam instaurasse Romulum, eo deducta colonia Latinorum, probavimus, pro certo concedere nullo modo

F nobis licitum est. quid ita? quia utrum locus, an oppidum fuerit, quave in regione sita, ignoratur. audiamus Dionysium, super hac Antiochi Roma loquentem: *Utrum autem*, inquit, *iisdem in locis fuerit, in quibus est, quæ nunc habitatur civitas, quod incertum reliquit ille, ego conjicere nequeo*. ubi locorum posita esset Antiochi Roma, negat se posse Dionysius perspicere, ob eam rem unam potissimum, quod Antiochus totum illud silentio præterierit. quapropter hanc Romam Antiochi ad Tiberis ripas locare, ab Hispanis conditam, & a Ro-

mulo instauratam contendere, Antiocho, & Dionysio auctoribus, novi scriptores posse (vere quidem) minime videntur. Ad hunc locum optimus, ac doctissimus Ferrarius noster scribendo cum pervenisset, graviore vi morbi, quem animi virtute maxima diu sustinuerat, oppressus, triste sui desiderium nobis reliquit; & inchoato operi pulcherrimo fastigium imponere non potuit, ut, quod Iliadem Homeri legentibus accidit, aut Platonis Atlanticum, nos etiam cupiditate reliquæ partis incredibili teneamur: & eo magis, quo major etiam de gente rerum domina instituta fuerat oratio. Ego vero etsi parem illius ingenio rerum, ac verborum facultatem afferre me non posse prorsus agnosco: voce tamen commotus philosophiæ Romanorum civilis, a qua jam adolescens originis, qua de re agitur, veritatem didici, gratiam aliquam a me reposcentis, justissime facturum me putavi, ut, cujus præcipuis præceptis institutus suum alii cuique tribuere, ac tueri didicissem, hujus ipsius, quantum in me situm erat, suam quoque tutarer originem. Callistratus igitur Jurisconsultus, cujus ex vigesimi septimi Digestorum libri titulo primo verba adscripsi, planissime docet, antiquissimus ipse, Iliensibus & propter inclytam nobilitatem civitatis, & propter conjunctionem originis Romanæ, jam antiquitus & Senatus consultis, & constitutionibus Principum plenissimam immunitatem tributam fuisse. quamquam autem aliis quoque tributam non negamus; hujus tamen ipsius originis Romanæ caussa Iliensibus præcipue præter ceteros concessam Livius quoque indicat, cum scribit: *Decreto decem legatorum fœdere icto cum Antiocho, ex Senatus auctoritate Iliensibus immunitatem datam, & super immunitatem Rhœteum, & Gerghitum additum, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoria, Iliensibus quidem in omni rerum, ac verborum honore ab se oriundos Romanos præferentibus, Romanis autem lætis origine sua*. Possem equidem Strabonis, & Taciti, ac aliorum non paucorum testimonio Romanorum hanc originem confirmare; sed nunc verbis Tranquilli tantum in Claudio recitatis, ad legum auctoritatem redeundum mihi statuo. *Iliensibus*, inquit, *quasi Romanæ gentis auctoribus Cæsar Claudius tributa in perpetuum remisit, recitata vetere epistola Græca Senatus, populique R.* quam quidem epistolam si temporum injuria nobis non eripuisset, in pulcherrima sane, ut opinor, ac jucundissima Romanæ originis narratione licuisset conquiescere. Sed Imperatorem Justinianum, legislatorem illum maximum jam audiamus: cujus dicto propter majorem, quam alterius cujusquam, auctoritatem etiam libenter audientes nos præbeamus. is igitur Novella constitutione quadragesima septima: *Si quis*, inquit, *ad antiquissima Romanæ reip. tempora respexerit, Æneas rex Troianus nobis reip. Romanæ princeps est, & ab illo Æneadæ nos vocamur*. quo quidem nomine antiquissimos Romanos etiam ante Justinianum seipsos appellasse facile fuisset exemplis non paucis ostendere: sed unicum ego illud proferre statui, quod hoc quidem tempore in quodam totius historiæ velut angulo latet; olim autem a T. Flaminio, cum Philippum, Macedonum regem, profligasset, Delphis in celeberrimo totius Græciæ, immo terrarum orbis umbilico, clypeis argenteis Apollini dicatis inscriptum fuerat. sed, quoniam veritatem omni ex parte sibi consentientem esse oportet, alterum quoque Justiniani locum ex Novella constitutione vigesima quinta addendum putavi. in quo antiquissimum illud Imperii Romani principium, quod etiam ætatem Æneæ longo tempore præcesserat, ab Lycaone, & Oenotri usque repetit, quemadmodum in prima hujus commentarii parte Ferrarius ex Halicarnassei Dionysii scriptis pluribus verbis explicavit. Jam vero tandem totam hujus generis orationem sanctissimi, & doctissimi viri testimonio concludam: si quis enim pulcherrimos illos Augustini de Civitate libros perlegat, perspicuam adeo hujus originis veritatem perspiciet, nullus ut debitationi locus relinqui videatur. Atque hæc ego pauca quidem e multis, præstantissime Magne Cancellari, pro mea summa erga te observantia in hunc locum contuli, & Ferrarii sermonem brevissima locorum Juris civilis commemoratione subsecutus sum, ut antiquitatum Romanarum studiosi, quibus quidem, ut libros de jure civili pervolutarent, adhuc non obtigit, hinc etiam intelligant; quantam tibi non historiarum modo, sed juris etiam universi peritissimo gratiam debeant, quo primum auctore, ac suasore hujus historiæ memoriam prope senescentem Ferrarius hoc libro renovare fuerit aggressus: ut habeant ipsi, unde (absit invidia) suos commentarios augeant, & pleniores efficiant.

PAUL.

PAULLI MANUTII
DE
CIVITATE ROMANA.



A I quis principia primum, deinde etiam incrementa, civitatum animo velit, ac mente, perquirere, omnes aut a casu esse ortas, aut ex industria, consilioque, ædificatas animadvertet; crevisse autem omnes quidem tum fortuna, tum virtute, simili tamen haud omnes condicione; cum alias fortuna potius, quam virtus, alias virtus potius, quam fortuna, nonnullas etiam, quasi pari consensu, fortuna simul & virtus æque auxerint, ab humilique statu ad summum imperii fastigium extulerint. B quo autem plus in consilio, quam in casu, positum est; eo facilius, ac celerius, eæ, quas industria, & voluntas certa ratione suscepta, procreavit, factæ de minimis maximæ, atque opulentissimæ sunt, ditionisque terminos in omnes partes longissime protulerunt. Si quidem, quæ primos illos urbium quasi parentes ratio movit, ut loci opportunitatem in condendo sequerentur; eadem, urbe condita, illos adduxit, leges ut adjungerent, civitatemque quasi nascentem iis informarent institutis, ac ritibus, unde primum concordia, sine qua satis diu stare civitas nulla potest, deinde ex ipsa concordia manat incolumitas. quæ vero urbes non eo consilio, ut urbes C essent, sed casu, ac temere, extructas, ut forte in unum, vel alicujus commodi spem secuta, vel necessitate aliqua compulsa multitudo confluxerat, & suam sibi quisque domum fecerat; eæ sero admodum leges acceperunt: neque prius, æquitas, & ordo, quid posset, intellectum est, quam adversus multarum rerum monuit eventus. ita nec augeri facile numero civium, nec adversus vicinarum gentium incursiones præsidiis muniri, nec omnino quidquam, vel ad præsentis, vel ad futuri, temporis usum in commune consulere potuerunt. a quo genere, si ulla, maxime quidem omnium, mea sententia, Romana Civitas distat: quam Romulus, primum rex, vix dum jactis fundamentis, minimum D fortunæ committendum ratus, habita divinarum simul humanarumque rerum ratione, sapientissime constituit, ac temperavit. Nam, cum Palatium, quam sibi, suisque, sedem ad habitandum delegerat, fossa, & aggere, muniisset; omniumque consensu, valdeque propensa voluntate, diis ante per auspicia consultis, qui deinde mos in publicis rebus perpetuo mansit, regnum accepisset; multitudinem omnem, quam minus tribus hominum millibus ac trecentis fuisse Dionysius significat, in tres partes distribuit, quas vocavit tribus; & eas rursus in denas, quas appellari curias voluit, quod iis, ut Festus videtur ostendere, publicarum rerum cura committeretur; siquidem curiatis comitiis creati magi- E stratus, leges latæ, bella decreta non modo Romulo regnante, verum etiam perpetua regum quattuor successione usque ad Servium regem, qui centuriatis comitiis institutis, curiata non ille quidem plane sustulit, sed ita debilitavit, nihil ut iis majorum rerum mandaretur, speciem quidem aliquam comitiorum retinerent, tota vero, si quid consulendum gravius, centuriatorum potestas esset. Ergo tres tribus, quibus in singulis mille peditum, centeni equites fuere, deinceps triginta curiæ, quæ centenos pedites, denos equites, haberent, postremo etiam decuriæ decem e singulis curiis a Romulo institutæ: ducesque singulis ordinibus, fortitudine excellentes viri, tribuni, curiones, decuriones, præpositi. curiis autem sua cuique loca, ubi immolaretur, assignavit: quibus omnibus in locis, aliquot post annis, societate cum Tatio, Sabinorum rege, inita, urbeque communicata, Junoni, quæ Curis dicta, mensas disposuit: quas perpetuo suam ad ætatem mansisse, Dionysius docet his verbis: *Ἐν ἁπάσαις ταῖς κουρίαις ἥρᾳ τραπέζας ἔθετο, Κουριτίᾳ λεγομένῃ, αἳ καὶ εἰς τόδε χρόνου κεῖνται*. Festus autem sic: *Curiales mensæ, in quibus immolabatur Junoni, quæ Curis appellata*. Quibus autem in locis curiæ cum suis sacerdotibus epulabantur, ipsa quoque curias vocatus, & usque ad Augustum principem stetisse, cum ipse historiam composuit, Dionysius affirmat. postea, ubi senatus publicis de rebus consilium capiebat, curiæ quoque nominatæ: quas constat sacras edes fuisse, variis numinibus dicatas. primæ vero curiæ, a Romulo in Palatio factæ, non templa cum deorum simulacris, sed immolandi & epulandi loca, fuere. Divisionem hominum agri quoque patritio secuta est. in quo assentior Dionysio potius, quam Varroni. nam ille primum homines, deinde agrum, partitur: & recte: ager enim propter homines, non hi propter illum divisi sunt. Varro autem videtur significare, agri partibus posteriorem fuisse civium divisionem. Et, quod Dionysius, postquam tribus in curias dispertitus est, triginta curiis agrum, suam unicuique partem, dividit; hoc non tollit, quin ager prius in tres, quam in triginta partes divisus sit; quod ipsum Varro confirmat: sicuti & populus universus prius in tres tribus, quam in triginta curias, fuerat distributus. Alter fuit ordo, familiarum in duo genera distinctio, ut, qui nobilitate, virtute, opibus etiam, prout illa erant tempora, præstarent, patres dicerentur, reliqui plebeii: unde patriciæ, plebeiæque familiæ. Rursus ita patricios partitus est, ut alii senatores, alii equites, alii neque senatores, neque equites, sed tantum patricii essent. qui tres ordines appellati. plebeias familias ordine senatorio omnes exclusit. quam consuetudinem, qui Romæ postea regnarunt, perpetuo retinuerunt. ejectis autem regibus, senatoria dignitas plebi communicata. & ille tertius ordo, qui constaret ex patriciis, & plebeiis, in quo neque senatores, neque equites, fuisse diximus, ab una tamen plebe nomen sumpsit, &, de plebe, dictus est. Patriciis hæc a Romulo commissa, sacrorum administratio, magistratus, judicia, publicis de rebus in senatu deliberatio. Plebeiis mandatum, ut agros colerent, pecus alerent, quæstuarias artes exercerent. Inde, cum ad urbem frequentandam animum convertisset, discrimen omne non modo personarum, sed morum quoque, sustulit; & omnibus æque, sive ignominia, & scelerum infamia, notatis, sive servitutem servientibus, patere civitatem voluit; data etiam libertate, & agri parte divisa. quod ut facere honestius videretur, Asylum, inter duos colles, Palatium, & Capitolium, aperuit. ibi templum deo sacravit: quo si quis confugeret, cujuscumque facinoris affinis esset, quasi deo sacrum, a pœna tutum esse jussit. qua de caussa, etiam quotidie magis peregrinorum turba confluente, usque adeo civitas aucta, ut, cum Romulus vita excessit, qui regnavit annos XXXVII. peditum XLVI. millia, equitum mille, fuerint; cum

a principio tantum tria millia peditum, trecentos equites, habuerit. quo mirandum minus est, si, Ser. Tullio, qui censum instituit, regnante, annis post interitum Romuli nec CL. censa sunt civium R. $\overline{\text{xxc}}$. Duplex igitur civium R. divisio fuit; quarum altera ad alteram nihil pertinet. prior hæc: cives R. vel patricii, vel plebeii: posterior, vel senatores, vel equites, vel de plebe. ita vel a genere, vel ab ordine, distinguuntur, & quemadmodum, regum ætate, omnes patricii aut senatores, aut equites, aut neutrum, soli tamen senatorii ordinis participes; sic, regibus pulsis, plebeii homines, tum senatores, tum equites, de plebe reliqui, fuere: ut non modo ex patriciis, verum etiam ex ipsa plebe, tres ordines fuisse constet. quod si patricius nec in senatum allectus, nec in equestrem ordinem adscitus esset; is patricius quidem & erat, & dicebatur, idem tamen de plebe & erat, & dicebatur. quandoquidem civis R. quicumque erat, is de tribus ordinibus unum haberet, senatorium, aut equestrem, aut qui de plebe dicebatur, necesse erat. senator non es: ergo eques, aut de plebe. neque senator, neque eques: ergo de plebe. ordo enim præterea nullus superest. At $\overline{\text{c d}}$. qui est equestris census, aut $\overline{\text{cc}\infty}$ qui senatoris, possideo: sequitur igitur, ut eques ob $\overline{\text{c d}}$. sim, aut senator ob $\overline{\text{cc}\infty}$. falsum. census enim dat, non ut eques, ut senator, necessario sis, sed ut esse possis: neque propter opes honor datur, sed ob inopiam negatur. turpe enim, & indecorum, senator egens: malasque res non omnino malis mentibus interdum persuadet inopia. neque, cum dixit Cicero in epistola ad Quinctum fratrem, *Catienus, homo equestri censu*, equitem Romanum significavit, sed, quam a dignitate non poterat, eam a re familiari commendationem sumsit: ut ei non esse censum impedimento ostenderet, quo minus equestrem ordinem obtinere posset. Erant ergo patriciorum tria genera, senatores, equites, de plebe. Sed oritur consideratio. Civis R. ex equite senator factus, amittit ne ordinis equestris insignia, anulum aureum, & equum? minime. auctus enim dignitate, tantum abest, ut de pristino jure quidquam amittat, ut etiam aliquid præterea consequatur. nam, præter anulum, & equum, quæ equitum erant, habebant senatores tunicam purpuream; ut ab equestri ordine aliqua omnino specie distinguerentur; sicuti equester ordo a plebe anulo aureo, & equo, distinguebatur. Rursus exsistit alia consideratio. civis R. non eques, sed de plebe, si ordinem senatorium adispicatur, utitur ne in posterum simul cum tunica purpurea anulo aureo, & equo publico? De anulo crediderim: quo enim eques insignitur, id cur non habeat senator, qui honore antecellit? de equo publico non idem arbitror. non enim, ut anuli aurei insigne, item equi publici possessio & usus addit ornamentum, ac speciem senatori. neque vero conjectura solum, quæ a ratione manat, sed veterum etiam testimonio, adducor, ut ita existimem. video enim ita scriptum a Livio lib. XXIX. de Nerone, & Salinatore censoribus: *Ambo forte censores equum publicum habebant*. quæ ego verba paullo accuratius, ut fere soleo, quæ ad antiquitatis notitiam loca pertinent, cum attenderem; multiplicem haurire, nec satis omnibus notam, atque apertam, scientiam mihi sum visus. tria enim simul intellexi. primum illud, quod paullo ante dixi, patricios nonnullos equites fuisse: siquidem Claudii, Nerones, & Pulchri, patricii erant; Marcelli vero, plebeii. Deinde, quod ipsum quoque jam attigi; qui equites fuissent, eos, cum senatores esse cœpissent, cognovi ordinis quidem equestris esse desiisse, equitum tamen ornamenta non amisisse: cum dicat Livius de Nerone non modo senatore, verum etiam censore; *Equum publicum habebat*. Tertium hoc, minime dubium, conjeci:

A multos in senatu fuisse, qui ante quam ordinem senatorium obtinerent, non equestris ordinis, sed de plebe homines fuissent. cum enim notet hoc Livius: *forte senatores equum publicum habuisse*: sequi videtur illud, non omnibus omnino senatoribus equum publicum fuisse, hoc est, non ex equestri ordine omnes, sed alios ex equestri, alios ex tertio illo ordine, quem de plebe vocatum jam diximus, in senatum esse lectos. illud est animadversione dignum: qui ex equestri ordine senatoriæ dignitatis ad gradum adscendissent, eos inter senatores quidem esse censos, ut, si quid ordine senatorio minus dignum admisissent, senatu moverentur; verum eosdem, cum B deinde equitum centuriæ recognoscerentur, inter equites, quandoquidem ipsi quoque equum publicum haberent, citatos esse, ut, si flagitium ullum, quod in equite R. dedeceret, fecissent, equum publicum amitterent. patet hoc duorum censorum, quos proxime nominavimus, exemplo: quorum alter alteri, cum census equitum ageretur, equum ademit: quos tamen ante, cum senatorum census ageretur, in recitandis senatorum nominibus esse lectos, dubitari non potest. Atque ego, hujus generis cives, minime crediderim, sua manu, ut ceteros equestris ordinis, equum per forum transduxisse. proprius enim C eorum census, non in equestri, sed in senatorio, erat ordine; nec equestris ordinis, sed senatorii, dicebantur: nec ideo, quia equestris essent ordinis, quem, adepti senatorium, amiserant, sed quia equum publicum haberent, inter equites citabantur. qui vero in senatum, etsi nondum a censoribus lecti, jure tamen magistratus, quem aut gererent, aut gessissent, aditum haberent; eos video, si equites essent, equum publicum inter ceteros equestris ordinis ante censores per forum transduxisse, nec inter senatores, cum tamen irent in senatum, esse lectos. quod de Pompeio, qui postea cognomentum Magni est adeptus, a Plutarcho traditum observavi- D mus. is enim, eques adhuc, nondum inter senatores allectus, consul, ob virtutem, ac singularia in remp. merita, ante legitimam ætatem creatus, (solvebantur enim legibus clari viri) equum publicum ipse ad censores adduxit: præclarumque fuit populo R. spectaculum, consulem sua manu equum publicum ducentem intueri. Atque hæc de civibus R. & equestri ordine, & ex ipsa plebe in senatum lectis, ita tradimus, ut ad reip. tempora spectemus. nam regum ætate solis patriciis curia patuit: cum tamen, quod ex Dionysii Halicarnassei sumptum historia docuimus, non omnes patricii senatores essent, sed alii senatores, alii equites, alii neutrum. E ut vere diceres: senator est, ergo patricius: non contra; patricius est, ergo senator. in rep. vero summus ordo promiscue cunctis, vel patricia, vel plebeia familia natis, datus est. nobilesque simul omnes, sive patricii, sive plebeii generis, modo senatorii essent ordinis, appellati: quoniam quidem ob virtutem, quæ nos sola nobiles, sola patricios, sola reges, jure facit, dignitas illa mandaretur. Cives igitur R. si senatores erant, tunica purpurea utebantur, quam & latum clavum video nominatam: $\overline{\text{cc}\infty}$ possidebant: anulum aureum, vel, si equites antea non fuissent, habebant: sin equites, etiam F equum publicum. quo censu ab initio fuerint, proditum non invenio: & omnino, dum regibus Roma paruit, exiguis usa opibus est: in rep. vero senatorium censum $\overline{\text{cc}\infty}$ fuisse, duplo scilicet majorem, quam equestrem, ex antiquorum libris compertum est. Qui vero senatores non erant, sed ordinis equestris, ii anulum aureum habebant, equo publico utebantur, $\overline{\text{c d}}$. possidebant. &, quia Latini scriptores hæc usurpant sæpe loquendi tria genera, eques, equestris ordinis, equestri loco natus; utrum idem significent, an differant, consideremus. Eques, & equestris ordinis, idem sunt: nam & eques qui-

cumque est, & dicitur, idem equestris ordinis & A est, & dicitur: & contra. quod si eques patre natus est equite, qui numquam senator fuerit; is equestri loco natus esse dicitur. si patre natus est senatore; eques quidem, sed non equestri loco natus. qui porro, cum eques fuisset, in senatum est adlectus; eques non amplius dicitur, sed assumpto nobilioris ordinis nomine, senator; ornamenta tamen, ut dixi, retinet equestria, annulum, & equum publicum. itaque M. Cicero, cum equite R. natus esset, numquam, postea quam in senatum pervenit, eques appellatur, sed senator. atque ipse suis in scriptis, cum de ordine senatorio loquitur, nostrum appellat; cum de equestri, non item. is igitur non eques, B neque equestris ordinis, sed senator, & senatorii ordinis, jure dicebatur. Ac mihi venit in mentem, quod in quadam epistola scripsit M. Cœlius ad Ciceronem. *Nostri*, inquit, *equites, nisi acutius vidissent. Nostri*, ob eam caussam, quia uterque patre equite R. natus erat. Potest igitur esse eques equestri loco natus, & eques non equestri loco natus. itemque potest esse senator equestri loco natus, & senator non equestri loco natus. cujus vero pater eques fuit, is, si senator factus est, desinit appellari eques, & equestris ordinis; eadem tamen retinet insignia, nisi si ea, ignominiæ caussa notatus a censoribus, C amisit. sic aliud est, *esse plebeium*; aliud, *esse de plebe*. nam, *esse plebeium*, valet, *esse plebeii generis*; & potest in eos convenire, qui, cum gentis plebeiæ sint, in ordinem tamen senatorium pervenerunt. cujus generis cives plebeii quidem, de plebe tamen neque fuerunt, neque dicebantur: ut multi Marcelli, Decii, Publilii. de plebe vero is erat, ut sæpe jam iteratum est a nobis, qui neque equestrem ordinem, neque senatorium, esset consecutus, quo de genere quia patricii quoque multi fuerunt, eos pariter de plebe dictos esse constat, ac si & plebeii ordinis, & plebeiæ gentis, essent. Pedianus tamen hæc turbat. nam cives R. ita distinguit, *senator*, D *eques, plebeius*: cum & equites, & senatores plebeii, hoc est plebeiæ gentis, multi essent. qui si de regum ætate loqueretur, cum soli patricii senatores, & equites, erant; recte scilicet, proprieque, loqueretur. verum, qui de reip. temporibus aperte intelligat, sermone magis proprio, si sic dixisset, usus esset: senator, eques, de plebe. aut dic, ad ordinem potius, quam ad gentem, spectasse Pedianum. sic enim ferri posset: cum tres essent ordines, senatorius, equester, de plebe. Quod autem, eques, &, equestris ordinis, idem esse dixi; distinctionem addo; ut erroris tollatur occasio. loquor enim non de cunctis equitibus, sed de iis tantum, qui equo, non E suo, sed publico, militabant: qui vere equites Romani appellabantur, & ex quibus constabat equester ordo, quo ex ordine a censoribus in senatum legebantur. ideo sæpe mentionem equi publici in antiquis lapidibus videmus inscriptam: ut ea distinctione equestris ordinis dignitas internosceretur. & his solis, non omnibus pariter equitibus, quorum pæne fuit numerus infinitus, anuli aurei jus fuisse puto, censumque necessario CD. ceteri, quocumque censu, equo suo militare poterant. Redeo ad Romulum, id est ad urbis tamquam incunabula; unde, perpetuam rerum seriem, & connexionem quandam, secutus, in hunc locum deductus necessario sum. Pri- F ma divisio fuit hominum, & locorum: quas tribus appellavit. qua tota de ratione paullo mihi accuratius consideranti scrupulus injicitur sane difficilis. nam, si post jacta statim urbis fundamenta tribus fecit Romulus: unde illa nomina, Ramnenses, Tatienses, Luceres? quæ plane significant, non in ipso urbis primordio, sed post receptos cum Tatio rege Sabinos in civitatem, tribus esse constitutas. sin, tribuum nomina secuti, dicemus, eas non nisi post bellum Sabinum esse factas: adversabitur illa ratio, quod primi centum senatores, quod consilium Romulus a principio instituit, de singulis tribubus, curiisque, terni lecti sunt. Qua in perturbatione illud occurrit, duplicem fortasse divisionem fuisse, unam ante raptum Sabinarum, alteram post bellum earum caussa excitatum, Sabinis in civitatem receptis. ac de prima testem habeo Dionysium, qui etiam Varronem ait scripsisse, curias non a Sabinis mulieribus, quibus intercedentibus bellum sedatum est, verum aliquanto ante, in prima civium divisione, nomina accepisse. ut simul uterque idem sensisse videatur. secundam vero partitionem Dionysius nusquam nominat: sed Varro eam aperte ostendit libro IV. de lingua Latina; quia de tribus tribubus Tatiensem unam nominat, a Tatio Sabinorum rege. cui Livius accedit, cujus hæc sunt libro primo: *Ex bello tam tristi, læta repente pax, cariores Sabinas viris, ac parentibus, & ante omnes Romulo ipsi fecit. itaque cum populum in curias triginta divideret, nomina earum curiis imposuit. Curias* cum nominet; patet, simul tribus intelligi: quia tribuum partes curiæ sunt. Plutarchi vero testimonio quid certius? non alteram divisionem verbis declarat apertissimis? Φυλὰς δὲ τρεῖς, inquit in Romulo, καταστήσαντες, ὠνόμασαν τοὺς μὲν ἀπὸ Ῥωμύλου Ῥαμνήνσης, τοὺς δὲ ἀπὸ Τατίου Τατιήνσης, τρίτους δὲ Λουκερήνσης, διὰ τὸ ἄλσος, εἰς ὃ πολλοὶ καταφυγόντες, ἀσυλίας δεδομένης τοῦ πολιτεύματος μετέσχον. τὰ δ' ἄλση λούκους ὀνομάζουσιν. ὅτι δ' ἦσαν αἱ φυλαὶ τοσαῦται, τοὔνομα μαρτυρεῖ. *Tribus tres, Ramnenses a Romulo, a Tatio Tatienses, Luceres a luco in quem multi cum confugissent, jure asyli dato in civitatem sunt recepti. Hæc vero nemora lucos vocant. Fuisse vero tribus has nomen declarat.* Idem Asconius, idem Festus, idem alii. Quorum sententiæ si acquiescimus; (nec vero secus licet; si modo in opinionibus ratio dominatur) perturbatio sedatur omnis, & hæc de principiis Romanæ civitatis suscepta narratio constituitur. Procedemus autem, quem ipse Romulus ordinem in agendo tenuit, eundem nos quoque retinentes in exponendo. ac primum totam hanc, quæ ad tribus, curiasque, pertinet, jam institutam rationem absolvemus: deinde familiarum illa duo genera, patricias, & plebeias, considerabimus: postremo loco de tribus ordinibus agetur, senatorio, equestri, & eo, qui de plebe, dictus est. quibus partibus si qua cohærebunt, si quid in iis memoria, scientiaque, dignum videbitur, eodem comprehensa ordine demonstrabimus: ne quid omnino, quantum in nobis est, patiamur desiderari. Ac de tribubus illud satis constat, cum a Romulo primum institutæ sunt, domicilium earum in Palatio, id est intra pomerium, fuisse. nam Palatii radicibus pomerium primum terminabatur. Pace autem cum Sabinis facta, receptisque cum Tatio rege in civitatem, pomerium Romulus protulit, ut præter Palatium, tres colles complecteretur. Cœlium, Capitolium, Quirinalem: quorum ipse Palatium cum suis Albanis, Cœlium Cœlius Vibennus, qui monti nomen dedisse traditur, dux Tuscorum, cum suis habitavit. libentius enim assentior Varroni, & Dionysio, quam Livio, qui Cœlium urbi additum a Tullo Hostilo narrat, ut ibi sedem Albanis bello victis daret. convenit res hac ratione, ut Cœlius mons a Romulo receptus intra pomerium sit, habitatus autem Hostilii jussu ab Albanis; quod, quo tempore sit iis civitas data, major ejus montis pars vacaret. nam, qui eum a principio, Cœlio duce, coluerunt, orta de iis post Cœlii obitum suspicione, quia nimis munita loca tenerent, in planum deducti: unde vicus Tuscus nomen accepit. quæ leguntur apud M. Varronem, omnium, qui res Romanas litteris persecuti sunt, auctorem gravissimum, atque certissimum. Livius autem, cum illud scripsit: *Cœlius additur urbi mons*: non ad pomerium, sed ad novos cives, in

urbem ab Hostilio inductos, spectasse dicatur: ut ideo sit additus urbi Cœlius, quia, vacuus antea, advenarum cultorum frequentia fuerit occupatus. Habitavit igitur cum Romanis Romulus Palatium, quaque inde maximum in circum itur: Tuscos, qui auxilio venerant, acerrimeque pro nova urbe contra Sabinos dimicaverant, partim in Cœlio monte cum eorum duce Cœlio, partim circa Asylum, qui fuit inter Palatium, & Capitolium, cum altero duce Lucumone, simulque reliquam advenarum turbam collocavit. Capitolium, & Quirinalem, Sabinis concessit. quo facto, rursus de dividenda in tres tribus civitate consilium cepit: suosque veteres cives de suo nomine Ramnenses, Sabinos a Tatio rege Tatienses, tertiam tribum, quod ex Etruscis fere tota constabat, a Lucumone duce, ut ego arbitror, non, ut quidam putarunt, a Luco, Luceres vocavit. malo enim, quemadmodum priores duæ a regibus nomen acceperunt, sic a duce tertiam esse nominatam. & Dionysius, quem unum maxime sequor, (unus enim sine dubio inter omnes excellit) congruere cum mea sententia videtur. ait enim libro V. quattuor tribus urbanas, quas Ser. Tullius rex constituit, a locis appellatas; cum tres illæ veteres a gente suum nomen derivassent. nam ex Romuli, Tatii, Lucumonis nominibus tres gentes, quibus illi summo jure præfuerunt, Romanam, Sabinam, Etruscam, significat. Porro, ut ex tribus veteribus, sic ex novis tribubus triginta curiæ constitutæ: erectumque Junoni Mensali templum, quo curiæ omnes ad sacra facienda convenirent: ex agro autem sua cuique curiæ, sicuti antea, pars attributa, duabus tantum partibus exceptis, una, quæ tum in publicos usus, tum ipsi regi, sumptum subministraret. Illud scitu dignum est, curiam, & civium partem, & simul templum fuisse, quo ad rem divinam iretur. ac videntur facella quædam fuisse, in prima tribuum divisione a Romulo, captis auguriis, in Palatio constituta: quo in loco, religionis caussa, perpetuo mansisse, Tacitus significat. Sex posteriorum regum, uno excepto Ser. Tullio, bellica multa, eaque præclara, civilia vero pauca, numerantur instituta. Nam Numa totus in eo fuit, ut religione, pietateque in deos, civium animos imbueret. quo studio tantum profecit, ut reliquæ omnes leges de jure, & æquo, minimum necessariæ fuerint: cum optimam vitæ rationem, qui deos pie colerent, non pœnæ metu, sed sua sponte, sequerentur. Hostilius urbem frequentavit, dispersis per tribus Albanis, quos, Alba solo æquata, Romam transduxit: hoc enim a Dionysio proditum est: a Livio, Cœlium iis montem assignatum, sedemque ibi, quo frequentius habitaretur, a rege captam. Albanorum, qui patriciorum nobilitatem sunt assecuti, septem familiæ nominantur, Julia, Servilia, Gegania, Metilia, Curiatia, Quinctilia, Clœlia. Quartus rex Ancus Marcius bellica virtute excelluit, & cum Latinis, Fidenatibus, Sabinis, Vejentibus, Volscis, prospere pugnavit. quattuor urbis collibus Aventinum adjunxit, muroque & fossa munivit, veritus, ne ab hostibus occuparetur. &, quamquam multis eum collem civibus, e captis urbibus Romam deductis, frequentavit: pomerium tamen non protulit, sed iisdem, quos Romulus constituerat, finibus observavit. Alterum ejusdem regis civile factum cum laude narratur, quod Ostiæ portum in faucibus Tiberis, invehendis mercibus opportunum in primis, ac necessarium, exstruxit. Tarquinius Priscus de Latinis, Etruscis, Sabinis, triumphum egit aurea corona, curuli sella eburnea, tunica purpurea, toga picta, sive trabea regum Romanorum usus est. fasces, & secures duodecim jam ante, si Livium sequimur, Romulus habuerat. quæ putantur omnia veterum Etruscorum regum insignia fuisse. hic pomerium non

A mutavit; cum ditionem tamen Romanam, multis Latinorum, aut aliorum populorum, captis oppidis, auxisset. urbem lapideo muro cinxit, cloacas, quibus eveherentur aquæ, superioribus ex locis in Tiberim duxit, Capitolini Jovis templum instituit, loco fundamentis inusitatæ magnitudinis designato; quod postea nepos ejus Tarquinius Superbus rex, de Pontinis manubiis, quadraginta talentorum impensa, perfecit. circum etiam, cui posteritas, ut a reliquis circis distingueret, Maximi nomen dedit, inter Aventinum, & Palatium, fecit; & ubi singulæ curiæ ludicrum equorum, pugilumque, spectarent, loca distribuit. Tarquinio gener ejus Ser. Tul-B lius successit: qui Etrusca de gente, viginti annorum bello fracta, atque perdomita, ter triumphavit: duos colles, Viminalem, & Esquilinum, intra urbem recepit, pomeriumque protulit. ita septem omnino colles erant, in quibus habitaretur, Palatium, Capitolium, Quirinalis, Cœlius, Aventinus, Viminalis, Esquilinus: non tamen omnes intra pomerii terminos inclusi. nam Aventinum ii, qui pomerium protulerunt, extra effatos urbis fines, id est, extra pomerium ipsum, reliquerunt. cujus rei caussam Gellius hanc affert ex libris Valerii Messallæ: *quod in eo monte Remus, urbis condendæ gra-*C *tia, auspicaverit, avesque irritas habuerit, superatusque a Romulo in auspicio sit: ut quasi obscenis avibus ominosus, exclusus esse videatur*. Quem tamen ut ex Elidis Grammatici commentario subjungit idem Gellius, Claudius imperator intra pomerii fines, religione vetere neglecta, recepit. itaque, cum ait Dionysius, a Ser. Tullio duos colles ad quinque veteres esse adjectos, non eos, qui erant intra pomerium, qui tantum quattuor erant, sed eos, qui habitabantur, intelligit. habitabant autem Palatium veteres Romani; Capitolium, & Quirinalis partem, Sabini, quibus civitatem Romulus communicaverat; Cœlium Albani, quos Tullus Hostilius, Alba diruta, Ro-D mam transduxerat; Aventinum Latini, ab Anco Marcio, urbe eorum Politorio capta, in civitatem accepti. Quod autem duos colles, a Tullio additos, Dionysius Viminalem, & Esquilinum, nominat, Livius autem de Viminali, & Quirinali, præterea de auctis Esquiliis, mentionem facit: videtur esse, nec tamen est, inter eos controversia. nam Dionysius deo Quirinalem omittit, quia jam a Romulo, cum pomerium protulit, comprehensum erat: Esquilias vero nominat, quia, licet earum pars habitaretur, extra pomerium tamen ante Servium regem fuerant. contra Livius, cum Quirinalem una cum Viminali nominat, non sicuti Viminalem, ita Quiri-E nalem quoque receptum intra pomerium, significat, quod a Romulo factum esse constat; sed universum cultoribus frequentari, jubente rege, cœptum esse. nam antea tantum illam partem, quæ Capitolium contingebat, Sabini tenuerant. de auctis vero Esquiliis cum subjecit; auctas simul & receptas intra pomerium, nihil obstat, quo minus intelligere potuerit. non enim, quod omittitur, negatur. ita cum Dionysio consentiet, qui pomerii finibus inclusas, & cultoribus occupatas, plane narrat. urbe amplificata, conversus ad civitatem nomina tribuum mutavit, numerum auxit: censum præterea, quod u-F num e cunctis ejus operibus maximum fuit, ac præstantissimum, instituit: ex quo, & quanti cujusque res esset, & omnium civium numerus, cognosci posset. qua de re prius quam aggrediamur dicere; postulat ordo, ut ea, quæ ad tribus pertinent, persequamur. utraque enim satis longam orationem narratio postulat. Tribuum numerus fuit, qui minimus, tres; qui maximus, triginta quinque & omnes vel a regibus, vel a magistratibus in rep. constitutæ: a regibus, Romulo, & Ser. Tullio: a magistratibus, consulibus, censoribus. omnes autem vel in urbe, vel extra urbem: in urbe, quat-

tuor: extra urbem, vel in agro Romano, vel extra: &, quæ extra, vel in Latio, vel in Sabinis, vel in Etruria. Hæc ordine sunt agenda: ut hæc tota res, quam vigesimo fere ab hinc anno primi, ut opinamur, paullo accuratius tractare cœpimus, hoc tempore, quatenus per ingenii nostri vires progredi licebit, absolvatur. Romulus tres fecerat, easque, ut diximus jam, & de solis Romanis, qui Palatium incolebant, &, quod equidem opiner, sine nominibus: postea, data Sabinis civitate, rursus de universa multitudine, Romanorum, Sabinorum, Etruscorum, qui opem illi Sabino bello tulerant, tres constituit; quas appellavit, Ramnenses, Tatienses, Luceres, primam de suo nomine, alteram a Tatio Sabinorum rege, tertiam ab Etruscorum duce Lucumone. Ramnensium sedes erat in duobus collibus, Palatio, & Cœlio; Tatiensium in Capitolio, & Quirinalis ripa; Lucerum in planicie, maxime circa Asylum. tres priores tribus ex mille peditibus, & una equitum centuria singulæ, constabant: qui erant omnino omnes tria peditum millia, equites trecenti, quot scilicet Alba Romulus ad novam coloniam deduxerat. in singulis posterioribus tribubus duceni equites fuere. centenos postea Tullus Hostilius addidit: siquidem turmas decem scripsit ex Albanis: ita nongenti fuere. nam, si, quod ait Livius, a Tarquinio Prisco duplicatus numerus est, factique mille & octingenti, constat, neque pauciores antea nongentis, neque plures, esse potuisse. quod si ante Priscum nongenti: sequitur, ut Hostilius trecenos addiderit. tot enim sunt in decem turmis. ergo sexcenti, regnante Romulo, post receptos Sabinos fuere. quod si duplicatæ sunt equitum turmæ, duplum quoque peditibus accessisse, non est dubium: ut in tribus tribubus peditum sex millia, equites sexcenti fuerint. quod & Plutarchus videtur comprobare. ait enim, legiones fuisse peditum sex millium, equitum sexcentorum. quamquam de legionibus ei minus assentior. potius enim, unam ex tribus tribubus legionem, unumque peditum, equitumque universorum e Romana, Sabina, Etrusca gente quasi corpus fuisse, crediderim. legiones autem e Sabinorum accessione plures esse factas, eo singulas numero, quem Plutarchus memorat, mihi quidem non fit verisimile. & meam opinionem confirmat argumentum illud paullo ante adductum de sexcentis equitibus in omnibus tribubus. quod si verum est, refellitur Plutarchus, qui sexcentos in singulis legionibus fuisse narrat: &, in equitum numero si fallitur, in peditibus quoque mendacii necessario convincitur. debere enim peditum, equitumque numerum æqua proportione congruere, nemo negat. Fuere igitur in posterioribus Romuli tribubus equites sexcenti. Hostilius, adjunctis decem Albanorum turmis, nongentos fecit. Tarquinius Priscus geminavit, & ex nongentis mille octingentos constituit: religionis tamen caussa, ut Livius docet, neque nomina, quæ Romulus imposuerat, neque numerum centuriarum, mutavit. quem postea Servius rex in nominibus conservandis imitatus est, in numero non item. nam ex tribus centuriis sex fecit, iisdem tamen, quibus inauguratæ fuerant, nominibus appellavit: tantum ut internoscerentur, hoc instituit, quod apud Festum scriptum est, ut tres veteres centuriæ primi Ramnenses, Tatienses, Luceres; posteriores, quas ipse adjunxit, secundi vocarentur. Etiam Livius, *Nunc*, inquit, *quia geminatæ sunt, sex centurias vocant*. ut, centurias equitum, a quattuor regibus, Romulo, Tullo Hostilio, Tarquinio Prisco, Ser. Tullio, auctas esse, constet: Sed a Romulo numero trium, quas ipse e centenis primum fecerat, conservato, novo nomine imposito; a Tullo, & Prisco, nulla neque numeri, neque nominis, mutatione facta; a Servio, numero mutato, nomine retento. fecit enim e tribus, decem, & octo. Ac mihi totam hanc rationem examinanti, & quasi per gradus, ut in cogitando fit, ex aliis ad alia procedenti, quiddam occurrit, ex quo Servium in equestri mutatione non admodum a Prisco dissensisse existimem. Nam, etsi sex centurias ex tribus veteribus, prætereaque novas duodecim, instituit: tamen in centuriarum potius, quam in equitum, numero dissensit: siquidem in decem & octo centuriis haud plures, quam Priscus in tribus, equites habuit. centeni enim, ut ipsum centuriæ nomen proprie significat, in singulis Servii centuriis fuere; quos Priscus sexcenos, Hostilius trecenos, Romulus ducenos, habuerat. sexcenis autem in tribus centuriis, & centenis in decem & octo, eandem confici summam, mille scilicet octingentos, facile colligitur. Dictum est de Romuli tribubus, & simul de centuriis; quod ad tribus adnexæ videbantur. utræque usque ad Servium regem tres duntaxat fuere. ab eo centuriæ decem & octo, quod jam ostendimus, tribus autem urbanæ quattuor, rusticæ quindecim constitutæ: urbanæ, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina, prima a pago, Succusa, ut Varro putat, nominata, vel, ut Junius, a Subura, quod fuerit sub antiqua urbe: Esquilina, & Palatina a duobus collibus, Esquiliis, & Palatio: Collina non a proprio unius collis, sed a generali nomine, nuncupata. Nam, cum Servius rex quattuor tribubus urbanis nomina vellet imponere, in Suburana, locum, in quo maxima civium esset frequentia, consideravit, & inde sumendum esse nomen jure duxit: qua in tribu tum Cœlii montis, qui est in ea regione, tum locorum continentium, incolas inclusit: Esquilinæ nomen ad montis magnitudinem retulit; cui etiam ipse proprio domicilio dignitatem addidit. in Palatina, dedit antiquitati, quod loco fortasse denegasset. movit enim eum quasi religio quædam, quod a principio Romulus in eo colle, unaque Ramnenses, omnium tribuum antiquissima, habitaverant. in hac scripsit eos, qui Capitolium, quæque circa Asylum loca sunt, incolebant: ut omnes scilicet una tribu conjungeret, qui, olim in tres tribus dispertiti, proxime tamen, & continuatis regionibus, habitaverant. reliqui erant Viminalis, & Quirinalis, unde quartam tribum appellare posset. in quo veritus, ne alterum alteri prætulisse putaretur, Collinam, ut æquam utriusque rationem duxisse videretur, vocandam putavit. Rusticæ quindecim fuerunt, prima sine dubio Romilia, quod sub Roma esset, in agro a Romulo de Vejentibus capto, ut ex Festo cognoscitur: & Varro quintam numerat, nominatis jam quattuor urbanis. reliquæ, quibus nomina patriciæ familiæ dederunt, octo sunt, Horatia, Sergia, Æmilia, Papiria, Cornelia, Fabia, Menenia, Claudia. de quibus quid meæ sententiæ sit, ostendam. Nomina familiarum indita illis puto post exactos reges: veteres tamen fuisse tribus, & ex iis quindecim rusticis, quas Servius rex fecit, numquam dubitavi. quod exemplo Claudiæ cognoscitur: de qua sic Livius. *Ap. Clausus ab Regillo, magna clientium comitatus manu, Romam transfugit. his civitas data, agerque trans Anienem. vetus Claudia tribus, additis postea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata. Appius inter patres lectus.* Idemque confirmat Dionysius. A Veiis, oppido Etruriæ, Vejentina fuit: puto, quod agri partem, victis Vejentibus, Servius rex ademerat: incolasque civitate donatos, in unam tribum conjecerat: quam Vejentinam, ab agro capto, nominavit. Pupiniæ Pupinus ager, qui urbi proximus in Latio fuit, nomen dedit: Lemoniæ pagus, qui fuit, ut ait Festus, a porta Capena, via Latina. Tres supersunt, ut absolvantur quindecim rusticæ a Servio factæ. hæ sumantur de his quinque necesse est, Crustumina, Popillia, Galeria, Pollia, Voltinia: quando-

quidem, has fuiſſe antiquiſſimas, tum librorum, tum lapidum, teſtimonio conſtat. Cruſtuminam primum rejicio. unde enim hoc nomen? nimirum a Cruſtumerio capto. at id poſt obitum Servii regis annis triginta quinque accidit. Popilliam vero ſi recipimus, non a gente, ſed a loco, ut ceteras omnes, dicemus appellatam. nam, a gente, nullo modo conſentaneum eſt. primum enim dictas eſſe tribus omnes a locis Varro tradit: deinde, quæ nomina mutarunt, eæ a gentibus patriciis, non a plebeiis, nomen accepere. verum Popilliam ideo rejiciendam puto, quia videtur eadem fuiſſe cum Publilia, quam eſſe additam a conſulibus, Livii teſtimonio cognoſcitur. ut igitur Publicola, & Poplicola idem ſunt: ſic Popillia, & Publilia, idem erunt. quod cum ita ſit, neceſſario quindecim ruſticarum numerum implebunt reliquæ tres, Galeria, Pollia, Voltinia. Atque ego quindecim potius, quam decem & ſeptem, ruſticas a Servio rege factas, ideo crediderim, quia, ſi decem & ſeptem probamus, Cruſtuminæ locum dare neceſſario cogemur. quod fieri vix poſſe, hiſtoriæ ratio demonſtrat. quod Livii quoque verba minime dubia confirmant. unam enim, & viginti factas a conſulibus Claudio & Servilio, diſerte narrat. cui nec Dionyſius adverſatur. qui, licet de tribubus una & viginti in Coriolani judicio meminerit; eas tamen non a Servio potius, quam poſt reges ejectos, a conſulibus factas eſſe ſignificat. Quare cum Livio etiam ideo libenter ſentimus, quia non a Dionyſio diſſentimus. ſexdecim poſt liberam remp. diverſis temporibus factæ. quarum primas duas Livius non nominat, additas tamen ſatis plane ſignificat, cum ait, unam & viginti a Claudio, & Servilio coſſ. eſſe factas, reliquarum quattuordecim nomina ſuis locis exponit, quattuor ſimul uno anno, qui fuit ab urbe condita CCCLXVII. Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnienſis: anno CCCXCVII. Pomptina, & Publilia; quam eſſe eandem cum Popillia, jam dixi: anno CDXXI. Mæcia, Scaptia: CDXXXV. Ouſentina, Falerina: CDLIII. Anienſis, & Terentina: DXI. Velina, & Quirina. Hæ ſunt omnes XXXV. tribus, diſpari numero ſemper auctæ, auſpiciorum, opinor, cauſſa, quod a Romulo tres primum inſtitutæ: vel quod impar numerus melioris ominis putaretur: ex quo illud: *Numero Deus impare gaudet*. Nunc, quæ videntur quæri poſſe, conſideremus. Videtur autem hoc primum: cum tres veteres tribus in denas curias diviſæ fuerint, neque ulla de triginta curiis ad aliquam tribum non attinuerit: utrum eam rationem ſit imitatus, an omnino totam in ſua deſcriptione Servius omiſerit. Altera quæſtio eſt; omnes ne ruſticæ tribus in agro Romano, an quædam extra quoque, fuerint. Tertium: cum urbem univerſam Servius quadrifariam diviſerit, & unamquamque quattuor urbanis tribubus attribuerit, eademque ratione totidem agri partes, quot ruſticas tribus, fecerit: licuerit ne civi Romano, qui cenſeretur in ruſtica tribu, aliquam urbis regionem urbanis tribulibus aſſignatam, puta Suburanam, aut Eſquilinam, itemque urbano tribuli ruſticam tribum incolere; an omnes potius in ſuarum quique tribuum locis, vel in urbe, vel in agro, domicilium habere coacti ſint. Ad primum, occurrunt hæc: nulla fuiſſe poſt Servium regem, aut levia omnino, & inania, fuiſſe comitia curiata. claſſium enim, & centuriarum ordine conſtituto, ſummam omnium rerum comitiis centuriatis poteſtatem permiſit. curiarum habita nulla ratio eſt. triginta fuerant e principio: numquam deinde neque plures, neque pauciores. contra, tribus a principio pauciores, quam curiæ, deinde plures. uſurpabantur tamen, ut imperium rei militaris cauſſa daretur, ad ſpeciem quandam, & imaginem vetuſtatis, curiata comitia, non, ut olim factum erat, populo per curias convocato; ſed triginta modo lictoribus veteres triginta curias referentibus. quod in agraria Cicero ſignificat. aliud curiarum genus fuit, quo ſenatus, conſilii capiundi cauſſa, convenire ſolitus eſt. quo de genere ſermo erit in libro de Senatu. nunc loquimur de curiis a Romulo factis: quæ fuere non modo tribuum partes, id eſt ſeparata quædam, & diſtincta, civium multitudo, verum etiam loca ſacra, rei divinæ, ſacrorumque, cauſſa, ut antea diximus, in Palatio conſtituta. ac potuit earum numerus cum tribus antiquis tribubus congruere, quia denæ a ſingulis deductæ æqua partitio eſt: ad quindecim vero Servii ruſticas, aut etiam quattuor urbanas, qua ratione pertinere potuerunt? In altera quæſtione reſpondetur ita: Si de ruſticis Servii loquimur, omnes in agro Romano fuiſſe: ſi de additis poſt reges exactos, omnes extra. in agro Romano Romilia, quod ipſo patet nomine, quæque a familiis patriciis dictæ ſunt. poſſit omnino Claudia in dubium vocari, quia, cum dicat Livius, *Appii clientibus civitas data, agerque trans Anienem*, videtur extra fines agri Romani fuiſſe; quandoquidem Anio fluvius in Sabinis eſſet. verumtamen, quia datus iis trans Anienem ager ſit, propterea non ſequitur, ut Claudia tribus trans Anienem fuerit. quin hoc nomen aliquanto poſt, quam Appius Romam venit, illa tribus accepit: & a Livio, cujus verba ſubſcribemus, vetus appellatur, quia de quindecim a Servio factis una eſſet. *Vetus*, inquit lib. XI. *Claudia tribus, additis poſtea novis tribulibus, qui ex eo venirent agro, appellata*. Vejentina certe, captum de Vejentibus agrum, non Romanum, occupavit. Lemonia, cum a pago, qui non longe a porta Capena diſtabat, ſit appellata, manifeſte agri Romani pars eſt. Galeria, Menenia, Pollia, Voltinia, ſi ſunt de quindecim ruſticis, ut ſupra ſatis certa ratione videmur probaſſe; ſequitur, ut a locis dictæ ſint: a quibus primo tribus nomen accepiſſe, Varro ſignificat. quod ſi a locis: nimirum ab iis potius, qui in agro Romano, quam qui extra eſſent. cur enim aliena nobilitemus, noſtra negligamus? nam de iis, quæ a municipiis adſcriptis, aut a victis gentibus, appellatæ poſtea ſunt, acquieſco. factum eo conſilio, ut in amicitia confirmarentur, aut allicerentur ad benevolentiam. Quod ſi quis arguat, appellatas a locis non eſſe omnes quindecim illas ruſticas, ut, Varronis auctoritatem ſecuti, affirmavimus: ſiquidem aliquot a familiis denominatæ: aliquo is quidem niti videbitur argumento, nec tamen ita firmo, ut a noſtra ſententia diſcedendum putemus. poteſt enim fieri, & veri ſimillimum eſt, ut, quas a locis Servius vocaverat, eas, qui poſt reges proximi conſules fuere, a patriciis familiis nominaverint: id quod exemplo Claudiæ probatur: cujus vetus nomen, novo indito, ſublatum eſt. factum id autem a conſulibus patriciis, id eſt primis reip. temporibus, ante quam conſulatus plebeiis hominibus impertiretur, ipſa patriciarum familiarum nomina declarant. de Popillia tantum ambigo; quia Popilliorum gens plebeia. ſed poteſt aliunde nomen ſumpſiſſe. nec familiæ mentionem Feſtus facit, ſed ait, *a progenitrice*. Ergo (ut res diffuſa contrahatur) omnes Servii ruſticæ tribus, præter unam Vejentinam, aut pleræque certe, intra terminos agri Romani continebantur. Tertiam quæſtionem, ſi tempora diſtinguantur, perſolvere, non eſt difficile. Nam, Ser. Tullio regnante, quicumque intra pomerium habitabant, quacumque fortuna eſſent, urbani tribules erant, & in ſolis quattuor urbanis tribubus ſuffragium ferebant. ruſtici vero tribules erant, qui agros colebant, & in agris habitabant. procedente tempore mutata res eſt: nec eadem perpetuo nominis cauſſa fuit. tribules enim urbani appellati, non quicumque urbem incolerent, ſed qui dumtaxat in

quattuor urbanis tribubus suffragium ferrent; rustici vero, non qui ruri habitarent, sed qui rura possiderent. quod infra, Plinii testimonio, probabibus. itaque nobilitate, ac dignitate, cives excellentes, Cornelii, Æmilii, Julii, Marcelli, Catones, cum in urbe viverent, rustici tamen erant tribules, & in rusticis tribubus suffragium ferebant. Quod si quis adhuc repugnet, ac velit omnino Servium regem & urbis quattuor, & agri quindecim, partes ideo fecisse, ut omnibus deinde civibus in sua cuique tribu perpetuum, atque immutabile, domicilium statueret; contra sic arguam. Qui sunt, quos in quattuor urbanis tribubus collocavit? universa ne civitas, an pars? si universa: infrequentes, ac desertæ, prorsus erunt rusticæ tribus; quas idem Servius numero multo plures, quam urbanas, constituit. si pars: locupletes, an egentes? de locupletibus, non est, ut credi possit: qui si urbanis in tribubus, inopi plebe in rusticas rejecta, soli retinentur, unde erit illa rusticarum tribuum nobilitas, de qua omnes historiæ loquuntur? succurrit etiam illud. Si pauperes amandantur; quis in urbe sedentarias artes exercebit? alia quoquo, divitibus inhonesta, & indecora, munia quis obibit? Quod si locupletes in agros emittimus, egentes in urbe retinemus: species videlicet erit pulcherrima civitatis, multitudo pauperum, vestitu sordido, immunda facie, pædore, illuvieque horrida. præterea, quis colet agros, rustici tribules, an urbani? rustici, quia divites, laborem recusabunt; pauperes, quia longinqui, nimis incommode suscipient. Promiscue igitur habitabant: neque, quod jam attigi, tribules urbani, aut rustici, dicebantur, quod in urbanis tribubus, aut in rusticis, domicilium haberent, sed ut ii, quibus agri nihil esset, ab iis, qui rura possiderent, distinguerentur: sicuti municipes, cum in suo municipio domicilium haberent, tribules tamen alicujus rusticæ tribus dicebantur, quod in ea scripti essent, muniaque obirent, ut in Papiria Tusculani, Arpinates in Cornelia. Confirmant nostram sententiam Cicero, & Plinius; cujus utriusque verba recitabimus. *Quæsivi*, inquit Cicero secunda in Rullum, *quibus hominibus, & quemadmodum illum agrum esset divisurus. respondit, a Romilia tribu se initium esse facturum. primum, quæ est ista superbia, & contumelia, ut populi pars amputetur, ordo tribuum negligatur; ante rusticis detur ager, qui habent, quam urbanis, quibus ista agri spes, & jucunditas, ostenditur?* Plinius autem sic lib. XIIX. cap. 3. *Rusticæ tribus laudatissimæ, eorum, qui rura haberent: urbanæ vero, in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro.* Quod autem idem subjungit: *Quattuor solæ erant a partibus urbis, in queis habitabant, Suburana, Palatina, Collina, Esquilina*: intellige de primis habitatoribus, & eo tempore, quo sunt urbanæ quattuor tribus institutæ. Erant igitur, qui agros non habebant, in urbanis tribubus; qui habebant, in rusticis: habitare autem & urbano tribuli, si vellet in rustica, & rustico in urbana, licebat. longe tamen plures in urbe rusticos tribules vixisse, quam in agris urbanos, credibile est: cum rustici, domestica re bene constituta, urbanam vitam agresti, illustrem scilicet, ac honorificam, obscuræ, atque ignobili, anteferrent; urbanis autem inutilis, ingrataque, esset in agris, ubi nihil possiderent, habitatio. Excipio libertinos. qui, licet agros haberent, in urbanis tamen tribubus adscribebantur: nec injuria: ut, quorum patres servitutem servissent, ab ingenuis civibus distinguerentur. ita, cum essent duo genera civium, ingenui, & libertini; in ingenuis, agro carentibus, fortuna, in libertinis, rura possidentibus, condicio notabatur: iis tamen exceptis, quibus filius quinquenni major esset: quos in rusticis tribubus esse censos, Livius, ut infra ostendemus, videtur

A significare. factum etiam a censoribus, ut aliqua turpitudine notati, e tribu rustica in urbanam, ignominiæ caussa, transferrentur. Neque dum tamen constitui, utrum hæ quattuor tribus, quæ a partibus urbis nomen sumpserunt, jam ab illo tempore, quo sunt institutæ, an postea, dictæ sint urbanæ. equidem, postea, magis crederem, ex eo, quod apud Livium lib. IX. scriptum animadverti. *Omnem*, ait de Fabio censore, *forensem turbam, excretam, in quattuor tribus conjecit; urbanasque eas appellavit.* Dionysius urbanas multo ante vocat. verum, etsi loquitur de primis temporibus, recens nomen, usitati sermonis consuetudinem secutus, potuit usurpare.

B Urbana quidem plebs, in quattuor, illas tribus descripta, numquam fere non male audiit: quia scilicet ad seditiones, aut ad ea, quæ vetantur legibus, facile ob inopiam impelleretur. quod si per omnes tribus rusticas dispersi, suffragium de lege, magistratuve, in foro, vel in campo Martio tulissent: gratis quidem neque data lex ulla, neque creatus magistratus esset: venalia cuncta: bonas malasque res, omniumque dignitatem, pecunia exæquasset. quo indignitatis, ac periculi, remp. deducere Ap. Claudius censor conatus est, de quo sic Livius: *Flavium, patre libertino, humili fortuna ortum, dixerat ædilem forensis factio, Ap. Claudii censura vires nacta.*

C Quibus verbis, urbanam plebem (*factionem forensem* appellat, & paullo post *forensem turbam*, quod fere genus illud civium, infimæ condicionis, & obscuræ fortunæ otiose tempus in foro tererent, quasi concionem aliquam seditiosi tribuni pl. exspectantes) *tulisse suffragium*, significat, non, ut antea, in quattuor tantum urbanis tribubus, sed, Appii censoris beneficio; æque omnibus in tribubus. idque idem Livius ibidem plane demonstrat. subjungit enim: *Senatum primus, libertinorum filiis lectis, inquinaverat: &, postea quam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas, humilibus per omnes tribus divisis, forum, & campum, corrupit.*

D Quos tamen postea Fabius censor in veteres quattuor urbanas rejecit. Et, quamquam plebs universa tribus modis æque consideratur; vel ut ordo; erant enim tres, senatorius, equester, & qui, de plebe, dicebatur; vel ut genus civium; omnes enim cives aut patricii, aut plebeii; vel ut ignobilis; opponitur enim nobilitati; quibus condicionibus urbana plebs cum rustica exæquatur: tribu tamen, & domicilio, præterea vitæ instituto, differebant. nam urbana plebs in quattuor dumtaxat urbanis tribubus; rustica vero in rusticis, suffragium ferebat. neque obstat, quin coloni Romani,

E (ea enim plebs rustica fuit) licet infimi fuerint ordinis, locum habere in rusticis tribubus potuerint: ut nobilissimis, locupletissimisque, civibus, ordine, & dignitate, inferiores, pares tamen suffragio essent. agros enim qui possiderent, cujuscumque essent ordinis, in rusticis tribubus adscribebantur. neque tamen negaverim, fuisse, qui mercenariam in agris operam præberent. quos ipsos rusticis tribubus assigno, quippe qui hoc honestissimo vitæ genere, flagitiosi, ac perditi, languoris expertes, victum sibi compararent. qui si ab agris, rejecto labore, licentiæ, ac nequitiæ, mala spe ducti, in urbem se

F recepissent, ubi, cum urbana plebe permisti, nulla satis laudabili ratione vitam traducerent: hic, non dubito, quin non jam in rustica, ut cum ruri vivebant, sed in urbana, tribu, cum reliqua urbana plebe censerentur. Sallustius enim, cum singulas urbanæ plebis partes persequitur, hos annumerat his verbis: *Præterea juventus, quæ in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis, atque publicis, largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat.* Domicilio differebant, quia ruri rustici tribules, colendi agri gratia, in urbe vero urbani, quod iis negotii nihil in agris esset, habita-

bant. Vitæ instituto dissimiles erant, quia non eodem utrique studio tenerentur, nec eadem utrique sentirent; urbana plebe honestis consiliis ea, quæ speciem utilitatis haberent, præferente, ideoque magis ad res novas, ac seditionem, quam ad otium, aut concordiam, propensa; rustica vero nihil utile, quod idem honestum non esset, existimante. Licet etiam alteram ab altera sic distinguere. Plebs urbana opponitur nobilitati, & optimatibus; nobilitati, ut ignobilis; optimatibus, ut improba, rerumque novarum cupida. rustica vero opponitur quidem nobilitati, quia, tamquam plebs, ignobilis est; cum optimatibus vero, ut bene de rep. sentiens, & a seditionibus aliena, conjungitur. itaque eam Cicero in oratione pro Sextio inter optimates refert. *Quis* inquit, *iste optimas? de numero si quæris, innumerabiles: neque enim aliter stare possemus. sunt principes consilii publici: sunt, qui eorum sectam sequuntur: sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia: sunt municipales, rusticique Romani: sunt negotia gerentes: sunt etiam libertini optimates*. Et in epistola quadam ad D. Brutum, *Ne homines*, inquit, *rusticos, sed fortissimos viros, civesque optimos, milites veteranos, dementes fuisse judices*. Urbanam vero plebem numquam fere, nisi cum aliqua flagitiis, aut levitatis, aut miseriæ domesticæ, significatione video nominari. flagitiosam Cicero significat lib. ad Atticum XVI. quia distinguit eam a bonis viris. *Suasi*, inquit de M. Bruto, *ut Romam pergeret. videtur enim mihi & plebeculam urbanam, &, si fidem fecerit, etiam bonos viros secum habiturus*. Item lib. VI. ad eundem: *Hoc video, cum homine audacissimo, paratissimoque, negotium esse: omnes damnatos, omnes ignominia affectos, omnes damnatione, ignominiaque, dignos illac facere, omnem fere juventutem, omnem illam urbanam, ac perditam, plebem*. Vitio levitatis eam notat lib. XI. ad eundem, his verbis: *Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, quod vectigal superest domesticum, præter vicesimam? quæ mihi videtur una conciuncula, clamore pedissequorum nostrorum, esse peritura*. Pedissequos enim plebem urbanam dixit, quia, quorumcumque vel minima proposita mercede, vocaretur, facile sequi consuesset. De summa vero inopia, quæ sæpe rerum flagitiosarum caussam, ac necessitatem, attulit, lib. I. sic: *Illa concionalis hirudo ærarii, misera, & jejuna, plebecula, me ab hoc Magno unice diligi putat*. & Sallustius primum loquitur de universa plebe, tum rustica, tum urbana, cum ait: *Sed omnino cuncta plebs, novarum rerum studio, Catilinæ incepta probabat. id adeo more suo videbatur facere. nam semper in civitate, quibus opes nullæ sunt, bonis invident, malos extollunt; vetera odere, nova exoptant; odio suarum rerum mutari omnia student; turba, atque seditionibus, sine cura, aluntur; quoniam egestas facile habetur sine damno*. Hactenus de tota plebe sermonem fuisse, ipse declarat, cum subjungit proxime: *Sed urbana plebs ea vero præceps erat multis de caussis*. Quam deinde, in quinque genera divisam, describit his verbis: *Primum omnium, qui ubique probro, atque petulantia, maxime præstabant; item alii, qui, per dedecora, patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium, aut facinus, domo expulerat; hi Romam, sicuti in sentinam, confluxerant. deinde multi, memores Sullanæ victoriæ, quod ex gregariis militibus alios senatores videbant, alios ita divites, ut regio victu, atque cultu, ætatem agerent, sibi quisque, si victoria in armis foret, talia sperabat. præterea, juventus, quæ in agris, manuum mercede, inopiam toleraverat, privatis, atque publicis, largitionibus excita, urbanum otium ingrato labori prætulerat*. Plebis autem rusticæ nomine non ii modo, qui domicilium haberent in agro Romano, quæ fuere quindecim illæ tribus a Servio rege constitutæ; sed ii etiam comprehendebantur, qui extra terminos agri Romani habitabant; quæ fuere sedecim illæ tribus, quas, ejectis regibus, additas esse, & numerum XXXV. explevisse, jam diximus. Quodque magis mirum sit, universa Italia, post acceptam, legis Juliæ beneficio, civitatem, id est multo post absolutum numerum XXX. tribuum, plebis rusticæ pars fuit; ideo scilicet, quia suffragium ferret in rusticis tribubus. nam ad illa Ciceronis verba in C. Verrem actione prima, *Cum hæc frequentia totius Italiæ Roma discesserit*, subjungit Pedianus, *Frequentiam dicit plebis rusticæ*. convenerat autem ex municipiis cujuscumque modi multitudo, aut, propter comitia, suffragiorum caussa; aut ludorum votivorum, Romanorum, Victoriæ, plebeiorum; aut, ut censeretur. Porro, Italiam cum dico, loquor more Romano, cum eam ita definiebant, ab oriente, Rhegio, ad fretum, quo Italia dirimitur a Sicilia; ab occidente, Luca colonia, ad inferum mare; a meridie, Antio, ad mare; a septemtrione, Arimino colonia, ad mare superum. nam, ultra Ariminum, & Lucam, incipiebat Gallia cisalpina: in qua ipsa partem rusticæ plebis possumus existimare municipia, coloniasque civium Romanorum. erant enim præterea Latinæ, Italicæque, coloniæ: quæ participes non erant civitatis Romanæ, sed tantum jus Latii habebant, aut Italiæ: licet omnes æque constarent ex iis, qui, antequam in eas deducerentur, cives Romani fuerant. quibus vero jus datum erat civitatis Romanæ, hæ civium Romanorum coloniæ dicebantur, legesque Romanas, item ut præfecturæ, & provinciæ, observabant; licet in hoc ab utrisque differrent, quod non regebantur ab iis, qui ex urbe Roma mitterentur, sed a duumviris, ex ipsa colonia, &, opinor, ex ordine decurionum creatis. erant porro decuriones in coloniis, quales Romæ senatores. Municipia non statim omnia suffragii jus una cum civitate habuerunt. quibusdam enim cum suffragio, quibusdam sine suffragio, civitas data. &, quibus sine suffragio, ii non ita proprie municipes dicti. nam, quia muneris partem caperent, inde constat appellatos. at, quo munere, adempto suffragio, fruerentur? species esset aliqua in nomine Romanæ civitatis; fructus perexiguus, aut omnino nullus. nam, si suffragii ferendi, multo magis petendi magistratus adimitur facultas. nudum igitur beneficium. verum hoc perpetuum non fuit. quibus enim concessum jam erat jus civitatis, iisdem postea suffragium quoque datum. Sed, quoniam nos complicata rerum doctrina, & ordo narrationis, huc deduxit, ut mentionem de Latii, Italiæque, jure faceremus; puto fore nec alienum prorsus a proposito nobis argumento, & iis fortasse gratissimum, quos antiquitatis cognitio delectat, si jura populorum distinguamus; quique status omnium, quæque condicio fuerit, breviter ostendamus. Primus igitur quasi gradus nobilitatis erat, jus Quiritium: quod summi beneficii loco dabatur. id autem erat, largiri civitatem Romanam. civium autem Romanorum absoluta definitio tribus partibus constat, ut censeantur, & suffragium ferant in aliqua XXXV. tribuum; ut regantur a Romanis magistratibus, & Romanis legibus vivant; ut de tribus ordinibus unum omnino obtineant, senatorium, aut equestrem, aut qui, de plebe, dicebatur; quorum erat pedestre munus in militia. harum partium potest aliqua communis esse civibus Romanis cum aliis quoque urbibus, & locis: simul vero omnes solis conveniunt civibus Romanis. nam, censeri, & suffragium in tribu ferre, etiam ad municipes pertinet: duæ vero ab iis reliquæ partes absunt. at coloniæ Romanæ quiddam habent amplius, de tribus videlicet partibus unam & dimidiam: siquidem

dem

dem non solum censentur, & suffragium ferunt: quod utrumque jure connectendum putavimus; (nemo enim censetur, qui non idem suffragii ferendi jus habeat; nec suffragium quisquam fert, qui census non sit) verum etiam Romanis legibus vivunt; minime tamen a Romanis magistratibus, sed a suis duumviris, reguntur. praefecturae vero neque quod municipia, neque omnino quod Romanae coloniae, habebant, sed unum illud, ut a Romanis magistratibus administrarentur. ex quo necessario sequitur, ut leges Romanas observarent. socii vero Latini neque municipiis, neque coloniis, neque praefecturis, pares erant: nullam enim de tribus, quas nominavi, partibus habebant. Sed est hic non ignobilis ad considerandum locus: utrum, quemadmodum, jus Quiritum dare, dixi esse, civitatem Romanam largiri, eadem ratione, qui civitatem Romanam habent, jure Quiritum omnes fruantur. Negatur. nam libertini ordinis homines civitatis participes sunt, nec tamen habent jus Quiritum: & nominandi quidem inter cives, habendi tamen inter Quirites, non sunt. itaque Romanorum civium libertis numquam civitatem, (cum enim libertate donantur, eo ipso tempore cives fiunt, censerique incipiunt) Quiritum autem saepe jus esse petitum, invenias. quod si assequebantur; tum licebat iis non modo rusticis in tribubus censeri, verum etiam magistratus obtinere. civitas igitur peregrinis vel libertis, vel ingenuis, jus Quiritum Romanis libertis dabatur. quae distinctio dilucide patet e Plinii ad Trajanum epistolis. *Des*, inquit, *rogo, civitatem Romanam Harpocrati jatraliptae. est enim peregrinae condicionis, manumissus a peregrina. matronam habet Thermuthin Theonis: quae jam pridem defuncta est. Item rogo, des jus Quiritum libertis Antoniae Maximillae. quod a te, petente matrona, peto.* Petit Plinius civitatem Harpocrati, ut peregrino, quia manumissus a peregrina: recte: nam peregrini civitatem non habent. quod si a Romano, Romanave, manumissus esset; civitatem ei Romanam petere non oportuisset: simul enim cum libertate civitatem jam accepisset: addere vero ad civitatem jus Quiritum, id quidem erat, quod necessario petendum videretur. itaque idem Plinius, cum de manumissis non a peregrina, sed a Romana muliere, Antonia Maximilla, ibidem subjungit; civitatem non petit, quam habere eos jure manumissionis intelligebat, sed jus Quiritium; ut omni re, atque omni munere, cum ingenuis civibus aequarentur. Hoc igitur, ut dixi, recte, quod civitatem peregrino petit: at illud imperite, quod petit peregrino Aegyptio, qui Alexandrinus non esset. reliquis enim peregrinis, quocunque in loco nati essent, Aegyptiis autem, non nisi Alexandrinis, civitas patebat. quod cum postea Plinius esset edoctus, denuo ita scripsit: *Ago gratias, domine, quod & jus Quiritum libertis necessariae mihi feminae, & civitatem Romanam Harpocrati jatraliptae meo, sine mora indulsisti. sed, cum annos ejus, & censum, sicut praeceperas, ederem, admonitus sum a peritioribus, debuisse me ante ei Alexandrinam civitatem impetrare, deinde Romanam, quoniam esset Aegyptius. Ego autem, quia inter Aegyptios, ceterosque peregrinos nihil interesse credebam, contentus fueram hoc solum scribere tibi, eum scilicet a peregrina manumissum, patronamque ejus jampridem decessisse.* Quibus ex duabus epistolis oritur etiam, emergitque illa, minime in rebus Romanis contemnenda, notitia: non licuisse neque Romanis libertis jus Quiritium, neque peregrinis civitatem, nisi patronis aut concedentibus, aut mortuis, petere; quia scilicet, libertis aut civitatem, aut jus Quiritium adeptis, jura quaedam in eos patronorum amittebantur. ac de Romanis testimonium afferunt ea verba: *Quod a te, petente matrona, peto*: de peregrinis illa: *Matronam habet Thermuthin Theonis, quae jam pridem defuncta est*: & illa ejusdem iteratae sententiae: *Contentus fueram hoc solum scribere tibi, eum scilicet a peregrina manumissum, patronamque ejus jam pridem decessisse*. Alia quoque non longe a superioribus epistola sejuncta exemplum habet de civitate peregrinis hominibus, jure autem Quiritium Romanis libertis petito, necnon de jure patronorum in libertos. *Rogo*, inquit, *ut civitatem des Chrysippo Mithridatis, uxorique Chrysippi Stratonicae Epigoni; item liberis ejusdem, ita ut sint in potestate patris, utque iis in libertos servetur jus patronorum. Item rogo, indulgeas jus Quiritium L. Satrio Abascanto, & P. Caesio Phosphoro, & Panchasiae Soteridi. quod a te, volentibus patronis, peto.* Romanos libertos esse hos duos posteriores, nomina eorum Romana, Satrius, & Caesius, declarant: Chrysippum vero, uxoremque ejus, peregrinos, & Graecos, ex adjunctis patronorum, Mithridatis, & Epigoni, nominibus liquet. Quod autem posui, peregrinis, sive libertis, sive ingenuis, civitatem dari solitam: quaeri potest, eodem ne jure, nulla ne inter ingenuos, & libertos, distinctione? omnino satis beneficii fuit, civitate peregrinos libertos donari: nec verisimile videtur, ab ordine libertino, & peregrinitate, ad jus Quiritium transcendisse. sic enim pares fuissent, atque adeo superiores, libertis Romanis: qui a civitate ad jus Quiritium adscendebant: peregrini vero liberti, non a civitate, sed a peregrinitate, statim ad summum illud ingenuorum civium jus elati essent. nec apud Plinium in iis epistolis, aut apud alium, de concesso illis jure Quiritium ulla mentio. itaque puto eos, cum civitatem essent adepti, eodem in urbe jure cum Romanis libertis fuisse; cives quidem ut essent, sed neque rusticis in tribubus locum, neque petendi magistratus facultatem haberent: & alia, fortasse non pauca, quibus libertinus ordo ab ingenuis civibus differebat: quae nobis, & alia scitu digna, vel vetustas, vel hominum injuria, vel casus, eripuit. Cum vero impertita peregrinis ingenuis civitas appellatur, sine dubio jus Quiritium intelligitur; interdum etiam nominatur, ut a Suetonio in Claudio. *Negotiationis*, inquit, *certa lucra proposuit: naves mercaturae caussa fabricantibus magna commoda constituit, pro conditione cujusque, civi vacationem legis Papiae Poppeae, Latino jus Quiritium*. Quod autem in oratione pro Caecina Cicero dixit: *Si semel civitas adimi potest, retineri libertas non potest. qui enim potest jure Quiritum liber esse is, qui in numero Quiritum non est?* Id non pertinet ad libertos, nec universe in omnes cives confertur. nam liberti liberi sunt, nec tamen sunt in numero Quiritum: itaque petitur iis jus Quiritium. ad eos igitur tantum id spectat, quibus civitas adimitur. quo facto, interdicti eorum functione munerum, quae capere, ac tractare, ingenuis civibus Romanis licet, exempti Quiritium numero videntur. Et, quoniam libertinos civium Romanorum in numerum retulimus; cives autem Romanos censu maxime, ostendimus, ac suffragio, dignosci: necessariam video esse distinctionem, non modo libertinorum, & ingenuorum civium, verum etiam ipsorum inter ipsos. Differunt ab ingenuis, quod magistratus non gerunt, in senatum non leguntur, ordinem nullum obtinent: quia, praeterquam quod aditum in curiam non habent, nec equites, nec pedites, sunt: etiam in illo, quod ingenui, si rura possident, in rustica tribu censentur; alioqui, in urbana; libertinis vero agrorum neque possessio, neque inopia, censum mutat. differunt inter ipsos, diversa ratione suffragii. sunt enim, qui suffragium in urbanis tribubus ferunt; quos esse plerosque constat: sunt, qui non in urbanis, sed in rusticis: sunt, qui nec in urbanis, nec in rusticis. nam, ut hoc, extremum quod posui, primum expo-

A nam: si quis libertinus prædium, prædia ve rustica, pluris HS xxx. millium non haberet, censu excludebatur. indecorum, credo, putarunt, cujus ad humilitatem generis accederet inopia, eum inter cives Romanos censeri. Quod autem secundo loco statui, de censis in rusticis tribubus, id ex Livii, ex quo totam hanc libertini ordinis distinctionem hausimus, non omnino apertis verbis, tamen licet colligere. nam, cum libertinos in tribus quattuor urbanas descriptos fuisse dicat, deinde excipiat eos, quibus filius quinquenni major esset; nimirum exceptio conditionem potius auget, quam imminuit. quod si auget; sine dubio tribus significationem significat; ut B in rustica censeri incipiat, qui, ante quam ei filius quinquenni major esset, in urbana censebantur. qua de re ipsa Livii verba recitare, operæ pretium est: non solum, ut id perspici, atque cognosci, possit, neque omnino libertinos omnes esse censos, neque, qui censebantur, omnes in urbanis, sed, qui filium quinquenni majorem non haberent, in urbanis; qui haberent, in rusticis: verum etiam, ut hoc pateat, cupiisse Ti. Sempronium Gracchum censorem universo libertinorum ordini suffragii lationem adimere, sed, Claudio collega obsistente, id tantum esse consecutum, ut, qui antea libertini partim in ur- C banis quattuor, partim etiam in rusticis tribubus ferendi suffragii jus habebant, in unam urbanam omnes conjicerentur. Sic igitur Livius lib. XLV. *In quattuor urbanas tribus descripti erant libertini. præter eos, quibus filius quinquenni major esset. ex S. C. eos, ubi proximo lustro censi essent, censeri jusserunt. & eos, qui prædium, prædiave rustica, pluris sestertium* XXX. *millium haberent, censendi jus factum est. Hoc cum ita servatum esset; negabat Claudius suffragiis lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo, adimere posse. neque enim, si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus* v. *&* XXX. D *tribubus emovere posse, id est civitatem, libertatemque, eripere, non, ubi censeatur, finire, sed censu excludere. Hæc inter ipsos disceptata. postremo eo descensum est, ut ex quattuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, conjicerent. Esquilinæ sors exiit. in ea, Ti. Gracchus pronunciavit, libertinos omnes censeri placere.* Atque hic non levis inter Livium, & Ciceronem, videtur esse dissensio: quod ille dicat, libertinos, cum antea quattuor in urbanas tribus descripti essent, in unam Esquilinam a Graccho censore conjectos; Cicero autem, tulisse eos suffragium ante Gracchi censuram non in urba- E nis, sed in rusticis, tribubus, nec in unam urbanam, sed in quattuor, esse translatos, videatur ostendere. his enim utitur verbis, lib. I. de oratore: *Censor Gracchus non accurata quadam orationis copia, sed nutu, atque verbo, libertinos in urbanas tribus transtulit.* Neuter tamen, mea sententia, falsus: idque de tantis viris æquius est arbitrari. Cum Livio Dionysii Halicarnassei testimonium congruit: qui jam inde a Ser. Tullio rege, a quo quattuor tribus urbanæ factæ sunt, locum ait libertinis ferendi suffragii proprium in urbanis tribubus esse constitutum. Et ipse Livius eadem de re lib. IX. ita scripsit: F *Q. Fabius censor, simul concordiæ caussa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quattuor tribus conjecit: urbanasque eas appellavit.* In epitome autem lib. XX. idem comprobatur his verbis: *Libertini in quattuor tribus redacti sunt, cum antea dispersi fuissent, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, Collinam.* Cui sententiæ Cicero non repugnat. nam, etsi libertinos in urbanas tribus ait esse translatos; non ideo tamen significat, urbanis eos in tribubus antea non fuisse; sed ad eam libertini ordinis partem spectavit, quam in rusticis tribubus tulisse suffragium jam ostendimus, eam scilicet, quæ filios haberet, quinque annorum ætatem excedentes. Duo igitur sunt, quæ censor Gracchus de libertinorum suffragio nova instituit, unum, ut nemo in posterum suffragium ferret in rustica tribu; quod Cicero significat; alterum, ut omnes in una urbana tribu, non in quattuor, ut antea, censerentur, & suffragium ferrent; quod Livius diserte narrat. ita constat, quod in Cicerone, & Livio, diversum est, quia diversas res, uterque tamen veras, exponunt, contrarium non esse. Hæc de civibus Romanis. Venio nunc ad municipes: quibus deberi secundus videtur locus. primum enim suffragium habebant, munerisque erant, ut ait Gellius, honorarii participes, in quo pares erant civibus Romanis: deinde, quod optabile videtur, suis moribus, legibusque, vivebant, nulla necessitate, nullo populi Romani onere, nisi voluntario, pressi: in quo superiores erant coloniis: quibus jura, institutaque, omnia populi Romani servare necesse erat. Coloniarum autem, ut diximus, tria genera, Romanæ, Latinæ, Italicæ. non enim, quartum genus, militares habendæ suut; sed tribus generibus, quæ nominavimus, communes esse possunt, quippe militares tum coloniæ dicebantur, cum in colonias milites, vel ut bene meritis præmia solverentur, vel præsidii caussa, deducebantur. itaque non minus Latinæ, quam Romanæ, nec minus Italicæ, quam Latinæ, militares esse poterant. Romanæ vero Latinis præstabant, quia constabant ex civibus Romanis: Latinæ reliquis Italicis, quia populi omnes Latini, ut proxime ostendemus, locum præstantiorem apud populum Romanum, quam reliqua Italia, obtinebant. ergo suffragii lationem Romanæ habebant: quo præstabant reliquis coloniis: sed eædem non secus, atque ii, qui Romæ videbant, civitatisque participes erant, Romanas observare leges, & omnia civium Romanorum onera sustinere, cogebantur. itaque potiorem, præstabilioremque, fuisse municipiorum condicionem, docet Gellius lib. XVI. Succedunt socii: qui & fœderati dicebantur. horum alii stipendiarii, ut in Africa, Sicilia, Sardinia, nonnulli; alii immunes, ut Latini, & aliquot in Sicilia, quos nominat Plinius in descriptione Siciliæ, & alibi. atque hos plane Cicero in oratione pro Balbo distinguit his verbis: *In socios, & in eos, de quibus animus, fœderatos injuriosum, & contumeliosum, est, iis præmiis, & iis honoribus, exclusos esse fidelissimos, & conjunctissimos, socios, quæ pateant stipendiariis, pateant hostibus, pateant sæpe servis. nam & stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia, cæteris provinciis, multos civitate donatos videmus,* &c. Inter socios nobilissimi, qui jus habere Latii dicuntur. etenim hi reliquis omnibus, non modo exteris, verum & Italicis, præstabant, sicut Itali, omnibus exteris; & inter exteros socii provinciales excellebant. Latium autem, incolumi rep. non ultra Circeios extendebatur: imperatorum ætate ad Lirim flumen prolatum videtur: quod a Plinio scriptum est. Et jus Latii non ad Latinos tantum pertinet, sed in tria genera diducitur. convenit enim primum in ipsos populos, qui Latium incolebant; qui quattuor modis in historia nominantur, Socii Latini, Socii ac Latini, Socii Latinis nominis, Socii ac Latini nominis: deinde, colonias eas, quæ propterea Latinæ dicebantur, quia jus haberent Latii: postremo, qui neque Latinæ coloniæ, neque gens erant Latina, sed aliquo merito, aut populi Romani benignitate, eadem illa jura, quibus & Latium universum, & Latinæ coloniæ fruebantur, erant consecuti. quo ex genere multos nominat Plinius in descriptione Siciliæ. quod autem Pedianus in commentario Pisonianæ de Latinis coloniis utitur his verbis: *Id est, ut, petendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur:* id ego totum abun-

dare puto : est enim omnino falsum . quia Latinæ coloniæ Latii quidem jus habebant, civitatis autem Romanæ participes non erant. & hæc universi plane Latii, omniumque præterea, quibus Latii jus datum est, perpetua condicio fuit, donec lege Julia non Latio solum, sed universæ Italiæ, civitas concessa. verum non hoc beneficium omnibus, qui ubique locorum jus Latii, Italiæve haberent, sed omnibus Latii, Italiæque incolis datum est. Itaque Latinæ coloniæ, quæ quidem essent extra Italiam, excludebantur. Quintum locum socii italici obtinent. horum duo genera, qui Romanis magistratibus, ac legibus, & qui suis, uterentur; Romanis, ut præfecturæ quæ dicebantur; suis, ut reliqui. nam extra Italiam præfectura nulla, (erant enim illæ non præfecturæ, sed provinciæ, quo exhibant gesto magistratu) in Italia vero non omnes in omni regione, sed omnes extra Latium. hæ quoque in duo genera dividebantur : de quibus operæ pretium est ipsa Festi verba recitare ; ut inde certior doctrina sumatur. *Præfecturæ*, inquit, *appellantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum resp. neque tamen magistratus suos habebant; in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuere duo; alterum, in quas solebant ire præfecti quattuor, populi suffragio creati, in hæc oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteolos, Acerras, Suessulam, Atellam, Calatiam : alterum, in quas prætor urbanus quotannis in quæque loca miserat legibus, ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Alicas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, aliaque complura.* Hæc Festus. a quo Fundos, Formias, Arpinum, inter præfecturas numerari, quæ Livius lib. XXXIIX. vetusta fuisse municipia ostendit, jure mirari aliquis possit. Capuam quoque a C. Cæsare consule, qui postea perpetuam dictaturam invasit, coloniam esse factam, nemo fere paulo humanior ignorat. Sed ita mendacii suspicio diluetur, si Festum ad prima illa spectasse reip. tempora dicemus, ante civitatem Fundanis, Formianis, Arpinatibus datam, nedum ante Cæsaris consulatum. Quod autem Romanos homines jus in præfecturis dixisse tradit: inde sequi videtur, ut in iis urbibus leges Romanæ servarentur. Neapolim autem, Præneste, Tibur, Baulos, Ravennam, quia legibus Romanis non uterentur, præfecturas fuisse, nullo modo crediderim. nam, si fuissent, minime Romanis exsulibus ibi licuisset commorari. habemus in epistola M. Cœlii exemplum Q. Pompeii, & T. Manutii Planci, Baulis, & Ravennæ, exsulantium ; cum uterque de vi, quod erat capitale crimen, condemnatus esset. Polybius autem, cives Romanos, legibus ejectos, Neapolim, Præneste, Tibur, petere solitos esse, ibique sedem ponere, uti liberis in locis, ostendit. neque inter præfecturas, & provincias, quidquam interfuisse puto, nisi quod provinciæ congregatæ, præfecturæ passim dispersæ. quod si præfecturas in unum cogeres, provincia esset. neque præfecturæ tamen ante legem Juliam, neque umquam provinciæ, licet Romanas leges tuerentur, e civibus Romanis constabant; sed omnes & erant, & dicebantur socii. itaque, legem de repetundis, quæ maxime ad rectores provinciarum attinebat, sociorum caussa latam, Cicero ait. Neapolim autem, Præneste, Tibur, quas Polybii testimonio præfecturas non fuisse, probatum est, idem Polybius fœderatas civitates appellat. post legem Juliam Neapolis municipium fuit; quod Cicero significat in epistola ad Acilium, fam. lib. XIII. & ad Att. lib. X. ante inter socios Italicos : item Tibur non ante legem Juliam municipium, sed inter socios Latini nominis. quod ex oratione pro Balbo colligitur. Præneste, colonia Latina, deducta, ut opinor, a Sulla dictatore. agros enim militibus divisit, fuitque Prænestinis infestissimus. nec ab eo paucas præterea deductas esse, constat. Ravennam Strabo lib. v. coloniam nominat : nihil de tempore. si ante scriptam a Cœlio epistolam, de qua jam meminimus; Latinam fuisse, necesse est ; siquidem exsules reciperet. sin postea ; civium Romanorum potuit esse. nec tamen liquet, sicuti nec a quo deducta. suspicor tamen, ab Augusto, cum III. vir esset reip. constituendæ. multas enim consensu Antonii collegæ deduxit. Verum, lege Julia lata, quæ civitas universæ ad extremum Italiæ est impertita, eadem fuit omnium, intra Italiæ modo terminos, conditio, municipiorum, coloniarum, præfecturarum, sociorum, sive Latini, sive Italici nominis : non, quod omnium in omnibus rebus æquarentur jura : sed, ut in suffragii latione pares essent. nec enim dubito, quin, etsi civitatis Romanæ, lege Julia, jus haberent, iisdem tamen, quibus antea, legibus omnes vixerint. ex quo mihi, ut aliud ex alio, suspicionis quiddam exoritur, aliquid omnino inter eos, qui jus habent civitatis Romanæ, & eos qui cives Romani sunt, interesse. nam cives Romani non modo censentur, & suffragium ferunt, verum etiam, ut dictum est jam, Romanis legibus utuntur; qui vero jus habent civitatis, censentur illi quidem, & suffragium omnes ferunt, non tamen simul illud contingit, ut legibus Romanis omnes vivant. quo de genere municipia esse, demonstratum jam est. ergo latius patet, habere jus civitatis, quam, civem Romanum esse : cum is, qui civis Romanus est, idem & jus habeat civitatis; qui vero civitatis habet jus, non idem continuo civis Romanus fit : quandoquidem fieri potest, ut alii Romanis, quemadmodum coloniæ, alii aliis, ut municipia, legibus utantur. Hoc cum ita videatur, tamen exempla repugnant. Nam Cicero Neapolitanos, lege Julia, civitatis Romanæ jus adeptos, cives Romanos vocat : quos tamen iisdem, quibus ante legem Juliam, legibus vixisse, dubitandum non est. *Manlius*, inquit in epistola ad Acilium, *est Sosis*. is fuit Catinensis : sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli : erat enim in id municipium adscriptus ante civitatem sociis & Latinis datam. Nec desunt alia ejusdem generis testimonia. Extra Italiam, coloniis exceptis, quarum prima Carthago fuit, socii omnes dicebantur : sed parum proprie nonnulli. nam socii re vera sunt, pari libertate qui fruuntur. at provinciales, cum Romanis parerent, socii tamen, blanditiæ caussa, vocabantur. Provincialium autem hæc propria fuere, ut Romanis regerentur magistratibus, Romanis legibus parerent, annuum vectigal penderent; Reliqui socii tribus e generibus constabant; ex iis, qui numquam hostes; ut Judæi, qui populorum orientalium primi, Romanam amicitiam appetierunt ; & Ptolemæus, Ægypti rex : qui socii immunes, omniumque expertes onerum, fuere : tum ex iis, qui hostes aliquando, postea, depositis armis, amicitiam cum populo Romano coiere : postremo loco, qui non sua sponte sese dediderunt, sed, armis victi, cum everti, ac deleri, belli jure, possent, clementia tamen, & benignitate populi Romani, fœdere percusso, inter socios relati sunt. Atque his omnibus commune sociorum, aut fœderatorum nomen, varia tamen condicio fuit : cum alii stipendiarii, alii immunes essent. Sed redeo ad tribus : a quibus ad rusticam plebem, & inde huc, oratio divertit. Dictum est de nominibus earum, & de temporibus : reliqua persequamur : & primum de locis. Fuere omnes vel in urbe, vel extra : si in urbe, vel in agro Romano, vel extra : si extra, vel in Latio, vel in Campania, vel in Sabinis, vel in Etruria. ulterius enim non extendebantur. in Latio duæ, Pomptina, Scaptia, ab oppidis; una præterea, Mæ-

cia, a quodam castro, ut ait Festus: quæ cum Scaptia simul addita. In Campania, Ousentina, ab Ousente fluvio; Falerina, a Falerno agro, non a Faleriis, Etruriæ oppido. simul enim adjunctæ sunt eodem anno, regiones propinquæ, Ousentina, Falerina: neque fuit eo tempore negotii quidquam cum Etruriæ populis. in Sabinis quattuor fuere, Crustumina, Aniensis, Velina, Quirina. prima, ab oppido; secunda, a flumine; tertia, a lacu Velino; quarta, ab oppido Curibus. Terentina cur adjungenda videatur, infra dicemus. In Etruria quattuor, Stellatina, a Stellatibus populis, non a Stellate campo, qui est in Campania: Tromentina, a campo Tromento, ut ait Festus; Sabatina, a Sabate lacu; Arniensis, ab Arno flumine, circa quem, qui recepti sunt in civitatem, habitabant. Nam Capenatibus, Faliscis, Vejentibus, qui Etrusco bello transfugerunt ad Romanos, civitate data, agroque assignato, tribus quattuor, quas nominavimus, ex novis civibus factæ sunt. Tres reliquæ sunt, e sedecim illis post liberam civitatem adjectis, Popillia, Publilia, Terentina: quarum difficilis explicatio est. obscurus enim Popilliæ locus, nec satis apertum nomen. Publilia sui quidem ipsa nominis originem indicat, ut aliæ a familiis deductæ; locum tamen quem habuerit, quamque regionem, plane latet. Terentinæ neque locus, neque satis nomen, constat. Popilliæ videtur etymologiam Festus exponere; nec tamen affert, in quo acquiescas. dictam ait a progenitrice: qua? familia, muliere, urbe, aliquo ejus nominis loco? non licet conjicere. ipse enim nihil addit. nec in antiquis lapidibus integra legitur, sed contracta sic, Pop. quibus ipsis litteris in eo s. c. scripta est, quod M. Cœlius ad Ciceronem misit, lib. IIX. epist. fam. accedit illud, quod, cum non nominetur a Livio inter ultimas quattuordecim, necessario sequitur, ut ante facta sit: quod si ante, aut statim post ejectos reges, aut ab ipso rege Servio. utrum accipiamus, constabit, a familia non posse derivari. nam neque Servius a plebeia familia tribum nominasset: neque, pulsis regibus, consules ad honorem plebis potius, quam patriciorum, fuisse propensos, verisimile videtur; cum eo tempore jaceret omnino plebs, quæ non modo consules de sua gente, quod ei multis post annis datum est, verum nec tribunos pl. aut ædiles, aut sacerdotes, aut omnino magistratum ullum, vel dignitatem, haberet. Publilia manifestum habet plebeiæ familiæ nomen. quod ferri potest: jam enim creari consules de plebe cœpti erant. nam additam ostendit Livius Fabio Ambusto, patriciæ gentis, Plautio Proculo, plebeiæ, coss. qui fuit annus, si lapides Capitolinos sequamur, post urbem conditam CCCXCV. & ante novem annos de altero plebeio consule perlata rogatio erat. itaque jam in summam dignationem plebs, adepta consulatum, pervenerat. Illud mirari satis non possum; si hoc honoris plebeio generi habendum fuit, cur non potius plebeiæ familiæ consulari, ut Sextiæ, Genuciæ, Liciniæ, Pœteliæ, Popilliæ, ipsi Plautiæ, e qua ortus erat consul ejus anni M. Plautius. nam Publilius ad eam diem consul nemo fuerat. quare scrupuli omnino, & in hujus tribus nomine, quiddam remanet. De loco, nihil affirmare licet. potuit juxta Pontinam esse; siquidem additæ simul eodem anno sunt. Pontina vero sine dubio, ubi oppidum Pomœtia fuerat. opinor autem, quæ simul adjunctæ sunt, proxime constitutas; quia video, (ut afferam exempla minime dubia) &, quæ additæ antea quattuor erant, Stellatinam, Tromentinam, Sabatinam, Arniensem, &, quæ adjectæ postea sunt, Ousentinam, Falerinam, propinquis in regionibus fuisse. Terentina videri potest a Terento, campi Martii loco, nomen trahere: qua tamen ex caussa, non occurrit: & perobscurus locus est, ab uno Festo nominatus; qui tamen, ubi de eo meminit, de tribu nihil addit. quod, nisi fallor, haudquaquam omisisset, ut qui tribuum etymologiam aliis in locis persequitur. Quis ei locus fuerit assignatus, æque obscurum est: non longe tamen ab urbe, licet suspicari; quia videtur prope Aniensem fuisse, cum qua est eodem anno adjuncta. Aniensis autem ab Aniene, agri Tiburtini flumine, procul ab urbe sedecim omnino millibus passuum. quod si prope Aniensem Terentina; certe non in agro Romano, a veteribus illis quindecim rusticis tribubus, quas Servius rex fecerat, multo ante occupato, maximeque frequenti, sed in Sabino, qui continens, adjunctusque Romano fuit, locum plane videtur habuisse. Agrum autem Romanum (ne quis erret) eum voco, qui, Servio regnante, ad Romanam ditionem pertinuit, quindecimque rusticis tribubus dispertitus est: cujus nosse terminos, haud facillimum videtur: angustos tamen fuisse, satis constat. cum Romulus quidem regnare cœpit, non ultra quintum, & sextum lapidem, ut ait Strabo, extendebatur; ab Etrusca parte nec integrum miliarium. finis enim agri erat Tiberis; qui a Palatii radicibus, id est a primæ urbis pomerio, passibus abest fortasse CD. neque, quidquid postea de finitimis hostibus captum, & occupatum est, agrum Romanum video nominatum. & Varro, cum de finibus, qui ætate ipsius observabantur, sermonem habet, quinque ponit agrorum genera, Romanum, Gabinum, ab oppido Gabiis; peregrinum, a pergendo, id est progrediendo. eo enim ex agro Romano primum progrediebatur. nam in Gabino, & Romano, etsi disjuncti essent, finibusque釆 internoscerentur, uno tamen modo ferebantur auspicia. adjungit hosticum agrum, & incertum, illum ab hostibus dictum; hunc, quia, de his quattuor qui esset, ignoraretur. mansit igitur, eversis jam Gabiis, agrorum distinctio. Gabii autem ab urbe distabant circiter decem millibus passuum: quorum agrum agro Romano adjunctum fuisse, Varro docet. Nec me movet, quod ait Livius lib. XXVII. *Patres extra Romanum agrum (eum autem in Italia terminari) negabant dictatorem dici posse*. Nam omnino, si large accipias, ager est Romanus tota Italia: quo modo non ab agris distinguitur, sed a provinciis. quod si velis eum ab aliis agris distinguere; alia ratio est. tunc enim agrum Romanum a Sabino, Campano, Hirpino, distinguimus: quodque singulis urbibus territorii adjacet, id earum urbium agrum vocamus. qua ratione dixit Cicero, *in agro Volaterrano*; Sallustius, *in agrum Pistoriensem*; Livius, *in agro Reatino*. exemplorum plena omnia. Hos maxime terminos augures spectabant, in auspiciis: & ex eorum scientia Varro, quod ipsemet fatetur, quinque fecit agrorum genera, quæ proxime nominavimus. Tenendum igitur illud primum, ad orientem solem, Latium versus, agrum Romanum patuisse, qua Gabino terminabatur, paullo longius x. miliariis, itemque qua Tusculanum agrum contingebat. Tusculum autem ipsum quoque in Latio fuit, sed aliquanto magis, quam Gabii, ad mare declinabat, meridiem versus. & in Latio prima fuit, ratione loci, Mæcia, quia juxta Lanuvium fuit, a castro nuncupato: secunda, Scaptia: tertia, Pomptina. Finitimas præterea, qua continentem spectabat, duas Roma nationes habuit, Sabinam a septentrione, Etruscam occidentem versus. In Sabina regione tribum primam Aniensem pono: & quod a Livio prima nominatur; & quia nullum in Sabinis oppidum propius urbem erat, quam Tibur. Anio autem, unde tribus nomen tulit, per Tiburtinum fluebat agrum. ex quo sequitur, ut ager Romanus terminaretur agro Tiburtino. inde patet longitudo. nam, cum Tibur ad sextumdecimum ab urbe lapidem fuisse constet; & aliquid præterea spatii quoquoversus ager occupaverit: aperte

cognoscitur, angustos admodum agri Romani fines fuisse, qui nec ad sexdecim miliaria protenderetur. Ab Etruria finitimus erat Vejentinus ager: cujus partem Servius rex, bello ereptam, intra fines incluserat agri Romani: unde nominatam tribum Vejentinam diximus. reliqua pars, victis, ac dirutis Veiis a Camillo, vectigalis quidem populi Romani facta, minime tamen ad Romanum agrum pertinuit. ergo terminos ibi statuemus, ubi Vejentium ager incipiebat, qui non ab urbe longius distabat XIII. millibus passuum, ut a Plinio lib. III. traditum est. & in Etrusca regione primam tribum Livius nominat Stellatinam, ultimam Arniensem: qua nullam fuisse ab urbe remotiorem, videtur Cicero significare oratione II. in Rullum, his verbis: *A Suburana usque ad Arniensem nomina vestra proponat*. Id est, a prima urbana ad ultimam rusticam. ultimam autem non tempore, (nam, multas post eam tribus esse additas, Livius demonstrat; postremam autem omnium Quirinam, epitome Liviana) sed ordine, cum ad ferendum suffragium tribus citarentur. una enim sorte ducebatur: cui praerogativae, quia prima rogaretur, nomen fuit: reliquae dicebantur jure vocatae; quod in his, sequente populo, ut saepe contigit, praerogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. vocabantur autem, ut opinor, propinquiores quaeque, usque ad ultimam: ut prima rustica vocaretur Romilia, quia sub Roma, ut ait Varro; ultima Arniensis, quia longissime omnium distabat. atque hunc ordinem servabat Rullus in divisione agri Campani. sunt enim haec in II. agraria: *Quaesivi ex eo Kalendis Jan. quibus hominibus, & quemadmodum, illum agrum esset distributurus. respondit, a Romilia tribu se initium esse facturum*. Arniensem porro fuisse ultimam in obeundo munere, ipse Cicero ostendit, cum subjungit in eo loco, *A Suburana usque ab Arniensem*. Et, quemadmodum hac de caussa inter rusticas Arniensis postremo statuitur loco; itidem, ut arbitror, Suburanam Varro, &, fortasse eum secuti, Festus, & Plinius, urbanarum tribuum primam nominant. nec enim a Servio rege praelatam eam in ordine Palatinae tribui, credibile est: cum Palatium sedes antiquissima trium primarum tribuum fuit, in quas Romulus, ante initam cum Sabina gente societatem, urbem divisit; eoque in monte Romulus ipse domicilium habuerit. nec tamen (ne temere videamur a Varrone, & aliis, dissentire: quamquam non est hoc dissentire, sed interpretari) nullo veterum testimonio nostra nititur conjectura. nam Dionysius Halicarnasseus, qui urbis Romae primordia, & omnem Romuli, tum in urbe condenda, tum in civitate instituenda, rationem accuratissimo, ac verissimo, ordine persequitur, primo loco Palatinam, deinde Suburanam, tertiam Collinam, quartam Esquilinam, statuit, ex partium scilicet vetustate: cum Varro primam faciat Suburanam, secundam Esquilinam, tertiam Collinam, Palatinam quartam. sed ita res commode temperabitur, ut Dionysius ordinem eum, quo factae sunt, Varro eum, quo ad lationem suffragii vocabantur, spectaverit. Verum, cur ille Servii regis ordo neglectus in suffragio? opinor, quia, sicuti tribus urbanae rusticis, ita inter ipsas urbanas aliae essent aliis ignobiliores, prout vel infrequentes erant tribules, vel egestate perditi, vel ignominia notati. quibus malis, duobus saltem postremis, puto laborasse Palatinam tribum: ideo in ultimum locum esse rejectam. neque vero, quasi somniantes, ita putamus: sed monemur exemplis. operas enim illas Clodianas, ultimae sortis homines, paratos ad omne facinus, quas Cicero saepe exagitat, suffragium in Palatina video tulisse: de quo sic in oratione pro domo: *Amici illi tui, te uno amico tecti, & beati, qui se populo commiserant, ita repellebantur, ut etiam Palatinam tuam perderent*. *Tuam*, dicit, non quod in ea suffragium Clodius ferret, (natus enim patricia familia consulari, & opibus etiam abundans, censeri potius in rustica, cum reliquis rura possidentibus, quam in urbana tribu debuit) sed quod in ea tribules haberet multos suae libidini, audaciaeque suffragantes. qua ipse de caussa in oratione pro Sextio, ubi Vatinium vexat, *Tribum*, ait, *suam non tulit*; *Palatinam denique, per quam omnes illae pestes vexare populum Romanum dicebantur, perdidit*. Est etiam illa de rusticis tribubus non ignobilis consideratio: censi ne sint in iis tribubus, quae ipsorum in agro essent, populi finitimi, puta Latini, in Pomptina, aut Scaptia; Sabini, in Velina, aut Quirina; Etrusci, in Stellatina, aut Tromentina, an potius in qua quisque tribu voluerit. cum de censu loquor, suffragium simul intelligo. nec enim dubitatur, quin, qua quisque in tribu census esset, in ea suffragium quoque tulerit. Consentaneum omnino videtur, ut in agri sui tribubus censerentur: sed exempla interdum secus ostendunt. id tamen observatum, ut nec in tribubus iis censerentur, quae in alienae regionis agro essent; puta, ne Latini in Sabina tribu, aut Etrusca; ne Sabini in Etrusca, aut Latina; ne Etrusci in Latina, aut Sabina. in quibus igitur? in iis, quae essent in agro Romano, quas Servius ex quindecim fecerat; nec tamen in his omnibus, sed in habentibus nomen patriciae gentis: quas octo omnino fuisse, jam diximus. Proferamus exempla. Quis nescit, Formias, Fundos, Arpinum, in Latio fuisse? nec tamen Latinis in tribubus haec municipia censebantur, sed in Aemilia Formiani, & Fundani, in Cornelia Arpinates. id ex Livio constat; apud quem lib. XXXIIX. scripta sunt haec: *De Formianis, Fundanisque, municipibus, & Arpinatibus, C. Valerius Tappo tribunus pl. promulgavit, ut iis suffragii latio esset. huic rogationi quattuor tribuni pl. quia non ex auctoritate senatus ferretur, cum intercederent, edocti, populi esse, non senatus, jus, suffragium, quibus velit, impertiri, destiterunt incepto. rogatio perlata est, ut in Aemilia tribu Formiani, & Fundani, in Cornelia Arpinates, ferrent. atque in his tribubus tum primum ex Valerii plebiscito censi sunt*. Sabini ipsi, qui quattuordecim erant populi, cum in eorum agro tribus essent quattuor, ut ostendimus, Velina, Quirina, Aniensis, Terentina, tamen in harum nulla, sed in Sergia, una de quindecim Servianis rusticis, suffragium ferebant. testem habeo Ciceronem, qui contra Vatinium haec: *Ob hasce omnes res, scias, te severissimorum hominum, Sabinorum, fortissimorum virorum, Marsorum, & Pelignorum, tribulium tuorum, judicio notatum; nec, post Romam conditam, praeter te, tribulem quemquam tribum Sergiam perdidisse*. Nec vero, mutatam esse tribum cujusque arbitrio, sed, hoc censorum potius in manu situm fuisse, existimaverim. Porro, sicuti non omnes populi in tribubus agri sui, sic non omnes cives in tribubus sui nominis. exempli gratia, non omnes Claudii in Claudia, neque omnes Cornelii in Cornelia, censebantur. id ex Livio cognoscitur: qui, C. Claudium Neronem, non in Claudia tribu, quae fuit in agro Romano, sed in Arniensi, Etruscarum ultima, censeri solitum, lib. XXIX. scriptum reliquit. quo in loco vulgati omnes libri macula deformati circumferuntur. legitur enim, *tribum Narniensem*, pro *Arniensem*: cum Narniensis mentio neque in lapidibus, neque in libris, ulla reperiatur; Arniensem vero idem Livius lib. VI. & Cicero in agraria II. nominent. quodque firmius est, ipsi lapidem vidimus Vulsiniis in templi parietibus, quo in lapide integrum, expressumque, tribus Arniensis nomen extat: ut alios lapides omittam. Tribuum autem XXXV. nomina a nobis descripta sunt ad epistolam Caelii, Fam. lib. IIX. Ad quas XXXV. Tribus, qua-

rum numerus C. Lutatio, A. Postumio coss. anno ab V. C. DXI. absolutus est, aliæ postea sunt adjectæ: nec tamen umquam in publicis monumentis, aut in libris, qui nostram ad ætatem pervenerunt, cum simul omnes nominantur, plures XXXV. sunt. additas stante rep. decem esse, ex Italicis populis lege Julia civitate donatis, declarat historia: qui fuit annus DCLXV. sed, cum se nullam fere vim, pro tribuum paucitate, in comitiis habere, omniaque veterum civium in manu esse, Itali sentirent; tentatum quidem a L. Cinna consule, ut in omnes XXXV. tribus distribuerentur: verum, exorto ob eam caussam civili bello, quo Cinna, Octavio collega interfecto, summam remp. cum C. Mario injustis imperiis oppressit, nullam deinde in rep. factam tribuum accessionem legimus. nomina tamen aliarum reperiuntur, quas constat esse additas imperatorum ætate. Omittamus vero jam nomina. rem agamus. Ferebant suffragium in XXXV. tribubus quicumque censebantur. hi constabant ex diversis generibus. nam censebantur cives Romani, id est, qui Romanis magistratibus, legibus, sacris, utebantur. quorum erant duo genera; qui domicilium intra pomerii terminos habebant; qui populus Romanus dicebatur; & qui in agro Romano, ac deinceps in omnibus XXXV. tribubus, quousque protendebantur, habitabant: qui cum essent cives Romani, tamen populi Romani nomine excludebantur. itaque Augustus in suo testamento distinxit populum Romanum a XXXV. tribubus. Sic enim Suetonius in ejus vita: *Legavit populo Romano quadringenties, tribubus tricies quinquies HS.* Censebantur & municipes: qui neque partes tribuum, neque proprie cives Romani, erant, sed in tribubus suffragium ferebant, & civitatis jus habebant. erant autem alii citra, alii extra terminos, qui tribus definiebant: omnesque suis, non Romanis, magistratibus, legibus, sacris, utebantur. censebantur coloniæ civium Romanorum, quibus eædem, quæ populo Romano, leges, eadem sacra, erant, diversi tamen magistratus: nam ex ipsa colonia, ex ordine decurionum, II. viri creabantur. Hos ego omnes Romæ a censoribus ante legem Juliam esse censos, facile crediderim. post legem Juliam, civitate universæ Italiæ impertita, mirum videri posset, tantam multitudinem, ut cenferetur, in urbem confluxisse: nec desunt, qui opinentur, omnes, in suis oppidis, atque urbibus, a suis magistratibus esse censos, deinde censorum numerum Romam ad censores missum. me Ciceronis, & Pediani, testimonium adducit, ut omnino Romæ censos existimem. ait enim Cicero in Verrem: *Cum hæc frequentia totius Italiæ Roma discesserit.* Et subjungit Pedianus: *Frequentiam dicit plebis rusticæ, cui voluit judicii exitu notam esse integritatem suam. convenerat autem ex municipiis cujuscunque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum caussa, aut ludorum votivorum, Romanorum, Victoriæ, plebeiorum, aut ut censeretur apud censores Gellium, & Lentulum.* Tabulas tamen eorum, qui censerentur, duplices fuisse crediderim: quarum unas Romæ, alteras in eorum urbibus, aut oppidis, asservatas. Romæ, quis dubitet? qui enim censerentur, eorum nomina censorias in tabulas relata, ita consentaneum est, ut, probare testimoniis, putidæ cujusdam videatur esse diligentiæ. exemplum autem earum tabularum ad unumquodque municipium, aut ad colonias civium Romanorum, esse missum, satis aperte locus Ciceronis in oratione pro Cluentio declarat. *Illum*, inquit, *publicas tabulas Larini censorias corrupisse, decuriones universi judicaverunt.* Et infra, in eadem, *Dum, eum fuisse Oppianicum, constabit, qui tabulas publicas municipii sui corrupisse judicatus sit.* Quemadmodum autem locum in tribu, hoc est potestatem ferendi suffragii, virtute, & meritis in remp. peregrini homines consequebantur: sic ob turpem, ignominiosamque vitam, vel amittebatur tribus, vel mutabatur. &, qui tribum amittebat, tum ærarius fieri, tum in ærarios, aut in Cæritum tabulas referri, dicebatur. quo quid significetur, docet Asconius, his verbis: *Regendis moribus civitatis censores quinto quoque anno creari solebant: hi prorsus cives sic notabant, ut, qui senator esset, ejiceretur senatu; qui eques Romanus, equum publicum perderet; qui plebeius, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non essent in albo centuriæ suæ, sed ad hoc esset civis, tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet.* Planius etiam apud Gellium, lib. XVI. cap. 13. *Primos*, inquit, *municipes sine suffragii jure Cærites esse factos accepimus. concessumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negotiis tamen, atque oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis, custoditisque. hinc tabulæ Cærites appellatæ versa vice, in quas censores referri jubebant quos, notæ caussa, suffragiis privabant.* Mutabat vero tribum, qui vel, pœnæ loco, ex nobili in ignobilem, hoc est ex rustica in urbanam, aut etiam ex rustica in aliam rusticam ignobiliorem, vel contra, præmii loco, ex urbana in rusticam, aut ex rustica in aliam nobiliorem rusticam, transferebatur. quod, moveri tribu, dicebatur. de quo sic Livius lib. XLV. *Negabat Claudius suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini universo, adimere posse. neque enim, si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam, mutare jubere tribum, ideo omnibus V. & XXX. tribubus emovere posse, id est civitatem, libertatemque eripere, non, ubi censeatur, finire, sed censu excludere.* est autem frequentius, rejici a nobili in ignobilem, quod censoria nota fieri consuevit, quam ab ignobili ad nobilem transduci: quod in oratione pro Balbo animadvertimus: in qua, Balbum, reo, quem accusaverat, de ambitu damnato, tribum Crustuminam legis præmio esse adeptum, constat. nec enim antea Balbum in urbana, sed in rustica, tribu suffragium tulisse, verisimile videtur. Et, quod dixi, ærarium fieri, & tribu moveri, diversa esse: id Cicero confirmat in oratione pro Cluentio, his verbis: *Ipsi inter se censores sua judicia tanti esse arbitrantur, ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet.* Livius quoque lib. XLII. *Omnes, quos senatu moverunt, quibusque equos ademerunt, ærarios fecerunt, & tribu moverunt.* Et lib. XXIV. *His, superioribusque illis, equi adempti, qui publicum equum habebant: tribuque moti ærarii omnes facti.* quod nisi diversa essent: neque Cicero ea particula, quæ distinguendi vim habet, usus esset, neque Livius illud, *Ærarii omnes facti*, quod otiosum, atque inane, prorsus videretur, inculcasset. At, in quo diversa? quæret aliquis. Non est facillima deliberatio. aggrediamur tamen, & conemur explicare, quod exploratum non habemus. fortasse enim in ipsa re tractanda, ut interdum solet accidere, veritas ipsa, aut saltem species aliqua veritatis, emerget. Primum igitur illud statuo; quod omnino fixum sit, necesse est: veterum enim auctoritate, minimeque dubio testimonio, confirmatur: ærarium fieri, cum dici, qui jura omnia civium Romanorum amitteret, unum illud retineret, ut pro capite suo, tributi nomine, æra penderet. id quod a Pediano plane satis explicatur. suffragium igitur adimebatur iis, qui ærarii a censoribus fierent. quod cum ita sit; necesse est, *moveri tribu*, aliud quippiam significare, atque etiam levius esse, quam *ærarium fieri*: quod ostendimus esse gravissimum: quandoquidem adimuntur omnia commoda, omnesque dignitates, & honores; relinquitur autem, quod nemini jucundum est, onus tributi. sequitur igitur, si, *moveri tribu*, tribus ademptio non est, certe, ut mutatio sit. quod, hic ne parum necessariis probe-

tur exemplis, ipso interprete Livio jam ostendimus. *Referri* autem *in tabulas Cæritum*, non video, qui possit idem esse, quod, *moveri tribu*. non enim, qui tribu movetur, suffragium amittit, sed mutat locum, ut, non in qua antea, sed in aliqua minus nobili, tribu censeatur, & suffragium ferat. at, *referri in tabulas Cæritum*, qui omnino suffragium amitteret, is dicebatur. quod ex Gellio, & Strabone, liquet. idque puto significari, cum vel apud Livium, Ciceronem, Gellium, alibi, ærarium fieri, aut in ærarios referri, legimus. nec Pedianus, cum dixit, *Qui plebeius erat, sic a censore notabatur, ut in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret*; quasi duo diversa posuit, sed unum diversis verbis explicavit: quod veteres nonnumquam solebant: quo scilicet res fieret illustrior: multo enim usitatius, ideoque apertius, id loquendi genus, *ærarium fieri*, quam, *in Cæritum tabulas referri*: & alterum in Livio sæpe, alterum, nisi me fallit memoria, numquam invenias. semel Gellius, sed ut rem doceret, cum de municipiorum ageret origine, non ut factum narraret, usurpavit. semel Pedianus, sed conjuncte: subjunxit enim, *Et ærarius fieret*, quasi parum plane locutus esset ad sententiam exponendam. Hic objicitur illud: mutila est igitur Pediani narratio, quæ unum modo genus ignominiæ ponat, suffragii videlicet ademptionem; cum illud præterea sit, suffragii translatio a tribu ad tribum; eorum videlicet, qui tribu movebantur. Non est inepta dubitatio. nec tamen, quod respondeatur, in promptu non est. Concedo, duplicem fuisse plebeiorum ignominiam, ærarium fieri, & moveri tribu; neque tamen Pediani culpam, quia de duabus unam omiserit, agnosco. non est hoc, id, quod agitur, ignorare, sed ex iis, quæ scimus, summa decerpere, quod in tradenda doctrina vitio non adscribitur, laudatur etiam, & elegantis ingenii videtur esse. quid? an id, quod omittitur, simul idem negatur? notas censorias Pedianus in senatoribus, equitibus, plebeiis, non omnes, sed insignes maxime, persequitur: si quam prætermittit in plebeiis, facit idem in senatoribus, & equitibus. non enim senatores tantum senatu movebantur: sed ærarii quoque fiebant, censu etiam multiplicato: itidem equitibus non equus modo publicus, sed arma quoque, adimebantur. itaque non est, cur aut Pedianus in suspicionem inscitiæ, vel negligentiæ, veniat; aut ejus verba nostram sententiam infirmare videantur.

Quemadmodum, cum de civibus Romanis intra fines agri Romani habitantibus loquerer, visa est ad cognitionem necessaria distinctio, ut alios senatores, alios equites, alios de plebe fuisse ostenderem; vel alio modo, alios patricii generis, alios plebeii: ita, cum non de solis civibus Romanis, quibus aut in urbe, aut in agro Romano, domicilium esset, sed generatim de omnibus, qui cives Romani vocarentur, verba facio; operæ pretium videtur esse, ut, ejusdem ne generis omnes essent, an aliqua re differrent, significem. Scire igitur oportet, non modo eos, quibus in urbe, aut in agro Romano, domicilium esset, sed omnes plane municipes, qui extra agrum Romanum suis in municipiis, aut in Latio, aut in reliquis Italiæ partibus, aut etiam extra Italiam, habitabant, cives Romanos esse nominatos: quod ne minus veri simile videri possit, recitabo Ciceronis testimonium in oratione pro Cluentio. *Martiales quidam*, inquit, *Larini appellabantur, ministri publici Martis, atque ei deo veteribus institutis, religionibusque Larinatium consecrati. quorum cum satis magnus numerus esset; cumque item, ut in Sicilia permulti Venerei sunt, sic illi Larini in Martis familia numerarentur: repente Oppianicus, eos omnes liberos esse, civesque Romanos, cœpit defendere*. Dixit enim, *Cives Romanos*, hoc est, eodem jure, quo ceteri municipes erant. hoc autem eo patet illustrius, quod in epistola ad Acilium Neapolitanos cives Romanos idem Cicero appellat. *Manlius*, inquit, *fuit Catinensis; sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus, decurioque Neapoli. erat enim adscriptus in id municipium ante civitatem sociis, & Latinis datam*. Erant igitur, & dicebantur, cives Romani, qui civitate cum suffragio donabantur: qui vero civitate sine suffragio, ii non cives Romani, sed tantummodo Romani, vocabantur: quod de Acerranis a Livio proditum legimus: atque hi nomen tantum, & honorem, Romanæ civitatis habebant: tributum pendebant: magistratus autem, aliave munera, aut curationes, capere non poterant. cujusmodi Cærites fuerunt: quibus omnium primis civitas, sed sine suffragio, est data, pro sacris Gallico bello receptis. unde Cæritum in tabulas relati dicebantur ii, qui a censoribus omni civium Romanorum jure privabantur, uno excepto, ut æs tributi nomine penderent. Civitatem igitur cum suffragio consecuti, cum cives Romani essent, ac dicerentur, sociorum tamen nomen non amittebant, iique auxiliares in bellis appellabantur: quibus vero concessa quidem civitas, suffragii vero ferendi denegata potestas est, neque cives Romani, neque municipes, sed tantum cives, & socii, vocabantur. Jura porro civium Romanorum, qui ex municipiis non essent, hæc erant. Censebantur, suffragium ferebant, honores, magistratusque, capiebant, æs pro suo capite, tributi nomine pendebant, habebant locum in legionibus, utebantur legibus Romanis, sacra more Romano faciebant, Quirites, populusque Romanus, vocabantur. quæ illis non omnia cum municipibus erant communia. nam, cum essent ipsi quoque cives Romani, jura tamen illa, quæ nominavi, non omnia plane, sed quattuor, habebant, quattuor vero non habebant. censeri, suffragium ferre, munerum omnium partem capere, unde Municipes dicti, tributum pendere, hæc habebant: locum vero habere in legionibus, uti legibus Romanis, sacra more Romana facere, Quiritum, populive Romani, nomine appellari, non habebant. A Coloniis vero & magis, quam a municipibus, nec eodem modo, cives Romani differebant. nam coloni similes erant civibus Romanis tribus rebus, quia legibus Romanis vivebant; sacra Romano ritu peragebant, locum in legionibus habebant; dissimiles quinque, quia neque censebantur, neque suffragium ferebant, neque munerum participes erant, neque tributum pendebant, neque Quirites, aut populus Romanus, dicebantur: ideoque nec cives Romani vocabantur, quamquam e civitate ipsa in colonias essent profecti. non enim, qui non censetur, suffragii jus habet, nec civis Romanus est. ideoque municipes, quia censentur, suffragium ferunt, civesque Romani appellantur. Est etiam, in quo cives Romani differrent ab iis, qui præfecturas incolebant, considerandum. hi tantum una re civium Romanorum imaginem præ se ferebant, quia legibus Romanis utebantur; quandoquidem a Romanis magistratibus, ut Festus admonet, regebantur: ex quo sequitur, ut legibus Romanis viverent: cetera vero civium Romanorum jura non habebant, commodius igitur cum municipiis, quam cum coloniis, aut præfecturis, agebatur. siquidem coloniæ, & præfecturæ, cum plus oneris, tum vero minus habebant emolumenti. obstricti enim legibus Romanis tenebantur, neque tamen frui muneribus publicis poterant. Municipes vero quodam modo frui libertate videbantur, cum a suis civibus regerentur, suisque moribus, ac legibus, viverent: &, ubi vellent, Romam ire ad suffragium in tribubus ferendum, ipsique capere magistratus æque poterant, ac si Romæ, aut in agro Romano, domicilium haberent. quod quanti esset, facile est iis animadvertere, qui, quantum Roma municipiis

præstiterit, quantoque fuerit optabilius florere honoribus in orbis terrarum urbe principe, ac domina, quam in quovis oppido, quavis condicione, vitam agere, cum animo suo consideraverit. Recte igitur Prænestini, cum Tiberius imperator in eorum finibus, sub ipso oppido, capitali ex morbo convaluisset, ab eo petierunt, ut ex colonia in municipii statum redigerentur: idque illis Tiberius, ut quasi gratiam pro recuperata valetudine referret, muneris loco tribuit. stulte autem Italicenses, unde ortum duxit Hadrianus imperator: qui, cum essent municipes, in jus coloniarum mutari maximopere cupierint. cujus opinionis errorem ab Hadriano ipso oratione admodum erudita patefactum in senatu, Gellius tradit. Nunc, quæ commemoravimus civium Romanorum jura, faciendum videtur, ut singula repetamus, & quo instituimus ordine, quam licebit diligenter, breviter tamen explicemus. Ac primum, quod ad censum attinet, hæc sunt quærenda: quo ætatis anno censerentur: mares ne tantum, an mares pariter, & feminæ: ingenui ne tantum, an etiam libertini; ii ne tantum, quibus in urbe, hoc est intra pomerium, domicilium esset, an etiam qui extra urbem intra fines agri Romani, atque adeo qui in municipiis, quique etiam in coloniis, habitarent: an absentes censerentur: quoto anno census fieret, a quo magistratu, quo in loco: in centuriis, an in tribubus, & quo ordine, censerentur: quæ esset in cives Romanos animadversio censoria, eaque in perpetuum duraret, an vero tolli soleret: quæ item censoribus essent animadvertendi caussæ: an aliqua esset in censis pœna: omnes ne censi eodem jure munerum omnium participes essent, an census differentia dissimilem in dignitate condicionem faceret: quoties census actus sit: qui censorum minimus numerus, & qui maximus, fuerit. quæ omnia antiquitatis ita docet observatio, ut significet potius, quam declaret. pauca sunt enim, quæ veteres illi, non eandem fortasse in Romanis institutis, ac moribus, quam in ceteris rebus humanis, mutationem veriti, plane, enucleateque, litteris expressa reliquerint. Ita, nisi eundem librum sæpe legas; nisi loca locis conferas; nisi mentis aciem intendas; operamque des, ut ex unico nonnumquam verbo multa scitu digna elicias, ingeniumque, & conjecturam secutus, ad summam rei difficilis, & obscuræ, notitiam, quasi per quosdam scalarum gradus, adscendas; inanem laborem in hoc genere, studiumque suscipias minime fructuosum. Censebantur cives Romani, non ubi ad ætatem ferendis armis idoneam, hoc est ad annos XVII. pervenerant; quod video quosdam existimasse; sed a quo primum die nati erant. nam, si robustiores tantum censi essent, Ser. Tullio regnante, qui censum instituit, Romæ fuissent hominum CC. millia. Si quidem Livius XXC. millia, Dionysius etiam plures in primo censu commemorat. ut necesse sit, eos, qui nondum per ætatem gestare arma possent, (omitto senes, affecta jam ætate, ob infirmitatem virium domi sedentes, aut in lectulis cubantes) haud fere pauciores XX. millibus fuisse. tantoque marium numero parem fuisse numerum feminarum, æque necessarium videtur, quod certe, ad æstimationem quidem judicii mei, vix est, ut credi possit. demus, id quod verum est, urbem Romam quinque regum virtute, ac sapientia, rebus omnibus vehementer esse auctam. annorum vero CLXXIII. spatio (in ipso enim regni principio Servius, sextus rex, censum instituit) incrementa fuisse tanta, ut capitum CC. millia, quam hodie multitudinem in una, aut altera, Europæ urbe vix, aut fortasse ne vix quidem, invenias, numerata sint, ita simile veri non est, ut monstri simile videatur. Ipse etiam Livius lib. IV. cum ait, *Q. Fabio, T. Quinctio coss. censa civium*

A *capita* CIV. & XX. *millia*, CCXIV. *præter orbos, orbasque*, nullam ætatem, orbis exceptis, nullumque sexum censu exclusum, satis indicat. Idemque libro LIX. significat, cum inquit: *Censa sunt capita* CCCLXIIX. *millia*, DXXIII. *præter orbos, & viduas*. Dubia fortasse colligere videmur argumenta. sit ita. unum certissimum, cui fidem non habere nemo debeat, ex accurata Dionysii Halicarnassei sumptum historia, proferemus. is igitur lib. III. sic. Ταῦτα κατασκευασάμενος ἐκέλευσεν ἅπαντας Ῥωμαίους ἀπογράφεσθαί τε καὶ τιμᾶσθαι τὰς οὐσίας πρὸς ἀργύριον, ὀμόσαντας τὸν νόμιμον ὅρκον, ἦ μὴν τἀληθῆ καὶ ἀπὸ παντὸς τοῦ βελτίστου τετιμῆσθαι, πατέρων τε ὧν B εἰσι γράφοντας, καὶ ἡλικίαν, ἣν ἔχουσι, δηλοῦντας, γυναῖκάς τε καὶ παῖδας ὀνομάζοντας, καὶ ἐν τίνι κατοικοῦσιν ἕκαστοι τῆς πόλεως τόπῳ, ἢ πάγῳ τῆς χώρας, προστιθέντας. τῷ δὲ μὴ τιμησαμένῳ τιμωρίαν ὥρισε τῆς τε οὐσίας στέρεσθαι, καὶ αὐτὸν μαστιγωθέντα πραθῆναι. *His ita institutis jussit omnes cives dare nomina, suaque bona censere, addito jurejurando legitimo, se vere illa & bona fide æstimasse, adscriptis etiam ætatis annis, & parentum nominibus, atque adeo conjugum etiam ac liberorum; ad hæc quam quisque urbis regionem, quemve agri Romani pagum incoleret; ei qui censum neglexisset, pœna proposita, ut bonis in fiscum redactis, virgis cæsus sub hasta væniret*. C Quibus verbis, non modo cujusque rem esse æstimatam, quod unum Livius, scriptor interdum parum diligens, tradidit, verum etiam ætates omnium, uxores, liberos, locum, ubi habitarent vel in urbe, vel in agro, publicis in tabulis notatum, planissime ostenditur. Quod autem ad libertinos attinet; eos item una cum ingenuis esse censos, idem infra significat, his verbis: Ὁ δὲ Τύλλιος καὶ τοῖς ἐλευθερουμένοις τῶν θεραπόντων, ἐὰν μὴ θέλωσιν εἰς τὰς ἑαυτῶν πόλεις ἀπιέναι, μετέχειν τῆς ἰσοπολιτείας ἐκέλευσεν. ἐπιτρέψας γὰρ ἅμα τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐλευθερίαι, καὶ τούτοις τιμήσασθαι τὰς οὐσίας, εἰς φυλὰς κατέταξεν αὐτοὺς τὰς κατὰ D πόλιν τέτταρας ὑπαρχούσας, ἐν αἷς καὶ μέχρι τῶν καθ' ἡμᾶς χρόνων ταττόμενοι διετέλουν. τὸ ἐξελευθερικῶν φῦλον, ὅσον ἂν ᾖ, καὶ πάντων ἀπέδωκε τῶν κοινῶν αὐτοὺς μετέχειν, ὧν καὶ τοῖς ἄλλοις δημοτικοῖς. *Tullius etiam servis manumissis, nisi mallent redire in patriam, communicavit jus civium. jussis enim cum ingenuis bona in censum referre, in quattuor urbanas tribus distribuit, in quas & nostro tempore mos est referri quicquid est libertini generis: eosque omnium munium, quorum & ceteros plebeios, fecit participes*. Utrum vero censerentur, qui extra pomerium, an soli qui intra pomerium habitabant, dubitare non licet: cum supra idem & de agro Romano mentio-E nem fecerit, in eo, ἐν τίνι κατοικοῦσιν ἕκαστοι τῆς πόλεως τόπῳ, ἢ πάγῳ τῆς χώρας. Et, ut de rusticis Romanis censis ex Dionysio, sic de municipibus, postea quam communicari cœpta civitas est, plane constat ex eo Pediani loco: *Convenerat ex municipiis cujuscumque modi multitudo, aut, propter comitia, suffragiorum caussa, aut ludorum, aut ut censeretur*. Nec tamen obscure idem significant illa verba pro Cluentio: *Illum tabulas publicas Larini censorias corrupisse, decuriones universi judicaverunt*. certe enim de tabulis iis intelligit, in quas censores, cum civium Romanorum censum agerent, municipum nomina retulerant. Coloni non censebantur. nam, si censi essent, F cives Romani fuissent. cives autem non fuisse, liquet ex eo, quod neminem umquam ex ulla colonia (& erant multæ prope urbem) suffragii ferendi caussa ad urbem venisse, legimus: cum de municipibus & fieri mentionem aperte, & significari sæpe, videamus. Sed argumentum illud clarissimum, quod, multos ex coloniis cives Romanos esse factos, Cicero commemorat in oratione pro Cluentio. semel omnino colonias esse censas, bello scilicet Punico secundo, animadverti. sed id, non quia coloni civium numero haberentur, factum existimo, sed, ut, qui-

bus

bus auxiliis uti populus Romanus in bello posset, e censu posset intelligi. id quidem antea numquam factum, scribit Livius: postea, non existimo: nec enim a veteribus, quod quidem ego legendo notaverim, traditum est. Livii verba, quæ nostram sententiam confirment, l. xxix. hæc sunt: *Duodecim coloniarum, quod numquam antea factum erat, deferentibus censoribus, censum acceperunt: ut, quantum numero militum, quantum pecunia, valerent, in publicis tabulis monumenta exstarent*. Absentes, sive reip. sive sui caussa abessent, tamen censebantur. sed melior erat præsentium, quam absentium, condicio. poterant enim ipsi rerum suarum rationem multo certius ad censores deferre: ut, pro suo deinde quisque censu, tributi nomine, æra penderet. utriusque generis exempla, unum ex Cicerone, alterum ex Livio, sumptum, afferemus. *Ne absens*, ad Atticum scribit Cicero libro I. *censeare, curabo edicendum, & proponendum locis omnibus*. Aberat enim Atticus sui negotii caussa. Livius autem l. xxix. *Censores*, inquit, *per provincias dimiserunt, ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus. censa cum iis* $\overline{CCLXV}$. *hominum*. Censebantur quincto quoque anno, lustro scilicet confecto, quod integrum quattuor annorum spatium fuit. tametsi, ultra quadriennii intervallum vel bello, vel domesticis discordiis, vel alio casu, sæpe productum esse censum, observavimus. Magistratus huic muneri præfuit, primum, qui summus in urbe fuit, reges duo postremi, Servius, & Superbus; ejectisque regibus, consules; deinde, cum consules bellis impedirentur, censores; qui ab re nomen acceperunt. Census in foro fiebat: lustrum in campo Martio condebatur, cæsis sue, ove, tauro: quod sacrificium & Solitaurilia, & Suovetaurilia, vocabant. De lustro Livius, Dionysius, omnes historiæ narrant. de censu, inde conjicio, quod equites trabeatos per medium forum idibus Quinctilibus ante censores sua manu equum transduxisse, Livius, Valerius, Suetonius, Plutarchus, affirmant. qua in re significanda, verbum, *Transvehere*, veteres historici libenter usurparunt; Cicero, *Transducere*, dixit. quod si equites in foro censebantur: de ceteris, nihil obstat, quin idem putemus. A principio, e Servii regis instituto, in sua quisque classe, hoc est, ex suo quisque censu, quæ rei familiaris erat æstimatio, censebatur; qui $\overline{C}$, eove amplius, possideret, in prima classe: qui infra $\overline{C}$ usque ad $\overline{LXXV}$, in secunda; inde ad $\overline{L}$, in tertia; inde ad $\overline{XX}$, in quarta; ab eo ad $\overline{XI}$, in quincta; infra vero, in sexta. ex quo sequitur, ut decuriones, equites, senatores omnes in prima classe censerentur: quandoquidem neque decurio poterat esse, qui $\overline{C}$, non haberet; neque eques, qui $\overline{CD}$; neque senator, qui $\overline{CC\infty}$. Cum vero in classibus cives esse censos dico, in centuriis intelligo. nam classes in centurias dividebantur. Post expletas vero XXXV. tribus non in centuriis, sed in sua quemque tribu, censum esse crediderim. senatores enim, clarissimos viros, summis honoribus functos, ipsos, inquam, censores, M. Livium Salinatorem, C. Claudium Neronem, in suis utrumque tribubus, nulla facta classium mentione, censum esse, Livius lib. xxix. perspicue demonstrat, his verbis. *Equitum deinde census agi cœptus est. & ambo forte censores equum publicum habebant. cum ad tribum Polliam ventum est, in qua M. Livii nomen erat; & præco cunctaretur citare ipsum censorem: Cita, inquit Nero, M. Livium; &, sive ex residua, & vetere simultate, sive intempestiva jactatione severitatis, inflatus, M. Livium, quia populi judicio esset condemnatus, equum vendere jussit*. item M. Livius, *cum ad tribum Arniensem, & nomen collegæ, ventum est, vendere equum C. Claudium jussit*. Festus tamen videtur significare, post expletas etiam xxxv. tribus censos esse cives Romanos

A in centuriis. ait enim sic: *Niquiscivit centuria est, quæ dicitur a Ser. Tullio rege constituta, in qua liceret ei suffragium ferre, qui non tulisset in sua; ne quis civis suffragii jure privaretur. nam, sciscito, significat, sententiam dicito, ac suffragium ferto: unde scita plebis. sed in ea centuria neque censetur quisquam, neque centuriæ præficitur, neque centurialis potest esse: quia nemo certus est ejus centuriæ. est autem, Niquiscivit, nisi quis scivit*. Pedianus etiam, cujusque civis nomen in albo suæ centuriæ scriptum fuisse, tradit; indeque exemptos, qui a censore ærarii fierent. itaque hanc veterum quasi controversiam ita dirimemus, ut nominatas quidem, & reco-

B gnitas, in censu singulas tribus, nomina tamen civium in sua cujusque centuria scripta, esse dicamus. Et, quoniam tria genera civium fuisse, senatores, equites, plebem, & plebi equites, equitibus senatores, dignitate præstitisse, jam dixi: ratio postulat, id quod etiam veterum exempla testantur, ut in censu primus ordinis senatorii locus, equitum secundus, plebis vero fuerit postremus. primum igitur recitabantur omnium senatorum nomina. erat autem inter ipsos senatores, primum recitari, perhonorificum: isque *princeps senatus* vocabatur. id in arbitrio censorum positum erat: a quibus tamen nemi-

C nem, nisi de consularibus, principem senatus esse lectum, animadvertimus. eodem modo *princeps equestris ordinis* dicebatur is, quem censores primo loco scripsissent in iis tabulis, quæ equitum nomina continebant. Post senatores censebantur equites hoc modo. Primum singularum tribuum, quæ erant omnes XXXV, nomina tantum legebantur. deinde equites omnes cujusque tribus, in unum collecti, recitabantur. ita & fiebat equitum census seorsum a plebeiis, sicuti senatorum factus erat seorsum ab equitibus, pro cujusque scilicet ordinis honestate: nec tamen quisquam extra tribum censebatur. quod Livii locus de Nerone & Livio demonstrat. tribus e-

D nim Polliæ lectum esse nomen, deinde citatum M. Livium declarat; & post, recitato Arniensis tribus nomine, Claudium Neronem. quemadmodum enim omnes simul senatores censebantur, quod satis antiquorum scripta legentibus liquet: sic, omnes simul equites esse censos, ita verisimile est, ut dubitare, nisi qui, quod ajunt, nodum in scirpo quærat, nemo possit. alioqui, ad recognoscendas equitum centurias, quam longi temporis fuisset opus, si dispersis per omnes tribus equitum nominibus, diversis in locis, permisti cum plebeiis, legerentur. quæ porro in equitibus censendis ratio, eadem certe multo magis in ordinis senatorii censu

E servabatur. Peracto senatorum, & equitum, censu, tertius ordo, homines de plebe, in sua quisque tribu censebatur. Hanc mutationem census, a classibus ad tribus, fortasse Livius l. I. significat, cum ait: *Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis juniorum, seniorumque, ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire. quadrifariam enim urbe divisa regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo. nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ra-*

F *tio est. neque hæ tribus ad centuriarum distributionem, numerumque, quidquam pertinuere*. Notatio, & animadversio, censoria in improbos, aut parum civitate Romana dignos, cives non ejusdem erat generis: eaque cum utebatur censor, *facere censionem*, antiquo loquendi more dicebatur. senator senatu movebatur: eques equum publicum perdebat. plebeius in Cæritum tabulas referebatur, & ærarius fiebat, hoc est, ferendi suffragii, & capiendi muneris publici, potestate omni privabatur, ut tantum ad æra pro suo capite, tributi nomine, pendenda civis esset. *Cærites enim*, inquit Gellius, *pro*

ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque, municipes ſine ſ.ffragii jure facti: conceſſumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, negotiis tamen, atque oneribus, vacarent. hinc tabulæ Cærites appellatæ, in quas cenſores referri jubebant, quos notæ cauſſa ſuffragiis privabant. adimebant igitur cenſores, quod cuique ordini ſummum erat; ſenatori, ne in ſenatu eſſet; equiti, ne equitis inſigne, publicum equum, & anulum aureum, haberet; plebeio, ne ſuffragium ferret. quod enim præterea poſſet adimi, nihil erat. ſuffragii porro amiſſionem ſequebatur amiſſio ſimul omnium munerum publicorum ſicuti, ſuffragii jure conceſſo, ſcimus honorum ſimul, ac munerum, omnium partem eſſe datam. Erat ne civi Romano ſenatori, dicet aliquis, præter ordinis amiſſionem, alia pœna? erat. nam interdum non modo aditu curiæ prohibebatur, verum etiam tribu movebatur, in ærariosque referebatur. *moveri* autem *tribu*, eſt, in tribum ignobiliorem transferri, ut ex ruſtica in urbanam, vel in aliam ruſticam minus honoratam. Æmilium quidem Mamercinum, quod cenſuræ tempus minuiſſet, a cenſoribus, & ſenatu ejectum, & tribu motum, ærariumque etiam, cenſu octuplicato, eſſe factum, Livius lib. XXIX. ſcriptum reliquit. Eodemque modo cives Romanos ordinis equeſtris non modo equo publico privatos, verum etiam in ærarios relatos eſſe, ex Valerio Max. aliiſque didicimus. Dabant cenſores agendi poteſtatem, ſiquis aliquem ex iis, qui cenſebantur, accuſare vellet. equiteſque, dum tranſveherentur, ab accuſatore detrahi ſolitos, apud Suetonium in Auguſto notavimus. quod Auguſtus ipſe ſuſtulit. ideo Cenſuram morum magiſtram veteres appellarunt. Eam tamen notam, atque ignominiam, ii, qui ſuccedebant, cenſores plerumque ſolvebant. atque etiam, quod cenſor unus ſtatuerat, id alter ſæpe mutabat. præterea notatos a cenſoribus priſtinum in locum reſtituere vel judices, re cognita, & judicata, ſuis ſententiis, vel populus ipſe ſuffragiis, & poterat, & ſolebat. quod ſi quis, e ſenatu ejectus, neque a cenſoribus ſequentibus, neque a judicibus, neque a populo, in integrum reſtitutus eſſet; unam habebat in ſenatum redeundi viam, ſi honores illos denuo populi ſuffragiis conſequeretur, quos qui geſſerant, iis, etiam ſi lecti in ſenatum a cenſoribus non eſſent, patere tamen curiam leges jubebant. atque hanc ordinis ſenatorii recuperandi rationem Lentulus ille, cui propter conjurationem cervices in carcere fractæ ſunt, ſecutus eſt. nam, cum a Gellio & Lentulo cenſoribus ejectus eſſet e ſenatu, præturam, quam antea geſſerat, iterum petiit, eamque adeptus, jure magiſtratus in ſenatum rediit. nec igitur perpetua, quæ cenſis inferebatur, pœna erat; nec ejuſmodi, ut honorum curſum impediret. quoſdam enim, cum a cenſoribus in legendo ſenatu præteriti eſſent, poſtea comitiis populi Romani cenſores eſſe factos, hiſtoriæ commemorant. Cauſſæ, quibus cives Romani a cenſoribus notarentur, multæ traduntur; ut, ſi quis conceptis verbis pejeraſſet; ſi, cum eſſet in provincia, ſocios diripuiſſet; ſi pecuniam accepiſſe ob rem judicandam putaretur; ſi judicium recuſaſſet; ſi, propter æris magnitudinem, prædia mancipaſſet; ſi paullo eſſet inſolentior in ſumptu. qua de re verba ſunt hæc apud Gellium l. IV. *Cornelium Rufinum, bis conſulatu, & dictatura, functum, cenſor Fabricius ſenatu movit ob luxuriæ notam, quod decem pondo argenti facti haberet.* quo in loco, pro *Facti haberet*, mendoſe legitur. *Factitaret*. nam idem Gellius l. XVII. *C. Fabricius Luſcinus, & Q. Æmilius Papus cenſores P. Cornelium Rufinum, qui bis conſul, & dictator fuerat, ſenatu moverunt: cauſſamque notæ ſubſcripſere, quod eum comperiſſent argenti facti cenæ gratia decem pondo habere.* &, quod Gellius *Argentum factum*, id Plutarchus eadem de re loquens, *Argentum concavum* dixit. Εὑρέθη Ρυφῖνος inquit, *ἀργυρίου κοίλου κεκτημένος ὑπὲρ δέκα λίτρας, τοῦ νόμου μὴ διδόντος. ἐπὶ τούτῳ δὲ τῆς βουλῆς ἐξέπεσεν. Inveniebatur Ruffinus argenti cavi poſſidere ſupra decem libras contra leges. propterea ſenatu fuit motus.* Argentum autem, ſive factum dicas, ſive concavum, nihil aliud eſt, quam, vaſa argentea. quod plane Valerius l. II. narrat his verbis: *Narravit omnis ætas, & deinceps narrabit, Cornelium Rufinum, duobus conſulatibus, & dictatura, functum, quod decem pondo vaſa argentea comparaſſet, perinde ac malo exemplo luxurioſum, in ordine ſenatorio retentum non eſſe.* Lucium etiam Antonium M. Valerius Maximus, & C. Junius Brutus Coſſ. quia, quam virginem in matrimonium duxerat, repudiaſſet, nullo amicorum in conſilium adhibito, ſenatorum e numero ſuſtulerunt. Equitibus, equos habentibus ſtrigoſiores, equos publicos eſſe ademptos, proditum eſt. nota etiam dignum eſſe judicatum, qui ante cenſores hiare eſſet auſus, quod ſanctiſſimi magiſtratus rationem non habere viſus eſſet, eumque vix ignominiam illam effugiſſe, cum in eo ſe valetudinis cauſſa peccaſſe fateretur. Omnium denique rerum nomine non bene audientes, ut furti, peculatus, captarum pecuniarum, pro ſocio, quorum criminum turpia judicia vocabantur, a cenſoribus notabantur: ut tamen iidem illarum ipſarum rerum poſtea judiciis abſoluti, jus ſuum, cenſorum animadverſione ademptum, ſæpe recuperaverint. neque umquam iis, in quos animadvertiſſent cenſores, propterea vel magiſtratum capere, vel judices legi, vel alterum accuſare non licuit. Incenſis pœna fuit graviſſima bonorum, & libertatis amiſſio: eamque ſignificat quidem Livius, cum ait l. I. *Servius cenſum maturavit metu legis de incenſis latæ:* narrat autem aperte Dionyſius. Τῷ δὲ, inquit, *μὴ τιμησαμένῳ τιμωρίαν ὥρισε, τῆς τε οὐσίας στέρεσθαι, καὶ αὐτὸν μαστιγωθέντα πραθῆναι. Ei qui cenſum neglexiſſet pœna propoſita, ut bonis in fiſcum redactis, virgis cæſus ſub haſta væniret.* Cenſorum non eadem ratio fuit. non enim quicumque cenſi ſunt, publicorum munerum æque participes erant. libertini enim cenſebantur, neque tamen ſenatores, ac ne equites quidem eſſe poterant. & Servius rex, cum illos in cenſum recipi voluit, communionem iis omnium rerum publicarum non dedit, ſed earum tantum, quibus homines de plebe fruerentur. idque Dionyſius in eo declarat: *Πάντων ἀπέδωκε τῶν κοινῶν αὐτοὺς μετέχειν, ὧν καὶ τοῖς ἄλλοις δημοτικοῖς.* Libertinum autem, aut libertini filium, nec equitem Romanum, nec ſenatorem, aut magiſtratum curulem, ſtante republica, quemquam inveni, uno excepto Cn. Flavio: quem, patre libertino natum, humili fortuna, populus tamen ædilem curulem creavit, beneficio captus, quia jus civile, repoſitum in penetralibus pontificum, Flavius divulgaverat, faſtis circa forum in albo propoſitis, ut, quando lege agi poſſet, ſciretur. legit omnino Ap. Claudius cenſor multos libertinorum filios in ſenatum: & poſt aliquot tempus, non lecti cum eſſent, bis omnino in curiam irrepſerunt: ſed neque Appii lectionem illam ratam quiſquam habuit: neque poſtea locum in ſenatu libertinis eſſe principes civitatis paſſi ſunt. erat enim ſive lex, ſive mos, vetuſtate confirmatus, ne cui, qui liberos patrem & avum citare non poſſet, aditus in ſenatum pateret. Quæ igitur libertinis tributa jura ſunt, ſi neque equeſtris ordinis, neque ſenatoriæ dignitatis fieri participes licebat? hæc primum, ut accenſi eſſent, ut ſcribæ; deinde, ut uno verbo dicam, omnia, quæ homines de plebe haberent. itaque, quo tempore lege Plotia, vel Aurelia, tres ordines judicia adminiſtrarunt, ſenatus, equeſter ordo, plebs, ipſi etiam libertini, ut ceteri de plebe judices fuerunt. atque, hoc cum ego ſuſpicarer, Dionyſii verbis, quæ ſupra recitavi, in hanc opinio-

nem adductus; postea, plane ita esse ut crederent, fecit locus ille in oratione pro Cluentio. *Si quem, inquit, Cn. Lentuli, aut L. Gellii, libertus furti condemnavit, iis, omnibus ornamentis amissis, numquam ullam honestatis suæ partem recuperabit: quos autem ipse L. Gellius, & Cn. Lentulus, duo censores, clarissimi viri, sapientissimique homines, furti, & captarum pecuniarum, nomine notaverunt, ii non modo in senatum redierunt, sed etiam illarum ipsarum rerum judiciis absoluti sunt. Quod si*, ut ait Dionysius, *quæ plebeiorum hominum, eadem libertinorum, condicio fuit*: certe non modo judices legi, verum etiam triumviratum nocturnum, ædilitatem pl. tribunatum, capere potuerunt. hi enim ordinis plebeii, non patricii, honores fuerunt. iisque facile crediderim, quod a Macro Licinio traditum scripsit Livius, Flavium illum, libertini filium, de quo proxime dixi, functum esse, ante quam ædilitatem curulem, qui patricius erat magistratus, obtineret. de quo video Livium dubitasse: qui non idem a L. Pisone, quod a Macro, scriptum videret. ejus verba de Flavio sunt l. IX. *Invenio in quibusdam annalibus, cum appareret ædilibus, fierique se pro tribu ædilem videret, neque ejus accipi nomen, quod scriptum faceret, tabulam posuisse, & jurasse se scriptum non facturum. quem aliquanto antea desiisse scriptum facere, arguit Macer Licinius, tribunatu ante gesto, triumviratibusque, nocturno altero, altero coloniæ deducendæ*. Annales autem illos, quos Licinius non nominat, L. Pisonis fuisse, ostendit Gellius l. VI. cap. 9. Dixi, libertini ab ingenuis in quo differrent. Nunc, quid inter ipsos ingenuos interesset, ostendam. Patebat omnibus æquo jure aditus ad honores, sed ita, si a re familiari parati satis viderentur. nam neque decurio, qui gradus in militia fuit, esse quisquam poterat, nisi c̄. millia possideret, neque eques, nisi c̄d̄. neque senator, nisi c̄c̄∞. ita & virtute opus erat qua prædititi magistratus publicum negotium gerere præclare possent, & fortunis, quæ dignitatem augent, ipsamque quodammodo virtutem exornent. Erat etiam illa inter ingenuos differentia, quod, qui supra ∞ D. æris in censum non detulisset, is in militiam legi non poterat. id adeo caussæ fuit, quod res familiaris obsidis vice, pignorisque apud rempublicam videbatur. eorum hominum duo genera fuerunt, ii, qui ∞ D æris censerentur; & ii, qui CCCLXXV. *primum genus proletarii dicti sunt, a munere*, ut Gellii verba reticem, *officioque prolis edendæ; quod, cum re familiari parva minus possent remp. juvare, sobolis tamen gignendæ copia civitatem frequentarent*. alterum genus capite censi vocati; quod ære aut nullo, aut perquam parvo, pœne solo capite, censerentur; ordo proletariis & re, & nomine, inferior. ideoque minus sæpe milites hoc de genere scribebantur. nec ante C. Marium capite censorum opera quemquam ex Romanis ducibus in bello esse usum, Sallustii testatur historia. Censum actum esse Romæ usque ad Augusti singulare imperium invenio: id partim Capitolini lapides, partim historiarum monumenta, declarant. Censorum numerus minimus fuit in primo Servii regis censu x̄x̄c̄; aut, si Dionysium sequamur, paullo plures: maximus, Pompejo & Crasso coss. c̄d̄l̄, cum Cn. Gellius, & L. Lentulus censuram gererent. nam, qui post bellum civile deinde census fuit, quem Cæsar dictator egit, is c̄l̄. non excessit: ut civium Romanorum c̄c̄c̄. civili bello consumpta videantur. Hic video posse quæri: Gellio, & Lentulo censoribus non ultra c̄d̄l̄. capitum censa sunt. hoc mirum est. nam, cum ipsi quoque municipes, ut jam ex Pediano probatum est, cum civibus Romanis censerentur, civitate post sociale bellum lege Julia, & S. C. Italis, hoc est, sociis, & Latinis, data: (Italiam enim veteres cum dicebant, non universam Italiam, sed socios, & Latinos, hoc est municipes, intelligebant: ideo in epistola ad Acilium, *civitatem sociis, & Latinis*, datam Cicero ait, quod Livius, *Italicis populis*, dixit: &, *ex Italia tota*, dixit idem in oratione pro Sextio, quos in oratione post reditum in senatu *municipes* vocat: quorum alii in Latio, alii extra Latium, erant: quam ob caussam non *Latium solum*, sed *socii*, & *Latini*, a Cicerone, aliisque, nominantur) qui fieri potest, ut censorum omnium numerus c̄d̄l̄ major non fuerit? at Gallico bello, quod ante Punicum secundum sexennio gestum est, c̄d̄ armatorum nominis Latini inter socios populi R. adversus Gallos pugnarunt, idque sine transpadanis, qui postea inter socios recepti. Jure dubitabitur. Sed ita dubitantibus licet occurrere. Duo census fuerunt, unus civium R. quibus vel in urbe, vel in agro Romano, domicilium esset: alter municipum: qui, ut opinor, & certe, numquam comprehenduntur in eo numero, cum censorum capita numerantur. nam multo amplior fuisset sine dubio municipum numerus, quam civium Romanorum. id eo patet illustrius, quod postremo censu ante datam sociis, & Latinis civitatem censa sunt civium capita c̄c̄c̄x̄c̄īv̄ CCCXXXVI, post civitatem autem communicatam c̄d̄l̄ quod manifeste cum ratione pugnat. quid? an, receptis in censum sociis, & Latinis, censorum numerus ex c̄c̄c̄x̄c̄īv̄ ad c̄d̄l̄ dumtaxat crevisset? tribus, ut minimum dicam, partibus major factus esset. Confirmor igitur in sententia de duobus censibus. Reliqua persequamur. Erat autem secundum de suffragio, quo quidem cives Romanos colonis præstitisse dixi, municipibus non item: qui & ipsi suffragii jus habebant. In curiis, in centuriis, in tribubus distincti suffragium cives Romani tulerunt, sed in solis curiis usque ad Servium regem. Servius, censu instituto, classes, & centurias, fecit: centuriatisque comitiis, inde nominatis, agi maximis de rebus voluit. ex eo tempore centuriata comitia plus, quam curiata, dignitatis, ac potestatis, habuerunt. postremo, tribunis pl. incumbentibus, inducta sunt tributa comitia. ita & in tribubus ferri suffragium cœptum est. suffragium autem plebeii omnibus in comitiis ferebant: patricii vero non ferebant in tributis, quæ quidem a magistratu plebeio, qui nec patricios advocare, nec ad eos referre, poterat, haberentur. ideo, cum lex aliqua rogata est a tribuno pl. patricii suffragium non tulerunt; & consilium illud potius, quia populi tantum pars adesset, quam comitia; itemque plebiscitum potius, quam, lex appellatum est. postea tamen usu facta sunt communia: ut & plebiscitum lex, & consilium comitia dicerentur. sed in curiis non usque ad postrema reip. tempora suffragium tulit populus Romanus. tantum enim ad speciem, atque usurpationem, vetustatis, XXX. lictores, qui XXX. curias repræsentarent, ad suffragium de lege ferendum convenisse, Cicero demonstrat oratione II. in Rullum. eaque *Comitia* vocat *adumbrata; & auspiciorum dumtaxat caussa remansisse* dicit: cum apud majores in creandis patriciis magistratibus post centuriata locum habuissent. Verum hac tota de ratione pluribus verbis actum est a nobis in libro de Comitiis: & hanc ipsam partem de curiis neque ordine, neque scienter, satis esse tractatam ab iis, qui genus hoc antiquitatis, libro edito, attigerunt, ipsa teste antiquitate, probavimus. Suffragium tulerunt cives Romani in comitiis: quæ tribus de caussis habebantur, vel ut magistratus designarentur, vel ut lex ferretur, vel ut de reo judicium fieret. si centuriatis comitiis ferri suffragium oporteret; numquam nisi in campum Martium extra urbem populus conveniebat: si tri-

butis, modo in campum, modo in forum, modo A in Capitolium, alio nonnumquam. Suffragium porro primum voce, deinde per tabellas, a populo latum est. ideo *leges tabellariæ* dictæ, Gabinia, Cassia, Papiria, Cœlia: quarum Gabinia tabellam populo dedit in mandandis magistratibus; Cassia in judiciis, perduellione excepta; Papiria in jubendis, ac vetandis, legibus; Cœlia in perduellionis etiam judicio: quod unum Cassia exceperat. Et erant inscriptæ tabellæ, si magistratus crearetur, aut lex ferretur, duabus litteris, V. R. aut una, A. si de magistratu, aut lege, assentiretur, tabellam ferebant B hanc, V. R. hoc est Uti rogas; quod rogas, id volo. adversæ voluntatis signum erat tabella sic inscripta, A. valebat enim, Antiquo: hoc est novari nolo, quod rogas, non approbo. Honores, & magistratus, qui civibus Romanis darentur, duorum generum erant; vel militares, vel urbani. sed in militia honor, non magistratus, dicebatur; non enim tribunus militum, aut legatus, magistratus sunt, ac ne is quidem, qui cum imperio præest exercitui, qui appellatur imperator: in urbe vero & honores sunt, & magistratus. nam, judicare, honor est, non magistratus. nec omnino magistratus ullus est, quem populus comitiis non creaverit. neque vero, quoscumque populus creavit, magistratus sunt. creat enim tribunos militum eos, qui Comitiati nominantur: (alterum erat genus, Rufuli, quos imperatores legebant) qui tamen magistratus, ut diximus, non est. Castrenses civium Romanorum honores erant, vexillarius, aquilifer, præfectus fabrum, decurio, centurio, tribunus militum, legatus, imperator. In urbe honor erat, judicem esse, triumvirum nocturnum, triumvirum auro, argento, ære flando feriundo: præterea, esse decurionem, augurem, flaminem, regem sacrorum, pontificem minorem, pontificem maximum. magistratus autem erat quæstura, ædilitas plebeia, ædilitas curulis, prætura, consulatus, censura, dictatura, interregnum. primi duo, plebeii: sex reliqui, patricii, nec ordinarius dictatura, nec interregnum: nec populi comitiis dictator, sicuti nec interrex, creabatur.



CAROLI SIGONII
DE
ANTIQUO JURE CIVIUM ROMANORUM.

Illustrissimo atque Excellentissimo

D. JACOBO BONCOMPAGNO,

Generali S. Romanæ Ecclesiæ Gubernatori.

CAROLUS SIGONIUS S.



PTIMI, *ac prudentis officium esse parentis arbitor*, JACOBE *Princeps illustrissime, non usque adeo parvis liberis alendis, educandisque studere, ut eorum, qui jam grandiores sint, curam, si sit necesse, vestiendorum, ornandorumque abjiciat. Etenim, quanquam in teneris major aliquanto indulgentiæ, præsidiique necessitas propter imbecillitatem elucet, ad gloriam tamen paternam magis pertinere videtur, ut qui robustiores sunt, ac laudem jam aliquam domesticam excitarunt, intentiore cura rebus ad tuendam dignitatem necessariis instruantur. Quod ipsum mihi hoc tempore, casu nescio quo, video contigisse. Nam cum primos ætatis meæ annos in rebus Populi Romani quærendis, prodendisque memoriæ posuissem, proximos ita ad posteriora illustranda Italiæ tempora contuli, ut pro vehementi illius commentationis ardore Romanorum prope oblitus monumentorum viderer, a quibus nomen meum primum videbatur ad aliquam commendationem apud homines profluxisse. Qua re animadversa, continuo, Italico illo munere absoluto, animum ad illos libros adjeci, quos de jure populi Romani diversis temporibus scriptos edideram. Et, quod doctis non improbatos fuisse hominibus eos senseram, incredibili statim ardere cupiditate experiundi cœpi, num etiam gratiores, ac probatiores efficere illos nova navanda opera possem. Cujus rei spem non minimam afferebant præclara multa, quæ interim ex latissimo, atque uberrimo Romanæ disciplinæ quasi campo collegeram, ac privatæ memoriæ gratia seposueram. Quamobrem vetere industriæ, studiique curriculo repetito cum multa necessaria ad doctrinam illam adjunxi, tum vero omnia, quæ hucusque dispersa fuerant, in unum corpus, quo commodius conspici possent, redegi. ac demum novis quoque Romanorum Judiciorum commentariis exornavi. Quo labore si Romanum hoc, ut ita dicam, ædificium ad summum fastigium non adduxi, at ad eam certe altitudinem sustuli, ut facile antiqua jam ab omnibus illius perspici forma, ac dignitas possit. Ceterum Romanarum litterarum post veterem illam barbararum nationum illuviem misera adeo, atque afflicta conditio fuit, ut non tam diligentis, atque accurati scriptoris, auxilium, quam potentis, atque amici alicujus viri præsidium implorarint. Anni enim ferme sunt quadringenti, cum, Italia una cum Ecclesia in libertatem, divina pontificum Romanorum virtute, atque constantia, vindicata, Italici homines memoria antiquæ gloriæ revocata ingenia sua ad vetera, quæ obsoleverant, studia rettulerunt. quo quidem tempore Latinæ litteræ paulatim oculos in urbe Roma primum attollere, ac sensim quasi lucem aspicere ex diuturna cæcitate cœperunt. verum ut quæ gravi, ac longa conflictatæ valetudine fuerant, sero admodum vires suas, ac colorem pristinum receperunt. Extrema enim, ut mihi videtur, Romanæ instaurandæ antiquitatis cogitatio fuit. quæ, si prima*

fuisset, multis profecto majores nostros, iisque fœdis erroribus exsolvisset, ac maximis eos ad veteris repetendæ humanitatis laudem subsidiis instruxisset. Sed nescio quo modo hoc studium Romæ primum, deinde in Italia vehementius celebrari me puero cum cœpisset, brevi nostrorum hominum aut occupatione, aut incuria, aut morte est dissolutum. Ego vero sic sum hoc munere jam inde ab ineunte adolescentia delectatus, ut quem cursum viginti ante annos industriæ, officiique susceperam, in eo usque ad hanc jam ingravescentem ætatem compluribus editis commentariis manserim, multo etiam plura, multoque meliora comparaturus, si, dum vigebat ad omnem laborem, ac vigilantiam ætas, eum, quem jam pridem expeti dixi, his fautorem, adjutoremque studiis invenissem. Nunc vero, cum divino demum beneficio te, JACOBE *Princeps Clarissime, sim adeptus, equidem non modo non dimittam, sed, nisi tibi fortasse molestum erit, omnium etiam scriptorum meorum consecratione devinciam. Etenim cum tu litteras, quas privatus eximio quodam doctrinæ incensus amore complexus avidissime fueras, in celsissimo nunc rerum fastigio collocatus ita colere pergas, ut eas etiam non fuco, atque ambitione, sed sententia, atque judicio tuearis, quem tandem alium meorum laborum patronum, quam te ipsum adoptem? Accedit præterea, quod cum is tu sis, quem propter eximiam apud Gregorium Pontificem gratiam non tam necessitudine, quam modestia, & virtute conciliatam, tota Italia, ac Roma ipsa conversis prope in unum oculis admiretur, non minus me tibi Romanarum rerum lucubrationes debere, quam Italicarum existimavi, quas proxime te potissimum auspice divulgavi. Est enim hæc cognitio cum principi summo, & ad summam dignitatem, amplitudinemque nato aptissima, tum te potissimum principe, dominoque dignissima, qui tantum studii, atque operis in optimis cognoscendis artibus posuisti, ut etiam sine alieno præsidio ad summos honorum gradus nixu tuo facile fueris ascensurus. Hos igitur Romanos, ut ita dicam, libros magna ex parte renovatos, & auctos, clarissimo tuo quoque nomini, perinde, atque Italicos illos, inscribo: teque etiam atque etiam rogo, ut hæc præcipue studia, quibus Romæ, & Italiæ, quæ te virtutis caussa suspiciunt, vetus dignitas, ac memoria celebratur, in fidem accipias. Cui laudi te non defuturum cum spectata mihi virtus, ac prudentia tua spondet, tum vero, quod constanti hominum sermone percrebuit, te veteris illius Scipionis exemplo inter gratissima armorum pro salute Italiæ capiendorum consilia, atque adeo in mediis etiam ipsis rerum militarium studiis, ejusmodi tamen doctrinæ cognitionem non intermittere, sed quotidie præclari aliquid ingenio, studioque tuo aut meditari, aut exprimere. Ad eam præterea facultatem, quam summa tibi Dei benignitas tribuit, ut omnia, quæ justa, & recta sunt, posses, tu laudem illam splendidissimam addidisti, ut eadem quoque, quod omnibus adhuc in rebus docuisti, avidissime cuperes. Quamobrem non dubito, quin quod præclarissime sentis, id etiam studiosissime præstiturus sis. Quod si feceris, polliceor fore, ut non solum eruditorum omnium vocibus, ac litteris ad illustrem nominis, & gloriæ commendationem in perpetuum celebreris, sed etiam ab omnibus hominibus Princeps non tam fortuna, quam virtute præstantissimus merito judiceris. Vale. Bononiæ. Calend. Novembr. M. D. LXXIV.*

CAROLI SIGONII
DE
ANTIQUO JURE CIVIUM
ROMANORUM.

Libri primi capita XXI.

Ejusdem libri argumentum.

His libris consilium est de jure populi Rom. quod libera potissimum floruit repub. disputare. quod jus triplex esse constituit, civium Romanorum, Italicorum, & Provincialium. Ceterum duobus his libris jura civium Romanorum ostendit. atque eorum uno definitionem civis Romani investigat, ac tradit, altero tripartitam civium Romanorum divisionem affert, ac persequitur. Et quoniam civis pars est civitatis, civitatis vero descriptio respub.dicitur, rerumpub.autem genera multa traduntur; propterea primum, quod genus Romanæ reipub. fuerit, quærit. ubi vero multas ejus formas ex creberrimis civitatis mutationibus invenit, cujus potissimum temporis rempub. & quem in primis civem ex tam multis se informaturum, ac descripturum esse profiteatur, ostendit. Unde civem Romanum, qui quidem optimo jure civis sit, definiendum esse confirmat: hominem liberum urbis, agrive Romani incolam, qui tribum cum honorum petitione sit consequutus, qua disputatione perfecta, partes, ipsius definitionis declarare aggreditur. Quo fit, ut primum, quid sit urbs Romana, & quot modis dicatur, quid ager Romanus, & quot modis accipiatur, exponat, ac fines utriusque diligentissime investiget: deinde ad maximam tribuum quæstionem descendat. quo loco quid sit tribus, quot modis dicatur, a quo institutæ, a quibus additæ, quot in genera distributæ fuerint, quæ jura obtinuerint, docet. & quoniam primarum tribuum partes fuerunt curiæ; classes vero ad tribuum, ut centuriæ ad classium divisionem pertinuere; civis autem optimo jure nemo olim fuit, qui non tribum, curiam, classem, & centuriam obtinuerit, de curiis etiam, & classibus, & centuriis, eadem ratione disputandi servata, breviter differit. Ubi vero cives omnes intra hos tribuum, classiumque quasi cancellos inclusit, tum jura ipsa tribuum, & classium exorditur. ita tamen ut ante, quibus quasi e fontibus hæc jura manarint, aperiat. eaque regiis legibus, XII. decemvirum tabulis, legibus, edictis, plebiscitis, senatusconsultis, more, & instituto majorum contineri probet, atque ex his reliquam omnem de jure civium Romanorum disciplinam hauriendam esse demonstret. Jura autem hæc ita explicat, ut ea in duo genera digerat, unum quod privatam rationem attingit; alterum, quod publicam: privatam, ut jus libertatis, gentilitatis, sacrorum, connubiorum, patrium, legitimi dominii, testamentorum, tutelarum: publicam, ut census, militiæ, tributorum, & vectigalium, suffragiorum, & honorum. De libertate ita agit, ut non tam privatam libertatem, quam publicam, cujusmodi fuerit, ante oculos ponat. quinque enim Romanæ libertatis genera fuisse contendit, ut cives Romani in potestate domini non essent constituti, ut regio imperio nullo obstructi, ut adversus magistratum provocationem haberent, neque a creditoribus necti possent, ut occultorum suffragiorum potestatem obtinerent. ad primum genus libertatis pertinent hæ quæstiones, qui liberi fuerint, qui servi, qui ingenui, qui libertini: quæ jura manumittendi servi, quæ propria tuendæ libertatis extiterint. ex secundo intelligitur, ut Romani dominatu se regio liberarint, & quo studio semel partam libertatem defenderint. tertii sunt leges de provocatione ad populum, leges sacratæ de tribunicia potestate, leges de tergo, & capite civium Rom. quibus ne civem Rom. magistratui aut verberare liceret, aut necare cautum est. quarto leges continentur, ne quis æris alieni caussa a creditore duci in carcerem, atque in ergastulo haberi posset. quintum leges tabellariæ complectuntur, quæ tegendo suffragio Rom. libertatem stabiliverunt. De jure gentilitatis ita differit, ut doceat, quid sit gentem habere, quæ patriciæ gentes fuerint, quæ plebeiæ, quæ jura patriciis constituta sint, quæ plebeiis, & ut de jure suo partim retinendo, partim augendo, inter se patricii, ac plebeii sæpe contenderint. Sacra alia publica, alia privata fuisse prodit. privata vero, quæ essent privatarum familiarum propria ostendit, atque quid sibi de eo jure compertum sit, aperit. Jam quoniam ad propagandam civitatem omnino posteritate est opus, ea vero sine legitima uxore parari jure civili non potest, deinceps primum universum jus uxorium, communicationem connubiorum, totamque cæremoniarum nuptialium rationem summatim perstringit: tum de liberis, ut more Romano essent in potestate parentum, & ut deficientibus propriis filiis alieni adoptarentur, arrogarenturve, quidque in eo genere juris proditum sit, narrat. His expeditis quot modis suarum quisque fortunarum jure civili dominus esset, exquirit, eosque quia sex fuisse reperit, hereditatem, mancipium, usucapionem, in jure cessionem, auctionem, & sub corona emptionem, quod jus eorum de singulis florente reipub. libertate, sancitum sit, planum facit. Postremo quoniam non solum quoad vivimus, domini esse rerum nostrarum volumus, sed post mortem eandem aliis etiam tradere auctoritatem cupimus, ut jure civili hoc factitatum sit, explicat. ubi de tribus antiquis testamentorum generibus scribit. atque hunc eundem ordinem servat etiam in tutelis, quoniam liberos nostros tutorum fi-

dei, a quibus eorum res qui ipsi per ætatem non possunt, procurentur, libenter morituri committimus, quæ ipse de rationes antiquarum tutelarum observaverit, in medium profert. atque ita totum jus Quiritum apud veteres tantopere celebratum, absolvit. Inde vero, de censu disputationem instituit. quo loco quid census esset, a quo institutus, quo modo celebratus, ostendit. & quoniam duas censum opportunitates maximas reip. attulisse comperit, unam ad delectum militarem habendum, quod juniorum copiam indicavit, alteram ad tributum in bellum conferendum, quod divitiarum civilium magnitudinem patefecit, propterea constituta census quæstione, deinceps de jure militiæ scribit, ac quid legio fuerit, ex quot, & quibus civibus, & quomodo conscripta sit tradit. inde de sacramento militari, & ceteris rei militaris institutis ac legibus, in primisque de vacationibus, de præmiis, & animadversionibus militaribus singulis agit. Eademque ratione civilium tributorum, & vectigalium genera exequitur, ut quando tributa imperata, quando remissa, quando vectigalia instituta, quando sublata sint, quærat, & plura propterea fuisse Romæ æraria annalium veterum auctoritate confirmet. Cumque nihil aliud restet, nisi, ut de suffragiis demum, atque honoribus agat, suffragiorum rationem ita proponit, ut breviter de tribus comitiorum generibus, & qui cives suffragiorum jura habuerint, qui non habuerint, & qua ratione, demonstret. honores vero civiles, in quibus optimum jus civitatis, vel Aristotele teste, ab initio posuit, in tres partes distribuit, sacerdotia, magistratus, imperia. ex quibus sacerdotia ita enumerat, ut ex ea oratione quæ patriciorum propria, quæ plebeiorum, quæ utriusque communia fuerint, & quomodo delata sint, facile appareat. magistratus primo vim aperit. qua disputatione absoluta, tum quemadmodum singulis magistratibus reip. opus fuerit, ac quos patricii plebeiis concesserint, quos sibi reservarint, ostendit. Inde quid Imperium fuerit, & ut magistratibus, ac privatis, & quibus, & quot comitiis mandatum sit, narrat.

Secundi libri capita XXI.

Ejusdem libri argumentum.

Hoc libro cives omnes, quos superiore definitione complexus erat, in tres partes distribuit. quarum in prima ordines collocat, in altera nobiles, & ignobiles, in tertia optimates, & populares. Ordines treis esse probat, senatorium, equestrem, & plebeium. De senatoribus, & equitibus ita agit, ut a quibus initia, atque incrementa acceperint, quam multi fuerint, in quot genera dispertiti, ex quibus, & a quibus, & qua ratione lecti fuerint, quæ insignia gesserint, explicet. Et quoniam equites multi publicani fuerunt, id est ultro tributa, & vectigalia publica suo periculo a censoribus redemerunt, agit inde de publicanis, qui sint, & quomodo ultro tributa & vectigalia conduxerint, quemadmodum, & per quos exercuerint, quos motus in urbe hoc nomine aliquando excitarint, & ut a senatu equestrem ordinem abalienarint. Tertium inde ordinem, qui plebs Romana dicitur, in partes duas dividit, rusticam plebem, & urbanam. rusticam, quæ fuerit, & qualis, ubi exposuit, urbanæ partes exequitur, tribunos ærarios, scribas, mercatores, & negotiatores, & argentarios, & fœneratores, opifices, & artifices, turbam forensem, libertinos, magistratuum apparitores, atque de singulis, qui, quales, a quibus instituti, quo jure donati fuerint, tradit. His autem ordinum partibus constitutis, deinceps quemadmodum singuli ordines a censoribus, quorum notioni erant subjecti, infamia notarentur, ostendit. Inde jura ordinum aggreditur, quæ quoniam in judicandi, & spectandi potestate potissimum posita esse invenit, propterea utranque antiquitatem sibi explanandam suscipit. de judiciis autem quid fuerint, quot in genera partita fuerint, qui publica, qui privata exercuerint, ut judices a magistratibus dati, ex quo ordine lecti sint, quos Romæ motus propterea conciverint, docet. Quibus rebus constitutis, ad alteram civium divisionem descendit, nobilium, novorum, & ignobilium. atque quid more Romano nobilitas, quid novitas, quid ignobilitas fuerit, aperit. & quoniam nobilitatem ab imaginibus proficisci invenit, de usu etiam antiquo imaginum breviter differit. Extrema vero divisione cives omnes, qui propter partium in rep. studia se aut optimates esse voluerunt, aut populares, complectitur: & quid utrique sint, & quomodo Remp. Rom. tandem perverterint, deleverintque ostendit. atque ita huic de jure civium Romanorum disputationi finem imponit.

CARO-

CAROLI SIGONII
DE
ANTIQUO JURE CIVIUM ROMANORUM.

LIBER PRIMUS.

Ad Pont. Max. Pium IV.



ERUM *humanarum*, BEATISSIME PATER, *magna varietas est, incredibilis inconstantia. possumus hoc tum omnibus in artibus, hominum ingenio, industriaque partis, facile notare, cum oriantur aliæ; aliæ vero occidant, quæque modo floruerint, nunc obsolescant: tum maxime in universa imperii, ac reipubl. ratione animadvertere. Quæ enim homines ad hominum societatem conciliandam, perpetuoque tuendam excogitarunt, vix tamen ea satis non modo ad æternitatem, verum etiam ad diuturnitatem firma adhuc inventa sunt. Etenim, ut corpora nostra cernimus alia externa ferri impulsione, ictuque perverti, alia intestina humorum dissensione interire, pauca quædam naturali confecta senio contabescere: sic civitates partim hostilibus armis afflictas, partim domestico seditionis morbo, quasi occulto quodam veneno, ante senectutis maturitatem consumptas licet intueri. Quod aliarum rerumpub. non obscure, clarissime vero Atheniensium, & Romanorum, florentissimarum quondam civitatum, exempla testantur. quorum illis Philippi atque Alexandri; his Cæsaris, atque Augusti inimica potentia: utriusque intestina perditæ cujusdam luxuriæ atque avaritiæ vis, ne diutius possessam per tot sæcula libertatem retinerent, impedimento fuerunt. Quod autem multo etiam miserabilius, atque acerbius est, non vetus modo Romani imperii jus, quod antiqua urbis, ac civitatis majestate continebatur: sed ejusdem etiam memoria nobilissimis annalium monumentis impressa, fere omnis intercidit, ita ut neque jura, neque leges, neque instituta, neque omnino ulla antiquæ reip. forma jam supersit. Accedit, quod diversa naturæ conditio per eosdem homines ea commode instaurari non permittit. Ut enim non ab iisdem & imperium partum est, & imperii memoria litteris consecrata, sic nec per eosdem simul & vetera imperii jura commode restitui, & eorum cognitio litterarum ope revocari videtur posse. ad eam enim rem virtus, ac sapientia, ad hanc studii quædam assiduitas, perpetuaque opera, ac diligentia requiritur. Itaque qui obsoletam prope antiquitatum Romanarum notitiam hodie renovare conentur, fortasse multi; qui de vetere civitatis jure, atque imperio retinendo cogitent, præter eos, quibus hæc est honestissima cura ab immortali Deo commissa, nulli certe reperiuntur. Quod quidem ad munus cum vestra paulo ante Sanctitas summa cum omnium gentium ac populorum approbatione, Deique præcipue nutu delecta sit, incredibile est, quantum ego præter ceteros inde voluptatis acceperim. alios enim Christianæ religionis incolumitas., alios Italiæ, quæ ambæ summum in discrimen adductæ videbantur, solicitos habebat: me vero & ea cum aliis gravissima cura tangebat, & litterarum præterea, quas jampridem negligi, atque contemni in Italia cœptas esse constabat, non levis quædam cum paucis aliquot bonis viris cogitatio commovebat. Quamobrem cum Christianis omnibus, atque Italiæ universæ, tum iis præcipue, qui de antiqua litterarum laude soliciti sunt, etiam atque etiam gratulor: quod is, quem optabamus, ac votis a Deo perpetuis poscebamus, & salutis auctorem, & digni*

tatis defenſorem , & omnis antiquitatis inſtauratorem , nobis ſit tandem ſingulari ejuſdem Dei benignitate conceſſus . Atque hujus quidem reliquas præclari muneris partes veſtræ Sanctitati ita curæ & eſſe , & fore intelligo , ut cum ex iis fundamentis , quæ jacta jam audiuntur , opinionem ſuperet omnium , eandem antiquorum etiam ſtudiorum neglectum antea patrocinium ſuſcepturam eſſe , facile ſperare poſſimus . Id quod quanquam mihi in primis , in ſapientiam ejus admirabilem intuenti , plane perſuaſum ſit , tantus tamen hujus erga optimas artes beneficii meus amor eſt , tantumque ſtudium , ut admonitores quoſdam , minime illos quidem neceſſarios , attamen , ut opinor , in tempore ad veſtram Sanctitatem mittere auſus ſim . Hi ſunt libri duo , his menſibus a me de antiquo civium Rom. jure conſcripti . miſi autem non , ut eam erudiant , (quid enim tantam latere ſapientiam poſſit ?) ſed ut majoribus occupatam curis modeſte interdum appellent , ut Latinis litteris , in quibus nunc unis vetuſti Romani imperii ſita majeſtas omnis eſt , amiſſam dignitatem reſtituat . quandoquidem honeſtiſſimarum actionum , & pulcherrimorum inſtitutorum monumenta , quæ nobis non ad cognoſcendum ſolum jucundiſſima , ſed ad imitandum etiam utiliſſima videbantur , vel temporum injuria fregit , vel hominum inertia labefecit . Quæ quidem licet ea fortunæ conditione ſint , vix ut ope humana reſarciri videantur poſſe : ſit tamen , neſcio quo modo , ut ſperem , cum Veſtra non jam humana , ſed plane divina auctoritas , quaſi propitium numen aliquod , ad hanc ſe laudem penitus adjunxerit , fore , ut hæc brevi in antiquum ſtatum , & ſplendorem cum ſumma urbis Romæ , ac totius Italiæ dignitate , reſtituta videamus . Quam fore Sanctitati veſtræ , curam antiquiſſimam , cum graves , & illuſtres ſuperioris ejus victæ actiones , tum hæc nova in maximo Eccleſiæ Dei ſacerdotio inſignia ad omnem laudem nuper inita conſilia non dubie pollicentur . Quæ Deum Opt. Max. bonis omnibus conſentientibus , precor , ut ad totius Chriſtianæ reip. ſalutem , fortunare in perpetuum velit . Sed ad rem aggrediamur .

CAP. I.

DE CIVE ROMANO.



ORUM , qui jura a populo Romano victore eodem , ac libero acceperunt , quatuor , ſi diligenter attendimus , quaſi gradus fuerunt ; unus civium Romanorum , alter Latinorum , tertius Italicorum , provincialium quartus . ex quibus ut jure Latii civitas Romana , ſic Italico Latinitas , & Italicum provinciali honeſtius & commodius fuit . Hæc autem jura quando ut cognitu pulcherrima , ſic vetuſtatis injuria obſcuriſſima hoc tempore ſunt ; viſa res eſt digna , in qua illuſtranda omnem meam operam , atque induſtriam collocarem : non ſolum , ut iis litteris , unde præclara hæc monumenta ſumuntur ; ſed etiam , ut civili ipſi diſciplinæ , ad quam hæc omnia , tanquam ad finem ultimum , referuntur , opis aliquid , atque adjumenti afferrem . Quamobrem veteribus omnibus & Latinis , & Græcis monumentis , quæ quidem potui , conquiſitis , ac perluſtratis , doctrinam hanc omnem diuturno a me ſtudio collectam , veterumque teſtimoniis , quoad licuit in hoc impedito diſputationis genere , comprobatam , atque pro judicii mei ratione diſpoſitam , in tres partes diſtribui : unam , in qua civium Romanorum ; alteram , in qua Italiæ ; tertiam , in qua provinciarum jura deſcripſi .

A ſcilicet , ut quem illi ordinem ad jus imperii conſtituendum adhibuiſſent , ego in eodem inſtaurando ſervarem . Incipiamus igitur a civitate , ita ut primum , quid civis Romanus fuerit , & quibus , ac quot in rebus jus optimum civitatis Romanæ conſtiterit , exquiramus : deinde civium ipſorum diviſiones inter ſe , quæ quidem excelluerint , perſequamur .

Placet igitur Ariſtoteli auctori omnis graviſſimæ quæſtionis locupletiſſimo , omnem , quæ inſtituitur de cive , & civitate , diſputationem , a rep. cujus illa eſt civitas , oportere deduci . ſcite ille quidem , & probe . Etenim , ſi civis eſt pars illius ſocietatis , quæ civitas appellatur ; civitatis autem deſcriptio
B quædam reſpublica exiſtimatur : profecto cum omnis de cive oratio ad reip. quæſtionem eſt referenda , tum vero reip. ejus , cujus potiſſimum civem quærimus , nobis ante eſt ratio cognoſcenda . Qui autem præcepta nobis adhuc de republica reliquerunt , ii fere in eo univerſi conſentiunt , ut tres rectas eſſe reſp. ſtatuant , & tres contra depravatas . In bonis regem numerant , optimates , & populum ; in vitioſis tyrannum , paucorum factionem , & plebem . bonas autem vocant reſpublicas , cum ſive a rege , ſive ab optimatibus , ſive a populo bene , ac juſte , atque ad totius civitatis utilitatem accommodate res ipſa publica adminiſtratur : pravas vero , in quibus ſive ty-

ranni, sive paucorum, sive plebis libidine, atque utilitate omnia diriguntur. Itaque recte tyrannum regi, paucorum factionem optimatibus, plebem populo opposuerunt; quod unus uni, pauci paucis, multi multis ita adversentur, ut ipsi inter se non de re levissima, sed de totius reip. fine dissentiant. Ut autem rectas illas, quas dixi, vocarunt, sic quæ ex illis rectis esset temperata, atque confusa, multi optimam esse arbitrati sunt. Cui opinioni Cicero etiam in libris de rep. est assensus, cum se veterem illam Romanam remp. quam propter temperationem optimam judicavit, legibus, & institutis informaturum esse professus est. Quibus ex rebus satis intelligi potest, ut non unum perpetuo fuit Romanæ reip. genus, sic nec unam civium Rom. rationem extitisse. Etenim cum complector animo, unum; modo paucos; plerunque multos Romæ rerum potitos: eosque modo publica, plerunque privata utilitate omnia esse metitos invenio. Primum enim reges remp. tenuerunt, tum tyrannus: quo urbe pulso paucorum patriciorum invasit factio: qui cum in plebem omni honorum aditu interdicto, impotentius dominarentur; eandem eo deduxerunt, ut non ante seditionibus in urbe agitandis conquieverit, quam & ipsa in partem magistratuum, & totius reip. venerit. Tum vero inducta est illa, quam Scipio apud Ciceronem laudibus in cœlum extulit, reip. temperatio. qua deinde per Gracchos tribunos pl. tentata, per reliquos omnino labefactata, ad plebem summa reip. recidit. cujus tandem opibus fretus C. Cæsar perditum unius dominatum invadere non dubitavit. Ex quo fit, ut varias reip. formas varia etiam civium genera sint consequuta. Etenim, quod scribit Aristoteles, in quibus subjectæ res ita differunt, ut hæc sit prima, illa secunda, alia tertia: in iis aut nihil omnino, quatenus tales sunt, aut certe vix aliquid reperiri commune potest. respublicas autem inter se differre, & perditas bonis esse posteriores videmus. Quanquam autem Rom. reip. status sæpe mutatus est, nunquam tamen nisi duas mihi formas ipsa habuisse civitas videtur: unam cum unius, aut paucorum; alteram, cum multorum in potestate res fuit. Ut enim regibus, & patriciis dominantibus, plebs honoribus caruit; sic iisdem facile, rerum potiente populo, abundavit. Itaque ut in illis rebuspublicis opifices, & sellularii civium e numero excludebantur; sic in his optimum etiam jus civitatis assequebantur. Quocirca nos, qui civem Rom. qui optimo jure civis sit, hoc loco quærimus, primam illam vel regum, vel patriciorum remp. in civis Rom. definitione investiganda relinquemus: ad eam vero, quæ æquatis cum plebe, maxime post bellum Tarentinum, honoribus est inducta; nec post, nisi imperatoribus omnia ex libidine administrantibus, commutata, omnem nostram hanc disputationem accommodabimus.

Quod igitur in libris suis de rep. præclare scripsit Aristoteles, civium alios aliqua ex parte; alios omnino cives esse, id in rep. etiam Romanorum verissimum esse deprehenditur. Nam cum varia civium Rom. jura fuerint, qui omnia obtinuerunt, optima: qui aliquot, ii non optima lege cives Rom. fuerunt. Mihi vero in hanc quæstionem accuratius intuenti, qui civis Rom. præclarum hoc nomen usurparunt, liberi homines videntur fuisse, qui urbem, agrumve Romanum inhabitarint. ex quibus is mihi demum optima lege civis Rom. videtur, qui domicilium, qui tribum, qui honorum potestatem sit adeptus. Nam qui civem Rom. domicilio tantum, aut tribu, aut honore definiunt, quanquam alius alio magis, tamen nemo huic quæstioni cumulate satisfacit. is enim demum optima lege civis Rom. judicatur, qui non domicilium solum, sed tribum etiam, & honorum petitionem est consecutus. domicilium enim etiam inquilini, & tribum libertini obtinuerunt. quorum tamen illi nullum jus civitatis; hi vero non optimum habuerunt. libertinis enim quanquam tribus urbanæ, non tamen honores ullo tempore patuerunt. Qui autem e municipiis fuerunt, quanquam tribum, atque honorum petitionem sunt adepti; tamen quia domicilio caruerunt, non ingenui cives Rom. sic enim hos appellat in Bruto Cicero, sed municipes, nisi si quando Romæ fortunarum suarum domicilium collocassent, nominati sunt. ut M. Porcius Cato Tusculanus, quandiu fuit Tusculi, municeps fuit, id est, non ingenuus civis Rom. sed civitate Rom. donatus; ubi vero Romam cum rebus suis commigravit, civis Romanus. Quod idem de avo M. Ciceronis est judicandum. ille enim municeps fuit Arpinas; hic civis Rom. quod ille in municipio vivere maluerit, quam Romæ: unde vox illa extitit Scauri consulis, cujus ipse Cicero in libris de legibus meminit: *Utinam M. Cicero isto animo, atque virtute in summa rep. nobiscum versari, quam in municipali maluisses.* Huic autem definitioni eo libentius assentimus, quod ab Aristotelis definitione civis tradita non longe recedit. Ut enim ille civem plenum, & perfectum honorum gerendorum potestate descripsit, sic nos eundem domicilio, tribu, & honoribus definimus. Ad civitatis autem optimum jus domicilium maxime pertinere, docuit omnis hujus juris auctor, & conditor Romulus, ac deinceps reliqui reges, atque exactis regibus populus Romanus: qui, quos cives fecerunt, omnes Romam transtulerunt, atque in tribus, &, quod probabile conjectura est, in curias descripserunt. In eo vero jure communicando hanc rationem sequuti sunt, ut civitatem dederint, aut oppidanis singulis, aut universis. singulis, ut Hostio Hostilio Medullino Romulus, ut Lucumoni Tarquinio Tarquiniensi Ancus, ut Ser. Tullio Ocriculano Priscus; qui omnes singulis hominibus, quibus voluerunt, jura civitatis impertiverunt. anno vero post reges exactos sexto Ap. Claudio Sabino, neque ita multo post Octavo Mamilio Tusculano consulum rogatione populus. Universis, ut Antemnatibus, Camerinis, Crustuminis, Sabinis Romulus, quibus civitatem ita dedit, ut, quod scriptum apud Dionysium est, qui tum Romam ex oppidis suis commigrare vellent, ii omnes in tribus descripti civitatis Romanæ jura omnia possiderent; qui domi in patria remanerent, ii nullum jus Rom. civitatis haberent. atque hi quidem non municipes, sed cives Rom. dicti sunt. ex his autem populis Romanus populus erat conflatus. siquidem Albanorum tria millia, aut certe paulo amplius Romulo ad urbem condendam affuisse tradit cum Plutarcho Dionysius, quos ille Ramnenses vocavit. reliqua omnis turba peregrinorum fuit, quos ille suscepit in civitatem, Tatiensium, & Lucerum: sed hi nunquam municipes, semper cives Rom. vocati sunt. De quibus locutum esse video in Balbi defensione Tullium: *Illud vero sine dubitatione maxime nostrum fundavit imperium, & populi Rom. nomen auxit, quod princeps ille creator urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hostibus recipiendis augeri hanc civitatem oportere. cujus auctoritate & exemplo nunquam est intermissa a majoribus nostris largitio, & communicatio civitatis.* Post urbem autem a Gallis captam alio modo externo universo populo communicari civitas cœpta est. institutum est enim, ut, quotquot essent alicujus oppidi cives, quotiescunque Romam venissent, quanquam Romæ domicilium nullum haberent, eodem, quo cives Rom. loco ducerentur. ii vero dum domi suæ manserunt, municipes; si quando Romam domicilium traduxerunt, cives Romani: hoc tamen, aut illo municipio oriundi vocati sunt, ut Porcii Tusculo, Coruncanii Camerio, Marii & Tullii Arpino. Sed de municipibus post in libris de jure Italiæ disseremus. Hoc

vero idcirco in præsentia dictum est, ut intelligeretur, non tribum solum, & honorum petitionem, sed domicilium etiam ad civem Rom. ingenuum, cujus in his libris jura nobis quærenda proposuimus, pertinere. a quo domicilio cum multa alia commoda proficiscuntur, tum maxime sacrorum, libertatis, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorumque dierum. ad quæ amplectenda & retinenda populum Rom. Cicero in agraria actione est cohortatus: cum eum ab agris a Rullo tribuno pl. accipiendis deterreret, ne in colonias deductus urbis Rom. domicilium, & tanta præterea commoda posthaberet. sic enim dixit: *Vos, Quirites, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis, fori, ludorum, festorum dierum, ceterorum omnium commodorum*. Si ergo civitatis Romanæ quasi fundamentum quoddam Romani domicilii largitio fuit, id vero non nisi in urbe, aut agro Romano patuit, profecto, si traditam civis Rom. definitionem confirmare volumus, in qua domicilium, tribum, honoresque posuimus; primum de urbis, agrive Rom. finibus: tum de tribuum Rom. numero, & jure: postremo de honorum ratione nobis est differendum. qua distributione perfecta, tum demum ad civium ipsorum genera distinguenda, & dissimilitudines demonstrandas descendemus. Quare, quod nunc instat, de urbe, agroque Romano agamus.

CAP. II.

De urbe, & agro Romano.

URBEM igitur appello tectorum, ut ait Cicero, conjunctionem, locis, manuque septam, delubris, & spaciis communibus distinctam, in qua cœtus sit hominum, juris consensu, & utilitatis communione sociatus. Romanam autem urbem intelligo, quicquid regionum, & collium pomœrio, & mœnibus Romanis includeretur. Pomœrium porro quod fuerit, quanquam ita est in promptu, ut res expositione non egeat, tamen si Varronis, & Livii verba protulero, planius etiam, atque illustrius erit. Varro quidem scribit in libris de lingua Latina hoc modo: *Oppida condebant in Latio, Etrusco ritu, multa, id est, junctis bubus, tauro, & vacca, interiore aratro circumagebant sulcum. hoc faciebant religionis caussa die auspicato, ut fossa, & muro essent munita. terram, unde excalpserant, fossam vocabant, & introrsum factum murum. postea quod fiebat orbis, urbs: principium, quod erat post murum, pomœrium dictum ejusque ambitu urbana auspicia finiuntur. cippi pomœrii stant circum Romam.* Livius autem ita libro primo: *Pomœrium verbi vim solam intuentes postmœrium interpretantur esse. est autem magis circa murum locus, quem in condendis urbibus quondam Etrusci, qua murum ducturi erant, certis circum terminis inaugurato consecrabant, ut neque interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiam conjungunt, & extrinsecus puri aliquid ab humano cultu pateret soli. Hoc spacium, quod neque habitari, neque arari fas erat, non magis, quod post murum, quam murus post id, pomœrium Romani appellarunt.* Hæc illi. Ego vero urbem Romanam idcirco pomœrio, & mœnibus circumscripsi, quia quanquam pomœrium urbis terminus quidam fuerit, tamen urbem ultra pomœrium etiam processisse, accepi. Etenim, quod est apud Tacitum libro tertio decimo, & Gellium duodecimo, pomœrii proferendi jus nemini datum est, nisi qui agro de hostibus capto rem Romanam auxisset. Quod decus pauci sibi admodum vindicarunt, cum qui urbem muniverint, atque variis comprehensis collibus dilatarint, complures

A extiterint. Palatium enim Romulus, Tarpeium montem, qui postea Capitolinus appellatus est, T. Tatius, Cœlium sive Tullus, sive Ancus, sive Priscus, (hæc enim omnia feruntur,) Esquilinum, & Viminalem, &, auctore etiam Livio, Quirinalem Ser. Tullius reges pomœrio incluserunt. Nam Tarpeium, & Cœlium Romulus, & Janiculum, atque Aventinum Ancus muro cinxerant illi quidem, non tamen pomœrio comprehenderant. Sylla autem, & Cæsar dictatores, & Augustus Imper. quos omnes pomœrium protulisse, auctor est idem cum Tacito Gellius, quas eo regiones amplexi sunt, parum certa memoria est. Illud autem dubitationem
B non habet, Aventinum, quem Ancus rex Latinis habitandum concesserat, non nisi post multa sæcula a Claudio Imper. pomœrio esse inclusum, cum ante ab omnibus semper fuisset exclusus; nempe, quod, ut tradit ex Messalæ sententia Gellius, in eo Remus urbis condendæ caussa auspicatus, avibus irritis habitis, a fratre in auspicio fuerit superatus. Ex quo efficitur, urbis terminos aliquanto latius patuisse, quam pomœrii. Quanquam non spacium illud solum, quod est aut pomœrio, aut mœnibus circumscriptum, sed etiam suburbana ipsa continentia cum muris urbis ædificia, uno Romæ no-
C mine videntur esse communi sermonis consuetudine appellata. Hoc autem tradit satis, ut mihi videtur, aperte Marcellus Jurisconsultus, his verbis: *Urbs Roma est, quæ muro cingitur. Roma est etiam, qua continentia ædificia sunt. nam Romam non muro tenus existimari, ex consuetudine quotidiana potest intelligi, cum dicamus, Romam nos ire, etiam si extra urbem habitemus.* Quod idem ante etiam sensit Dionysius, cum de magnitudine urbis Romanæ disserens ita scriptum reliquit: *Ser. Tullius regum ultimus urbis ambitum dilatavit, duobus ad quinque collibus additis, auspicato, & re divina rite perfecta. longius autem non processit, religionibus, ut fama est,*
D *impeditus. ceterum omnia suburbana ædificia, quæ multa ac magna sunt, nullo vallo munita, hostium incursionibus exposita sunt. quæ si quis oculis lustrans, magnitudinem inde urbis colligere velit, necessario decipietur; neque certum habebit signum unde urbis initium, finemve perspicere possit. adeo cum urbe conjunctus ager est, ac speciem in infinitum progredientis urbis intuentibus hominibus præbet.* Agrum autem Romanum proprie vocamus, quidquid montium, camporumque extra urbem Romanam ex omni parte sociorum fines attingeret. Ut autem non iidem semper urbis Romanæ termini fuerunt, sic nec hujus agri eosdem fines extitisse statuendum est.
E Eosdem vero reges, qui urbis; agri etiam fines protulisse, ego facile existimaverim. nam de eo post Ser. Tullium regnantem, aucto, nihil comperti habeo. Principio quidem angustissimus fuit, adeo ut Fabius Pictor scriptum reliquerit, agrum Romanum ætate Romuli arcus formam, cujus chorda esset Tiberis, reddidisse. egregie. Etenim ultra Tiberim in Etruria nullus erat, nec Latium versus multum patebat. eundem tamen etiam Romulum trans Tiberim Romanum agrum provexisse, inde apparet, quod Vejentibus victis, qui late trans Tiberim imperabant, agrum, qui Septempagi dicebatur,
F ademit. Quod idem ab Anco rege post factum indicat Livius, cum scribit, *Anco rege non urbem tantum crevisse, sed etiam agrum, finesque: sylva Mœsia Vejentibus adempta usque ad mare imperium prolatum.* itemque Dionysius, cum ait, *Politorium, & Ficanam*, quæ auctore Festo, via Ostiensi ad duodecimum ab urbe milliarium fuit, *priscorum Latinorum oppida, Romæ vicina, ab eodem esse deleta.* Quin etiam de L. Tarquinio Prisco possumus aliquid suspicari, quem Apiolas, & Corniculum propinqua oppida Latinorum incendisse, & reip. fines propagasse, auctor est cum Dionysio Vale-

rius. Eutropius certe scribit, *Priscum Sabinis victis non parum agrorum urbis territorio adjunxisse. is autem ager trans Anienem fuit, quem Livius credo intellexit, cum scripsit, Collatiam, & quicquid citra Collatiam agri, Sabinis fuisse ademptum.* Qui autem ex regibus ultimus pomœrium terminavit, eundem agro etiam modum imposuisse arbitror. siquidem Vejentes, Cærites, & Tarquinienses Etruscos finitimos agro ab eo multatos, atque eo novos cives donatos, apud Dionysium invenio. Illud autem sine dubitatione confirmaverim, agrum Rom. in multas partes, quas pagos nominavit, Ser. Tullium divisisse. Verum, sive Tullius, sive Romulus, sive quivis regum alius agrum hunc circumscripserit, satis constat, eum non late admodum patuisse. Strabo quidem regnante Romulo intra quintum, aut sextum lapidem a Latio, locum, Festos, nomine, tanquam terminum Romani, qui tum erat, agri monstratum, ait; ac sacerdotes ibi, & aliis plerisque in locis, ut in finibus eodem die sacrificium fecisse, quod Ambarvale diceretur. Qui si postea ab ea parte accessionis aliquid accepit, certe non ultra Tiburtinum, Gabinum, Tusculanum, Lanuvinum, Ardeatem, & Ostiensem agrum pertinuit. Nam trans Anienem Sabinos versus, Fidenatem, Antemnatem & Collatinum attigit; trans Tiberim vero Vejentem, & Cæritem usque ad mare. Eundem autem vel Romuli temporibus a mari fuisse plurimum scribit Festus, cum ait: *Petuscum Palati dicta est ea regio urbis, quam Romulus obversam posuit ea parte, qua erat plurimum Romani agri ad mare versus, & qua mollissime adibatur urbs, cum Etruscorum agrum a Romano Tiberis discluderet, ceteræ vicinæ civitates colles aliquos haberent oppositos.* Proximus autem ager cis Anienem fuit Tiburtinus, post Tiburtinum Gabinus. quanquam Gabii Tibure ab urbe Roma viæ dimidio propius abfuerunt, nimirum citra Præneste, in via ipsa Prænestina, procul ab urbe stadiis, ut inquit Dionysius, centum. de quo loquutus est etiam Varro, cum de generibus agrorum disputavit, his verbis: *Ut nostri augures publici dixerunt, agrorum sunt genera quinque, Romanus, Gabinus, Peregrinus, Hosticus, Incertus. Romanus dictus, unde Roma, ab Romulo: Gabinus autem ab oppido Gabiis. Peregrinus ager pacatus, qui extra Romanum, & Gabinum, quod uno modo in his feruntur auspicia: dictus peregrinus a pergendo, id est, progrediendo. eo enim ex Romano agro primum progrediebantur. quocirca Gabinus, sive Peregrinus secundum hos auspicia habent singularia. ab reliquo discretus Hosticus, dictus ab hostibus. Incertus is ager, qui de his quatuor qui sit, ignoratur.* Ceterum Gabinum agrum Romanus is videtur contigisse, qui Pupinia dictus est, octo millia passuum ab urbe distans. quod ostendit Livius, cum Annibalem ex Gabino agro in Pupiniam ait descendisse. Gabinum porro agrum sequitur Tusculanus, Tusculanum Albanus, quos & ipsos Romano adhæsisse agro ostendit Strabo, cum ait: *Post Tusculana juga est mons Albanus, cui subest planicies. deinde campi sunt, qui partim Romam, & ejus suburbia attingunt, partim ad mare pertinent.* Albanus autem cum Romano conjungebatur ad eum locum, qui Fossæ Clœliæ dicebatur, quinque millia passuum ab urbe: unde Albani bello Albano, & Coriolanus bello Volsco in agrum Romanum fecisse impressionem dicuntur. Romanum autem agrum haud ita multo latius patuisse, indicant oppida, quæ ab ea parte suis etiam temporibus urbi vicina Cicero nominat, ut in Agraria Lavicos, Fidenas, Collatiam, Lanuvium, Ariciam, Tusculum; in Planciana Gabios, Bovillas, & Lavicos, quibus e municipiis vix, qui carnem Latinis peterent, tum inventos fuisse ait. Quin etiam hoc esse caussæ puto, cur Latini, cum urbe exire a consulibus jubebantur, quinque millia passuum ab urbe abesse juberentur, quod hoc minimum intervallo a Latino Romanus ager sejungeretur. Inde vero erat ager Solonius, Ardeas, Ostiensis, quorum agrorum meminit Livius bello Latino secundo, cum ait, *Antiates in agrum Ostiensem, Ardeatem, Solonium incursiones fecisse.* Agrum autem Solonium via Ostiensi ad XII. lapidem fuisse, narrat Festus. nam Ostiam ad XVI. Ardeam ad XVIII. fuisse, in Eutropii historia scriptum est. Jam vero trans Anienem erant Sabini, ultra Tiberim Etrusci. In Sabinis vicina oppida Fidenæ, Antemnæ, Collatia, Crustumium. In Etruria Vejens ager procul a mari; ad mare vero Cære oppidum. Cum ergo postremis etiam temporibus horum aut oppidorum, aut agrorum fieri mentionem videamus, profecto neque ultra hos agros Romanum agrum propagatum fuisse, licet suspicari. Cum autem trans Anienem Fidenæ quinque millia passuum ab urbe abfuerint, certe nec ab ea parte Romanus ager fuit amplissimus. Nam Cæritem cum Romano agrum conjunctum fuisse, ex eo ducor ad suspicandum, quod scribit Livius lib. VI. *Cognitum est, depopulatum agrum circa Romanas salinas, prædæque partem in Cæritum fines avectam.*

An igitur cives Rom. urbem tantum tenuerunt, atque hunc solum, quem circumscripsi, agrum? non, opinor. imo vero multos etiam in Latio, & Italia agros coluerunt; vel publicos, vel privatos; vel suos, vel alienos. Neque enim illud dubium est, majorem Italicorum, Latinorumque partem agris a Romanis esse multatam, eosque agros aut plebi Rom. esse divisos, aut publicos factos arandos civibus Romanos datos. Hujus enim rei testis optimus est Livius, cum scribit, *bello Latino secundo Tiburtes, Prænestinos, & totum fere Latium, ac Privernum, Capuamque agro multatos; Latinum, Campanum, Falernum, & Privernatem agrum plebi R. divisum.* unde non multo post Palæpolitanos multa hostilia adversus Romanos, agrum Campanum, & Falernum colentes, fecisse. & cum lib. XLII. L. Postumium consulem ad agrum publicum a privato dirimendum in Campaniam missum, cujus ingentem modum possidere privatos, paulatim proferendo fines, constabat, prodit; & cum lib. VIII. T. Quinctium patricium virum agrum in agro Tusculano coluisse; & cum lib. XLII. Sp. Ligustinum civem R. in tribu Crustumina in Sabinis habitasse, narrat. Neque vero Livius solum, sed etiam Cicero, qui in agrariis dixit, Campanum agrum coli, & possideri a Romana plebe modestissima aratorum, & militum. Nec Cicero tantum, sed etiam Varro, qui in I. de re rustica inquit, M. Catonem ita scripsisse in Originibus: *Ager Gallicus Romanus vocatur, qui viritim datus est ultra agrum Picenum.* Quibus ex locis omnibus nemo est, qui non intelligere possit, cives R. etiam extra agri ejus, de quo diximus, terminos, alterum agrum inhabitasse: quem, nescio, cur non Romanum etiam, præsertim cum a Romanis possideretur & coleretur civibus, nominemus. siquidem agrum Hernicum a Livio videmus aliquando etiam Romanum appellari. ut libro XXVII. *Frusinone natus Androgynus aruspices eum extorrem agro Romano procul terræ contactu alto immergendum responderunt.* quo ex loco quis non videt, Frusinatem agrum, qui fuit in Hernicis, pro Romano ab aruspicibus esse acceptum? Mitto, quod alio loco dictatorem negat, nisi in agro Romano dici potuisse: agrum autem Romanum Italia terminari, interpretatum esse. Quod igitur, ut ad rem redeam, civem R. urbis, agrive R. incolam definivi, id non habet eam vim, ut si is extra hos fines negotii fortasse gerendi caussa aliquando habitarit, eum jus ipsum civitatis R. statim amissurum esse constituam;

ſed ut illud intelligatur, ſi in aliam ille urbem profectus, ab ea in civium numerum recipi ſe permiſerit, eum continuo civem R. eſſe deſiturum. *neque enim*, ut ſcribit Cicero pro Cæcina, *jure Quiritium idem duarum civitatum civis eſſe potuit*. Unde illa ſunt apud Nepotem de Attico, *factum eſſe, ut cum ei omnes honores, quos poſſent Athenienſes publice haberent, civemque facere ſtuderent, eo beneficio ille uti noluerit; quod nonnulli ita interpretarentur, amitti civitatem R. alia aſcita*. At Roma, & Romano agro abeſſe, quamdiu cuique libuit, licuit; dummodo aut præſens, aut abſens cenſeretur: ne ſi cenſus non eſſet, civium tum Romanorum in numero non fuiſſe judicaretur. cujus generis controverſiæ multæ forum olim Romanum exercuerunt. quemadmodum ſatis magno eſſe documento is, quem modo nominavi, T. Pomponius Atticus, eques Rom. poteſt, qui cum Athenis habitaret, Romam tamen ſæpe, & ad comitia amicorum, & ad cenſum civium, juris retinendi gratia ventitavit.

CAP. III.

De tribubus, & Curiis.

URBE, agroque Romano conſtituto, deinceps ſequitur, ut, quemadmodum polliciti ſumus, de tribubus, & earum partibus diſputemus. De tribubus autem ita ſcribemus, ut & quid tribus fuerit, & a quo inſtitutæ, quando quæque additæ, unde nominatæ, in quot genera diviſæ fuerint, tum exquiramus, tum etiam, quantum ex veteribus intelligi monumentis poſſit, aperiamus. Tribus igitur nomen latius apud Romanos patuiſſe invenio. Etenim & locum, & homines, & jus eos hoc nomine comprehendiſſe, auctor eſt Gellius. Quare ſi de loco quærimus, tribum partem quandam eſſe urbis Rom. dicemus: ſi homines, partem Roman. civitatis. ſiquidem Ariſtoteles etiam in I. eorum librorum, quos de rep. ſcripſit, civitatem perfectam eſſe ſocietatem ex multis viciniis conſtantem; vicinitatem vero ex multis familiis junctam ſocietatem definivit; ſi jus, tribum eſſe definiemus jus, quo donati ſunt ii, qui in eam partem civitatis a cenſoribus fuerint diſtributi. Qua de triplici ratione mihi intelligo deinceps eſſe dicendum. Primum enim video, tribus Romæ ita uſurpatas, ut partes eſſent urbis, agrique Romani; deinde vero non urbis, ſed civitatis. Urbs enim primum a Romulo in tres partes diſtributa eſt, unde tribus dictæ. quanquam alii a tributo, quod populus Romanus in tribus diviſus conferre ſolitus fuerit, dictas eſſe exiſtimant. Harum autem tam diverſarum opinionum duos graviſſimos viros Dionyſium, & Livium auctores habemus: inter quos ne de tempore quidem, quo tribus nomen inventum fuerit, video convenire. Nam Dionyſius, quem plerique ſequuntur, Romulum; Livius unus Ser. Tullium regem tribuum profitetur auctorem. Ac Dionyſio quidem placet, Romulum, ubi primum ab agreſti illa Albanorum, convenarumque multitudine rex declaratus eſt, omnem populum in tres tribus; tribus autem ſingulas in decem curias diviſiſſe. agrum porro, excepta ea parte, quam publicis, & quam ſacris muneribus obeundis addixit, æqualiter ipſis triginta curiis partitum eſſe: poſt autem Antemnati, Cæninenſi, Camerino, Fidenati, Sabino, & Vejenti bello confecto, cum multos ex eis populis civitate donatos in tribus, atque in curias conjeciſſet, iiſdem agri etiam capti partem diſtribuiſſe. quibus autem nihil forte a Romulo fuerat aſſignatum, iis Numam Pompilium, qui Romulum conſecutus eſt, ſatisfeciſſe. Livius autem non niſi Sabino confecto bello, atque conſociato cum T. Tatio imperio, tres equitum centurias, ac XXX. curias a Romulo factas, eaſque a mulieribus Sabinis appellatas prodit. cujus, ut apertior ſententia ſit, verba etiam ipſa ſubſcribam: *Romulus cum populum in curias XXX. divideret, nomina Sabinarum curiis impoſuit. Id non traditur, cum haud dubie aliquanto numerus major hoc mulierum fuerit, ætate ne, an dignitatibus ſuis; virorum ne, an ſorte lectæ ſint, quæ nomina curiis darent. ab eodem etiam centuriæ equitum tres conſcriptæ ſunt, Ramnenſes ab Romulo: ab T. Tatienſes appellati. Lucerum nominis & originis cauſſa incerta eſt*. Quibus ex verbis apparet, quas Dionyſius tribus nominavit, eas a Livio centurias equitum appellari. Plutarchus vero, qui utriuſque hiſtorias videtur legiſſe, Dionyſium ſequutus ſcripſit, tribus tres, curias triginta a Romulo, verum non niſi poſt civitatem Sabinis datam, deſcriptas: atque illas quidem Ramnenſium, Tatienſium, & Lucerum; has vero non a Sabinis, ut multi putarint, mulieribus, ſed a locis pleraſque ſumpſiſſe nomen. Quæ ſi vera ſunt, profecto Dionyſii ſententia illa ſubvertitur, qui populum a Romulo, antequam rei bellicæ quicquam attingeret, in tres tribus eſſe deſcriptum dixit. niſi forte tribus ipſas, & curias ante Sabinum bellum inſtitutas illas quidem, verum non niſi poſt Sabinam pacem his nominibus fuiſſe inſignitas velit. Etenim & Varro, quem auctorem in ea re ipſe ſequutum ſe inquit, cum rationem, cur ita nominatæ tribus fuerint, in libris de lingua Latina reddit, eas Sabino demum perfecto bello ita appellatas ſignificat. quid enim aliud ea verba volunt? *Ager Romanus primum diviſus in partes tres, a quo tribus appellatæ, Tatienſium, Ramnenſium, Lucerum: nominatæ, ut ait Ennius, Tatienſes a Tatio; Ramnenſes a Romulo; Luceres, ut ait Junius, a Lucumone*. Quamobrem ego facere non poſſum, quin Aſconium Pædianum, virum eum, quem alias in antiquitate demonſtranda accuratiſſimum ipſe ſoleo nominare, hoc loco aut inſcitiæ arguam, aut imprudentiæ, qui hæc verba in commentario Divinationis reliquerit: *Principio tribus tres fuerunt, Tatienſium a Tatio rege, Ramnenſis altera ab Romulo, Luceres altera ab Lucumone, ſive Lucero, ſive a Luco, quem Aſylum vocaverat Romulus*. egregie hoc quidem. at quod ſequitur, abſurde: *Poſt de nominibus Sabinarum plures fuere, quibus deprecantibus parentum bellum, maritorumque finitum eſt. ad extremum quinque & triginta factæ*, cur autem abſurde? quia tribus, quod nemo prodidit, a Sabinis mulieribus nuncupatas tradit: niſi forte curias falſo eaſdem eſſe, ac tribus, voluit. Fuerunt ergo ab initio tres Romæ tribus, eæque a generibus hominum, qui tum urbem tenerent, nominatæ. Ramnenſes Albani erant, qui ad tria millia peditum, equites CCC. cum Romulo Romam coloniam condiderunt. Tatienſes Sabini, qui haud ita multo poſt cum T. Tatio Sabinorum rege Romam commigrarunt. Luceres ſive Etruſci erant, qui cum Lucumone Etruſco, ſive Ardeates, qui cum Lucero, regnante Romulo, (nam & hæc traduntur) fortunarum ſuarum Romæ domicilium collocarunt, ſive præter Albanos, Sabinoſque reliquus adventitius populus omnis, qui in urbem confluxerat, atque in lucum confugerat. Unde etiam Luceres appellati, qui regionem, quæ inter Palatium, & Capitolium ſita eſt, ac deinceps, aucta urbe, reliquos colles omnes obtinuerunt. Nam quod Livius Lucerum nominis, & originis incertam cauſſam eſſe tradiderit, id ita accipiendum eſſe arbitror, non quod nullam ipſe tenuerit, ſed quod incertam eam diverſos feciſſe auctores, exiſtimarit. Quoniam autem ex ſingulis tribubus ſingulæ equitum centuriæ conſcriptæ ſunt, hinc factum eſt, ut eadem nomina primarum tribuum fuerint, ac centuriarum equeſtrium. Id quod

A

Livio fortasse caussam, ut, nulla facta tribuum mentione, tres a Romulo equitum centurias conscriptas libro primo tradiderit, easque postea libro decimo tres tribus appellarit. Has deinde sive tribus, sive centurias sub iisdem nominibus auxit L. Tarquinius Priscus, ac sex fecit, primos & secundos (ut ait cum Livio, & Dionysio Festus) Ramnenses; primos & secundos Tatienses; itemque Luceres. Neque enim per Attium Navium augurem, id quod optabat, suo insignes relinquere nomine potuit. Hic ergo sive centuriarum, sive tribuum numerus usque ad Ser. Tullium regem permansit incolumis, a quo eodem tum, cum tribuum, ac

B

centuriarum numerus auctus est, ipsæ inter se aperte distinctæ sunt. id quod his verbis non obscure fert Livius; *Servius pedestri exercitu ornato, distributoque equitum ex primoribus civitatis* XII. *conscripsit centurias. sex item alias centurias, tribus a Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit. Quadrifariam autem urbe divisa regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo. nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est*. Quamobrem, si Livium attendamus, Servium regem, urbe in quatuor partes divisa, primum tribus, ac tribus quatuor a collium, regio-

C

numque nominibus appellatas, instituisse dicemus, Palatinam, Suburanam, Collinam, & Esquilinam; si Dionysium, urbem, quam trium Romulus tribuum fecerat, Servium in quatuor divisisse, non gentium, ut ille, quæ habitarent, sed locorum, in quibus habitarent, habita ratione. Id autem quemadmodum factum sit, quia non minimi momenti res est, verbis item Dionysianis allatis, exponam. *Servius*, inquit, *cum pomœrium protulisset, urbem in* IV. *regiones divisam quatuor tribuum fecit, easque a regionibus nominavit, Palatinam, Suburanam, Esquilinam, Collinam: cum eo usque trium tantum fuisset.*

D

qui autem singulas earum partium incolebant, eos alio commigrare, atque alibi censeri, aut tributum conferre vetuit, neque in posterum per tribus generales, ut ante, sed per quatuor locales (sic enim Γενικὰς & Τοπικὰς vertemus) *a se institutas rem militarem administravit, ac singulis partibus præsides, qui, ubi quisque habitaret, cognoscerent, præfecit*. Quorum verborum satis plana sententia est: Romulum tres tribus γενικὰς fecisse, cum universam populi multitudinem in tres quasi gentium partes divisisset: Servium quatuor τοπικὰς, cum totam urbem in quatuor regiones distribuisset; atque idcirco neminem e sua regione in

E

alteram transire, ne tribus ipsæ forte perturbarentur, voluisse. Hunc autem, ut a Romuli ratione, atque instituto discederet, hæc, ut opinor, caussa adduxit. Vidit Ramnenses, qui Palatium; & Tatienses, qui Capitolium tenebant, a Luceribus novo, atque adventitio populo longe numero superari. etenim quicunque in urbem quotidie confluebant, sese Luceribus adjungebant. Igitur ut omnes inter se tribus æquaret, ac parem in omnibus multitudinem redderet, qui Palatium, & Capitolium, & quicquid inter eos colles spacii erat, habitarent, in unam omnes tribum conjecit, quam a nobiliori Palatii nomine, quod in eo primum urbs sita

F

fuerit, appellavit; qui sub urbem veterem, quæ regio Subura dicebatur, in Suburanam; qui Esquilias, in Esquilinam; qui Quirinalem, Viminalemque collem, in Collinam, quam, ne alteri horum collium, qui dignitate pari erant, injuria fieret, non Quirinalem, aut Viminalem, sed Collinam nuncupavit. His rebus ita constitutis, sequitur, ut quoniam Servium omnia fere tribubus ornamenta dedisse, comperimus; quam multas ille tribus, & quot generum fecerit, quæramus. Ac plures quidem, quam quatuor, ab eo institutas, atque has quidem, quas commemoravimus, urbanas, reliquas vero rusticas appellatas, auctor est Dionysius. scribit enim, eundem regem in multas item partes agrum Rom. esse partitum, quas tribus nominarit, easque urbanis ipsis quatuor adjunxisse. Verum ne ipse quidem toti huic quæstioni satisfacit. recitat enim parum inter se constantes aliorum sententias, ut Fabii, ut Vennonii, ut Catonis, qui de numero rusticarum tribuum scripserunt. quid autem ipse existimet, non adscribit. verba vero ejus si Latine reddantur, hæc sunt: *Divisit agrum etiam universum, ut Fabius inquit, in viginti sex partes, quas & ipsas tribus appellat. cumque ipsis urbanas quatuor addidisset, triginta ex utrisque fecit: (Cato quidem has regnante Tullio fuisse omneis narrat) ut autem Vennonius prodit, in unam, & triginta tribus. qui cum auctor sit melior, numerum tamen partium certum non ascribit*. Quæ si Dionysii sententia fuit, (nam libri mendam verba ipsa Græca vulgata subindicant) profecto apparet, tribus ex eorum sententia a Ser. Tullio aut triginta, aut amplius esse factas. Cui opinioni nec Varro, nec Livius, nec Dionysius est assensus. Varro quidem, quia lib. de vita populi Rom. I. teste Nonio, ita scriptum reliquit: *Extra urbem in regiones viginti sex agros viritim liberis attribuit*. quod, ni mea me conjectura fallit, de Servio dictum est, ut ex his verbis intelligamus, agrum in partes illum quidem viginti sex divisum esse: sed regiones eas, non tribus appellatas; & numerum tribuum cum numero regionum non convenisse. siquidem Vaticanus ager non solum fuit Romanus, sed prope etiam suburbanus, at inde tamen tribus nulla nomen traxit. Nam Livium tribus a Servio plures quatuor, pauciores triginta institutas existimasse, multis argumentis doceri potest. sed maxime, quod tribum Claudiam, quæ rustica fuit, sexto post reges exactos anno, qui fuit ab V. C. CCXLIX. cum vetus esset tribus, Claudiam appellatam scribit. deinde quod apud eundem scriptum est, anno demum CCLVIII. Claudio, Servilioque coss. Romæ unam & viginti tribus esse factas. Dionysium vero, quia in judicio Coriolani exponendo, quod quadriennio post, Sempronio, Minucioque coss. a plebe factum est, scribit, tribus unam, & viginti suffragium tulisse, ita ut novem eum absolverint, reliquæ condemnarint. Ergo, cum, id quod omnem hujus dubitationis scrupulum evellere poterat, Livius ita locutus sit, ut nec quot, nec quæ tribus additæ sint, ne tum quidem, cum una & viginti factæ sunt, explicet; nec Dionysius hac de re quicquam adjiciat. unde pervenire in suspicionem aliquam veritatis possimus, fingamus nos duas opiniones extitisse, unam, ut dixi, Fabii, alteram Vennonii, quibus aut triginta, aut una & triginta tribus a Servio factæ dicantur; tertiam vero Varronis, Dionysii, & Livii statuamus. quorum postremos tam magnum numerum tribuum non approbare inde liquet, quod post reges exactos minorem multo ambo commemorent. Dicamus autem, exempli gratia, decem, & novem tribus a Servio esse factas. Hoc enim si constituerimus, a Dionysii non multum; a Livii certe nihil sententia recedemus, qui non nisi ducentesimo quinquagesimo octavo demum urbis anno, Claudio & Servilio coss. unam & viginti tribus factas, scriptum reliquit: & post expletum demum triginta quinque tribuum numerum, duplicatum ipsarum esse numerum prodit. Harum autem decem, & novem nomina, ut puto, fuerunt: Urbanæ, quas commemoravimus, quatuor, Suburana, Palatina, Esquilina, Collina. reliquæ rusticæ, Romilia, Læmonia, Pupinia, Galeria, Pollia, Voltinia, Æmilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, Veturia, &

quæ post dicta est Claudia. Hæc igitur tribuum prima fuit a Servio instituta divisio, ut alteræ urbanæ essent, alteræ rusticæ. urbanæ a collibus & regionibus urbis, rusticæ ab ruris, id est, agri partibus nuncupatæ. Itaque scite Varro in libris de lingua Latina, ubi de locis egit, tribus omnes a locis nomen traxisse significat, cum ait: *Ab hoc quoque quatuor partes urbis dictæ, & ab locis, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina, sic reliquæ extra ab his rebus, de quibus in tribuum libris scripsi.* Quod autem a Varrone traditum est, ratione etiam in plerisque earum confirmari potest. fuisse enim hæc nomina fere vel urbis, vel agri regionum satis constat. Ac de regionibus quidem urbis quatuor, quo locupletiore utar teste, quam eodemmet Varrone, non habeo, qui eodem in loco ita scribit: *Reliqua urbis loca olim discreta. e queis prima est regio Suburana, secunda Esquilina, tertia Collina, quarta Palatina. In Suburanæ regionis parte princeps est Cœlius mons: eidem regioni attributa Subura, quod sub muro terreo Carinarum. Suburam Junius scribit ab eo, quod fuerit sub antiqua urbe. cui testimonium potest esse, quod subest ei loco, qui terreus murus vocatur. Sed ego a pago potius Sucusano dictam puto Sucusam. nunc scribitur tertia littera C. non B. Pagus Sucusanus, quod succurrit Carinis. Secundæ regionis Esquilinæ ab Esquiliis. alii has scripserunt ab excubiis regis dictas: alii ab eo, quod excultæ a rege Tullio essent. Tertiæ regionis colles ab quinque deorum fanis appellati, e queis nobiles duo colles, Viminalis a Jove Viminio, quod ibi aræ sunt ejus, aut quod ibi vimineta fuerunt; collis Quirinalis, ubi Quirini fanum, qui a Curetibus, qui cum T. Tatio Curibus venerunt Romam, quod ibi habuerunt castra. Quartæ regionis Palatium, quo Palantei cum Evandro venerunt, aut quod Palatini, qui & Aborigines, ex agro Reatino, qui appellatur Palatium, ibi consederunt. Sed hoc alii a Palatia uxore Latini putarunt. eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam. Itaque Nævius Balantium appellat.* Hactenus Varro. Suburanam ergo tribum ex urbanis primam fuisse, cum Plinius, Varro, & Festus, qui eam ceteris anteponunt, docent; tum maxime Cicero in Agraria, cum inquit: *A Suburana ad Arniensem nomina vestra proponat.* quod nihil aliud est, nisi a prima tribu usque ad extremam. Ut autem inter urbanas Suburana primam sedem obtinuit, sic inter rusticas Romilia. Hoc ostendit eodem in loco Cicero, cum Rullum reprehendit, qui se agrariæ divisionis initium a Romilia tribu facturum esse responderat; cum, ut ipse interpretatur, aut urbanas præteriret, aut certe, quod a rusticis inciperet, ordinem immutaret. quod idem non obscure tulit etiam Varro, cum Romiliam quintam tribum, quod sub Roma esset, & Festus, quod ex eo agro censerentur, quem Romulus ex Vejentibus ceperat, scripsit. Sequuntur deinceps tres Læmonia, Pupinia, Vejentina, quas omnes ab agri Rom. partibus nomina duxisse, quis ignorat? de iis enim sic Festus: *Læmonia tribus a pago Læmonio, qui est a porta Capena via Latina, dicta est: Pupinia ab agro Pupinio.* cujus nos ante, & sæpe etiam Livius alias, & Valerius meminerunt. Vejentinam, cujus meminit in Planciana Cicero ab agro Vejentum dictam existimarim, quem Vejentibus Ser. Tullius ipse ademit, & novis civibus, ut tradit Dionysius, dedit. Quod idem de Galeria, Pollia, Voltinia, quanquam scriptum nihil extat, possumus suspicari. Voltinienses quidem Terentinæ vicinos scribit Cicero pro Plancio. Dicet aliquis: Quid ceteræ? a pagis ne, & locis; an potius a virorum, familiarumve nominibus appellatæ sunt? Ego quidem existimo, a locis omnes, ut scripsit Varro, a Ser. Tullio rege nominatas, verum vindicata post in libertatem civitate, multas earum vetere relicto nomine illustrium aliquot familiarum sibi nomina asci-

A visse. Hoc me docuit Claudia tribus, quæ, ut ait Livius, cum vetus esset tribus, eaque a pago ante forte aliquo appellata, adjectis postea novis tribulibus, Claudia vocitata est. Nam Papiriam quidem, quid est, cur a Papirio duxisse nomen dubitemus, cum Festum auctorem habeamus? Neque vero hoc cuiquam mirabile debet videri, Papios, Cornelios, Æmilios, Sergios, Fabios, Horatios, Menenios, Veturios, qui patricii remp. universam primis illis reip. temporibus in potestate habebant; quibus ipsi erant præditi opibus, nomina sua tribubus, quæ tum erant, diversis rerum caussis, atque eventibus imposuisse. Inde duæ adjectæ sunt anno, ut dixi,
B CCLVIII. quarum altera Crustumina; altera Vejentina, ut opinor, est appellata. de quibus tribus una & viginti factæ; quatuor anno CCCLXIX. Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis; duæ anno CCXCV. Pomptina, & Poplilia, sive Popillia, sive Poblilia; duæ anno CCCCXXI. Mæcia, & Scaptia; duæ anno CCCCXXXV. Ufentina, & Falerina; duæ anno CCCCLIIII. Aniensis, & Terentina; duæ demum anno DXII. Velina, & Quirina. quibus numerus XXXV. tribuum est expletus, qui integer usque ad extrema reip. tempora penetravit. Omnium autem harum Livius auctor est; præter Crustumi-
C nam & Vejentinam. quarum cum ego nomina celebrari partim in libris, partim in lapidibus veteribus viderem; neque tempus aliud, quo eas adjectas esse verisimile esset, reperirem, eo potissimum, quo dixi, anno additas arbitratus sum. Est autem Crustumina dicta ab oppido Crustumio, ut inquit Festus: Vejentina a Veiis. est enim intelligendum, ut decem, & novem tribus quas Servius descripsit omnes aut in urbe, aut in agro Rom. fuerunt; sic reliquas sexdecim extra agrum, aut in Sabinis, aut in Etruria, aut in Latio, aut in Campania fuisse. Crustuminam autem in Sabino agro positam, docet Livius, apud quem Sp. quidam Ligustinus se ex
D tribu Crustumina esse in Sabinis ait: ita fortasse appellatam, quod ex iis agris homines in civitatem asciti, in easque tribus, ut de Ap. Claudio, & clientibus ejus e Sabinis venientibus paulo ante factum erat, conjecti sint. quod semel fieri cœptum inde sæpissime celebratum est. neque enim quenquam negaturum esse arbitror, Stellatinæ, Tromentinæ, Sabatinæ, Arniensis nomina ab Etruscis locis esse imposita, qui hæc Livii verba consideraverit: *Eo anno in civitatem accepti, qui Vejentium, Capenatium, ac Faliscorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus assignatus. tribus*
E *quatuor ex novis civibus additæ Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, eæque vigintiquinque tribuum numerum explevere.* Quod si quis ex his verbis haud satis id, quod proposui, confirmari putaverit, tribus, inquam, has quatuor non ab agro eis assignato; sed ab eo, unde novi cives venerant, nominatas: his adjiciat Pictoris, & Catonis auctoritatem, qui Stellates populos, Sabate lacum, Arnum fluvium in Etruria posuerunt. Cato quidem in vulgatis Originum fragmentis ita: *Umbro in monte Sena colonia, Pistorium, Umbro amnis, Stellates, Fluentini, qui & Arnienses.* Pictor vero sic: *In area inter colles sunt vicus Longus, vicus Arniensis,*
F *vicus Stellatinus, Sabatinus, Lartenianus, qui & Vejens, Faliscus, quorum cognomina a Tuscis sunt commigrantibus in civitatem Romanam.* Judicet præterea, quam verisimile sit, si hi populi vicos aliquos urbis Romæ, quos obtinuerunt, suis nominibus decorarunt, eosdem tribus etiam, in quas relati sunt, suo insignes nomine relinquere potuisse. Nam Sabatinam quidem tribum a Sabate lacu dictam aperte scribit Festus. quem lacum non longe a Roma in Etruria collocat Strabo. Tromentinam autem cum a loco Cœlii Etrusci ejus, qui cum Romulo vixit, nominatam Pictor auctor sit, profecto & hanc ab

ab Etruriæ, ut ait Festus, campo Tromento dictam licet suspicari. Nam Arniensem, sive Arnensem ab Arno flumine appellatam, nemo dubitare merito poterit. Quod cum ita sit, sane ratio apparet, cur in Agraria Cicero dixerit: *A Suburana ad Arniensem*, id est, ut supra admonui, a prima tribu ad ultimam. neque enim novissimam Arniensem intelligit, quæ ultimo loco addita sit, & quæ numerum triginta quinque tribuum expleverit, sed quæ longe ab urbe Roma abfuerit. Arniensem autem omnium remotissimam esse, facile quisque intellexerit; qui locorum intervalla, unde aliæ sunt appellatæ, notaverit. Jam Pomptinam a Pometia Latino oppido nomen sumpsisse scribit Festus. Quod idem de Mæcia, & Scaptia suspicari possumus, de quibus hæc litteris prodidit Livius: *Lanuvini, Aricini, Nomentani, Pedani civitate donati. census actus, novi cives censi. tribus propter eos additæ Mæcia, & Scaptia.* Atqui Mæciam Festus a castro quodam, Scaptiam ab oppido dictam refert. Castrum autem est Mæcium non procul ab Lanuvio, ut auctor est Livius, libro sexto. Scaptiam autem in Latio oppidum numerat cum aliis Plinius. Quod autem de his, idem etiam de Ufentina, & Falerina licet judicare. quarum altera ab Ufente flumine, altera a Falerno agro (horum ille in Latio, hic in Campania est,) nomen traxit. Ufentinæ testimonium nobile est apud Festum: *Oufentinæ tribus*, inquit, *initio caussa fuit nomen fluminis Ufentis, quod est in agro Privernate intra mare, & Tarracinam.* Lucretius: *Priverno Ufentina venit, fluvioque Ufente. postea deinde a censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti.* Erat autem Privernatibus decem ante annis civitas, auctore Livio, a Romanis communicata. Eodem autem modo Campanos aliquot tum in civitatem ascitos, atque eorum caussa Falerinam adjectam possumus suspicari. Utriusque non tam Livius, quam Diodorus meminit. Sequuntur Aniensis, & Terentina, atque extremæ Velina, & Quirina. de quibus, quod sciam, nihil aliud extat, quam quod est apud Festum de Quirina, quam a Curiensibus Sabinorum populis ait esse vocatam. Aniensem porro ab Aniene flumine derivatam; Terentinam a Terento loco; Velinam a lacu Velino Sabinorum existimaverim, quippe quæ una cum Quirina, quæ & ipsa in Sabinis fuit, anno DXII. a censoribus C. Aurelio Cotta, & N. Fabio Buteone, auctore in epitomis Livio, sit adjecta. an autem Terentina a Terento manarit, qui locus ad Tiberim in campo Martio fuit: quemadmodum ne de Problilia quidem, a loco ne, an a viro aliquo nominata sit, affirmare non ausim. Hactenus de triginta quinque tribuum nominibus, quæ mihi proxime ad veritatem accedere visa sunt, exposui. De ceteris autem, quæ præter has veteribus in monumentis leguntur, ut Papia, Camilla, ita, ut nunc quidem est, sentio, nomina esse tribuum XXXV. sed multas tribus duobus fuisse fortasse aliquando nominibus insignitas; altero, quod loci esset, altero quod familiæ: easque ab aliis hoc, ab aliis illo fuisse appellatas. siquidem constat, tres ex his alio post fuisse nomine vocitatas ab Augusto, Vespasiano, & Trajano, Juliam, Flaviam, & Ulpiam. qua tamen caussa, aut quo tempore in prioribus hoc factum sit, cum ne divinatione quidem assequi me posse confidam, in aliorum suspicione malo relinquere, quam in oratione mea ponere.

Reliquum est, ut deinceps quid inter urbanas tribus, & rusticas interfuerit, dicendum esse videatur. Quod igitur supra diximus, urbanis tribubus eos, qui urbem; rusticis, qui rus haberent, comprehensos, id verissimum fuisse Servio regnante, ac primis illis temporibus possumus affirmare. Hujus enim antiquitatis testem Dionysium habemus, qui Servium facta urbis, agrique divisione in sua quenque urbis, agrique regione habitare voluisse scripsit: sic enim de utraque divisione loquitur: *Tullius muro uno septem colles complexus, urbem in quatuor partes divisam, quas Palatinam, Suburanam, Collinam, & Esquilinam vocavit, quatuor tribuum fecit, quæ eousque trium fuerat. cavitque ne, qui in quacunque quatuor partium habitarent, aut aliud domicilium sumerent, aut uspiam alibi contribuerent, vel in delectu militari, vel in pecuniis in bellum aut alios usus, quos unumquenque reipub. præstare oporteret, conferendis. neque amplius per tribus generales, ut ante, sed per quatuor locales, quas ipse descripserat, rem militarem administravit. cum curatores uniuscujusque regionis creasset tribuum, atque vicorum principes, quos ubi quisque incoleret, cognoscere jussit. Divisit vero agrum etiam omnem, ut Fabius inquit, in partes sex, & viginti, quas & ipsas vocat tribus, & cum ipsis urbanas quatuor adjecisset, triginta fecit ex utrisque. (Cato quidem has regnante Tullio fuisse omnes narrat.) ut autem Vennonius prodit, in unam, & triginta tribus. qui cum auctor sit melior, numerum tamen partium certum non adscribit. Cum igitur Tullius in quascunque velis partes agrum divisisset, in montanis, & firmissimis in primis collibus perfugia quædam disposuit, quæ Græce pagos nominavit; quo se agrestes ex agris per hostiles irruptiones reciperent, atque ibi pernoctarent: erant autem horum etiam curatores, quibus negotium datum erat, ut agricolarum in pagum contribuentium nomina, hæc prædia, quibus eorum vita sustentabatur, nota haberent; & ubi res postularet, eos ad arma excirent, ac tributa viritim exigerent. Ut autem eorum multitudo facilius inveniri, ac dirimi posset, aras ab eis jussit extrui diis, quorum in fide pagus esset; atque eos communi sacrificio a convenientibus quotannis rusticanis coli, die ad id festo, qui Paganalia dictus est, instituto, jussit: ac leges quasdam de sacris illis, quas in hanc etiam ætatem Romani tenent, dedit. Ad hoc autem sacrificium omnes, qui ejusdem essent pagi, viritim nummum conferre, unum viros, alterum mulieres, tertium impuberes statuit; ex quorum numero facile a curatoribus pagorum subduci ratio, & generum, & ætatum potuit. Adjicit Piso, eundem, cum vellet civium, qui urbem incolerent, numerum nosse, & qui nascerentur, & qui e vita decederent, & qui inter viros ascriberentur, constituisse: ut pro cujusque ortu, cognati nummum in arcam Junonis Lucinæ inferrent; pro interitu, in Veneris Libitinæ; pro iis autem, qui togam virilem sumerent, in Juventæ. ex quibus facile, quam multi quotannis, & qui ex his ætate militari essent, cogniturus erat. His autem rebus ita constitutis, æstimare sua quenque bona, eamque æstimationem juratum profiteri, ac sua, patrum, uxorum, liberorumque nomina, & qua in urbis regione, quove in agri pago habitarent, deferre. qui secus fecisset, ipsum verberatum venire jussit.* Hæc Dionysius. ex quibus perspicue liquet, urbanas tribus tum fuisse eorum, qui urbem; rusticas illorum, qui rura, & quidem colendi caussa haberent. ita ut tribus nihil aliud, quam pars aliqua urbis, vel agri Romani esset, eaque habitationem sequeretur, & mutata habitatione mutaretur, quique in agris, iidem in aliqua tribu essent; siquidem tot fere rusticæ tribus, quot agri partes numerarentur. unde dixit Festus, *Viatores appellatos, qui magistratibus apparerent, eo quia initio omnium tribuum cum agri in propinquo erant urbis, atque assidue homines rusticabantur, crebrior opera eorum erat in via, quam in urbe. quod ex agris plerumque homines vocabantur a magistratibus.* Quo eodem etiam respexisse A. Gellium arbitror, cum tributa comitia esse definivit, *cum ex regionibus, & locis suffragium ferretur.* Post autem mutata tota hæc tribuum ratio est. primum enim qui urbem inhabitabant, urbanas;

qui agrum, rusticas obtinebant. deinde vero relictis urbanis optimus, ac præstantissimus quisque in rusticis censeri voluit; ita ut tum tribus non urbis, sed civitatis partes haberi cœptæ sint. Mutationi autem huic duæ res caussam, meo judicio, attulerunt, una vitæ rusticæ commendatio: altera censoria potestas, & notio. De utraque dicemus brevius. Ac magno quidem in honore vitam rusticam apud priscos illos Romanos fuisse, neminem esse puto, qui nesciat. Hoc Romuli vetus institutum probat, qui Dionysio auctore, sellularias, & sordidas artes omnes servis, ac peregrinis; militarem, ac rusticam liberis, & civibus tantummodo concessit: ita ut iidem rei bellicæ, ac rusticæ operam darent; ac pacato quidem tranquilloque civitatis statu in agris essent: nisi si quando eis in urbem veniendum esset, cui muneri nonum diem, qui Nundinæ dictus est, attribuit: ingruenti autem bello ad militiam nomina darent. unde factum est, ut Nundinas Macrobius *paganorum, id est, rusticorum, fuisse ferias scripserit, qui conveniunt negotiis propriis, vel mercibus provisuri*. Quin etiam alio loco Dionysius scribit, cives Rom. ita in agris fuisse, ut aut agros suos colerent, aut alienos, atque utrosque ad militiam ire coactos. mitto interea ex iis, qui urbem habitarent, quam multi, quanta cum laude, patricii etiam viri manibus suis agrum suum coluerint, atque ab agro ad honores vocati, ab honoribus ad agri culturam reverterint. Hinc ergo factum est, ut vita agrestium urbanorum vitæ anteposita sit, quod illa laboris, hæc desidiæ plena esset. id quod significari video a M. Varrone in secundo de re rustica his verbis: *Viri magni majores nostri non sine caussa præponebant rusticos Romanos urbanis. ut ruri enim qui in villa vivunt, ignaviores, quam qui in agris versantur in aliquo opere faciendo: sic qui in oppido sederent, quam qui rura colerent, desidiores putabant. Itaque annum ita diviserunt, ut nonis modo diebus urbanas res usurparent; reliquis octo, ut rura colerent*. & alibi: *Non sine caussa majores nostri ex urbe in agros redigebant cives suos, quod & in pace a rusticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur*. Ut ergo rustica vita honestior urbana haberi cœpta est; sic rusticæ tribus urbanis honoratiores. itaque urbanis libertinorum ordini relictis in rusticas ab ingenuis commigratum est. Quod quidem Plinius, ubi laudes agriculturæ narrat, aperte demonstrat, cum ait: *Jam distinctio, honosque civitatis ipsius non aliunde erat. Rusticæ tribus laudatissimæ eorum, qui rura haberent; urbanæ vero, in quas transferri ignominiæ esset, desidiæ probro. Itaque quatuor solæ erant a partibus urbis, in queis habitabant, Suburana, Palatina, Collina, Esquilina. nundinis urbem revisitabant. & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur*. Ergo cum tantum honoris rusticis tribubus accessisset, tum suspicor commutata tota Servii ratione eos etiam, qui urbem incolerent, nobiles homines in rusticas tribus transferri cœptos esse. quid enim? nonne Ap. Claudius, cui ex Sabinis in civitatem venienti pars urbis ad ædes construendas, & ager ad colendum datus est, in rusticam tribum, quæ postea a se Claudiæ nomen accepit, conjectus est? certe. sic enim de eo scriptum reliquit Dionysius: *Claudio, qui ex Regillo, Sabinorum oppido, Romam cum clientibus suis commigravit, urbis partem quantum voluit ad construendas ædes populus dedit, & agrum publicum inter Fidenas, & Picentiam, ut partem clientibus suis distribueret. Ex quibus tribus etiam facta est temporis intervallo ea, quæ Claudia nominatur, quæ in hunc usque diem nomen retinet*. Jam vero illi, quos supra commemoravimus, Etrusci, qui in civitatem accepti vicos multos urbis tenuerunt, quos etiam suo nomine decorarunt, nonne in quatuor tribus

A rusticas distributi sunt? Neque vero novos solum cives in rusticas tribus honoris caussa translatos esse; sed veteres etiam ex urbanis in rusticas transitum fecisse, existimare possumus. Nam si Julia gens Romam a Tullo Hostilio rege, Octavia a Tarquinio Prisco transducta est; id quod a Dionysio, & Suetonio accepimus: quid esse caussæ potest, cur non utraque urbanas demum tribus obtinuerit, in quas, quicunque tum Romæ domicilium haberent, Ser. Tullius distribuerit? profecto, nisi quod ipsi procedente tempore ex urbanis in rusticas Fabiam, & Scaptiam transierint. Nam Scaptienses, & Fabia-
B nos Augusti tribules prodit Suetonius; credo, quod alteram ille a Julia, alteram ab Octavia gente tribum acceperit. Etenim qui adoptatus erat, ut nomen, sic etiam tribum ejus qui se adoptaverat, assequebatur. Neque vero ego aliunde tribum Papiriam, Corneliam, Æmiliam, Fabiam, Horatiam, Meneniam, Sergiam, & Veturiam appellatas existimaverim, quam quod in eas copiosissimæ hæ, ac nobilissimæ familiæ se conjecerint. nisi vero M. Livium Salinatorem, qui Polliam; & C. Claudium Neronem, qui Arniensem; Ser. Sulpicium Rufum, qui Læmoniam; C. Curionem, qui Publiliam; C. Verrem, qui Romiliam habuit: nobiles homines
C agros, non urbem, incoluisse: ac propterea rusticas, non urbanas tribus obtinuisse existimemus. Rusticarum vero tribuum honorem ex eo maxime tempore increbuisse crediderim, ex quo, tribus censorum arbitrio sunt permissæ; ita ut ii & novas tribus addere, & novos cives in tribus conjicere, & veteres tribu movere possent. quam eorum potissimum fuisse potestatem accepimus. inde enim eam quisque tribum tenuit, quam sibi non urbis, aut agri habitatio, sed censorium arbitrium detulisset. ostendit aperte id Festus, qui in Ufentinam tribum ex aliis post etiam civitatibus homines a censoribus, quam qui ex Ufentina regione venerant, ait
D esse translatos. docet Diodorus, qui Appium Cæcum censorem potestatem dedisse civibus, ut in, quam vellent, tribum distribuerentur; in qua vellent, censerentur, scripsit. Urbanas autem cum multis ante annis ignominiosas esse cœpisse putaverim, tum maxime post annum CCCCXLIX. quo Q. Fabius censor humillimos homines ex omnibus tribubus, in quibus dispersi erant, excretos in quatuor urbanas conjecit. cujus rei auctor optimus est Livius, qui ita scribit: *Ap. Claudius censor humilibus per omnes tribus divisis forum, & campum corrupit: & ex eo tempore in duas partes discessit civitas. aliud integer populus fautor & cultor bono-*
E *rum, aliud forensis factio tenebat. donec Q. Fabius, & P. Decius censores facti. & Fabius simul concordiæ caussa, simul, ne humillimorum in manu essent comitia, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque eas appellavit*. Adde quod libertini, sordidum hominum genus, jam inde a Ser. Tullio rege in quatuor urbanas tantum erant translati. ut si urbanæ tribus libertinorum, atque humilium, forensiumque hominum fuerunt; intelligamus rusticas ingenuis, modestis, bonisque, sive urbem, sive rus incolentibus relictas.

F Hactenus, quod ad hunc locum attinet, sit dictum de tribubus. reliquum est, ut deinceps de curiis disseramus. Est autem ut tribus, sic curiæ significatio triplex: nam & locum significat; & cœtum quendam civium, qui inde curiales dicti sunt; & jus, quo curiales ipsi donati sunt. Curias autem idem, ut dixi, Romulus instituit, ut essent partes tribuum. singulas enim tribus in decem curias dispertivit, unde triginta fuerunt. Docet hoc cum Dionysius, ut paulo ante admonui, tum M. Varro, & post Varronem Sex. Pompeius. Varro quidem ita: *Curiæ duorum generum. nam & ubi curarent sacerdotes*

res divinas, ut curiæ veteres: & ubi senatus humanas, ut curia Hostilia, quam primus ædificavit Hostilius rex ante rostra. Pompeius vero hoc modo: *Curia locus est, ubi publicas curas gerebant. Curiæ etiam nominantur, in quibus uniuscujuscunque partis populi Romani quid geritur, quales sunt eæ, in quas populum Romulus distribuit numero* XXX. *ita ut in sua quisque curia sacra publica faceret, feriasque observaret*. Nominatas porro curias Livius a Sabinarum mulierum, quæ raptæ erant, nominibus scribit; & Livium fortasse sequutus Pompeius, ac Pedianus. quam opinionem ita auctore Varrone Dionysius, & post Dionysium Plutarchus refutavit, ut eas partim a locorum, partim a virorum nominibus appellatas esse tradiderint. Quoniam autem Romulus urbis pomœrio Palatinum tantum montem comprehenderat, curiasque omnes intra urbem construxerat, hinc factum est, ut omnes triginta curiæ primis temporibus in Palatio fuerint. post autem, cum ad populi, qui jam creverat, frequentiam capiendam vix satis amplæ viderentur, novæ totidem ampliores aliæ ædificatæ sunt, in quas ex veteribus sacra sunt evocata. quatuor autem fuerunt, ex quibus per religiones sacra evocari non potuerunt, Forensis, Veliensis, Rapta, & Velitia, quæ inde Veteres curiæ quatuor dictæ sunt. Quod ex Festo maxime cognoscitur, cum scribit: *Novæ curiæ proxime compitum Fabricii ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ: ubi is & populum, & sacra in partes distribuerat; ut in iis ea sacra curarent, quæ quando ex veteribus in novas evocarentur, quatuor curiarum per religiones evocari non potuerent. Itaque Forensis, Raptæ, Veliensis, Velitiæ res divinæ fiunt in veteribus curiis*. Ceterum præter harum quatuor nomina tres etiam aliæ alibi inveniuntur, Saucia, Titia, Tifata. Sauciæ meminit Livius: *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Sauciæ curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis*: Reliquarum Festus. *Titiam* enim *curiam a Tito Tatio rege nuncupatam, Tifatam Romæ curiam fuisse*, ait. Apparet autem ex his, antiquam illam Romuli divisionem aliqua ex parte retentam esse, aliqua etiam immutatam. Nam triginta curiarum numerus idem perpetuo mansit: curiæ vero tribuum partes non semper fuerunt. Nam aucto tribuum numero, curiarum tamen non est amplificatus. Præterea vero cum tribus quatuor factæ essent urbanæ; reliquæ vero rusticæ XXXI. a partibus agri nominatæ, tamen nullæ curiæ in agro sunt constitutæ. Itaque curiæ tantum in urbe ædes fuerunt, in quibus, qui urbem colerent, sigillatim in sua quisque sacra facerent. Ut enim post Ser. Tullius tribubus urbanis sacra quædam, quæ Compitalia, & rusticis alia, quæ Paganalia dicta sunt, assignavit; sic curiis singulis Romulus sua sacra constituerat, suis cuique divis, quos colere deberent, demonstratis; & sacris faciundis certas pecunias ex ærario sumendas attribuerat: & ut rei divinæ curiales cum suis curionibus interessent, unaque feriis in curialibus tricliniis epularentur, instituerat. fuisse enim suas cuique curiæ ædes scribit Dionysius, in quibus communis veluti focus singulis curiis erat consecratus, quæ ædes curiarum, & ipsæ curiæ sua etiam ætate nominarentur. Quo respexit Cicero in primo de oratore, cum dixit; *tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, cum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis; eaque esset in homine jucunditas, & tantus in jocando lepos, ut dies inter eos curiæ fuisse videretur, convivium Tusculani*. Ergo cum curiæ procedente tempore nihil ad tribuum rationem pertinerent, factum est, ut multi tribus obtinerent, curiarum tamen expertes essent. inter quos maxime erant municipes, qui extra urbem agrumque Rom. domicilium habuerunt. Qui si sacra eadem cum civibus Rom. non habebant, profecto neque iidem erant omnino, ac cives Romani. Quod & a principio hujus disputationis attigimus, & post in libris de antiquo Italiæ jure apertius ostendemus.

CAP. IV.

De Classibus & Centuriis.

Ut autem tribus, & curiæ a Romulo sunt institutæ: sic classes, & centuriæ a Ser. Tullio. omnem enim populum in sex classes distribuit, classes autem omnes in centum tres, ac nonaginta centurias. primæ enim classis octoginta peditum fecit centurias, quadraginta quidem juniorum, totidem vero seniorum, & decem atque octo equitum; secundæ ex senioribus, junioribusque viginti peditum, & duas fabrum; tertiæ item, eodem ætatis discrimine habito, peditum viginti; item deinceps duabus tubicinum additis quartæ; triginta inde peditum quintæ; postremo sextæ unam proletariorum, & capite censorum. ex quo factum est, ut omnes centurias centum tres, ac nonaginta reddiderit. Dionysium enim potius sequi placet, quam Livium; qui tres tubicinum prodit centurias, ut essent centum nonaginta tres. nam numerus impar in centuriis, ut etiam in tribubus quæritur. In classibus autem, & centuriis describendis non regionem, aut sacrorum communionem sequutus est, sed censum; qui ut in quoque variatus est, sic varios ille fecit classium gradus. Nam in primam, qui centum millium æris, aut majorem censum haberent, conjecit. unde Asconius censos more majorum dictos prodit, qui centum millia professione detulissent. & infra classem dictos refert Pompeius, qui minore summa, quam centum, & viginti millium censi essent. Secunda intra centum usque ad quinque, & septuaginta millium censum instituta. tertiæ millium quinquaginta censum esse voluit; quartæ quinque & viginti millium; quinta undecim millibus censa; inde sexta proletariorum, & capite censorum effecta. Quanquam autem sex descriptæ classes sunt, tamen non nisi quinque sunt celebratæ: quoniam ultimæ non est habita ratio. Hoc ostendit apud Gellium Tubero, qui dixit, *Tullium classes quinque census faciendi caussa instituisse*; & Livius cum ait, *tribunos pl. decem creatos binos ex singulis classibus*; & Asconius, qui in commentario Cornelianæ, *quinque primum tribunos creatos* prodit, *singulos ex singulis classibus*; & Sallustius ad Cæsarem, qui C. Gracchum promulgasse inquit, *ut ex confusis quinque classibus sorte centuriæ vocarentur*. Quod autem dixi, Servium discrimina ætatum fecisse, aliosque seniores, alios juniores appellasse, intelligendum est, id, me non solum ex Livii sententia, sed ejus etiam, quem modo nominavi, Tuberonis prodidisse: qui (ut est apud Gellium) scriptum reliquit, *Servium pueros existimasse, qui minores essent annis septemdecim. atque inde ab anno septimo decimo, quos idoneos jam esse reip. arbitraretur, milites scripsisse, eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse*. Præterea vero non eosdem fuisse proletarios, & capite censos, quos sextam explevisse classem demonstravimus, docet idem Gellius ex Julii Pauli sententia. *Nam qui in plebe*, inquit, *Romana tenuissimi, pauperrimique erant, neque amplius, quam mille quingentum æris in censum deferebant, proletarii appellati sunt: qui vero nullo, aut perquam parvo ære censebantur, capite censi*

vocabantur . extremus autem census capite censorum æris fuit CCCLXXV. Ut ergo tribus cum curiis omnem civium multitudinem sunt complexæ, sic etiam alia ratione classes cum centuriis. Quanquam autem classes cum tribubus, & centuriæ cum curiis commune nihil a principio habuerunt, tamen procedente tempore institutum est, ut classes quodammodo tribuum essent partes. Hoc autem factum esse post expletas quinque & triginta tribus Livius significat, cum addit: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis juniorum, seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. quadrifariam enim urbe divisa regionibus, collibusque quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit. neque hæ tribus ad centuriarum distributionem, numerumque quicquam pertinuere.* Cum ergo ait, tribus a Servio institutas nihil ad centuriarum distributionem valuisse; post autem tribus XXXV. expletas pertinuisse, satis ostendit, Servii tempore populum uno modo in tribus, curiasque, altero in classes, centuriasque divisum: ita ut alteram divisionem altera non attingeret; post autem utranque in unum esse collatam. populum enim in tribus XXXV. singulas autem tribus in quinque classes, easque in suas quanque centurias esse descriptas. Hæ igitur, ut hunc locum aliquando concludamus, tribus, curiæ, classes, & centuriæ fuerunt, in quas universus populus Rom. erat divisus; & quas omnes cives Romani necessario obtinebant. ex quibus satis intelligi potest id, quod jam etiam a principio significavimus, latissimum totius Rom. civitatis seminarium fuisse tribum. nam qui tribum erat adeptus, is eodem etiam tempore & classem, & centuriam obtinuerat. Sed ad reliqua pergamus.

CAP. V.

De iis, qui jus civium Rom. constituerunt.

TRIBUBUS, & earum partibus expeditis, sane relinquitur, ut de jure tribuum, sive civium Rom. agamus; quo uno proposita civis Romani definitio continetur. Jus ergo civium Roman. appello, universum jus, quo utebantur, qui optima lege cives Rom. erant: quod est aliud nihil, quam qui tribus, & maxime rusticas obtinebant. Hujus autem duæ potissimum partes feruntur: una, quæ scripto constitit; altera, quæ sine scripto in consuetudinem venit. Ac scriptum quidem jus reges, decemviri, Jurisconsulti, pontifices, consules, tribuni pl. senatus, & prætores constituerunt: non scriptum vero mos majorum, & instituta in rempub. invexerunt. dicamus autem primum de priore ita, ut partes ejus nullas prætereamus, quæ fuerunt regiæ leges, XII. tabulæ, jus civile, legis actiones, leges, plebiscita, senatusconsulta, & edicta.

Regiæ leges eædem, quæ curiatæ fuerunt, a Romulo, & reliquis deinceps regibus partim ad imperium stabiliendum, partim ad religionem constituendam, & omnino ad universam fundandam remp. comitiis curiatis perlatæ, quæ a Sex. Papirio, qui Superbo regnante vixit, collectæ juris Papiriani nomen adeptæ sunt. Exactis autem regibus has omnes leges rogatione tribunicia abrogatas, Pomponius tradit ille quidem: verum non omnes tamen sublatas eum intelligere existimo; sed L. Bruto tribuno Celerum ferente eas, quæ ad regiam dominationem constituendam pertinerent, esse abolitas. Neque enim, si quæ aut res humanas, aut divinas continerent, quæ plurimæ, & eæ e rep. fuerunt, sublatas esse crediderim. Tuetur autem con-

A jecturam meam Dionysius, qui leges Ser. Tullii regis de commerciorum, & contractuum ratione a Superbo rege sublatas, a Bruto consule primo repositas prodit. confirmat etiam Livius, qui post incensam a Gallis urbem fœdera, & leges conquisitas ait, fuisse autem æreas XII. tabulas, & quasdam regias leges; & L. Valerius tribunus pl. qui apud eundem in Oppiæ legis dissuasione ita agit: *Ex utro tandem genere ea lex est, quam abrogamus? an vetus regia lex simul cum urbe ipsa nata? an, quod secundum est, a decemviris ad condenda jura creatis in* XII. *tabulis scripta?*

B Anno autem post rempublicam recuperatam LIIX. post urbem autem conditam CCCII. decemviri duodecim legum tabulas conscripserunt, easque in foro proposuerunt. Ejus rei caussam attulit C. Terentius Arsa tribunus plebis qui anno ante undecimo, L. Lucretio, T. Virginio coss. cum nimium consulum in plebem imperium esse, idque imminui oportere, contenderet, legem promulgavit de quinqueviris, qui legis consulari imperio conscriberent, creandis. Quæ lex cum per sexennium a tribunis plebis frustra jactata, tandem pro concessa sibi duplicandorum tribunorum plebis potestate deferbuisset: post tamen Romilio, Veturioque consulibus in plebem

C militiam detrectantem impotentius se gerentibus, placuit ea sententia, cujus auctor T. Romilius fuisse dicitur; ut legumlatores crearentur, qui jura patribus, & plebi æqua scriberent, quæque ab iis essent decreta, ea plebem, & patres tenerent. Plebe autem assentiente, missi sunt legati tres in Græciam, qui Atheniensium, & aliarum Græciæ civitatum leges, instituta, moresque cognoscerent, eaque descripta Romam deferrent. Missi Tarpeio, Aterioque consulibus tertio anno, quo Menenius, & Sestius consulatum gerebant, cum legibus revertuntur. Cum autem instarent tribuni, ut tandem legum scribendarum initium fieret, jamque in alte-

D rum annum designati consules essent App. Claudius, & T. Genucius, tum in App. Claudii sententiam senatusconsultum factum est: ut reliquis abrogatis magistratibus cum imperio consulari, ac regio, sine provocatione decemviri crearentur; qui ex patriis moribus, & peregrinis legibus optimas seligentes, & reipubl. maxime utiles, jura populi Romani constituerent; quæque ii scripsissent, ea, si senatus, populusque Romanus accepisset, in perpetuum populum ipsum Romanum astringerent. Quo senatusconsulto a populo comprobato, consules abdicarunt. in eorum locum decemviri consulares facti leges, quas commemoravi, ad populum

E pertulerunt. de quibus hæc ad verbum Livius: *Decemviri ingenti hominum expectatione propositis decem tabulis, populum ad concionem advocaverunt, &, quod bonum, faustum, felixque reipubl. ipsis, liberisque eorum esset, ire, & legere leges propositas jussere. se, quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus summis, infimisque jura æquasse. plus pollere multorum ingenia, consiliaque. versarent in animis secum unamquanque rem: agitarent deinde sermonibus; atque in medium, quod in quaque re plus, minusve esset, conferrent. eas leges habiturum populum Rom. quas consensus omnium non jussisse latas magis, quam tulisse videri posset. Cum ad*

F *rumores hominum de unoquoque legum capite edito satis correcta viderentur, centuriatis comitiis decem tabularum leges perlatæ sunt; quæ nunc quoque, in hoc immenso aliarum super alias acervatarum legum cumulo, fons omnis publici, privatique est juris. Vulgatur deinde rumor, duas deesse tabulas; quibus adjectis, absolvi posse velut corpus omnis Romani juris. Postero anno & hæ comitiis centuriatis sunt perlatæ.* His autem legibus quantum tributum auctoritatis sit, docet Cicero in primo de oratore, apud quem Crassus loquitur in hæc verba: *Sive quem hæc aliena studia delectant, plu-*

rima est in omni jure, & in pontificum libris, & in XII. *tabulis antiquitatis effigies. quod & verborum prisca vetustas cognoscitur, & actionum genera quædam majorum consuetudinem, vitamque declarant. sive quis civilem scientiam contempletur, quam Scævola non putat oratoris esse propriam: sed cujusdam ex alio genere prudentiæ, totam hanc descriptis omnibus civitatis utilitatibus, ac partibus* XII. *tabulis contineri videbitis. sive quem ista præpotens, & gloriosa philosophia delectat, hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui jure civili, & legibus continentur. Fremant omnes licet, dicam quod sentio. bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur* XII. *tabularum libellus, si quis legum fontes, & capita viderit, & auctoritatis pondere, & utilitatis ubertate superare.* Merito. his enim universi, quod proposui, juris divini humanique partes comprehensæ sunt. cujus rei cum alia testimonio sunt, tum tritus ille Ausonii versus.

Jus triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ;
Sacrum, privatum, & populi commune quod usquam est.

Quocirca factum est, ut propter juris præstantiam, cum quid in lege scriptum esse dicerent, XII. tabularum legem aliquam intelligerent; & legitimas hereditates, & legitimas tutelas appellarent, quæ legibus XII. tabularum constituerentur; & legis actiones, quæ a XII. tabularum potissimum lege proficiscerentur.

Quoniam autem mirifica quædam eas implicabat obscuritas, propterea multi ingenio, & doctrina præstantes viri ad eas populo interpretandas se contulerunt. & inter se capita conferentes, fori disputationem invexerunt. quæ proprium Juris civilis nomen adepta est. Ac hujus quidem obscuritatis testem habemus Ciceronem, qui in II. de legibus ait: *Quid Lessum* XII. *tabulæ appellarent, veteres earum interpretes Sex. Ælius, & L. Acilius non satis intelligere se dixerunt:* & Gellium, apud quem Phavorinus queritur, *in iis legibus verba multa tam fuisse obscura, ut vix ea quisquam posset interpretari.* Jus autem inde novum emanasse, a Pomponio ipso cognovimus, qui in hunc modum subdit: XII. *legum tabulis latis evenit, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritatem, necessariamque disputationem fori: hæc disputatio, & hoc jus, quod sine scripto venit, compositum a prudentibus, propria parte aliqua non appellatur, ut cæteræ partes juris suis nominibus designantur; sed communi nomine jus civile appellatur.* Hoc autem jus civile, quod a jurisperitis est constitutum, intellexit etiam Cicero in III. de officiis, cum dixit: *De jure prædiorum sancitum est apud nos a jure civili, ut his vendendis vitia etiam dicerentur, quæ nota essent venditori. nam cum ex* XII. *tabulis satis esset cautum, ea præstari, quæ essent lingua nuncupata; quæ qui inficiatus esset, dupli pœnam subiret: a Jurisconsultis etiam reticentiæ pœna est constituta.* & paulo post: *Hoc propter depravationem consuetudinis neque more turpe habetur, neque aut lege sancitur, aut jure civili.* & Paulus lib. sententiarum IV. *Fœminæ ad hæreditates legitimas ultra consanguineas successiones non admittuntur, idque jure civili, vel Voconia rogatione videtur effectum. ceterum lex* XII. *tabularum nulla discretione sexus cognatos admittit.* Verum hæc juris pars privati tantum juris rationem videtur attigisse. paucæ enim de jure privato leges post XII. tabulas latæ sunt; unde gloria Jurisconsultorum, qui jus civile condiderunt, & maxime Scævolarum, manavit.

Ut autem jus civile jurisperiti, sic Legis actiones pontifices intulerunt. quæ quales fuerint, in libris de judiciis commodius differemus.

Actionibus porro adjuncta sunt senatusconsulta, id est, quæ senatus consulibus maxime; aut magistratibus illis, per quos haberi senatus poterat, referentibus decrevit. quæ tanti semper in rep. ponderis, ac momenti fuerunt, ut merito partem magnam Rom. juris occuparint.

Cum senatusconsultis autem connexæ sunt leges, & plebiscita. Leges vocarunt rogationes, quas populus universus, consulibus, vel alio patricio rogante magistratu, ut dictatore, atque interrege centuriatis aut curiatis comitiis, unde etiam centuriatæ & curiatæ dictæ sunt, jussit.

Plebiscita, quæ, ut ait Festus, plebs tributis comitiis, sine patribus, plebeio magistratu, nimirum tribuno pl. rogante accepit. quibus tantum accessit roboris, ut quæ plebs scivisset, ea omnes Quirites, maxime post legem a Q. Hortensio dictatore paulo ante Tarentini belli tempora latam, tenuerint.

Neque vero prætereunda, atque ab hoc numero excludenda Edicta sunt, id est, quæ cum magistratus ceteri, ut consules, ædiles, tribuni, tum potissimum prætores edixerunt. quos consulum loco ad jura in urbe reddenda creatos accepimus. Hi vero, auctore Pomponio, ut scirent cives, quod jus de quaque re quisque dicturus esset, seque ad id præmunirent, edicta proponere soliti erant; quæ post tantæ fuerunt auctoritatis, ut inde juris honorarii nomen invenerint. Atque de jure quidem scripto, & iis, qui illud scripserunt, hæc satis.

Instituta autem, mosque majorum (has enim non scripti juris partes summas fuisse diximus) tantam vim habuerunt, ut cum antequam in consuetudinem venirent, sine crimine præteriri possent; postquam tacita omnium assensione sunt comprobata, pro gravissimis legibus sanctissime custodita sunt. Unde scripsit in V. de republ. Cicero, *ante suam memoriam & morem ipsum patrium præstantes viros adhibuisse, & veterum morem, ac majorum instituta excellentes viros retinuisse.* & Dionysius testis, est Romulum rempublicam non legibus magis scriptis, quam non scriptis fundasse: Numam vero leges omnes, & instituta Romuli observasse. Ac si quæris, quid institutum a more differat, non est difficile dictu. Nam qui primus egregii quicquam in repub. gessit, adeo ut ejus exemplum posteri ultro sint sequuti, is auctor instituti prædicatur. ubi vero consuetudo aliqua teneri ignorato exempli auctore cœpit, mos majorum appellatus est. quem alium quidem a lege fuisse, idem tamen, ac legem valuisse, ostendit Cicero in III. de legibus, cum ait: *Si quæ leges forte a me hodie rogabuntur, quæ non sint in nostra repub. nec fuerint; tamen erant fere in more majorum, qui tum, ut lex, valebat.* Quod idem postea confirmavit etiam Ulpianus, cum diceret, *diuturnam consuetudinem pro jure, ac lege, in iis, quæ non ex scripto descendunt, observari solere:* & ratione comprobavit Julianus, cum adderet, *quod ipsæ leges nulla ex alia caussa nos teneant, quam quod judicio populi receptæ sunt; merito & ea, quæ sine ullo scripto populus probavit, omnes tenere.* Si ergo institutum antiqua observatio est, cujus auctor aliquis celebratur, profecto nihil inauspicato agere, instituto agebatur; quia Romulus, & deinceps ceteri nihil non captatis ante auspiciis est unquam aggressus. collegam in demortui collegæ locum sibi subrogare, instituto custodiebatur; quia Valerius mortuo Bruto id fecit: eumque posteritas omnis est imitata. divortium cum uxore liberorum quærendorum caussa, instituto tenebatur, quia C. Carvilio Ruga auctore factitatum ab omnibus est. More autem majorum cum alia fieri dicuntur, tum ea, quæ jam inde a majoribus instituta sine ulla interruptione consuetudinis, etiam usurpantur, ut petitores in toga candida, eosdemque distinctos petere; ut seniores a juvenibus domo in curiam deduci, atque inde reduci; ut prætorem urbanum consulare imperium absentibus consulibus sustinere; ut ne quis se inter consulem, & proximum lictorem, quamvis

officii caussa una progrederetur, interponeret; ut quæstori prætor parentis loco esset. Leges autem opponi moribus, atque institutis, ut jus scriptum non scripto, ostendit Livius: *Tribuni plebis*, inquit, *appellati, negarunt, se in mora esse, quominus, quod ei more majorum permissum esset, seu legibus, seu moribus mallet, anquireret*. & Cicero in II. de legibus: *Hoc habemus in duodecim, reliqua sunt in more*. & in III. *Sunt posita deinceps quæ habemus in publicis institutis, atque legibus*. Quibus ex rebus illud intelligi potest, omnia civium Rom. jura ita nobis esse persequenda, ut ea non alibi, quam in his quasi latibulis indagemus. Neque enim aliud jus Romanis est, quam quod ab his, quos indicavi, fontibus est profectum.

CAP. VI.

De jure libertatis.

SEQUITUR, ut juris Romani auctoribus demonstratis, ipsius juris partes singulas, in quibus præcipua civis Romani ratio cernitur, persequamur. Sic igitur sentio, jus omne Romanum aut privatam rem attigisse, aut publicam. ad privatam rem pertinet, intelligere, ut sui quisque dominus sit, quo sanguine ortus, quæ sacra colat, quam potestatem in uxorem, quam in liberos habeat: ut de bonis, liberisque suis statuere queat. ad publicam ratio census, unde & militum ætas, & bonorum æstimatio cognoscitur, quibus bella geruntur. unde etiam honores in repub. suffragio aliis mandantur, ab aliis accipiuntur. Verum alia suo loco; nunc de libertate Romana dicamus. cujus varia jura, eaque non satis, ut opinor, comperta nostris fuerunt. Dico igitur libertatis Romanæ jus quinquepartitum fuisse. ita enim cives Romanos fuisse liberos, ut nec dominorum potestati; nec tyrannorum imperio; nec magistratuum potentiæ; nec creditorum libidini; nec civium suorum gratiæ essent obnoxii. Quibus rebus in singulis quæ vis posita sit, a prima exorsi consideremus.

Omnes homines, qui urbem, agrumque R. inhabitarunt, liberi fuerunt, aut servi. Liberi vocati, qui naturale adepti, quid cuique liberet, faciendi arbitrium erant; nisi quod aut vi, aut jure prohiberetur. Servi contra, qui in dominorum erant potestate constituti, quos quidem aut natos, aut factos accepimus: natos ex ancillis dominorum; factos aut jure civili, si quis se precii habendi caussa venire passus esset; aut jure gentium, si qui bello capti, aut ab imperatore donati, aut sub hasta venditi essent. quæ una justa servitus a veteribus habita est. neque enim, si qui a prædonibus, aut latronibus capti venissent, servi judicabantur. Quin etiam servorum in numero illos habitos esse invenio, qui ex mulieribus essent nati, cum quibus connubium nullum esset. quod ex his Livii verbis ostenditur: *Ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes supra quatuor millia hominum orabant, uti sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit, uti nomina sua apud L. Canuleium prætorem profiterentur. eorum si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, uti numero colonorum essent, agro assignato. Latinam eam coloniam esse, Libertinorum appellari*. Hos igitur quacunque ratione servos nullam unquam civitatis Rom. partem habuisse, nisi libertate donatos, satis constat. ex quo intelligitur, cives Rom. ut dicebam initio ita liberos fuisse, ut dominorum imperio nulli parerent. Liberorum autem duo genera excelluerunt, ingenuorum, & Libertinorum. Ingenui erant, qui statim, ut nascebantur, erant liberi; quique ex duobus ingenuis erant geniti. significat hoc App. Claudius, homo patricius apud Livium, cum inquit: *An hoc, si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus, sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum, & vivere in libertate sciam, reticere possim?* & P. Decius plebeius cum ait: *An unquam fando audistis, patricios primo esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est nihil ultra, quam ingenuos?* Neque vero aliud etiam voluit Cincius apud Festum, cum patricios eos, qui post ingenui dicti sunt, esse appellatos prodidit. In libris autem veterum Jurisconsultorum scriptum est, ingenuum esse non solum, qui ex duobus ingenuis natus sit, sed etiam qui ex duobus libertinis, sive altero libertino, altero ingenuo. Quod ipsum quale sit, nisi qui libertinus fuerit, exposuerimus, vix intelligi poterit. Libertinos ergo illi definiunt, qui ex justa servitute erant manumissi. manumissionem vero, quasi de manu dationem. nam quandiu aliquis in servitute erat, manui, & potestati suppositus erat: manumissus vero liberabatur potestate. Hanc porro manumissionem tribus modis celebratam, censu, vindicta, & testamento, docet Cicero in Topicis, cum ait: *Si neque censu, neque vindicta, neque testamento liber*. Quo in loco confirmat Severinus interpres, tribus modis manumitti servos consuevisse, *aut si quis consentiente, vel jubente domino, nomen servi in censum detulisset; aut virga in caput servi a prætore imposita, quæ vindicta dicebatur, in libertatem vindicatus esset; aut a domino testamento liber relictus esset*. Manumissionem per censum Ser. Tullius rex, ut opinor, instituit. is enim & census auctor fuit, & servis liberandis, ut post dicam, initium attulit. De ejusmodi autem libertate Cicero ita locutus est in primo de oratore: *Quid de libertate? quo judicio nullum gravius esse potest? non ne ex jure civili potest esse contentio, quum quæritur is, qui domini voluntate census, si lustrum non sit conditum, sit ne liber?* Locutus est etiam Ulpianus, *Servi*, inquit, *qui in peculio centum haberent, aut quibus eas facultates domini impartirent, si eos domini in censum civium a censoribus ascribi juberent, libertatem consequebantur*. Vindictæ rationem intulisse fertur P. Valerius Poplicola anno post reges exactos, cum de præmiis Vindicis servi, qui conjurationem indicaverat, ad populum tulisset. a quo etiam vindictæ nomen ductum existimant. inter quos est Livius, qui ita scribit: *Præmium indici pecunia ex ærario, libertas, & civitas data. ille dicitur vindicta liberatus. quidam vindictæ quoque nomen tractum ab illo putant, Vindici ipsi nomen fuisse. post illum observatum, ut qui ita liberati essent, in civitatem accepti viderentur*. Quæ verba cum, ut opinor, Plutarchus legisset, ea ita in Poblicola explanavit, ut scripserit, Valerium decrevisse, *ut vindex primus libertinus civis Romanus fieret, &, in qua vellet tribu, suffragium ferret*. Itaque in libro etiam, quem de sera Dei vindicta reliquit, scripsit, *Romanos eorum corporibus, quos in libertatem assererent, tenuem festucam imposuisse*. Hæc autem potestas post a consule ad prætorem urbanum translata est, uti vindicta, id est, virga in caput imposita manumitteret. quam intellexit Persius in Satyra quinta:

Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas?

Et Cicero in Rabiriana: *Servos nostros omnium suppliciorum metu dominorum benignitas una vindicta liberat*. Addit Isidorus libro IX. Romanos, *quos manumittebant, alapa percussos circumegisse, atque ita de manu misisse*. Quod verum esse, Appianus in IV. Civilium libro comprobat, qui Labeonem ait, civem egregium, ne in manus Antonii victoris veniret, semet servo occidendum præbuisse, cum dex-

tra ejus apprehensa ipsum circumegisset, ut mos Romanis erat in manumittendo. quod voluit etiam sine dubio Persius, cum eodem in loco dixit:

Quibus una Quiritem
Vertigo facit.

& post:

Verterit hunc dominus, momento temporis exit
Marcus Dama.

Eorum qui testamento liberi a dominis relicti sunt, multa exempla sunt. nescio autem, an hoc originem a XII. tabulis duxerit. in quibus cum esset: UTI SUÆ REI QUISQUE LEGASSIT, ITA JUS ESTO; interpretatur Pomponius, etiam ad manumissiones pertinere; ut quotquot e suis quisque servis liberos relinquere vellet, posset. His rebus ita constitutis, dico, qui aliquo pacto se ex servitute in libertatem vindicassent, libertinos vocatos esse: hoc enim etiam his verbis tradit Justinianus in Institutionibus: *A primis Romæ cunabulis una, atque simplex libertas competebat, id est, eadem, quam habebat manumissor. nisi quod libertinus fit, qui manumittitur; licet qui manumittit, ingenuus sit.* Suetonius autem non hos, sed qui ex his procreati essent ingenui, libertinos primis temporibus dictos ostendit, de D. Claudio ita scribens: *Latum clavum libertini filio tradidit, cujus rei reprehensionem verens, etiam Ap. Cæcum censorem generis sui proauctorem libertinorum filios in senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appii: & deinceps aliquandiu libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur; sed ingenuos ex his procreatos.* Cujus viri, & scriptoris auctoritati quanquam ego repugnare non audeo, tamen neque assentire satis possum. Nam si, ut illi placuit, libertinos manumissorum filios ingenuos homines esse statuerimus, efficietur, ut idem fuerit ingenuus, & libertinus. quod tamen qui fieri potest, cum ingenuo libertinus ita opponatur, ut liber servo? Quamobrem ego libertinos vocatos putaverim eos, qui ex servitute fuerant manumissi: qui autem ab iis generati fuerant, quod proprium nomen non haberent, libertinorum filios nuncupatos, non libertinos. Quod ni ita sit, cur non Cicero dixerit, M. Antonium ex libertina liberos suscepisse potius, quam libertini filia, cum id ad Antonii contumeliam diceret? Quod si qui sunt manumissi, libertinorum nomine appellati non sunt, quo tandem alio sunt? non servorum, cum essent libertate donati; non ingenuorum, cum ex ingenuis non sint geniti; non libertorum, quod libertus patrono opponatur, non ingenuo; & libertus respectum significet ejus, a quo liberatus est, non hominis, de qua nunc agimus, conditionem. itaque eundem hominem dicimus libertum, & libertinum; sed libertum quidem ejus, a quo est liberatus; genere vero, & conditione libertinum, id est, ex iis unum, qui servitute, quam aliquando servierunt, liberati sunt. Unde Cicero in Verrem: *P. Trebonius fecit heredem libertum suum.* & post de eodem: *Equiti Romano libertinus homo sit heres?* cum enim dixit libertum, eum patronum habere; cum libertinum, qua generis conditione esset, notavit. Quamobrem statuamus, ingenuos eos fuisse, qui vel ex duobus ingenuis, vel libertino altero procreati essent; libertinos autem, qui libertatem aut censu, aut vindicta, aut testamento recepissent. Libertinorum autem filios ingenuos fuisse, non libertinos, inde apparet, quod ingenuus libertinam ducere non poterat, libertini filiam poterat. si quidem, ut est apud Livium, *Hispalæ libertinæ S. C. concessum est, ut ob Bacchanalia indicata ingenuo nubere posset:* & M. Antonio consuli objecit in maledictis Cicero, quod homo nobilis Q. Fadii libertini hominis filiam in matrimonio habuerit, atque ex ea liberos

A susceperit. Et libertini quidem ad honores nunquam, at libertinorum filii jam inde ab initio sunt admissi. Adde quod Macrobius ait, *Priscum pueris ingenuis bullam, & prætextam, tanquam ingenuitatis insignia permisisse; libertinorum filiis, qui justa duntaxat matrefamilias nati fuisent, togæ prætextæ, & lori in collo pro bullæ decore gestandi jus indulsisse; libertinis ipsis non aliter, quam peregrinis, utrumque interdixisse.* quanquam Asconius illis bullam auream, his scorteam concessam refert. Ex quo efficitur, tres civium fuisse conditiones: libertinorum, ex libertinis genitorum, & ingenuorum: ex quibus infima admodum fuit conditio libertinorum, B commodissima ingenuorum, media mediorum. nam ingenui quidem fuerunt, sed tamen libertinæ conditionis aliquid retinuerunt; quia patronus in liberti quoque sui filium juris aliquid habebat. Sed de libertinorum honoribus post alio loco pluribus. Nunc quod instituimus, peragamus. Adeo igitur proprium civium Romanorum libertatis hoc genus fuit, ut non modo servus nunquam; sed ne primis quidem temporibus libertinus quisquam civis fuerit: Romulus enim rex solos ingenuos, Ser. Tullius aliquot post annis etiam libertinos in civitatem ascitos in tribus retulit. servos nemo unquam civium C Rom. nomine dignos existimavit. Ut autem priores reges peregrinis civitatem impertiverant; sic Servius, credo, ut libertinorum ordinem, unde ipsum oriundum esse, fama erat, efferret, servos, & quos ipse, & quos alii manumisissent, civitate donavit. Sed, ut dixi, libertatem per censum ille intulit. id enim non solum census ab eo institutus ostendit, sed etiam lex ab eo lata, *ut liber, qui incensus esset, veniret, & libertatem amitteret.* Post autem lege, ut dixi, Valeria institutum est, *ut qui vindicta liberati essent, iidem & cum libertate civitatem adepti intelligerentur.* Quam libertatem significavit in Corneliana Cicero, cum dixit; *Servos bene de* D *repub. meritos persæpe libertate, id est, civitate publice donari vidimus:* itemque Justinianus, cum in Institutionibus scripsit; *Justam & majorem libertatem vocari, cum una & liberi fiebant, & cives Rom.* & Livius, cum scriptum reliquit, *Latinos* civitatis Rom. cupiditate flagrantes *filios suos civibus Rom. sæpe vendidisse; cum eo, ut manumitterentur, ac manumissi civitatem Rom. assequerentur* & alio loco, cum Romanos a Carthaginiensibus captos, *capite diminutos, & jure civium abalienatos* scribit, satis significavit, ut servi a cive Rom. liberati civitatem Rom. assequuntur; sic civem Rom. liberum in servitutem redactum jus ipsum civitatis amitte- E re. Hujus autem libertatis jus ejusmodi fuit, ut qui libertatem, civitatemque semel esset adeptus, is ea, nisi ipse auctor factus esset, non posset amittere. cujus rei multa habemus, eaque gravissima Ciceronis testimonia. sic enim ille in oratione pro domo: *Hoc juris a majoribus proditum est, ut nemo civis Rom. aut libertatem, aut civitatem possit amittere, nisi ipse auctor factus sit.* & infra: *Jus a majoribus nostris ita comparatum est, ut civis Rom. libertatem nemo posset invitus amittere. quin etiam si decemviri sacramentum in libertatem injustam judicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere se rem judicatam referre posse voluerunt.* & F post: *Majores nostri de civitate, & libertate ea jura sanxerunt, quæ nec vis temporum, nec potentia magistratuum, nec res tum judicata, nec denique universi populi potestas, quæ ceteris in rebus est maxima, labefactare possit.* & pro Balbo ita: *Jure nostro neque mutare civitatem quisquam, neque si velit, mutare non potest.* Item: *O jura præclara, atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a majoribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus. hæc sunt enim fundamenta firmissima nostræ libertatis;*

A *sui quenque juris, & retinendi, & dimittendi esse dominum.* & pro Cæcina: *Primum illud concedis, non quicquid populus jusserit, ratum esse oportere. deinde nihil rationis affers, quamobrem, si libertas adimi nullo modo potest, retineri libertas non potest. qui enim potest jure Quiritium liber esse is, qui in numero Quiritium non est?* Quid plura? persequitur multa tempora, quibus Romana civitas mutari, & libertas adimi posset: atque omnino nemine invito fieri id posse concludit. Itaque ita addit: *Certe hoc quæri solere me non præterit, quemadmodum si civitas adimi non possit, in colonias Latinas sæpe cives nostri profecti sint; aut sua voluntate,* B *aut legis multa profecti sunt. quam multam si sufferre voluissent, tamen manere in civitate potuissent. Quid quem pater patratus dedidit, aut pater, populusve vendidit, quo is jure amittet civitatem? ut religione civitas solvatur, civis Rom. traditur; qui cum est acceptus, est eorum, quibus est deditus; si non accipiant, ut Mancinum Numantini, retinet integram caussam, & jus civitatis; si pater vendidit eum, quem in suam potestatem susceperat, ex sua potestate dimittit. Jam populus, cum eum vendit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed judicat non esse eum liberum, qui ut liber sit, adire periculum noluit.* C *quum autem incensum vendidit, hoc judicat; cum ii qui in servitute justa fuerint, censu liberentur; eum, qui cum liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abjudicasse. Quod si maxime iisce rebus adimi libertas, aut civitas potest, non intelligunt, si per has rationes adimi majores posse voluerunt, alio modo noluisse. Nam ut hæc ex jure civili protulerunt, sic afferant velim, quibus lege aut Romana civitas, aut libertas erepta sit. nam quod ad exilium attinet, perspicue intelligi potest, quale sit. exilium enim non supplicium est, sed perfugium, portusque supplicii. nam qui nolunt pœnam aliquo modo subterfugere, aut calamitatem,* D *eo solum vertunt, hoc est, sedem, ac locum mutant. Itaque nulla in lege nostra reperietis, ut apud ceteras civitates, maleficium ullum exilio esse multatum. sed cum homines vincula, neces, ignominiasque vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt quasi ad aram in exilium. qui si in civitate legis vim subire vellent, non prius civitatem, quam vitam, amitterent. quia nolunt, non adimitur his civitas; sed ab his relinquitur, atque deponitur. nam cum ex jure nostro duarum civitatum nemo esse possit, tum amittitur hæc civitas denique, cum is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est, in aliam civitatem.* hæc Cicero pro Cæcina. In eandem autem etiam E sententiam locutus est idem iterum in oratione pro domo: *Qui cives Rom. in colonias Latinas proficiscebantur, fieri non poterant Latini; qui non erant auctores facti, nomenque dederant. qui erant rerum capitalium damnati, non prius hanc civitatem amittebant, quam erant in eam recepti; quo vertendi, hoc est, mutandi soli caussa venerant. id autem ut esset faciendum, non ademptione civitatis, sed tecti, & aquæ, & ignis interdictione faciebant.* Hoc quidem in orationibus Cicero ad caussam illam, quam tum in manibus habebat, defendendam accommodate. at in primo de oratore aperte videtur negare, eum, qui deditus hostibus sit, ci-F vem remanere. sic enim inquit: *Si C. Mancinum propter invidiam Numantini fœderis pater patratus Numantinis dedisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum ire dubitasset. P. Rutilius M. F. tribunus pl. de senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse: quia memoriæ sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium.* Itaque Pomponius quoque D. de legation. sic scriptum reliquit: *Eum, qui legatum pulsasset, Q. Mucius dedi hostibus, quorum erant legati, utilius esse solitus est respondere. quem hostes si non recepissent, quæsitum est; an civis Romanus remaneret? quibusdam existimantibus remanere, aliis contra. quia quem populus jussisset dedi, ex civitate expulisse videretur; sicut faceret, cum aqua, & igni interdiceret. in qua sententia videtur P. Mucius fuisse. id autem maxime quæsitum est in Hostilio Mancino, quem Numantini sibi deditum non receperunt. de quo tamen lex postea lata est, ut esset civis Rom. & præturam quoque gessisse dicitur.* & Ulpianus: *Maxima capitis minutio est, per quam & civitas, & libertas amittitur, veluti cum incensus aliquis venierit.* Satis ergo apparet ex his, civitatem, atque libertatem invito fere nemini eripi licuisse. Proprium præterea fuit ejusmodi libertatis, immunem a privatorum verberibus esse. Itaque judicium de libertate lege Fabia de plagiariis constitutum fuit, cum quis liber verberibus, ut servus, esset cæsus. cujus meminit Asconius in argumento Cornelianæ, his verbis: *Cum quendam civem Metellus servum esse contendens, vi arripuisset, ac verberibus affecisset, Curio assertorem ei comparavit: deinde cum appareret, eum exitum illius judicii futurum, ut liber is judicaretur, quem Metellus verberibus affectum esse negare non poterat, inter Metellum, & Curionem facta pactio est, ut neque arbitrium de libertate urgeret in Metellum Curio; neque Metellus perstaret in accusatione Curionis.* Item constitutum, ne liberi torquerentur. de qua re post in libris de Judiciis. Sed de primo, eoque proprio genere libertatis Romanæ hactenus, cujus præcipuum id jus extitit, ut non solum civitatem secum attulerit, sed ne adimi quidem invito fere, ut dixi, alicui potuerit.

Alterum genus libertatis fuit, quo se Rom. cives a regum, & tyrannorum impotenti dominatione liberaverunt; & legibus se, ac magistratibus annuis obstrinxerunt. Quæ libertas, L. Tarquinio Superbo rege cum filiis urbe pulso, inita est, L. Bruto, & P. Valerio in primis auctoribus, tum cum populus a Bruto cos. jurejurando adactus est, se neminem regnare Romæ passurum: atque rogationem jussit, ut sacrum cum bonis caput ejus esset, qui regni occupandi consilia iisset. Itaque pro hac libertate tuenda incredibile est, quantas populus Romanus dimicationes, quanta bella susceperit, quantum sudoris, quantum sanguinis effuderit. Siquidem & cum Porsena rege, & cum Latinis populis Tarquinios exules reducentibus, & cum Pœnis, cum Cimbris, & Teutonibus, & aliis infestissimis exterarum gentium populis armis sæpe acerrime decertavit: Sp. vero Cassium, Sp. Mælium, M. Manlium, & Catilinæ socios cives Rom. extremo etiam supplicio affecit; cum Cassius agris dandis, Mælius annona largienda, Manlius ære alieno plebem sua pecunia eximendo, Catilina perniciosa reip. consilia agitando, in affectati regni suspicionem incidissent. C. autem Cæsar privatorum etiam consilio interfectus est, quod dictatoria potestate abusus, non ferendas in libera civitate opes sibi comparasset. Sed tamen hæc libertas dominante Sylla concussa; Cæsare vero regente labefactata; Augusto demum imperante funditus eversa est. quod fuit nihil aliud, nisi cum plus ille unus in civitate potuit, quam universa respubl. Pro qua libertate retinenda cum alias alii contenderunt, tum maxime contra Sullam Lepidus, & contra M. Antonium Cicero. cujus rei in primis pulcherrimas has voces testes reliquerunt. Lepidus quidem apud Sallustium: *Præclara Brutorum, atque Æmiliorum, & Lutatiorum proles; geniti ad ea, quæ majores virtute peperere, subvertenda. Nam quid a Pyrrho, Annibale, Philippoque & Antiocho defensum est aliud, quam libertas*

bertas: neu cui, nisi legibus, pareremus. quæ cuncta sævus iste Romulus quasi ab externis rapta tenet. Cicero vero in Philippicis: *Res in extremum adducta est discrimen. de libertate decernitur. aut vincatis oportet, Quirites, quod profecto & pietate vestra, & tanta concordia consequemini, aut quidvis potius, quam serviatis. aliæ nationes servitutem pati possunt; populi Romani est propria libertas.*

Tertium huic libertatis genus consequens est, quo se Romani cives adversus nimium magistratuum, & præsertim consulum imperium munivererunt. quod jus multis legibus esse video constitutum. quarum aliæ aliam vim habuerunt. Prima autem fuit Valeria a P. Valerio Poblicola consule primo anno publicæ libertatis lata; *Ut si quis magistratus civem Rom. necare, verberare, multare vellet, privatus eum ad populi judicium vocare posset. interea vero a magistratu damni nihil acciperet, nisi ubi populus statuisset.* cujus legis Livius, Dionysius, & Plutarchus meminerunt. Inde vero haud ita multo post sacratæ leges consequutæ sunt, omnes pro civium Rom. libertate latæ. quas sacratas dictas esse censet Festus, *aut quod eas plebs, cum a patribus secessisset,* Cassio, Cominioque coss. anno ab V. C. CCLX. *jurata in monte Sacro sciverit: aut quod iis sancitum est, ut si quis adversus eas fecisset, sacer alicui deorum esset.* Homo autem sacer, eodem teste alio loco, is est, *quem populus judicavit ob maleficium; neque fas est, eum immolari; sed, qui occiderit, parricidii non damnatur.* cui opinioni assentitur Cicero, cum in Corneliana inquit, *sanctiones sacrandas esse aut legis obtestatione, aut pœna, cum caput ejus, qui contra facit, consecratur.* Fuerunt autem multæ, quarum tres pro plebis, reliquæ pro populi libertate sunt latæ. Primæ pro plebe fuerunt: una, *Ut tribuni pleb. quotannis quinque de plebe crearentur, qui auxilio plebi adversus consules essent*; altera, *Ut iidem tribuni sacrosancti essent*; tertia, *Ne is honor nisi plebeiis pateret.* Quod cum ex II. Livii, tum ex VI. Dionysii libro colligitur. Primam legem affert Gellius, apud quem scriptum est, tribunos plebis tantum prehensionem habuisse, vocationem vero nequaquam. quod antiquitus creati sint non juri dicundo, nec caussis, querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent; ut injuria, quæ coram fieret, arceretur. Unde Plutarchus in Catone Uticensi scripsit, Jus tribuniciæ potestatis magis ad impediendum valuisse, quam ad agendum, quippe cum ceteris omnibus collegis volentibus, unus, qui nolit, & intercedat, plus possit. Duplicatus inde post annum XXXVI. est numerus tribunorum, lege, ut inquit Livius, a Trebonio tribuno plebis lata; *Ut qui plebem Roman. tribunus plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem tribunos pleb. faceret.* Secundam legem de sacrosanctis tribunis confirmat Festus, cum ait: *Sacrosanctum est, quod jurejurando interposito institutum est, si quis id violasset, morte pœnas penderet.* cujus generis tribunos plebis ædilesque ejusdem ordinis fuisse. Verba porro quibus sacrosanctos tribunos reddiderunt, hæc affert Dionysius: *Ne quis vi tribunum quasi privatum facere cogito, neve virgis cædito, neve cædi, occidive jubeto, qui adversus ea fecerit, sacer esto, bonaque ejus Cereri sacra sunto, eumque occidere jus, fasque esto.* cum Dionysio vero facit Livius, qui libro III. pulsis magistratu Decemviris tribuniciam potestatem restitutam cum scripsisset, ita subjunxit; *Et cum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur, cujus rei jam prope memoria aboleverat, relatis quibusdam ex magno intervallo cæremoniis, renovarunt: & cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset; familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret.* Tertia vero lex adeo custodita est, ut tribunatum nunquam fere patricii ceperint; nisi ad plebem, vel adoptione, vel alia fortasse ratione, ut de Minucio Augurino tradit cum Plinio Livius, se contulerint. In his autem legibus plebis libertatem fuisse positam, indicat Cicero in III. de legibus, qui cum de tribunatu loqueretur, ita concludit: *Quamobrem aut exigendi reges non fuerunt, aut plebi re, non verbo danda libertas.* Quarta inde lex sacrata fuit: *Ne de capite civis Rom. nisi centuriatis comitiis agi posset.* Quinta: *Ne privilegia irrogari liceret.* Hæ vero eædem leges post in XII. tabulas sunt translatæ, de quibus in oratione pro domo hoc modo video Ciceronem verba fecisse; *Quo exemplo, quo more, quo jure legem nominatim de capite civis indemnati tulisti? vetant leges sacratæ, vetant* XII. *tabulæ, leges privatis hominibus irrogari.* item: *Hoc juris in hac civitate etiam tum, cum reges essent, dico fuisse, hoc nobis esse a majoribus traditum, hoc esse denique proprium liberæ civitatis, ut nihil de capite civis, aut de bonis sine judicio senatus, aut populi, aut eorum, qui de quaque re judices constituti sunt, detrahi possit.* & in Sextiana: *Cur cum de capite civis, & de bonis proscriptio ferretur, cum & sacratis legibus, &* XII. *tabulis sancitum esset, neque privilegium irrogari liceret, neque de capite nisi comitiis centuriatis rogari, nulla vox est audita consulum?* & in III. de legibus: *Tum leges præclarissimæ de* XII. *tabulis tralatæ duæ. quarum altera privilegia tollit, altera de capite civis rogari, nisi maximo comitiatu, vetat. nondum inventis seditiosis tribunis pleb. admirandum, tantum majores in posterum providisse. in privatos homines leges ferri noluerunt, id est enim privilegium. quo quid est injustius? cum legis hæc vis sit, scitum esse & jussum in omnes? ferri de singulis, nisi centuriatis comitiis noluerunt. descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus plus adhibet ad suffragium consilii, quam fuse in tribus convocatus.* Atque his quidem legibus firmata in primis libertas civis Rom. putatur. quod caput ejus nec magistratuum libidini, nec plebis arbitrio; sed totius populi Rom. judicio esset commissum. Hinc Livius bello Punico narrando ait, hoc observatum in Campanis, cum senatorem quendam Rom. ita loquentem facit: *Per senatum agi de Campanis, qui cives Rom. sunt, injussu populi non video posse. idque apud majores nostros in Satricanis factum est.* At de capite tamen Ciceronis privatim legem tulit P. Clodius trib. pleb. comitiis tributis. quid mirum? si per vim, ac injuste. quod idem eodem in loco ipse admonuit, his verbis: *Quo verius in caussa nostra L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis. præter enim quam quod comitia illa essent armis gesta civilibus; præterea neque tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla privilegia. quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus.* & in Sextiana his: *Princeps rogatus sententiam L. Cotta, dixit, nihil de me actum esse jure, nihil more majorum, nihil legibus. Non posse quenquam de civitate tolli sine judicio: de capite non modo ferri, sed ne judicari quidem posse, nisi comitiis centuriatis.* Inde lex altera Valeria lata est a L. Valerio, qui cum M. Horatio consul fuit, anno post urbem conditam CCCIIII. Lata est autem de provocatione, & de tribunatu plebis, quæ a decemviris sublata fuerant, restituendis. De qua libet Liviana verba subjicere: *Legem de provocatione, unicum præsidium libertatis, decemvirali potestate eversam, consules non restituunt modo, sed etiam in posterum muniunt, sanciendo nova le-*

ge, ne quis ullum magistratum sine provocatione crearet. qui creasset, eum jus, fasque esset occidi: neve ea cædes capitalis noxæ haberetur, & cum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio satis firmassent, ipsis quoque tribunis, ut sacrosancti viderentur, cujus rei jam prope memoria aboleverat, relatis quibusdam ex magno intervallo cæremoniis, renovarunt: & cum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, sanciendo, ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset; familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret. Eadem vero de provocatione lex post etiam relata est a M. Valerio Corvo consule. de qua item, quid idem ille scripserit, recitabo: *Eodem anno* (is fuit ab V. C. CCCCLIII.) *M. Valerius consul de provocatione legem tulit diligentius sanctam. tertium ea tum post reges exactos lata est, semper ab eadem familia. caussam renovandæ sæpius haud aliam fuisse reor, quam quod plus paucorum opes, quam libertas plebis, poterant. ea qui provocasset, virgis cædi, securique percuti vetuit. si quis adversus ea fecisset, nihil aliud, quam improbe factum adjecit, id visum vinculum satis validum legis.* Deinde lata est lex Porcia de provocatione. quam a Porcio Læca tribuno plebis latam esse, docet nummus argenteus, cujus ab altera parte scriptum est, Provoco, ab altera P. Porcius Læca. Hæc autem post Valeriam tertiam lata, ut eodem in loco addit Livius, *gravi pœna, si quis magistratus verberasset, necassetve civem Roman. sanxit; sed exilium irrogari ab eo permisit.* Quæ duo capita his, quæ sequuntur, testimoniis video confirmari; primum Ciceronis, qui cum Rabirium perduellionis reum consul defenderet, dixit, *plura sibi non esse dicenda de civibus Romanis contra legem Porciam verberatis, aut necatis*: & post, *Legem Porciam virgas ab omnium civium corpore amovisse, libertatem civium lictori eripuisse*: deinde Sallustii, qui illud posuit in oratione Cæsaris: *Quamobrem in sententiam non addidisti, uti prius verberibus animadverteretur in eos? an quia lex Porcia vetat? at aliæ leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed exilium permitti jubent*, & post: *Majores nostri Græciæ morem imitati verberibus animadvertebant in cives. de condemnatis summum supplicium sumebant. postquam resp. adolevit, & multitudine civium factiones valuere, circumveniri innocentes, alia hujuscemodi fieri cœpere. tunc lex Porcia, aliæque leges paratæ sunt, quibus legibus exilium damnatis permissum est.* Hanc autem legem M. Porcius Cato, ille censorius pro scapulis appellavit. sic enim scribit Festus: *Pro scapulis cum dicit M. Cato, significat pro injuria verberum. nam consulares leges erant in cives rogatæ, quibus sanciebatur pœna verberum. is significabat prohibuisse multos cives in ea oratione, quæ est contra M. Cœlium.* Livius loco prolato, pro tergo latam ait. Plinius libro VII. de jure, ut opinor, virgarum vocavit, cum dixit, *L. Cornelium Balbum Gaditanum accusatum, & de jure virgarum in eum in consilium missum.* quibus verbis accusatum Balbum significat, quod falso civitatem Romanam usurparet, cum esset peregrinus. In peregrinum enim jus erat virgarum, non in civem. Unde M. Marcellus consul Novocomensem quendam virgis multandum curavit in Cæsaris contumeliam, a quo erant Novocomenses civitate donati. Porciam inde legem Semproniæ sunt consequutæ, a C. Sempronio Graccho, juris plebis retinentissimo, in tribunatu latæ: Una, *Ne de capite civium Rom. injussu populi judicaretur*; Altera, *Ut, qui magistratus indicta caussa in civem Rom. animadvertisset, de eo populi quæstio constitueretur*; Tertia, *Ne quis coiret, conveniret, quo quis judicio publico circumveniretur.* Primæ legis meminit Cicero in oratione pro Rabirio, & pro domo; secundæ Plutarchus in vita ejus, eamque, ut P. Popillium, a quo consule Tiberii fratris socii misere fuerant divexati, ulcisceretur, atque urbe, ut fecit, expelleret, esse latam adjicit; tertiæ Cicero in Cluentiana; quo loco eandem in senatores pro plebe esse latam adjungit. Quin etiam, si quo me conjectura trahit, eo inclinem, addiderim quartam Porciam: *Ne magistratus civem Roman. virgis cæderet, aut securi feriret*, vetustate jam fortasse obsolescentem, ab eodem esse relatam. me vero in hanc opinionem adducunt verba ejus, quæ citat Gellius ex oratione de legibus promulgatis; *Legebamus*, inquit, *orationem Gracchi de legibus promulgatis; in qua M. Marium, & quosdam ex municipiis Italicis honestos viros virgis per injuriam cæsos a magistratibus populi Rom. quanta maxima invidia potest conqueritur. Verba hæc sunt, quæ super ea re fecit: Nuper Teanum Sidicinum consul venit. uxorem dixit in balneis virilibus velle lavari. quæstori Sidicino M. Mario datum est negotium, uti balneis exigerentur, qui lavabantur. uxor renunciat viro, parum cito sibi balneas traditas esse, & parum lautas fuisse. Idcirco palus destitutus est in foro, eoque adductus suæ civitatis nobilissimus homo M. Marius. vestimenta detracta sunt. virgis cæsus est. Caleni, ubi id audierunt, edixerunt; ne quis in balneis lavisse vellet; cum magistratus Roman. ibi esset. Ferentini ob eandem caussam prætor noster quæstores arripi jussit. alter se de muro dejecit, alter prehensus, & virgis cæsus est.* Hæc ex Gellio. ex quibus quis non intelligit, Gracchum hæc tum in concione dixisse, cum leges a se de libertate civium Roman. quæ neglecta lege Porcia a magistratibus Rom. violabatur, promulgatas suaderet? Unde Cicero in actionibus in Verrem, harum legum memor, ita exclamavit: *Cædebatur virgis in foro Messanæ civis Romanus. o nomen dulce libertatis. o jus eximium nostræ civitatis. o lex Porcia, legesque Semproniæ.* His igitur sive legibus, sive institutis libertas Romana adversus magistratuum patriciorum sive libidinem, sive potentiam fuit vallata. Illud enim sapienter ab illis provisum est, ne, cum ipsi se a libidine regia exolvissent, consulum aut aliorum magistratuum intoleranda superbia opprimerentur. Quod adeo proprium fuit civium Rom ut nomen civis Rom. in provinciis, & exteris regionibus multos a summis sæpe cruciatibus corporis, & nece acerbissima a magistratibus ostentata vindicarit. Hinc enim illa sunt in Verrem: *Cervices in carcere frangebantur indignissime civium Rom. ut etiam illa vox, & illa imploratio civis Roman. quæ sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros, & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & supplicium maturius ferret.* Item: *Nulla vox audiebatur, nisi hæc: Civis Roman. sum.* & in epist. Asinii ad Ciceronem: *cum illi misero quiritanti, civis Roman. sum; responderet; abi nunc, populi fidem implora.* Ex his autem legibus Semproniam, *Ne quis judicio publico circumveniretur, qua lege senatores, & ii, qui magistratum gesserant, soli tenebantur*, a Sylla dictatore retentam ait in Cluentiana Cicero. Reliquas ille mihi victoria parta non solum labefactasse videtur, sed etiam funditus sustulisse, quibus munita plebis, populique Romani libertas fuit. nam proscriptione civium Rom. novo exemplo proposita, cæde eorum acerbissima facta, agris plebi ereptis, judiciis commutatis, tribunicia potestate debilitata, quid reliqui juris civibus Romanis fecit? Tulit autem, *Ne tribunis plebis legum ferendarum jus esset; neve iis, qui tribuni plebis fuissent, alios postea magistratus capere liceret.* ut scriptum est in Livii, & Appiani historia. Nam Cicero lib. III. de legibus, *potestatem injuriæ faciendæ ademptam, auxilii ferendi relictam* auctor est. quod

exposuit Cæsar, cum jus intercessionis a Sulla tribunis relictum in primo civilium dixit. Tribunorum tamen jura post restituta sunt partim a Cotta, partim a Pompeio, & Crasso consulibus. C. enim Cottam consulem non multis post Sullæ mortem annis tulisse prodit Pedianus, ut tribunis alios magistratus capere liceret. Itaque C. Macer tribunus, apud Sallustium, per ea tempora hæc plebis juris detrimenta deplorans, ita in concione dixit: *An dubium habetis, ne officere quid vobis uno animo pergentibus possit, quos languidos, socordesque pertimuere? nisi forte C. Cotta ex factione media consul aliter, quam metu jura quædam tribunis plebis restituit. & quanquam L. Cincius primus de potestate tribunorum loqui ausus, mussantibus vobis, circumventus erat; tamen prius illi invidiam metuere, quam vos injuriæ pertæsum est: quod ego nequeo satis mirari Quirites. nam spem frustra fuisse intellexistis, Sulla mortuo, qui scelestum imposuerat servitium, finem mali credebatis. ortus est longe sævior Catulus. tumultus intercessit Bruto, & Æmilio Mamerco consulibus. Denique C. Curio ad exitium usque insontis tribuni dominatus est. Lucullus superiore anno quantis animis ierit in L. Quintium, vidistis: quantæ denique nunc mihi turbæ concitantur. quæ profecto incassum agerentur, si prius, quam vos serviendi finem, illi dominationis facturi erant; præsertim cum civilibus armis dicta alia, sed certatum utrinque de dominatione in vobis sit. Itaque cetera ex licentia, aut odio, aut avaritia in tempus arsere, permansit una res modo, quæ utrinque quæsita est, & erepta in posterum, vis tribunicia, telum a majoribus libertati paratum.* Neque vero haud ita multo post Cn. Pompeius, & M. Crassus consules pristinum jus, quod ante Syllam habuerant, restituerunt. cujus rei brevi post Pompeium pœnituit, cum a P. Clodio tribuno pleb. vexari acerrime, ac sine ullo dignitatis suæ respectu exagitari cœpit. auctor cum aliis Pedianus.

Quartum genus libertatis fuit, qua se adversus fœneratorum, & creditorum impotentiam non ferendam armarunt. Erat enim hoc jus jam inde a condita, ut opinor, urbe, vel lege vel more constitutum, ut liberi, qui pecuniam deberent, cum solvendo non essent, trahi a creditoribus, atque ad operas in servitute præstandas cogi possent. qua licentia abusi multi in terga etiam miserorum crudelissime sævierunt. unde plebis in montem Sacrum secessio anno post R. E. XVI. nata est. de qua ita Livius: *Magno natu quidam in forum venit. Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit; sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, æs alienum fecisse. id cumulatum usuris primo se agro paterno, avitoque exuisse: deinde fortunis aliis: postremo velut tabem pervenisse ad corpus. ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum, & carnificinam esse. inde ostentare tergum fœdum recentibus vestigiis verberum. ad hæc visa, auditaque clamor ingens oritur. non jam foro se tumultus continet, sed passim totam urbem pervadit. nexi, vincti, solutique se in publicum proripiunt.* Dionysius item eundem hominem immanitatem & sævitiam creditoris enarrantem inducit: se cum duobus filiis, quia æs alienum dissolvere non potuerit, abductum a fœneratore; ac quia difficilia imperantis domini opera facere recusarit, ab eodem verberibus affectum. Itaque ad hunc tumultum multos, qui in servitute operas dabant, catenas, & compedes trahentes nullo retinente, prodiisse. Atque hæc fere ante, quam XII. tabulæ scriberentur. Post autem in eas hæc verba relata sunt, teste Gellio libro XX. Æris *confessi, rebusque judicatis XXX. dies justi sunto. post deinde manus injectio esto. in jus ducito. ni judicatum faxit, aut quis pro eo in jure vindex sit, secum ducito, vincito, aut nervo, aut compede, XV. pondo ne minore; aut si volet, majore vincito. si volet, suo vivito; ni suo vivit, qui eum vinctum habebit, libras farris in dies dato. tertiis nundinis partes secanto. si plus, minusve secuerint, sine fraude esto.* Hujus autem legis pars una tantum observata est, ut debitores addictos in vincula abducerent; altera more publico abrogata, ne secarent. Prius illud verba Livii indicant, qui postea, ubi de seditione M. Manlii levando plebis fœnore conflata scribit, ita ait: *Acrioris quippe æris alieni stimulos esse, qui non egestatem modo, atque ignominiam minentur, sed nervo, ac vinculo corpus liberum territent. & æris alieni magna vis, res damnosissima etiam divitibus, ædificando contracta.* & paulo post de eadem re: *Centurionem nobilem judicatum pecuniæ cum duci vidisset M. Manlius, medio foro cum caterva sua occurrit, & manum injecit, vociferatusque de superbia patrum, ac crudelitate fœneratorum, & miseriis plebis; ego nequicquam, inquit, hac dextra Capitolium, arcemque servaverim, si civem, commilitonemque meum, tanquam Gallis victoribus, captum, in servitutem, ac vincula duci videam.* & infra: *An placere fœnore circumventam plebem, ni potius, quam sortem, creditum solvat, corpus in nervum, ac supplicium dare? & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobilium domos? & ubicunque patricius habitet, ibi carcerem privatum esse?* Qui vero hoc modo serviebant, ii vero non servi, sed addicti dicebantur. inter quos quid intersit, egregie demonstravit Quintilianus his verbis: *Circa propria, ac differentias magna subtilitas. ut cum quæritur, an addictus, quem lex servire, donec solverit, jubet, servus sit. altera pars finit ita; Servus est, qui est jure in servitute: altera, qui in servitute est eo jure, quo servus; aut, ut antiqui dixerunt, qui servitutem servit. quæ definitio etiam si constat æquo, nisi tamen propriis, ac differentiis adjuvetur, inanis est. Dicet enim adversarius, servire eum servitutem, aut eo jure quo servum. videamus ergo propria, differentiasque liberorum. Servus cum manumittitur, fit libertinus: addictus recepta libertate est ingenuus. servus invito domino libertatem non consequitur: addictus solvendo citra voluntatem domini consequetur. ad servum nulla lex pertinet: addictus legem habet. propria liberi, quæ nemo habet, nisi liber, prænomen, nomen, cognomen, tribum; habet hæc addictus.* Hoc autem jus observatum est usque ad annum CDXXVII., quo consules L. Papirius fuerunt, & C. Pœtelius Visolus. quo anno, ut inquit Livius, *plebi Romanæ velut aliud initium libertatis factum est, quod necti desierunt. mutatum autem jus ob unius fœneratoris simul libidinem, simul crudelitatem insignem. L. Papirius is fuit. cui cum se C. Publius ob æs alienum paternum nexum dedisset, quem ætas, formaque ad misericordiam elicere poterant, ad libidinem, & contumeliam animum accenderunt. cujus libidini cum juvenis non cederet, laceratus ab eo se in publicum proripuit, libidinem, crudelitatemque conquerens fœneratoris. Ea caussa excito in urbe tumultu consules ex* S. C. *ad populum tulerunt, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec pœnam lueret, in compedibus, aut in nervo teneretur. pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset. Itaque nexi soluti, cautumque in posterum, ne necterentur.* Atque hoc illud est, quod Varro intellexit, cum scripsit in libris de lingua Latina: *Liber, qui suas operas in servitute pro pecunia, quam debet, dum solveret, dat, nexus vocatur. Hoc C. Pœtelio Visolo rogante cautum, ne fieret, & omnes, qui bonam copiam ejurarent, ne essent nexi, dissoluti.* Tantum autem absuit, ut postea hoc nomine plebs detrimentum aliquod libertatis acceperit, ut sæpe etiam de ære alieno ejus vel creditoribus ipsis

initis relaxando agitatum sit. quam legem Romani Novas tabulas appellarunt. quam ut nemo unquam nisi perturbandæ reipub. cupidus promulgavit; sic optimus semper quisque & ocii amantissimus repudiavit. Itaque de ea re sic Cicero in legibus: *Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur. armis, & castris tentata res est ab omni genere hominum, & ordine, quibus ita restiti, ut totum hoc malum de rep. tolleretur. nunquam nec majus æs alienum fuit, nec melius, aut facilius dissolutum est. fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est.* Unde etiam querelæ illæ conjuratorum in remp. eodem anno sunt natæ, de quibus Sallustius: *Deos hominesque testamur, nos arma cepisse, uti corpora nostra ab injuria tuta forent, qui miseri, egentes, violentia, atque crudelitate fœneratorum plerique patria, sed omnes fama, atque fortunis expertes sumus, neque cuiquam nostrum licuit, more majorum lege uti, neque amisso patrimonio, corpus liberum habere: tanta sævitia fœneratorum, atque prætoris fuit.* De secandis autem debitoribus, quod nunquam usurpatum esse dixi; illud Cæcilii Jurisconsulti adductus auctoritate feci: cujus etiam verba subscribam; *Vinctis debitoribus jus erat paciscendi ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies* LX. *inter eos dies trinis nundinis continuis ad prætorem ad comitium producebantur. quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur. tertiis autem nundinis capite pœnas dabant, aut trans Tiberim peregre venum ibant. sed eam capitis pœnam sanciendæ fidei gratia, horrificam atrocitatis ostentu, novisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset judicatus, secare si vellent, atque partiri corpus addicti sibi hominis permiserunt, & quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes invidiam me istam forte formidare. Tertiis, inquit, nundinis parteis secanto. si plus, minusve secuerunt, sine fraude esto. nihil profecto immitius, nihil immanius, nisi, ut re ipsa apparet, eo consilio tanta immanitas pœnæ denunciata est, ne ad rem unquam pervenire tur. Addici namque nunc, & vinciri multos videmus, quia vinculorum pœnam deterrimi homines contemnunt. dissectum esse antiquis neminem neque legi, neque audivi, quoniam sævitia ista pœnæ contemni non quita est;* Idem notavit etiam Quintilianus, cum scripsit: *Sunt quædam non laudabilia natura, sed jure concessa, ut* XII. *tabulis debitoris corpus inter creditores dividi licuit. quam legem mos publicus repudiavit.*

Extremum genus libertatis attulerunt leges tabellariæ. quarum in universum ea vis fuit, ne suffragia posthac a populo voce, sed tabella: id est, ne palam, & aperte; sed clam, & occulte ferrentur. recte; Etenim si libertatis ratio in eo posita est, ut facias, quod velis; idque ipsum tabella præstat: profecto maxima a tabellaria lege pars libertatis proficiscitur. id quod etiam non obscure tradidit Cicero in Planciana, cum dixit: *Populo grata est tabella, qua frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut, quod velint, faciant.* Quin etiam Sallustius, ubi de constituenda rep. præcepta dat, tabellam his laudibus effert, ut dicat, eam obtentui fore, quo magis libero animo facere populus audeat. unde scite in II. Agraria Cicero tabellam vindicem tacitæ libertatis, & in Corneliana, legem Cassiam tabellariam principium justissimæ libertatis appellavit. Leges autem tabellarias idem in III. de legibus nominat multas: Gabiniam de mandandis magistratibus; Cassiam de populi judicio; Papiriam de jubendis legibus, & vetandis; Cæliam de perduellione, quem Cassius in sua lege exceperat. inde multas alias, Ne quis inspiceret tabellam; Ne rogaret; Ne appellaret. Has autem leges omnes libertatis retinendæ gratia populum expetisse, illud est argumento, quod ait idem, legem tabellariam a populo libero nunquam fuisse desideratam, ab eodem oppresso dominatu ac potentia principum flagitatam. Prima autem Gabinia Pisone, & Lænate coss. lata est. siquidem, auctore eodem in loco Cicerone, biennio ante Cassiam lata est. ex quo intelligi potest, populum Rom. sero admodum vere se suffragiorum in libertatem vindicasse, in qua populo potestas honeste bonis gratificandi datur. nam ii consules in annum ab Urbe cond. DCXIV. in fastis consularibus referuntur. Cassia enim Lepido, & Mancino coss. ut ait idem in Bruto, neque multis post annis Papiria, & Cœlia lata est. Atque de civium quidem R. Libertate; & iis, quibus ea stabilita est, legibus hactenus disputatum sit.

CAP. VII.

De jure Gentilitatis.

JUS libertatis nescio, an ullum aliud jus propius attingat, quam gentilitatis. neque id sine caussa. sunt enim ab eodem ambo fonte deducta, id est, a Romulo. qui quos liberos in tribus, curiasve descripsit, id est, quos omnino civitate donavit, eosdem in duas gentes simul divisit; quarum unam patres, plebem alteram nominavit: patres quidem, ex Dionysii sententia, eos, qui in nova civitate ceteris genere, virtute, & copiis antecellerent; plebem vero, qui his omnibus rebus inferiores essent: patres autem vel ab ætate, quasi senes, vel quod soli filios haberent, vel denique Atheniensium exemplo, qui summo loco natos εὐπατρίδας, infimo ἀγροίκους nominarunt. neque vero patres eos solum, & plebem, sed patricios etiam, & plebeios, quasi patrum, & plebis progeniem nuncupavit. quanquam patricios idem Dionysius, & præter Dionysium Plutarchus dictos asserunt, quod soli patres suos ciere, id est, nominare possent, id quod plebeiis genti obscurissimæ, & prope e terra natæ non liceret. Ex quo intelligi potest, patricios tum aliud nihil fuisse, quam ingenuos. id quod P. Decius etiam apud Livium significavit, cum dixit, *patricios primum esse factos, non de cœlo demissos, sed qui patrem ciere possent, id est, nihil ultra, quam ingenuos.* & apud Festum Cincius, qui aperte primis temporibus patricios eosdem fuisse cum ingenuis scribit. egregie. nam si ingenui sunt, qui ex duobus ingenuis orti sunt, profecto patricium neminem facere Romulus, nisi ingenuum potuit, cum patricius ille tum fuerit, qui patrem ciere potuerit. Quod si ita est, satis liquet, patricios primum; deinde plebeios gentem habuisse. siquidem gentiles sunt, auctore, ut est apud Ciceronem, Scævola, qui inter se eodem nomine sunt, quorum nemo servitutem servivit, nec capite diminutus sit. de patriciis illud argumento est, quod ait P. Decius apud Livium, qui cum adversus patricios loqueretur, ita demum intulit: *Semper ista audita sunt eadem, vos solos gentem habere.* de plebeiis id, quod Ap. Claudius vir patricius dixit: *An hoc si Claudiæ familiæ non sim, nec ex patricio sanguine ortus; sed unus Quiritium quilibet, qui modo me duobus ingenuis ortum sciam, reticere possim?* ex quibus verbis colligi licet, si qui se ab ingenuis ortum ostendere potest, is gentem habet, profecto plebeios, ubi patres indicare potuerunt, & ipsos gentem habere cœpisse.

His rebus expositis, nunc duo illa intelligenda sunt, primum alia fuisse jura gentilitatum, atque agnationum, deinde alia gentium patriciarum, ac plebeiarum. Ego autem inter gentilitates, & agnationes illud interfuisse opinor, quod inter gentis, & familiæ jura interesse alio libro admonui. quippe, quemadmodum familia nos propius attingit,

quam gens, sic agnati arctiore nobiscum, quam gentiles, necessitudine juncti sint. cujus rei argumento esse, quod lex XII. tabularum furiosorum tutelam primum agnatis; deinde gentilibus commisit: eademque patrisfamilias intestato mortui pecuniam primum ad agnatos, post ad gentiles voluit pervenire. Itaque cum Cicero homines arctissimo cum diis ipsis necessitudinis quasi vinculo constrictos esse in primo de legibus vellet ostendere, eos deorum agnatione, & gente teneri dixit. pro qua agnatione eundem in primo de oratore stirpem posuisse existimo, cum scripsit: *Quid? qua de re inter Marcellos, & Claudios patricios centumviri judicarunt. cum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii ejusdem hominis hereditatem gente ad se rediisse dicerent; nonne in eo caussa fuit oratoribus de toto stirpis & gentilitatis jure dicendum?*

Patriciarum autem, & plebeiarum gentium cum multa alia jura, eaque inter se longe diversa fuerunt, tum celebre illud extitit, quod plebis jura simul cum civitatis adeptione impetrabantur. (nam eodem tempore qui civium, idem etiam plebeiorum jure donabatur.) patricius autem fieri, nisi lege nominatim ad populum lata, nemo poterat. quod fuit aut regum, aut consulum, aut dictatorum amplissimum beneficium. Patricios enim Romulus bis, teste Dionysio, legit, primum ex Albanis, quos socios urbis condendæ habuit; deinde ex Sabinis iis, quos cum eorum rege T. Tatio in civitatem advocavit. quo tempore Julii, Pinarii, Potitii, Æmilii, Nautii, Fabii, Antonii in patriciorum numerum esse videntur relati. quem morem deinceps sequuti ceteri, Numa ex Sabinis, Valerios, & Marcios; Tullus ex Albanis, Alba excisa, Julios iterum, & Servilios, Geganios, Atilios, Curiatios, Quinctilios, & Clœlios; Ancus ex Etruria L. Tarquinium; Priscus ex Latio Ser. Tullium, & Octavios in patriciorum numerum acceperunt. Imminutis autem cæde, exiliisque a Superbo patriciorum familiis, L. Brutus, qui primus exactis regibus consul fuit, legisse patricios dicitur: inde, sexto post liberatam remp. anno, Ap. Claudius ex Sabinis Romam commigrans, lege item consulari patricius factus est. postremo C. Cæsar lege Cassia, & Divus Augustus lege Sænia patricios jam magna ex parte extinctos suppleverunt. Unde apud Livium Canuleius tribunus pleb. invidiose quondam in patres dixit, *Nobilitatem patricios plerosque ex Albanis, & Sabinis non genere, nec sanguine, sed cooptatione in patres habuisse aut regibus lectos, aut post reges exactos jussu populi*. de patriciis autem a Cæsare, & ab Augusto adlectis scribit cum Dione Suetonius. de omnibus fere Tacitus in hunc modum: *D. Claudius in numerum patriciorum vetustissimum quemque e senatu ascivit, paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant. exhaustis etiam, quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Sænia sublegere.*

Ad hæc vero fuit etiam illud a Romulo institutum, ut quoniam patricios extulerat, plebeios vero depresserat; ne aut illis horum invidia obesset, aut hi illorum potentia circumvenirentur, ambo inter se sanctissimo quodam necessitudinis vinculo astringerentur. patricios enim patronos plebis, plebeios patrum clientes esse constituit. atque amborum in ea colenda necessitudine officia diligentissime demonstravit: patronorum, ut clientibus incognita jura traderent, caussam eorum in foro, re postulante, defenderent; clientum, ut patronos domo deducerent, domumque reducerent, eosque in collocandis filiabus, si ita opus esset, pecunia sublevarent. neutris autem licere voluit, se inter se aut nomen deferendo, aut testimonium dicendo, aut suffragium ineundo, aut cum inimicis sentiendo

A lædere, alioqui eum lege a se de proditione lata teneri, eumque sacrum Deo esse, id est, impune occidi licere. Quæ necessitudo usque ad Gracchorum ætatem sancte adeo, teste Dionysio, observata est, ut in multis, & magnis plebis, patrumque de rep. contentionibus nulla tamen unquam vis, nulla cædes extiterit: quod clientes patronorum vel suadentium auctoritati, vel rogantium voluntati facile etiam juris sui cum aliqua diminutione obtemperaverint.

Jam vero neque illud est contemnendum, quod patricii soli ex Romuli instituto auspicia habuerunt. quod ex oratione P. Decii plebeii adversus patricios
B apud Livium satis aperte cognoscitur; qui inquit: *Semper ista audita sunt eadem: penes vos auspicia esse; vos solos justum imperium domi, militiæque habere.* & ex oratione Claudii adversus plebeios, cum ait: *Penes quos sunt auspicia? nempe penes patres. nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato creatur. nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum quos populus creat, patricios magistratus aliter, quam auspicato creet; sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato interregem prodamus, & privatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent. quid igitur aliud, quam tollit ex civitate*
C *auspicia, qui plebeios consules creando, a patribus, qui soli ea habere possunt, aufert?* Item ex eodem loco: *Interroganti tribuno, cur plebeium consulem fieri non oporteret, respondit; quod nemo plebeius auspicia haberet: ideoque decemviros connubium diremisse, ne incerta prole auspicia turbarentur. plebs ad id maxime indignatione exarsit; quod auspicari tanquam invisi diis immortalibus negarentur posse.* Cum autem auspicia tria fuerint, avium inspectio, de cœlo observatio, & tripudii animadversio: non est ignorandum, observationem de cœlo ad omnia comitia esse adhibitam; avium inspectionem ad curiata, & centuriata tantum; tripudium rerum geren-
D darum fuisse proprium. Itaque cum plebeii carere auspiciis dicuntur, avium volantium aut canentium observatione in comitiis, tripudio in rebus gerendis carere dicuntur. quæ soli patricii tenuerunt. quemadmodum etiam, cum nulli essent in rep. magistratus, senatores patricii soli auspicato interregem prodiderunt, qui rogandis magistratibus comitia haberet. Quorum duo priora jura procedente tempore interiisse; postremum vero perpetuum fuisse invenio. Nam ubi primum plebs in partem patriciorum magistratuum venit, ut consulatus, tum vero ad plebeios ita translata auspicia sunt, ut & auspi-
E cato crearentur, & ipsi auspicato rem gererent. cujus rei confirmandæ gratia notissimo uno Livii loco ero contentus: *In expectatione erat civitas, quod Genucius primus de plebe consul bellum suis auspiciis gesturus esset. perinde ut eveniret res, ita communicatos honores probe, aut secus consulto habitura. Forte ita tulit casus, ut Genucius ad hostes magno conatu profectus, in insidias præcipitaretur; legionibus nec opinato pavore fusis consul circumventus ab insciis, quem interficerent, occideretur. quod ubi est Romam nunciatum, nequaquam tantum publica calamitate mœsti patres, quantum feroces infelici consulis plebeii ductu, fremunt omnibus locis, irent, crea-*
F *rent consulem ex plebe; transferrent auspicia, quo nefas esset; potuisse patres plebiscito pelli honoribus suis, num etiam in deos immortales inauspicatam legem valuisse? vindicasse ipsos suum numen, sua auspicia, quæ ut primum contacta ab eo sint, a quo nec jus, nec fas fuerit, deletum cum duce exercitum documento fuisse, ne deinde turbato gentium jure auspicia turbarentur.* Neque vero dubium est, si Genucius plebeius consul est factus, quin auspicato factus sit. nam centuriata comitia, quibus consules creabantur, auspicata erant, ut tributa inauspicata. eademque ratione neque illud ullam habere du-

bitationem debet, si Genucius consul rem gessit, quin captatis ante auspiciis gesserit. cum magistratus, ut inquit Cicero in I. de divinatione, tripudio solistimo uterentur. quod idem de ceteris est judicandum. Cur enim priore consulatu C. Flaminium e plebe inauspicato consulem factum, posteriore sine auspiciis ad bellum profectum, quæ ne in externo quidem solo nova, atque integra concipere posset, atque eundem auspiciis neglectis cum hoste congressum, insimularent annales, nisi plebeiis post cum magistratibus patriciis essent auspicia ipsa patriciorum communicata? at quæ auspicia comtempsit Flaminius? tripudium. sic enim ait Cicero in. I. de divinatione: *C. Flaminius, cum tripudio auspicaretur, pullarius diem prœlii committendi differebat. tum Flaminius ex eo quæsivit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret; cum ille quiescendum respondisset: Flaminius, præclara vero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur. Itaque signa convelli, & se sequi jussit.* At vero perpetuum illud jus patricii defenderunt, ut, nulli cum essent in rep. patricii magistratus, ad ipsos auspicia redirent. quod erat nihil aliud, nisi ut patricii senatores coirent, atque ex se auspicato, qui comitia rogandis consulibus haberet, interregem proderent. unde illa sunt Livii libro IV. *Patricii, cum sine curulibus magistratibus respub. esset, coiere, & interregem creavere.* & Ciceronis illud ad Brutum: *Dum unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt.* & Pediani in Milonianam illud: *Cum mense Januario nulli dum neque consules, neque prætores essent, & Pompeius, ac T. Munatius tribunus pl. referri ad senatum de patriciis convocandis, qui interregem proderent, non essent passi.*

Postremo vero cum idem etiam Romulus patriciis solis senatum, sacerdotia, magistratus, judicia, ac totam denique remp. tradidisset: plebeiis agriculturam, & rem pecuariam, ac quæstuarias artes, eodem Dionysio teste, commisisset, neque hoc institutum diu admodum est servatum. siquidem plebs interjecto tempore, & in senatum pervenit, & magistratus, ac sacerdotia cepit, & res judicavit, & omnino remp. ipsam capessivit. id quod quando, & quo pacto adepta sit, post suo loco aperietur.

Nunc vero illud tantum admonuisse satis sit, plebem, cum omnia fere patriciorum jura esset consequuta, illud tamen impetrare nunquam potuisse, ut aut interregem ex se, quemadmodum antea dixi, aut flamines majores, Dialem, Martialem, & Quirinalem proderet, aut regem sacrificulum faceret, aut in Saliorum collegium cooptaretur: quos locos ut integros usque ad extrema tempora patricii possederunt, sic proprium illud usque ad extremum plebeiis reliquerunt; ut comitia tributa ab auspiciis, atque a patribus libera haberent, & tribunatum, atque ædilitatem plebis soli caperent. quibus fere de rebus omnibus ita Livius: *Patres contra non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremendo, negare, si ea ita sint, liberos tollendos esse, qui pulsi majorum loco, cernentesque alios in possessione dignitatis suæ, salii, flaminesque nusquam alio, quam ad sacrificandum pro populo sine imperiis, ac potestatibus relinquantur.* & Cicero pro domo sua, cum Clodium patricium a plebeio adoptatum reprehenderet: *Probate genus adoptionis, jam omnium sacra interierint, quorum custodes vos esse debetis: jam patricius nemo relinquetur. cur enim quisquam vellet tribunum pl. se fieri non licere? angustiorem sibi esse petitionem consulatus? in sacerdotium cum possit venire; quia patricio non sit locus, non venire? ut cuique aliquid acciderit, quare commodius sit esse plebeium, simili ratione adoptabitur. Itaque populus Rom. brevi tempore neque regem sacrorum, neque flamines, neque salios habebit, nec ex parte dimidia*

A *reliquos sacerdotes, neque auctores centuriatorum, & curiatorum comitiorum auspiciaque populi Rom. si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est; cum interrex nullus sit, quod & ipsum patricium esse, & a patricio prodi necesse est.* Quomodo autem ab auspiciis plebeii liberi fuerint, alio loco dicendum est.

Neque vero alienum est, ut duo patriciarum gentium genera fuerint, intelligere. siquidem satis constat patricios alios majorum gentium dictos, alios minorum. Sunt autem qui maiorum gentium appellatos putent, quos Romulus tantum prima lectione ex Albanis adlegit: reliquos inde, & quos B ipse, & quos alii reges deinceps asciverunt, minorum. Livius quidem, quos Priscus rex; Tacitus, quos Brutus consul patricios fecit, eos minorum gentium nuncupaverunt. pervasisse autem hanc usque ad postrema etiam tempora differentiam, optimus testis est Cicero, qui in Epistola ad Papirium, Papirios aliquot patricios fuisse tradit, sed minorum gentium. neque vero aliud quicquam his credo vocibus expresserunt, quam patricios majoris & minoris antiquitatis. nam ejusdem, ut puto, & hi, & illi juris fuerunt.

Neque vero illud etiam esse prætermittendum videtur, familias multas easdem patricias fuisse & ple- C beias, ut Claudiam, Papiriam, Corneliam, & Octaviam. de Claudia enim scripsit præter ceteros Suetonius in Tiberio; de Papiria Cicero in epistola ad Pætum; de Cornelia idem in II. de legibus, ubi Cornelios patricios ita nominat, ut plebeios etiam aliquos fuisse significet: de Octavia idem in Augusto Suetonius. Cujus rei caussas exquirenti non erit difficile multas & quidem probabiles omnes invenire. Mihi vero hæ potissimum reddi videntur posse: Una, quod non ab eodem ambæ fonte fluxerint, ut de Tullia Longorum, & Ciceronum familia alio libro dixi, quarum patricia illa a Ser. D Tullio rege, hæc plebeia a Tullo Atio Volscorum rege, teste Plutarcho, ex aliquorum opinione traxit originem; Altera, quod cum patricii lecti sunt, non omnes unius gentis lecti sint, verum aliquot in patricios ascitis, reliqui plebeiorum jura tenuerint; Tertia, quod posteaquam patricii facti fuerint, nonnulli eo jure non contenti ad plebem se contulerint. fuisse enim a plebe ad patricios aditum, & ab iis ad plebem reditum, ostendit Suetonius, cum de Octavia gente ita loquitur: *Gens Octavia a Tarquinio Prisco inter Romanas gentes allecta, mox a Ser. Tullio in patricias transducta, procedente tempore ad plebem se contulit, ac rursus magna vi per* E *D. Julium in patriciatum rediit.* Quod idem significavit etiam Cicero in Bruto cum dixit: *Transitiones a plebe sunt, cum homines humiliores in alienum ejusdem nominis infunduntur genus, ut si ego me a M. Tullio esse dicerem, qui patricius cum Ser. Sulpicio consul fuit.* & Plinius, cum L. Minucium Augurinum, hominem patricium ad plebem se contulisse, & tribunum pl. undecimum factum esse scribit. Hoc autem esse existimo, vel patriciorum jura repudiando, vel se in diversam gentem adoptando. quo pacto effectum est, ut aut plebeius in patricii familiam transiverit, ut Livius in Mamerci Lepidi, F & Brutus in A. Albini; aut patricius in plebeii, ut P. Clodius in M. Fonteii, P. Dolabella in Liviæ transmigrarunt. qua una ratione patricii ad tribunatum pl. aspirarunt, id est, si patriciorum se ante jure abdicassent, ac plebis jura sumpsissent. sed de adoptione post alio loco pluribus. Postremo vero civitatis etiam largitionem hanc diversitatem intulisse opinor. nam qui civitatem beneficio alicujus patricii hominis obtinebant, ii nomen ejus tantum, non gentem assequebantur; sed in plebe, cujus jura cum civitate adepti erant, remanebant.

Ex his autem fontibus primæ illæ in rep. seditio-

nes omnes emanarunt. Nam cum patricii, qui plebis patroni fuerant constituti, eam superbe, violenterque vexarent, atque liberata rep. plebs, ut ante regibus, sic tunc consulibus, patriciisque serviret, conflatis seditionibus, cum se adversus eorum impotentiam instituto tribunatu munivit, tum eorum, ut dixi, jura fere omnia sibi ascivit. Hinc enim secessio in montem Sacrum ob libertatem suam adversus patricios creditores defendendam: hinc in Aventinum, ob conservandam ab patriciorum libidine pudicitiam extiterunt: hinc denique motus alii urbani excitati, de communicandis connubiis, quæ decemvirali lege dirempta fuerant, de consulatu vulgando, quem soli patricii obtinebant. quibus de rebus non proprie inter ordines, sed inter gentes est concertatum: cum alteram partem consules, tribuni pl. alteram tuerentur: illius in senatu, hujus in concione præsidium omne esset constitutum. Sed jam ad alia pergamus.

CAP. VIII.

De jure sacrorum.

DEINCEPS sequitur, ut de jure sacrorum dicendum esse videatur, quod est cum libertatis, & gentilitatis jure conjunctum. Siquidem qui civitate R. donatur, is eodem tempore non omnia solum aut libertatis, aut gentilitatis jura adipiscitur; sed omnino sacrorum etiam, & cæremoniarum patriarum in partem vocatur. de quibus quoniam res est cognitu dignissima, quæ nos invenerimus, breviter, ut instituimus, exponemus.

Primum igitur intelligendum est, sacra omnia aut publica fuisse, aut privata. *Publica* censet Sex. Pompeius ea, *quæ publico sumptu pro populo fierent, quæque pro montibus, pagis, curiis, & sacellis; privata, quæ pro singulis hominibus, & familiis*. Publicum focum totius urbis Vestales virgines sanctissime observarunt, publicos curiarum focos triginta cum suis curialibus curiones, pagorum vero ipsi singulorum pagorum sacerdotes; privatos autem familiarum singularum lares suos quisque domi paterfamilias coluit. Vestam alii a Romulo, alii (quæ, ut ait Dionysius, frequentior fama est) a Numa rege in foro consecratam putant. Penatibus, inter quos & Vestam quidam retulerunt, Lavinii quotannis a regibus, ac post reges exactos a consulibus rem divinam factam satis constat. Curiarum sacra Romulus instituit; Compitalitia in urbe; & Paganalia in agris Ser. Tullius. Privata vero sacra Romulus jam tum videtur constituisse, cum uxorum sociam mariti pecuniæ, sacrorumque teste Dionysio, statuit. Deos autem neque novos, neque alienigenas nisi publice a Romanis ascitos Cicero in legibus scribit. Ascivit autem publice eosdem fere, quos Græci, deos auctor ipse urbis Romulus, fabulis tamen, & probris, quæ de iis narrabantur a Græcis, ut Dionysius ait, repudiatis. Saturnum, Jovem, Junonem, Martem, Minervam, Mercurium, Apollinem, & Herculem. Itaque prima templa Jovi Feretrio, & Statori ab eo in Capitolio sunt dicata. Novos autem deos, & quasi Romanorum vernaculos Consum idem consecravit, Cloacinam, ut apud Arnobium est, Tatius; Quirinum, Terminum, & Fidem Pompilius; Pavorem, & Pallorem Hostilius. quid de Pico, Tiberino, Pilumno, Picumno, Larentia, Flora, ceterisque ejusmodi Græciæ inauditis diis differam, quos Romani alii aliis temporibus dedicaverunt? Æsculapium autem sero populus ex Epidauro ad pestilentiam avertendam advexit, ac Cybelen ex Phrygia victoriæ caussa multo serius. quin eandem, ut etiam Cererem, coli eorum ritu, a quibus acceperant, voluit. ut illud demum intelligatur, neque omnes Græcorum deos ab initio esse cultos, neque eos, nisi publica auctoritate, esse consecratos.

Sacra vero quemadmodum, ac quo ritu essent peragenda, difficile esset in tanta præsertim rerum, & temporum vetustate exponere. quibus rebus tum rituales, & pontificales commentarii erant referti. hoc tantum ostendam, novos deos novosque colendorum deorum ritus a privatis illatos sæpe esse publica auctoritate damnatos. ostendam autem verbis ipsis Livii bello Vejenti. *Nec corpora*, inquit, *modo affecta tabe, sed animos quoque multiplex religio, & pleraque externa invasit, novos ritus sacrificandi, vaticinando inferentibus in domos, quibus quæstui sunt capti superstitione animi, donec publicus jam pudor ad primores civitatis pervenit, cernentes in omnibus vicis, sacellisque peregrina, atque insolita piacula pacis deum exposcendæ. datum inde negotium ædilibus, ut animadverterent, ne qui nisi Romani dii, neu, quo alio more, quam patrio colerentur.* & postea bello Punico: *Quo diutius trahebatur bellum, & variabant secundæ, adversæque res, non fortunam magis, quam animos hominum, tanta religio, & ea magna ex parte externa civitatem incessit, ut aut homines, aut dii repente alii viderentur facti. nec jam in secreto modo atque intra parietes, ac postes contemnebantur Romani ritus, sed in publico etiam, ac foro, Capitolioque mulierum turba erat nec sacrificantium, nec precantium deos patrio more. sacrificuli, ac vates ceperant hominum mentes. Incusati ab senatu graviter ædiles, triumvirique capitales; quod non prohiberent, cum emovere eam multitudinem e foro, ac disjicere apparatus sacrorum conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur. ubi potentius jam esse id malum apparuit, quam ut per minores magistratus sedaretur, M. Atilio prætori urbano negotium ab senatu datum est, ut & his religionibus populum liberaret. Is & in concione senatus consultum recitavit, & edixit, ut quicunque libros vaticinos, precationesve, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos libros omnes literasque ad se deferret, neu quis in publico, sacrove loco, novo, aut externo ritu sacrificaret.* Atque hæc quidem ille. ex quibus illud intelligi volo, sacra publica Romanos cives ab aliis omnibus separata habuisse, jusque sacrorum ad civis Romani definitionem pertinere. Quod conditor ipse & urbis, & civitatis Romulus indicavit. quem Sabinos ita in civitatem ascivisse Dionysius ait, ut eis tribus, & curias, & sacra ipsa Romana communicarit. ex quo facile intelligere possumus, domicilii communicatione sacra esse etiam impertita. Itaque municipes post aliquot tempora, quanquam Romana civitate donabantur, non tamen optimo jure cives Romani esse judicabantur, quod sacra alia haberent, quam cives ii, qui urbem, agrumque obtinerent, nisi posteaquam Romam domicilium transtulissent. Nam colonos, quanquam e civitate Romana erant, tamen alios dies festos, id est, alia sacra servasse, ostendit Cicero, cum in Agraria II. adhortans plebem Rom. ne se deduci in colonias patiatur, ait: *Vos vero, Quirites, retinete istam possessionem gratiæ, libertatis, suffragiorum, dignitatis, urbis fori, ludorum, festorum dierum, cæterorum omnium commodorum.* Hactenus de sacris publicis.

Privata vero fuerunt singularum familiarum, vel gentium propria. Itaque de his Macrobius ita scripsit: *Sunt præterea feriæ propriæ familiarum, ut Claudiæ familiæ, vel Æmiliæ, seu Juliæ, sive Corneliæ; & si quas ferias proprias quæque familia ex usu domesticæ celebritatis observat, sunt singulorum, ut natalium fulgurumque susceptiones, item funerum, & expiationum.* Et hæc eadem gentilicia sacra Cicero, & Livius nominavit; Cicero, cum de aruspicum responsis diceret, his verbis: *Multi sunt et-*

tiam in hoc ordine, qui sacrificia gentilicia in illo ipso sacello, anniversaria factitarint. Livius libro quinto, apud quem ita loquitur instaurator ille urbis Camillus: *Quam par vestrum factum est, quod in obsidione nuper in egregio adolescente C. Fabio conspectum est, cum inter Gallica tela degressus ex arce solemne Fabiæ gentis in colle Quirinali obiit? an gentilicia sacra ne in bello quidem intermitti, publica sacra, & Romanos deos etiam in pace deseri placet?* Atqui paulo ante scripserat: *Sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiæ*. Quo eodem spectans, credo, Ti. Gracchus tribunus pl. apud Plutarchum, in concione dixit, *imperatores Romanos frustra in castris cives ad dimicationem pro sepulchris, & sacris suscipiendam hortari, quippe quibus nec aræ patriæ, nec avita sepulchra præ inopia rerum essent relicta*. Hæc autem sacra patresfamilias pro arbitratu suo, privata religione, sibi constituebant. quare ut qui emancipabantur a patre, iidem a sacris etiam patris dimittebantur; sic qui adoptabantur; sacris iis, quæ pater adoptivus colebat, obstringebantur. quemadmodum priscorum in Jurisconsultorum commentariis scriptum est. unde Valerius dixit: *M. Anci filius in Suffenatis familiam, & sacra transierat*. Cicero quidem in II. de legibus privata sacra ita pontificio jure constituta ait, ut ad quem pecunia, ad eundem etiam sacrorum obligatio perveniret. omnino etiam diligentissime esse animadversum, ne privata sacra interirent, sed familiis deinceps proderentur. quod ipse etiam lege sanxit, cum dixit: *Sacra privata perpetua manento*. quam legem eum e XII. tabulis sumpsisse apparet. Itaque Jurisconsultos multa eorum genera excogitasse addit, *qui sacris obligarentur, ut heredes, ut qui tantundem cepissent, atque heredes, ut qui usu plurimum cepissent de bonis ejus, qui esset mortuus*; ut ejusmodi alios, quos hoc loco non videtur necesse commemorare. Quin etiam idem pro domo, pontificum curam fuisse ait, ne quid per adoptiones de sacrorum religione minueretur, sed ut adoptionem sequerentur hereditates nominis, pecuniæ, sacrorum. erant enim sacra grave ipsius hæreditatis onus, unde jure apud Plautum nescio quis lætatur, *se hereditatem adeptum esse sine sacris opulentissimam*.

Cum igitur hic locus nihil habeat dubitationis, quin sacra privata quædam fuerint; nunc vero an eadem patriciorum, plebeiorumque fuerint, merito ambigi poterit. Livius quidem diversa ea fuisse innuit, cum patricios de connubiorum communicatione secum indignantes hoc modo facit: *Quam aliam vim promiscua connubia habere, nisi ut ferarum prope ritu vulgentur concubitus plebis, patrumque? ut qui natus sit, ignoret, cujus sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum sit, dimidius plebis*. itemque lib. x. cum Virginiam patriciam plebeio nuptam L. Volumnio consuli, a matronis, quod e patribus enupsisset, a sacris, quæ in sacello Pudicitiæ patriciæ fiebant, prohibitam, ipsamque novam aram alio loco Pudicitiæ plebeiæ dicasse tradit. Quis tamen sacrorum patriciorum, plebeiorumque ritus fuerit, haud proclive dictu existimo.

Ad hunc autem etiam locum sepulchra pertinent, quæ non aliter quam sacra, sancte custodita a familiis sunt. ostendit Cicero in I. de officiis, cum ait: *Magnum est eadem habere monumenta majorum, iisdem uti sacris, sepulchra habere communia*. Fuisse autem alia familiaria, alia hereditaria, atque illa quidem, quæ sibi, & familiæ; hæc, quæ sibi & heredibus constituerentur, & Caius tradit, & ex veteribus sepulchrorum titulis cognoscitur. Cautum porro legibus vendendorum prædiorum veteres Jurisconsulti docent, ut fundo vendito jus sepulchri exceptum, & retentum intelligeretur. alioqui sepulchrum habenti viam singulari jure dari. Itaque Cicero in Rosciana conqueritur, *publicatis Sex. Roscii bonis ne iter quidem ad sepulchrum patrium filio esse relictum*. & in II. de legibus adjicit: *Tanta religio est sepulchrorum, ut extra sacra, & gentem inferri fas negent esse; idque apud majores nostros A. Torquatus in gente Popillia judicavit*.

Quod autem supra scripsi, municipes, dum in municipio fuerunt, alia ab ingenuis civibus Rom. sacra observasse, ne quis ita intelligat, ut eos, si Romam commigrassent, municipalia deserturos fuisse sacra arbitretur. siquidem ea ne Romæ quidem reliquerunt. quod ostendit Festus, cum ait: *Municipalia sacra dicta sunt ea, quæ ab initio habebant ante civitatem Rom. acceptam, quæ observare eos voluerunt pontifices, & eo more facere, quo adsuissent antiquitus*. Unde de se, & Arpino municipio suo loquens Tullius in legibus merito ait: *Hic gens, hic sacra, hic majorum multa vestigia*.

CAP. IX.

De jure Connubiorum.

Dixi, ut sui quisque dominus esset, nunc dicam, ut fuerit aliorum. primum autem de potestate agam in uxores. neque enim idem civium Rom. jus fuit, ac populorum aliorum. quod ego diuturna potius antiquitatis Rom. observatione, quam certa aliqua veterum scriptorum admonitione intellexi. Etenim neque cum omnibus mulieribus connubium habuisse, nec totius rei uxoriæ celebrandæ eadem cum ceteris usi esse ratione Romani videntur. Connubiorum vero ratio ea fuit, ut & nationis, & conditionis, & gentis, & sanguinis respectus haberetur. Nationis, ne Romanus nisi Romanam duceret, quemadmodum in Institutionibus Justiniani est scriptum. Quanquam, quos ille Romanos hoc in loco vocet, haud satis intelligo. ego enim cum omnibus fere Italis fuisse Romanis connubia, nisi si qua forte de caussa nonnullis id juris esset ademptum, invenio. num enim melior antiquitatis auctor Justinianus, quam Strabo; accuratior, quam Dionysius? at ille Romanos, & Albanos summa inter se sacrorum, connubiorum, & sermonis necessitudine fuisse devinctos narrat; hic bello Latino, quod ad Lacum Regillum non ita multo post reges exactos gestum est, multas Romanas mulieres apud Latinos, & Latinas apud Romanos fuisse ait; factaque potestate, ut omnes relictis maritis ad parentes redirent, nullam Latinam a Romanis, plerasque Romanas a Latinis discessisse. idque pro omine futuræ victoriæ acceptum esse. Quid Festus, testis haud quaquam contemnendus? nonne Q. Fabium, eum, qui CCCVI. Fabiis ad Cremeram interfectis superfuit, Otaciliam Numerii Otacilii Maleventani filiam in matrimonium duxisse refert, cum eo, ut qui primus filius nasceretur, Numerii avi materni prænomen ferret, unde postea Numerius in Fabia gente fuit celeberrimus? nam quid de Livio dicam, qui Canuleium tribunum pl. dum legem de patriciorum plebeiorumque communicandis connubiis, quam ferebat, suaderet, ita loquentem facit? *Altera lege connubium petimus quod finitimis, externisque dari solet*. Adde, quod hoc juris post permissum quoque esse Campanis videtur. siquidem bello Punico II. idem Pacuvium Calavium, nobilem Campanum liberos ex Ap. Claudii viri consularis filia habuisse, & filiam Romæ nuptam M. Livio etiam triumphali viro dedisse affirmat. Post autem cum aperta defectione Campani hoc jure spoliati essent eodem confecto bello, M. Messala, & C. Salinatore coss. a senatu petiisse, ut sibi cives Romanas ducere uxores liceret, &, si qui

prius

prius duxissent, ut habere eas, & ante eam diem nati, uti justi sibi liberi, heredesque essent; idque impetrasse. Postremo fuisse etiam civibus Rom. cum municipibus Latinis jus connubii, nonne Cicero satis idoneus esse in Philippicis testis potest? qui in M. Antonium ita agit: *Quæ amentia est, eum dicere aliquid de uxorum ignobilitate, cujus pater Numitoriam Fregellanam proditoris filiam habuerit uxorem, ipse ex libertini filia susceperit liberos? sed hoc clarissimi viri viderint, L. Philippus, qui habet Aricinam uxorem, C. Marcellus, qui Aricinæ filiam, quos certo scio dignitatis fœminarum non pœnitere.* Ex quibus rebus illud intelligi potest, civi Rom. nisi cum cive non fuisse connubium, nisi si qua rogatione hoc beneficii aliis etiam populis fuisset impertitum. unde dixit Cicero in Topicis: *Si mulier cum fuisset nupta cum eo, cui connubii jus non esset, nuncium remisit, quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet.* Qui vero ex mulieribus suscepti essent, cum quibus connubium non esset, eos ne liberos quidem, nedum cives fuisse, satis eorum, qui ex militibus Romanis, & Hispanis mulieribus nati erant, Liviano exemplo, de quo supra diximus, liquet.

Conditionis autem ea ratio ducta est, ne ingenuus libertinam, aut libertinus ingenuam duceret. Quod declarat senatus consultum, de quo dixi: *quo Hispalæ libertinæ permissum est, ut enubere*, id est, ab ingenuo duci, *posset, neque ei, qui eam duxisset, id fraudi esset*; itemque lex Papia Poppæa sero admodum, nempe Augusto jam omnia tenente, lata; *Ut omnibus ingenuis præter senatores, eorumque liberos uxores libertinas habere liceret.* id quod scriptum est in Taciti, & Dionis annalibus.

Quod autem ad gentes attinet, narrat Dionysius decemviros in duas postremas legum tabulas hoc etiam contulisse: *Ne patriciis cum plebeiis Romæ connubium esset.* idque ab Ap. Claudio decemviro esse adjectum, ut in perpetuum patres a plebe divelleret. Quam legem quinto post anno contraria rogatione abrogatam fuisse, satis constat; quam tulit C. Canuleius tribunus pl. auctore Livio; apud quem idem Canuleius ita de hoc toto jure disserit: *Hoc ipsum, ne connubium patribus cum plebe esset, non decemviri tulerunt paucis his annis pessimo exemplo publico, cum summa injuria plebis? an esse ulla major, aut insignior contumelia potest, quam partem civitatis, velut contaminatam, indignam connubio haberi? quid est aliud, quam exilium intra eadem mœnia, quam relegationem pati? ne affinitatibus, ne propinquitatibus immisceamur, cavent; ne societur sanguis, cavent.* Gradus porro sanguinis quosdam in ducenda uxore servatos, docent antiqui Jurisconsulti, quorum in libris, quæ duci, quæ non duci possit, explicatur. mihi quidem quæ sanguinis conjunctione, & necessitudine proxima duci per leges, aut mores posset, patrui filia videtur fuisse. ut de Antonia C. Antonii filia, M. Antonii sorore, & uxore, Cicero in Philippicis, *Frequentissimo senatu Kal. Jan. sedente patruo, hanc tibi esse cum Dolabella odii caussam ausus es dicere, quod ab eo sorori, & uxori tuæ stuprum oblatum esse comperisses.* nam Æmilius Probus germanam sororem duci fas fuisse negat. Atque de iis quidem, quibus cum connubii jus esset, hactenus.

Jam ritus, ac solemnia multa ducendarum uxorum silentio non videntur esse prætereunda, neque enim aliena sunt ab eo jure connubiorum, quod quærimus, & cognitu sunt etiam jucundissima. Primum ergo auspices adhibebantur. sic enim Valerius, ubi antiqua instituta persequitur: *Nuptiis etiamnum auspices interponuntur, qui quamvis auspicia petere desierint, ipso tamen nomine veteris consuetudinis vestigia usurpantur.* unde notum illud Tullii pro Cluentio: *Nubit genero socrus, nullis auspicibus; nullis auctoribus, funestis ominibus omnium.* & auspiciorum nuptialium mentio est apud eundem in 1. de divinatione. Refert præterea Plutarchus in Quæstionibus, virginem, cum duceretur, aquam, & ignem attigisse; ut id quasi generationis omen haberetur, quæ calore, atque humore perficitur: atque hunc morem expressit, credo, etiam M. Varro lib. de vita populi Rom. II. cum dixit, teste Nonio: *Contra a novo marito cum item e foco in titione ex felici arbore, & in aquali aqua allata esset.* Scitum est etiam illud Festi, novam nuptam dicis caussa rapi solitam, aut e sinu matris, aut, si mater non esset, ex proxime necessariæ, boni item ominis caussa, quod ea res Romulo feliciter evenisset. Quo respectans dixit Catullus: *Qui rapis teneram ad virum virginem.* Quin etiam eadem flammeo caput obnubebat, perpetui connubii ominandi ergo. quod flammeum assidue gereret flaminica, cui a flamine discedere divortii caussa non liceret. unde Catullus: *Flammeum cape.* Deducebatur autem a prætextatis pueris tribus. quorum unus facem spineam præferebat, pastores, qui Sabinas rapuerant, imitatus, ut lib. XVI. testatur Plinius. ex quo illud Catullianum: *Manu spineam quate tædam.* faces autem adhibitas addit Plutarchus, quod non, nisi ubi contenebrasset, in mariti domum deduceretur. quas potissimum quinque usurpatas, ut numerum individuis nuptiis convenientem scribit. reliqui vero duo novæ nuptæ brachia sustinebant. atque omnes, respondentibus vicissim pueris, puellisque, clara voce concinebant: *Hymen o hymenæe.* quod ostendit Catullus, iis verbis; *Ite concinnite in modum: Hymen o Hymenæe.* Ubi vero ad mariti limen pervenerat, tum postes oleo perungebat, eosdemque laneis vittis exornabat. unde antiqui uxorem appellatam putarunt. Limen autem attingere religiosum habebatur; ne, ut Varro censet, a sacrilegio initium ducerent, si depositurae virginitatem pedibus premerent rem Vestæ numini castissimo sacram. unde Catullus: *Transfer omine cum bono limen, Rasilemque subi forem.* Ingrediente porro illa Talassio magna voce clamabatur, quod in raptu Sabinarum ea vox celebrata virginem forma excellentem ab impetu aliorum defenderit. quod extat apud Livium. Ea vero in cubiculum deducta, ut ait Festus, prætextati ejus, qui prælux dicebatur, fax rapi erat solita ab utriusque amicis, ne aut uxor eam sub lecto viri ea nocte poneret, aut vir in sepulchro comburendam curaret. quo utroque mors propinqua alterutrius captari putabatur. Ipsa vero ingressa dicebat marito: *Ubi tu Caius, ego Caia.* quasi vero, ut ait Plutarchus, cum viro fortunarum, bonorumque communionem depacisceretur. Maritus autem sponsæ comam hastæ cuspide distinguebat. cujus rei caussas Plutarchus ad matrimonii item felicitatem traducit. Interea prætextati duo brachia ejus dimittebant; pronubæ vero eam in lecto collocabant. quod significat Catullus his versibus:

Mitte brachiolum teres,
Prætextate, puellæ.
Jam cubile adeat viri.
Vos unis senibus bonæ
Cognitæ bene fœminæ
Collocate puellam.

Lectum autem ipsum, quod nuptiis sterneretur in honorem genii, genialem vocarunt, auctore Festo. unde est illud in Cluentiana: *Lectum illum genialem, quem biennio ante filiæ suæ nubenti straverat, in eadem domo sibi ornari, & sterni jubet.* Tum maritus pueris nuces spargebat, ut Jovis omine, quod scribit Varro, matrimonium celebraretur. quia nuces in Jovis tutela erant. Quocirca Virgilius: *Sparge marite nuces.* Inde cingulum virgineum sponsæ

solvebat. de quo Festus: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto solvebat, factum ex lana ovis; ut sicut illa in glomos sublata conjuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus, vinctusque esset. Hoc Herculano nodo vinctum vir solvit, ominis gratia, ut sic ille felix sit in suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui* LXX. *liberos reliquit.* & alio loco: *Cinxiæ Junonis nomen sanctum habebatur in nuptiis, quod initio conjugii solutio erat cinguli, quo nova nupta erat cincta.* Unde Catullus:

Quod zonam soluit diu ligatam.

item:

Tibi virgines zonula solvunt sinus:

Hos autem ritus facile possis etiam ex nuptiis Marciæ, & Catonis colligere apud Lucanum libro II. Atque hoc quidem pacto, quæ sponsa fuerat, fiebat uxor.

Uxorum autem duo genera statuit Cicero in Topicis, unum quod proprie uxor dicebatur; alterum, quod materfamilias: verba, quibus hoc docet, hæc sunt: *Si ita Fabiæ pecunia legata est a viro, si ea in manum viri non convenerat, nihil debetur. genus est enim uxor. ejus duæ formæ. una matrumfamilias, hæ sunt, quæ in manum convenerunt; altera earum, quæ tantummodo uxores habebantur.* Quem locum his verbis exponit Boetius: *Tribus modis uxor habebatur, usu, farre, coemptione. sed confarreatio solis pontificibus conveniebat. quæ autem in manum per coemptionem venerant, hæ matresfamilias vocabantur; quæ usu, vel farre minime. coemptio vero certis solemnitatibus peragebatur. sese in coemendo invicem interrogabant; vir ita: an sibi mulier materfamilias esse vellet: illa respondebat, velle. itaque mulier viri conveniebat in manum. & vocabantur nuptiæ per coemptionem, & erat mulier materfamilias viro loco filiæ.* Hæc ille. Quæ tamen vera non esse ostendit Cicero in oratione pro Flacco: *In manum convenerat. quæro, utrum usu, an coemptione? usu non potuit. nihil enim potest de tutela legitima sine omnium tutorum auctoritate diminui. coemptione? omnibus ergo auctoribus.* nam usu etiam, nedum coemptione, uxores in manum convenisse significat.

Usu autem fieri matrimonium dicebatur, cum tutoribus auctoribus mulier in matrimonium conveniebat, & cum viro ita consuescebat, ut cum justo marito, adeo ut si usus ille intra annum non interrumperetur, pro usucapta jam haberetur. qua de re nonnihil scriptum fuisse in XII. tabulis, satis locus hic Gellii indicat: *Q. Mucium Jurisconsultum dicere solitum legi, non esse usurpatam mulierem, quæ, cum Kalend. Januariis apud virum caussa matrimonii esse cœpisset, ante diem* IV. *Kalend. Januarias sequentes usurpatum isset. Non posse impleri trinoctium, quod abesse a viro usurpandi caussa ex* XII. *tabulis deberet. quoniam tertiæ noctis posteriores sex horæ alterius anni essent, qui inciperet ex Kalendis.* Ex his enim verbis apparet, ut aliarum rerum, sic etiam uxorum usucapionem fuisse; &, si uxor per annum integrum nullo interrupto usu apud virum fuisset, in manum mariti venisse, & ex tutorum potestate exisse. usum vero, si per tres noctes ab eo abfuisset, interruptum fuisse. hoc enim veteres *usurpari* dixerunt.

De confarreatione loquitur Dionysius in Romulo, sacras nuptias scribens Farracia esse dicta, quod eodem farre conjuges vescerentur, quo etiam victimas respergerent. Itaque Ulpianus titulo IX. Institutionum, *Farre*, inquit, *convenitur in manum certis verbis, & testibus decem præsentibus, & solemni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* & Plinius lib. XVIII. *In sacris nihil religiosius confarreationis vinculo erat, novæque nuptæ farreum præferebant.* & Tacitus lib. III. Confarreandi consuetudinem aut omissam, aut inter paucos retentam scribit. Hinc diffarreatio apud Festum dissolutio matrimonii dicitur confarreatione contracti.

Coemptionis porro hæc ratio fuit. *Veteri Romanorum lege*, ut Varro tradit, *nubentes mulieres tres ad virum asses ferre solebant, atque unum quidem quem in manu tenebant, tanquam emendi caussa marito dare; alium, quem in pede habebant, in foco larium familiarium ponere; tertium, in sacciperio cum condidissent, compito vicinali solebant resignare.* hujus autem rei meminit etiam Cicero pro Murena: *Putarunt*, inquit, *Jurisconsulti, omnes mulieres, quæ coemptionem facerent, Cajas vocari.* & in II. de oratore; *Mirandum non est, qui quibus verbis coemptio fiat, nesciat, eundem ejus mulieris, quæ coemptionem fecerit, caussam posse defendere.* ex hoc ergo fiebat, ut mulier in manu, mancipioque mariti esset, aut ejus, cujus in manu, mancipioque maritus erat, suaque illi heres fieret. vir autem non in manu, id est, potestate uxoris erat, sed quod coemptus erat, id ei sui heredis jus tribuebat.

Gellius præterea uxorum duo genera tradit, matronam & matremfamilias. Matronam dictam scribit proprie, quæ in matrimonium cum viro convenisset, quoad in eo matrimonio maneret, etiam si sibi liberi nondum nati forent; dictamque esse ita a matris nomine non adepto, sed cum spe, & omine mox adipiscendi. unde ipsum quoque matrimonium dicitur. matrem autem familias appellatam esse eam solam, quæ in mariti manu, mancipioque aut in ejus, in cujus maritus manu, mancipioque esset. quoniam non in matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui heredis locum venisset. Festus autem matremfamilias inquit non ante dictam, quam vir ejus paterfamilias dictus esset, nec posse hoc nomine plures in una familia præter unam appellari. sed nec viduam hoc nomine, nec quæ sine filiis est, appellari posse. Ceterum cum uxorem in manu mariti esse dicimus, eam in mariti potestate ita esse intelligimus, ut sine eo auctore nec testari, nec contrahere posset. Hæc autem jura constituisse Romulus rex videtur, si Dionysio credimus. sic enim de eo scriptum reliquit: *Romulus mulierem nuptam, quæ ex sacratis legibus in manum mariti convenisset, omnium rerum, ac sacrorum participem esse lege sanxit. nominabant autem prisci Romani sacras nuptias Farracia, quod conjuges eodem farre vescerentur, quo victimas etiam respergunt. Ita hæc lex uxores, quod non haberent, quo confugerent, cogebat se in unius mariti mores fingere: vir autem sic habere uxores, ut rem necessariam, & nullo tempore divellendam. uxor enim pudica, & marito semper obsequens, æque ac ille, domus erat domina, & in ejus mariti bona succedebat heres, sicuti parentis filia, ex asse quidem, si is sine liberis, ac intestato decederet; si prolem relinqueret, ex æquo cum liberis. unde manavit illud, ubi tu Cajus, ego Caja.*

Uxorum porro delicta duo, ut idem ait, gravissima esse Romulus statuit; si pudicitiam violassent, & vinum bibissent. utrumque autem damnavit, ratus e stupro nasci insolentiam, stuprum e vinolentia. earum vero, quæ convictæ essent, pœnam mariti arbitrio permisit, ubi caussam cum propinquis cognovisset. Itaque Gellius eandem rem in hæc verba est persecutus. *Qui de victu, atque cultu populi Romani scripserunt, mulieres Romæ, atque in Latio abstemias egisse, hoc est, vino semper, quod temetum prisca lingua appellabatur, abstinuisse dicunt. institutumque ut cognatis osculum ferrent, reprehendendi caussa, ut odor indicium faceret, si bibissent. Bibere autem solitas ferunt loream, passum, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia. Atque hæc*

quidem in iis, quos dixi, libris pervulgata sunt. Sed M. Cato non solum existimatas, sed mulctatas quoque a judice mulieres refert, non minus si vinum bibissent, quam si probrum, & adulterium admisissent. verba M. Catonis adscripsi ex oratione, quæ inscribitur de dote, in qua id quoque inscriptum est: in adulterio uxores deprehensas jus fuisse maritis necare. Vir, inquit, cum divortium fecit, mulieri judex pro censore est. imperium, quod videtur, habet. Si quid perverse tetreque factum est a muliere, mulctatur. si vinum bibit, si cum alieno viro probri quid facit, condemnatur. De jure autem occidendi ita scriptum est: *In adulterio uxorem tuam si deprehendisses, sine judicio, impune necares; illa te, si adulteraret, digito non auderet contingere, neque jus est.* Eadem vero etiam recitat Athenæus ex Polybio. Quo factum est, ut Suetonius scripserit, Tiberium matronas prostratæ pudicitiæ, quibus accusator publicus deesset, ut propinqui majorum more de communi sententia coercerent, auctorem fuisse. Valerius, quoties inter virum, & uxorem aliquid jurgii intercesserat, in sacellum deæ Viriplacæ, quod erat in Palatio, venisse; & ibi invicem locutos quæ voluerunt, contentione animorum deposita concordes reversos scribit. inde nomen deam a placandis viris assecutam.

Illud memorabile, cum Dionysius, qui res Romuli diligentissime litteris est persecutus, nihil de divortio a Romulo instituto dicat; Plutarchum tamen legem ab eo de divortio latam prodidisse. Siquidem narrat inter alias leges Romuli illam fuisse acerbissimam, quæ uxori potestatem a viro discedendi ademit: viro uxorem exigendi dedit; si eam aut stuprum fecisse, aut venenum parasse, aut filios, aut claves subjecisse comperisset. Itaque postea quoque in XII. tabulis divortium esse permissum, ex eo licet suspicari, quod inquit Cicero in Philippicis de Antonio: *Frugi factus est. mimam illam suam suas sibi res habere dixit ex* XII. *tabulis, claves ademit, exegit.* Caius ad legem Juliam de adulteriis: *Si ex lege repudium missum non sit, & idcirco mulier adhuc nupta videatur, tamen si quis eam uxorem duxerit, adulter non erit.* Quod autem inquit de repudio ex lege misso, significat cum alia multa, tum maxime diversas repudii, ac divortii formulas, atque solemnem ipsam matrimonii renunciationem. Inter repudium autem, & divortium illud interfuisse, Paulo, & Modestino placuit, quod repudium sponsæ remitteretur, divortium cum uxore fieret. Itaque repudii formula fuit, CONDITIONE *tua non utor*: divortii, RES *tuas tibi habeto*; vel, *Res tuas tibi agito*. quod & Cicero loco citato significavit, & Caius cap. II. de divortiis tradidit. Renunciatio autem matrimonii ejusmodi fuit, ut aut vir uxori, aut uxor marito, vel præsenti, vel absenti nuncium remitteret. unde illa sunt apud Ciceronem de Oratore: *Cum paterfamilias uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset.* & in Topicis: *Si viri culpa factum est divortium, & si mulier nuncium remisit, pro liberis manere nihil oportet.* Quanquam autem divortium lege concessum erat, nemo tamen ante annum DXX. divortium cum uxore fecisse perhibetur. qui autem primus fecit, is Sp. Carvilius Ruga fuit; qui M. Pomponio, C. Papirio, vel, ut aliis placet, M. Atilio, P. Valerio consulibus uxori nuncium nova de caussa remisit, neque quod eam sterilem esse diceret, seque quærendorum liberorum caussa uxorem habere jurasset, ut in Dionysii, Gellii, & Valerii commentariis perscriptum videmus. *A quo tempore*, ut inquit Gellius, *rei uxoriæ cautiones Romæ necessariæ sunt visæ, cum ante nullæ fuissent.* Inde autem illa certe fluxerunt, quod soluto hoc modo matrimonio dotem reddi voluerunt: nisi quid caussæ incideret, cur retinenda esset. siquidem scri-

A ptum est apud Paulum de dotibus, *si divortium sine culpa mulieris fiat, dotem integram repeti; si contra, in singulos liberos sextam partem dotis a marito usque ad mediam ejus partem duntaxat retineri.* Quod vetus institutum fuisse apparet ex verbis Ciceronis, quæ sunt in Topicis: *Si viri culpa factum est divortium, pro liberis manere nihil oportet.* Post Carvilianum autem divortium vulgo ita dimitti uxores cœperunt, ut etiam, sine magna admodum caussa ab iis discesserint. Paulus quidem Æmilius cum Papiriam dimitteret, mirantibus amicis, & caussam quærentibus (erat enim non tam pulchra, quam fœcunda) nullam certam attulit; sed se tamen ab
B ea læsum significavit. Pudicitiæ vero vitium magnam repudiandæ uxori attulisse caussam, C. Cæsaris, qui postea dictator fuit, exemplo confirmari potest; qui Pompeiæ nuncium remisit, quam Clodius adamabat; cum diceret, Cæsaris uxorem non modo peccato, sed peccati etiam suspicione vacare oportere. erat autem suspicio, ne ei P. Clodius stuprum intulisset, qui muliebri veste, domi Cæsaris, tum Pontificis Maximi, cum sacra Bonæ deæ pro populo fierent, fuerat deprehensus, atque ancillarum manu eductus. Quarum rerum si quis testimonia postulabit, ea fere in Dionysii, Valerii, & Plutarchi libris reperiet.
C

CAP. X.

De jure patrio.

DIXIMUS de jure, quod cives Rom. in uxores habuerunt, nunc dicamus de eo, quod in liberos. Id enim prope infinitum, & Quiritum
D proprium fuit. Neque enim bona solum eorum, quod tradit Dionysius lib. VIII. sed vita etiam & libertas in potestate parentum fuit. Scriptum autem hoc invenio cum in aliis veteribus libris Jurisconsultorum, tum maxime lib. I. Institutionum Justiniani hoc modo: *Jus potestatis, quod habemus in liberos, proprium est civium Rom. nulli enim sunt homines, qui talem in liberos habeant potestatem, qualem nos habemus.* Hanc autem potestatem non recentem fuisse, sed jam inde a Romulo permissam, tradidit Dionysius: *Romulus omnem parentibus in liberos potestatem in perpetuum dedit coercendi, verberandi, rusticis in operibus habendi, ac demum etiam occiden-*
E *di. quamvis ipsi vel remp. administrarent, vel summos honores gessissent, atque ex iis maximam laudem consequuti essent. quo factum est, ut illustres sæpe viri ex rostris, cum conciones haberent senatui quidem adversas, plebi vero secundas, a patribus per vim abducti, atque ab iisdem eo, quo libuit, supplicio affecti sint. quibus ne ullus quidem magistratus auxilio fuit. mitto quam multi filios, quia imperata sua neglexerant, necaverint: quod de Torquato, aliisque multis accepimus. Neque vero hac licentia contentus Romulus, potestatem etiam filiorum vendendorum patribus usque ad tertiam auctionem concessit. quæ potestas multo major est, quam domini in*
F *servum. nam servus a domino venundatus recepta libertate liber est, filius iterum, atque iterum in potestatem patris revertitur. post tertiam vero venditionem, si se in libertatem vindicarit, e potestate patris egreditur.* Addit deinceps, Numam Pompilium hanc ad legem Romuli exceptionem adjecisse, ne pater filium, qui suo consensu uxorem duxisset, vendendi jus haberet. hasque leges post a decemviris probatas, & in quartam tabulam ex XII. relatas. Id quod apud Ulpianum etiam scriptum esse invenio in titulis; *Liberi parentum potestate liberantur*

emancipatione, id est, si posteaquam emancipati fuerint, manumissi sint. Sed filius quidem ter mancipatus, ter manumissus sui juris fit. Idem enim lex XII. *tabularum jubet his verbis*: SI PATER FILIUM TER VENUNDAVIT, FILIUS A PATRE LIBER ESTO. *ceteri autem liberi, præter filium tam masculi, quam fœminæ, una emancipatione manumissioneque sui juris fiunt*. Quin etiam Justinianus, tit. Quibus modis jus patriæ potestatis solvatur, cum emancipationem per antiquam legis observationem processisse ait, quæ per imaginarias venditiones, & intercedentes manumissiones celebraretur, observationem legis XII. tabularum intelligit. Priorem porro patriæ potestatis partem, qua jus in filium pater habet vitæ, necisque, Cicero expressit; cum in Clodium pro domo sua ita egit: *Credo te esse interrogatum, auctor ne esses, ut in te P. Fonteius vitæ, necisque potestatem haberet*. posteriorem de tribus auctionibus, & de fiduciaria emancipatione declarat Caius lib. I. institutionum, his verbis: *Emancipatio, hoc est, manu traditio quædam similitudo venditionis est, quia & in emancipationibus præter certum patrem alius pater adhibetur, qui fiduciarius vocatur. ergo iste naturalis pater filium suum fiduciario patri mancipat, hoc est, manu tradit, a quo fiduciario patre naturalis pater unum aut duos nummos quasi in similitudinem precii accipit; & iterum eum acceptis nummis fiduciario patri tradit. hoc secundo, & tertio fit, cum fiduciario patri mancipat, ac tradit, & sic de patris potestate exit, tamen cum tertio mancipatus fuerit filius a patre naturali fiduciario patri, hoc agere debet naturalis pater, ut a fiduciario patre mancipetur, & a naturali patre manumittatur, ut si filius ille mortuus fuerit, ei in hereditate naturalis pater, non fiduciarius succedat*.

Ad hunc autem locum pertinet etiam Adoptio, & Arrogatio filiorum. quæ quid essent, aut quemadmodum fierent, elegantissime docet Gellius: *Cum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei sumuntur, aut per prætorem fit, aut per populum. quod per prætorem fit, adoptio dicitur; quod per populum, arrogatio. adoptantur autem, cum a parente, in cujus potestate sunt, tertia mancipatione in jure ceduntur, atque ab eo, qui adoptat, apud eum apud quem legis actio est, vindicantur. arrogantur ii, qui cum sui juris sint, in alienam sese potestatem tradunt, ejusque rei ipsi auctores fiunt. sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur. nam comitia arbitris etiam pontificibus præbentur, quæ Curiata appellantur. ætas quoque ejus, qui arrogare vult; an liberis potius gignendis idonea sit, bonaque ejus, qui arrogatur, ne insidiose appetita sint, consideratur. jusque jurandum a Q. Mutio Pont. Max. conceptum dicitur, quod in arrogando juraretur. sed arrogari non potest, nisi jam vesticeps. arrogatio autem dicta, quia genus hoc in alienam familiam transitus per populi rogationem fit. ejus rogationis verba hæc sunt*, VELITIS, *jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure, legeque filius sibi siet, quam si ex eo patre, matreque familias ejus natus esset; utique ei vitæ, necisque in eum potestas siet, uti patri endo filio est. hoc ita, ut dixi, ita vos Quirites rogo. Neque pupillus autem, neque mulier, quæ in parentis potestate est, arrogari possunt. quoniam & cum fœminis nulla comitiorum communio est, & tutoribus in pupillos tantam esse auctoritatem, potestatemque fas non est, ut caput liberum fidei suæ commissum alienæ ditioni subjiciant. libertinos vero ab ingenuis adoptari quidem jure posse, Massurius Sabinus scripsit. Sed id neque permitti dicit, neque permittendum esse unquam putat, ut homines libertini ordinis per adoptionem in jura ingenuorum invadant. alioqui si juris ista antiquitas servetur, etiam servus a domino per prætorem dari in adoptionem potest. idque ait, plerosque juris veteris auctores posse fieri scripsisse. animadvertimus*

A *in oratione P. Scipionis, quam censor habuit ad populum de moribus, inter ea, quæ reprehendebat, quod contra majorum instituta fierent, id etiam eum culpavisse, quod filius adoptivus patri adoptatori inter præmia patrum prodesset. verba ex ea oratione hæc sunt: In illa tribu patrem, in alia filium suffragium ferre filium adoptivum tam procedere, quam si se natum habeat*. Hactenus Gellius. ex quibus facile quæ jura adoptionis, quæque arrogationis essent, liquere opinor. Eadem adoptio significatur a Suetonio, cum inquit; *Augustus Caium & Lucium adoptavit domi emptos per æs & libram*. siquidem imaginariam mancipationem non aliter adhibitam innuit, quam
B in emancipatione. qualis autem mancipatio fuerit mox dicemus. Quanquam autem ille adoptionem apud prætorem, arrogationem apud populum factam asserit, tamen hanc nominum observationem sæpe esse neglectam, facile quisque intelliget; qui cum antiquorum Jurisconsultorum libros, tum etiam scriptorum veterum monumenta paulo attentius legerit. Ac primum quidem apud Cornelium Tacitum Galba Imper. ad Pisonem, quem arrogaturus erat, ita loquitur, ut adoptionem lege etiam curiata factam significet, cum inquit: *Si te privatus, lege curiata apud pontifices (ut moris est) adoptarem*. &
C Suetonius Augustum Agrippam, & Tiberium adoptasse in foro lege curiata scribit; & Cicero P. Clodium a P. Fonteio adoptatum ait, cum tamen vere fuerit arrogatus; siquidem & juris sui fuit, & legem curiatam adhibuit. Dum autem hanc Clodianam ille adoptionem insectatur, multa nobis veteris adoptionis jura patefecit, quæ in adoptando Clodio prætermissa esse, contendit. quæ ut omnibus nota sint, proferam verba ejus. *Quod est*, inquit, *pontifices jus adoptionis? nempe, ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos possit, & cum potuerit, sit expertus. quæ deinde caussa cuique sit adoptionis, quæ ratio generum, ac dignitatis, quæ sacrorum, quæri a*
D *pontificum collegio solet. tum ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur, ut hæc simulata adoptio filii quam maxime veritatem illam suscipiendorum liberorum imitata esse videatur*. Ex his autem apparet, causas ante legitimas adoptionis quæri, de iisque pontificum collegium cognoscere oportuisse. quas si illi probassent, tum auctoribus pontificibus lex curiata ad populum a magistratu aliquo, ut a consule ferebatur. in qua ferenda omnia servari oportebat. quæ ceteris in legibus ferendis servari mos erat. id quod ex eodemmet Ciceronis loco post intelligitur. Adjicit etiam de ætate aliquid Modestinus, qui non tantum eum, qui adoptat, sed &
E eum, qui arrogat, majorem esse debere ait eo, quem sibi per adoptionem, vel per arrogationem filium facit, sed utique plena pubertate, id est, decem & octo annis eum præcedere debere. Nam ut qui adoptaretur, prænomen, nomen, & cognomen adoptatoris assumeret, satis multis exemplis in libro de nominibus demonstravimus. C. Octavius etiam a Paterculo, Eutropio, & Suetonio, Cæsaris avunculi majoris testamento adoptatus dicitur. idem Romam ex Macedonia occiso Cæsare reversus primum apud C. Antonium prætorem hæreditatem se accepisse professus est; deinde consulatum adeptus legem
F curiatam de sua adoptione tulit, Appiano, & Dione testibus. Quo in loco Appianus notat, moris fuisse, ut testibus prætoribus adoptiones fierent, & legem curiatam ferre moris fuisse iis, qui patre carerent, & quoniam adoptivi idem jus habebant, ac naturales filii, ut & propinquos, & liberos adoptantium assequerentur, & Cæsari cum aliæ res præclaræ, tum multi, iique locupletes liberti erant, propterea Octavium priorem adoptionem testamento factam posteriore hac confirmasse.

CAP. XI.

De jure legitimi dominii.

Dixi de potestate in uxores, & liberos, deinceps sequitur, ut quo jure bonorum fortunarumque suarum quisque dominus fuerit, videamus. quod jus tum multiplex, ac varium, tum civium Rom. maxime proprium fuisse invenio. Hoc autem sex in rebus positum fuisse, hereditate, mancipatione, in jure cessione, usucapione, sub corona emptione, & auctione, docet Varro in II. de re rustica. *In emptionibus*, inquit, *sex fere res dominum legitimum perficiunt; si hereditatem justam adiit; si, ut debuit, ab eo accepit, a quo jure civili potuit; aut si in jure cessit, qui potuit cedere, & id ubi oportuit; aut si usu cepit; aut si e præda sub corona emit; tumve cum in bonis, sectioneve cujus publice venit.* Quibus verbis, Emptionum voce omnem dominii acquirendi modum videtur intelligere; quod si quo horum modorum esset partum, nihil a litibus fore periculi intellexit, quod a jure civili præstaretur. quod eo magis credo, quia docet etiam Pomponius lege de Statu-liberis, emptionis verbo legem XII. tabularum alienationem omnem esse complexam. dicamus autem sigillatim de omnibus.

Hereditatem in Topicis Cicero definivit *pecuniam, quæ morte alicujus ad quempiam pervenit jure, nec ea aut legata testamento, aut possessione retenta.* quibus verbis res eum potius quam jus ipsum hereditarium esse complexum constat. Itaque assentior potius Juliano Jurisconsulto, qui hereditatem inquit, *successionem esse in universum jus, quod defunctus habuerit.* Jus autem hereditarium est, quo quis quid, quia heres relictus est, possidet. Justa autem hereditas, est legitima hereditas, quæ ad solos cives Rom. jure civili pervenire potest. Etenim qui cives Rom. non erant, nec testamentum facere, nec testamento testes interesse, neque ex testamento quicquam capere poterant. id quod in libris Jurisconsultorum positum, gravissima etiam Ciceronis auctoritate video comprobatum. Is enim Archiam poetam civem Rom. fuisse eo argumento ostendit, quod hæreditates adisset civium Rom. & Æbutius negabat Cæcinam Volaterranum, ut idem in defensione Cæcinæ ait, heredem Cæsenniæ esse posse, quod Volaterranis civitas a L. Sylla dictatore esset adempta. cui ille respondit, Syllam ita tulisse de civitate Volaterranorum, ut non tolleret hereditates. jussisse autem, ut essent eodem jure, quo Ariminenses, quos constaret a civibus Rom. hereditates capere potuisse. atque hoc est quod in oratione pro domo Quiritum legitimum jus hereditatem vocavit.

De mancipatione vero hæc invenimus. Sane quidquid per æs, & libram fiebat, nexus dicebatur. at præter cetera abalienatio, & obligatio fiebat, quarum illa mancipatio, hæc nexi datio dicebatur. ergo nomen nexus utrique commune fuit. atque hoc ex Varronis libris de lingua Latina cognoscitur, in quibus hæc verba sunt: *Nexum Manilius scribit esse, quod per æs, & libram geratur. in quo sunt mancipia. Scævola; quæ per æs, & libram fiant, ut obligentur, præterque quæ mancipio dentur. hoc verius esse ipsum verbum ostendit. nam idem, quod obligatur, nec suum fit, inde nexum dictum.* Ex quibus apparet, duo esse jura inter se diversa, jus mancipii, & jus nexi. Quod significavit Cicero, cum utrumque conjunxit ad Curium: *Attici te proprium esse scribis mancipio, & nexu; meum autem usu, & fructu.* & de responsis: *Multæ sunt in hac urbe, atque haud scio, an fere cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipii, jure nexi.* Jus autem mancipii est jus dominii emptione acquisiti, jus nexi jus dominii oppignoratione aut alia obligatione ade-

A pti. Quid autem mancipatio fuerit, docet Cicero in Topicis. *Abalienatio*, inquit, *est ejus rei, quæ mancipi est, aut traditio alteri nexu, aut in jure cessio, inter quos ea jure civili fieri possunt.* Abalienatio enim genus est, cujus species est traditio nexu, id est, mancipatio, & in jure cessio. cum autem nexus sit, quod fit per æs, & libram, ergo mancipatio est traditio alteri per æs, & libram; nexum obligatio per æs, & libram. Hoc autem quo modo fieret in mancipatione, exponit ibi interpres Boetius: *Jure civili aliquid fieri non inter alios, nisi cives Rom. potest, quorum est jus civile, quod* XII. *tabulis continetur. omnes res, quæ abalienari possunt,* B *id est, a nostro ad alterius dominium transire, mancipi dictæ sunt. Mancipi vero res veteres appellabant, quæ ita abalienabantur, ut ea abalienatio per quandam nexus solemnitatem fieret. Nexus vero est quædam juris solemnitas, quæ fiebat eo modo, quo in Institutionibus Cajus exponit. cujus hæc verba sunt; Mancipatio est imaginaria quædam venditio, quod ipsum jus Romanorum est civium, eaque res ita agitur, adhibitis non minus quinque testibus civibus Romanis puberibus, & præterea alio ejusdem conditionis, qui libram æneam teneat, qui appellatur libripens. is qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit:* C *Hunc ego hominem ex jure Quiritum meum esse aio; isque mihi emptus est hoc ære æneaque libra. deinde ære percutit libram; idque æs dat ei, a quo mancipium accipit, quasi pretii loco. quæcunque igitur res lege* XII. *tabularum aliter nisi per hanc solemnitatem abalienari non poterat.* Idem vero ostendunt etiam Varro & Festus. Varronis quidem hæc verba sunt in libris de lingua Latina: *Æs raudus dictum. ex eo in veteribus mancupiis scriptum, Raudusculo libram ferito.* Festi vero hæc: *Raudus vulgus in usu habuit non modo pro ære imperfecto, sed etiam pro signato, cum dicitur in mancipando: Raudusculo libram ferito, id est, asse tangito libram.* Idem in- D nuit Plinius lib. XXXIII. inquit: *Quin & militum stipendiorum, hoc est, stipis ponderandæ pensatores, libripendes dicuntur. qua consuetudine in iis emptionibus, quæ mancipii sunt, etiam nunc libra interponitur.* His adde, more fuisse receptum, ut auctor, id est, venditor nexu se dicis caussa obligaret ad rem perpetuo mancipi, hoc est emptori præstandam. unde Cicero in Murenæ defensione dixit: *Quod si in iis rebus repetendis, quæ mancipi sunt, is periculum judicii præstare debet, qui se nexu obligavit.* Qui autem mancipio vendebat, eum evictionis periculum in se recepisse, Plautus in Persa ostendit, apud quem E scriptum est;

Ac suo periculo is emat, qui eam mercabitur
Mancipio, neque promittet, neque quisquam dabit. & post:
Nihil mihi opus est litibus
Nisi mancipio accipio. quid eo mihi opus
Mercimonio? TOX. *nihil pericli videtur, ne metuas,*
Ne quis vero ex Arabia penitissima persequatur eam:

De nexo autem sic scribit Festus: *Nexum est, ut ait Gallus, quodcunque per æs, & libram geritur, idque necti dicitur. quo in genere sunt hæc, testamenti factio, nexi datio, nexi liberatio. Nexum æs di-* F *cebatur pecunia, quæ per nexum obligatur.* Obligatio vero nexi de qua scribit, in hunc modum fiebat: *manceps, id est is, cui res abalienabatur, stipulabatur ab altero:* DARE *spondes? & alter respondebat; Spondeo, simulque dicis caussa spondentem alligabat, ac nectebat.* Nexi liberationis hoc aptissimum, credo, erit exemplum. Livius de M. Manlio: *Centurionem nobilem judicatum pecuniæ cum duci vidisset, manum injecit. Inde rem creditori palam populo solvit, libraque, & ære liberatum emittit.* Jus autem nexorum proprium civis Rom. fuisse, Cicero osten-

dit, cum ait pro Cæcina, L. Sullam ita ademisse civitatem Volaterranis, ut nexa reliquerit.

In jure cessio, auctore Ulpiano, communis alienatio est, & mancipi rerum, & nec mancipi, quæ fit per tres personas, in jure cedentis, vindicantis, addicentis. De ea vero ita scribit, credo, ex Cajo Boetius: *Ceteræ res quæ sui juris erant, nec mancipi vocabantur. eadem vero in jure etiam cedebantur. Cessio vero tali fiebat modo: apud prætorem populi Rom. is, cui res in jure ceditur, rem tenens, ita vindicat:* HUNC *ego hominem ex jure Quiritium meum esse ajo. deinde postquam hic vindicaverit, prætor interrogat eum, qui cedit, an contra vindicet. quo negante, aut tacente, tunc ei, qui vindicaverit, eam rem addicit. idque legis actio dicitur.* Varro autem loco citato videndum ait, *an cesserit in jure, qui potuerit cedere, & ubi oportuerit*, id est, apud eum, apud quem legis actio sit.

Usucapio est acquisitio per usum legitimi temporis jure civili constituta. unde Ulpianus: *Usucapio est adeptio dominii per continuationem possessionis anni, vel biennii, rerum mobilium anni, immobilium biennii.* Hanc autem legem e XII. tabulis sumptam esse, multis argumentis demonstrari potest. uno, quod Cicero in oratione pro Cæcina ait: *Lex usum auctoritatem fundi jubet esse biennium. & utimur eodem jure in ædibus, quæ in lege non appellantur.* legem enim XII. tabularum intelligit. altero, quod idem in primo de officiis ait: *Hostis apud majores nostros dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus. Indicant XII. tabulæ:* ADVERSUM *hostem æterna auctoritas esto.* Unde etiam intelligitur, jus usucapionis civis tantum Romani esse, peregrinum rem alienam possidendo usucapere, id est, usu jus auctoritatis acquirere non potuisse. tertio, quod in XII. tabulis rerum furtivarum usucapio inhibita est. quod idem etiam lege Atinia cautum est. in qua ita scriptum fuit: QUOD *surreptum erit, ejus rei æterna auctoritas esto.* de qua Gellius lib. XVII. *Paulus legem Atiniam necessariam fuisse ait, ut caput, quod erat in XII. prætermissum adjungeretur. id autem fuit ejusmodi:* FURTIVA *res non usucapiatur, nisi in potestatem ejus, cui subrepta est, revertatur.* quarto, quod Cicero in secundo de legibus ait, lege XII. tabularum forum, id est, vestibulum sepulchri, usucapi non licuisse. Adde quod idem in primo scribit, in controversia de finibus, XII. tabulas usucapionem intra quinque pedes esse noluisse, de quibus post lex Mamilia lata est, quam a tribuno pl. C. Mamilio, qui propterea Limitanus est appellatus, bello Jugurthino latam opinor. Duas autem res hæc lex complectitur ad usucapionem necessarias, possessionem, & tempus. nam usum vocat possessionem. ut tamen usucapio sit, oportet nullam esse usurpationem, id est, nullam possessionis interruptionem, sed continuam possessionem, & usum non interruptum fuisse.

Emptio sub corona quam vim habuerit, docet Gellius lib. VII., cuius verba recitabo: *Pileatos servos venum ire solitos, quorum nomine venditor nihil præstaret, Cœlius Sabinus jurisperitus scriptum reliquit. cujus rei caussam esse ait, quod ejusmodi conditionis mancipia insignia esse in vendundo debent, ut emptores errare, & capi non posent. neque lex vendundi opperienda esset, sed oculis jam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus. sicuti, inquit, antiquitus mancipia jure belli capta coronis induta venibant, & idcirco dicebantur sub coronis venire. Namque ut ea corona signum erat captivorum venalium, ita pileus impositus demonstrabat ejusmodi servos venundari, quorum nomine emptori venditor nihil præstaret. Est autem alia rationis hujus opinio, cur dici solitum sit, captivos sub corona venundari, quod milites custodiæ caussa, captivorum venalium greges circumstarent, eaque circumstatio militum corona appellata sit. sed id*

A *magis verum esse, quod supra dixi, Cato quoque in libro, quem composuit de re militari, docet. verba sunt hæc Catonis: Ut populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat.* Hæc ex Gellio. Hinc sæpe etiam Livius: *Oppidum captum. cives sub corona venierunt.* & Cæsar: *Omni senatu necato, reliquos sub corona vendidit.*

Jus auctionis earum rerum fuit, quæ publice per præconem sub hasta præsente, & addicente magistratu venderentur. in auctionibus enim ei, qui plurimum auget, res addicitur. & quoniam ex auctio-
B ne illa dominium sibi justum in eam rem comparant, hinc etiam auctoritas jus auctione quæsitum dicitur, & auctor is appellatur, a quo quis auctoritatem, id est, jus dominii in quampiam rem accepit. Cicero VII. in Verrem: *Tum illi intellexerunt, se id, quod a malo auctore emissent, diutius obtinere non posse*, id est, ab eo, qui vendendi nullam potestatem habebat. Inde enim auctoritas pro justo dominii jure postea usurpata est. quod ex iis, quæ ante recitavi, exemplis cognosci potest. Ceterum, ut inquit Festus in epitomis: *Hastæ subjiciebantur ea, quæ publice venundabant.* Unde Cicero dixit in II. Philippica: *Hasta posita pro æde Jovis*
C *Statoris bona Cn. Pompeii Magni, voci acerbissimæ subjecta præconis.*

Hæc igitur omnia fiebant jure civili, quoniam autem jus civile non nisi inter cives Rom. esse potest, quorum est jus civile, propterea hæc eadem inter solos cives Rom. fiebant. Dicet aliquis: an igitur inter peregrinos nulla erat ratio possessionis, & dominii? erat illa quidem, sed non jure civili, ut jam ostendimus. quid autem ex jure civili commodi accedebat? nimirum, ut optimo jure possiderent, ac litium periculis vacui essent. neque enim patris institutio liberabat litibus, sed justa, & legitima hereditas, id est, quæ jure civili relicta esset.
D itemque in ceteris. quem locum diligentissime in oratione pro Cæcina a Cicerone esse video perpolitum. cujus hæc verba sunt: *Nihil est in civitate tam diligenter, quam jus civile, retinendum. Etenim hoc sublato, nihil est, quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum aut quid alienum sit: nihil est quod æquabile, atque unum omnibus esse possit. Itaque in ceteris controversiis, atque judiciis, cum quæritur aliquid factum ne sit, verum, an falsum proferatur, & fictus testis subornari solet, & imponi falsæ tabulæ; nonnunquam honesto, ac probabili nomine, bono viro judici error objici; improbo facultas dari, ut cum sciens perperam judicarit, testamentum, aut ta-*
E *bulas sequutus esse videatur. in jure nihil est ejusmodi, non tabulæ falsæ, non testis improbus, denique nimia ista, quæ dominatur in civitate, potentia in hoc solo genere quiescit. illud enim potest dici judici ab aliquo non tam verecundo homine, quam gratioso. judica hoc factum esse, aut nunquam esse factum, vel cogitatum. crede huic testi. has comproba tabulas. hoc non potest, cui filius agnatus sit, ejus testamentum non esse ruptum judica. quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi, non est aditus ad hujuscemodi res, neque potentiæ cujusquam, neque gratiæ. denique quo majus hoc, sanctiusque*
F *videatur, ne pretio quidem corrumpi judex in ejusmodi caussa potest. O rem præclaram, vobisque ob hoc retinendam Recuperatores. quod enim est jus civile? quod neque inflecti gratia, neque perfringi potentia, neque adulterari pecunia posset? quod si non modo oppressum, sed etiam desertum, aut negligentius adservatum erit, nihil est, quod quisquam se habere certum, aut a patre accepturum, aut relicturum liberis arbitretur. quid enim refert, ædes, aut fundum relictum a patre, aut aliqua ratione habere bene partum, si incertum sit, cum tua jure mancipii sint, ea possis ne retinere? si parum sit communitum jus? si*

civili, ac publica lege contra alicujus gratiam teneri non potest? quid, inquam, prodest, fundum habere, si quæ decentissime descripta a majoribus jura finium, possessionum, aquarum, itinerumque sunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutarique possunt? mihi credite, major hereditas venit unicuique vestrum in iisdem bonis a jure, & a legibus, quam ab iis, a quibus illa ipsa bona relicta sunt. nam ut perveniat ad me fundus, testamento alicujus fieri potest: at usucapio fundi, hoc est, finis solicitudinis, ac periculi litium non a patre relinquitur, sed a legibus. aquæductus, haustus, iter, actus a patre; sed rata auctoritas harum rerum omnium a jure civili sumitur. Hæc pro Cæcina. Huc autem eodem spectans dixit etiam pro Flacco: *Illud quæro sint ne ista prædia censui censendo? habeant jus civile? sint nec ne sint mancipi? subsignari apud ærarium, apud censorem possint?* Jus autem civile alio modo jus Quiritium dictum est, quod satis aperte, cum hunc locum tractaret, ostendit Ulpianus tit. primo, his verbis: *In bonis tantum alicujus servus est, velut hoc modo si civis Romanus a cive Romano servum emerit, isque traditus ei sit, nec tamen mancipatus ei, neque in jure cessus; neque ab ipso anno possessus sit. nam quandiu horum quid fiat, is servus in bonis quidem emptoris est, ex jure Quiritium autem venditoris est.*

Cap. XII.

De jure testamentorum.

Quo jure cives Rom. viventes bona sua possiderent, exposui. nunc quo in morte de iis statuerent, perquiramus. neque enim jus proprium in auctoritate solum acquirenda, sed etiam in relinquenda usurparunt. Hoc autem universum jus testamentorum continet. quæ & ipsa ad civis Rom. jura pertinuisse, inde intelligi potest, quod neque testamentum facere legibus Rom. neque aliquid testamento a cive accipere, nisi civis Rom. potuit. Itaque Cicero cum Archiam in jure civium versatum esse contenderet, ea maxime ratione nisus est, quod eum testamentum legibus Romanis, iis præsertim temporibus, quæ accusator criminabatur, fecisse affirmaret. & in oratione pro domo, cum sui etiam in exilio, ut civis, habitam esse rationem, rogatione Clodia neglecta, ostendere vellet, dixit: *Quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & si adessem?* Hujus autem totius testamentarii juris rationem e XII. tabularum fonte manasse, satis constat. fuit enim lex in iis ejusmodi, quod in Rhetoricis ad Herennium, & de Inventione, itemque apud Pomponium, Ulpianum & Justinianum invenitur, quanquam apud alios plenius, alios vero exilius, sed omnes fere in hunc modum: PATERFAMILIAS UTI LEGASSIT SUPER FAMILIA, TUTELAVE SUÆ REI, ITA JUS ESTO. Quibus in verbis illud primum attendendum est, non cuilibet legandi potestatem lege permitti, sed patrifamilias tantum; id est, civi Rom. qui e patris potestate exierit. hunc enim illi patremfamilias appellarunt. itaque filiosfamilias esse exclusos usque adeo ut Cicero etiam in Topicis, *mulierem, quæ se capite non diminuisset*, id est, quæ emancipata non esset, *si testamentum fecisset, secundum eas tabulas possessionem ex edicto prætoris dari non posse*, concluserit. Quod autem UTI LEGASSIT scriptum est, legare sumptum videtur pro eo, quod Jurisconsulti dicunt *Testari*, cum de ultimis loquuntur voluntatibus. Quo fit, ut hac lege paterfamilias & heredem instituere, & legatum relinquere & libertatem dare, & tutorem instituere possit: imo vero hac lege latissimam potestatem dandi legata, & libertates tributam, Pomponius aperte interpre-

A tatur; sed fuisse aliis postea legibus angustatam, & constrictam. Leges autem intelligit, Furiam de testamentis, cujus meminit Cicero in oratione pro Balbo, & in Prætura urbana; quam latam esse legis XII. tabularum coercendæ caussa *qua uti quisque legassit suæ rei, ita jus erat*, idem Justinianus refert. ea vero fuit: *Ne cui nisi manumissoris cognato, certisque aliis personis supra mille asses legare, mortisque caussa donare liceret. quod si quis majorem summam sibi legatam accepisset, quadruplum ejus, quod plus, quam licebat, accepisset, redderet.* intelligit etiam Voconiam quam Q. Voconius tribunus pl. anno DLXXXIV tulit, Cæpione, & Philippo coss:

B *Ne quis census virginem, neve mulierem supra quadrantem suorum bonorum heredem institueret, plusque cuiquam legaret, quam ad heredem, heredesve perveniret.* cujus legis Dio lib. LVI. Gellius l. XVII. Livius lib. XLI. & Cicero sæpe meminerunt. intelligit etiam Falcidiam a P. Falcidio tribuno pl. anno DCCXIV. Domitio, & Asinio coss. latam, cujus hæc capita memorantur: QUI *cives Rom. sunt, qui eorum post hanc legem rogatam testamentum facere volet, jus potestasque esto, ut hac lege licebit. Quicunque civis Rom. post hanc legem rogatam testamentum faciet, is quantam cuique civi Rom. pecuniam*

C *jure publico dare, legare volet, jus potestasque esto, dum ita detur, legetur, ut ne minus, quam quartam partem hereditatis ex eo testamento heredes capiant. eis, quibus ita datum, legatum erit, eam pecuniam sine fraude sua capere liceto. isque heres, qui eam pecuniam dare jussus damnatusve erit, eam pecuniam debeto dare, quam damnatus est. si quis aliter, quam hac lege liceat, pecuniam dederit, legaverit, heredi quartam partem ejus pecuniæ, quæ data, legata erit, ex eo testamento retinere liceto.* Hæc Paulus D. ad legem Falcidiam. Dio vero lib. XLVIII. cautum ait; *Ut heres quartam partem bonorum sibi relictorum, si graviter oneratus sit legatis,*

D *accipiat, cetera legatariis relinquat.* Postremo intelligit etiam Fusiam Caniniam de manumittendis servis Augusto item rerum potiente latam; *Ut in testamento ex tribus servis non plures, quam duos manumitti liceat, si plures essent, certus alius modus servaretur.* quam loco magis idoneo referemus. Quod autem ait, ITA JUS ESTO, eam vim habet, ut cum testamentum sit justa sententia, sive constitutio de eo, quod post mortem nostram fieri velimus, ne hæc voluntas, tum cum possessione exierimus, infirmetur. quasi enim hoc reip. interesset, supremas voluntates ratas esse lex voluit. unde Papinianus l. II. de testamentis, juris publici esse testamenti facti-

E onem dixit. & Ulpianus de verborum significatione admonuit, non improprie nos dicere posse, *lege obvenire hereditatem, quæ ex testamento deferretur, quia lege XII. tab. testamentariæ hereditates confirmentur.*

Justam autem sententiam testamentum definiunt, quod certis juris solemnibus constet. cujus rei ratio triplex ab antiquis usurpata fertur. Gellius enim ex Lælio Felice, tria genera testamentorum fuisse tradit, *unum, quod calatis comitiis in concione populi ferretur; alterum in procinctu, cum viri ad prælium faciendum in aciem vocabantur; tertium per familiæ emancipationem, cui æs, & libra adhiberetur.*

F De duobus prioribus sic Theophilus libro II. Institutionum: *Duo erant apud veteres testamentorum genera, unum, quod calatis comitiis fiebat, & dicebatur; alterum quod in procinctu. testamentum calatis comitiis tempore pacis fiebat, bis in anno, hoc modo: præco universam circumibat civitatem, populum convocans. tumque qui testamentum condere volebat, in concione populi, ipso teste populo testamentum scribebat. Ex quo etiam dictum est, calatis comitiis. nam calare est vocare. comitia vero populi congregatio. quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum est*

testamentum calatis comitiis. Secundi meminit Plutarchus in Coriolano, ex quo ipsum XII. tabulis antiquius fuisse apparet. *Fuit autem*, inquit, *illis temporibus mos apud Romanos, ut in aciem prodeuntes, antequam scuta caperent, & togis se præcingerent, tribus, aut quatuor audientibus, simul sine scriptis testamenta facerent, atque heredes nominarent*. unde Velleius libro II. *Facientibusque omnibus in procinctu testamenta, velut ad certam mortem eundum foret, Metellus non deterritus proposito, quem moriturum miserat, victorem recepit*. & Cicero lib. primo de oratore: *Ac se tanquam in procinctu testamentum faceret, sine libra, atque tabulis populum Romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati*. Ejusmodi vero testamenta suo tempore periisse, significavit idem libro II. de natura deorum, cum scripsit: *Sed negligentia nobilitatis auguriorum disciplina omissa, veritas auspiciorum spreta est, species tantum retenta. itaque maximæ reip. partes, in his bella, quibus reip. salus continetur, nullis auspiciis administrantur, nulla perennia servantur, nulla ex acuminibus, nulli viri vocantur. ex quo in procinctu testamenta perierunt*. In procinctu vero significat, auctore Festo, *cum ex castris in prælium exitum est, procinctos, quasi præcinctos, atque expeditos. nam apud antiquos togis incincti pugnasse dicuntur*. De tertio loquitur Festus, cum inquit scriptum fuisse in XII. tabulis: QUI NEXUM FACIET, MANCIPIUMQ. UTI LINGUA NUNCUPASSIT, ITA JUS ESTO. Item: *Nexum fuit quodcunque per æs, & libram gereretur, ut testamenti factio*. Fuit autem testamentum per nexum, quod fiebat adhibito libripende, & eo, qui familiæ emptor dicebatur, cum quinque testibus. familiæ autem emptor imaginarius, sive fiduciarius, adhibebatur, qui deinde heredi vero, tanquam legatario, hereditatem restituebat. Atque hoc ipsum etiam voluit Plutarchus, cum in libro de sera dei vindicta dixit, *Romanos, cum testamenta conscribunt, alios heredes relinquere, aliis vero patrimonium ipsum vendere. id quod carere ratione videatur*. Quo modo autem testamentum fiebat per æs, & libram, sic etiam solvebatur. quod his verbis ostendit Cicero, quæ sunt in II. de legibus. *Hoc vero est e medio jure civili, ut per æs, & libram heredem testamenti solvant, & eodem loco res sit, quasi ea pecunia legata non esset*. Formula vero testamenti nuncupandi hæc ab Ulpiano traditur Institutionum cap. XX. *Tabulas testamenti testator tenens ita dicit*: HÆC *uti in his tabulis cerisve scripta sunt, ita, do, ita lego, ita testor. Itaque vos Quirites testimonium præbetote*.

CAP. XIII.

De jure Tutelarum.

QUONIAM autem, dum testamentorum jura persequeremur, tutelarum etiam juris fecimus mentionem, non videtur ab instituto nostro alienum, ut separatim aliquid hoc loco de tutelis etiam, & earum generibus exponamus. Tutelam ergo definiunt veteres Jurisconsulti, a quibus magna hujusce disputationis nostræ pars emanavit, *Vim, ac potestatem in caput liberi ad tuendum, qui propter ætatem sua sponte se defendere nequit, jure civili datam, ac permissam*. Tutores autem, qui liberis impuberibus dantur, ut illorum res administrent, quoad pubertatem inierint. Hi vero nihil aliud sunt, quam qui vocantur pupilli. nimirum, qui cum impuberes sint, desierunt in patris potestate esse aut morte, aut emancipatione. Tutelam autem, *tutoris in rem pupilli potestatem* ita esse asserunt, *ut ejus rationibus serviat*. unde Cicero dixit in primo de officiis, *Ut tutelam, sic procurationem reipub. ad utilitatem eorum, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissa est, esse gerendam*.

Esse porro tutoris dandi jus, ut cetera, quæ supra collegimus, civis Roman. proprium, illud argumento est, quod a lege XII. tabularum est profectum, & quod si tutores, aut pupilli cives Rom. esse desiissent, tutela tolleretur. Neque tamen ita de tutelis XII. tabulis cautum est, ut non multo etiam ante Romæ hoc jus observatum vel lege vel more sit. siquidem Ancum Marcium regem L. Tarquinium liberis suis tutorem reliquisse in Livii, & Dionysii annalibus legimus. In XII. autem de tutelis scriptum extat ita, ut supra retulimus, PATERFAMILIAS UTI LEGASSIT SUPER PECUNIA, TUTELAVE REI SUÆ, ITA JUS ESTO. quem locum, credo, interpretans Caius, cap. primo de testament. tutelis, *Lege*, inquit, XII. *tabularum permissum est parentibus liberis suis, sive fœminis, sive maribus, si modo in potestate sint, tutores testamento dare*. Hoc autem idem tradit etiam Paulus cap. XX. *Testamento*, inquit, *quemlibet possumus tutorem dare, sive is prætor, sive consul sit, quia lex* XII. *tabularum id confirmat*. quin etiam sequenti capite addit, *eum demum tutorem dari posse, cum quo testamenti factio est*.

Quibus ex rebus perspicue intelligitur, tutoris dandi jus partim ex testamenti jure, partim ex patriæ potestatis jure pendere, ut quamvis pater privatus sit, tamen tutorem per legem ex testamento relinquere liberis suis possit. Quod si testamento pater nullum forte tutorem dederit, tum lex dat eum, qui legitimus tutor vocatur. Etenim agnatum proximum, ut heredem, sic etiam tutorem esse jubet. Unde Ulpianus de legitima tutela, *legitimæ tutelæ*, inquit, *lege* XII. *tabularum agnatis delatæ sunt, & consanguineis*. Item: *Legitimos tutores nemo dat, sed lex* XII. *tabularum fecit tutores*. Quod si neque testamentarius, neque legitimus adsit tutor, tum datur ab eo magistratu, cui tutoris dandi jus lege mandatum est, ut a prætore urbano & consulibus. Unde nota vox illa est prætoris Verris apud Ciceronem: *Pupillos, & pupillas certissimam esse prædam prætoribus*. & illud Capitolini: *M. Antonium Imper. primum fecisse prætorem tutelarem, ut diligentius de tutoribus tractaretur, cum antea tutores a consulibus poscerentur*.

Addo etiam, quod ad jura tutelarum maxime videtur pertinere, mulieres apud Romanos in perpetua tutela fuisse. Quod sensit Cicero, cum pro Murena dixit: *Mulieres propter infirmitatem consilii majores in tutorum potestate esse voluerunt*. & M. Cato apud Livium in concione de lege Oppia: *Majores nostri nullam, ne privatam quidem rem agere fœminas sine auctore voluerunt*. Narrat autem Ulpianus titulo XI. lege Atilia sancitum, ut mulieribus, & pupillis tutores non habentibus a prætore & majore parte tribunorum darentur. Quam legem latam ante Philippum, & Albinum coss. anno DLXVII. inde conjicio, quod in ejus anni historia referenda Livius de Hispala libertina ita scribit: *Quin eo processerat consuetudine capta, ut post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore a tribunis, & prætore petito, cum testamentum faceret, unum Æbutium institueret heredem*. Huic autem post, pro bacchanalium indicatorum præmio, S. C. concessum scribit Livius, ut tutoris optionem ita haberet, quasi ei vir testamento dedisset. sed de hac re, ubi de jure libertinorum agemus, pluribus differemus.

Hæc autem, quæ hactenus diximus, ad jus ipsum Quiritium, quo maxime privata civium Rom. jura comprehensa sunt, breviter demonstrandum, satis, ut opinor, valebunt. quod a Plinio significatum

tum puto, cum dixit: *Cassius Hemina ex antiquis auctor est, primum e Medicis venisse Romam e Peloponneso Archagatum Lysaniae filium, L. Æmilio, M. Livio coss. anno urbis* DXXXV. *eique jus Quiritium datum*.

C A P. XIV.

De jure census.

NUNC reliquum est, ut quemadmodum polliciti sumus, jura ea, quæ publicam potius rationem, quam privatam attingunt, exequamur: quæ quanquam multa sunt, tamen quia omnia fere a censu ducuntur, videtur faciendum, ut ante de censu, post de ceteris disputemus. Censum autem Ser. Tullius rex in remp. intulit, atque ut hoc modo ageretur, instituit. Populum universum jurejurando adactum fortunarum suarum æstimationem apud se profiteri jussit. qua cognita eundem in sex classes, & centum tres ac nonaginta centurias ita distribuit, ut in primas centurias, qui maximo essent censu conjecerit, in reliquas vero deinceps qui minore, servato eo censu, & centuriarum gradu, quem supra in classibus, & centuriis exponendis, ostendi. Inde vero censendi mansit institutum, ut cives omnes in sua quisque tribu, classe, centuria, jurejurando dato, apud eum, penes quem jus censendi populi esset, nomina sua, uxorum, liberorum, libertorum, servorumque suorum profiterentur. præterea ætatem omnium, regionem, quam habitarent, & fortunarum suarum æstimationem deferrent. Hoc autem jus primum regum; deinde consulum, & dictatorum; postremo proprio ad id magistratu creato, censorum fuit. Itaque Servius quater censum egit, quintum P. Valerius, & T. Lucretius consules anno post reges exactos secundo, sextum decennio post T. Lartius dictator. Cum autem consules post quater, interjectis temporibus, populum censuissent, neque continentibus bellis gerendis occupati per annos undecim ei muneri vacare potuissent, tum anno demum CCCX. ab urbe condita censores a populo creati L. Papirius, & L. Sempronius id negotii susceperunt, atque censum, lustrumque XI. condiderunt. Itaque post semper censoria cura fuit, ut, cum tribus recognoscerent, singulorum in singulis tribubus censum perspicerent. quod cum ex multis aliis locis, tum maxime ex censura Neronis, & Salinatoris cognosci facile potest.

Hic autem census duas opportunitates reip. attulit omnium, meo judicio, maximas. nam & numerum eorum, qui arma ferre possent, ostendit, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum sumptus sustinebantur, indicavit. Etenim quod ad capita censenda pertinet, non solum cives omnes censeri consuevisse, sed etiam, si quis, qui non esset civis, nomen suum clam in censorias tabulas referendum curasset, ea re civitatem adeptum esse comperio. Quocirca in Sextiana Cicero de Sex. Atilio Gaviano, qui in tabulas censorias nomen suum furtim intulerat, ita inquit; *Alter vero non ille Serranus ab aratro, sed ex deserto Gavii Oleli horreo, calatis granis, in Calatinos Atilios insitus, subito nominibus in tabulas relatis nomen suum de tabula sustulit*. Et idem, cum Gracchus propterea civem Romanum esse Archiam negaret, quod eum Romæ censum non inveniret, ad caussam, quam ad veritatem aptius respondit, censum non jus civitatis confirmare, sed qui sit census, ita se jam tum gessisse pro cive, ostendere. quin etiam Livius per bellum Persicum, multos Latinos in civitatem Rom. per migrationem, & censum transisse ait. atque etiam servos, cum consensu domini deferebant nomen in censum, una cum libertate civitatem consequutos esse, supra ostendimus. Profitebantur autem nomen suum in censu omnes, atque omnium, quos in potestate haberent. verum censores in summa civium subducenda eos tantum numerasse, qui ferre arma possent, Fabius Pictor prodidit. de quo ita Livius scribit in primo censu referendo, quem Ser. Tullius fecit: *Censa* LXXX. *millia civium dicuntur. adjicit scriptorum antiquissimus Fabius, eorum qui ferre arma possent, eum numerum fuisse*. Quem numerum si quisquam, ut illis præsertim temporibus, immodicum judicarit, is tum denique opinor, acquiescet, cum Romulum morientem XLVI. millia peditum, & paulo minus, quam mille equites reliquisse, a Dionysio, & Plutarcho acceperit: & cum post aliquot annos, regnante Hostilio, Albæ urbis excidio Albanis omnibus in civitatem acceptis, duplicatas esse Romanorum vires intellexerit. Hos autem esse, qui puberes essent, Dionysius indicat, cum singulis in censibus primorum temporum referendis, puberum capita censa scribit. Nam censu quinto, qui factus est anno II. ab exactis regibus, censa ait puberum (sic enim vertimus, quos ille vocat ἐν ἥβῃ) ad centum triginta millia; & censu sexto centum quinquaginta millia, ac septingentos; & censu septimo, supra centum decem millia; & octavo, paulo plures, quam centum tria millia. Quin etiam quodam in loco ex hoc numero pueros aperte, & fœminas omnes, & servos, & mercatores, & opifices excludit. si quidem de censu septimo ita scribit: *Civium tum, qui puberes essent, supra centum decem millia erant, ut proximo censu compertum fuerat; mulierum autem, & puerorum, servorumque, & mercatorum, & sordidas artes exercentium (si quidem Romanorum nemini cauponariam, aut operosam artem tractare licuit) triplo plus, quam turbæ civilis*. & de octavo censu ait: *Civium, qui se, & bona, & puberes filios in censum detulerunt, paulo plus, quam centum, & tria millia fuerunt*. Nomine autem puberum tam seniores, quam juniores esse comprehensos, idem ille ostendit, cum de quinto censu ita loquitur: *T. Lartius dictator censum egit. quo inventa sunt Romanorum, qui in pubertate essent constituti, amplius* CL. *millia, & septingenti. Itaque cum eos qui militari ætate essent, a senioribus secrevisset, atque centuriasset, peditum & equitum quatuor partes fecit*. Ætatem autem militarem a XVII. anno usque ad XLVI. ex Servii instituto, eosdemque etiam juniores, ut post eam ætatem seniores, appellarunt. Hi vero non tam urbani erant, quam rustici, & ex rusticis non solum, qui agrum Romanum incolebant, sed etiam, qui extra agrum Romanum, vel publicum vel privatum agrum cives Romani in Latio, atque adeo in Italia possidebant, vel negotii gerendi caussa extra Italiam habitabant. unde dixit Livius bello Persico, *multitudinem juniorum ingentem ex foris, & conciliabulis esse conscriptam*. Aliquando etiam Latini clam Romæ censi sunt, sed re patefacta, in suas civitates statim edicto redire jussi sunt. quod demonstrat Livius eodem in bello his verbis: *Lustrum conditum. censa sunt civium capita* CCLXIX. *millia. minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii cos. redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romæ, sed omnes in suis civitatibus censerentur*. Præsentes præterea censeri opus erat, nisi si censores etiam absentibus censendi facultatem permisissent, ut Nero, & Salinator, de quibus Livius: *Lustrum serius conditum est, quia per provincias dimiserunt censores, ut civium Romanorum in exercitibus, quantus ubique esset, referretur numerus*. P. etiam Scipionem Æmilianum censorem in oratione ad populum de moribus hæc

posuisse, auctor est Gellius: *Absenteis censeri jubere, ut ad censum nemini necesse sit venire.*

Census autem fortunarum eam habuit vim, ut singuli patresfamilias singula prædia, & urbana, & rustica in censu deferrent; pecuniæ summam, servorum, pecudumque numerum, fundorum instrumenta sigillatim profiterentur. Hoc enim veterum historiarum exempla declarant. Livius libro VII. *Quia solutio æris alieni multarum rerum mutaverat dominos, censum agi placuit.* & de Catone censore: *In censibus accipiendis aspera in omnes censura fuit. ornamenta & vestem muliebrem, & vehicula, quæ pluris, quam quindecim millium æris essent, in censum referre viatores jussit. item mancipia minora annis XX. quæ post proximum lustrum X. millibus æris, aut eo pluris venissent, ut ea quoque decies pluris, quam quanti essent, æstimarentur. & his omnibus terni in millia æris attribuerunt.* & Cicero in Planciana: *Illud quæro, sint ne ista prædia censui censendo? subsignari apud ærarium, apud censorem possint? in qua denique tribu ista prædia censuisti? census es præterea numeratæ pecuniæ centum triginta millia. census es mancipia Amyntæ.* & P. Scipio Æmilianus in oratione de multa contra Ti. Asellum, ex Gellio: *Tu in uno scorto majorem pecuniam absumpsisti, quam quanti omne instrumentum fundi Sabini in censum dedicavisti.* Quin etiam Ulpianus Pandectarum titulo de censibus, non aliam fuisse censendi rationem demonstrat. *Forma censuali*, inquit, *cavetur, ut agri sic in censum referantur. nomen fundi cujusque, & in qua civitate, & in quo pago sit. & quos duos vicinos proximos habeat. & arvum, quod in X. annos proximos satum erit. quot jugerum esse videatur. vinea quot vites habeat. olivetum quot jugerum, & quot arbores habeat. pratum quoque quod intra X. annos proximos sectum erit, quot jugerum pascua esse videantur. item sylva cædua. Omnia ipse, qui defert, æstimet. Illam enim æquitatem debet admittere censitor, ut officio ejus congruat, relevare eum, qui & in publicis tabulis, delato modo frui ex certis caussis non possit. quare etsi agri portio casmate perierit, debebit per censitorem relevari.* Postremo Livius quoque ubi de censoribus Nerone, & Salinatore scribit, ita scribit: *Duodecim coloniarum, quod nunquam antea factum erat, deferentibus coloniarum censoribus censum receperunt, ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent.* Quo factum est, ut Varro recte dixerit, censorem esse, ad cujus censionem, id est, arbitrium censeretur populus; & Festus, censores dictos, quod rem suam tanti quisque æstimare solitus sit, quantum illi censuerint. Etenim censores sæpe censum multiplicabant, ut ante de Catone Livius, & alio loco de iis, qui octuplicato censu M. Æmilium dictatorem ærarium reliquerunt.

Moris autem fuit, primum, ut in foro; deinde in villa publica, quæ erat in campo Martio, census ageretur. quem morem a Cæsare labefactatum ostendit Suetonius, cum ait: *Recensum nec more, nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit: ac ne qui novi cœtus recensionis caussa moveri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorum locum iis qui recensiti non essent, subsortitio a prætore fieret.* Pœna incensi maxima fuit. is enim publicatis bonis, lege Ser. Tullii, verberatus venibat, ut inquit Dionysius. Quocirca Zonaras, qui se, aut bona sua in censum non detulissent, ipsos a consulibus, bona a censoribus venundata scribit. & Ulpianus *maximam capitis minutionem esse, per quam civitas, & libertas amittitur*, ait, *ut cum incensus aliquis venierit.*

CAP. XV.

De jure militiæ.

ERGO cum ex censu commoditates duæ præcipue pararentur, quibus bellorum prope quotidianorum rationes, & copiæ sustinerentur, unum delectus, alterum tributorum; danda nobis opera est, ut primum de delectu, id est, de ipso jure militiæ disputemus: deinde quid de tributis in bellum conferendis invenerimus, exponamus.

Quoniam autem jus militiæ nihil est aliud, quam jus legionis, (in hac enim soli cives Romani, in auxiliis Latini socii meruerunt) primum quid, & quanta legio fuerit, ac quibus e civium generibus scripta sit, ostendamus; deinde ejus scribendæ rationem, ac summa conscriptorum civium jura patefaciamus. Universus Romanus exercitus in duas partes fuit divisus, legiones, & auxilia. Legio certa peditum, equitumque manus fuit, Varrone, & Plutarcho auctoribus, a delectu fortissimorum militum appellata. Ea vero jam inde a Romulo rege instituta est trium millium peditum, & trecentorum equitum. ex singulis enim tribubus mille conscripti sunt pedites, & centeni equites. Ut autem pedites in cohortes, equites in turmas distributi, sic cohortes in manipulos, turmæ in decurias, manipuli in centurias. Quoniam autem legionem a Romulo acceptis in civitatem Sabinis auctam scribit cum Dionysio Plutarchus, propterea eandem etiam a Romulo ad quatuor peditum millia redactam existimaverim, quæ inde Quadrata legio dicta est, auctore Festo. Subsequentibus vero temporibus pro usu reip. & senatus arbitrio variatum, ut legio modo quatuor, modo quinque, modo sex millium peditum, itemque modo ducentorum, modo trecentorum equitum scriberetur, Livio potissimum testi credo. is enim Volsco bello, quatuor legiones quaternum millium scriptas prodit; bello Gallico, non urbana tantum, sed etiam agresti juventute decem legiones scriptas, quaternum millium & ducentorum peditum, equitumque trecentorum ait. bello Latino, per ea tempora scriptas quatuor fere legiones quinis millibus peditum, equitibus in singulas legiones trecenis, alterum tantum ex Latino delectu adjici solitum. bello Punico, Sempronio duas legiones datas, ea quaterna millia fuisse peditum, & trecenos equites. item exercitum civium sociorumque minui jussum, ut ex duabus legionibus una legio quinque millia peditum, & trecenti equites essent, dimissis, qui plurima stipendia haberent, & sociorum septem millia peditum, & trecenti equites relinquerentur. bello Persico: *Legiones quatuor novas scribi placuisse, binas singulis consulibus. Id præcipue provinciæ Macedoniæ datum, quod cum alterius consulis legionibus quina millia, & duceni equites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedonia sena millia peditum scribi jussa, equites treceni æqualiter in singulas legiones:* item: *In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia, equites Rom.* CCL. *socios* CCC. *veteres milites dimissos, ita ut in singulas Romanas legiones ne plus sena millia peditum,* CCC. *equites essent. Alteri consuli nullum certum finitum numerum civium Romanorum, quem in supplementum legeret: id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quæ quina millia peditum & ducenos haberent, equites trecenos. Peditum Latinorum majorem, quam collegæ decretum numerum, peditum X. millia, &* DC. *equites. quatuor præterea legiones scribi jussas, quæ, si quo opus esset, educerentur. In Hispaniam tria millium peditum Romanorum in supplementum,* CCC. *equites decretos. Finitum ibi quoque in legiones militum numerum, peditum*

quinta millia, trecenos & XXX. equites: & post; *exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam consulem jussum, neque in ea provincia plus quam duas legiones esse, eas repleri, ut sena millia peditum, trecenos haberent etiam equites.* Ex quibus locis satis intellectum puto, senum millium numerum adhuc nisi extra ordinem non esse decretum. Nam Polybius etiam, qui post bellum Persicum P. Æmyliano vixit, legiones conscribi memoria sua ex quinis millibus peditum, & trecenis equitibus rettulit. & Festus C. Marium primum legionem sex millium conscripsisse testatur. quod non senatus decreto, sed imperatoris consilio factum ostendit Sallustius, cum ait; *Igitur Marius cum aliquanto majore numero, quam decretum erat, in Africam profectus.* Unde legio sex millium fuisse a multis traditur, quod hic maximus ejus numerus stante rep. fuerit. Atque de magnitudine quidem legionis hæc hactenus.

Observatum est præterea, in legione nisi ingenuos, & ex ingenuis nisi juniores, & ex junioribus nisi qui in quinque classibus censerentur, & ludicræ artis expertes essent, ordine non esse centuriatos. ex quo sequitur servos, libertinos, pueros, seniores, capite censos, & histriones, si quando ad arma vocati sunt, non nisi cogente necessitate, in dubiis rebus reip. esse vocatos. Id quod ex annalibus Livii facile intelligetur; ut bello Punico: *Q. Fulvius, Ap. Claudius consules, cum ægre delectum conficerent, quod inopia juniorum non facile in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat, senatus absistere eos incœpto vetuit, & triumviros binos creari jussit, alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis, forisque, & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent, & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum ætate militari essent, facerent. Tribuni pl. si iis videretur, ad populum ferrent, ut qui minores septem, & decem annis sacramento dixissent; iis perinde stipendia procederent, ac si septem, & decem annorum, aut majores milites facti essent. ex hoc S. C. triumviri bini conquisitionem ingenuorum per agros habuerunt.* & L. Valerio quartum, M. Camillo, M. Aimilio tribunis militum consulari potestate: *Omnium primum tribunis militum datum fuit delectum haberi: nec juniores modo conscripti, sed seniores etiam coacti nomina dare, ut urbis custodiam agerent.* & bello Samnitico, Etrusco; *Senatus justitium indici, delectum omnis generis hominum haberi jussit, nec ingenui modo, aut juniores sacramento adacti sunt, sed seniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati.* & Punico bello: *Et aliam formam novi delectus inopia liberorum capitum, ac necessitas dedit. octo millia juvenum validiorum ex servitiis, prius sciscitantes singulos, vellent militare, empta publice armaverunt.*

Quoniam autem mos, ut opinor, increbuerat, ut minores annis septemdecim aliquando scriberentur; propterea C. Gracchus in tribunatu legem, teste Plutarcho, tulit, ne quis ante annum decimum septimum ad militiam cogeretur, qua ætate qui conscribebantur, tirones; ut contra, qui legitima omnia vel certe plurima stipendia confecerant, veterani dicebantur. Ut autem ceteros extra ordinem militare coactos, sic etiam tenuissimum hominum genus, capite censos aliquando esse conscriptos animadvertimus. id autem a C. Mario factum est, de quo ita Sallustius: *Marius milites scribere non more majorum, neque ex classibus, sed uti cujusque libido erat, capite censos plerosque. Id factum alii inopia bonorum, alii per ambitionem consulis memorabant, quod ab eo genere celebratus, auctusque erat; & homini potentiam quærenti egentissimus quisque opportunissimus.* Quibus ex locis apparet, ingenuos tan-

A tum, eosque juniores ordine, reliquos vero extra ordinem militasse.

Nunc illud addo, neque ingenuos omnes fuisse conscriptos, siquidem histriones omnes præter Attellanos a stipendiis militaribus repulsos libro VII. tradidit Livius. Neque vero hi solum extra ordinem, sed qui emeritis etiam erant stipendiis, sæpe ad arma vocati sunt. hos enim, scribit Sallustius, Marium ambiendo secum proficisci coegisse. Emeritis autem stipendiis dicebantur, qui legitima stipendia confecerant omnia. legitima vero stipendia equiti decem annorum fuerunt, pediti sex, aut, si honores petere vellet, decem, intra annum decimum

B sextum, & quadragesimum septimum ætatis ex lege necessario conficienda, quod Polybius aperte scribit, & lex Tullia indicat, quæ juniorum ætatem annis triginta definivit, quos militare coegit. Quo spectans Sallustius, Cæsarem dictatorem admonet, ut videat, ne uti adhuc militia injusta, aut inæqualis sit, cum alii triginta, pars nullum stipendium faciat. Qui vero emeritis stipendiis rursus militare cogebantur, ii, auctore Dione, Evocati dicebantur. Atque de eorum quidem, qui in legione militarent, generibus hactenus disputatum sit. nunc de ipsa conscribenda legione dicamus.

C Designatis consulibus, ut scribit Polybius, tribunos militum quatuor, & viginti legebant: quatuor quidem, ac decem ex iis, qui stipendia quinque haberent; decem vero ad hos, qui decem. Creatis tribunis cum delectum habituri consules erant, diem edicebant, qua omnes militari ætate præditos convenire oporteret. quæ ubi advenit, omnes in Capitolium coibant. Tum juniores tribuni jussu populi, imperatorumve quatuor in partes distribuebantur. ac qui primi lecti erant; primæ legioni præficiebantur; tres qui deinceps, secundæ; quatuor subsequentes tertiæ; tres ultimi quartæ. ex iis autem, qui natu grandiores erant, duos pri-

D mos præponebant, tres secundos secundæ, duos subsequentes tertiæ, tres ultimos quartæ. Hac divisione facta, singuli tribuni seorsum sedentes tribus sigillatim sortiebantur, eamque quæ sorte exierat, citabant. unde juniores quatuor ætate, & corporis habitu similes excernerent. quibus prodeuntibus, primum primæ legionis tribuni, deinde secundæ, inde tertiæ, postremo quartæ, atque ita deinceps cooptabant. Ubi vero certum numerum fecerant, (erat autem, ut dixi, modo quatuor millium ac ducentorum, modo quinque millium, si durior esset fortuna reipub.) tum equites designabant. quos olim post pedites, inde vero ante pedi-

E tes legere cœperunt, quod ex censu a censoribus legerentur, ac trecenos singulis legionibus adjiciebant. Hac descriptione perfecta, tribuni suos quisque in suas legiones vocantes, unum ex omnibus maxime idoneum lectum, jurejurando obstringebant, se, quoad posset, mandata ducum executurum. inde reliqui omnes procedentes, singuli se omnia facturos in verba primi jurabant. Quo facto, indicto militibus ad conveniendum loco, eos dimittebant.

Hæc fere Polybius sua ætate observata refert. quæ cum ipsius auctoritate, quæ summa est, tum

F vero aliorum etiam scriptorum, quorum monumenta contemnere nec possumus, nec debemus, satis certo testimonio video supra illius ætatem etiam observata: Livius libro II. *Dimisso senatu consules in tribunal ascendunt, citant nominatim juniores. cum ad nomen nemo responderet.* libro IV. *Delectum haberi non ex toto passim populo placuit, decem tribus sorte ductæ. ex his scriptos juniores duo tribuni ad bellum duxere.* libro VII. *Acerbitas in delectu non damno modo civium, sed etiam laceratione corporum lata, partim virgis cæsis, qui ad nomina non respondissent, partim in vincula ductis,*

invisa erat. libro XLII. *Delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque, & multi voluntate nomina dabant. quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello, aut adversus Antiochum in Asia stipendia fecerant cum tribuni militum centuriones, sed primum quenque citarant, tres, & viginti centuriones; qui primos pilos duxerant citati tribunos plebis appellarunt*. Minoris multæ ratio in hoc genere fuit, ut inquit Varro apud Gellium: *M. Terentio quando citatus neque respondit, neque excusatus est, ego ei ovem unam multam dico*. Item, ut inquit Cato: *Imperator, si quis extra ordinem depugnatum ivit, ei multam facit*; majoris hæc, de qua Valerius; *M. Curius consul cum subitum delectum edicere coactus esset, & juniorum nemo respondisset, conjectis in sortem omnibus, Polliæ, quæ proxima exierat, primum nomen urna extractum citari jussit, neque eo respondente bona adolescentis hastæ subjecit*. Festus: *In delectu primi vocabantur boni nominis, ut Salvius, Valerius, Statorius*. Cicero de divinatione: *In delectu consules observant, ut primus miles fiat bono nomine*.

Atque hæc quidem de citandis, conscribendisque militibus exempla satis sint. de militari vero sacramento hæc, ut opinor, erunt, quæ dicentur. cujus formulam animadvertimus apud Gellium hanc fuisse, ab eo ex libro Cincii de re militari quinto relatam: *Cum delectus antiquitus fieret, & milites scriberentur, in jusjurandum eos tribunus militaris adigebat, hoc modo: In magistratu C. Lelii C. F. consulis, L. Cornelii P. F. consulis, in exercitu, decemque millia passuum prope furtum non facies dolo malo, solus, neque cum pluribus, pluris nummi argentei in dies singulos. extra hastam, hastile, ligna, pabulum, utrem, follem, faculam, si quid ibi inveneris, sustulerisve, quod tuum non erit, quod pluris nummi argentei erit, uti tu ad C. Lælium, C. F. Consulem, Luciumve Cornelium P. F. Consulem, sive ad quem eorum alter jusserit, perferas: aut profitebere in triduo proximo, quicquid inveneris, sustulerisve dolo malo; aut domino suo, cujum id censebis esse, reddes uti, quod recte factum esse voles. deinde ita concipiebatur jusjurandum, ut adessent, his additis exceptionibus, nisi harumce aliqua caussa fuerit, funus familiare, feriæ denicales, Kalendæque, quæ non ejus rei caussa in eum diem collatæ sint, quo is eo die minus ibi esset, morbus sonticus, auspiciumve, quod sine piaculo præterire non licet, sacrificiumve anniversarium, quod recte fieri non posset, nisi ipsius eo die ibi sit, jus, hostisve, status, condictusve dies cum hoste. sicui eorum harumce quæ caussa erit, tum se postridie, quam per eas caussas licebit, eo die venturum aditurumque eum qui eum pagum, vicum, oppidumve delegerit*. Hæc apud Gellium. unde Livius libro VII. *Dictator omnes juniores nullo detrectante militiam sacramento adegit*. & libro IX. *Is prout rei magnitudo postulabat, omnes juniores sacramento adegit*. &: *Romamque is metus manavit, adeo ut omnes juniores sacramento adigerent*. Quantum autem vis habuerit militare sacramentum, & ut sine sacramento pugnari cum hoste more majorum haud licuerit, ostendit multis verbis Cicero in primo de officiis. cujus memorabile illud hoc loco non prætereo: *P. Æmilius imperator tenebat provinciam, in cujus exercitu Catonis filius tiro militabat. Cum autem P. Æmilio videretur unam dimittere legionem, Catonis quoque filium, qui in eadem legione militabat, dimisit. sed cum amore pugnandi in exercitu remansisset, Cato ad P. Æmilium scripsit, ut si eum pateretur in exercitu remanere, secundo eum obligaret militiæ sacramento*. Quid quod sæpe novo etiam jurejurando milites esse adactos, docet Livius? ut bello Punico Paulo & Varrone coss. *Milites*, inquit, *tunc quod nunquam antea fa-*

A *ctum erat, jurejurando a tribunis militum, jussu consulum conventuros, neque injussu abituros. nam ad eam diem nihil præter sacramentum fuerat. & ubi ad decuriatum, aut centuriatum convenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites conjurabant, sese fugæ atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi, aut petendi, aut hostis feriendi, aut civis servandi caussa. id ex voluntario inter ipsos fœdere a tribunis ad legitimam jurisjurandi adactionem translatum*. Huc etiam sine dubio referendum est, quod extat in commentario Serviano ad VIII. Æneidos, tria fuisse militiæ genera, sacramentum, conjura-B tionem, & evocationem. Sacramentum eorum, qui singuli jurabant, pro republica se esse facturos, nec discedebant, nisi confectis stipendiis; conjurationem, si esset tumultus, id est, bellum Italicum vel Gallicum. quo tempore quia singulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roseum, quo pedites evocabat, alterum cæruleum, quo equites, dicebat: qui vult salvam remp. me sequatur, & qui convenissent, simul jurabant, unde dicebatur ista militia conjuratio; unde libro XLV. scripsit Livius: *Senatusconsultum factum, ut consul,* C *quos præter milites, sociosque navales conjuratos haberet, dimitteret*. Evocationem, cum ad diversa loca diversi propter cogendos mittebantur exercitus. Neque vero ab hoc loco aliena est lex sacrata militaris C. Marcio, Q. Servilio coss. lata, cujus meminit Livius libro VII. *Ne cujus militis scripti nomen nisi ipso volente deleretur*.

De indicendo autem ad conveniendum die Livius: *Inde de exercitibus ita decretum est, ut duabus legionibus urbanis Ti. Sempronius Consul Cales ad conveniendum ediceret*. Item: *His per magistrum equitum scriptis diem Tibur ad conveniendum edixit*.

Ut autem conscribendorum militum, sic etiam D dimittendorum diligens observata ratio est. missionum vero genera fuerunt duo, honesta & caussaria. Honesta fuit eorum, quibus justa militiæ vacatio esset: caussaria, quibus necessaria. Justa est, cum quis aut legitima confecit stipendia, aut major est annis quinquaginta. Necessaria cum aut morbo, aut imbecilla valetudine impeditus in castris esse non potest. Utriusque aptissima proferam exempla. Livius libro VII. *Consul educto in æstiva milite exercitum purgare missionibus turbulentorum hominum instituit: aliis emerita dicendo stipendia esse, alios graves jam ætate, aut viribus parum validos*. & lib. E quadragesimo secundo, apud eundem ita veteranus miles loquitur, Sp. Ligustinus: *Viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, & major annis sum quinquaginta. quod si mihi nec stipendia omnia emerita essent, nec dum ætas vacationem daret, tamen cum quatuor milites pro me uno dare possem, æquum erat, me dimitti*. & post: *Senatum veteres centuriones quamplurimum ad id bellum scribere censuisse, nec ulli, qui non major annis quinquaginta esset, vacationem militiæ esse*. & libro vigesimo quarto: *Nomina omnium ex juniorum tabulis excerpta, qui quadriennio non militassent, quibus neque vacatio justa militiæ, neque morbus caussa fuis-*F *set*. Præter has fuerunt aliæ quoque vacationes extra ordinem gratiæ caussa, vel a senatu, vel ab imperatoribus datæ. a senatu, ut idem libro XXXIX. *Senatusconsultum factum est, ut consul cum tribunis plebis ageret, ut P. Æbutio emerita stipendia essent; ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret*. & lib. vicesimo tertio: *Prænestinis militibus senatum duplex stipendium, & quinquennii vacationem decrevit*. & Cicero de natura deorum: *P. Vatienus agro a senatu, & vacatione donatus*. ab imperatore. ut illud in epitoma Liviana LV. *Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent,*

milites eximere liceret, consules in carcerem ducere jusserunt. Mitto commeatus, quos in castris pro arbitratu imperatores, vel domus revisendæ, vel negotii privati gerendi caussa petentibus militibus concesserunt. quibus quoniam nihil in hoc genere potest esse vulgatius, de iis neminem puto expectare, dum scribam. Quin etiam senes, & sacerdotes perpetuam militiæ vacationem habuisse, excepto Gallico tumultu, memoriæ prodidit Appianus in secundo, & Plutarchus in Camillo. Qua ratione ductus Cicero in octava in Antonium, gravius esse tumultum, quam bellum, hinc intelligi posse conclusit, quod bello Gallico vacationes valerent, tumultu non valerent. Ut autem sacerdotum, & senum vacatio tumultu Gallico infirmata est, sic aliis etiam tumultibus aliæ. unde scripsit libro VII. Livius: *Quod per magnos tumultus fieri solitum erat, justitio indicto delectus sine vacationibus habitus est.* & libro octavo: *Mamercinus consul, cui Gallicum bellum evenerat, scribere exercitum sine ulla vacationis venia jussus.* & libro quarto: *Cognitio vacantium militiæ munere post bellum differtur.* & libro sexto: *Tertius exercitus ex caussariis, senioribusque scribatur.* Est autem memorabile illud, vacationes has a censoribus fuisse cognitas. quod ostendit idem libro quadragesimo tertio, cum de censoribus verba faciens, ait: *In censu accipiendo populi milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant. caussas stipendiis missorum cognoscebant, & cujus nondum justa missio visa esset, ita jusjurandum adigebant:* EX TUI *animi sententia, ex edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum in provinciam Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?*

Diximus de vacationibus militum, nunc de præmiis eorundem dicamus. præmia autem voco munera militaria, cohortis prætoriæ communionem, stipendium, prædam, & dona imperatoria. Munera militaria appello, ut centuriatus, & præfecturas. de quibus post commodius in libro de jure provinciarum. Quod autem ad cohortem attinet, intelligendum est, si legio nemini, nisi civi Romano, patuit, multo minus cohortem prætoriam nisi civi Romano fuisse permissam. ex qua qui fuisset, in beneficiis ab imperatore ad ærarium deferretur. quod pro certo civitatis argumento attulit Cicero pro Archia. *Is temporibus*, inquit, *quæ tu criminaris, ne ipsius quidem judicio in civium Romanorum jure esse versatum, in beneficiis ad ærarium delatus est a L. Lucullo prætore, & consule.* Quocirca ad Verris contumeliam dixit idem in frumentaria, Verrem ipsum prætorem e cohorte sua Artemidorum medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum, & ejusmodi recuperatores dedisse, quorum nemo civis Romanus erat. Stipendium neque ab initio urbis milites Romani meruerunt, neque eodem anno equites, quo pedites, acceperunt. peditibus enim datum est anno urbis trecentesimo quadragesimo septimo, Anxure Volscorum oppido capto, ac direpto, equitibus anno trecentesimo quinquagesimo, bello Vejenti. De utroque instituto verba ipsa Livii recitabo. de peditibus: *Additum omnium maxime tempestivo principium in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis, tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* de equitibus vero: *Clade ad Vejos accepta, mœstis patribus, repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt. equis suis stipendia facturos promittunt. Inde ad curiam concursus fit plebis. pedestris ordinis se ajunt nunc esse, operamque reipubl. se extra ordinem polliceri. Gratiis a senatu actis placuit, omnibus voluntariam extra ordinem professis militiam æra procedere. & equiti certus numerus æris est assignatus. tum primum equis merere equites cœperunt.* Itaque libro vicesimo tertio, Punico bello, ait, senatum decrevisse, ut eo anno duplex tributum imperaretur, simplex confestim exigeretur, ex quo stipendium præsens omnibus militibus daretur, præterquam qui milites ad Cannas fuissent. & libro vicesimo septimo, eodem bello illis omnibus equos ademptos, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant; addidisse acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Stipendium porro militare quantum fuerit, haud proclive dictu existimo. Polybius enim diurnum peditis quæstum obolos duos statuit, centurionis duplex, equitis drachmam, quæ eadem est fere apud Græcos, ac denarius apud Romanos. an vero ille ὀψώνιον (hac enim voce utitur) pro integro stipendio accipiat, parum liquet. Quod si postremorum temporum consuetudine, quæ sunt antiquissima, metiamur, diurnum peditis Romani stipendium fuisse denarium statuemus. Nam apud Tacitum libro primo post obitum Augusti ita miles quidam gregarius Percennius loquitur: *Enimvero militiam ipsam gravem, infructuosam, denis in diem assibus animam, & corpus æstimari. hinc vestem, arma, tentoria, hinc sævitiam centurionum, & vacationes munerum redimi.* Denarius autem decem assibus æstimatus est. atque semper in militari stipendio pro decem assibus datus est, quamvis bello Punico secundo placuisset, ut sexdecim assibus permutaretur. quod scriptum est apud Plinium libro XXXIII. Illud autem non habuit dubitationem, quin centurionis stipendium fuerit duplex, equitis triplex. cujus rei cum Polybius testis est, eo, quem protuli, loco, tum etiam Livius. primum, qui anno urbis trecentesimo quinquagesimo quarto triplex stipendium equitibus a Cn. Cornelio tribuno militum consulari primum datum scribit, deinde qui postea id, ut jam vulgo factitatum, commemorat. *Æque impotens*, inquit, *postulatum fuit, ut de stipendio equitum (merebant autem triplex ea tempestate) æra demerentur, quod adversati conjurationi fuissent.* Adjicit Polybius, frumentum, vestes, arma sæpe militibus data, detracta tamen a quæstore ex diurna mercede rata pecuniæ summa. Quare adductus C. Gracchus tribunus pleb. homo inter ceteros plebis Romanæ studiosissimus, legem tulit, teste Plutarcho, ut testes militibus darentur, nec quicquam propterea de stipendio minueretur. Animadvertimus etiam, prædam ex hostibus captam, partim ab imperatore in publicum relatam, partim militibus donatam. quin etiam sæpenumero evenisse, ut imperatoribus ipsis ob eam aut maligne divisam, aut alio modo interceptam dies ad populum dicta sit. Dona vero militaria erant, quæ militibus singulis virtutis ergo ab imperatore triumphaturo dabantur, ut coronæ, quarum multa erant genera, civicæ, murales, obsidionales, castrenses, aureæ, rostratæ, ut torques, armillæ, hastæ puræ, phaleræ, cornicula, & cetera generis ejusmodi. erant etiam, quæ universis, ut pecunia. de coronis notum est illud Gellii de Sicinio Dentato, qui vixit ante decemviros: *Is pugnasse in hostem dicitur centum, & viginti præliis. cicatricem aversam nullam, adversas quinque & quadraginta tulisse. coronis esse donatum aureis octo, obsidionali una, muralibus tribus, civicis quatuordecim, torquibus tribus & octoginta, armillis plus centum sexaginta, hastis duodeviginti, phaleris item donatus est quinquies, viciesque.* quin etiam apud Livium scriptum est, L. Papirium consulem equites omnes ob egregiam in bello operam donasse corniculis, armillisque argenteis. & bello Persico, Sp. Ligustinus apud populum gloriatur, se quater & vicies virtutis caussa ab imperatoribus esse donatum, sex civicas coronas accepisse, viginti duo

stipendia in exercitu emerita habere. Adde quæ de Augusto rettulit Suetonius: *Dona militaria aliquanto facilius phaleras, & torques, quicquid auro, argentoque constaret, quam vallares, & murales coronas, quæ honore præcellerent, dedisse; has quam parcissime, & sine ambitione, & sæpe etiam caligatis tribuisse. M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donasse.* Sed de coronis militaribus quæ fuerint, ac quam ob caussam singulæ datæ sint, cum satis Polybius libro sexto, Gellius libro quinto, Zonaras libro secundo tradiderint, ut in re satis eorum sermone nota, ac pervulgata non consumam tempus exemplis. Imperatores autem ante triumphum pecuniam militibus consuevisse dividere, Livianis verbis confirmabo, libro vicesimo octavo: *Pecuniam in ærarium tulerunt sestertium tricies octoginta millia æris. M. Livius militibus quinquagenos senos asses divisit. tantundem C. Claudius absentibus militibus suis est pollicitus, cum ad exercitum rediisset.* & sequenti libro: *P. Scipio triumpho omnium clarissimo urbem est invectus. argenti tulit in ærarium pondo centum millia, militibus ex præda quadragenos divisit.* & libro tricesimo quarto: *Milites sequuti currum frequentes. his duceni quinquageni æris in pedites divisi; duplex centurioni, triplex equiti.* & libro tricesimo septimo: *Militibus quini viceni denarii dati, duplex centurioni, triplex equiti. & stipendium militare, & frumentum duplex post triumphum datum.* & libro quadragesimo secundo: *Militibus proconsules denarios quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti diviserunt.*

Ut autem præmia, sic animadversiones etiam multæ in militem Romanum fuerunt. atque earum quidem aliæ leniores, aliæ acerbiores. Non enim ut in urbe lex Porcia cives Romanos a magistratuum virgis, & securibus, sic etiam in castris vindicavit. aliam enim disciplinam militarem esse voluerunt, aliam urbanam; itemque alium ad parendum terrorem exercitui, alium populo esse propositum. si quidem ab imperatoris imperio nulla erat provocatio. Lenis autem animadversio fuit, quæ ignominiam tantum inussit, ut ignominiose dimitti, stipendio legitimo spoliari, hastam dare, tendendi locum mutare, extra oppidum hibernare, cibum stantem capere, fossam fodere, discinctum destitui, hordeo pasci, sanguinem mitti. Gravior, quæ detrimentum intulit, ut virgis cædi, venire, fuste & securi percuti, decimari, in crucem tolli. quarum omnium exempla, quam maxime idonea poterimus, referemus. De ignominiosa dimissione exemplum est apud Hirtium, bello Africo: *Cæsar de suggestu convocatis omnium legionum tribunis centurionibusque, C. Aviene, inquit, quod in Italia milites populi Romani contra rempubl. instigasti, rapinasque per municipia fecisti, ignominiæ caussa ab exercitu meo te removeo.* De fraudatione stipendii satis notum est. hinc enim ære diruti appellabantur, teste Nonio, milites, quibus propter ignominiam stipendium, id est, merces menstrualis, aut annua, quæ esset in nummis æris, subtrahebatur. Unde Varro de vita populi Romani: *Stipendium appellabatur, quod æs militi semestre, aut annuum dabatur; cui datum non sit propter ignominiam, ære dirutus esset.* & Livius libro XL. *Caussa ignominiæ, uti semestre stipendium in eum annum esset, ei legioni decretum.* Ære dirutum autem militem ab antiquis dictum tradit Festus, cui stipendium ignominiæ caussa non erat datum, quod æs diruebatur in fiscum, non in militis sacculum. & idem alio loco: *Resignatum æs dicitur militi, cum ob delictum aliquod jussu tribuni militum, ne stipendium ei detur, in tabulas refertur.* De hasta danda idem in hunc modum: *Censio hastaria dicebatur, cum militi multæ nomine ob delictum militare indiceba-*

A

tur, quod hastas daret. De mutando tentorii loco narrat Polybius, quos ignominia afficere voluerint, eos extra castra tendere jussos. unde apud Livium lib. XXV. Cannenses milites queruntur ita: *Nunc deteriore conditione sumus, quam apud patres nostros fuerunt captivi; quippe illis arma tantum, atque ordo militandi, locusque in quo tenderent in castris, est mutatus, quæ tamen semel navata reip. opera, & uno felici prælio recuperarunt.* De hibernis Livius libro vicesimo sexto: *Additum utrorumque ignominiæ, ne in oppidis hibernarent, neve hiberna propius ullam urbem decem millibus passuum*

B

ædificarent. De cibo libro vicesimo quarto: *Nomina eorum qui detrectatæ pugnæ memores secessionem paulo ante fecerunt, referri ad me jubebo: citatosque singulos jurejurando adigam, nisi quibus morbus caussa erit, non aliter, quam stantes cibum, potumque, quoad stipendia facient, capturos esse.* De fodiendo auctor est Plutarchus in Lucullo, antiquum militaris ignominiæ genus fuisse, ut tunicis interioribus solutis, fossam fodere inspectante reliquo exercitu cogerentur. De reliquis Livius libro vicesimo septimo: *Cohortibus, quæ signa amiserant, hordeum dari jussit, centurionesque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gla-*

C

diis discinctos destituit. Hordeum item pro tritico ignominiæ caussa datum narrat Polybius. De mittendo autem sanguine sic Gellius: *Fuit hæc quoque antiquitus militaris animadversio, jubere ignominiæ caussa militi venam solvi, & sanguinem dimitti. cujus rei ratio in litteris veteribus, quas equidem invenire potui, non extat. sed opinor hoc factum primitus in militibus stupentis animi, atque a naturali habitu declinantis, ut non tam pœna, quam medicina videretur. postea tamen ob pleraque alia delicta idem factitatum esse credo per consuetudinem, quasi minus sani viderentur omnes, qui delinquerent.* Quocirca scriptum est etiam apud Fron-

D

tinum, M. Catonem memoriæ prodidisse, in furto deprehensis inter commilitones dextras esse præcisas, aut si lentius animadvertere voluissent, principi sanguinem missum. De gravioribus autem ceteris hæc erunt documento. Livius de Scipione disciplinam militarem ad Numantiam corrigente: *Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus; si extraneus, fustibus cæcidit.* & alibi: *P. Nasica, & D. Bruto coss. delectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est. Nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset, damnatusque sub furca diu virgis cæsus est,*

E

& sestertio nummo veniit. & Cicero tertia in Antonium: *Si consul ille, fustuarium meruerunt legiones, quæ consulem reliquerunt.* Fuste autem cædebantur, auctore Polybio, hoc pacto; Accepto fuste tribunus vix tantum attingebat damnatum. quod ubi factum erat, omnes, qui in castris erant, cædentes fustibus, lapidibusque plerosque in ipsis castris conficiebant. at si qui evasissent, ne sic quidem servari poterant. quippe quibus neque in patriam redire liceret, neque a propinquis domum recipi possent. Antiquissimum porro decimationis exemplum invenio apud Livium, ab Ap. Claudio

F

consule, ferocissimi ingenii viro, nescio an primum editum, non multis post reges exactos annis. cujus etiam libet verba apponere: *App. Claudius consul advocata concione invectus haud falso in proditorem exercitum militaris disciplinæ, desertorem signorum, ubi signa, ubi arma essent singulos rogitans, inermes milites, signo amisso signiferos, ad hoc centuriones, duplicariosque qui reliquerant ordines, virgis cæsos securi percussit, cetera multitudo, decimus quisque ad supplicium lecti.* Rationem autem hujus exequendi imperii cum Polybius libro VI. tum Livius exponit, ubi de Scipione pœnas de

seditioso exercitu apud Sucronem repetente scribit, & quidem ita: *Praeconis audita vox citantis nomina damnatorum in consilio. nudi in medium protrahebantur. & simul omnis apparatus supplicii expromebatur. deligati ad palum, virgisque caesi, & securi percussi.* Cur autem decimatio instituta sit, rationem reddit noster ille elegantissime in Cluentiana. *Statuerunt*, inquit, *ita majores nostri, ut si a multis esset flagitium rei militaris admissum, sortitione in quosdam animadverteretur, ut metus videlicet ad omnes, poena ad paucos perveniret. nam miles, qui locum non tenuit, qui hostium impetum, vimque pertimuit, potest idem postea & civis esse melior, & vir bonus, & civis utilis. quare ne in bello propter hostium metum delinqueret, amplior ei mortis, & supplicii metus est a majoribus constitutus. ne autem nimium multi poenam capitis subirent, idcirco illa sortitio comparata est.* De cruce Livius libro tricesimo: *De perfugis gravius, quam de fugitivis consultum. Nominis Latini qui erant, securi percussi, Romani in crucem sublati sunt.* Atque haec quidem militarium animadversionum genera sunt, quae usque ad extrema etiam penetrasse reip. tempora, satis idoneus testis est Suetonius, cum inquit de Augusto: *Cohortes, si quae cessissent loco, decimatas hordeo pavit. centuriones statione deserta itidem, ut manipulares capitali animadversione punivit. pro cetero delictorum genere variis ignominiis affecit, ut stare per totum diem juberet ante praetorium; interdum tunicatos, discinctosque nonnunquam cum decempedis, vel etiam cespitem portantes.* Sed de jure veteris Romanae militiae hactenus.

CAP. XVI.

De jure tributorum, & vectigalium.

ALTERA census commoditas est tributum, quod ex censu a cive Rom. conferebatur. de quo mihi hoc loco, ut etiam de vectigalibus, intelligo nonnihil esse dicendum. Omnis pecunia, quae a cive Romano publice pendebatur, fere aut tributi nomine pendebatur, aut vectigalis. Tributum, inquit Varro, erat pecunia populo imperata, quae tributim a singulis pro portione census exigebatur. Vectigal ea pecunia, quae alio quocunque nomine exigebatur.

Ceterum tributorum, ut ait Festus, tria genera fuerunt. unum, quod in capita; alterum, quod ex censu collatum est; tertium, quod extra ordinem imperatum, idque temerarium dictum. Ac ante Servium quidem regem tributum conferri in capita consuevit, adeo ut cum regi pecunia opus esset, aequo pauperes, ac divites onere tributi premeret; ut auctor est in Servio Dionysius. sed eam consuetudinem omnino immutavit Servius. Etenim qui censum instituit, idem etiam tributi aequaliter ex censu conferendi rationem inivit. id quod scriptum extat apud Livium: *Quadrifariam*, inquit, *urbe divisa, regionibus, collibusque, quae habitabantur partes, tribus appellavit, ut ego arbitror, ab tributo. nam ejus quoque aequaliter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.* Superbus autem rex antiquum institutum, Serviano neglecto, rettulit, atque pro capite cujusque denarios decem, Dionysio teste, exegit. Superbo vero urbe excluso, tributorum collationem, quam Servius intulerat, una cum ceteris ejus institutis relatam esse crediderim. me vero in hanc opinionem adducit Plutarchus, qui de Poblicola consule, anno post reges exactos, ita scribit: *Quoniam cives ex bonis suis pecunias in bellum conferre oportebat, Poblicola*

A *consul, quod eam curationem nec ipse attingere, nec amicis committere vellet, nec omnino in domum privati cujusquam pecunias publicas pervenire, in aede Saturni aerarium constituit, quaestoresque duos populo creandos concessit. creati M. Minucius, P. Veturius. & pecuniarium magna vis exacta est. centum enim & triginta millia redegerunt, viduis, & pupillis collatione tributorum remissa.* Adde, quod Livius II. anno ab exactis regibus plebem tributo exolutam ait, ut divites conferrent, qui oneri ferendo essent. & Dionysius tertio anno decretum scribit, ut pauperes omnium vectigalium vacationem haB berent, quae regibus pependissent, neque in bellum quicquam conferrent. satis enim esse, si ipsi pro rep. militarent. Unde apud eum Appius consul, anno urbis ducentesimo quinquagesimo nono, in sententia dixit, plebem nimis multa postulare, postquam regiis tributis esset relaxata. Plebem autem hoc loco intelligamus oportet homines rei familiaris angustiis impeditos, quorum major pars e plebe erat. siquidem eodem anno de quodam plebeio tributum conferente ita loquitur Livius: *Magno natu quidam cum omnium majorum suorum insignibus se in forum projecit. obsita erat squallore vestis, foedior corporis habitus pallore, ac macie peremC pti. ad hoc prolixa barba & capilli efferaverant speciem oris. noscitabatur tamen in tanta deformitate, & ordines duxisse ajebant; aliaque militiae decora vulgo miserantes eum jactabant. ipse testes honestarum aliquot locis pugnarum cicatrices adverso pectore ostentabat. Sciscitantibus unde ille habitus, unde deformitas, cum circumfusa turba esset prope in concionis modum, Sabino bello, ait, se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, aes alienum fecisse.* Hunc ergo hominem quanquam e plebe tamen inter divites referre debemus. D quod agrum habuerit, quodque tributum contulerit, ut eos etiam, de quibus loquitur Dionysius, K. Fabio, T. Virginio coss. anno CCLXXIV. cum ait, aerarium continuis bellis exinanitum, privatos tributo conferendo exhaustos fuisse. Hic autem rerum status, nimirum, ut urgente necessitate tributum imperaretur, civitatem obtinuisse usque ad annum, CCCXLIX. videtur. quo anno senatus consulto provisum est, ut plebi, quae eousque suis sumptibus meruerat, stipendium quotannis de publico numeraretur. quo facto coacti omnes sunt tributum ex censu quotannis in stipendium militare conE ferre. Qua de re sic Livius libro quarto extremo: *Additum omnium maxime tempestive principum in multitudinem munere, ut ante mentionem ullam plebis, tribunorumve decerneret senatus, ut stipendium miles de publico acciperet. cum ante id tempus de suo quisque functus eo munere esset.* & infra: *Igitur indicto tributo edixerunt tribuni, auxilio se futuros, si quis in militare stipendium tributum non contulisset. patres bene coeptam rem perseveranter tueri, conferre ipsi primi, & quia nondum argentum signatum erat, aes grave plaustris quidam ad aerarium convehentes speciosam etiam collationem faciebant. cum senatus summa fide ex censu contulisset, primores plebis, nobilium amici ex composito conferre* F *incipiunt. quos cum & a patribus collaudari, & a militari aetate, tanquam bonos cives conspici, vulgus hominum vidit, repente spreto tribunicio auxilio, certamen conferendi est ortum.* Hinc ergo institutum opinor, ut ab omnibus tributum ex censu in bellum quotannis ex ordine exigeretur. Quod tamen primis illis temporibus per tribunos plebis saepe impeditum, ut etiam delectum, & comitia, liquet. quemadmodum triennio post apud eundem: *Romae simul de delectu, simul de tributo conferendo laboratum est.* & infra: *Quantum augebatur civium*

numerus, tanto majore pecunia in stipendium opus erat. eaque tributo conferebatur, invitis conferentibus, qui domi remanebant. & post: *Et cum tributum conferri per tribunos non posset, nec stipendium imperatoribus mitteretur, æraque militaria flagitaret miles, haud procul erat, quin castra quoque urbanæ seditionis contagione turbarentur*. nec multo post: *Tribuni plebis agrariam legem promulgant, tributumque conferri prohibent. cumque ut unus e plebe tribunus militum consulari potestate P. Licinius crearetur, obtinuissent, quod maxime remp. impediebat, de tributo remiserunt. collatum obedienter, missumque ad exercitum est*. & anno CCCLXXVIII. *Conditiones*, inquit, *impositæ patribus, ne quis quoad debellatum esset, tributum daret*. & post: *Tantum abesset spes levandi fœnoris, ut tributo novum fœnus contraheretur in murum a censoribus locatum saxo quadrato faciundum*. Ut autem tributum sæpe a tribunis plebis impeditum, sic contra a senatu aliquando etiam est remissum. ut anno CCCLXI. quo Faliscis in stipendium militum ejus anni, ut populus Romanus tributo vacaret, pecuniam narrat Livius esse imperatam. Et ut idem sæpe remissum, sic propter bellorum magnitudinem justo gravius aliquando imperatum, ut anno DXXXVIII. bello Punico, quo senatus decrevit, ut duplex stipendium præsens omnibus militibus daretur. & sequenti anno, quo consules edixerunt ex S. C. ut qui L. Æmilio, C. Flaminio censoribus millibus æris quinquaginta ipse, aut pater ejus census fuisset, usque ad centum millia, aut cui postea res tanti esset facta, nautam unum daret cum sex mensium stipendio. qui supra centum millia usque ad trecenta millia, tres nautas cum stipendio annuo. qui supra trecenta millia usque ad decies æris, quinque nautas. qui supra decies, septem: senatores octo nautas cum annuo stipendio darent. Unde illa apud eundem eodem in loco: *Tributo sumptus suppeditari. verum cum ipsum tributum conferentium numerum tantis exercituum stragibus imminutum, tum, qui superessent, pauci, si multiplici gravarentur stipendio, alia perituros peste*. Atque hoc quidem tributum ex censu dictum est, cum æqualiter pro ratione census omnes contulerunt.

Fuisse autem & tertium temerarium, Festus auctor est. nimirum cum re cogente omnes quicquid auri, atque argenti habuerunt sine discrimine in ærarium contulerunt; sic enim scribit ille: *Est autem quoddam tributum temerarium, ut post urbem a Gallis captam collatum est. quia proximis quindecim annis alius census non erat. item bello Punico secundo, Valerio Lævino, M. Claudio Marcello coss. cum & senatus, & populus in ærarium quod habuit, detulit*. Quibus verbis temerarium tributum definit, cum temere, atque extra ordinem propter periculi magnitudinem qui habent, quæcunque habent in commune sine discrimine conferunt. Ego vero de tributo post captam urbem collato nihil invenio. de eo vero, quod Lævino, & Marcello coss. anno DXLIII. collatum est, in hunc modum scripsisse Livium video: *Tum Lævinus consul, Ut classem*, inquit, *habeat, quam ornare volumus, populus Romanus privatos sine recusatione remiges dare nobismet ipsis primum imperemus, aurum, argentum, æs signatum omnes senatores crastina die in publicum conferamus. ita ut annulos sibi quisque & conjugi, & liberis, filio bullam, & quibus uxor filiæve sunt singulas uncias auri, pondo relinquant argenti. qui curuli sella sederunt, equi ornamenta, & libras pondo, ut salinum, patellamque deorum caussa habere possint. ceteri senatores libram argenti tantum, æris signati quina millia in singulos patresfamiliæ relinquamus. Ceterum omne aurum, argentum, æs signatum ad triumviros mensarios extemplo deferamus, nullo ante senatusconsulto facto: ut voluntaria collatio, & certamen adjuvandæ reipubl. excitet ad æmulandum animos primum equestris ordinis; dein reliquæ plebis. In hæc tanto animo consensum est, ut gratiæ ultro consulibus agerentur. Senatu inde misso, pro se quisque aurum, argentum, & æs in publicum conferunt, tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse*. Hæc Livius. Quæ cum ita sint, profecto temerarium etiam tributum vocatum est, cum matronæ aurum, & ornamenta sua contulerunt, ut eæ, quæ Veiis captis, cum decimarum nomine, quas Camillus voverat, aurum Apollini Delphico mitti oporteret, neque emendi facultas esset, contulerunt, & quæ post in capta urbe, ut mille pondo auri, quæ Gallis pro obsidione Capitolii dissolvenda debebantur, explerent, in ærarium contulerunt. quorum Livius, & Valerius testes sunt. Quin etiam temerarium illud fuisse crediderim, cum pupillorum, & viduarum pecuniæ sunt collatæ. quod Punico item bello, Fabio & Marcello coss. factum memoriæ prodidit Livius: *Cum hæc*, inquit, *inclinatio animorum plebis ad sustinendam inopiam ærarii fieret, pecuniæ quoque pupillares primo; deinde viduarum cœptæ conferri, nusquam eas tutius sanctiusque deponere credentibus, qui deferebant, quam in fide publica*. Hujus autem temerarii tributi vis ea fere fuit, ut post rep. durissimo bello perfuncta, & locupletato ærario, pecuniæ suæ cuique redderentur, quod bello Punico confecto tribus pensionibus factum esse animadvertimus. sed de temerario tributo satis.

Redeo ad annuum, quod tandem aliquando imperari, aut exigi desitum esse comperio. Hoc autem victoria L. Pauli Macedonica factum est, post annum urbis DLXXXVI. etenim cum ærarium annuis Italiæ, & provinciarum Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniarum vectigalibus, ac quotidianis victoriis, & imperatorum manubiis uberius esset factum, divitias autem L. etiam Pauli de rege Perseo victoria cumulasset, finis tandem tributorum conferendorum est factus. Hoc vero docet optimus antiquitatis omnis auctor Cicero in libris de officiis ita: *Omni Macedonum gaza, quæ fuit maxima, potitus est Paulus. tantum in ærarium pecuniæ invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum*. quem sequutus credo Plinius libro XXX. scripsit: *Intulit & Æmilius Paulus, Perseo rege Macedonico devicto, prædam pondo trium millium. a quo tempore populus Romanus tributum pendere desiit*. Antias certe, teste Livio, & eum sequutus Velleius ducenties millies ab eo in ærarium tradidit esse invectum. Nam quod narrat Plutarchus, tantam pecuniam a Paulo esse illatam, ut populus Rom. usque ad consulatum Hirtii, & Pansæ tributo conferendo vacarit, ut verum esse possit, non video. primum enim invenio apud Orosium, bello Marsico adeo exinanitum continentibus sumptibus ærarium fuisse, ut loca, quæ circum Capitolium pontificibus, auguribus, decemviris, & flaminibus fruenda erant data, publicæ pecuniæ inopia venierint; & modicam pecuniæ summam, qua ad tempus respub. sublevaretur, esse redactam; deinde vix verisimile puto ærarium ullum tam refertum, atque opulentum esse potuisse, ut immoderatæ Cinnæ, aut Marii, aut Sullæ dominantium, atque assiduis bellis civilibus rempublicam perturbantium libidini, avaritiæque suffecerit. Sylla certe mortuo exhaustum fuisse ærarium, indicat Asconius, cum in commentario Cornelianæ ita scribit: *Quia defuerat superioribus temporibus in ærario pecunia publica, multa & sæpe ejus rei remedia erant quæsita, in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ residuæ apud quenque essent, exigerentur. id autem maxime pertinebat ad Cornelium Faustum Dictatoris filium. quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & rempubl. tenuerat, sumpserat pecu-*

pecunias ex vectigalibus, & ex ærario populi Romani, eaque res sæpe erat agitata, sæpe omissa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur, post tot annos, quam quisque pecuniam acceperat, ejus reddere rationem. Ex quibus apparet Pauli pecuniam in ærarium illatam multo ante consulatum Hirtii, & Pansæ esse consumptam. Quin etiam ærarium post a Pompeio bello civili apertum, a Cæsare refractum, pecuniamque depromptam, idque adeo ante Hirtium, & Pansam consules, constans omnium opinio est. Post eorum certe consulatum tributi collati magna mentio fit; siquidem eodem anno ad Cornificium ita scripsit Cicero; *De sumptu, quem in rem militarem facere, & fecisse scribis, nihil sane tibi possum opitulari, propterea quod & orbus senatus Hirtio, & Pansa consulibus, & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ, quæ conquiritur undique, ut optime meritis militibus promissa solvantur, quod quidem fieri posse sine tributo non arbitror*. & eodem anno in Antonium: *Ubi est septies millies sestertium, quod in tabulis, quæ sunt ad Opis, patebat? funestæ illius quidem pecuniæ. sed tamen si iis, quorum erat, non redderetur, quæ nos a tributis posset vindicare*. & item ad M. Brutum: *Maximus nodus est in rep. rei pecuniariæ. obsurdescunt enim magis quotidie boni viri ad vocem tributi, quod ex centesima collatum impudenti censu locupletum in duarum legionum præmiis omne consumitur*. Itaque idem ille cum eodem tempore præcepta filio de officiis daret, de tributo ita scripsit: *Danda opera est, ne (quod apud majores nostros sæpe fiebat) propter ærarii tenuitatem, assiduitatemque bellorum tributum sit conferendum. idque ne eveniat multo ante erit providendum. si qua necessitas hujus muneris reip. evenerit, danda erit opera, ut omnes intelligant, si salvi esse velint, necessitati esse parendum*. Atque de tributis quidem satis hucusque sit disputatum.

Nunc, quod reliquum est, vectigalia persequamur. Quæ vero pecuniæ a civibus Roman. vectigalium nomine exigebantur, eæ vel portorii nomine, vel decumarum, & scripturæ, vel salis, vel vicesimæ sunt exactæ.

Portoria pecuniæ erant, quæ portitoribus pendebantur, id est, iis, qui mercedes ex mercibus in portum devehendis exigebant. unde circumvectionis quoque portorium celebratum est. Hæc autem portoria etiam a regibus fuisse exacta indicat Plutarchus, qui pauperes narrat a Poblicola in primo consulatu civilibus vectigalibus; & Dionysius, qui scribit, tertio anno post reges exactos pauperes vectigalium omnium solvendorum, quæ regibus pependissent, & tributi in bellum conferendi esse onere liberatos. quod exponit Livius, inquiens, plebi portoria, & tributa esse remissa. Idem autem lib. XXXII. auctor est, Africanum, & Pætum censores portoria venalium Capuæ, Puteolisque, item Castrorum portorium fruendum locasse. & Lepidum, ac Nobiliorem censores portoria, & vectigalia multa instituisse. Hæc tamen omnia Afranio demum, & Metello coss. id est, anno postquam Pompeius ingenti vi pecuniæ in ærarium illata tertium ex Asia, & Ponto triumphavit, lege Q. Metelli Nepotis prætoris sublata esse opinor. siquidem Dionis hæc verba sunt: *Quoniam civitatem, & Italiam reliquam portoria offendebant, Q. Metellus Nepos prætor legem omnibus gratam tulit, ut ea tollerentur, Senatus autem Nepoti latori iratus nomen ejus lege eximere voluit, & alterum subscribere, nec tamen fecit. cum satis indicaret, se ne beneficio quidem a malis civibus affici velle*. Cui viro vix temere assentirem, nisi me excellens Ciceronis auctoritas cogeret, qui ad Atticum scribit: *Jam illa caussa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tol-*

A *lendis non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur*. Itaque in eandem sententiam, alio loco: *Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, nullum vectigal superesse domesticum* ait *præter vicesimam*. Cæsarem postea peregrinarum mercium portoria instituisse Suetonius refert.

Decumæ autem exigebantur ab civibus Rom. vel Latini nominis sociis, qui in Italia aut extra Italiam publicum agrum arabant, cum eo ut frumenti decumas solverent. Scriptura vero erat vectigal, quod pendebatur ab iis, qui sylvis, & pascuis publicis fruebantur, ut in Italia sylva Scantia, & sa-
B lictis ad Minturnas. Hæc vero vectigalia multis post modis aut omnino sublata sunt, aut aliqua certe ex parte imminuta. quod quemadmodum factum sit, narrat pluribus in primo Civilium Appianus: nempe populum Romanum, quos agros bello, atque armis hostibus ademisset, eos fere, si culti essent, civibus divisisse; si inculti, Italicis hominibus: atque adeo etiam plebi Romanæ per censores fruendos locasse, ea tamen conditione, ut qui ararent, decimam frumenti, quintam ceterarum frugum persolverent. qui vero majora, aut minora pecora alerent, certum stipendium penderent. Cum autem
C evenisset, ut incredibili locupletum impudentia, atque libidine aratores antiquis pulsi possessionibus, quas divites aliis temporibus alias ementes continuarunt, & populus Romanus vectigalibus annuis, & pauperes propriis alimentis essent spoliati, lex fuit necessaria, quam tulit C. Licinius Stolo tribunus plebis anno urbis CCCLXXVII. *Ne quis plus quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris possideret*. cujus legis Varro, Livius, atque omnes denique meminerunt. Quam legem cum negligi vulgo cum magno plebis Rom. detrimento postea Ti. Sempronius Gracchus tribunus plebis animadverteret, nova sibi mu-
D niendam lege duxit, P. Scævola, L. Pisone coss. anno DCXX. tulit enim primum, *Ne quis ex publico agro plus quingenta jugera possideret*, quod lege Licinia sanctum fuerat. deinde addidit illud, *Ut dimidium filiis attribueretur. quod reliquum esset, id pauperibus, qui nihil haberent, divideretur. Quod si quis agrum latius patefaceret, ut triumviri quotannis ad id creati judicarent, qua publicus ager, qua privatus esset*. atque hæc eadem lex, credo, quod Tiberio occiso contemneretur, a fratre ejus C. Graccho post etiam in triumviratu defensa est. Quem cum pariter optimates commodis suis ad-
E versantem interfecissent, haud ita multo post legem parum plebis rationibus aptam intulerunt, qua permissum est, ut ager a possessoribus, id quod Tiberii lex prohibuerat, venderetur. quo pacto rursus agri in divitum a pauperibus ementium potestatem redacti sunt. cui incommodo subvenire cupiens Sp. Thorius tribunus pleb. tulit. *Ne agri amplius dividerentur, sed possessores in iis relicti vectigalia pro iis penderent, eaque pecunia plebi divideretur*. Neque tamen hoc loco res stetit, sed longius lapsa libido est. Nam quod scribit Appianus, tribunus pleb. alius vectigal illud totum lege alia sustulit. quam legem Thoriam Cicero vocare videtur in Bruto, cum ita scri-
F bit: *Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa, & inutili lege, vectigali levavit*. Relinquebatur adhuc in possessione populi Rom. ager Campanus, quem neque colonis distribui, neque a privatis locupletibus emi Gracchus fuerat passus. & hoc igitur etiam fructu, cum a Cæsare consule esset divisus, Respublica spoliata, atque nudata est. unde merito dixit Cicero, *Portoriis Italiæ sublatis, agro Campano diviso, vectigal nullum superesse domesticum præter vicesimam*.

Dicet aliquis: quid de salis vectigali? sublatum iisdem Ciceronis verbis mihi jam pridem est persua-

ſum. Salis autem meminit Livius libro ſecundo, cum ait, altero poſt reges exactos anno *ſalis vendendi arbitrium, quia impenſo precio venibat, in publicum omni ſumptu ademptum privatis*, id eſt, inſtituiſſe ut ſal non a privatis venderetur, cum impenſo precio veniret, ſed minoris e publico acciperetur. bello autem Punico ſecundo vectigal novum a cenſoribus Nerone, & Salinatore inſtitutum ex ſalaria annona ſcribit. Etenim cum ſextante ſal & Romæ, & per totam Italiam eſſet, Romæ eos precio eodem, pluris in foris & conciliabulis, & alio alibi precio præbendum locaſſe, ac precio ſalis tribus oneraſſe.

Neque vero cives Rom. portoriorum ſolum, quæ in Italia caperentur, immunes fuiſſe exiſtimaverim, ſed etiam eorum, quæ extra Italiam a ſociis exigerentur. eſt enim formula fœderis cum Ambracienſibus icti, cujus meminit Livius: *Ut Ambracienſes portoria, quæ vellent, terra, marique caperent, dum eorum immunes Romani, ac ſocii nominis Latini eſſent*. ex quo idem in ceteris eveniſſe, conſentaneum eſt.

Reſtat ergo viceſima, quam unam retentam eſſe, ſignificat Cicero, credo, quod ea libertini tantum aſtringerentur. Eſt autem inſtituta anno urbis trecenteſimo nonageſimo octavo, teſte Livio, cujus hæc verba ſunt: *Cn. Manlius conſul legem novo exemplo ad Sutrium in caſtris tributim de viceſima eorum, qui manumittuntur, tulit. Patres, quia ea lege haud parvum vectigal inopi ærario additum eſſet, auctores fuerunt*.

Hæc autem vectigalia locabantur publicanis a cenſoribus exigenda. Unde Varro: *Luſtrum nominatum tempus quinquennale a luendo, hoc eſt, ſolvendo. quod quinto quoque anno vectigalia per cenſores perſolvebantur*. Quanta vero publicani pecuniæ ſumma vectigalia redemerant, tantam reip. repræſentare debebant. repræſentabant autem quæſtoribus ærarii, penes quos tabulæ ærarii, atque adeo ærarium ipſum erat.

Cum ergo tributum ex ordine conferebatur a civibus, id in tribu conferebatur, & quoniam tribuum quodammodo partes claſſes diximus, claſſium vero centurias, in claſſe etiam, & centuria. Unde Aſconius de iis loquens, quos cenſores in ærarios notæ cauſſa referebant, ait: *Cenſores cives ſic notabant, ut qui plebeius eſſet, in Cæritum tabulas referretur, & ærarius fieret, ac per hoc non eſſet in albo centuriæ ſuæ, ſed ad hoc eſset civis, tantummodo ut pro capite ſuo tributi nomine æra penderet*. Nam ærarii etiam relicti ſunt a cenſoribus multi, tum cum populus conferendo tributo erat liberatus. ſi quidem P. Africanus cenſor Aſellum ærarium reliquit, quem L. Mummius ex ærariis exemit. cum tamen tum propter ingentes ærarii copias nullum a civibus tributum penderetur.

CAP. XVII.

De jure ſuffragiorum.

SEQUITUR jus ſuffragii, in quo magnum momentum non Romanæ ſolum, ſed omni etiam ſemper civitati poſitum fuit. quoniam autem ſuffragia nuſquam, niſi in comitiis populus tulit; comitia vero a Romulo ſunt inſtituta, propterea eundem Romulum ſuffragiorum auctorem jure optimo poſſumus nominare.

Comitia vero cœtus populi fuerunt, quem magiſtratus legitime convocaſſet, ut aliquid ſuffragio ſuo vel juberet, vel prohiberet. Eorum vero tria genera extiterunt. curiata, centuriata, & tributa. Curiata Romulus, centuriata Ser. Tullius, tributa tribuni pl. in remp. intulerunt. & curiata quidem di-

A cta ſunt, cum populus in curias; centuriata, cum in centurias; tributa, cum in tribus deſcriptus ſuffragium iniit. quæ autem curiæ, quæ centuriæ, quæ tribus fuerint, ſatis ſupra eſſe demonſtratum exiſtimo. Nunc autem illud tantum intelligi volo, quia civis nemo erat, qui non tribum, non curiam, non centuriam obtineret, neque civem fuiſſe quenquam, qui ſuffragii jure excluſus eſſet. quanquam alia in aliis comitiis civium ipſorum inter ſe poteſtas atque auctoritas eſſet. In curiatis enim etſi omnes pariter advocati ſunt, tamen prævalente pauperum multitudine, pauperum etiam opes excelluere. at vero in centuriatis contra. Quoniam B enim ut maximo quiſque cenſu fuit, ita primus in ſuffragia miſſus eſt, eorumque plurimæ centuriæ fuere, propterea omnis centuriatorum auctoritas penes divites fuit. quorum octo, & nonaginta primæ claſſis centuriæ ita vocatæ ſunt, ut, ſi quid variaſſent, reliquæ deinceps ex ſequentibus claſſibus citarentur; ſi conſenſiſſent, non eſſet, cur aliæ introvocarentur, cum longe numero illis antecellerent. Tributa vero non vere comitia, ſed plebis concilium dictum eſt. quod ad ea non univerſus populus vocaretur, ſed plebs tantum, patriciis exemptis. unde illud eſt Livianum libro II: *Inſignem annum* C *maxime tributa comitia efficiunt, res major victoria ſuſcepti certaminis, quam uſu. plus enim dignitatis comitiis ipſis detractum eſt, patribus ex concilio ſummovendis, quam virium; aut plebi additum, aut demptum patribus*. Ea præterea communis comitiorum omnium fuit ratio, ut qui plura puncta in ſingulis curiis, vel centuriis, vel tribubus tuliſſet, is eam curiam, vel centuriam, vel tribum tuliſſe judicaretur. quod autem a pluribus curiis, vel centuriis, vel tribubus eſſet ſcitum, id ab omnibus ſcitum exiſtimaretur.

Curiatis porro comitiis reges omnes, & ceteri magiſtratus, ut quæſtores, tribuni plebis, ædileſ- D que ejuſdem generis primi creati, pariterque judicia de capite facta, & leges omnes uſque ad Ser. Tullium regem ſunt juſſæ. poſtremis autem temporibus duæ tantum rogationes curiatim perlatæ, una de imperio, altera de adoptione. Ut enim curiæ, de quibus diximus, ſic etiam comitia curiata diuturnitate temporis exoleverunt. Centuriatis vero conſules, decemviri, tribunique militum conſulares, cenſores, & prætores deſignati. lexque de bello lata, & judicia perduellionis peracta ſunt. Tributa primum uſurpari cœpta ſunt A. Sempronio, M. Minucio coſſ. poſt Romam conditam an. CCLXIII. E inſtituto Sp. Sicinii tribuni pleb. in judicio Coriolani, viri patricii, tum cum tribus una, & viginti erant. quibus comitiis damnatus ille exilii cauſſa ſolum vertit. deinde Voleronis tribuni pleb. rogatione & tribuni ædileſque plebis his comitiis declarari cœpti, cum per aliquot ante annos curiati eſſent deſignati. atque inde magiſtratus minores, ut ædiles curules, quæſtores, III. viri capitales, nocturni, & monetales, & ejus generis reliqui. ac præter regem ſacrorum omnes ſacerdotes. quin etiam leges fere de pace, & civitate danda, latæ, judiciaque de multa perfecta ſunt. Ut autem centuriata comitia non niſi a majoribus, ſic tributa & F a majoribus, & a minoribus magiſtratibus haberi licuit.

Si ergo, ex tribus comitiorum generibus curiata niſi primis temporibus obſervata non ſunt, extremis autem auſpiciorum cauſſa, ut inquit Cicero, paucas quaſdam ad res adhibita ſunt; ſique tributa, & centuriata niſi citatis tribubus non ſunt habita, profecto, qui tribum non habuit, is ſuffragio caruit. Ex hoc autem numero pueros, & ſenes ſexagenarios, & ærarios excipio. pueros, quia conſentaneum non videtur, qui ante XVII. annum in legione non meruerint, eos in tribu ſuffragium

pertulisse. sexagenarios autem, quia de iis ita proditum est a Varrone de vita populi Rom. teste Nonio: *Cum in quintum gradum pervenerant, atque habebant sexaginta annos, tum denique erant a publicis negotiis liberi, atque expediti, & ociosi. ideo in proverbium quidam putant venisse: sexagenarios de ponte dejici oportere, id est, quod suffragium non ferant, quod per pontem ferebant*. Idem autem ille quartum gradum ætatis fecit seniores usque ad annos LX. inde quintum, auctore Censorino, usque ad extremum ætatis senes. Festus autem hoc idem aliquanto apertius: *Exploratissimum illud caussæ est, quo tempore primum per pontem cœperunt comitiis suffragium ferre, juniores conclamavere, ut de ponte dejicerentur sexagenarii, quia nullo publico munere fungerentur, ut ipsi potius sibi, quam illis deligerent imperium. cujus sententiæ est etiam Sinnius Capito*. Quo eodem alludens Cicero dixit pro Roscio Amerino: *Habeo etiam dicere, quem contra morem majorum minorem annis* LX. *de ponte in Tiberim dejecerit*. Quanquam autem alia etiam caussa affertur hujus moris, tamen hæc celebratior, ac vulgatior videtur, quam attigit quoque Ovidius in v. Fastorum, his verbis:

Pars putat, ut ferrent juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.

Pontes autem in comitiis fuerunt ad tempus constructi, per quos populus suffragium laturus transiret. Accedit, quod Aristoteles pueros, & senes e numero removet germanorum civium; pueros, quod cives sint imperfecti; senes, quod effœti. Ærarios autem voco, qui a censoribus notæ caussa in ærariorum numerum erant relati. *quibus*, ut ait Asconius interpres, *nullum munus erat relictum, nisi ut essent in albo centuriæ suæ tantummodo, ut tributi nomine æra penderent*. quasi vero omnia alia jura civium Roman. præterquam tributi conferendi amisissent.

Hoc autem suffragiorum jus imminuit aliquantum Cæsar dictaturam perpetuam consequutus. *Ille enim* (ut inquit Suetonius) *comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus de cetero numero candidatorum, pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur; pro altera parte, quos ipse dedisset. & edebat per libellos circum tribum missos scriptura brevi: Cæsar dictator illi tribui: Commendo vobis illum, & illum, ut vestro suffragio suam dignitatem teneant*. D. autem Augustus comitiorum pristinum jus restituit, ac multiplici pœna coercito ambitu Fabianis, & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum, ne quid a quopiam candidato desiderarent, singula millia nummum dividebat.

Cap. XVIII.

De Jure Honorum.

Tandem aliquando pervenimus ad id, quo uno optimum ipsum jus civitatis expletur. Hoc est autem, ut ab initio diximus, jus honorum, quod qui in urbe, agrove Rom. habuit, is quam plenissimum jus civitatis obtinuit. Itaque scite, ut omnia, Aristoteles, qui verum, ac germanum civem honorum adipiscendorum, ut dixi, potestate circumscripsit. Honores autem voco curationes omnes publicas civium suffragio, aut studio alteri civi delatas. quorum duo genera sunt; unum, quod in rebus divinis cernitur; alterum, quod in humanis. eo sacerdotia continentur; hoc magistratus, & imperia. Neque enim hæc decora, atque insignia dignitatis quisquam, nisi civis Rom. assequi potuit, usque adeo, ut qui furtim hoc essent adepti, ii re comperta honorum gradum cum toto civitatis ho-

A nore Papia lege amiserint. id quod M. Perpernæ contigisse notavit his verbis Valerius: *Non parvus consulatus rubor M. Perperna, utpote, qui consul antequam civis, cum interim cujus vita triumphavit, mors Papia lege damnata est. Namque patrem ejus nihil ad se pertinentia civis Rom. jura complexum, Sabelli judicio petitum, redire in pristinas sedes coegerunt. Ita M. Perpernæ nomen adumbratum, falsus consulatus, caliginis simile imperium, aliena in urbe improbe peregrinatus est*. Quibus ex verbis satis liquet, Romæ honores nisi civibus Rom. non patuisse, & qui civitate privati erant, eosdem honorum etiam insignia perdidisse.

B

Cap. XIX.

De Sacerdotiis.

Quoniam autem multa honorum genera proposuimus, relinquitur, ut quid ipsa inter se differant, ac quid singula sint, differamus. primum autem de sacerdotiis agamus. Sacerdotia omnes curationes vocamus eorum, qui res sacras, & divinas tractarent. Hos vero aut singulis
C diis operatos esse invenimus, aut singulas eorum res curasse, aut promiscue omnium deorum, & omnium cæremoniarum colendarum rationem tenuisse. Singulorum deorum sacra curarunt Luperci, qui Panis: Potitii, qui Herculis; Sodales Titii, qui Sabinorum deorum; Salii, qui Martis; Flamines, qui sigillatim Jovis, Martis, & Quirini; Vestales virgines, quæ Vestæ sacra peregerunt, & pro populo sacrificium fecerunt. Singulis de rebus, ut Fratres Arvales, qui pro arvorum frugibus; Curiones, qui pro curiis sacrificarunt; Augures, qui auspiciorum; Aruspices, qui extorum; Fetiales, qui belli, & pacis disciplinam tenuerunt; Duumviri Sibyllini, qui
D sacra librorum Sibyllinorum: Rex sacrificulus, qui sacra regia; Epulones, qui ludorum epulare sacrificium adornarunt. Quo factum est, ut Pontifices soli sacra omnia promiscue commendata habuerint. Quod indicat Cicero in legibus, cum ita fert: *Divisque aliis alii sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto*. & idem in exordio orationis pro domo sua ad pontifices, cum inquit: *Cum multa divinitus Pontifices a majoribus nostris inventa, atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ reip. præesse voluerunt, ut amplissimi & clarissimi cives remp. bene gerendo, pontifi-*
E *ces religiones sapienter interpretando remp. conservarent. Quod si ullo tempore magna caussa in sacerdotum populi Rom. judicio, ac potestate versata est, hæc profecto tanta est, ut omnis reip. dignitas, omnium civium salus, vita, libertas, aræ, foci, dii penates, bona, fortunæ, domicilia vestræ sapientiæ, fidei, potestatique commissa & credita esse videantur*. & paulo post ita Lentulum pontificem alloquitur: *Te appello, Lentule, tui sacerdotii sunt thensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque deorum. Vosque pontifices, ad quos epulones Jovis optimi maximi, si quid est prætermissum, aut*
F *commissum adferunt, quorum de sententia illa eadem revocata, atque instaurata celebrantur, qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto, aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum; nihil cujusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum*. Dionysius quoque pontifices ait de omnibus caussis ad sacra pertinentibus judicasse, novasque leges de sacris arbitratu suo condidisse, ac sacerdotes omnes, penes quos cæremoniæ fuerint, examinasse, & palam de religione, ac cultu deorum respondisse, adeo ut perinde ac sacri juris interpre-

tes, atque doctores extiterint. Itaque Livius de pontificis maximi jure merito ita disseruit: *Pontifici Numa sacra omnia exscripta exsignataque attribuit, quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subjecit, ut esset, quo consultum plebs veniret. ne quid divini juris, negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo, turbaretur. nec cœlestes modo cæremonias, sed justa quoque funebria, placandosque manes ut idem pontifex edoceret*. Ex his autem sacerdotibus antiquissimi fuerunt Luperci, itemque Potitii, jam inde ab Evandro ipso ante Æneæ in Italiam adventum instituti. proximi ab his Fratres Arvales XII. & tres Augures, totidemque Aruspices, & Curiones triginta a Romulo omnes illati. Sodales enim Titios T. Tatius Sabinorum rex Romuli socius dedit. Flamines tres, Dialem, Martialem, & Quirinalem, & Vestales virgines quatuor cum Vestali maxima, Salios Palatinos XII. Fetiales XX. cum patre patrato, Pontifices quatuor cum pontifice maximo Numa creavit. II. viros Sibyllinos Superbus rex, Regem sacrorum anno post exactos reges L. Brutus consul, III. viros epulones anno DLVIII. L. Purpureone, M. Marcello coss. T. Romilius tribunus pl. Ex his autem augurum, flaminum, pontificum, vestalium, III. virum, & epulonum numerus procedente tempore auctus est. augures enim novem lege Ogulnia, teste lib. X. Livio, creari cœpti sunt anno CCCCLIV. Q. Pansa, M. Corvo coss. Ad tres Flamines adjecti sunt XII. Volcanalis, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Carmentalis, Portumnalis, Virbialis, Laurentialis, Lavinalis, Pomonalis. Vestalibus additæ duæ a Tarquinio Prisco, ut essent sex cum virgine Vestali maxima. Pontificum quatuor, ut essent octo cum pontifice maximo, eadem lege, qua augurum, numerus auctus est. post autem a Sulla dictatore, Livio in epitomis auctore, quindecim effecti. Duumviri sacrorum, anno urbis CCCLXXXVIII. lege Sextia Licinia decem; Postremo, ut puto, Sullana quindecim redditi, quo modo epulones etiam a tribus ad septem ascenderunt.

Illud porro sacerdotum omnium proprium fuit, ut nec imperium, nec potestatem haberent, ut perpetui essent, ut tam ex plebeiis, quam ex patriciis fierent, & ut a collegio cooptarentur. Potestate & imperio vacuos fuisse ostendit Livius lib. quarto, apud quem patricii conqueruntur, *pontifices, augurésque plebi communicari, & grave putant esse, si salii flaminesque nusquam alio quam ad sacrificandum pro populo sine imperiis, ac potestatibus relinquantur*. Perpetuitatem eorum indicat, quod sacerdos non nisi in demortui, aut abeuntis sacerdotis locum sufficiebatur. Quin etiam Fratrum Arvalium sacerdotium exules, captivosque esse comitatum lib. XVIII. prodit Plinius. Nam omnes quidem tam ex plebeiis, quam patriciis creatos esse satis constat, præter regem sacrorum, & Flamines majores tres, & Salios Palatinos; quos memoria etiam sua ex solis patriciis creatos esse perspicue significat Cicero in oratione pro domo, cum ait: *Itaque populus Rom. brevi tempore neque regem sacrorum, neque flamines, nec salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes*. nimirum si pro libidine omnibus licebit patriciis ad plebem transire. Pontifex autem maximus, & rex sacrificulus, & flamines a populo etiam creati, pontifex quidem tributis comitiis, rex centuriatis, flamines curiatis, tum cum reliqui sacerdotes a collegiis cooptarentur. quos omnes postea Cn. Domitius ad comitia populi tributa transtulit anno DCLI. Mario, & Oreste coss. quam legem post a Sylla sublatam, & iterum a T. Labieno tribuno plebis, Cicerone consule, relatam iterum M. Antonius consul post Cæsaris dictatoris necem abrogavit. qua insequenti anno una cum ceteris Antonianis legibus S. C. sublata, res rursus ad populi comitia rediit.

CAP. XX.

De magistratibus.

HACTENUS de sacerdotiis, nunc de magistratibus. Voco autem magistratus potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad rempublicam pertinerent, publica auctoritate curarunt. Horum autem quatuor, ut video, jura fuerunt; unum positum in imperando, alterum in jure dicendo, tertium in referendo, quartum in auspicando. Imperium tribus in rebus positum fuit, in edicendo, in vocando, in prehendendo. Edictorum porro duo genera fuerunt, unum, quo jurisdictionis suæ formulam initio magistratus proponebant; alterum, quo pro magistratus auctoritate, ut res tulisset, quæ visa essent, imperabant. Qui vocationem porro habuerunt, ii etiam jus prehensionis consecuti sunt, atque lictoribus, & viatoribus, & servis publicis usi sunt; qui prehensionem tantum, ii viatorem tantum cum servo publico adhibuerunt; qui neutrum, ii servis publicis duntaxat stipati sunt. Jurisdictio vero duas habuit partes, unam decretum, alteram judicii dationem. Nam cum jus dicere nihil esset aliud, quam jus, quod in legibus, aut in edictis contineretur, ei, qui poposcisset, reddere, profecto tum jus reddebant, cum aut ipsi re sine consilio cognita decernebant, aut judices, qui rem cognoscerent, dabant, atque eis judicandi formulam præscribebant. Ac quæ quidem de edictis, & jurisdictione dixi, facile Ciceronis auctoritate confirmantur; qui scribit in secundo de finibus: *Quid mereri velis jam, cum magistratum inieris, & in concionem ascenderis? (est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo.) quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis caussa facturum esse?* & alibi de Antonio consule: *Cum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens ante diem* VIII. *Kal. Decembris. eo die ipse non affuit. at quo modo edixit? hæc sunt, opinor, verba in extremo: Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse*. De decretis autem interponendis, & judicio dando docet idem, dum de Verre prætore urbano loquitur: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit, & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, M. Octavium ob jus dicendum poposcerit*. Item: *Domus erat plena, nova jura, nova decreta, nova judicia petebantur. mihi det possessionem, mihi ne adimat, in me judicium ne det, mihi bona addicat*. Quæ vero de prehensione, & vocatione dixi, ea ex Varronis sententia dixi; qui apud Gellium ita scribit: *In magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum. vocationem ut consules, & ceteri, qui habent imperium; prehensionem, ut tribuni plebis & alii qui habent viatorem; neque vocationem, neque prehensionem, ut quæstores, & ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem. qui vocationem habent, iidem prehendere, tenere, abducere possunt, & hæc omnia si adsunt, quos vocant, sive acciri jusserunt. Tribuni plebis vocationem habent nullam, quod*, ut ibi inquit Gellius, *antiquitus creati videntur non juri dicundo, nec caussis querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria, quæ coram fieret, arceretur, ac propterea jus ad se vocandi adem-*

ptum , quoniam , ut vim fieri vetarent , aſſiduitate A
eorum , & præſentium oculis opus erat . item alio loco
ex eodem Varrone : *Qui poteſtatem neque vocationis*
populi viritim habent , neque prehenſionis , eos magi-
ſtratus a privato in jus quoque vocari eſt poteſtas .
M. Levinus ædilis curulis a privato ad prætorem in
jus eſt eductus . Nunc ſtipati ſervis publicis non modo
prehendi non poſſunt , ſed etiam ultro ſummovent popu-
lum . Ut autem duo publica conſilia fuerunt , ſena-
tus , ac populus , ſic jus referendi , quod tertium ma-
giſtratibus addidi , duplex fuit , alterum ad ſenatum ,
ad populum alterum . Neque enim ad ſenatum cui-
quam referre præter magiſtratum de republica licuit ;
neque ad populum , aut cum populo egit quiſquam , B
niſi aut magiſtratus , aut a magiſtratu productus .
egit autem ad populum qui verba de rep. fecit ad po-
pulum ; egit cum populo , qui populum in ſuffra-
gium ire juſſit . id quod aut multa pœnave irrogan-
da , aut legibus , magiſtratibuſve rogandis conſecuti
ſunt . Quod vero extremo loco ſcripſi , magiſtratus
jus in auſpicando quoque verſatum eſſe , id auctore
Cicerone ſcripſi , qui in legibus ita fert : *Magiſtratus*
omnes judicium , & auſpicium habento . Quod dictum
neque de omnibus magiſtratibus , neque de omni-
bus auſpiciis puto , verum de magiſtratibus urbanis ,
& de obſervatione de cœlo duntaxat . Duo enim C
præter cætera maxime uſurpata auſpicia ſunt , unum
in urbe , & a magiſtratibus urbanis , alterum mili-
tiæ , & a magiſtratibus militaribus , ut a conſulibus ,
aut prætoribus , aut provincias , aut bella adminiſtran-
tibus . In urbe , & ab urbanis magiſtratibus omnibus
de cœlo ſervatum eſt , foris tripudium pullorum adhi-
bitum . Obſervatio vero de cœlo ad comitia ſive im-
pedienda , ſive vitianda pertinuit . atque hanc Cice-
ro intellexit , cum omnibus magiſtratibus auſpicium
patere dixit . Siquidem legem ſuam interpretans ad-
dit , *Ut multos inutiles comitiatus probabiles impe-*
diant moræ . Sæpe enim populi impetum injuſtum au-
ſpiciis dii immortales repreſſerunt . Quod ipſum etiam D
declaravit Varro , ut eſt apud Nonium ; *Eo die cis*
Tiberim redeundum eſt , quod de cœlo auſpicari jus
ſit nemini præter magiſtratum . Obſervatione autem
de cœlo infirmata comitia eſſe , apparet ex edicto
ſolemni , cujus meminit Gellius . quo in comi-
tiis centuriatis habendis conſules cavebant , *Ne ma-*
giſtratus ullus minor de cœlo ſervaſſe vellet , quod
etiam minores magiſtratus auſpicium haberent , id
eſt , inutilia comitia obnunciando impedire poſſent .
Hanc autem auſpiciorum poteſtatem tribunis pl. et-
iam conceſſam , M. Horatio , P. Valerio conſulibus ,
anno urbis trecenteſimo quarto , Zonaras ſcribit . E
Quin etiam tribunis pl. inquit , *in comitiis auſpicio-*
rum uſum conceſſerunt . id quod eis verbo quidem ho-
norem ac dignitatem attulit (id enim jus patriciis
antiquitus fuit .) re autem vera impedimento fuit ,
ne facile tribuni plebis & plebs ipſa , quæcunque vel-
let , ageret , ſed per cauſſam auſpiciorum aliquando
impedirentur . Servare autem de cœlo erat non ſo-
lum inſpicere , ſi quid ſigni e cœlo appareret , quod
actionem impediret , ſed etiam nunciare , quod ma-
giſtratibus , & auguribus licuit . Quanquam augures
nunciationem tantum habuerunt ; magiſtratus &
ſpectionem , & nunciationem . quod Cicero docet
cum in Antonium agit . Nam cum Antonius au- F
gur , & conſul dixiſſet , eo ſe ſacerdotio præditum
eſſe , ut comitia auſpiciis vel impedire , vel vitiare
poſſet , idque ſe facturum aſſeveraſſet , reſpondit Ci-
cero ; *Incredibilem hominis ſtupiditatem cognoſcite .*
quid enim ? iſtuc , quod te ſacerdotii jure facere poſ-
ſe dixiſti , ſi augur non eſſes , & conſul eſſes , minus
facere potuiſſes ? vide ne etiam facilius . nos enim au-
gures nunciationem ſolum habemus ; conſules , & re-
liqui magiſtratus etiam ſpectionem . Tripudium vero ,
id eſt , ex pullorum paſtu auſpicium , ad res geren-
das accommodatum eſt . eique conſules , prætores ,

dictatoreſque paruerunt , qui foris rem geſſerunt .
meminit autem hujus Cicero in primo de divina-
tione : *Noſtri magiſtratus auſpiciis utuntur coactis .*
neceſſe eſt enim offa objecta cadere fruſtum ex pulli
ore , cum paſcitur . Sed de hoc poſt ea in libris de
provinciis pluribus .

Magiſtratus autem varii in remp. hoc pacto illati
ſunt . primum cum reſp. in poteſtate regum fuit ,
omnia regum arbitrio adminiſtrata ſunt . penes enim
eos ſummum jus vitæ , neciſque , & omne gerendi
belli imperium fuit . penes eoſdem univerſa juriſdi-
ctio fuit . ſiquidem , quod eſt in annalibus Dionyſii ,
Romulus rex alia judicavit , alia aliorum judicio per-
miſit . Neque vero alius regibus magiſtratus fuit ,
quam Tribunus Celerum , qui rem militarem cum
eo curaret ; & , quod multis placuit , etiam Quæ-
ſtores , qui publicam pecuniam tractarent . ubi vero
urbe abfuturus rex erat , Præfectus urbi cum pote-
ſtate relinqui , & rege mortuo , interreges prodi ſo-
liti ſunt , qui remp. interea dum rex alius crearetur ,
gubernarent . Exactis autem regibus Conſules duo
creati ſunt in omnibus rebus pari cum regibus pote-
ſtate , atque imperio , præterquam quod illi perpe-
tui , hi annui , ille unus , hi duo erant ; neque enim
ſolum , quod in promptu eſt , bella geſſerunt , ſed
etiam jus dixerunt . Itaque cum nimium eorum im-
perium videretur , multis modis undique diminutum
eſt . primum enim lex de provocatione lata , qua
a conſulibus ad populum provocatio data eſt , cau-
tumque , ne in caput civis Rom. conſul animadver-
tere poſſet . deinde poſt annum XVI. Tribuni pl. crea-
ti multum de imperio conſulum detraxerunt . ſiqui-
dem ad plebem a conſularibus injuriis prohibendam ,
& ad interceſſiones faciendas , & conſulum diſſol-
vendum imperium inſtituti ſunt . Eodemque anno
creati Ædiles plebis ad ædes ſacras , in quibus plebi-
ſcita ſervarentur , teſte Pomponio , tuendas , unde
etiam ædiles vocati ſunt ; aliquantum etiam de au-
ctoritate conſulum diminuerunt . cum ſenatus man-
davit , ut quod extat in tertio libro apud Livium ,
ſenatus-conſulta ad ædem Cereris ad ædiles plebis de-
ferrentur , quæ ante pro arbitrio conſulum ſuppri me-
rentur . Anno inde ab urbe condita CCCX. cum con-
ſules perpetuis bellorum curis impediti cenſum in ci-
vitate peragere nequirent , Cenſores duo , qui quinto
quoque anno cenſum , luſtrumque facerent , inſtitu-
ti eam quoque curationis publicæ partem conſuli-
bus ademerunt . Quod idem poſt annos etiam octo-
ginta Prætor , & Ædiles curules creati fecerunt . Præ-
tor enim ad jus in urbe dicendum , cui rei vacare
jam conſules propter bellicas curas non poterant ,
eſt creatus . Ædiles vero ludorum Rom. curationem ,
quam primum reges , poſt conſules habuerunt , ædi-
les autem plebis recuſabant , ſuſceperunt . quo fa-
cto , inde urbis , annonæ , aliarumque etiam ſibi
rerum curationem , & cognitionem vindicarunt . Et
quoniam intellexerunt , tempora ſæpe incidere , qui-
bus opus eſſet reip. magiſtratu , qui ſummum impe-
rii jus haberet , quale reges habuerant , inſtituerunt
etiam , ut dubiis in rebus reip. Dictator diceretur ,
iſque ſibi Magiſtrum equitum diceret , qui dictatori
eſſet idem , qui fuerat tribunus Celerum Regi . pri-
mus autem ſeditionis ſedandæ , & rei gerendæ cauſſa
creatus eſt anno poſt reges exactos ſive ſexto , ſive ,
(non enim ſatis inter ſcriptores convenit) nono .
Reliquos autem , qui regum tempore erant , magi-
ſtratus tenuerunt , ut Quæſtores , & Præfectum urbi ,
quem maxime , dum conſules in monte Albano fe-
riis Latinis operam darent , creare , ut cum nulli eſ-
ſent conſules , aut alii patricii magiſtratus , Interre-
ges prodere ſoliti ſunt . Succreſcentibus autem nego-
tiis poſt minores alii magiſtatus etiam multi creati ,
ut Triumviri Nocturni , Monetales , Agrarii , Capi-
tales , qui res diverſas pro uſu reip. curarent , & de
iis jus dicerent . Quin etiam provinciis partis , atque

earum imperio constituto provinciales magistratus aliquot instituti sunt, prætores, & quæstores. quibus cum provincialem jurisdictionem, tum rei bellicæ administrationem commiserunt. Hi vero omnes aut proditi sunt, ut interrex a patriciis: aut dicti, ut dictator ab interrege, aut ab altero consule; & magister equitum a dictatore: aut creati, ut reliqui omnes a populo. Atque hæc quidem de magistratibus, quod ad hunc locum pertinere mihi visum est, hactenus.

CAP. XXI.

De imperiis.

NUNC dicendum est de imperiis. est enim hoc ex propositis honorum generibus tertium. Imperium autem non jam majorem quandam prehendendi, & coercendi potestatem, sed exercitum habendi, & belli gerendi facultatem appello, quo modo intellexit in Antonium Cicero, cum dixit: *Demus imperium Cæsari sine quo res militaris administrari, exercitus teneri, bellum geri non potest*. Quod ipsum quantum ab illo differat, inde intelligi potest, quod imperium illud in urbe, hoc nisi extra urbem non habetur, & magistratus quidem, qui illud habet, nullo alio honoris titulo, nisi, qui magistratus nomine continetur, ornatus est; hoc qui adeptus est, idem præterea Imperatoris quoque nomen usurpat. & illud quidem cum magistratu ipso mandatur, (est enim jus ipsum magistratus.) hoc alia ratione, atque aliis comitiis, quam ipse magistratus, defertur. Quod autem dixi, imperium hoc bellicum non nisi extra urbem habitum esse, duo argumento sunt: primum quod neque consules hoc juris habuerunt, nisi nobili illo senatusconsulto armati, quo decerni solebat: *viderent ne quid detrimenti respublica caperet*. de quo sic scribit Sallustius in Conjuratione: *Itaque quod plerunque in atroci negotio solet, senatus decrevit, darent operam consules, ne quid respublica detrimenti caperet. Et potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere modis omnibus socios, atque cives; domi, militiæque summum imperium, ac judicium summum habere. aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli jus est*. deinde, quod neque triumphaturi in urbem triumphantes cum exercitu inire, nisi lata de eorum imperio lege potuerunt; ut Livius innuit, cum scripsit: *Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset*. Quæ vero sequuntur, illam habent sententiam: Cum imperium unum civile esset, alterum militare; qui civile habebat, si consulare erat, consul, si prætorium, prætor, si dictatorium, dictator vocabatur, at si militare erat, præter illa etiam imperator, id est, dux belli auspiciis suis administrandi. Quin etiam consulare, prætoriumque imperium tum mandabatur, cum aliquis consul, prætorque a populo comitiis centuriatis creabatur. eademque ratione dictatorium imperium tum transmittebatur, cum aliquis a consule, aut ab interrege dictator dicebatur. & imperium militare omnibus his tum demum tribuebatur, cum eis curiata lex de imperio ferebatur. Indicat utriusque actionis formula. Etenim cum privati consules, aut prætores fiebant, populus centuriatim vocatus ita rogabatur: *Quos vultis consules fieri?* centuriæ vero respondebant aut voce, aut tabella, hunc, aut illum ex iis, qui se petere professi erant. cum autem magistratus imperator legebatur, populus curiatim vocatus sic rogabatur; *Vultis, jubetis ne, ut*

A *hic consul, aut prætor, aut dictator imperium in hac, aut illa provincia habeat?* Curiæ respondebant: *Volumus, uti rogas*. Itaque Papirius dictator (ut inquit Livius libro IX.) ad bellum profecturus legem curiatam sibi de imperio tulit. cum autem privatus imperator declarabatur, populus tributim convocatus ita rogabatur; *Vultis, jubetis ne, ut hic privatus in hac, aut illa provincia imperium habeat, aut ibi proconsule, aut proprætore rem gerat?* Tribus responderunt, *Volumus, uti rogas*. Itaque ille lege curiata, hic plebiscito imperium habuisse: magistratus autem non lege, sed comitiis centuriatis honorem adeptus esse dictus est. Lege enim delatum imperium tum dicebatur, cum nominatim
B alicui erat commissum. sic enim dixit Festus: *Cum imperio esse dicitur, cui nominatim est a populo mandatum imperium*. Jam vero consul, prætor, dictator cum magistratus quisque suos inierunt, ii certo, ac solemni die, in Capitolio, sacrificio, facto, votisque publice nuncupatis, ac prætexta, & lictoribus sumptis id fecerunt. imperator vero cum imperium iniit, alio, atque alio, ut res tulit, die, in Capitolio, alio sacrificio facto, aliisque votis nuncupatis, & paludamento accepto, & lictoribus paludatis ascitis id fecit; atque illi quidem in
C urbe manserunt, hic statim ex urbe egressus est. Accedit, quod magistratus iisdem comitiis, nempe centuriatis est continuatus; imperium vero tributis, ac plebiscito est prorogatum. Livius libro VIII. *Actum cum tribunis plebis est, ad populum ferrent, ut cum Philo consulatu abiisset, proconsule rem gereret*. Quoniam vero comitia curiata ad multas res adhiberi solita ad extremum in uno præcipue militari mandando imperio sunt retenta, factum est, ut Livius *comitia curiata rem militarem continere* dixerit, & Dio *legem curiatam legem militarem* vocarit, & Cicero *consules sine lege curiata rem militarem attingere posse*, negarit. caussa vero est, quod
D quæ fiebant curiatis comitiis, auspicato fiebant, quæ tributis, inauspicato. Itaque proconsules, & proprætores, qui ex privatis provincias, & bella plebiscito obtinuerant, carere auspiciis Cicero intellexit, in secundo de Divinatione, cum dixit: *Quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur*.

Ne vero nos fallant varia, quæ in hoc genere comitia usurpantur, intelligendum est, aliud esse, jubere bellum, aliud imperatorem ad bellum deli-
E gere; sive alicui imperium belli gerendi caussa committere. Bellum enim jubebatur comitiis tantum centuriatis; imperator, vel lege curiata declarabatur, si magistratus erat, vel plebiscito plerumque, si privatus. De bello jubendo Livius libro quarto: *Controversia fuit, utrum populi jussu indiceretur bellum, an satis esset, senatusconsulto. Pervicere tribuni denunciando, se impedituros delectum, ut Quintius de bello ad populum ferret. omnes centuriæ jussere*. & alibi: *Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus ferme centuriis antiquata est*. De imperatore deligendo, atque una de tota hac militaris imperii ratione post pluribus in libro
F de magistratibus, & imperatoribus differam. Cui scribendo occasionem attulit Nicolaus Gruchius; qui imperium militare cum imperio consulari, prætorio, dictatorioque confusum esse, ac legis hujus curiatæ longe aliam vim esse putavit. nosque ab illo dissentientes ferre non potuit, ac duobus scriptis super hac re commentariis honestum ad certamen laudis, atque ingenii provocavit. Ac quis quidem civis Romanus fuerit, ac quibus in rebus jus ejus constiterit, satis a nobis hactenus quæsitum, & disputatum sit.

CAROLI SIGONII
DE
ANTIQUO JURE CIVIUM ROMANORUM.
LIBER SECUNDUS.
CAP. I.
De ordinibus civium Romanorum.



SUPERIORE libro civis Romani definitionem, quam initio propoſueram, ita confirmavi, ut nihil fere, quod ad ſummum eorum jus illuſtrandum valeret, omiſerim. hoc libro tres eorum diviſiones, unde magna eorundem inter ſe diſſimilitudo perſpici poſſit, expediam. Earum vero unam civitatis ordines intulerunt, alteram magiſtratuum imagines, tertiam reipub. factiones. ita enim diviſi ſunt in ordines, ut omnes aliquem ex tribus obtinuerint, aut ſenatorium, aut equeſtrem, aut plebis; ita imagines habuerunt, ut aut nobiles fuerint, aut novi; ita factiones coluerunt, ut aut optimates habiti ſint, aut populares: quæ diviſiones non ſolum univerſam civitatem amplexæ ſunt, ſed etiam pro viribus nerviſque ſuis omnes prope ſeditiones, quibus reſpublica laboravit, excitarunt: omneſque publici ſtatus, communiſque vitæ perturbationes ſecum traxerunt: ac demum rempublicam ipſam florentiſſimam in perpetuum perdiderunt. Quod ita plane, ac diſerte oſtendam, ut re perſpecta plane ſit futurus nemo, qui dubitet.

Dicamus autem primum de ordinibus, & vetera eorum, ut cœpimus, jura litteris perſequamur. Hos tres fuiſſe, ſenatores, equites Romanos, & plebem ſatis conſtat. Teſtes enim ſunt omnes, ſed maxime, ut ab antiquioribus ordiar, Cicero in oratione in toga candida in Catilinam, cum inquit: *A quibus conſulatum petis? a ſenatoribus, qui te auctoritate ſua ſpoliatum ornamentis omnibus, vinctum pene Africanis oratoribus tradiderunt? ab equeſtri ordine, quem trucidaſti? a plebe, cui ſpectaculum ejuſmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo ſine luctu aſpicere, ſine gemitu recordari poſſet?* & in oratione pro domo: *Senatus decrevit, ut omnes, qui remp. ſalvam eſſe vellent, ad me unum defendendum venirent: proximus eſt huic dignitate ordo equeſter, omnes omnium publicanorum ſocietates de meo conſulatu ampliſſima decreta fecerunt, nullum eſt in hac urbe collegium, nulli pagani, aut montani, (quoniam plebi quoque urbanæ majores noſtri conventicula, & quaſi conſilia quædam eſſe voluerunt,) qui non ampliſſime de mea ſalute decreverint.* & Livius bello Punico: *Conſenſum ſenatus equeſter ordo eſt ſequutus, equeſtris ordinis plebs.* & Valerius de fiducia ſui: *Scipio ſenatum totum, & univerſum equeſtrem ordinem, & cunctam plebem comitem habuit.* & Paterculus lib. I. *Tum ſenatus, atque equeſtris ordinis pars melior, & intacta pernicioſis conſiliis plebs in Gracchum irruere.* Quid de Appiano dicam, qui lib. I. equites inter ſenatum, & plebem interjectos prodidit; aut de Auſonio, qui cecinit? *Martia Roma triplex equitatu, plebe, ſenatu.* aut de Plinio, A qui ſcripſit, *annulos plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inſeruiſſe?*

Horum autem trium ordinum cum ſummus ſenatorius fuerit, infimus plebs, medius equeſter, factum eſt, ut quem ex ampliſſimo ordine eſſe ſignificare vellent, eum ſenatorem, ſive ſenatorii ordinis; quem e medio, equitem Romanum, ſive equeſtris ordinis; quem ex infimo, e plebe hominem ſive plebeium appellarent. ſic enim Cicero, qui in Cluentiana dixit, *M. Bebrium ſenatorem, & L. Plætorium ſenatorem.* & Aſconius, qui in Miloniana: *Sex. Tedium Senatorem, C. Vibienum ſenatorem.* B & item in Bruto Cicero: *equitem Romanum, C. Titium.* & in Verrem: *C. Muſtium equitem Romanum.* & iterum in Bruto: *noſtris ordinis Q. Sertorium, equeſtris C. Gorgonium.* eademque ratione pro Cluentio: *ſenatorii ordinis Fidiculanium.* & pro Milone: *Eques Romanus unus, duo de plebe novi homines.* & in Verrem: *P. Junii erat hominis de plebe Romana filius.* & Suetonius in Claudio: *E plebe homo juxta cubiculum ejus cum pugione deprehenſus eſt, reperti & equeſtris ordinis duo.* & in Nerone: *Adoleſcentes equeſtris ordinis, & quinque millia e plebe.* Poſtremo Aſconius: C *Senator a cenſore ſenatu movetur, eques Rom. equo ſpoliatur, plebeius in ærarios refertur.*

Præterea vero, quorum majores ſenatores fuerunt, ii ſenatorio; quorum equites, equeſtri loco, atque familia orti dicebantur. Itaque & Cicero in defenſione Murenæ, patrem Ser. Sulpicii, & in prima agraria, ſe conſulem *equeſtri loco ortum* profitetur. & Suetonius, *Auguſtum ſe nihil amplius, quam equeſtri familia, in qua & primus ſenator pater ſuus fuerit,* tradidiſſe ait. & Tacitus lib. V. *Vinicium patre, atque avo conſularibus, cetera equeſtri familia fuiſſe* D prodit; & in Verrem quarta Cicero: *Lex ab homine non noſtri generis, non ex equeſtri loco, ſed nobiliſſimo promulgata.*

Quando igitur tantum hi ordines auctoritatis adepti ſunt, ut diverſas inter ſe familias reddiderint, ſane videndum eſt, a quo, & quemadmodum initia, & incrementa acceperint, quid ad remp. ponderis, quid ad civitatem Romanam momenti attulerint. quæramus autem primum de ſenatoribus.

E

CAP. II.
De Senatoribus.

ORDINUM varietatem intuliſſe Romulus videtur. idem enim ſenatum, idem equites inſtituit. ex quo intelligi poteſt, qui neque ſenatores, neque equites eſſent, eos ab eodem in tertio plebis ordine relictos fuiſſe. Senatores autem nominavit, quos ad conſultationes de rep. advocavit.

quod ſenes fere, & majores natu acciverit, ad quos de ſumma reip. referret, atque ex eorum auctoritate omnia ageret, quæ publice ſibi ſuſcipienda exiſtimaret. Eoſdem autem etiam patres appellavit, nempe a curæ ſimilitudine, ut ſcripſit in Catilinæ conjuratione Salluſtius: *Delecti*, inquit, *quibus corpus annis infirmum, ingenium ſapientia validum erat, reipub. conſultabant. hi vel ætate, vel curæ ſimilitudine patres appellabantur*. unde procedentibus temporibus patres conſcripti nuncupati, qui in novum ſenatum erant lecti. quanvis poſtremo uſus obtinuerit, ut omnes ſenatores uno patrum conſcriptorum nomine vocarentur.

Senatorum vero lectio fuit varia. nam penes & reges, & conſules, & cenſores legendi ſenatus aliis, atque aliis temporibus, arbitrium fuit. Dionyſius Romulum ſenatores centum ita legiſſe ſcribit, ut ipſe unum ex omnibus præſtantiſſimum deſignarit, cui ipſe ad bellum egrediens civitatis procurationem committeret. reliquos autem ſingulis tribubus ternos prudentia, ac nobilitate claros, totidemque ſingulis curiis ex patriciis maxime idoneos cooptandos permiſerit. Quam autem in legendo reges alii ſequuti ſint rationem, parum ex annalibus liquet. Quod ſi Feſto auctori non contemnendo credimus, non ſolum reges, ſed etiam conſules, quos voluerunt, pro arbitrio ſibi ſublegiſſe dicemus. Ejus autem verba ſunt hæc: *Præteriti ſenatores quondam in opprobrio fuerunt, quod ut reges ſibi legebant, ſublegebantque, quos in conſilio publico haberent, ita poſt exactos eos, conſules quoque & tribuni militum conſulari poteſtate conjunctiſſimos ſibi quoſque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant, donec Ovinia tribunicia intervenit, qua ſancitum eſt, ut cenſores curiatim in ſenatum legerent*.

Neque vero numerus ſenatorum idem omnibus temporibus factitatus eſt. Dionyſius, qui bis a Romulo ſenatum lectum ſcribit, primum ex Albanis, quos ſocios urbis condendæ habuit, lectos centum ait; deinde ex Sabinis, quos fœdere cum Sabinis icto in civitatem aſſumpſit, alteros centum, ut omnino eſſent ducenti; Priſcum inde regem alios centum allegiſſe, factoſque eſſe trecentos; poſtremo Brutum conſulem primum, Valerii collegam, eum numerum a Tarquinio Superbo cædibus, & expulſionibus imminutum expleviſſe. Quare lectionum meminit etiam Livius. in eo tantum diſcrepat, quod centum a Romulo, ducentos a Priſco, trecentos a Bruto allectos tradit, cum quibus nec diſſentit Feſtus, cum ait: *Qui patres, quique conſcripti vocati ſunt in curiam, quo tempore regibus urbe expulſis, P. Valerius conſul propter inopiam patriciorum ex plebe allegit in numerum ſenatorum centum & ſexaginta quatuor, ut expleret numerum trecentorum*. Quod autem ſcribit, cœptum tum dici, *Qui patres, quique conſcripti*, idem confirmat etiam Livius, patres conſcriptos eſſe vocatos aſſerens, qui a Bruto in novum ſenatum erant lecti, cum tamen alii, quos Romulus ex Sabinis, alii quos Priſcus rex legit, conſcriptos prodant. Conſtans ergo opinio eſt, ſenatores omnino poſt reges exactos fuiſſe trecentos: quem numerum permultos poſt annos eſſe invenio obſervatum. Sunt tamen qui a C. Graccho trib. pleb. allectis ex equeſtri ordine trecentis ſexcentos lege primum factos ſcribant. quod & apud Plutarchum eſt, & in epitoma Liviana. quam ego legem aut a populo antiquatam, aut haud ita multo poſt abrogatam eſſe, inde ducor ad ſuſpicandum, quod eandem poſt a M. Livio Druſo tribuno pl. relatam invenio apud Appianum. is enim, quod Gracchus ante tentaſſe dicitur, ut judicia inter ſenatores, equiteſque communicaret, legem tuliſſe fertur, ut ad trecentos, qui tum erant, ſenatores trecenti ex equitibus adſcriberentur, atque ex ſexcentis, ex quibus univerſus ſe-

A natus eſſet, judicum decuriæ legerentur. Verum & hanc etiam legem una cum ceteris Druſi legibus Philippo coſ. referente, uno S. C. ſublatam, ſatis certum eſt. Inde vero duas ſenatus lectiones invenio, unam Sulla, & Rufo coſſ. factam, alteram Sulla dictatore. Utriuſque meminit Appianus; prioris ita, ut in ſenatum tum maxime propter infrequentiam contemnendum trecentos ex optimatibus ipſos legiſſe conſules dicat. quam tamen lectionem ego a cenſoribus, qui tum erant, Cæſare, & Craſſo, non a conſulibus factam eſſe exiſtimo; poſterioris ita, ut ſenatum exhauſtum trecentis principibus equeſtris ordinis lectis dato tribubus de ſin- B gulis ſuffragio ipſum dictatorem ſuppleviſſe ſubjiciat. Ex quo intelligi poteſt, ſenatorum numerum omnino eſſe a Sulla amplificatum. Quanquam autem certum Sullani ſenatus numerum afferre nullum poſſum, tamen ſupra quadringentos ab eo lectos, mihi non imbecilla nixus conjectura affirmare videor poſſe. ſiquidem Cicero in epiſtola quadam, quam ad Atticum Meſſala & Piſone coſſ. ſcripſit, inquit: *Homines ad* XV. *Curioni nullum S. C. facienti aſſenſerunt. facile ex altera parte* CCCC. *affuerunt*. Auctum inde uſque ad nongentos a Cæſare dictatore ſenatum, & poſt necem Cæ- C ſaris a triumviris reipub. conſtituendæ indigniſſima etiam turba repletum, & Dionis, & omnium prope loquuntur hiſtoriæ: ex quibus ſcitum, & elegans illud eſt Suetonii: *Auguſtum ſenatorum affluentem numerum deformi, & incondita turba, (erant enim, inquit, ſuper mille, & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam, & præmium allecti, quos orcivos vulgus vocabat) ad modum & ſplendorem priſtinum redegiſſe*. Quoniam autem alius aliis temporibus numerus ſenatorum eſt celebratus, hinc obſervatum lege eſt, ut non omnibus temporibus idem ſenatorum numerus ad Senatuſconſulta facienda requireretur. ſiquidem ante Syl- D læ tempora centum, ante Cæſaris, ducentis, Auguſti ætate quadringentis opus fuit. Ac de centum quidem video elici poſſe ex Livio, apud quem ſcriptum eſt: *Senatuſconſultum factum, ne quis ſacrum Bacchanalium faceret, niſi ei permiſſum eſſet, cum in ſenatu centum, non minus, eſſent*. de ducentis argumento eſt lex Cornelia in conſulatu Cottæ, & Torquati, teſte Aſconio, lata: *Ne quis legibus ſolveretur niſi ducenti affuiſſent*. nam de quadringentis auctor eſt Dio, qui ſcribit, *Auguſtum legiſſe ſenatum, & cum videret non ſemper frequentes ſenatores convenire, Senatuſconſulta ut etiam a pau- E cioribus, quam quadringentis, fierent, cum hic ante numerus, ut rata eſſent, quæreretur, ſtatuiſſe*. Ex quo moris illud manavit, de quo Feſtus: *Senatorem quenque conſuli, ut numeraret ſenatum, præcepiſſe, cum impedimento eſſe volebat, quominus faceret S. C. ſi tot non eſſent ſenatores, quo numero liceret perſcribi Senatuſconſultum*.

In ſenatoribus porro legendis, generis, ordinis, cenſus, ætatis & magiſtratus habitam eſſe rationem, reperio. Generis, ut ex iis familiis legerentur, quibus ſenatus pateret. patuit autem primum patriciis, poſt etiam plebeiis. Romulus enim, & F Priſcus non niſi ex patriciis quenquam legiſſe a Dionyſio traduntur, id eſt, ex iis, quos ante in patriciorum numerum retuliſſent. Quod ſi Zonaram hiſtoricum audias, Ser. Tullium primum plebeios in ſenatum vocaſſe ſtatues. is enim plebeios ab eo rege in ſenatum lectos tradit, ut gratiam eis referret, quod rogationem de ſuo regno magno animorum conſenſu juſſiſſent. ſi autem Feſti verba attendas, anno primo libertatis hoc fieri cœptum exiſtimabis, qui Poblicolam conſulem, Bruti collegam, primum in ſenatum plebeios patriciorum inopia allegiſſe ſcribit. quod neſcio, an ita intelligendum ſit, plebeios tum quidem eſſe in ſenatum aſcitos, ſed qui

sed qui antequam asciscerentur, patricii essent facti. nam id ita factum aperte prodit Dionysius. Quod si Dionysium ipsum sequamur, aliquanto serius plebi senatum communicatum esse dicemus. is enim in exponenda patrum adversus plebem pro Coroliano contentione, quæ in secundo Minucii & Sempronii consulatu, anno ab urbe condita ducentesimo sexagesimo suscepta est, ita loquitur, ut multo post eum annum id juris plebi impertitum esse significet. nam ubi Corolianum, virum patricium, a plebe, tributis comitiis, novo exemplo, urbe pulsum narravit, ita subdit: *Atque hinc quidem plebis opes creverunt: optimates autem multas partes antiquæ dignitatis amiserunt; cum & senatus, & magistratuum, & sacerdotiorum partem plebeiis fecissent, & alia etiam ornamenta communicassent, quæ propria patriciorum fuerant.* significat autem ut aliquot post annos honores, sic etiam senatum plebi esse permissum. Factum autem hoc esse ante annum trecentesimum vigesimum inde apparet, quod Livius de Sp. Mælio, plebeio homine loquens in seditione ejus explicanda ait: *Quem senatorem vix concoquere civitas posset, eum regem quomodo ferret?* Quod si conjecturæ locus dandus est, id ego decemvirum maxime consularium tempore institutum esse crediderim, ex quibus aliquot e plebe fuerunt; quos in senatum propter magistratus ipsius amplitudinem ascitos esse, atque eorum exemplo post alios etiam ascriptos facile existimaverim, præsertim vero postquam plebeii de tribunatu militari, quæ erat par consulatui potestas, capiendo pervicerunt.

Ordinis autem ea fuit ratio, ut cum in senatum legendi essent, maxime ex equestri ordine, qui proximus dignitate erat, legerentur. Hoc Livius ostendit, qui libro secundo, senatum ex primoribus equestris ordinis a Bruto consule scribit esse suppletum. & libro XLIII. Perseum Macedoniæ regem ita facit loquentem: *Equites Romanos principes juventutis, equites seminarium senatus, inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant.* indicat lex Drusi, qua tulit, ut singuli senatores, qui tum vix erant trecenti, viritim sibi quisque senatorem equitem Rom. legerent. demonstrat lex Syllæ, quem senatum ex equestri ordine supplevisse in epitomis, atque in Appiani historia extat.

Censum præterea in legendo senatu spectatum, non est dubium. Declarat hoc Seneca declamationum libro II. *Senatorum*, inquit, *gradum census ascendere facit. census Romanum equitem a plebe discernit, census in castris ordinem promovet. census in foro judex legitur.* An vero hoc antiquum fuerit institutum, in dubium revocare videtur Plinius lib. XIV. cum ait: *Posterius laxitas mundi, & rerum amplitudo damno fuit. postquam senator censu legi cœptus, pessum iere vitæ precia.* Laudatur autem census in senatore, ne splendor amplissimi ordinis rei familiaris angustiis obscuretur. Ceterum ante Augustum censum senatorium sestertium octingenta millia fuisse, eumque ab Augusto ampliatum, tradit his verbis Suetonius: *Senatorium censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies* H. S. *taxavit, supplevitque non habentibus.* qua de re Dio ita: *Inde senatus lectus est. postquam enim iis census primum centum millium præfinitus erat, quod multi patrimonia bellis amisissent: procedente autem tempore divitiis magnis partis usque ad* CCL. *millia perductus erat, nemo reperiebatur, qui legi vellet. immo vero & filii, & nepotes senatorum afflicta re familiari non solum senatoriam dignitatem non appetebant, sed ea quoque se abdicabant.* scite. Non enim solum, si quis senatorium censum non haberet, senator legi non poterat, sed si posteaquam lectus esset, censum labefactasset, ordinem amittebat. unde

A præclara illa sunt in epistola Ciceronis ad Q. Valerium: *C. Curtius habet in Volaterrano possessionem. hoc autem tempore Cæsar eum in senatum legit, quem ordinem iste ista possessione amissa vix tueri potest.*

Quin etiam ætatem in legendo senatore certam esse observatam, inde suspicari possumus, quod scribit Gellius lib. XIV. præfectum urbis ea ætate factum, quæ non esset senatoria. & ex eo, quod dixit Cicero de Pompeio in Maniliana: *Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium, atque exercitum dari?* At quæ tamen ætas
B hæc esset, nondum me pro certo invenisse profiteor. Cum autem maxime, qui magistratus ceperint, legi in senatum consueverint, quæstura autem primus urbanus fuerit magistratus, fit, ut ego ætatem quæstoriam eandem prope ac senatoriam fuisse existimem. legitimum autem capiendæ quæsturæ annum fuisse vicesimum septimum ætatis, satis ab aliis demonstratum est. Tuetur autem conjecturam meam Valerius, cum scribit: *P. Crasso Q. Fabius narravit, quod in curia erat actum, memor, eum triennio ante quæstorem factum, ignarusque nondum a censoribus in ordinem senatorum electum.* sustinet etiam Cicero in Philippi-
C cis, qui de Octaviani præmiis differens ita censet; *C. Cæsarem C. F. pontificem propr. senatorem esse, sententiamque loco prætorio dicere, ejusque rationem, quæcunque appetet, ita haberi prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset.* itemque in oratione pro domo, in qua P. Clodium nondum tribunum pl. sed tantum, ut suspicari licet, quæstorium senatorem adoptatum ait.

Ex quibus verbis illud præterea intelligi potest, senatorem legi ex ordine, nisi qui magistratum gessisset, non fuisse solitum. cui mori congruenter Cicero sanxit in legibus suis, *e magistratibus se-*
D *natum esse oportere.* unde illud est in oratione de signis apud eundem, cum de senatorio loquitur ordine: *Populi Rom. beneficio nos in hunc ordinem venimus.* quod est aliud nihil, nisi per magistratum populi Romani. Itaque idem in senatu post reditum dixit, *se populi Rom. honoribus in amplissimo consilio, & in altissimo gradu dignitatis, atque in ipsa omnium terrarum arce collocatum.*

Est tamen illud animadvertendum, quanquam hæc omnia in aliquo constarent, non tamen iccirco necessario senatorem eum fuisse. opus enim fuit lectione censoris, usque adeo, ut ne qui magistratus quidem gessissent, nisi a censoribus lecti
E essent, senatores esse possent. quod loco supra citato aperte tradit Valerius, subjiciens; *Ignarusque nondum a censoribus in ordinem senatorum electum, quo uno modo etiam iis, qui jam honores gesserant, aditus in curiam dabatur.* Neque vero solum legendi senatoris arbitrium fuit censorium, sed etiam prætereundi, & movendi; ita ut, quem in recitando senatu nominassent, is lectus in senatum; quem præteriissent, idem senatu motus putaretur. exemplorum autem plena est omnis historia.

Atque hæc quidem legendi senatus ordinaria ra-
F tio fuit, ut & a censoribus, & eo, quo demonstravi, modo legeretur. fuerunt autem extraordinariæ præterea multæ; ut Ap. Claudii Cæci censoris, qui libertinorum filios legit. quæ lectio a sequentibus censoribus non est observata, de qua Livius libro IX. & altera Fabii Buteonis dictatoris senatus legendi caussa dicti, bello Punico II. de qua idem ita: *Buteo dictator negavit, se quenquam e senatu moturum ex iis quos C. Flaminius, & L. Æmilius censores in senatum legissent, & ita in demortuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. Recitato ve-*

teri senatu inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium, C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, nec dum in senatum lecti erant, ut quisque eorum primus creatus erat. tum legit qui ædiles, tribuni pl. quæstoresque fuerunt, tum ex iis, qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita centum septuaginta septem cum ingenti approbatione hominum in senatum lectis extemplo magistratu se abdicavit. quibus ex verbis apparet, qui curulem magistratum gesserant, iis prælatos, qui plebeium; hos vero iis, qui egregie se in bello gessissent. tertia fuit sive Gracchi, sive Drusi. quarta Syllæ dictatoris, qui senatum ex equitibus eo, quo dixi, modo suppleverunt. quinta Cæsaris dictatoris, qui, ut ait Suetonius, *civitate donatos, & quosdam e semibarbaris Gallorum*, ut Dio, *milites, & libertinorum filios recepit in curiam.* sexta triumvirum reip. constituendæ, qui L. Marcio, C. Sabino coss. *non socios solum, ac milites, & libertinorum filios, sed servos etiam ipsos*, teste Dione, *in senatum susceperunt.* septima Augusti Cæsaris, de qua alibi dicendum.

Insigne autem senatorum fuit tunica lati clavi, qua ab equitibus sunt separati. cujus rei exemplis vetera abundant monumenta. Plinius lib. XXXIII. *Annuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperunt esse celebres, sicut tunica ab annulis senatum tantum.* Suetonius in Augusto: *Sumenti virilem togam tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidit. fuerunt, qui interpretarentur, non aliud significare, quam quod is ordo, cujus insigne id esset, quandoque ei subjiceretur*, id est, ordo senatorius. & in Tiberio: *Senatori latum clavum ademit, quum cognovisset sub K. Julii demigrasse in hortos, quo vilius post diem ædes in urbe conduceret.* Latus vero clavus dictus est teste Festo, a latitudine clavorum; unde Varro de lingua Latina. *Si quis tunicam in usu ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis.*

Quæstum porro omnem in senatore indecorum fuisse refert Livius, ubi anno urbis conditæ DXXXV. T. Sempronio, P. Cornelio coss. legem a Q. Claudio tribuno pl. latam scribit. *Ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus, quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis visum ad fructus ex agris vectandos. quæstum omnem patribus indecorum esse, visum.* Quo spectans Cicero in VII. in Verrem dixit: *Noli metuere Hortensi, ne quæram, qui licuerit navem ædificare senatori. antiquæ sunt istæ leges & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere, quæ vetant: fuit ista respublica quondam, fuit ista severitas in judiciis, ut istam rem accusator in magnis criminibus objiciendam putaret.*

Senatores autem in petendis honoribus fuisse occupatos, unde multa ornamenta domi, forisque pepererint, indicat in Cluentiana Cicero, dum ita agit: *Iniquum esse, eos, qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem prætermisissent, populi beneficiis esse privatos, judiciorum novorum periculis non carere. Senatorem hoc queri non posse, propterea quod ea conditione proposita petere cœpisset. quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen, & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ.* & pro Postumo: *Delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, triumphi, denique imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita.* Quæ quidem senatorum esse ornamenta dicimus, non ut in senatum veniunt, sed ut honores receperunt, a quibus reliqui ordines abstinuerunt.

Neque vero illud hoc loco prætereundum est, qui in senatum venirent, non omnes senatores fuisse, verum eos duntaxat senatores appellatos, qui a censoribus, aut ab iis, qui jus senatus legendi haberent, lecti essent; alios enim fuisse senatores, alios eo gradu, ut in senatu sententiæ dicendæ jus haberent. Hi vero erant, qui magistratibus functi in senatum venire, & sententiam dicere poterant, senatores tamen a censoribus lecti non erant. de quibus in hunc modum scribit ex Varronis sententia Gellius: *Varro in satyra Mænippea equites quosdam dicit pedarios appellatos, videturque eos significare, qui nondum a censoribus in senatum lecti, senatores quidem non erant, sed quia honoribus populi usi quidem erant, in senatum veniebant, & sententiæ jus habebant. Nam & curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus lecti erant, senatores non erant. & quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas descendebant. Hoc significabat edictum, quo nunc quoque consules, cum senatores in curiam vocant, servandæ consuetudinis caussa, translatitio utuntur. verba edicti hæc sunt: Senatores quibusque in senatu sententiam dicere licet.* Hujus vero edicti meminit etiam Livius lib. XXIII. *Consules*, inquit, *edixerunt, quoties senatum vocassent, uti senatores, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ad portam Capenam convenirent.* & alibi: *P. Cornelius consul edixit, qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ne quis eorum ab urbe abiret.* Hunc autem, credo, etiam morem respexit, cum dixit de Salinatore: *A censoribus coactum in senatum venire. sed tum aut verbo assentiebatur, aut pedibus in aliorum sententiam ibat.* Quanquam Gellius eodem in loco pedarios senatores dictos ab aliis subjicit; *qui non sententiam in senatu dicerent, sed ab aliis dictam moventes se loco adprobarent; ab aliis, qui curules magistratus nondum gessissent, unde in curiam non curru, ut ceteri veherentur, sed pedibus irent.* Festus autem edici solere ait, *Ut senatores adsint, quibusque in senatu sententiam dicere licet. quia ii, qui post lustrum ex junioribus magistratum ceperunt, & in senatu sententiam dicunt, & non vocantur senatores, antequam in senioribus sunt censi.* quos credo etiam intellexit Cicero in Cluentiana cum dixit: *Cluentius eques Rom. caussam dicit, qua lege senatores, & ii, qui magistratum habuerunt, soli tenentur.*

Fuisse etiam tribunos plebis sine lectione censoria senatores post Atinium plebiscitum existimo, cujus meminit Gellius lib. XIV. ita ex Capitone: *Tribunis plebis senatus habendi jus erat. quanquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* Hunc vero C. Atinium Labeonem tribunum pl. opinor fuisse, qui cum timeret, ne a sequentibus censoribus in senatu legendo præteriretur, quod Q. Metellum Macedonicum censorem a quo præteritus fuerat, de saxo Tarpeio dejici jusserat, eam rogationem tulerit in tribunatu, ut vi ipsa gesti tribunatus, non censoris beneficio senator esset. Unde scribit Livius lib. XLV. *Cn. Trebellium tribunum pl. petitioni censorum, quia lectus in senatum non fuerat, intercessisse.*

Hactenus de senatoribus. Senatus autem cognitionem, atque auctoritatem qui requirit, is quid libro VI. Polybius scribat, attendat. neque enim nos senatus nunc, sed senatorum, jura quærimus.

CAP. III.

De Equitibus Romanis.

UT autem senatores a Romulo, sic equites etiam instituti sunt. Docet hoc Dionysius, cum scribit: *Romulus cum senatum ex viris*

natu grandioribus centum constituisset, intelligeretque se armata juventute ad corporis custodiam, & ad ea, quæ instarent, opera indigere, trecentos viros, quos ex clarissimis familiis robore præstantissimos selegit, eosque a curiis eodem modo, quo senatores, declarandos curavit, ex singulis curiis denos circa se perpetuo habuit. Celeres autem dicti sunt, vel a celeritatis officio, vel ut Antias prodidit, a duce Romuli Celere, qui his tribus centuriis præpositus est. In bellis autem sæpe strenue se gesserunt, cum primi prælium inirent, ultimi confecto prælio excederent, & modo equis, modo pedibus, prout loci natura dabat, pugnarent. docet etiam, sed aliquanto brevius Livius: *Trecentos Romulus,* inquit, *armatos ad custodiam corporis, quos Celeres nominavit, non in bello solum, sed etiam in pace habuit.* Eosdem autem post a Numa, teste Plutarcho, sublatos alii restituisse reges videntur, siquidem L. Brutus L. Superbo regi præfectus Celerum fuisse traditur. Hos autem Flexumines postea, inde Trossulos, tum Equites dictos invenio apud Festum, & Plinium. Verba Festi hæc sunt: *Celeres antiqui dixerunt, quos nunc Equites dicimus, a Celere interfectore Remi, qui initio a Romulo iis præpositus fuit, qui primitus electi fuerunt ex singulis curiis deni, ideoque omnino trecenti fuere.* & alio loco: *Trossuli Equites dicti, quod oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperint.* Plinii vero lib. XXXIII. *Equitum nomen sæpe variatum est in iis quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo, regibusque appellati sunt, deinde Flexumines, postea Trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum novem milia sine ullo peditum adjumento cepissent ejus vocabuli, idque duravit ultra C. Gracchum, Junius certe, qui ab amicitia ejus Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: Quod ad equestrem ordinem attinet, antea Trossulos vocabant, nunc equites vocant, ideo quia non intelligunt Trossulos nomen, quid valeat, multos pudet eo nomine appellari, & caussam, quæ supra indicata est, exponit, invitosque etiamnum tamen Trossulos vocari.* Hæc Plinius.

Hæc ergo sunt ordinis equestris, qui senatorio oppositus est, primordia, hæc fundamenta. cujus ab initio exiguæ opes, ac copiæ adeo postremo creverunt, ut cum senatoribus, & cum plebe non contenderint solum, sed acerbas etiam inimicitias exercuerint. Rara autem eorum mentio est sub regibus. Livius tantum Prisco regnante loca in circo patribus, equitibusque divisa scribit. Zonaras Superbum plerosque patrum, atque equestris ordinis sustulisse prodit. Liberata autem regno rep. hujus ordinis memoriam usurpari a Livio video, cum primores equestris ordinis a Bruto cos. in senatum lectos scribit. itemque a Dionysio, cum in describenda conjuratione, quæ Ser. Sulpicio, M. Tullio coss. facta est, anno post reges exactos decimo, senatoribus, & equitibus a consule negotium custodiendarum urbis partium datum tradidit. & iterum a Livio, M. Papirio, C. Nautio coss. anno CCCXLII. cum scribit, *non plus singulis senatoribus in legationes inventis coactos esse binos equites adjicere.* Inde equitum in bello crebra mentio, in civitate, nisi post Gracchorum tempora, rara.

De quibus antequam dicam, illud, quod hujus quæstionis caput est, proponendum videtur, Equites, & equestrem ordinem Romæ duobus modis esse acceptum. uno, quo, ut diximus, equites senatoribus in civitate; altero, quo peditibus in acie opponuntur. Utraque autem divisio a Romulo in remp. illata est. Idem enim, cum legionem constituisset ex tribus peditum millibus, legioni equites trecentos adjecit, auctore Plutarcho. Hos autem equites nihil aliud fuisse apparet, quam tres

A illas equitum centurias ab eodem conscriptas Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum, quas post auctas sub iisdem nominibus a Prisco rege, & sex factas Livius, Dionysius, & Festus prodidere. Itaque huc intuens Valerius dixit, *Priscum regem senatum auxisse, & ordinem equestrem uberiorem reliquisse.* quasi vero Priscus equitum, qui senatui opponuntur, non qui peditatui, numerum auxerit, cum inter utrumque genus plurimum interfuerit. Nam senator merere equo potuit: senator autem eques esse Romanus, ubi in senatum erat ascitus, desiit. Neque tamen nego, quin & hoc & illud equitum genus bella frequentarit, sed
B hoc dico, longe alia decora illorum equitum, quam horum & militiæ, & domi fuisse. Unde autem distinguerentur, nos in magna vetustatis obscuritate quæramus. Mihi quidem veterum, quos post nominabo, auctoritate ita persuasum est, Equites alios equo publico meruisse, alios privato. illos autem in civitate senatoribus, hos in exercitu peditibus respondisse; utrosque autem, aut regum, aut consulum, aut censorum, aut denique eorum, qui censendi jus haberent, arbitrio fuisse subjectos, ut ex censu, & ætate, quemadmodum pedites, legerentur. Quod ipsum Ciceronem video docuisse,
C cum in III. de legibus ita scivit: *Censores pecunias, ævitates, ordines partiunto. equitum, peditumque prolem describunto. ordines* enim cum dixit, senatum, plebem, & equites equo publico intellexit; cum *peditum, equitumque prolem,* qui privato equo, quique pedibus stipendia facerent, significavit. De utroque autem genere præclare Livius hoc modo: *Clades ad Vejos accepta Romam nunciata senatui curam, metumque injecit, ne tum vero sustineri, nec in urbe seditio, nec in castris posset, cum repente quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, senatum adeunt, & equis se suis stipendia facturos promittunt. quibus*
D *cum amplissimis verbis gratiæ essent actæ, subito ad curiam concursus fit plebis. pedestris ordinis se ajunt nunc esse, operamque extra ordinem reip. polliceri; patres laudare equites, laudare plebem, victam esse fateri comitatem senatus. Gratiæ peditibus, equitibusque actæ. Placuit omnibus his voluntariam extra ordinem militiam professis æra procedere. & equiti certus numerus æris assignatus. tum primum equis merere equites cœperunt.* Fuisse autem equites aliquot, qui equites equo publico dicerentur, testis est Cicero in VI. Philip. *Altera statua est,* inquit, *equitum Rom. equo publico, qui item ascribunt:* PATRONO. *quem unquam patronum iste ordo adopta-*
E *vit? si quendam, me debuit.* quibus verbis nos admonet, ordinem illum equestrem, quem ipse in consulatu suo in gratiam cum senatu reduxerat, ex iis equitibus fuisse, qui equo publico & fuerunt, & dicti sunt. Quos equites Asconius in Divinationem equites Romanos militares appellavit, cum dixit, populum Rom. Sulla victore judicandi jure spoliatum, quod habuit per equites Rom. militares. unde Plinius equum publicum equum militarem vocavit, cum de hoc ordine verba faceret. *Annuli,* inquit, *plane medium ordinem, tertiumque plebi, & patribus inserviere. & quod antea mi-*
F *litares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniæ judices tribuunt.* Item: *Equitum nomen substitit in turmis equorum publicorum.* intelligit enim equites primum ab equis publicis, post a censu Judices dictos. Non omnes autem, qui equo mererent, ex hoc ordine fuisse, ostendit in prima Philipica Cicero, qui in legem Antonii, qua centuriones in tertiam judicum decuriam conjiciebat, ita disputat, *At quæ est ista decuria judicum? centurionum, inquit. quid? isti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? census præfiniebatur: inquit. non centurioni quidem*

solum , sed etiam equiti Rom. Itaque viri honestissimi , atque fortissimi , qui ordines duxerunt , res & judicant , & judicaverunt . non quæro , inquit , istos . quicunque ordinem duxit , judicet . Atqui si ferretis , quicunque equo meruisset , quod est laudatius , nemini probaretis . in judice enim spectari & fortuna debet , & dignitas . Hæc ille . quibus satis perspicue demonstrat , non quicunque equo mereret , equestrem ordinem explevisse . nam equester ordo alteram judicum decuriam obtinebat . cui tertiam centurionum cum addere Antonius vellet , inquit Cicero : *Atqui si ferretis , ut quicunque equo meruisset , nemini probaretis* . quod hercle non dixisset , si quicunque equo mereret , judicia obtinuisset . ostendit idem Valerius , qui bello Punico II. *quadringentos juvenes equestris ordinis magnam partem equis publicis spoliatos* scribit , cum tamen qui equo mererent , iis temporibus inumeri essent. Erant igitur Equites Rom. de quibus nunc disputamus , non quicunque equo mererent , sed qui publico & militari . quem equum eis a censore assignatum invenio . sic enim Livius lib. XXXIX. *S. C. factum , ut tribuni pl. ferrent , ut P. Æbutio , cujus pater equo publico meruerat , emerita stipendia essent , ne invitus militaret , neve censor ei equum publicum assignaret*. Quid autem fuerit equus publicus , parum compertum est . Varro in libris de lingua Latina *equum publicum mille assarium* vocat . quibus verbis stipendium fortasse aliquod vel alendi , vel emendi equi caussa de publico constitutum significat . Fuisse autem & hos in centurias divisos , ostendit Cicero in Philippica septima . qui cum in sexta dixisset , *Triginta quinque tribus , equites Romanos equo publico , & tribunos militares L. Antonium patronum ascripsisse* , repetit ita in septima : *Sed , ut video , dominabitur Lucius , est enim patronus* XXXV. *tribuum , patronus centuriarum equitum , patronus eorum , qui tribuni militares fuerunt* . Atque his quidem puto satis intelligi posse , qui fuerint equites Romani illi , quos quærimus .

Ut autem senatores , sic etiam equites a censoribus lectos esse invenio , eosque ex utroque genere familiarum , patriciis , & plebeiis . primum enim C. Claudium Neronem patricium , & M. Livium Salinatorem plebeium equum publicum habuisse , testis est in eorum censura Livius ; deinde vero , quod multo certius est , Ser. Sulpicii Rufi patrem , virum patricium equestri loco natum scribit Cicero in defensione Murenæ .

Præterea ut senatores ex censu legebantur , sic etiam equites . fuit autem equestris census , quantum ex veteribus monumentis suspicari licet , senatorio minor , nimirum sestertium quadringentorum millium . Censum autem equestrem jam inde a primis etiam reip. temporibus celebratum , nemo est , qui revocare in dubium possit , qui Livium bello Vejenti scribentem meminerit : *Repente quibus census equester erat , equi publici non erant assignati , senatum adiisse , & equis se suis stipendia facturos dixisse* . quod idem memoria sua factum Cicero innuit libro nono epistolarum , cum ait : *Res familiaris alteri exigua est , alteri vix equestris* . Quadringenta porro millia equites esse censos ante initum civile bellum Suetonius testis est , apud quem ita legimus de Cæsare ad Rubiconem exercitum alloquente : *Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis . quod accidit opinione falsa . Nam cum in alloquendo , exhortandoque sæpius digitum lævæ manus ostentans affirmaret , se ad satisfaciendum omnibus , per quos dignitatem suam defensurus esset , annulum quoque æquo animo detracturum sibi , extrema concio , cui facilius erat videre concionantem , quam audire , pro dicto accepit , quod visu suspicabatur , promissumque jus annulorum cum millibus quadringentis dixit* . Quod idem Augusto etiam imperante servatum Horatius in prima epistola indicat ; qui fuit ejus æqualis , cum dixit .

Si quadringentis sex , septem millia desunt ,
Plebs eris .

Ad hæc vero ut per censum equestrem ordinem impetrabant equestrem , sic eosdem consumpto patrimonio equestris dignitatis insignia perdidisse , licet suspicari . Huc autem , credo , respexit Cicero in Sextiana , cum dixit de quodam luxurioso : *Equestris ordinis nomen retinet , ornamenta confecit* . & Suetonius , cum in hunc modum scripsit : *Cum plerique equitum attrito bellis civilibus patrimonio spectare ludos e* XIV. *non auderent metu pœnæ theatralis , Augustus pronunciavit , non teneri ea , quibus ipsis , parentibusque equester census unquam fuisset* .

Jam vero ut senatores non nisi ex iis fere , qui magistratus gessissent , legebantur , sic contra equites magistratus non capiebant ; ubi vero cepissent , equites esse , aut vocari delinebant . Id quod , ut multa alia , egregie Cicero in Cluentiana ostendit his verbis : *Converte te nunc ad equestrem ordinem , atque in ceteros ordines . easdem vitæ conditiones , quas senatores , non perferent . putant enim minus multos sibi laqueos legum , & conditionum , ac judiciorum propositos esse oportere , qui in summum locum civitatis aut non potuerunt ascendere , aut non petiverunt* . & de equitibus quibusdam paulo post : *Cum palam dicerent , se potuisse judicio populi Rom. in amplissimum locum pervenire , si sua studia ad honores petendos conferre voluissent , sese vidisse in vita senatoria , qualis splendor inesset , quanta ornamenta , quæ dignitas , quæ se non contempsisse , sed ordine suo patrumque suorum contentos fuisse . & vitam illam tranquillam , & quietam , remotam a procellis invidiarum , & hujusmodi judiciorum anfractu , sequi maluisse . aut sibi ad honores petendos ætatem integram restitui oportere , ut , quoniam id non posset , eam conditionem vitæ , quam sequuti petitionem reliquisent , manere . iniquum esse , eos , qui honorum ornamenta propter periculorum multitudinem prætermisissent , populi beneficiis esse privatos , judiciorum novorum periculis non carere . senatorem hoc queri non posse . propterea quod ea conditione proposita petere cœpisent . quodque permulta esent ornamenta , quibus eam mitigare molestiam poset , locus , auctoritas , domi splendor , apud exteras nationes nomen , & gratia , toga prætexta , sella curulis , insignia , fasces , exercitus , imperia , provinciæ* . Hæc Cicero . Quam sententiam sequutus item Cornelius Nepos dixit de Attico : *Is contemptis honoribus , quos facillime consequi potuisset , perpetuo acceptam a majoribus dignitatem equestrem obtinuit* . & Suetonius de Octaviano : *Duplex Octaviorum familia . alii functi sunt summis honoribus ; alii in equestri ordine constitere usque ad Augusti patrem . ipse Augustus se nihil amplius , quam equestri familia ortum scribit , in qua & primus senator pater suus fuerit* . & de Sulpitio Cicero in oratione pro Murena : *Tua nobilitas , Sulpici , hominibus litteratis notior , populo obscurior est . pater enim fuit equestri loco , avus nulla illustri laude celebratus . Quare ego te semper in nostrum numerum aggregare soleo , quod virtute , industriaque perfecisti , ut cum equitis Rom. esses filius , summa tamen amplitudine dignus viderere* . Hoc vero in genere fuit etiam Cicero . nam pater , & majores ejus equestri tantum dignitate contenti fuerunt , honores nullos ceperunt , ut ipse sæpe testatur . Quid plura ? Hoc sensit Velleius , cum dixit , *Vinicium Calibus ortum , patre , atque avo consularibus , cetera equestri familia fuisse* . nimirum equestrem appellans familiam , in qua nulli honores extiterant . Veterem autem equitem vocarunt , cujus majores equites fuerant . ut in Planciana : *Cum sit Cn. Plancius eques Rom. ea primum vetustate equestris ordi-*

nis, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes equites Rom. fuerint, deinde ut ipse in legionibus P. Crassi imperatoris inter ornatissimos homines equites Rom. summo splendore fuerit.

Quod autem dixi, magistratu capto equites esse desiisse, id refelli exemplis multis videtur posse, sed maxime Neronis, & Salinatoris censorum, & Pompeii Magni consulis, quos in iis magistratibus equum publicum habuisse legimus. scribit enim ita Livius; *Equitum deinde census actus est, & forte ambo censores equum publicum habebant. Itaque Nero Livium, Livius Neronem equum vendere jussit.* & Valerius de iisdem; *Cum equitum centurias recognoscerent, & ipsi propter robur ætatis etiamnum eorum e numero essent, alter alterum equum vendere jussit.* Pompeium autem narrat Plutarchus, cum primum consul esset, ad censores Lentulum, & Gellium equum manu ducentem venisse, atque ab iis ex ordine interrogatum, legitima a se omnia stipendia se imperatore confecta, respondisse. Quæ exempla ita interpretari videmur posse, ut dicamus, facile evenire potuisse, ut aut propter robur ætatis post captos magistratus equum publicum tenuerint, & tamen senatores fuerint, si quidem invenio apud Suetonium, *Augustum reddendi equi gratiam fecisse eis, qui majores annorum quinque, & quadraginta eum retinere nollent.* aut, quod malim, in senatum illi quidem, sed jure magistratus, non lectione censoria venerint. nam Salinatorem diserte scribit Livius a censoribus L. Veturio, P. Licinio *in senatum venire coactum, sed tum aut verbo assensum, aut pedibus in aliorum sententiam esse profectum.* recte. neque enim legisse eum potuerunt, cum nullo senatu lecto abdicarint. Pompeium autem perspicuum est consulem factum, cum adhuc eques Rom. esset, id est, ut inquit Dio, *cum nondum senator esset.* neque vero, quanquam quæsturam gesserat, legi in senatum ante consulatum potuit. cum per annos XVII. nulli censores fuissent, qui senatum legerent. neque ante dictatore Sylla legi propter ætatem potuisset. Fuisse autem hoc moris scribit Isidorus, *ut quanvis quis senatoria origine esset, tamen usque ad legitimos annos eques Rom. esset, deinde ordinem senatorium iniret.* Itaque & Pompeius hic Magnus Pompeii Strabonis viri consularis, ac triumphalis filius eques tamen Rom. fuit. atque equestris ordinis homines sæpe senatorum filios apud Livium fuisse animadvertimus. & in Verrem Cicero Cn. Calidii equitis Rom. filium senatorem, & judicem nominat.

Postremo vero ut insigne senatorum, quo ab equitibus Rom. distinguerentur, fuit latus clavus, sic equitum Rom. quo a senatu discernerentur, angustus clavus, a plebe, annulus aureus. De angusto clavo Velleius loquens de Mæcenate equite Romano; *Quippe vixit angusto clavo pene contentus. nec majora consequi non potuit, sed non optavit.* De annulo Plinius testis est, qui scripsit: *annulos medium ordinem, tertiumque plebi inseruisse, eosdemque ubi celebres esse cœperunt, alterum ordinem a plebe distinxisse.* Idem primum vestigium annulorum in urbe notavit P. Sempronio, P. Sulpitio coss. anno CCCCXLIV. cum Cn. Flavio libertini filio ædili curuli creato senatus, vel, ut alii prodiderunt, nobilitas annulos, & phaleras indignatione commota deposuit, quorum alterum senatorum, alterum equitum insigne fuerit, secundum notat bello Punico II. cum Annibal tres modios annulorum, quos clade Cannensi collegerat, Carthaginem misit, ex quo Plinius tum promiscui usus annulos fuisse conjicit, quod aliter summa illa annulorum confici nequiverit. At Livius Magonem Pœnum eos annulos in curia Carthaginensium effundentem dixisse refert, *neminem nisi equitem, atque eorum ipsorum primores aurei annuli ferre insigne.* primores autem, credo, intellexit, qui equo publico militarent: hoc tamen gloriose ab eo dictum judicat Plinius, qui annulos etiam senatoribus cum equitibus fuisse communes scribit, ita ut senatores ab equitibus tunica distinxerit, equites a plebe annulus aureus. quanquam neque senatores omnes Drusi tempore, id est, Marsico bello, annulos gestasse addit. Extat etiam in Dionis historia XLVIII. nemini quondam Romanorum non libertino solum, sed ne ingenuo quidem annulis uti aureis, præterquam senatoribus, & equitibus fuisse permissum. Annulos autem equitum fuisse ornamentum possum etiam Liviano testimonio comprobare, qui lib. IX. ait; *Extemplo sine ulla publica auctoritate concessum in omnem formam luctus est. Lati clavi, annuli aurei positi.* & lib. XLIII. *Equites in conspectu populi aureis annulis positis vestem mutarunt.*

Cum ergo equestris dignitatis insigne annulus aureus esset, hinc factum est, ut is vulgo a magistratibus datus sit, non ut eos, quos donarent, equites Rom. facerent, quos a censoribus fieri equo publico attributo ostendimus, sed ut eos eo jure afficerent, quo quidem essent, si lecti equites a censoribus essent. quorum illud est præcipuum, ut lege Roscia in XIV. gradibus considerent. Hoc pacto L. Sullam dictatorem Q. Roscium comœdum, C. Verrem prætorem scribam suum, Cæsarem dictatorem D. Laberium annulo aureo donasse accepimus. De Laberio autem placet Suetonii verba subscribere: *Ludis D. Laberius mimum suum egit, donatusque quingentis* H-S, *& annulo aureo, sessum in quatuordecim e scena per orchestram transiit.* & Macrobii; *Cum Laberius in fine ludorum annulo aureo honoratus a Cæsare, e vestigio in quatuordecim gradus ad spectandum transisset violato ordine, & cum detractus esset eques Romanus, & mimus remissus, ait Cicero prætereunti Laberio sedile quærenti: Reciperem te, nisi anguste sederem.* Neque vero solum ingenui, sed etiam libertini sæpe aureo annulo sunt donati, eo nimirum consilio, ut eis non equestria modo ornamenta, sed etiam ingenuorum jura ea largitione tribuerent. Unde scriptum reliquit Ulpianus, capite de jure annulorum aureorum, *qui tali jure affectus esset, eum tanquam ingenuum vivere, tanquam libertum mori. nimirum, quod patronus præteritus adversus ejus tabulas possessionem obtineret.* Quare cum dicat Dio, Menam Sex. Pompeii libertum post proditam patroni sui classem annulo aureo ab Augusto esse donatum, & in equitum censum ascriptum, eo munere in ingenuitatem ascitum interpretatur Suetonius, cum scribit, *Augustum neminem unquam libertinorum cœnæ adhibuisse excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem.* Quo de jure hæc eodem in loco Dio adjicit; Nemini quondam Romanorum non libertino solum, sed ne ingenuo quidem, annulos ferre aureos, præterquam senatoribus, & equitibus licuisse. eaque de re libertinos, quos imperator voluerit, quanquam alia de caussa aurum gerant, honoris tamen ergo, ut qui meliorem conditionem, quam quæ libertinorum est, nanciscantur, & equites fieri possint, annulis aureis donari.

CAP. IV.

De Publicanis.

NEQUE vero alienum est, quoniam de equitibus Rom. dicere cœpimus, de publicanis etiam, qui equites Rom. fuerunt, pauca subjungere. Sic igitur sentio, publicanorum ordinem equitum Rom. ordine constitisse, id est, publicanos nullos alios fere fuisse, quam equites Ro-

manos. Hoc vero cum aliorum multorum testimoniis planum facere possum, tum maxime Plinii, qui scribit; *Judicum appellatione separari equestrem ordinem, primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus. mox ea debellata auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit, & aliquando tertiæ vires publicani fuerunt. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, ei senatum concilians, ex eo ordine se profectum celebrans, & ejus vires peculiari popularitate quærens*. & Ciceronis in Planciana, qui ait: *Adjungam etiam, si vis, id quod tu etiam huic obesse putas, patrem publicanum. qui ordo quanto adjumento sit in honore, quis nescit? flos enim equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur*. & pro Postumo: *C. Curius princeps equestris ordinis, fortissimus, & maximus publicanus*. & pro domo: *Proximus est equester ordo. omnes omnium publicanorum societates amplissima de me decreta fecerunt*. & Livii libro XLIII. qui inquit: *Censores Gracchus, & Claudius, cum equis ademptis equestrem ordinem offendissent, flammam invidiæ adjecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia, aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, sociusve, aut affinis ejus conductionis esset. sæpe id querendo veteres publicanis, cum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriæ facerent, &c.* Erant ergo publicani equites Romani fere, qui publica vectigalia populi Romani & ultro tributa, quæstus sui caussa conducebant. ex quibus alii mancipes erant, alii prædes, alii socii, teste Polybio. Mancipem definit Festus, *quisquis a populo aliquid emit, conducitve, quia sublata manu significat se auctorem emptionis esse*. & Pædianus *mancipes principes publicanorum* esse ait, *qui quæstus sui caussa exigenda a sociis suo periculo exigant, & reip. repræsentent*. *Præs*, teste Festo, *est, qui populo se obligat, interrogatus a magistratu. & manceps etiam præs est. quia tam debet populo præstare, quod promisit, quam is, qui pro eo præs factus est. socii erant, qui in partem quæstus, & jacturæ a mancipibus, & prædibus vocabantur*. Hi ergo omnes conducebant in foro a censoribus, quorum arbitrio hoc a senatu mandatum muneris erat, certa se obligantes pecunia, quam quæstoribus urbanis repræsentabant. unde dixit contra Rullum Cicero: *Censoribus vectigalia locare, nisi in conspectu populi Rom. non licet, X. viris vendere vel in ultimis terris licebit?*

De ejusmodi vero conductione ex censura Catonis, & Flacci cognoscitur apud Livium: *Censores vectigalia summis preciis, ultro tributa infimis locaverunt. quas locationes cum senatus precibus, & lacrymis publicanorum victus induci, & de integro locari jussisset, censores edicto summotis ab hasta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paululum imminutis preciis locaverunt*. & ex censura Claudii, ac Sempronii, *Edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia, aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet. contentione orta cum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: Quæ publica vectigalia ultro tributa C. Claudius, & Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset, de integro locarentur, & ut omnibus redimendi, & conducendi promiscue jus esset*. In primis autem publicani in conducendis provinciarum vectigalibus erant occupati. quæ perinde ac Italica, ex agris, & pascuis, & portubus publicis exigebantur. In agris enim publicis homines quidam colendi caussa collocati erant, qui aratores, atque agricolæ dicti decumam frumenti populo Rom. dabant, in pascuis alii, qui pastores appellati certum stipendium persolvebant, quod scripturam dicebant. publicani vero, qui decumas redimebant, decumani; qui pascua, pecuarii; qui portus, portitores; & vectigalia ipsa decumæ, scriptura, ac portorium vocabantur. Aratores autem, & pastores fere cives Romani erant, qui & ipsi quæstum sequuti agros publicos colebant, aut pecora alebant. Unde dixit Cicero in Verrem: *Siciliam cives Rom. partim cum quæstu, compendioque dimittere, partim retinere, ut arare, pascere, ut negotiari libeat: ut denique sedes, ac domicilium collocare*: & in Fonteiana: *Referta est Gallia negotiatorum, plena civium Rom. unum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant*. item: *Omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, ceteri negotiatores Fonteium defendunt*. & in Verrem: *Pulsos aratores esse dico, agros vectigales vexatos, atque exinanitos a Verre*. item: *Magni, & navi aratores agros latos & fertiles desererent, totasque arationes derelinquerent*. De decumanis vero, & pecuariis, & portitoribus, qui ab aratoribus, & pastoribus, & mercatoribus decumas, & scripturas, & portoria, quæ redemerant, exigebant, Asconius in Divinationem, *Mancipes*, inquit, *sunt publicanorum principes, qui quæstus sui caussa si decumas redimunt, decumani appellantur, si portum, portitores, si pascua publica, pecuarii, quorum ratio scriptura dicitur*. & Cicero in Maniliana: *Asia tam fertilis est, ut ubertate agrorum, & varietate fructuum, & magnitudine pastionis, & multitudine earum rerum, quæ exportantur, facile omnibus terris antecellat*. & post: *Cum hostium copiæ non longe absint, etiam si irruptio facta nulla sit, tamen pecora relinquuntur, agricultura deseritur, mercatorum navigatio conquiescit. Ita neque ex portu, neque ex decumis, neque ex scriptura vectigal conservari potest. quare sæpe totius anni fructus uno rumore periculi, atque uno belli terrore amittitur. quo tandem animo esse existimatis, aut eos, qui vectigalia vobis pensitant, aut eos, qui exercent, & exigunt: cum duo reges cum maximis copiis prope adsint, cum una excursio equitatus perbrevi tempore totius anni vectigal auferre possit, cum publicani familias maximas, quas in sylvis habent, quas in agris, quas in portubus, atque custodiis, magno periculo se habere arbitrentur?* & in Flacci defensione: *Mirandum vero est homines eos, quibus odio sunt nostræ secures, nomen acerbitati, scriptura, decuma, portorium, morti, libenter arripere facultatem lædendi*. Adde, quod Festus scriptuarium agrum definit, *in quo ut pecora pascantur, certum est æs. quod publicanus scribendo confecit rationem cum pastore, nam proprie scripturam pecuariorum rationem dici*. De pascuis notum illud est Plinii: *Etiam nunc in tabulis censoriis pascua dicuntur omnia, ex quibus populus redditus habet, quia diu hoc solum vectigal fuerat*. unde Cicero contra Rullum de sylva Scantia: *Utrum tandem hanc sylvam in relictis possessionibus, an in censorum pascuis, invenisti?*

Neque vero solum publicani vectigalia hæc, quæ diximus, publica redimebant, sed alia quoque præterea multa, quæ ultro tributa dicta sunt. ut bello Punico II. quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, auctore Livio: *Prodeundum in concionem Fulvio prætori esse, indicandasque populo publicas necessitates, exhortandosque, qui redempturis auxissent patrimonia, ut reip. ex qua crevissent, ad tempus commodarent, conducerentque ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hispaniensem opus essent, ut cum pecunia in ærario esset, iis primum solveretur. hæc prætor in concione edixit, qua die vestimenta, frumentum, Hispaniensi exercitui præbenda, quæque alia opus essent navalibus sociis, esset locaturus. ubi*

ea dies venit, ad conducendum tres societates aderant hominum undeviginti : quorum duo postulata fuere ; unum, ne alii eo triennio publicani essent , alterum ut quæ in naves imposuissent , ab hostium , tempestatisque vi tuta publico periculo essent . utroque impetrato conduxerunt . & alibi : *Cethegum , & Tuditanum censores reficienda locasse , quæ circum forum incendio consumpta erant , VII. tabernas , macellum , atrium regium .* & de Catone , & Flacco censoribus : *Opera facienda ex pecunia in eam rem decreta , lacus sternendos lapide , detergendasque , qua opus esset , cloacas in Aventino , & aliis partibus qua nondum erant , faciendas locaverunt , & vectigalia summis preciis , ultro tributa infimis locaverunt .* Vocat autem ultro tributa sumptus operum publicorum , quorum locationem quinto quoque anno a censoribus factam Polybius , & Varro scripserunt . Quæ vero Livius cum Varrone ultro tributa dixerunt, ea Plutarchus ἐργολαβίας, id est, operum redempturas vocavit, ubi de censura Catonis, & Flacci scribit.

Quod autem mentio facta est societatum publicanorum , intelligendum est , publicanos in multas societates divisos conduxisse . Etenim , ut libro VI. narrat Polybius , alii conducebant , alii cum his societatem coibant , alii pro his bona fortunasque suas reip. obligabant. Unde Tulliana illa sunt, ad Crassipedem : *Volo te existimare , me cum universo ordini publicanorum multum semper liberalissime tribuerim , tum in primis amicum esse huic Bithynicæ societati , quæ societas ordine ipso hominum genere pars est maxima civitatis . constat enim ex ceteris societatibus . & casu permulti sunt in ea societate valde mihi familiares , inprimisque T. Rupilius P. F. Men qui est magister in ea societate .* & in Planciana , de Cn. Plancio : *Maximarum societatum auctor , plurimarum magister .* & in Sextiana : *Nulla erat Romæ societas vectigalium , quæ non honestissime decrevisset de mea salute .* & pro Murena : *Quid si omnes societates venerunt , quorum ex numero multi hic sedent judices .* & in Bruto : *Familia , & liberi societatis ejus , quæ picearias de censoribus redemisset .* & in epistolis ad fratrem : *Non desistunt nobis quotidie agere gratias honestissimæ , & maximæ societates .* Ex his autem sociis unus fuit , qui magister societatis dictus est , qui Romæ societati ita præerat , ut & socios , quasi senatum cogendi , & ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet , curamque omnem gereret tabularum , & rationum , quæ undique ab iis , qui publicanorum societati operas dabant , Romam mitterentur . Etenim , ut inquit Cicero in frumentaria , *ea est ratio decumarum , ut sine plurimis litteris confici non possit , singula enim nomina aratorum , & cum singulis pactiones decumarum litteris persequi , & conficere necesse est .* Hic porro quendam habuit pro magistro in provincia quasi sui muneris vicarium , & societatis præfectum . unde Cicero Plancii patrem dixit *maximarum societatum auctorem , plurimarum magistrum .* & in epistolis , *P. Rupilium magistrum in Bithynica societate , Cn. Pupium in operis societatis .* & alio loco : *P. Terentius Hispo operas in scriptura pro magistro dat .* & de eodem ad Atticum : *Terentius magnas operas in portu , & scriptura Asiæ pro magistro dedit .* & in Verrem : *In scriptura Siciliæ pro magistro est L. quidam Carpinatius .* item : *L. Vibius eques Rom. vir primarius , quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno .* & Valerius libro V. *P. Rupilius non publicanum in Sicilia egit , sed operas publicanis dedit . idem ultimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentavit . ab hoc postmodum consule leges universi Siculi acceperunt . & quem diurnas capturas exigentem animadverterunt , eundem jura dantem , classesque , & exercitus regentem viderunt .* Cum ergo publicani , quemadmodum ex his patet , equites fere fuerint , non tamen equites omnes publicani fuerunt , cujus rei argumento est id , quod extat apud Nepotem de Attico equite Romano : *Ad hastam publicam nunquam accessit , nullius rei neque præs , neque manceps factus est .* & apud Varronem libro primo de re rustica : *Offendi ibi C. Agrium equitem Romanum , & P. Agrasium publicanum .*

Atque hæc quidem de publicanis , & eorum operis . Factum est autem , ut summa publicanorum avaritia , & prope impudentia singulari non solum provinciæ , in quibus vectigalia exercerent , sed etiam urbs ipsa , in qua ea conducerent , turbaretur . Unde Paulus Æmilius in Macedonia ordinanda , metalli Macedonici , quod ingens vectigal erat , locationesque prædiorum rusticorum tolli censuit , quod intelligeret , sine publicano ea exerceri non posse ; & ubi publicanus esset , ibi aut jus publicum vanum , aut libertatem sociis nullam esse . Præterea P. etiam Rutilium , virum innocentissimum ab equitibus , qui tum soli judicabant , condemnatum accepimus , quod legatus Q. Mucii procos. Asiam a publicanorum injuriis defenderat . & Cicero ad fratrem scribens , ait : *Huic tuæ voluntati , ac diligentiæ difficultatem magnam afferunt publicani , quibus si adversamur , ordinem de nobis optime meritum , & per nos cum rep. conjunctum , & a nobis , & a repub. disjungimus . sin autem omnibus in rebus obsequimur , funditus eos perire patiemur . quorum non modo saluti , sed etiam commodis consulere debemus .* & post : *Hic ita te versari , ut & publicanis satisfacias , præsertim publicis male redemptis , & socios perire non sinas , divinæ cujusdam virtutis esse videtur .* & post : *Potes etiam tu id facere , ut commemores , quanta sit in publicanis dignitas , quantum nos illi ordini debeamus ; ut remoto imperio , ac vi potestatis , & fascium , publicanos cum Græcis gratia , atque auctoritate conjungas .* Atque hæc eadem avaritiæ vis caussam postremo attulit , ut ipsi a senatu equites Rom. alienarentur . Nam cum publicani , qui Asiana vectigalia Messala , & Pisone coss. a censoribus conduxerant , questi in senatu essent , auctore in epistolis ad Atticum missis Cicerone , se cupiditate prolapsos ea nimium magno conduxisse , atque , ut ea induceretur locatio , postulassent , neque id repugnante Catone assequi potuissent , a senatu disjuncti sunt , ægre ferente maxime , qui concordiam eorum ordinum consul reconciliarat , Cicerone , donec C. Cæsar consul eos remissionem petentes lege ad populum lata , tertia mercedum parte , testibus cum Suetonio , Dione & Appiano , relevavit . quam , credo , legem Cicero , cum pro Plancio diceret , intellexit , cum ita locutus est : *Nam quod primus scivit legem de publicanis , tum cum vir amplissimus consul illi ordini per populum dedit , quod per senatum , si licuisset , dedisset , si in eo crimen est , quis suffragium non tulit , quis non tulit publicanus ?* Atque de equitibus hactenus.

CAP. V.

De plebe Romana.

RESTAT tertius ordo eorum , qui de plebe Romana dicti sunt . quos nescio an commodius describere possimus , quam si , qui neque senatores , neque equites Romani essent , dicamus . Et sane ita est , ut si civium Rom. omnium multitudinem trium horum ordinum descriptio est complexa , quos priores duo non comprehenderunt , eos necessario constitisse in tertio concludamus . Tertius autem plebs est dictus , non quo modo plebem patriciis opponi supra docuimus , ut gentem

genti, sed quo modo senatoribus, & equitibus adversatur, ut ordo ordini. itaque ut senatorium ordinem, & equestrem tam plebeii, quam patricii expleverunt, sic plebeium infimum non ex plebeiis solum, sed etiam patriciis aliquot constitisse, dicendum est; nempe eis, quos paupertatis caussa neque in senatum censores legerant, neque equo publico donaverant, nisi forte aut L. Tarquitium L. Cincinnati dictatoris equitum magistrum, quem pedibus stipendia propter paupertatem fecisse Livius ait, aut M. Scauri patrem, quem propter tenuissimas opes carbonariam fecisse in lib. de viris illustribus scriptum est, ambos patricios viros, aut senatores, aut equites fuisse existimemus. quos gradus qui assequi potuerunt si censores in utroque legendo ordine censum, ut dixi, respexerunt? Hunc autem ordinem in duas partes dividimus, plebem rusticam, & plebem urbanam. Rusticam vocamus, quæ agros, urbanam, quæ urbem inhabitet. de quibus rerum ordo postulat, ut sigillatim dicamus.

CAP. VI.

De plebe Rustica.

Agamus autem ante de plebe rustica, quæ ut simplicior, sic honestior, atque integrior fuit. hinc enim scitum est illud Catonis in principio librorum de re rust. *Ex agricolis, & viri fortissimi, & milites strenuissimi gignuntur, maximeque pius quæstus, stabilissimusque consequitur, minimeque invidiosus. minimeque male cogitantes sunt, qui in eo studio occupati sunt*. Rusticam autem, ut dixi, voco plebem, quæ rura teneat, idque agri colendi caussa: colat autem vel suum agrum, vel alienum, sive publicus is fuerit, sive privatus. Neminem enim adeo rerum Romanarum rudem esse, & imperitum opinor, qui ignoret, quanto studio ab iis primis temporibus, res rustica culta sit. Docet quippe hoc diserte Dionysius, qui Romulum instituisse scribit, ut cives Romani artem militarem, & rem rusticam tantum tractarent. demonstrat non obscure Plutarchus, qui Numam summa diligentia populum Rom. ad agriculturæ, id est, ad pacis, & honestatis studium traduxisse ait, adeo ut solertes etiam in ea re homines præmiis excitarit, ignavos autem ignominiæ metu deterruit. ostendit Livius, qui caritatem annonæ ex incultis per secessionem plebis in montem Sacrum agris civitatem invasisse tradit. probat iterum Dionysius, qui M. Fabium, L. Valerium consules non audientes dicto cives, qui fundos habebant, pecunia multasse, & eorum agros vastasse, & domos disturbasse; qui alienum agrum colerent, eorum domesticam supellectilem, & rustica ad colendam terram instrumenta corrupisse, ait. Quin etiam idem L. Cincinnati, & T. Quinctii Claudi, hominum patriciorum, quos agrum manibus suis coluisse, memoriæ proditum est, præclarissimis, atque notissimis exemplis possumus confirmare. Nam quid Curium, Fabricium, Regulum, Serranum, consulares, ac triumphales viros, Tarentini, & Punici belli æquales commemorem? de quibus sic locutus est Cicero in Rosciana: *Næ tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cum ab aratro accersebantur, qui consules fierent: etenim qui præesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum, atque inhonestissimum judicares. at hercules majores nostri longe aliter & de illo, & de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima, tenuissimaque rep. maximam, & florentissimam nobis reliquerunt. suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant*. Hanc autem plebem Livius intellexit, cum Sp. Postumium consulem de bacchanalium sacerdotibus his verbis populum Roman. alloquentem fecit: *Jam ubi vos dilapsi domos, & in rura vestra eritis, illi coierint*. & Appianus, cum scripsit, Ti. Gracchum rusticos ad comitia advocasse, sed eos colligendis æstate fructibus occupatos non affuisse. Ceterum hoc studium ætate sua intermissum conqueritur M. Varro in libris de re rustica. *Igitur*, inquit; *quod nunc intra murum fere patres familiæ correpserunt, relictis falce, & aratro, & manus movere maluerunt in theatro, ac circo, quam in segetibus, ac vinetis. frumentum locamus, qui nobis advehat*. Hoc autem ait, quia quos agros senatores, equitesque Romani, & multi urbana e plebe locupletes possidebant, eos ipsi non per liberos homines, sed per servos fere colebant. quorum familias magnas in eum usum alebant, eo consilio, ut inquit Appianus, ne aliquo ingruenti bello, delectus caussa, agri cultoribus desererentur, cum servi ad militiam non evocarentur. unde illud præclare apud Livium libro VI. ubi de fœcundissimo militum Volsco solo agit: *Simile veri est, innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis, quæ nunc vix seminario militum relicto servitia Romana ab solitudine vindicant*. Neque tamen ita novissimis temporibus agri cultura servis erat commissa, ut non etiam liberi multi in agris vel privatis, vel publicis colendi caussa versarentur. Id enim cum aliorum multorum docemur exemplis, tum maxime P. Nasicæ ejus, qui cum Jugurtha bellum gessit. qui, ut a Valerio traditum est, *cum ædilitatem curulem adolescens peteret, manumque cujusdam rustico opere duratam, more candidatorum tenacius apprendisset, Joci caussa interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare? quod dictum a circumstantibus exceptum ad populum manavit, & caussam repulsæ Scipioni attulit. omnes nanque rusticæ tribus paupertatem sibi ab eo exprobratam judicantes iram suam adversus contumeliosam ejus urbanitatem distrinxerunt*. Quo loco rusticas tribus vocat plebem rusticam, quæ manibus suis agros excoleret, ac maximas in tribubus rusticis opes haberet. quam eandem intellexit Livius, cum apud eum milites Rom. ita loquuntur: *An æquum esse, Campanos dediticios illa fertilitate, atque humanitate perfrui, se militando fessos in pestilenti atque arido solo luctari?* & Cicero ad Brutum: *Dicique homines rusticos, sed fortissimos, viros civesque optimos dementes fuisse. primum milites veteranos, deinde legionem Martiam, & Quartam*. & iterum Livius: *Numerum auxit rustica plebs ex incultis diutino bello, infestisque agris egestate, & metu in urbem compulsa*. Quocirca Marcus Cicero oratoris nostri filius per epistolam jocans cum liberto Tirone, qui rusticum prædium emerat, ait: *Rusticus Romanus factus es*. quasi vero eum agrum more majorum manibus suis esset Tiro culturus. Hi autem agri plebi Romanæ vel a triumviris lege fuerant assignati, ut quondam Licinia lege de quingentis jugeribus, post Sempronia; aut a censoribus erant civibus Romanis pauperibus fruendi dati, ita ut decumas frumenti annuas solverent, quos supra aratores, & agricolas vocitatos diximus. Atque hoc quidem id est, quod scripsit Plutarchus in Tiberio; populum Rom. finitimorum agros bello partos alios vendidisse, alios publicatos fruendos pauperibus civibus assignasse, non admodum magna mercede reip. persoluta. Priores intellexit Livius, cum Sp. Ligustinum ita loquentem fecit: *Sp. Ligustinus tribus Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus. pater mihi agri jugerum reliquit, & parvum tugurium, in quo natus, educatusque sum, hodieque ibi habito*. & Pedianus, cum in Divinationis commentario ita

ita ſcriptum reliquit : *Plebs ruſtica partim agros , partim jus civitatis amiſit , partim omnino proſcripta eſt , victore Sylla , quod plebs Romana de Marianis partibus fuerat* . & Salluſtius in Catilina : *Præterea juventus , quæ in agris manuum mercede inopiam toleraverat , privatis , & publicis largitionibus excita urbanum ocium ingrato labori prætulerat* . & Cicero in agraria ſecunda : *Quæ eſt iſta contumelia , ut ager ante ruſticis detur , qui habent , quam urbanis , quibus iſta agri ſpes , & jucunditas oſtenditur ?* Poſteriores idem intellexit , cum hoc modo ſubjecit : *Deinde in hac aſſignatione agrorum ne illud quidem dici poteſt , quod in ceteris , agros deſertos a plebe , atque a cultura hominum liberorum eſſe non oportere , ſic enim dico , ſi Campanus ager dividatur , exturbari , & expelli plebem ex agris , non conſtitui . totus enim ager Campanus colitur , & poſſidetur a plebe , & plebe optima & modeſtiſſima . quod genus hominum optime moratorum , optimorum aratorum , & militum ab hoc plebicola tribuno funditus eiicitur* . & ad Atticum : *Multum mecum municipales homines loquuntur , multum ruſticani , nihil prorſus aliud curant , niſi agros , niſi villullas ſuas* . item : *Municipia , & ruſtici Romani Cæſarem metuunt* . Atque de ruſtica quidem plebe hæc ſatis .

C A P. VII.

De plebe urbana .

PLEBS autem urbana eſt , quæ intra urbem habitavit . Quam non eandem fuiſſe cum ruſtica , etſi ſatis ex iis , quæ dicta ſunt , eſſe perſpicuum poteſt , tamen exemplo etiam ex ſeditione Apuleiana petito planius faciam . de qua ſic ſcriptum eſſe video apud Appianum : *Appuleius legi ferendæ diem edixit . atque eos , qui in agris verſabantur , advocavit . iis enim maxime , quod Mario imperatore ſtipendia meruiſſent , confidebat . majores autem eſſe Italicorum opes populus ægre ferebat . ac die legis ferendæ , quicunque tribunorum legi intercedebant , ab Appuleio contumeliæ affecti ſe ex tribunali proiiciebant . urbana vero turba clamorem ſuſtulit , quaſi tonitruum audiſſet . cum autem Appuleiani vim facerent , urbani abjectis veſtibus , atque arreptis lapidibus in ruſticos ſe intulerunt . illi vero iterum ab Appuleio coacti , & ipſi cum fuſtibus in urbanos impetum fecerunt . ac per vim legem juſſerunt* . Hujus autem plebis partes fuerunt , Tribuni ærarii , Scribæ , Mercatores & negotiatores , Argentarii & fœneratores , Artifices & opifices , Turba forenſis , Libertini , & magiſtratuum apparitores . quas partes plebis urbanæ propterea voco , quoniam omnes fere , qui e plebe fuerint , in aliquo horum munerum occupatos fuiſſe comperio . Hujus autem præceptionis quem locupletiorem , aut certiorem poſſum producere teſtem , quam Ciceronem ? Is autem in quarta in Catilinam , in ſenatu ita agit : *Omnes adſunt omnium ordinum homines , plenum eſt forum , pleni omnes aditus hujus loci , atque templi . quid ego hic equites Roman. commemorem ? pari ſtudio defendendæ reip. conveniſſe video tribunos ærarios ; ſcribas item univerſos . quos cum caſu hic dies ad ærarium frequentaſſet , video ad expectationem ſortis , ad communem ſalutem eſſe converſos . omnis ingenuorum adeſt multitudo etiam tenuiſſimorum . operæ precium eſt , libertinorum hominum ſtudia cognoſcere , qui ſua virtute fortunam civitatis conſequuti hanc vere ſuam patriam eſſe judicant . Quod ſi auditum eſt , lenonem quendam Lentuli concurſare circum tabernas , precio ſperantem ſolicitari poſſe animos egentium , atque imperitorum , eſt id quidem cœptum , atque tentatum ; ſed nulli ſunt inventi tam aut fortuna miſeri , aut voluntate perditi , qui non ipſum illum ſellæ , atque operis , & quæſtus quotidiani locum , qui non cubile , lectulum ſuum , qui denique non curſum hunc ocioſum vitæ ſalvum eſſe velint . multo vero maxima pars eorum , qui in tabernis ſunt , immo vero genus hoc univerſum amantiſſimum eſt otii . etenim omne eorum inſtrumentum , omnis opera , ac quæſtus frequentia civium ſuſtinetur , alitur otio . quorum ſi quæſtus occluſis tabernis minui ſolet , quid tandem incenſis futurum fuit ?* Loquitur ad ſenatum Cicero . omnium ordinum homines conveniſſe ait , primum equites Romanos , deinde tribunos ærarios , ſcribas , libertinoſque ; opifices autem tentatos . Ergo tribuni ærarii , ſcribæ , libertini , & opifices plebis ordinem obtinuerunt . Confirmat hoc idem in Rabiriana , cum ait : *Quid dicam de equitibus Rom. qui una cum ſenatu ſalutem reip. defenderunt ; quid de tribunis ærariis , ceterorumque ordinum hominibus ?* confirmat etiam Q. Frater in libello de petitione : *Primum* , inquit , *id , quod ante oculos eſt , ſenatores , equiteſque Romanos , ceterorum ordinum homines navos , & gratioſos complectere . multi homines urbani , & induſtrii , multi libertini gratioſi in foro nanque verſantur . deinde ave oratores urbis totius , collegium omnium pagorum , vicinitatem . ex iis principes ad amicitiam tuam ſi adjunxeris , per eos reliquam multitudinem facile tenebis* . Pagorum autem collegium dixit , quoniam plebs urbana in pagos eſt a Ser. Tullio , teſte Dionyſio , diſtributa . unde illud eſt pro domo ſua : *Nullum eſt collegium in hac urbe , nulli pagani , aut montani , (quoniam plebi quoque urbanæ majores noſtri conventicula , & quaſi conſilia quædam eſſe voluerunt ,) qui non ampliſſime de mea ſalute decreverint* . Sed de ſingulis ordine diſputemus .

C A P. VIII.

De Tribunis ærariis .

TRIBUNOS ærarios ordinem quendam apparet fuiſſe eorum , quibus , ut ait Varro , *attributa erat pecunia , ut militi redderent* . Pecuniam autem attributam definit in tertiam Verrinam Pedianus , *quæ in ſtipendium militum de ærario a tribunis ærariis adnumerari quæſtori ſoleret* . Quæſtores porro ærarii Varro dictos ſcribit , *qui pecunias conquirerent publicas* . Et certe in tabulas pecuniam publicam referendi quæſtoris munus fuiſſe , multorum teſtimoniis planum fieri poſſet : ex quo intelligi licet , quæſtores curaſſe pecuniam , quam in ærarium inferrent ; tribunos ærarios , quam ex ærario ſumptam quæſtori proconſulis , atque exercitui maxime erogarent . unde Cicero procoſ. illud ſcripſit ad Caninium : *Pecuniam , quæ mihi attributa eſt , a quæſtore curatur* . Fuit autem horum ordo ſane antiquus , quippe quorum meminerit etiam Cato , (auctore Gellio lib. VII.) in primo epiſtolicarum quæſtionum , his verbis : *Pignoriſcapio ob æs militare : quod æs a tribuno ærario miles accipere debebat* . Quamobrem ſatis conſtituere non poſſum , quod ſit eorum conſilium , qui ex ſententia Ciceronis tribunos ærarios inter minores magiſtratus iccirco referunt , quod is in tertio de legibus ita ſcriptum reliquit : *Minores magiſtratus partiti juris plures in plera ſunto . militiæ quibus juſſi erunt , imperanto , eorumque tribuni ſunto , domi pecuniam publicam cuſtodiunto* . quid ita ? quia intelligo , hoc loco non tribunos ærarios , ſed tribunos militum , & quæſtores ærarii eſſe deſcriptos . Tribunos autem ærarios e plebe fuiſſe , non locus ſolum , quem ante protuli ex oratione Ciceronis in Catilinam , oſtendit , ſed etiam lex Aurelia , qua communi-

A cata judicia feruntur inter tres ordines, senatores, equites Rom. & tribunos ærarios. quos, cum hunc explicaret, perspicue e plebe fuisse Dio in historia scribit. Videntur autem a Cotta in judices e plebe illi relati, qui honestiore in plebe ordine, ac loco essent commodiore, ut cum senatoribus, & equitibus apte conferrentur.

CAP. IX.

De Scribis.

B TRIBUNORUM porro ærarii ordini honore proximus scribarum ordo fuit. Hos Festus definit *librarios, qui rationes publicas scribunt in tabulis*. Apparuerunt autem singulis magistratibus eo nomine, ut rationes publicas in tabulas referrent, & leges, actaque omnia perscriberent. unde dixit in v. in Verrem Cicero, scribarum ordinem esse honestum, *quod eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magistratuum committantur*. & pro domo: *Scribæ, qui nobiscum in rationibus, monumentisque publicis versantur, non obscurum de meis in rempub. beneficiis suum judicium, decretumque esse voluerunt*. C & in Pisonem, *Rationes ita sunt perscriptæ scite, & literate, ut scriba ad ærarium, qui eas retulit, perscriptis rationibus, secum ipse caput perfricans, commurmuratus sit. ratio quidem hercle apparet. argentum οἴχεται*. Leges autem quodammodo in manibus scribas habuisse, & magistratibus jus suggessisse ostendit idem, cum in tertio de legibus extremo scribit: *Animadverto quosque in magistratibus ignoratione juris sui tantum sapere, quantum apparitores velint*. quod ipsum de scribis esse dictum, docet Plutarchus, ubi scribarum arrogantiam a M. Catone minore fractam, ac repressam esse narrat, in hæc verba: D *Cato cum quæsturam iniisset, ministros, & scribas coercuit, qui publicas tabulas, legesque tractantes, cum adolescentes nacti essent, quibus magistratibus apparerent, quod ii propter inscientiam magistris egerent, potestate non cedebant, sed ipsi erant magistratus. Eos vero Cato apparitorum loco, ut erant, tractavit: cum alios fraudis, alios inscitiæ insimularet. cumque illi auxilio collegarum Catonis usi resisterent, Cato primum eorum damnatum de fraudata hereditate ab ærario expulit, alterum vero de inertia postulavit. qui cum gratia Catuli censoris fultus evasisset, eo nunquam usus est Cato*. E Addo illud, scribas fere a quæstoribus mercedem apparitionis accipere solitos. id quod ex fragmento veteris hujus tabulæ intelligitur:

Q. VRB. QVEI. ÆRARIVM. PROVINCIAM. OPTINENT. EAM. MERCEDEM. DEFERTO. QVÆSTORQVE. QVEI. ÆRARIVM. PROVINCIAM
OPTINEBIT. EAM. PECVNIAM. EI. SCRIBÆ. SCRIBEISQVE. HEREDIVE
EIVS. SOLVITO. IDQVE. EI. SINE. FRAVDE. SVA. FACERE. LICETO. QVOD
F SINE. MALO. PEQVLATV. FIAT. OLLEISQVE. HOMINIBVS. EAM. PECVNIAM. CAPERE. LICETO.

Omnium autem, ut scribit Festus, minimæ dignitatis fuit scriba navalis, quod periculis quoque ejus ministerium esset objectum.

Cum ergo multi essent scribæ in civitate, factum est, ut in decurias multas sint translati, quæstoriorum, ædiliciorum, prætoriorum, prout a quæstoribus, ædilibus, prætoribus essent lecti. nam hoc jus eorum magistratuum fuisse, non obscure innuit Cicero in Cluentiana: *Nuper hominem tenuem scribam ædilicium D. Matrinium cum defendissem apud M. Junium, Q. Publicium prætores, & M. Plætorium, C. Flaminium ædiles curules, persuasi, ut scribam jurati legerent eum, quem, iidem isti censores ærarium reliquissent*. & Livius libro XL. *Q. Petillius prætor urbanus eos libros a L. Petillio scriba sumpsit. & erat familiaris usus, quod scribam eum, quæstor Q. Petillius in decuriam legerat*. Sed tamen aliquot etiam decurias precio emptas fuisse, apparet ex oratione quinta in Verrem, in qua ille ita disserit: *Ad eos me scribas revoca, si placet; noli hos colligere, qui numulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem civitatis se venisse dicunt. eos scribas tecum disceptatores hujus criminis habebo, qui istos scribas esse moleste ferunt. tametsi cum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriæ propositus est, & dignitati, mirabimur turpes aliquot in eo esse, quo cuivis licet precio pervenire?*

Non admodum autem gravem, atque honestum fuisse Romæ scribarum ordinem, duæ res indicio sunt: una quod Probus in Eumene, scribarum munus multo apud Græcos honorificentius fuisse, quam apud Romanos prodit. nam apud Romanos revera, sicut essent, mercenarios habitos, apud Græcos neminem, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita admissum. altera, quod Piso apud Gellium de Cn. Flavio scriba ita scribit: *Cn. Flavius, patre libertino natus scriptum faciebat: isque in eo tempore ædili curuli apparebat, pro tempore ædiles subrogantur. eumque primæ tribus ædilem curulem renunciaverunt. atque ædilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum ædilem fieri. Cn. Flavius dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse. isque ædilis curulis factus est*. Non tamen aditum omnino scribis ad majores honores fuisse interclusum, Cicereii, qui Scipionis Africani majoris scriba fuerat, exemplum ostendit, qui auctore Valerio, *cum in campum Africani filium candidatum prætoriis comitiis deduxisset, seque omnibus centuriis Scipioni anteferri vidisset, e templo descendit*. quin etiam Cicero in libris de officiis, quendam memorat, qui cum in Sullæ dictatura scriba fuisset, post in Cæsaris prætor urbanus fuit.

CAP. X.

De mercatoribus, & negotiatoribus.

SCRIBIS nescio an alios e plebe honestiores homines adjunxerim, quam mercatores. Mercatores autem appello, qui iis rebus quibus abundamus, exportandis, & iis, quibus egemus, invehendis quæstum faciunt. quem quæstum laudat Cicero in primo de officiis his verbis: *Mercatura si tenuis est, sordida putanda est; si magna, & copiosa, multa undique apportans, multisque sine vanitate impartiens, non est admodum vituperanda. atque etiam, si satiata quæstu, vel contenta potius, ut sæpe ex alto in portum, ex portu ipso se in agros, possessionesque contulerit, videtur jure optimo posse laudari*. quid autem dixi Ciceronem? Cato ille senior tale de mercatoribus reliquit in principio librorum de re rustica testimonium: *Est interdum*, inquit, *præstare populo, mercaturis rem quærere, ni tam periculosum siet*. neque ita multo post: *Mercatorem strenuum, studiosumque rei quærendæ existimo; verum, ut supra dixi, periculosum, & calamitosum*. Quocirca Cicero etiam in Paradoxis, honestos quæstus eorum appellavit, *qui mercaturam facerent, operas darent, publica sumerent*.

Horum vero duo genera fuisse invenio, unum eorum, qui proprio nomine mercatores appellati sunt; alterum, qui negotiatores & negotia gerentes. inter quos illud potissimum, ni me conjectura fallit, interfuit, quod mercatores Romæ domicilium, familiamque habuerunt, quanquam interdum quæstus caussa in provinciis per aliquot mensium spacium versarentur: negotiatores vero eundem sequuti quæstum in provinciis sedem, ac domicilium fortunarum suarum collocarunt; neque fere Romam, nisi censendi caussa decesserunt. Itaque ut Romæ fuit mercatorum collegium, sic in provinciis conventus negotiatorum. Mercatorum vero collegium institutum esse anno CCLIX. post Romam conditam, Claudio, Servilioque coss. Livii testimonio cognitum est, qui inquit: *Certamen consulibus inciderat, uter dedicaret Mercurii ædem. senatus a se rem ad populum rejecit. utri eorum dedicatio jussu populi data esset, eum præesse annonæ, mercatorum collegium instituere, solemnia pro pontifice jussit suscipere.* Itaque Festus mercatorum diem festum Idus Maias appellat, quod eo die Mercurii ædes esset dedicata. eosdem vero a Mercurio, quem coluerint, deo Mercuriales appellatos, juvat suspicari, de quibus Ovidius in Fastis, ubi de Mercurii æde consecrata loquitur, ita scribit:

Te quicunque suas profitentur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra, rogant.

& Cicero in epistolis ad fratrem, ita: *M. Furium Flaccum, equitem Romanum, hominem nequam, Mercuriales, & Capitolini de collegio ejecerunt.* Nam Capitolinorum collegium a M. Camillo dictatore ludis Capitolinis, eodem teste Livio, constitutum satis constat. Fuisse tamen aliquot etiam equites Rom. in Mercurialium collegio, ex iisdem Ciceronis verbis apparet.

Negotiatorum porro crebra apud Ciceronem est mentio. in epistolis ad fratrem: *Constat Asia ex eo genere civium, qui aut quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut quod ita negotiantur, ut locupletes sint; nostri consulatus beneficio, se incolumes fortunas habere arbitrentur.* in Maniliana: *Ac ne illud quidem negligendum est, quod ad multorum bona civium Rom. pertinet. nam & publicani suas rationes, & copias in illam provinciam contulerunt: deinde ceteris ex ordinibus homines navi, & industrii partim in Asia negotiantur, partim suas, suorumque in ea provincia pecunias magnas collocatas habent.* pro Fonteio: *A civibus Rom. qui negotiantur in Gallia, referta est Gallia negotiatorum, plena civium Rom. unum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum testem producant.* Item: *Nemo est civis Romanus, qui sibi ulla excusatione utendum putet. omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, ceteri negotiatores Fonteium defendunt.* Unde illa sunt etiam in Verrem de laudibus provinciæ Siciliæ: *Quid, quod multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam fidelem, fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant, quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu, compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, pascere, ut negotiari libeat; ut denique sedes ac domicilium collocare.* & alio loco: *Vexasti negotiatores. inviti enim Romam, raroque decedunt.* Fuisse autem aliquot etiam equites Romanos e negotiatoribus, non est cur sit dubitandum, præsertim cum dicat idem in Verrem: *L. Pretius splendidissimus eques Romanus, qui Panormi negotiatur, & Q. Minucius eques Rom. qui Syracusis.* Nam quod de censendo dixi, id scriptum est in epistolis ad Atticum, ubi adhortans eum, ut aliquando se revisat, conclusit: *Sub lustrum autem censeri, germani negotiatoris est.*

Legi etiam consuevisse judices a prætoribus in provinciis ex conventu civium Rom. qui in provincia negotiarentur, significat sæpe idem in Verrinis.

Negotiatores autem in provinciis multo, quam mercatores, erant notiores. unde majora mercatoribus, quam negotiatoribus ad ea adeuntibus loca pericula impendebant. Id quod Cicero his verbis contra Verrem conqueritur: *Hæccine plebi Romanæ te prætore est constituta conditio? hæc negotii gerendi spes? hoc capitis vitæque discrimen? parum ne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiam hæ formidines ab nostris magistratibus, atque in nostris provinciis impendebunt?* Item: *Homines tenues, obscuro loco nati navigant, adeunt ad ea loca, quæ nunquam antea viderunt. ubi neque noti esse iis; quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. hac una tamen fiducia civitatis non modo apud nostros magistratus, sed quocunque venerint, hanc sibi rem præsidio sperant futuram.*

Neque vero solum mercatores cives Romani fuerunt, sed etiam institores mercis: qualem fuisse C. Terentium Varronem, qui consul exercitum ad Cannas pulcherrimum amisit, prodit Livius. Institorem vero quæstuariæ negotiationis præfectum, ut procuratorem non quæstuariæ appellarunt. quos ambos eorum numero comprehensos patet, quos Cicero dixit, *operis dandis quæstum fecisse.*

CAP. XI.

De Argentariis, & Fœneratoribus.

JAM vero argentarios etiam fuisse, ac nummularios constat. Sunt, qui patrum, atque adeo nostra memoria litteris prodiderint, argentarios florente repub. eosdem fuisse cum mensariis. ad quam opinionem unde illi, aut qua ratione venerint, satis constituere non possum. Ego enim inter illos, atque hos plurimum opinor interfuisse. id quod hoc loco non redarguendi alicujus studio ductus, sed rei illustrandæ cupiditate incensus, paucis ostendam. Res autem uno verbo patebit, si intellexerimus, mensarios publicam rationem confecisse, argentarios privatam; illos rei nummariæ publicæ curatores fuisse, hos negotiationis privatæ. Itaque eos Romæ, ut res tulit, modo quinqueviros, modo triumviros esse creatos; hos, ut etiam reliquos mercatores, nullius lectione, judicio suo, quæstu tantum privato inductos, rem nummariam jam inde ab initio urbis exercuisse.

Mensariorum autem prima, ut opinor, mentio fit apud Livium P. Valerio Poblicola, C. Marcio Rutilo coss. anno post urbem conditam quadringentesimo primo. eos vero ille creatos levandi fœnoris caussa tradit: idque his verbis: *Inclinatis semel in concordiam animis, novi consules fœnebrem quoque rem, quæ distinere unanimes videbatur, levare aggressi, solutionem alieni æris in publicam curam verterunt, quinque viris creatis, quos mensarios ab dispensatione pecuniæ appellarunt: meriti æquitate, curaque sunt, ut per omnium annalium monumenta celebres nominibus essent. fuere autem C. Duilius, P. Decius Mus, M. Papirius, Q. Publilius, & Ti. Æmilius, qui rem difficillimam tractatu, & plerunque parti utrique, semper certe alteri gravem, cum alia moderatione, tum impendio magis publico, quam jactura sustinuerunt. tarda enim nomina, & impeditiora inertia debitorum, quam facultatibus, aut ærarium mensis cum ære in foro positis dissolvit, ut populo prius caveretur; aut æstimatio æquis rerum preciis liberavit, ut non modo sine injuria, sed etiam sine querimoniis partis utriusque ex-*

hauſta vis ingens æris alieni ſit. Alterum monumentum eorum extat L. Poſtumio, Ti. Sempronio coſſ. anno urbis quingenteſimo triceſimo octavo, bello Punico. quo anno idem ait, Romæ propter penuriam argenti triumviros menſarios rogatione Minucii tribuni pleb. factos. Quocirca quinquennio poſt, eodem bello, M. Valerius Lævinus coſ. cum de conferendo in bellum promiſcue omni auro, argento, atque ære in ſenatu ageret, dixit: *Ceterum omne aurum, argentum, æs ſignatum ad triumviros menſarios extemplo deferamus*. & poſt: *Senatu miſſo pro ſe quiſque aurum, argentum, æs in publicum conferunt, tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina ſua vellent in tabulis publicis eſſe, ut nec triumviri accipiendo, nec ſcribæ ſcribendo ſufficerent*. Quibus ex locis patet, menſarios nihil, niſi publicæ rationis attigiſſe. quod etiam in Græcia, atque Aſia factitatum oſtendit Cicero ab iis, quos illi τραπεζίτας vocarent, ipſe, cum de Aſia diceret, menſarios Latino vocabulo appellavit in oratione pro Flacco: *Cum civitate*, inquit, *mihi res eſt conficientiſſima litterarum. in qua nummus moveri nullus poteſt ſine quinque prætoribus, tribus quæſtoribus, quatuor menſariis, qui apud illos a populo creantur*. & poſt: *Si prætor dedit, ut ſcriptum eſt, a quæſtore numeravit, quæſtor a menſa publica, menſa aut ex vectigali, aut ex tributo*. Cum autem inquit, menſarios apud Aſianos a populo eſſe creatos, tacite Romæ aliter obſervatum eſſe, nos admonet.

Argentarii vero fuerunt, qui argentariam fecerunt. ſic enim pro Cæcina, de quodam dixit: *Romæ argentariam non ignobilem fecit*. erant autem dites & copioſi homines, qui quæſtum faciebant aut permutandis pecuniis, aut fœnerandis. permutatio pecuniæ, unde lucrum petebant, a Græcis collybus dicta eſt. quam vocem probavit in epiſtolis ad Atticum: *De Cœlio*, inquit, *vide quæſo, ne qua lacuna ſit in auro, ſed certe eſt in collybo detrimentum*. & in Verrem: *Ex omni pecunia, quam aratoribus ſolvere debuiſti, certis nominibus deductiones fieri ſolebant, primum pro ſpectatione, & collybo, deinde pro neſcio quo cerario. hæc omnia Judices non rerum certarum, ſed furtorum improbiſſimorum ſunt vocabula. nam collybus eſſe qui poteſt, cum utantur omnes eodem genere nummorum?*

Argentarios porro fœneratores intellexit Plautus in Curculione cum ſcripſit: *Sub veteribus, ibi ſunt, qui dant, quique accipiunt fœnore*. Veteres enim intellexit argentarias tabernas, quod erant etiam novæ. Tabernas autem argentarias in foro conſtruxit L. Tarquinius Priſcus rex, teſte Dionyſio. ex quo intelligere poſſumus, jam tum negotiationem argentariorum nummariam Romæ eſſe factitatam. Earum vero tabernarum meminit poſt ſæpe Livius; ut bello Samnitico: *Ejus triumpho longe maximam ſpeciem captiva arma præbuere. tantum magnificentiæ viſum in iis, ut aurata ſcuta dominis argentariarum ad forum ornandum dividerentur*. & bello Punico: *Annibal vocato præcone tabernas argentarias, quæ circum forum tunc eſſent, juſſit venire*. Et poſt: *Eodem tempore ſeptem tabernæ, quæ poſtea, & quinque argentariæ, quæ nunc Novæ appellantur arſere*. Unde Varro de lingua Latina: *Sub Novis dicta pars in foro ædificiorum*. In hos ergo argentarios, eoſdem fœneratores reſpiciens Plautus iterum ſcripſit in Aſinaria:

> *Quia triduum hoc unum modo foro operam aſſiduam dederim,*
> *Dum reperiam, qui quæritet argentum in fœnus.*

& Cicero æs circumforaneum æs in foro fœnore ſumptum vocavit, cum ad Atticum ſcriberet: *Tuſculanum*, inquit, *& Pompeianum valde me delectant*, A *niſi quod me ipſum illum vindicem æris alieni ære non Corinthio, ſed hoc circumforaneo obruerunt*. & in Maniliana: *Hæc ratio pecuniarum, quæ Romæ, quæ in foro verſatur, implicita eſt cum pecuniis Aſiaticis*.

Ad argentariorum autem tabernas auctiones fieri ſolitas Ciceronis, & Quintiliani teſtimonio patet. ille enim in oratione pro Cæcina ita ait: *Æbutio negotium datur. adeſt ad tabulam, licetur Æbutius. deterrentur emptores multi, partim gratia Cæcinæ, partim precio. fundus addicitur Æbutio. pecuniam argentario promittit Æbutius*. hic vero Inſtitutionum lib. XI. hoc modo: *Et forſitan in hoc* B *ſunt adjuti, qui auctione dimiſſa, quod nunquam vendidiſſent, teſtibus argentariorum tabulis reddiderunt*. Ex qua etiam conſuetudine coactores profecti ſunt, quippe miniſtri argentariorum in auctionibus. qualem patrem ſuum Horatius fuiſſe memorat in Sermonibus:

> *Nec timuit, ſibi ne vitio quis verteret olim,*
> *Si præco parvas, aut, ut fuit ipſe, coactor*
> *Mercedes ſequerer.*

Quem locum interpretans Acro ait, præcones dictos, C qui ſtarent ad haſtam, nunciarentque precia oblata. coactores autem mercenarios eorum fuiſſe, qui argentariam haberent, argentarios vero, qui haberent ſummam rerum venalium. dici enim, argentarium, qui habeat ſummam divitiarum, a quo accipiunt forani. coactorem, qui exigit nummos a circumforaneis. aliter coactores dici argentarios in auctionibus, qui pecunias cogunt. Eorundem autem coactorum meminit Cicero in Cluentiana, cum dixit: *Quidam ex amicis Saſſiæ recordatus eſt, ſe nuper in auctione quadam vidiſſe in rebus minutis aduncam ex omni parte ſerrulam, qua illud potuiſſe ita circumſecari videretur. ne multa. perquiritur a* D *coactoribus. invenitur ea ſerrula ad Stratonem perveniſſe*.

Argentariam autem artem parum honeſtam apud Romanos cives habitam eſſe, inde exiſtimari poteſt, quod, ut ait Suetonius, a M. Antonio Cæſari Octaviano avus argentarius in maledictis objectus eſt, & quod eundem Caſſius Parmenſis nummularii nepotem ad contumeliam appellavit. Cujus rei cauſſam ego eam fuiſſe crediderim, quod argentariam iidem, fœnerationem exercerent, quorum quæſtus in odia hominum incurriſſe, Cicero in libris de officiis tradidit. ſcite. tenebat enim E memoria, majores ſuos, Romanos, adeo fœnerationes pecuniarum improbaſſe, ut uſurarum licentiam multis legibus ſi non omnino frangerent, at certe valde reprimerent. quas leges neſcio an brevius quiſquam commemorare potuerit, quam Tacitus annalium quinto, in hunc modum: *Sane vetus urbi fœnebre malum, & ſeditionum, diſcordiarumque creberrima cauſſa. eoque cohibebatur antiquis quoque & minus corruptis moribus. nam primo duodecim tabulis ſanctum, ne quis unciario fœnore amplius exerceret, cum ante ex libidine locupletum agitaretur, dein rogatione tribunicia ad ſemuncias redacta, poſtremo vetita verſura. multiſque plebiſcitis* F *obviam itum fraudibus eſt*. Quæ verba placet fœnoris antiqui oſtendendi cauſſa, pluribus explanare. Primum ergo inquit, ante XII. tabulas fœnus pro libidine eſſe agitatum, idque ſeditionibus cauſſam præbuiſſe. egregie. probant enim hoc querelæ pauperis ejus, cujus oratione ſeceſſionem plebis in montem ſacrum factam prodit Livius. Sabino enim bello queſtus eſt, *ſe militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruiſſet, ſed villa incenſa fuiſſet, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo ſuo tempore imperatum, æs alienum feciſſe. id cumulatum uſuris, primo ſe agro paterno, avito-*

que exuiſſe, deinde fortunis aliis, poſtremo velut tabem perveniſſe ad corpus. ductum ſe ab creditore non in ſervitium, ſed in ergaſtulum. Deinde addit, XII. tabulis cautum, *Ne quis unciario fœnore amplius exerceret.* Unciariam autem uſuram, ſi quis hoc fortaſſe requirat, dixerunt, reſpicientes centeſimam, quam maximam uſuram æſtimarunt. quæ eſt, cum pars ſortis centeſima ſingulis menſibus penditur, id eſt, cum quotannis duodeni pro centenis uſuræ nomine numerantur. Hanc vero quaſi uſurarum aſſem quendam eſſe voluerunt. unde aliæ minores uſuræ, quaſi aſſis partes, aut particulæ fluxerunt; ſemis, cum dimidia pars centeſimæ in menſes ſingulos ſolvitur; quadrans, cum quarta; quincunx, cum quinta; triens, cum tertia; unciaria, cum duodecima; ſemunciaria, cum viceſima quarta. Hac tamen lege non contenta plebs fuit. quin etiam C. Licinius, L. Sextius tribuni pleb. anno urbis CCCLXXXVI. legem promulgarunt, eamque poſt decennium pertulerunt, auctore Livio, *Ut deducto eo de capite, quod uſuris pernumeratum eſſet, id quod ſupereſſet, triennio æquis portionibus perſolveretur.* Hanc tamen unciariam legem nefaria libidine fœneratorum, atque avaritia prævalente, poſt omnino obſoleviſſe, ex eo exiſtimari licet, quod eadem anno urbis trecenteſimo nonageſimo ſexto relata eſt, C. Marcio, & Cn. Manlio coſſ. M. Duilio, & L. Mænio tribunis pleb. eam ferentibus. Quod autem addit, *verſuram inde ab unciario fœnore ad ſemunciariam redactam*, legem intelligit T. Manlio Torquato, & C. Plautio coſſ. poſt decennium latam, qua dicitur, eodem teſte Livio, ſemunciarium ex unciario fœnus factum eſſe. Itaque cum Cato in principio librorum de re ruſtica ſcripſit, majores in legibus poſuiſſe, *fœneratorem quadrupli condemnari*, ego ea verba in hanc ſententiam accipio, ut putem, non omnino aut decemviros, aut tribunos pleb. legibus ſuis fœnerantes quadrupli condemnaſſe, ſed cum adjunctione, qui fœnus unciario, aut ſemunciario majus exercerent. me vero in hanc ſententiam prope manu ducit Aſconius, cum inquit, *quadruplatores vocatos, qui gravioribus uſuris fœnerantes accuſabant, & pœna lege conſtituta in quadruplum condemnari curabant.* Quod autem adjicit Tacitus, poſtremo vetitam eſſe verſuram, legem fortaſſe Genuciam notavit, quam ſe in quibuſdam annalibus inveniſſe narrat Livius. tuliſſe enim Q. Servilio, C. Marcio coſſ. anno urbis quadringenteſimo primo L. Genucium tribunum pleb. ad populum, *Ne fœnerare liceret.* Itaque idem anno quadringenteſimo quinquageſimo octavo, Fabio, & Decio coſſ. aliquot fœneratoribus ab ædilibus curulibus diem dictam, eoſque multatos prodit; & anno DLXI. judicia in fœneratores multa ſevere accuſantibus privatos ædilibus curulibus facta. Verſuram autem hoc loco pro quocunque fœnerationis genere videtur Tacitus accepiſſe. eadem enim eſt re fœneratio, ac verſura, ratione diverſa. fœneratur enim, qui dat; verſuram facit, qui accipit mutuo, teſte Feſto. Unde Cicero pro Fonteio: *Ajunt hoc prætore oppreſſam eſſe ære alieno Galliam a quibus verſuras tantarum pecuniarum factas eſſe dicunt?* Quod autem idem concludit, multis plebiſcitis obviam itum eſſe fraudibus, nimirum inter cetera Sempronium etiam plebiſcitum ſignificat, cujus eſt mentio apud Livium eodem loco, priore anno, L. Cornelio, Q. Minucio coſſ. hoc modo: *Inſtabat tum, quod civitas fœnore laborabat. & cum multis fœnebribus legibus conſtricta avaritia eſſet, via fraudis inita erat, ut in ſocios, qui non tenerentur iis legibus, nomina tranſcriberent. ita libero fœnore obruebant debitores. cujus cernendi cum ratio quæreretur, diem finiri placuit fœneralia, quæ proxime fuiſſent: ut qui poſt eam diem ſocii civibus Romanis credidiſſent pecunias, profiterentur. & ex ea die pecuniæ creditæ, quibus debitor vellet legibus, jus*

A *creditori diceretur. deinde poſtquam profeſſionibus detecta eſt magnitudo æris alieni per hanc fraudem contracti, M. Sempronius tribunus pleb. ex auctoritate patrum, plebem rogavit, plebeſque ſcivit, ut cum ſociis, ac nomine Latino pecuniæ creditæ jus idem, quod cum civibus Romanis, eſſet.* Cum ergo multæ eſſent de fœnore leges, atque aliis aut mitiores, aut acerbiores, fiebat, ut prætores urbani modo hanc, modo illam in dicendo jure obſervarent, prout vel creditoribus vel debitoribus æqui eſſent. Itaque anno urbis ſexcenteſimo ſexageſimo quarto, Cn. Pompeio, L. Porcio coſſ. cum ære alieno oppreſſa eſſet civitas, prætor, quoniam ſecun-
B dum debitores jus dicebat, ab iis, qui fœnerabantur, in foro occiſus eſt. Quod breviter ſcriptum in epitoma Livianorum ſeptuageſima quarta, aliquanto magis libro primo Civilium Appianus dilatavit, in hanc ſententiam: *Eodem tempore, creditores in urbe ſeditionem fecerunt, cum creditas pecunias cum uſuris exigerent, antiqua lege vetante, ne uſuras creditarum pecuniarum acciperent, & illos qui ea conditione dediſſent, multante. Cum autem uſuras longa conſuetudo firmaſſet, creditores quidem eas ex conſuetudine repetebant, debitores vero partim uſuras negabant, partim multas etiam ſe ab iis, quod*
C *fœnerati eſſent, petituros minabantur. Aſellio vero prætor, cujus hæc erat juriſdictio, dedit illis inter ſe judicia, legis, & conſuetudinis difficultate ad judices rejecta. fœneratores autem ægre ferentes, legem ab eo veterem renovatam, ipſum in foro ſacra facientem interfecerunt.* Poſtero vero anno P. Sulpicius in tribunatu legem tulit, teſte Plutarcho in Sylla, Ne quis ſenator plus ſeſtertium duobus millibus deberet. Conſules autem ipſi L. Sylla, & Q. Pompeius; Ut debitores decimam partem ſolverent. ſi modo recte apud Feſtum legitur ita: *Unciaria lex dici cœpta eſt, quam L. Sylla, & Q. Pompeius tulerunt, qua ſanctum, ut debitores decimam par-*
D *em.....* Biennio vero interjecto L. Valerius Flaccus conſul alteram, quam appellat Velleius turpiſſimam, qua creditoribus quadrantem ſolvi juſſit. poſt autem in conſulatu Ciceronis jus aſpere dictum in debitores conjurati ipſi indicant, qui apud Salluſtium conqueruntur, *ſibi more majorum uti lege non licuiſſe, neque amiſſo patrimonio corpus liberum habere, tantam ſævitiam fœneratorum, & prætoris fuiſſe.* Unde Dio tribunos plebis eodem anno de novis tabulis promulgaſſe ſcribit, eamque rogationem a ſe antiquatam addit Cicero in Legibus: *Nunquam vehementius actum eſt, quam me conſule ne ſolveretur. armis, & caſtris tentata res eſt ab o-*
E *mni genere hominum, & ordine, quibus ita reſtiti, ut totum hoc malum de republ. tolleretur. nunquam nec majus æs alienum fuit, nec melius, aut facilius diſſolutum eſt, fraudandi enim ſpe ſublata ſolvendi neceſſitas conſecuta eſt.* Quod idem poſtea dictator Cæſar videtur providiſſe, ne fieret, cum tulit, teſte Suetonio, *Ut disjecta novarum tabularum expectatione, quæ crebro movebatur, debitores creditoribus ſatisfacerent per æſtimationem poſſeſſionum, quanti quaſque ante civile bellum comparaſſent; deducta ſumma æris alieni, ſi quid uſuræ nomine numeratum, aut perſcriptum fuiſſet, qua conditione quarta fere crediti deperibat.* quam eandem rem idem ipſe
F his verbis memoriæ mandavit in principio tertii libri de bello civili: *Cum fides tota Italia eſſet anguſtior, neque creditæ pecuniæ ſolverentur, conſtituit, ut arbitri darentur. per eos fierent æſtimationes poſſeſſionum, & rerum, quanti quæque earum ante bellum fuiſſent, atque eæ creditoribus traderentur. Hoc & ad timorem novarum tabularum tollendum; minuendumque, qui fere bella & civiles diſſenſiones ſequi conſuevit, & ad debitorum tuendam exiſtimationem aptiſſimum exiſtimavit.* Leges autem fœnebres labefactatas eſſe Ciceronis ætate, inde facile intelli-

gitur, quod idem lib. VI. epistolarum ad Atticum usuræ trientis, & bessis meminit; *Fœnus ex triente Idibus factum erat bessibus*: & quod ad Sextium scribens, semissis, inquiens; *Omnino semissibus magna copia est*. & iterum ad Atticum libro primo, centesimæ, cum inquit; *a Cæcilio nummum moveri ne a propinquis quidem minore centesimis posse*. quamvis fœnus adeo majores improbassent, ut senex Cato interrogatus quondam, quid de fœneratione sentiret, responderet, idem esse fœnerari, atque hominem interficere. adeo mores sensim prava consuetudo, atque peccandi licentia ipsa corruperat.

CAP. XII.

De opificibus, & artificibus.

MERCATORIBUS autem, & argentariis aliquanto indigniores in civitate fuerunt opifices, artificesque. de quibus sequitur ut deinceps, quemadmodum proposuimus, differamus. Ut autem sordidæ & illiberales eorum artes habitæ sint, docet in primo de officiis Cicero; quem puto utile esse loquentem audire: *Illiberales & sordidi quæstus mercenariorum omnium, quorum operæ, non quorum artes emuntur. est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. sordidi etiam putantur, qui mercantur a mercatoribus, ut statim vendant. opifices quoque omnes in sordida arte versantur. nec vero quicquam ingenuum potest habere officina. minimeque artes probandæ, quæ ministræ sunt voluptatum, cetarii, lanii, coqui, fartores, piscatores, ut ait Terentius. adde his, si placet, unguentarios, saltatores, totumque ludum talarium*. Quibus verbis summa opificum, artificumque omnium genera perstrinxit, qui quin e plebe Romana, & maxime urbana fuerint, non est, cur in dubium adducatur. Hi vero ex antiquissimo instituto erant in multa collegia distributi. cujus instituti auctorem invenio, regem fuisse Numam. qui, quod est scriptum apud Plutarchum, *ut differentiam illam tolleret, qua civium Romanorum alii Quirites, alii Romani, alii a Tatio, alii a Romulo dicebantur, artium divisionem excogitavit tibicinum, aurificum, fabrum, tinctorum, sutorum, cerdonum, fabrum ærarium, & figulorum. reliquas vero artes in unum redigens, unum ex his collegium constituit, quibus cum sodalitates, & conventus, & sacra unicuique generi apta tradidisset, nomen Romanorum, Sabinorumque delevit*. Hanc autem Plutarchi orationem confirmat quoque Valerius, qui capite de institutis collegii, *tibicinum* meminit; tuetur Plinius, qui libro XXXIII. tertium fabrum ærarium collegium, & libro XXXV. septimum figulorum a Numa constitutum prodit. Quanquam Florus Ser. Tullium potius, quam Numam Pompilium horum, ut videtur, collegiorum auctorem asserit, cum de eo ita scribit; *Ab hoc rege populus Rom. relatus in censum, digestus in classes, decuriis, atque collegiis distributus. summaque regis solertia ita ordinata est respub. ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque discrimina in tabulas referrentur, ac si maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur*. Atque hæc quidem sive a Numa, sive a Servio instituta artificum, opificumque collegia fuerunt. de quibus intellexit sine dubio Caius, cum leges XII. tabularum interpretans ita scripsit: *Sodales sunt, qui ejusdem collegii sunt, quam Græci ἑταιρίαν vocant. his autem potestatem facit lex, pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant*. Inde vero facta alia multa sunt, sed ea fere, quia adversus remp. esse videbantur, sublata. quod his verbis prodit in Cornelianam Asconius: *Frequenter cœtus factiosorum hominum sine publica auctoritate,*

A *malo publico fiebant. propter quod postea collegia senatusconsultis, & legibus pluribus sunt sublata præter pauca, atque certa, quæ utilitas civitatis desideraſſet, ut fabrum, fictorumque*. Hoc autem quando potissimum factum sit, invenio scriptum apud eundem in commentario Pisonianæ. *L. Cæcilio*, inquit, *Q. Martio consulibus senatusconsulto collegia sublata sunt, quæ adversus remp. videbantur esse. solebant autem magistri collegiorum ludos facere, sicut magistri vicorum faciebant compitalitios, prætextati. qui ludi sublatis collegiis discussi sunt. post novem deinde annos, quam sublata erant, P. Clodius tribunus pl. non solum lege lata restituit collegia* (quod B idem a Dione scriptum video libro XL.) *sed etiam alia nova adjecit ex omni fece urbis, ac servitio*, ut testis est Cicero in Pisoniana. Quæ porro restituta a Clodio fuerant, ea iterum a Cæsare dictatore sublata, facile intelligere ex Suetonio possumus, si eum loquentem attendamus. inquit enim, *Cæsarem cuncta collegia præter antiquitus constituta detraxisse*. cujus lex cum in maximis reip. motibus postea ad nihilum recidisset, eandem ab Augusto repositam existimare debemus. siquidem idem Suetonius auctor est, *cum plurimæ societates titulo tenus collegii novi ad nullius non facinoris societatem coi-* C *rent, Augustum collegia præter antiqua, & legitima dissolvisse*. Timebant scilicet sapientissimi homines factiosorum hominum cœtus, ne jure collegii ad res novandas, & remp. perturbandam abuterentur.

Si ergo antiqua jam inde a Numa instituta artificum, opificumque collegia, in quæ ille populum plebemve conjecit, usque ad Augusti memoriam integra pervaserunt, quis est, qui negare, nisi plane rerum omnium rudis, possit, cives Romanos, maxime qui de plebe erant, artes operosas, sordidas, humilesque tractasse? At duobus in locis repugnat Dionysius, atque artes ejusmodi longe a ci- D ve Romano removet. unus est, ubi de Romuli institutis disputat: *Romulus*, inquit, *civibus Romanis agriculturam, & artem militarem commisit, servis vero, & peregrinis artes sellullarias, & sordidas, & turpium voluptatum ministras. quippe quæ non magis corpora, quam animos eorum, a quibus colerentur, læderent. ac diu hæc artificia infamia flagrarunt apud Romanos, neque ullo indigena Romano sunt exculta*. alter est, ubi de septimo lustro disserit, aliquot annis post reges exactos. *Civium*, inquit, *hoc lustro, qui tum puberes essent, supra centum millia censa. mulierum autem, servorumque,* E *& mercatorum, & sordidas artes exercentium, (siquidem Romanorum nemini cauponariam, aut operosam artem tractare licuit) triplo plus, quam turbæ civilis*. Repugnat ille certe, & quæstionem ponit ad explicandum difficilem. est tamen opera danda, ut veritatem in re non minimi momenti quam certissimis possumus vestigiis persequamur. Ego igitur, qui artifices, atque opifices civium Rom. e numero fuisse censeo, Dionysio optimo in primis auctori ita occurrendum existimo. Primum Romuli, cujus ille meminit, institutum, aut Numæ, aut Servii instituto fuisse abrogatum. non enim servos, aut peregrinos illi in collegia digessisse dicuntur, sed ci- F ves Romanos. probro tamen primis temporibus ejusmodi artium usum fuisse, atque inde factum, ut a veris civibus, & germanis secernerentur, non negaverim. quoniam ejusmodi operibus occupati homines neque ad militiam propter ignaviam vocabantur, nec fere tributi onere ullo propter tenues ipsorum opes premebantur, propterea ne in censorum quidem civium numerum a censoribus fuisse relatos, perinde atque ne puerorum quidem, mulierumque, crediderim. siquidem census ad juniorum copiam, qui ad bellum conscriberentur, & pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum faculta-

tes sustentarentur, dispiciendam, est celebratus. at vero peregrinorum, atque servorum prope alterum Romæ populum esse observatum, qui his quæstibus operam dederit, agriculturam vero & rem militarem civibus liberis solis reliquerit, vix mihi consentaneum videtur; præsertim vero cum peregrini civitate, servi libertate, & civitate facile donari possent. quam, quid erat, cur tantopere expeterent, si lucrum ex arte antiqua emissuri essent? opifices autem, & sellularios a militia esse repulsos non lege, sed consuetudine, quod parum bello idoneum genus illud hominum putaretur, ex verbis ipsis Livianis colligi mihi videtur posse, quæ sunt libro VIII. *Quin opificum quoque vulgus, & sellularii minime idoneum militiæ genus, exciti dicuntur, Veiosque ingens exercitus contractus, ut inde obviam Gallis iretur*. & his Sallustianis, ubi de C. Mario consule bello Jugurthino loquitur; *Plebs sic accensa est, ut opifices omnes, agrestesque quorum res, fidesque in manibus sitæ sunt, relictis operibus frequentarent Marium*. Etenim quæro, an consules opificum turbam centuriassent, si servi, ac peregrini fuissent, quorum illi nunquam, hi non in legione, sed in auxiliis meruerunt? at raro hoc usurpatum est; fateor. neque enim ejusmodi hominum genus conscribi, qui non idonei militaribus operibus viderentur, solebat; nisi aut asperis in rebus, aut ab ambitioso consule, ut a Mario, qui etiam capite censorum infimam plebem centuriasse fertur. Eosdem vero tributo conferendo vacasse, non quod civitatis, sed quod facultatis essent expertes, satis aperte demonstrat Plutarchus, qui scribit; Publicolam cos. pauperes cives tributi conferendi onere exolutos alacrius opificia sua tractare jussisse. Cur igitur a censoribus, teste Dionysio, sint præteriti, dubii jam nihil relinquitur. Quod si quis non optimo eos jure civitatis usos esse in prima illa sive regum, sive patriciorum republ. affirmarit, non repugnabo. quid enim id mirum, in ea republ. quæ non esset legibus temperata, sed humilibus neglectis, tota in principum, & divitum esset potestate sita? At postquam plebi universa est communicata respubl. tum & hanc plebis partem meliora jura, quam ante, sibi parasse, quis negare possit, nisi qui plane in tota antiquitate Romana peregrinetur? quæro enim; quod jus præstantius est suffragio? quod melius honore? At si postremis temporibus partem hanc civitatis ad tribus, & ad suffragia, & ad honores admissam doceo, nonne cives Romanos etiam sordidis in artibus occupatos fuisse, probavero? De tribubus autem quid est, quod dubitemus, cum auctorem optimum T. Livium habeamus? is autem *censores Lepidum, & Nobiliorem mutasse suffragia* scribit, *regionatimque generibus hominum, caussis & quæstibus tribus descripsisse*. nimirum enim *quæstus* cum dixit, collegia plebis intellexit. Unde Cicero merito se collegiorum suffragiis in patriam revocatum gloriatur. *Nullum est*, inquit, *in hac urbe collegium, quod non amplissime non modo de salute mea, sed etiam de dignitate decreverit*. At vero cum idem pro domo ait de eadem re, *homines in campum non tabernis, sed municipiis clausis venisse*, nonne satis ostendit, opifices clausis tabernis in campum suffragii caussa ventitare solitos esse? & cum Quinctus frater in libro de petitione ait: *Habes equestrem ordinem, multa municipia, multos abs te defensos cujusque ordinis homines, aliquot collegia*, nonne significat, ut equites Rom. & municipes, sic opificum collegia suis eum suffragiis consulem facere posse? Jam vero cur hæc pars populi a seditiosis hominibus tantopere coleretur, nisi ipsa ponderis aliquid ad comitia afferret? Audiamus, quid in oratione pro domo idem noster ille in Clodium loquatur: *An tu populum Rom. esse illum putas, qui constat ex iis, qui mercede conducuntur, qui impelluntur,*

A *ut vim afferant magistratibus, ut obsideant senatum, optent quotidie cædem, incendia, rapinas? quem tu tamen populum nisi tabernis clausis frequentare non poteras*. Itaque alio loco L. Sergium Clodii satellitem, *tabernariorum concitatorem* vocat. & Pedianus in argumento Milonianæ scribit, Plancum tribunum pleb. cohortatum esse populum, *ut clausis tabernis postero die ad judicium adesset, nec pateretur elabi Milonem*. & in Lucullo inquit noster, *seditiosos tribunos claudi tabernas jubere solitos esse*. cur ita? nimirum, ut plebem infimam, quæ in tabernis est, quæque facile impelli ad quodcunque facinus potest, secum habeant. Unde illud est in Catilinam: B *Quod si auditum est, lenonem quendam Lentuli concursare circum tabernas, precio sperantem solicitari posse animos egentium, atque imperitorum, est id quidem cœptum, atque tentatum: sed nulli sunt inventi tam aut fortuna miseri, aut voluntate perditi, qui non ipsum illum sellæ, atque operis, & quæstus quotidiani locum, qui non cubile, ac lectulum suum, qui denique non cursum hunc otiosum vitæ salvum esse velint. multo vero maxima pars eorum, qui in tabernis sunt, immo vero genus hoc universum amantissimum est ocii. etenim omne eorum instrumentum, omnis opera, ac quæstus frequentia civium sustinetur, alitur ocio. quorum si quæstus occlusis tabernis minui solet, quid tandem incensis futurum sit?* C Atque hæc quidem dicta sint de suffragio. Quid dicam de honoribus? nonne P. Rupilius ex operis publicanorum consulatum adeptus, imperium etiam in Sicilia gessit, idemque triumphavit? nonne Terentius Varro, qui cladem Cannensem cos. accepit, patrem lanium habuit, ipse vero institor mercis fuit? num vero hi minus cives fuerunt, quia in sordido quæstu versati sunt, quam unus quilibet e patriciis, cum etiam consulatum administrarint? quid M. Scaurus vir patricius, qui consul, & censor fuit, nonne patrem habuit, qui D carbonariam propter paupertatem, & C. Octavius, qui postea Augustus appellatus est, avum, qui argentariam fecit? an igitur Scaurus patre, Octavius avo geniti sunt, non cive, sed peregrino? quid? an vero Fabius ille, qui quod pingeret, Pictor est appellatus, civis non fuit, cum fuerit etiam patricius? de quo Cicero in ita prima Tusculana: *An censemus, si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polycletos?* At fuerunt hæ artes probro. non nego. plebs etiam universa reliquis ordinibus minus honesta fuit. & in plebe commodiore alii aliis in caussa fuerunt. siquidem histriones omnes, præter E Attellanos, tribu motos, & a stipendiis militaribus repulsos fuisse ante diximus. unde Q. Roscium comœdum Cicero dignum esse dixit, *qui aut semper in scena esset, aut eo nunquam veniret*.

CAP. XIII.

De turba forensi.

HUIC autem plebi pars illa plebis adjuncta est, quam forensem turbam, & factionem Livius, Cicero peculiari nomine urbanam plebem solet vocare. in qua homines versati sunt non solum egentes, & rebus domesticis impediti, sed nocentes etiam, & furiosi. cujus de commodis lege sua agraria Ti. Gracchus tulit, cum diceret, *feras quidem, ac bestias lustrum, ac tectum, quo se reciperent, in Italia habere; qui vero assidue pro libertate pugnarent, præter aerem, lucemque nihil in Italia possidere: sed sine lare, sine sede, cum liberis, conjugibusque vagari. mentiri autem imperatores Rom. cum milites hortarentur, ut pro aris, fo-*

cisque pugnarent. *neque enim lares paternos, nec monumenta majorum eos tenere, sed pro aliena luxuria dimicare, atque orbis terrarum dominos verbo appellari, revera autem ne glebam quidem terræ possidere*. Quam eandem legem cum in tribunatu L. Philippus ferret, dixit, teste in II. de officiis Cicerone, *non esse duo millia hominum in civitate, qui rem haberent*. Quin etiam hæc illa plebs fuit, cujus studio P. Clodius tribunus plebis Ciceronem ex urbe expulit, ac remp. divexavit. de qua sic ille pro domo: *P. Clodius consulari homini adimere potuit civitatem concilio advocato, conductis operis non solum egentium, sed etiam servorum, Cedulio principe qui primis scivit. quod facile potuit propter inopiam tecti in foro pernoctans*. & pro Milone: *Plebem, & infimam multitudinem, quæ P. Clodio duce fortunis vestris imminebat, eam quo tutior esset vita vestra, se fecisse commemorat, ut non modo virtute flecteret, sed etiam tribus suis patrimoniis deliniret*. Neque vero alia est ea, quam intellexit Sallustius, cum in Conjuratione ita scripsit: *Plebs conjuratione patefacta, Catilinæ consilia execrari, Ciceronem ad cœlum tollere. namque alia belli facinora prædæ magis, quam detrimento fore, incendium vero crudele, immoderatum, ac sibi maxime calamitosum putabat, quippe cui omnes copiæ in usu quotidiano, & cultu corporis erant*. Hæc autem plebs urbana agrorum inops, atque inanis, cum agros ex lege aliqua accipiebat, tum in agros deduci, sive in agris constitui ab ipso latore legis dicebatur. Neque vero solum, quos paupertatis humilitas depresserat, sed quos etiam flagitiosa, ac turpis vita signaverat, plebs hæc, ut dixi, urbana complexa est. Quod idem Sallustius eodem in libro demonstrat, cum inquit: *Sed urbana plebs præceps erat multis de caussis; primum omnium, qui ubique probro ac petulantia maxime præstabant; item alii, qui per dedecora patrimoniis amissis; postremo omnes, quos flagitium, aut facinus domo expulerat, hi Romam sicuti in sentinam confluxerant*. Quo factum est, ut Cicero epistolarum ad Atticum primo, bonis sordem, fecemque urbis opposuerit, cum dixit: *Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti, apud sordem, & fecem urbis multo melius, quam reliquisti*. Ergo cum hanc plebem vel sentinam, vel sordem, vel fecem urbis vocarent, recte etiam cum de emittenda infima tenuissimorum hominum multitudine, atque in agros deducenda loquerentur, plebem exhaurire dicebant. unde notum illud Ciceronis est in Rullum: *Et nimirum illud est, quod ab hoc tribuno pleb. dictum est in senatu, urbanam plebem nimium in rep. posse, exhauriendam esse. hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina, ac non de optimorum civium genere loqueretur*. Hanc autem forensem turbam vocavit Livius libro XI. credo, quod in foro ociosa, quasi agrariis & frumentariis largitionibus inhians versaretur, atque seditiosissimo cuique magistratui vel concionem habenti, vel cum populo agenti, facillime se dederet, eamque in quatuor urbanas tribus conclusam ait. *Q. Fabius censor*, inquit, *ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanasque has appellavit*. Ego tamen ex urbanis tribubus quatuor eam exisse, atque in omnes diffusam esse, inde ducor ad opinandum, quod nec Gracchi, nec Clodius, nec ceteri furiosi, amentesque tribuni pleb. quicquam in rep. moliri hujus plebis suffragiis, & studio potuissent, si quatuor tantum tribus in potestate habuissent; præsertim cum uni tribui unum suffragium concederetur, in quod majoris partis ex ipsa tribu sententiæ inclinassent. Neque vero ex alio etiam, quam ex hoc quasi corpore proletarios, & capite censos fuisse existimarim, quos in sextam classem, ultimamque centuriam rejecit Ser. Tullius, de quibus supra satis disputavimus, cum de centuriis diximus. postremo vero & hunc esse populum illum, quem *tunicatum* in Satyris *popellum* appellavit Horatius, quod non toga, sed tunica sex ipsa civitatis uteretur, existimo. unde Tacitus in dialogo de oratoribus, vulgus imperitum *populum tunicatum* vocavit.

CAP. XIV.

De libertinis.

SEQUITUR ordo libertinorum. quem in hunc locum icciro rejeci, quod quæ hactenus dicta sunt, omnia ad ingenuos pertinuerunt. libertinorum autem, ut supra dixi, jura multo, quam ingenuorum, fuerunt deteriora. Quod hoc etiam loco multo planius exponemus. Etenim cum priore libro, qui libertini vocarentur, docuerimus, in hoc quam civitatis, aut quam reip. partem habuerint, ac quot turbas juris sui amplificandi caussa in rep. excitarint, demonstrabimus.

Satis igitur constat, qui cum libertate civitatem adepti essent, eos patroni quidem nomina, per quem erant liberati, esse affecutos; at jura non omnino eadem esse adeptos. Non solum enim qui a patricio erat manumissus, non patriciorum jus acquirebat, sed ne qui a plebeio quidem, prorsus plebeii hominis conditionem assequebatur. Erant enim omnes libertini plebeii, & jure privato, id est, jure Quiritium eodem utebantur, ac illi, sed a tribubus rusticis, id est, ab optimo jure suffragiorum, & a stipendiis, & ab honoribus erant repulsi. unde non admodum commoda eorum fuisse conditio intelligitur. quam ut meliorem redderent, sæpe, sed frustra, magistratuum Romanorum ope tentarunt. In quatuor autem tribus urbanas primus is, qui libertinos etiam civitate donare instituit, Ser. Tullius conjecit. quæ cum propterea parum honoratæ haberi essent cœptæ, inde ab ingenuis, ut dixi, in rusticas frequenter est migratum, & rusticis eo nomine plurimum decoris, & ornamenti adjectum. Itaque libertini quorum jam numerus in repub. percrebuerat, cum se eo contemni nomine intelligerent, quod urbanas tribus ab ingenuis segregati tenerent, sæpius ut in omnes dividerentur, pugnarunt. primus autem App. Claudius in censura, quam gessit anno urbis conditæ CCCCXLI. eos ex quatuor urbanis, in quas a Ser. Tullio translati fuerant; in omnes dispersisse, populari aura provectus existimatur; usque adeo, ut Plutarchus propterea in Publicola Ap. Claudium primum libertinorum ordini suffragium dedisse dicat. Cujus factum cum ingenui, & tota nobilitas iniquissimo animo ferret, visum est Q. Fabio Rulliano censori novem post annis eos excernere, atque iterum in quatuor urbanas redigere: quam rem adeo gratis animis acceptam esse a tota civitate inquit Livius, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, eo facto invenerit. Eos tamen post censorum, qui sequuti sunt, vel temeritate, vel negligentia ex iis exiisse, inde conjici potest, quod L. Æmilius Papus, & C. Flaminius censores, anno urbis DXXXII. libertinos, qui in omnes tribus dispersi essent, in quatuor urbanas, teste Livio revocarint. Immutatam autem hanc etiam rationem esse postea invenio, ita, ut quibus filius quinquenni major esset, in rusticis censerentur, qui prædium, prædiave rustica pluris sestertium XXX. millium haberent, in quatuor urbanis, reliqui tribubus omnibus excluderentur. Itaque Ti. Gracchus, censor, anno post Romam conditam quingentesimo octogesimo quinto, cum omnes libertinos omnibus pellere tribubus vellet, resistente C. Claudio collega, tandem eo descendit, ut in Esqui-

Eſquilinam omnes referret. Hæc autem ex his Livii verbis elici mihi videntur poſſe: *In quatuor urbanas tribus deſcripti erant libertini præter eos, quibus filius quinquenni major eſſet. ex S. C. eos, ubi proximo luſtro cenſi eſſent, cenſeri juſſerunt. & eos, qui prædium prædiave ruſtica pluris* H-S *triginta millium haberent, cenſendi jus factum eſt. Hoc cum ita ſervatum eſſet, negabat Claudius ſuffragii lationem injuſſu populi cenſorem adimere cuiquam homini, nedum univerſo ordini poſſe. neque enim ſi tribu movere poſſet, quod ſit nihil aliud, quam jubere mutare tribum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus emovere poſſet, id eſt, civitatem, libertatemque eripere, non ubi cenſeantur finire, ſed cenſu excludere. Hæc inter ipſos diſceptata. poſtremo eo deſcenſum eſt, ut ex quatuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis ſortirentur, in quam omnes, qui ſervitutem ſerviſſent, conjicerent. Eſquilinæ ſors exiit. in ea Ti. Gracchus pronunciavit, libertinos omnes cenſeri placere.* Itaque huc intuens Cicero in primo de oratore dixit: *Ti. Gracchus Cenſor, Gracchorum pater, non accurata quadam orationis copia, ſed nutu, atque verbo libertinos in urbanas tribus tranſtulit. quod niſi feciſſet, rempubl. quam nunc vix tenemus, jam diu nullam haberemus.* ſignificat autem eos, qui in ruſticis eſſent, in urbanas eſſe redactos. quam unam ex quatuor Eſquilinam fuiſſe ſcribit Livius. Hoc autem decreto parum diu ſtetiſſe eos, inde intelligo, quod M. Scaurum conſulem anno DCXLV. legem de libertinorum ſuffragiis tuliſſe, id eſt, ut ego opinor, in IV. urbanas eos diſperſiſſe, in libro de viris illuſtribus ſcriptum eſt. cur autem ita putem, hæc cauſſa eſt, quod ni hoc ille tuliſſet, P. Sulpicio tribuno pleb. legem ferre anno DCLXV. neceſſe non fuiſſet, ut libertini in omnes tribus diſtribuerentur. id quod in epitoma Liviana, & apud Aſconium ſcriptum invenitur. quam tamen legem eodem anno a L. Sulla conſule, Mario, Sulpicioque adverſæ factionis ducibus urbe per arma pulſis, una cum ceteris ejus legibus abrogatam, cum docet Appianus, tum inde etiam patet, quod C. Carbone iterum conſule, Sullæ inimico, triennio poſt libertini in omnes tribus deſcripti in epitoma Liviana traduntur. Verum & hanc legem haud ita multo poſt a Sulla dictatore ſublatam, ex eo ſuſpicari libet, quod C. Manilius tribunus pleb. an. DCXXCVI. eandem legem tuliſſe dicitur, quæ quia poſtridie, id eſt, Kal. Januariis ſenatuſconſulto, Dione & Pediano teſtibus, eſt ſublata, proterea P. Clodius ferre in tribunatu ſuo illo turbulentiſſimo propoſuerat, ut libertini, qui non pluſquam in urbanis tribubus ſuffragium ferebant, poſſent in ruſticis quoque tribubus (ſic enim loquitur Pedianus) quæ ingenuorum eſſent, ferre. Quibus ex rebus illud efficitur, libertinos in tribubus urbanis perpetuo fere eſſe cenſos, quod etiam memoria ſua obſervatum prodit Dionyſius, qui fuit Auguſti æqualis.

Ut autem ſuffragiorum jure, ſic etiam ſtipendiorum caruiſſe, ex eo ſuſpicor, quod non ex ordine, ſed difficillimis tantum reip. temporibus conſcripti ſunt. neque enim credendum eſt, ſi ex ordine meruiſſent, ita de iis Livium in bello Samnitico, & Etruſco exponendo ſcripturum fuiſſe: *Senatus juſtitium indici, delectum omnis generis haberi juſſit. nec ingenui modo, aut juniores ſacramento adacti ſunt, ſed ſeniorum etiam cohortes factæ, libertinique centuriati.* Quod cum ait, quippe illud ſignificat, ut ſeniores, ſic libertinos extra ordinem fuiſſe conſcriptos. An vero idem bello Punico ſecundo ſcriptum reliquiſſet, *Libertinos etiam, quibus liberi eſſent, & ætas militaris, in verba juraſſe?* unde ſcripſit Macrobius Saturnalium primo, poſt cladem ad lacum Traſimenum acceptam libertinos quoque in ſacramentum vocatos. aut bello Liguſtino, litteris prodidiſſet, *rei navalis curam non omiſſam, duumviros in eam rem conſules creare juſſos, per quos viginti naves deductæ navalibus ſociis civibus Roman. qui ſervitutem ſerviſſent, complerentur, ingenui tantum iis præeſſent?* aut bello Perſico permiſſum tradidiſſet, *ut ſupplementum legeretur in claſſem ex libertinis?* Neque vero Appianus bello Marſico per libertinos oram a Cumis ad urbem eſſe cuſtoditam, *libertinis tum primum propter ingenuorum inopiam merere incipientibus*, dixiſſet. quem locum attigit etiam, eodem, quem commemoravi, in loco Macrobius, cum addidit. *Bello ſociali cohortum* XII. *ex libertinis conſcriptarum operam memorabilis virtutis apparuiſſe.* Quibus ex locis quid aliud admonemur, quam libertinos, niſi extra ordinem, aſperis reip. temporibus, non eſſe centuriatos?

At caruerunt ſuffragio, num vero honorum petitionem habuerunt? multo minus. hoc enim vix libertinorum filiis patuit. Docet hoc Livius, cum de Cn. Flavio loquitur; *Eodem anno Cn. Flavius C. F. ſcriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir, & facundus, ædilis curulis fuit, tribunatu ante geſto, triumviratuque nocturno, altero coloniæ deducendæ. ceterum Flavium ædilem dixerat forenſis factio App. Claudii cenſura vires nacta, qui ſenatum primus libertinorum filiis lectis inquinaverat. quam lectionem nemo ratam habuit.* docet Appianus, qui P. Furium, cum, qui tribunus pleb. Q. Metelli Numidici reſtitutioni ſe oppoſuit, libertino patre natum prodit. docet Tacitus, apud quem D. Claudius ita loquitur: *Libertinorum filiis magiſtratus mandati, non ut plerique falluntur recens, ſed priori populo factitatum eſt.* demonſtrat poſtremo diligens, atque aſſidua obſervatio antiquitatis, quæ conſtantiſſime libertinum ab honorum petitione repellit. niſi forte apparitiones magiſtratuum, in numero honorum habeamus, de quibus poſt dicemus.

Verum neque in ſenatum libertinos lectos eſſe inde apparet, quod ne libertinorum quidem filii lecti ſint. unde illud eſt in Cluentiana: *Lentulus cenſor Popillium, quod erat libertini filius, non legit, locum quidem ſenatorium ludis, & cetera ornamenta reliquit.*

Libertinorum autem numerum cum in omni tempore magnum fuiſſe invenio, tum Sullanis temporibus maximum. Etenim L. Sulla recuperata repub. omnes eorum, qui in bello ceciderant, ſervos, atque in primis robuſtiſſimum quenque manumiſit, atque eis plebis jura dedit. qui omnes ab eo Cornelii, auctore Appiano, ſunt appellati. unde Cicero in Corneliana prima dixit, *Cornelios tam multos eſſe, ut jam collegium eſſet conſtitutum.* Itaque cum poſt eorum numerus ferri in urbe non poſſet, manumittendi modus ab Auguſto imp. præſcriptus eſt.

CAP. XV.

De apparitoribus magiſtratuum.

APPARITORES autem magiſtratuum dicebantur, qui magiſtratuum imperio præſto erant, ut ſcribæ, accenſi, interpretes, præcones, viatores, lictores, ſervi publici, carnifices. Hæc autem munera libertis fere ſuis magiſtratus quiſque more majorum mandavit. Quod cum ex aliis multis locis colligitur, tum maxime ex oratione ſenatoris cujuſdam, apud Tacitum, de libertinorum ordine ita differentis, lib. XIII. *Hinc plerumque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus, & ſacerdotibus, cohortes*

etiam in urbe conscriptas, & plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi. Quibus verbis satis planum fecit, libertinis tribus, & decurias, credo, scribarum, & præconum, & viatorum, aliquando esse repletas. ex libertinis ministros esse magistratibus ac sacerdotibus datos. eosdem esse aliquando in cohortes ad bellum descriptos, atque inde plurimos equites, multos senatores originem deduxisse.

De scribis autem ante diximus, eosque ex hoc numero exemimus; non quod non apparitorum numero fuerint, sed quod eorum ordinem ex ingenuis potius, quam ex libertinis constitisse animadvertimus. siquidem & antiquus ille scriba pontificum Cn. Flavius non libertinus fuit, sed libertini filius, & Cicereius scriba Scipionis prætor legi non potuisset, nisi ingenuus fuisset. neque etiam stante rep. magistratus ulli libertinorum ordini patuerunt. Cicero tamen M. Tullio liberto suo scriba usus est.

Accensos porro hoc loco intelligimus magistratuum ministros, qui acciret. sic enim Varro de lingua Latina: *Consul loquitur ad exercitum: Impero, qua convenite ad comitia centuriata. Quare hic accenso, illic præconi dicit, hæc est caussa. in aliquot rebus item ut præco, accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus. Accensum solitum ciere Bœotia ostendit. Ubi primum accensus clamarit meridiem*. Livius de decemviris consularibus: *Penes præfectum juris duodecim fasces erant, collegis novem singuli accensi apparebant*. & Cicero in epistola illa nobili ad fratrem: *His rebus nuper C. Octavius jucundissimus fuit. apud quem primus lictor quievit, tacuit accensus. quoties quisque voluit, dixit, & quam voluit, diu*. Quo in loco cum de accenso: *Tacuit*, dixit, significat, accensi officium fuisse non solum, ut acciret ad prætorem, qui jus poscerent, sed etiam ut molestis interpellatoribus silentium imponeret. Libertis autem hoc muneris datum esse, idem ille in eadem ostendit: *Accensus sit*, inquit, *eo etiam numero, quo eum majores nostri esse voluerunt. qui hoc non in beneficii loco, sed in laboris, & muneris, non temere nisi libertis suis deferebant. quibus illi quidem non multo secus, ac servis imperabant*. unde ad Appium cum scribit, Pausaniam Lentuli libertum, accensum suum vocat. Neque vero cum dixit in Verrem: *Homo ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius*, alium ordinem, quam libertinorum, ut opinor, intellexit. in quibus ut in servis frugalitas commendatur.

Interpretes fuerunt, quos inter exteras gentes, ad externorum populorum orationem interpretandam adhibuerunt. quos ex apparitorum, & libertinorum numero fuisse, Ciceronis verba, quæ sequuntur ostendunt. primum ad Thermum, inquit, se pro cos. in Sicilia *in longa apparitione singularem, & prope incredibilem interpretis sui Marcilii fidem cognovisse*; deinde in Corneliana: *C. Publicium Menandrum, libertinum hominem, apud majores legatos in Græciam proficiscentes interpretem secum habere voluisse*. Munus autem interpretis declarat in frumentaria, cum ait: *A. Valentinus est in Sicilia interpres, quo iste interprete non ad linguam Græcam, sed ad furta, & flagitia uti solebat*.

Præconum in civitate usus fuit varius, ac multiplex; in auctionibus, ut ad hastam starent, & precia oblata nunciarent, in concionibus, ut audientiam facerent; in comitiis magistratuum, ut tribus ad suffragia ineunda citarent, & eos, qui designati erant, renunciarent; in legibus ferendis ut subjiciente scriba leges populo recitarent; in judiciis, & quæstionibus, ut judices, reos, & accusatores, & testes citarent. quod unicuique planum esse potest, qui non cursim, sed attente antiquorum scripta perlegerit. Liberos autem fuisse præcones, exemplo sit Sex. ille Nævius, contra quem venit Cicero in Quinctiana defensione, cum dixit: *Neque parum facetus scurra Sex. Nævius, neque inhumanus præco est unquam existimatus. quid ergo est? cum ei natura nihil melius, quam vocem dedisset, pater nihil præter libertatem reliquisset, vocem in quæstum contulit, libertate usus est, quo impunius dicax esset*, quibus verbis eum libertini filium mihi videtur subinnuere. Ut autem præcones a consulibus ex civibus Romanis legerentur, & eorum multæ decuriæ essent, atque mercedem a magistratibus acciperent, post indicabo.

Lictoribus usi sunt consules, prætores, interreges, & dictatores, & si qui alii magistratus non potestatem solum habuerunt, sed etiam imperium. viatoribus ii, quorum potestas potius, quam imperium extitit. Eorum munus erat, ut populum summoverent, sontes virgis cæderent, & securi ferirent. quæ ex Livio eliciuntur: *Et summovere populum lictores jussi*. unde alibi lictorem: *aditus summotorem* vocavit. *Assuetis*, inquit, *regio imperio formam terribilem præbuit tribunal, summotor aditus, præco, accensus, insueta omnia*. & alio loco: *Lictor apparuit. summovente eo incesserunt. virgæ, & secures prælatæ*. & alibi: *Fulvius præconi imperavit, ut lictorem lege agere juberet. ita de iis quoque qui Calibus erant, sumptum supplicium*. inde: *Missique lictores ad sumendum supplicium, nudatos virgis cædunt, securique percutiunt*. Hos autem e plebe Romana fuisse idem libro secundo ostendit, apud quem nescio quis e plebe queritur, quatuor, & viginti lictores apparere consulibus, & eos ipsos plebis homines. Punico autem bello confecto, qui magistratibus in provincia apparerent, eos fere Bruttios fuisse, unde Bruttianos dictos, tradit Gellius; qui caussam exponens, cur quendam a Bruttianis verberatum Cato dixisset, ait: *Romanos ægre passos, Bruttios populos totius Italiæ ad Annibalem defecisse pulsis, victisque Pœnis, Bruttios ignominiæ caussa nec milites scripsisse, nec pro sociis habuisse, sed magistratibus in provinciam euntibus parere, & præministrare servorum vicem jussisse. quod autem e Bruttiis essent, Bruttianos appellatos*.

Viatores alios a lictoribus fuisse, argumento est antiqua utrorumque origo. Lictor enim a ligando, Viator a via, unde accersebant, est appellatus. Testis est in Catone Cicero: *E via ad senatum accersebantur Curius, & ceteri senes, ex quo qui eos accersebant, viatores nominati sunt*. Valgius tamen eosdem fere viatores cum lictoribus existimavit, ut est apud Gellium. Lictorem enim dicit a ligando appellatum esse; quod cum magistratus populi Romani virgis quempiam verberari jussissent, crura ejus, & manus ligari, vincirique a viatore solita sint, isque qui ex collegio viatorum officium ligandi haberet, lictor sit appellatus, utiturque ad eam rem testimonio M. Tullii, verbaque ejus refert ex oratione, quæ dicta est pro C. Rabirio. *Lictor*, inquit, *colliga manus*. Quod autem supra dixi, lictorem consulis fuisse, intelligendum est, ita fuisse, ut etiam viatorem habuerit; siquidem de consulibus loquens Livius dixit; *Quibus in forum delatis, & ad viginti matronis, apud quas deprehensa erat, per viatorem accitis*. & alibi: *Consul viatorem misit, qui patri nunciaret, ut sine lictoribus ad consulem veniret*. ex quibus tamen apparet, viatoribus eos usos vocandi, & nunciandi caussa, non ligandi. Viatorum porro, ut etiam ante præconum, decurias fuisse, easque a consulibus lectas, & mercede affectas fuisse, testis est antiqua ea tabula, cujus supra memini, cum de scribis dicerem, cujus reliquum, quod ad præcones, & viatores pertinet, quoniam res est memoria digna, hic adscribam:

COS. QVEI. NVNC. SVNT. IEI. ANTE. K. DECEMBRIS. PRIMAS. DE. EIS. QVEI CIVES. ROMANEI. SVNT. VIATOREM. VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN EA. DECVRIA. VIATOR. APPAREAT. QVAM. DECVRIAM. VIATORVM EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. PRIMEIS. QVÆSTORIBVS. AD ÆRARIVM APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT. EIDEM. COS. ANTE. K. DECEMBR PRIMAS. DE. EIS. QVEI. CIVES. ROMANEI. SVNT. PRÆCONEM. VNVM LEGUNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. PRÆCO. APPAREAT. QVAM DECVRIAM. PRÆCONVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. PRIMEIS QVÆSTORIBVS. AD ÆRARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT DEINDE. EIDEM. CONSVL. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. VIATOREM VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. VIATOR. APPAREAT. QVAM DECVRIAM. VIATORVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. SECVNDEIS QVÆSTORIBVS. AD. ÆRARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT EIDEMQVE. COS. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. PRÆCONEM VNVM. LEGVNTO. QVI. IN. EA. DECVRIA. PRÆCO. APPAREAT. QVAM DECVRIAM. PRÆCONVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS SECVNDEIS QVÆSTORIBVS. AD. ÆRARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT DEINDE. EIDEM. COS. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. VIATOREM VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. VIATOR. APPAREAT QVAM. DECVRIAM. VIATORVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. TERTIEIS QVÆSTORIBVS. AD. ÆRARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT EIDEMQVE. COS. ANTE. K. DECEMBREIS. PRIMAS. PRÆCONEM VNVM. LEGVNTO. QVEI. IN. EA. DECVRIA. PRÆCO. APPAREAT. QVAM DECVRIAM. PRÆCONVM. EX. NONEIS. DECEMBRIBVS. TERTIEIS QVÆSTORIBUS. AD. ÆRARIVM. APPARERE. OPORTET. OPORTEBIT EOSQVE. VIATORES. EOSQVE. PRÆCONEIS. OMNEIS. QVOS. EO ORDINE. DIGNOS. ARBITRABVNTVR. LEGVNTO. QVAM. IN. QVISQVE DECVRIAM. ITA. VIATOR. LECTVS. ERIT. IS. IN. EA. DECVRIA. VIATOR ESTO. ITEM. VT. EI. CETERI. EIVS. DECVRIÆ. VIATORES. ERVNT QVAMQVE. IN. QVISQVE. DECVRIAM. ITA. PRÆCO. LECTVS. ERIT IS. IN. EA. DECVRIA. PRÆCO. ESTO. ITA. VT. EI. CETEREI. EIVS. DECVRIÆ PRÆCONES. ERVNT. SIREMPSQVE. EIS. VIATORIBVS. DE. QVE EIS. VIATORIBVS. QOMNIVM. RERVM. IVVS. LEXQVE. ESTO. QVASEI SEI. EI. VIATORES. IN. EAM. DECVRIAM. IN TRIBVS. VIATORIBVS ANTEA. LECTEI. SVBLECTEI. ESSENT. QVAM. IN. QVISQVE DECVRIAM EORVM. EX. HAC. LEGE. VIATOR. LECTVS. ERIT. SIREMPSQVE. EIS PRÆCONIBVS. DE. QVE. EIS. PRÆCONIBVS. QVÆSTORI. OMNIVM RERVM. IVVS. LEXQVE. ESTO. QVASEI. SEI. EI. PRÆCONES. IN. EAM DECVRIAM. IN. TRIBVS. PRÆCONIBVS. ANTEA. LECTEI. SVBLECTEI ESSENT. QVAM. IN. QVISQVE. DECVRIAM. EORVM. EX. HAC. LEGE PRÆCO. LECTVS. ERIT

QVOS. QVOMQVE. QVÆSTORES. EX. LEGE. PLEBEIVE. SCITO. VIATORES LEGERE. SVBLEGERE. OPORTEBIT. EI. QVÆSTORES. EO. IVRE. EA. LEGE VIATORES. IIII. LEGVNTO. SVBLEGVNTO. QVO. IVRE. QVA. LEGE QVEI. NVNC. SVNT. VIATORES. III. LEGERVNT. SVBLEGERVNT. QVOSQVE QVOMQVE. QVESTORES. EX. LEGE. PLEBEIVE. SCITO. PRÆCONES SVBLEGERE. OPORTEBAT. EI. QVÆSTORES. EO. IVRE. EA. LEGE. PRÆCONES IIII. LEGVNTO. SVBLEGVNTO. QVO. IVRE. QVA. LEGE. QVÆSTORES. QVEI NVNC. SVNT. PRÆCONES. III. LEGERVNT. SVBLEGERVNT. DVM. NI. QVEM IN. EIS. VIATORIBVS. PRÆCONIBVS. LEGVNDEIS. SVBLEGVNDEIS. IN. EIVS VIATORIS. PRÆCONIS. LOCVM. VIATOREM. PRÆCONEM. LEGANT SVBLEGANT. QVOIVS. IN LOCVM. PER. LEGES. PLEBEIVE. SCITA. VIATOREM PRÆCONEM. LEGEI. SVBLEGEI. NON. LICEBIT. ITAQVE. DE. EIS. QVATTVOR VIATORIBVS. QVÆSTOR. QVEI. QVOMQVE. ERIT. VIATORES. SVMITO HABETO. VTEI. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. DE. TRIBVS. VIATORIBVS VIATORES. HABERE. SVMERE. SOLITEI. ITAQVE. DE. EIS. QVATTVOR PRÆCONIBVS. QVÆSTOR. QVEI. QVOMQVE. ERIT. PRÆCONES. SVMITO HABETO. VTEI. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. DE. TRIBVS. PRÆCONIBVS PRÆCONES. HABERE. SVMERE. SOLITEI. SVNT. ITEMQVE. EIS. VIATORIBVS PRÆCONIBVS. QVI. EX. HAC. LEGE. LECTEI. ERVNT. VICARIVM. DARE SVBDERE. IVS. ESTO. LICETO. QVE. VTI. CETEREIS. VIATORIBVS. PRÆCONIBVS QVA. IN. QVISQVE. DECVRIA. EST. VICARIVM. DARE. SVBDERE. IVVS. ERIT LICEBITQVE. ITEMQVE. QVÆSTORES. AB. IEIS. VICARIOS. ACCIPIVNDO VTEI. A. CETEREIS. VIATORIBVS. PRÆCONIBVS. VICARIOS. ACCIPEI. OPORTEBIT VIATORES. PRÆCONES. QVEI. EX. HAC. LEGE. LECTEI. SVBLECTEI. ERVNT EIS. VIATORIBVS. PRÆCONIBVS. MAGISTRATVS. PRO. VE. MAG MERCEDIS. ITEM. TANTVNDEM. DATO. QVANTVM. EI. VIATORI PRÆCONEI. DAREI. OPORTERET. SEI. IS. VIATOR. DE. TRIBVS VIATORIBVS. ISQVE. PRÆCO. DE. TRIBVS. PRÆCONIBVS. ESSET QVEI. ANTE. HANC. LEGEM. ROGATAM. VTEI. LEGERENTVR. INSTITVTEI. SVNT. QVAS. IN. DECVRIAS. VIATORVM. PRÆCONVM. CONSVL. EX. HAC LEGE. VIATORES. PRÆCONES. LEGERIT. QVORVM. VIATORVM PRÆCONVM. NOMINA. IN. EIS. DECVRIEIS. AD. ÆDEM. SATVRNI IN. PARIETE. INTRA. CAVEAS. PROXVME. ANTE. HANC. LEGEM.

Servos autem publicos alios fuisse a lictoribus ostendit senatusconsultum vetus, quod ponitur a Frontino in libro de aquæductibus: *Placere Senatui, eos, qui aquis publicis præessent, cum ejus rei caussa extra urbem essent, lictores binos, & servos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios, accensos, præconesque totidem habere, quot habent ii, per quos frumentum plebi datur*. Hi vero omnibus magistratibus apparuerunt. ut censoribus, de quibus Livius: *Censores signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis negarunt se quidquam publici negocii gesturos*; & ædilibus, de quibus Varro: *Ædiles stipati servis publicis non modo prehendi non possunt, sed ei ultro summovent populum*. & quæstoribus, quos idem scripsit neque lictorem habuisse, neque viatorem.

Unus fuit carnifex, qui non modo civis non fuit, sed ne domicilium quidem in urbe habuit. si teste M. Tullio stamus in Rabiriana illa de perduellione ita loquente: *Sed moreretur prius acerbissima morte millies Gracchus, quam in ejus concione carnifex consisteret. quem non modo foro, sed etiam cœlo hoc, ac spiritu censoriæ leges, ac urbis domicilio carere voluerunt*. est autem fere carnifex is, per quem in crucem egerunt, ut lictor, per quem securi percusserunt.

CAP. XVI.

De notis ordinum.

HACTENUS de tribus civium ordinibus, qui fuerint, quas partes habuerint, quidque deinum ad remp. momenti attulerint, disputatum sit. nunc de notis eorum, quod relinqui videtur, dicamus. Notas autem intelligo censorias. Etenim ut cives a censoribus in ordines honoris caussa referebantur, sic ab iisdem ignominiæ caussa ex ordinibus pellebantur. Itaque ut tribu largienda plebeium, equo publico assignando equitem Rom. senatu communicando senatorem faciebant; ita tribu movendo plebeium, equo adimendo equitem, senatu ejiciendo senatorem, cum essent magistri morum constituti, notabant. Neque vero equites, aut senatores ea nota solum afficere poterant, ut aut equo spoliarent, aut senatu exigerent, sed illa præterea etiam, ut tribu moverent. ut enim omnes cives, quod jam sæpius admonui, erant in tribu, sic eandem amittere omnes, & quod gravius esse existimabatur, in Cæritum tabulas referri, & ærarii relinqui poterant. Senatu autem movere, erat in recitando senatu senatorem veterem præterire. equum adimere, equum vendere jubere, tradit hoc in Divinationem Pedianus. *Censores*, inquit, *quinto quoque anno creari solebant. hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, ejiceretur a senatu, qui eques Rom. equum publicum perderet, qui plebeius in Cæritum tabulas referretur*. ostendunt exempla multorum quibus referta est Liviana historia, ut Cethegi, & Tuditani censorum, qui senatum ita legerunt, ut octo præterierint; & Salinatoris, ac Neronis, qui septem senatu moverint, neminem, qui sella curuli sedisset; & Flaminini, ac Marcelli, qui quatuor, neminem curuli honore usum; & M. Catonis, qui septem, inter quos etiam L. Flamininus consularis. de nota vero equestri, Claudii, & Gracchi, quos ait idem in equis adimendis equestrem ordinem offendisse, & eorum, a quibus scribit Valerius, equestris ordinis magnam partem, quadringentos juvenes, quia ad munitionum opus explicandum ire jussi, non iverant, equis publicis spoliatos. Neque vero equites soli, qui equo publico, sed etiam, qui privato merebant, a censoribus eo spoliabantur, si Liviano testimonio stetur; qui scribit: *In equestri-*

A *bus notis eadem servata caussa. illis omnibus equi adempti, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne præterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent*. significat enim omnibus equitibus tam privato equo, quam publico equos ereptos: iis autem, qui publico stipendia fecerant, illud adjectum, ut privatis facerent. Nam eos, qui publicum equum haberent, eo aperte privatos fuisse cum Neronis, & Salinatoris exemplo patet, quorum alter alterum equum publicum, quem forte habebant, notæ caussa, teste Livio, jussit vendere: tum ex eo
B perspici potest, quod narrat idem de iis, qui deserendæ Italiæ consilium ceperant, & qui nimis callidi exolvendi jurisjurandi interpretes fuerant, quibus equos ademptos ait, qui equum publicum habebant. Qui vero tertii ordinis erant, ii tribu movebantur, in Cæritum tabulas transferebantur, & ærarii fiebant. Tribu movere erat ex una tribu in aliam notæ caussa transferre. Hoc tradit Livius. *Negavi*, inquit, *Claudius censor suffragii lationem injussu populi censorem cuiquam homini, nedum universo ordini adimere posse. neque enim si tribu movere posset, quod nihil sit aliud, quam jubere mutare tri-*
C *bum, ideo omnibus quinque & triginta tribubus movere posse*. Ex quo apparet, movere tribu esse, ex honestiore tribu in minus honestam transferre, ut ex rustica in urbanam, aut ex rustica in rusticam. unde dixit Plinius, in urbanas tribus transferri ignominiosum fuisse. Accedit, quod Cicero de republica quarto ait, majores Romanos, *Cum artem ludicram, scenamque totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore civium reliquorum carere, sed etiam tribu moveri censoria notatione voluisse*. quæ verba D. Augustinus enarrans, ait, *quisquis civium Romanorum esse scenicus elegisset, non solum nullum ei ad honorem aditum datum, verumetiam censoris*
D *nota tribum tenere propriam non permissum*. & post: *Romani hominibus scenicis nec plebeiam tribum, quanto minus senatoriam curiam dehonestari sinunt*. In Cæritum porro tabulas referre, erat suffragio spoliare. Nam Cæritibus beneficii loco, ob sacra Gallico bello servata civitas sine suffragii latione fuerat data, ut apud Strabonem, & Gellium scriptum invenimus. *Ærarium vero facere erat*, auctore Pediano, *nullum aliud jus civitatis in centuria, atque adeo in tribu relinquere, quam ut pro capite suo tributi nomine æra penderet*, ita ut, qui ærarius factus esset, is non solum suffragio urbano, sed etiam stipendiis militaribus spoliatus esset. Ut autem gravior erat
E nota in Cærites referri, quam tribu moveri, sic ærarium relinqui, quam inter Cærites conjici. Nam ærarius etiam inter Cærites relatus erat. quare in annalibus nullam aliam notam reperiemus, nisi tribu motum, & ærarium factum. Quod autem ærarii a militaribus stipendiis essent repulsi, ex Livii loco, qui est in principio septimi, cognoscitur, cum scribit, Attellanos histriones censoria nota vacuos fuisse, *quia neque tribu moverentur, neque a militaribus stipendiis repellerentur*. Ergo senator non solum senatu ejici, eques equo exui, sed etiam tribu moveri, & in ærarios referri poterant. Quocir-
F ca est apud Livium, *M. Æmilium dictatorem ob diminutum censuræ tempus censores tribu movisse, octuplicatoque censu ærarium reliquisse*. Item: *Censores censum severius, quam ante habuisse, multis equos ademptos, qui equum publicum haberent, tribuque motos ærarios omnes factos. neque senatu modo, aut equestri ordine regendo curam censorum se tenuisse. nomina omnium ex juniorum tabulis excerpsisse, qui quadriennio non militasent. quibus neque vacatio justa militiæ, neque morbus caussa fuisset, & ea supra duo millia nominum in ærarios relata, tribuque motos*. & alibi: *His equi a censoribus adempti*,

tribuque moti ærarii omnes facti. atque etiam Cicero in Cluentiana scripsit: *Censores ipsi inter se tanti esse judicia arbitrantur, ut alter alterius judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu movere velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignum existimet, ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet*.

CAP. XVII.

De jure ordinum.

EXPOSITIS ordinibus tribus, reliquum est, ut de jure eorum disseram. jura enim ordinum quærere, nihil aliud est, quam jura civium, quatenus in ordines distributi sunt, indagare. Hæc vero jura plura fortasse fuerunt, sed quæ maxime excellerent, duo potissimum fuisse animadverto. quorum alterum judicia attingit, spectacula alterum. Etenim ut omnes cives sedes in theatro spectandorum ludorum caussa habuerunt, sic omnes etiam & privatas, & publicas caussas judicarunt. quibus autem legibus, & quando, & quo modo, & quibus reip. motibus illud obtinuerint, aperiendum videtur. Agamus autem primum de judiciis, deinde spectacula persequamur, atque, utraque ut inter hos ordines vel divisa, vel communicata fuerint, demonstremus.

CAP. XVIII.

De Judiciis

JUDICIUM est potestas de rebus aut privatis, aut publicis ex jure & legibus Rom. judicandi. Judicia porro obierunt ii, qui Judices appellantur. quos a magistratibus fuisse diversos, non minimo illa sunt argumento, quod magistratus judicium darent, judices caussa cognita judicarent; illi judices cogerent, hi in judicium cogerentur; illi populi suffragiis, hi a prætoribus; illi ex universo populo, hi ex certo plerunque ordine allegerentur; in iis, quid quisque decerneret, observaretur, in his quid plerique statuerent, spectaretur. judices denique sententiam ferrent, magistratus judicum sententiam pronunciarent. Quare in constituendo Romano cive non omnibus in partibus Aristotelicam definitionem civis traditam possumus sequi. Ille enim civem magistratibus, & judiciis circumscripsit, quod judicia & omnibus civibus committi, suffragio mandari æque ac magistratus ipsos posse censuit; nos aliam rationem in legendis judicibus, aliam in deferendis. Itaque si divem statuerimus eum, qui judicia habeat, gravi illo incommodo urgebimur, ut usque ad sexcentesimum tricesimum ab urbe condita annum senatores solos cives, quia soli judicarunt, fuisse concludamus. deinde vero una cum judiciis civitatem a senatoribus ad solos equites esse translatam dicemus. quo quid potest dici perversius? Quæ caussa facit, ut ego ordines, & judicia ab honorum numero removerim. cum honores suffragio civium tradi viderem, ordines autem lectioni censoriæ, judicia prætoriæ esse commissa animadverterim.

Sint ergo judicia ab honoribus segregata, ordinibus autem adjuncta, & tanquam ordinum ornamenta. Eorum vero alia privata fuerunt, alia publica. Privata erant, in quibus jus suum privatus quisque persequebatur; publica, in quibus injuria, quæ reipublicæ facta erat, vindicabatur. Quæ vero essent injuriæ, quibus res publica, sive populus universus læderetur, in ipsius populi arbitrio erat positum.

Ut autem judicia alia privata, alia publica, sic judices alii rerum privatarum, alii publicarum fuerunt. ac privatarum quidem recuperatores, judices & centumviri, publicarum, qui proprie judices sunt appellati. Præterea vero ut in litibus privatis judices a magistratu penes quem jurisdictio erat, dabantur, sic in caussis publicis a magistratu, qui quæstioni præesset, & quidem ex eo numero, qui selecti dicebantur.

Hi vero in decurias distributi feruntur fuisse, quas prætores urbani jurati confecerunt. quoniam autem ex ordinibus iis, apud quos judicia essent, seligebantur, selecti judices appellati sunt. Hoc autem voluit Cicero, cum dixit in Cluentiana, *prætores urbanos juratos optimum quenque in selectos judices referre*. Ex ordinibus autem iccirco dixi, quia non ex omni populo prætor urbanus, sed ex certis ordinibus judices in selectorum numerum referebat, id quod, altius hujus disputationis exordio repetito, cujusmodi fuerit, demonstremus.

Satis igitur constat, judicia primum penes senatores fuisse, id est, judices, quorum esset consilium prætor advocaturus, ex senatoribus primum tantum fuisse. Hoc probat cum Dionysius, qui judicia patriciis a Romulo tributa esse dixit; tum Polybius, qui judicia senatorum in potestate fuisse aperte lib. VI. litteris prodidit. Probat etiam illud, quod equites ante legem C. Gracchi non judicasse satis perspicuum est: quod si non equites, multo minus plebs.

Ergo lex Sempronia initium hujus totius mutationis attulit. Placuit enim C. Graccho, ut remp. quam multis aliis legibus perturbare instituerat, hac etiam in parte vexaret, a senatu, quem parum integra fide judicare criminabatur, ad equestrem ordinem totam judiciorum rationem, consuetudinemque transferre, idque, lata ad populum lege, non admodum adversante senatu obtinuit. testis est hujus historiæ Appianus, cujus verba subscribam: *C. Gracchus iterum tribunus creatus, conciliata, atque adjuncta sibi plebe, de equitum etiam, qui medii inter senatum, & plebem sunt interjecti, colligenda benevolentia cogitavit, hoc modo: Judicia, quæ ob pecunias captas flagrabant infamia, ad equites a senatoribus transtulit, cum eis proximum quodque judicium exprobraret, quod Aurelium Cottam, & Salinatorem, & MP. Aquilium, qui Asiam ceperat, captis aperte pecuniis absolvissent. quin etiam legati cum eo querelarum pleni per urbem vagabantur. Quæ senatus veritus, legi non est adversatus, ac plebs eam scivit. atque ita ad equites a senatu judicia sunt translata. narrant autem accepta lege, Gracchum dixisse, se funditus nervos senatorii ordinis incidisse, idque vere ab eo usurpatum, rem ipsam postea comprobasse. Nam cum equitibus potestatem permisisset, ut de civibus Romanis, atque Italicis, & senatoribus ipsis judicarent, ac multa, ignominia, exilio damnarent, eos quasi dominos constituisse, senatores vero illis subjecisse visus est. Itaque cum equites facta cum tribunis pl. conspiratione in comitiis adessent, atque ab iis, quæ vellent, omnia obtinerent, maximum senatoribus ipsis terrorem incutiebant: brevique apparebat fore, ut universa reip. ratio perverteretur, cum senatus dignitate sola, equester ordo potentia, opibusque præstaret*. Eadem vero etiam Paterculus, eadem Pedianus, Gracchum a senatoribus ad equites judicia transtulisse. Eadem Varro, cujus hæc verba ex libro de vita populi Romani quarto profert Nonius: *Gracchus senatui iniquus, equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit, discordiarum civilium fontem*.

Anno deinde post decimo septimo, Q. Servilius Cæpio consul ea inter utrumque ordinem communicavit. Scriptum est hoc apud Obsequentem, & Cassiodorum, qui Cæpione, & Serrano coss. judicia per Servilium Cæpionem consulem equitibus, & se-

natoribus communicata notant. Unde illa sunt etiam Ciceronis in Bruto: *L. Crassus Serviliam legem suasit iis consulibus, quibus nati sumus*. & paulo infra: *Mihi quidem a pueritia quasi magistra fuit illa Crassi in legem Cæpionis oratio, in qua auctoritas ornatur senatus, pro quo ordine illa dicuntur, & invidia concitatur in judicum, & accusatorum factionem, contra quorum potentiam fuit populariter dicendum*. Hanc autem mutationem necessariam fuisse propter equitum in judicando superbiam, atque avaritiam, indicat etiam Appianus, qui eodem in loco ita pergit: *Equites non satis judiciorum principatu contenti, aperte in senatores etiam extra judicia insultabant. atque muneribus capti ea turpiter, atque immoderate accipiebant. & accusatores adversus divites comparabant, & captarum ob judicandum pecuniarum quæstiones facta inter se conspiratione, & vi omnino sustulerant, ita ut cum hæc judicii forma desideraretur, seditionem alteram ob judiciarias leges haudquaquam priore leviorem excitaret*.

Deinde lex altera Servilia lata est a C. Servilio Glaucia, ut opinor, prætore. qua equitibus judicia restituta sunt. de qua lege sic Cicero in Bruto: *C. Servilius Glaucia in prætura consul factus esset, si rationem ejus haberi licere judicatum esset. nam & plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis obstrinxerat*. & pro Scauro: *Reus factus est a Q. Servilio Cæpione lege Servilia, cum judicia penes equestrem ordinem essent, & P. Rutilio damnato nemo tam innocens videretur, ut non timeret illa*. Atque hoc intellexit in primo de oratore Antonius, cum ita loquutus est: *Et animos equitum Rom. apud quos tum caussa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipsi propter judicia abalienati, revocabam*.

Serviliam inde legem consequuta est Livia. quam M. Drusus tribunus pl. tulit anno sexcentesimo sexagesimo secundo. de quo sic scribit Appianus: *Drusus senatorium & equestrem ordinem maxime tunc ob judicia dissidentes communi lege inter se conciliare conatus est. Itaque cum aperte judicia senatui reddere non posset, hac arte ea inter utrosque communicavit. cum senatores propter superiorum temporum discordias vix ad* CCC. *essent, totidem ipsis ex ordine equestri, & optimum quemque ut cooptarent, auctor fuit. atque ex his omnibus in posterum judices legi voluit. qua tamen lege neque senatoribus, qui secum tot equites admisceri, neque equitibus, qui judicia hoc pacto ad solos senatores referri videbant, gratificatus, in utriusque ordinis offensionem cum incidisset, in ipso magistratu est interfectus*. Velleius autem ita: *Drusus cum senatui priscum restituere decus vellet, & judicia ab equitibus ad eum transferre ordinem; (quippe eam potestatem nacti equites Gracchanis legibus, cum in multos clarissimos atque innocentissimos viros sævissent, tum P. Rutilium virum non sæculi sui, sed omnis ævi optimum interrogatum lege repetundarum maximo cum gemitu civitatis damnaverant.) in iis ipsis, quæ pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium*. Quid quod in epitoma Liviana scriptum est? *P. Rutilius, vir summæ innocentiæ, qui legatus Q. Mucii pro consule a publicanorum injuriis Asiam defenderet; invisus equestri ordini, penes quem judicia erant, repetundarum damnatus in exilium missus est. Senatus cum impotentiam equestris ordinis in judiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, ut ad se judicia transferrentur. M. Livius Drusus tribunus pl. legem tulit, ut æqua parte judicia penes senatum, & equestrem ordinem essent*. Hanc autem legem cum reliquis aliis Livii legibus, tanquam adversus auspicia latam, eodem anno Philippo cos. referente uno S. C. sublatam, testis est Cicero lib. III. de legibus. qua lege adductum in eam opinionem Plutarchum puto, ut C. Gracchum de legendis in senatum equitibus, & communicandis ea ratione judiciis in tribunatu tulisse scripserit.

A Cum igitur nec Cæpionis, nec Drusi lege senatores in partem judiciorum venire potuissent, tum M. Plautius Silvanus extitit, qui biennio post, Strabone, & Catone coss. in itribunatu senatui satisfecit. tulit enim, auctore Pediano, ut singulæ tribus e corpore suo quindecim, qui per annum judicarent, legerent. unde dixit in oratione pro C. Cornelio Cicero: *Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Rom. lege Plotia judicarent, hominem diis, ac nobilitati perinvisum Cn. Pompeium caussam dicere lege Varia de majestate*. quæ verba Pedianus interpretans ait, M. Plautium Silvanum tribunum pl. Cn. Pompeio Strabone, L. Porcio Catone coss. anno secundo belli Italici, cum equester ordo in judiciis dominaretur, legem tulisse adjuvantibus nobilibus, eamque legem eam vim habuisse, quam Cicero significat. nam ex ea lege tribus singulas e suo numero quinos denos creasse, qui eo anno judicarent. ex eo factum esse, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam ex ipsa plebe. An vero hæc lex diu servata sit, parum certum est.

B Illud autem nullam habet dubitationem, septennio post L. Syllam dictatorem legem tulisse, ut soli senatores judicarent. credo quod equitibus, & plebi esset infensus, quia adversus se pro Marianis partibus steterant. cujus legis Pedianus, & Cicero meminerunt.

C Undecimo deinde post anno, Cn. Pompeio, & M. Crasso coss. cum multos jam ante annos Sylla decessisset, L. Aurelius Cotta prætor legem ad populum tulit, ut senatores jam diu male de judiciis audientes cum equitibus, & tribunis ærariis judicarent, id est, ut tres ordines ad judicia advocarentur. siquidem tribuni ærarii ex plebe, ut dixi, fuerunt. de qua ita Pedianus: *L. Cotta lege sua judicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, & tribunos ærarios*. & Velleius: *Cotta judicandi munus, quod C. Gracchus ereptum senatui ad equites, Sylla ab illis ad senatum transtulerant, æqualiter inter utrumque ordinem partitus est*.

D Inde lex Pompeia lata, quam Cn. Pompeius in secundo consulatu promulgavit, auctore in Pisonianam Asconio, nihil de tribus ordinibus immutavit.

Post Cæsar dictator judicia ad duos solum ordines redegit, senatores, & equites. cujus rei caussam Dio ita reddidit: *Judicia senatoribus equitibusque commisit, ut purissima pars civitatis judicaret. ante enim ex plebe quidam etiam una judicia exercebant*. quod de tribunis ærariis dictum esse ostendit Suetonius, E cum scribit: *Judicia ad duo genera judicum redegit, equestris ordinis, & senatorii, tribunos ærarios, quod erat tertium, sustulit*.

Inde M. Antonius cos. Cæsare interfecto, legem tulit, *Ut ad duas decurias senatorum, & equitum tertia adjungeretur centurionum, & manipularium militum legionis Alaudæ*, ut Cicero significat in prima Philippica, in qua hanc legem insectatur, atque exagitat. Atque hæc quidem de ordinibus, unde judices lecti sunt, hactenus.

Censum autem in judice etiam legendo spectatum, non est dubium. id enim innuit Plinius libro XIIII. in proœmio: *Posteris laxitas mundi, & rerum* F *amplitudo damno fuit, postquam senator censu legi cœptus, judex fieri censu*. & Seneca: *Censu in foro judex legitur*. & Cicero in Antonium: *In judice spectari & fortuna debet, & dignitas*. An vero jam inde ab initio judici census præfinitus sit, nihil habeo comperti. Lege quidem Aurelia, Pompeia, & Julia præfinitum, satis aperte docet Cicero in prima Philippica, his verbis: *At quæ est ista tertia decuria? centurionum, inquit. quid? isti ordini judicatus lege Julia, etiam ante Pompeia, Aurelia non patebat? census præfiniebatur, inquit. non centurioni quidem solum, sed etiam equiti Romano*. Habet

autem dubitationem, an idem fuerit ordinum census, ac judicum, ut quo censu quis senator, eodem etiam judex legi potuerit. qua de re quanquam certi nihil habeo, quod afferam, non recusabo tamen, quin, quo me conjectura ducat, exponam. Me igitur, ut diversos eos fuisse sentiam, verba Asconii de lege Pompeia adducunt. qua sancitum ait, *Ut ex amplissimo censu ex centuriis aliter, quam ante lecti judices, æque tamen ex tribus ordinibus judicarent*. itemque Suetonii de lege Augusti, qua quartam decuriam additam ait *ex inferiore censu, quæ ducenariorum vocaretur, judicarentque de levioribus summis*. Ex quibus omnibus possumus suspicari, non eodem censu ordines, ac judices esse cooptatos. quid enim legibus ullis equiti Romano census ad judicatum præscribendus fuisset, si omnes quocunque censu equites legi judices, concessum esset? aut cur demum Antonius leges eas immutare tentasset, nimirum, ut quocunque censu centurio judicare posset, nisi certus census ante judici centurioni constitutus fuisset? Atque hoc quidem ita fuisse, lex ipsa Pompeia ostendit, cum judices ex amplissimo censu legi jubet. Significat enim, senatores legi potuisse, qui octingenta millia possiderent; equites, qui quadringenta. at judices e senatorio ordine, aut equestri, nisi, qui amplissimo censu essent, id est, qui supra senatorium, aut equestrem censum possiderent, constitui non licuisse.

Postremo ætatis etiam ad judicandum annum legitimum trigesimum quintum fuisse eodem in loco docet Suetonius, cum ita pergit: *Judices a tricesimo ætatis anno allegit, id est, quinquennio maturius, quam solebant*. Sed de judicibus multo pluribus in libris de judiciis differemus.

Pertinuisse autem hoc etiam ad jus civitatis, ex eo conjici potest, quod de se inquit Cicero: qui cum lege Clodia se civitatem omnium judicio non amisisse, multis argumentis contenderet, ita demum intulit: *Me L. Cotta, homo censorius, in senatu juratus dixit, se, si censor tum esset, cum ego aberam, meo loco senatorem recitaturum fuisse. quis in meum locum judicem subdidit? quis meorum amicorum testamentum discessu meo fecit, qui mihi non idem tribuerit, quod & si adessem?*

CAP. XIX.

De spectaculis ordinum.

Ut autem in judicando, sic etiam in spectando proprio quodam jure singuli ordines fuerunt. Ceterum promiscuum spectandi in theatro senatui fuisse, & populo ab initio locum, inde senatum a populo, post equites a plebe discretos, in monumentis rerum Romanarum notatum videmus. Quæ quia sine eorum ordinum offensione, qui deteriore in caussa ponebantur, fieri nequivere, quo pacto res universa ceciderit, verbis priscorum annalium recitatis ostendam. Livius ita scribit: *Sex. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus censores gratiam ingentem apud ordinem senatorium pepererunt, quod ludis Romanis ædilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo. nam antea in promiscuo spectabant*. & paulo post: *C. Atilii Serrani, L. Scribonii Libonis ædilium curulium ludis Rom. primum senatus a populo secretus spectavit. præbuitque sermones (sicut omnis novitas solet) aliis tandem, quod multo ante debuerit, tributum censentibus amplissimo ordini, aliis demptum ex dignitate populi, quicquid majestati patrum adjectum esset, interpretantibus. & omnia discrimina talia, quibus ordines discernerentur, & concordiæ, & libertatis æque minuendæ esse. ad quingentesimum quinquagesimum sextum annum in promiscuo spectatum esse, quid repente factum, cur non immisceri sibi in cavea patres plebem vellent? cur dives pauperem consessorem fastidierit? novam, & superbam libidinem ab nullius ante gentis senatu neque desideratam, neque institutam. postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor ejus rei fuisset, pœnituisse ferunt*. Adjicit Valerius, quanquam ad hunc usque annum promiscua subsellia fuerant, nunquam tamen quenquam ex plebe in theatro ante patres conscriptos spectare sustinuisse. De eodem autem etiam instituto Pedianus in Cornelianam, atque adeo ipse etiam Cicero ita in oratione: *P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, verum etiam a se ipso sæpe accusatus est, quod, cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari*. Ut autem tum senatores ab equitibus, & plebe, sic postea equites a plebe secreti sunt: spectabant enim senatores in cavea, qui locus ad theatri radices scenæ proximus erat, inde proximi quatuordecim theatri gradus, ut commodiores, sic honestiores habebantur. in iis autem, & in ceteris altioribus plebs cum equitibus spectare solita erat.

Post autem lata lex est, ut iis equites utique considerent, confuse tamen, Tacito auctore, cum plebe. Hanc autem legem tulit L. Roscius Otho tribu. pl. ut est apud Dionem, M. Glabrione, & C. Pisone coss. Alienavit autem a se plebem, equites sibi adjunxit hac lege Roscius. Quo factum est, ut cum quinquennio post consule Cicerone, dum ludi ederentur, in theatrum veniret, a plebe maximo strepitu, ab equitibus ingenti plausu exceptus sit. cumque iterum plebs, & equites, ut quisque animo erat affectus, Roscium accepissent, paulatim ad verborum convicia descenderunt. atque theatrum perturbarunt. id quod cum Cicero consul accepisset, statim, advocata concione, populum castigavit. qui in theatrum reversus, & ipse cum equitibus de Roscii honoribus, Plutarcho auctore, contendit. Unde merito Plinius ita in laudes Ciceronis erupit: *Te suadente tribus Roscio theatralis auctori legis ignoverunt, notatasque se discrimine sedis æquo animo tulerunt*.

Inde lex Julia ab Augusto lata est: Ut equitibus Rom. quibus ipsis, parentibusve equester census unquam fuisset, in quatuordecim ordinibus lege Roscia theatrali constitutis considere liceret. cujus legis Suetonius testis est. astipulatur Plinius libro XXXIII. cum inquit, *a Tiberio imp. constitutum, ne cui jus annulorum esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno H-S CCCC. census fuisset, & lege Julia theatrali in XIIII. ordinibus sedendi*. Post autem Imp. Nero equitum Rom. locos sedilibus plebis anteposuit, si Taciti auctoritate standum est, qui libr. XV. ait: *Nam ad eam diem indiscreti ierant. quia lex Roscia nihil, nisi de quatuordecim ordinibus sanxerat*.

CAP. XX.

De nobilibus, novis, & ignobilibus.

His expositis sane quæ prima fuerit civium Rom. a nobis constituta divisio, ab omnibus intellectum existimo. nunc sequitur, ut de secunda, quemadmodum instituimus, differamus; cujus ut partes sunt minores, sic disputatio aliquanto erit angustior. Ut autem illam divisionem ab ordinibus deduximus, sic hanc ab imaginibus derivamus. Nam qui majorum suorum habuerunt imagines, ii nobiles; qui suas tantum, ii novi; qui nec majorum, nec suas, illi demum ignobiles appellati sunt. Ex quo efficitur, jus imaginis nihil esse aliud, quam jus nobilitatis. Etenim ut imago a

magistratu proficiscitur, sic nobilitas ab imagine, unde etiam sæpe imagines pro nobilitate sunt positæ. Est autem imago, ut præclare libr. VI. Polybius, insignis alicujus viri simulacrum oris similitudinem artificiose effictam coloribus, pigmentisque adumbratam referens, quod in insigniori, & celebriori domus parte positum ligneo armario includebant. Imaginem autem sui ponere non temere omnibus licuit, sed iis tantum, qui magistratus curules gessissent, quorum primus fuit ædilitas. unde Cicero dixit in Verrem, *se ædilem designatum, adeptum esse antiquiorem in senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, jus imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendam*. & pro Rabirio Postumo, ubi loquitur de iis, qui propter magistratus in senatum lecti sunt; *Delectat*, inquit, *imago ipsa ad posteritatis memoriam prodita*. Imago vero iccirco valuit ad memoriam, posteritatemque prodendam, quia inde nobilitas familiæ ducta est; nobiles enim, ut dixi, fuerunt, qui majorum suorum imagines ostendere potuerunt. Hoc indicat Livius cum dixit, *Ancum Marcium nobilem una imagine Numæ*. item: *Ap. Claudium honoratissimæ imaginis ad posteros, legum latorem, conditoremque Romani juris*. & Cicero cum pro Plancio inquit; *Non dubitas, quin omnes, qui favent nobilitati, qui imaginibus, qui nominibus vestris ducuntur, te ædilem fecerint*. & cum in Pisonem: *Obrepsisti ad honores commendatione fumosarum imaginum*. & Juvenalis, cum in nobilitatem majorum imaginibus partam ita Satyra octava est invectus:

Stemmata quid faciunt? quid prodest, Pontice, longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Majorum? & stantes in curribus Æmilianos?
Et Curios jam dimidios? nasumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis, nasoque carentem?
Quis fructus generis tabula jactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore magistros?

Has autem imagines primi patricii posuerunt, quod iis primis curules magistratus, ut consulatus, censura, prætura, ædilitasque patuerunt, unde jus imaginis fuit. Itaque patricii etiam primi nobiles habiti sunt, unde aliquando etiam nobilitas pro patriciorum factione est usurpata. ut apud Livium libro VII. *Non patientibus tribunis, quod pro consule uno plebeio tres patricios magistratus curules sellis prætextatos, tanquam consules, sedentes nobilitas sibi sumpsisset*. & apud Sallustium libro de rep. ordinanda: *In duas partes ego civitatem divisam arbitror, in patres, & plebem. antea in patribus summa auctoritas erat, vis multo maxima in plebe. Itaque sæpius in civitate secessio fuit, semperque nobilitatis opes diminutæ sunt, & jus populi amplificatum*. & iterum apud Livium lib. II. *Occupant tribuni templum, postero die consules, nobilitasque ad impediendam legem in concione consistunt*. Post autem ubi plebs eosdem patricios magistratus est nacta, tum & ipsa imagines ponere, easque relinquere cum nobilitate posteris suis cœpit. quod demonstrant apud Livium lib. VI. plebeii, cum de communicando consulatu agentes dicunt, *ex illo in plebem ventura omnia, quibus patricii excellant, imperium, atque honorem, gloriam belli, genus, nobilitatem, magna ipsis fruenda, majora liberis relinquenda*. Quocirca multis post vulgatos honores sæculis Asconius in commentario orationis in toga candida scriptum reliquit, sex competitores Ciceronem in consulatus petitione habuisse, duos patricios, quatuor plebeios, ex quibus plebeiis duos nobiles, duos, qui tantum non primi ex suis familiis magistratum adepti essent, solum Ciceronem equestri loco natum fuisse.

Ut autem nobiles dixerunt, qui majorum imagines habuerunt, sic ignobiles, qui iis caruerunt. ut Suetonius in Vespasiano: *Flavia gens obscura, ac sine ullis imaginibus*. Jam vero qui primi ex familia sua magistratus curules ceperunt, ac imaginem sui prodiderunt, eos novos homines, quasi generis, ac posteritatis suæ principes appellarunt, ut M. Catonem illum censorium. nam pater ejus ignobilis, ipse novus, posteri ejus nobiles extiterunt. est enim novitas inter nobilitatem, & ignobilitatem interjecta. cujus rei admonemur a Cicerone pro Cluentio, cum ait: *Et jam querimur, sæpe hominibus novis non satis magnos in hac civitate esse fructus? nego usquam unquam fuisse majores. ubi si quis ignobili loco natus ita vivat, ut nobilitatis dignitatem virtute tueri posse videatur, usque eo pervenit, quoad eum industria cum innocentia prosecuta est. si quis autem hoc uno nititur, quod sit ignobilis, procedit sæpe longius, quam si idem ille sit cum iisdem suis vitiis nobilissimus*. Itaque idem de se homine novo ita dixit in Rullum ad populum: *Me hominem novum consulem fecistis*: item; *Mihi apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur, non quod non tales fuerint quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis, sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt*. Item: *Quemadmodum cum petebam, nulli me vobis auctores generis mei commendarunt; sic si quid deliquero, nullæ sunt imagines, quæ me a vobis deprecentur*. Quibus verbis significat, hominem novum eum esse, qui curuli magistratu parto aditum ad amplitudinem, & nobilitatem posteris suis patefaciat. quod etiam intellexit, cum ædilis curulis designatus dixit in Verrem, *jus se adeptum imaginis ad memoriam, posteritatemque prodendam*. & Plutarchus in Catone majore, cum scripsit, *Novos homines appellatos, qui non ex genere commendationem haberent, sed ex se cognosci inciperent*. Ex quo intelligi potest, cur Cicero in Catilinam dixerit, *se hominem esse per se cognitum, nulla commendatione majorum*. & pro Plancio: *Ego huc a me ortus, & per me nixus ascendi, istius egregia virtus adjuvabitur commendatione majorum*.

Cum autem procedentibus temporibus multæ plebeiæ familiæ, prætoriæ, consulares, ac triumphales essent, factum est, ut plebs in duas quasi partes abierit. quarum unam tuebatur nobilitas, quæ ex patriciis, & plebeiis nobilibus familiis constabat, alteram plebs, quæ obscurissima, & nullarum imaginum erat. ex qua fuit C. Terentius Varro lanii filius, qui ad Cannas consul male pugnavit. Unde ille de se loquens apud Livium ait: *Romanos non habituros ante finem belli Punici, quam consulem vere plebeium, id est, hominem novum fecissent. nam plebeios nobiles iisdem initiatos esse sacris, & contemnere plebem, ex quo contemni desierint a patribus*.

Atque hæc quidem de nobilibus: redeo ad imagines, unde nobilitas ipsa fluxit. Has ergo qui habuerunt, eas summo studio coluerunt, & conservarunt. Narrat enim eo, quem supra commemoravi, loco Polybius, festis eos diebus apertis armariis illas exornasse. cum vero ex domesticis quispiam esset mortuus, in funere extulisse, addito, ut magnitudine quam simillimæ apparerent, reliquo corporis trunco. vestibus autem exornatas, si consulares, aut cum imperio fuissent, prætextis; si censorii, purpureis; si triumphales, auro intextis; atque curru, fascibus, & securibus, aliisque magistratuum insignibus prælatis in rostra esse perlatas. Hoc autem idem tradidit quoque Plinius libro XXXV. *Apud majores in atriis imagines erant, quæ spectarentur, non signa externorum artificum, nec æra, aut marmora. expressi cera vultus singulis disponebantur armariis, ut essent imagines, quæ comitarentur gentilicia funera, semperque defuncto aliquo totus aderat, familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata vero lineis discurrebant ad imagines pictas, tabulina codicibus implebantur, & monumentis rerum gestarum. aliæ foris, & circa limina animorum ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori relinquere liceret. triumphabantque etiam dominis mutatis ipsæ domus, & erat hæc stimulatio ingen.*

gens exprobrantibus tectis quotidie, imbellem dominum intrare in alienum triumphum. Extat Messallæ oratoris indignatio, qua prohibuit inseri genti suæ Levinorum alienam imaginem. Similis caussa Messallæ seni expressit volumina illa, quæ de familiis condidit, cum Scipionis Africani transisset atrium, vidissetque adoptione testamentaria Salutionis, (hoc enim ei fuerat cognomen) Africanorum dedecore notam inrepentem Scipionum nomini. sed pace Messallarum dixisse liceat, etiam mentiri clarorum imagines. erat aliquis virtutum amor, multoque honestius, quam mereri, nequis suas expeteret. Cum his autem Plinianis verbis illa quoque Valerii de Torquato Silani patre mire conveniunt: *Videbat, se in eo atrio consedisse, in quo illius Imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat. prudentissimoque viro succurrebat effigies majorum suorum cum titulis suis idcirco in prima ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.* & illud Ciceronis in secundo de oratore: *Cum casu funere efferretur anus Junia, tum Crassus: Brute, quid sedes? quid illam anum patri nunciare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides?* & pro Sulla: *Si quæris, qui sint Romæ regnum occupare conati, ex domesticis imaginibus invenies.* intelligit enim M. Manlium Capitolinum, qui eo nomine de saxo deturbatus est. & pro Murena: *Domum ne se vertet? ut eam imaginem clarissimi patris sui, quam paucis ante diebus laureatam in sua gratulatione conspexit, eandem deformatam ignominia, lugentemque videat?* Addo etiam, idem intellexisse Martialem, idem Juvenalem: illum, cum dixit, *Atria Pisonum stabant cum stemmate toto:* hunc vero, cum cecinit;

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus.

Hanc autem eandem sententiam de virtute adversus imagines protulit etiam in epistolis ad Hirtium Cicero: *Cum nobilitas*, inquit, *nihil aliud sit, quam cognita virtus, quis in eo, quem veterascentem videat ad gloriam, generis antiquitatem desiderat?* sed hæc quidem ex virtute ducta nobilitas tota philosophorum est, ut quæ ex imaginibus, populi Romani est universa. unde illud est notum Horatii,

Contra Levinum Valeri genus, unde Superbus
Tarquinius regno pulsus fuit, unius assis
Non unquam precio pluris licuisse, notante
Judice quem nosti, populo, qui stultus honores
Sæpe dat indignis, & famæ servit ineptus,
Qui stupet in titulis, & imaginibus.

Nobilitas autem ex virtute in novis solum populis locum habuit, in quibus nullæ dum imagines parari potuerunt. quod significavit Livius de Tarquinio loquens: *Roma est ad id potissimum visa. in novo populo, ubi omnis repentina, atque ex virtute nobilitas sit, futurum locum forti viro.*

Cap. XXI.

De optimatibus, & popularibus.

RESTAT tertia civium divisio, quam, ut dixi, neque gentium dissidium, neque ordinum inter se de jure, & dignitate certantium dissimilitudo, sed prava ipsa, quæ omni semper reip. nocuerunt, partium studia, in rempublicam intulerunt, ut alteri se optimates dici, & esse vellent, alteri populares. Quid autem optimates Romæ fuerint, adeo aperte docet Cicero in Sextiana, ut ex eorum descriptione, qui etiam populares fuerint, non difficile sit intelligere. Erit autem, ut opinor, non alienum, pulcherrimas ejus voces, quibus in optimatibus, & popularibus non tam subtiliter distinguendis, quam acute circumscribendis est usus, in medium proferre, ac diligenter considerare. *Duo ge-*

A *nera*, inquit, *in hac civitate semper fueruut eorum, qui versari in republica, atque in ea se excellentius gerere studuerunt. quibus ex generibus alteri populares, alteri optimates & haberi, & esse voluerunt. qui ea, quæ faciebant, quæque dicebant, multitudini jucunda esse volebant, populares; qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarentur, optimates habebantur.* Quanquam autem civilis hæc dissensio, auctore Cicerone, semper in repub. est versata, tamen ea maxime post Ap. Cæci censuram, id est, post annum urbis quadringentesimum quadragesimum primum videtur exarsisse. Is enim, ut inquit Livius, *primus senatum libertinorum filiis inquinavit.* B *& posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas humilibus per omnes tribus divisis, forum, & campum corrupit. quæ forensis factio dicta est. quæ cum Cn. Flavium patre libertino, humili fortuna ortum ædilem curulem dixisset, id adeo nobiles ægre tulerunt, ut plerique annulos aureos & phaleras deponerent. ex eo tempore in duas partes discessit civitas. aliud integer populus, fautor, & cultor bonorum; aliud forensis factio tenebat. donec Q. Fabius censor simul concordiæ caussa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quatuor tribus* C *conjecit, urbanasque eas appellavit.* Hæc Livius. Redeo ad Ciceronem, qui optimates definivit, eos, qui ita se gerebant, ut quæ agerent, quæque dicerent, ea optimo cuique probari vellent. Quibus definiendis non longe ab Aristotelica, ut video, præceptione discessit, qui optimatum potestatem inde dictam tradidit, aut quia optimi in ea imperarent, aut quia ejus rei caussa esset quæ maxime reip. expediret. Horum autem genera fuisse permulta, facile ex eodemmet Cicerone cognosci potest, qui in eadem oratione ita pergit: *Quis ergo est iste optimas? quis? de numero si quæris, innumerabiles, neque enim aliter stare possemus. sunt principes consilii publici. sunt, qui eorum* D *sectam sequuntur. sunt maximorum ordinum homines, quibus patet curia. sunt municipales, rusticique Romani. sunt negotia gerentes. sunt etiam libertini optimates.* Quibus verbis partes potius persequitur quam formas optimatum. Etenim quod inter optimates refert *publici consilii principes*, consules intelligit, qui ut tribuni concionis popularis, sic ipsi senatus sunt duces ac principes. Inter hos autem magna semper discordia, sed aliis temporibus alia fuit. primis enim temporibus tribunis plebis consules restiterunt, ut patricius magistratus plebeio. nam tunc nulla alia, nisi ex familiarum patriciarum potentia plebeiis ipsis in- E toleranda audita contentio est. post autem, ubi plebeiis etiam familiis consulatus, & ceteri patricii honores communicati sunt, non ita contendit consulatus cum tribunatu, tanquam patricius cum plebeio, sed tanquam optimatum princeps cum popularium principe, in quo controversiam fecit non generis dissimilitudo, sed voluntatum distractio. Atque hoc est, quod inquit idem in secunda agraria: *Non natura, neque dissidio, neque odio penitus insito bellum nescio quod habet susceptum consulatus cum tribunatu, quia persæpe seditiosis atque improbis tribunis boni & fortes consules obstiterunt, quia vis tribunicia nonnunquam libidini restitit consulari. non potestatum dissimilitudo, sed animorum disjunctio dissensionem fa-* F *cit.* Neque vero solum *principes consilii publici, sed etiam, qui sectam eorum sequuntur*, optimates Cicero appellat. hi vero multi, sed maxime nobiles homines fuerunt. nobiles dico tam plebeios, quam patricios, quorum majores magistratus amplissimos administrassent, & ad eosdem posteris suis faciliorem aditum communissent. est enim æquum, ut qui reipublicæ partem maximam obtinent, ii gloriosam etiam, & incolumem esse rempublicam velint. Itaque pauci nobiles populares fuerunt. inter eos vero M. Æmilium Lepidum, cui Q. Lutatius Catulus resti-

tit, referre possumus, de quo L. Philippus in senatu dixit, apud Sallustium: *M. Æmilius omnium flagitiosorum postremus, qui pejor, an ignavior sit, deliberari non potest, exercitum opprimendæ libertatis habet*. & post: *Hi tumultum ex tumultu, bellum ex bello Saturnini olim, post Sulpicii, dein Marii, Damasippique nunc Lepidi satellites*. præterea vero adjungere licet etiam C. Cæsarem, cui Bibulus primum, post etiam duce Pompeio senatus, atque universa optimatum factio occurrerunt. Nam P. Clodium non numero, quia optimates non ante oppugnavit, quam se nobilitate avita abdicavit, & adoptione se Fonteium pro Claudio reddidit. Addit deinde Cicero, *optimates esse maximorum ordinum homines, quibus patet curia*. maximorum autem ordinum nomine senatorium, & equestrem complecti videtur. nam equites Romanos ipse senatui reconciliarat, atque cum optimatibus in consulatu conjunxerat. equitibus autem patebat curia, quod ex eo ordine fere in senatum sublegerentur. Itaque senatores & equites pro optimatibus stetisse innuit. Unde tertium, qui plebis est, ordinem innuens, addit *municipales, & rusticos Romanos, & negotiatores, & libertinos*. municipales quidem appellans, qui ex municipiis erant cives Romani. de quibus in libro de jure Italiæ disputabimus; rusticos autem eos, qui agros tenerent, aut colerent. quam rusticam plebem supra appellavimus; postremo etiam negotiatores, & libertinos, de quibus satis supra diximus. Atque hæc quidem de partibus optimatum. Formam vero vimque eorum si quis requirat, is quid ille deinceps subjiciat, quæso diligenter attendat. *Numerus*, inquit, *optimatum late, & varie diffusus est. sed genus universum (ut tollatur error) brevi circumscribi, & definiri potest. omnes optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. horum qui voluntati, commodis, opinioni in gubernanda republica serviunt, defensores optimatum, ipsique optimates gravissimi, & clarissimi cives nominantur, & principes civitatis*. Quibus verbis eos, quos commemoravit, omnes ita fuisse optimates adjungit, si neque nocentes essent, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti. quid ita? quia sæpe vel judicii declinandi caussa, vel scelere, vel amentia, vel angustiis rei familiaris impulsi consules etiam, & senatores, & equites, & ex plebe rustici, & negotiatores, & libertini populares evaserunt, ac statum reip. pervertere tentarunt. Etenim Tiberium Gracchum accepimus nulla alia de caussa, quam judicii de se futuri formidine ab optimatibus, quorum pater suus princeps, ac defensor perpetuo fuerat, defecisse. id quod video Ciceronem ipsum in oratione de aruspicum responsis scriptum reliquisse, his verbis: *Ti. Graccho invidia Numantini fœderis, cui feriendo quæstor C. Mancini consulis cum esset, interfuerat, & in eo fœdere improbando senatus severitas dolori, & timori fuit. istaque res illum a gravitate patrum desciscere coegit*. Ab optimatibus autem adeo improbitatem abesse debere Cicero intellexit, ut bonos sæpe pro optimatibus, cum de rep. loqueretur, usurparit. Hinc enim dixit in epistolis ad Lentulum: *Non offendes eundem bonorum sensum, Lentule, quem reliquisti, qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, & afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est, nunc ab iis, a quibus tuendus erat, derelictus. idque non solum fronte, atque vultu, quibus simulatio facillime sustinetur, ii declarant, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur, sed etiam sententia sæpe jam, tabellaque docuerunt*. Furiosos etiam negat esse optimates posse. furorem autem definivit in Tusculanis mentis ad omnia cæcitatem. quo verbo non

A solum vesanos, atque amentes complecti voluit, sed etiam qui reip. ob detrimentum, aut ignominiam acceptam essent irati. siquidem, ut inquit poeta nobilis, *ira brevis furor est*. quo furore percitos fuisse C. Gracchum, & L. Saturninum accepimus. Etenim scriptum est apud Ciceronem in eadem oratione de aruspicum responsis, *C. Gracchum morte fraterna, pietate, dolore, magnitudine animi ad expetendas domestici sanguinis pœnas excitatum, Saturninum autem, quod in annonæ caritate quæstor a frumentaria procuratione a Senatu amotus esset, ei rei M. Scauro præfecto, dolore factum esse popularem*. Ex iis autem, qui cum propter ceteras caussas, tum maxime propter magnitudinem æris alieni novarum rerum studiosi fuerunt, L. Sergius Catilina, vir patricius & nobilis una cum sociis ejus conjurationis fuit. de quo in hunc modum scribit Sallustius: *In tanta, tamque corrupta civitate, Catilina omnium flagitiosorum, atque facinorosorum circum se, tanquam stipatorum catervas habebat. nam quicunque impudicus, adulter, ganeo, ventre, manu, pene bona patria dissipaverat; quique alienum æs grande conflaverat, quo flagitium aut facinus redimeret; præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, convicti judiciis, aut pro factis judicium timentes; ad hoc quos manus, aut lingua perjurio, atque civili sanguine alebat; postremo omnes, quos flagitium, egestas, conscius animus exagitabat, hi Catilinæ proximi, familiaresque erant*. & post: *His amicis, sociisque confisus Catilina, simul quod æs alienum per omnes terras ingens erat, & quod plerique Sullani milites largius suo usi, rapinarum, & victoriæ veteris memores civile bellum exoptabant, opprimendæ reipubl. consilium cepit*. Postremo, quod hujus disputationis est caput, de optimatibus ita concludit: *Quid est igitur propositum his reipubl. gubernatoribus, quod intueri, & quo cursum dirigere suum debeant, id quod est præstantissimum, maximeque optabile omnibus sanis, & bonis, & beatis? cum dignitate ocium*. Itaque in agraria altera, cum, quid populare esset, definiret, ita egit: *Dixi in senatu, in hoc magistratu popularem consulem futurum. quid est enim tam populare, quam pax, quam libertas, quam ocium? quod ita jucundum est, ut & vos, & majores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in ocio possit esse, præsertim in imperio, ac dignitate. neque enim illud populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quæ verbis ostentari potest, revera fieri, nisi exhausto ærario, nullo pacto potest*. Quamobrem, si optimates hos esse perspicuum est, facile, qui his adversentur, populares esse, intelligi licet. ut tribunos pl. & qui eorum sectam sequuntur, id est, humiles & nullorum majorum homines, & turbam forensem, ceterosque ejusmodi, si nocentes, improbi, furiosi, egentes, atque ære alieno obstricti sint. quibus in rep. propositum sit nihil aliud, quam vis, & seditio, quibus nihil turpius, nihil ad tranquillitatem reip. disturbandam potest esse accommodatius. Itaque animadvertere etiam possumus, bonis sæpe plebem opponi, cum pro plebe populares homines humillimos, ac tenuissimos accipiant, ut Cicero in Sextiana: *C. Gracchus frumentariam legem ferebat. res erat jucunda plebi. repugnabant boni, quod ab industria plebem ad desidiam avocari putabant, & ærarium exhauriri videbant*. & in epistolis ad Atticum: *Quæ æstimatio non modo vehementer ab optimo quoque, sed etiam a plebe reprehenditur*. & alio loco: *Apud bonos iidem sumus, quos reliquisti, apud fecem, & sordem urbis multo melius, quam reliquisti*. Et quoniam plebis numerus multo est, quam bonorum, uberior, hinc etiam multos bonis opposuit, ut in sexto de rep. cum dixit: *Et*

vero in dissensione civili, cum boni plus, quam multi valent, expendendos ab his, non numerandos puto. His ergo pravis, ut dixi, partium studiis, atque hac perniciosa optimatum, ac popularium factione, antiquæ, quæ post bellum Tarentinum prorsus extinctæ erant, exsuscitatæ sunt in civitate seditiones. sic enim P. Mucius consul, Scipione Nasica auctore, cum Tib. Graccho tribuno plebis, quietum statum civitatis legibus agrariis convellente, atque tribuniciis rogationibus popularem auram aucupante adjuvantibus reliquis optimatibus decertavit; sic cum C. Graccho Tiberii fratre eadem moliente L. Opimius, cum L. Saturnino C. Marius, cum M. Druso L. Philippus, cum P. Sulpitio L. Sulla, cum Cinna Octavius, cum Carbone iterum Sulla, sic Q. Catulus consul cum collega suo M. Lepido, M. Cicero cum L. Catilina, M. Bibulus cum C. Cæsare popularem consulatum administrante contenderunt. neque vero ante finem civilium contentionum fecerunt, quam rempublicam unam omnium bello, paceque post hominum memoriam florentissimam iisdem armis, quæ ab ipsa pro sua salute, & dignitate defendenda acceperant, deleverunt. dum scilicet cum in duas partes distracta civitas, Cæsarem plebs tueretur, Pompeio optimates hærerent. Cæsare autem, qui victor universa ad se unum translata rep. tyrannidem exercere putabatur, per optimates interfecto, Antonio se, atque inde Octavio populus adjunxisset, Brutum, & ceteros patriæ liberatores curia cum bonis omnibus sectaretur.

HÆC habui, quæ de vetere civium Romanorum jure ex antiquissimis annalium monumentis magna diligentia conquisita, atque arbitratu meo digesta, litteris hoc tempore proderem: in quibus, quoniam non me præterit, quantas interea per rerum, & temporum tenebras penetraverim, quam crebro de recto pæne tramite, itineris ipsius cæcitate, deflexerim, sæpe me leviter offendere potuisse confiteor. neque vero eam industriam atque prudentiam mihi assumo, qua infinitas prope hujus laboris difficultates omnes superare, ut a principio dixi, possim: sed si æquos, quod maxime cupio, laboris hujus judices nactus fuero, non dubito, quin omnes hanc jacturam, quæcunque erit, facillime sint passuri, atque non gravissimo damno non levissimam utilitatem, quam ex rerum pulcherrimarum cognitione accipient, prælaturi. Reliquum est, ut civitate Romana explicata, Italiam ipsam, quod est opus, ut ipse meditans sentio, aliquanto jucundius, persequamur.



LECTORI BENEVOLO
Typographus Venetus.



UÆ *tomi hujus primi Antiquitatum Romanarum subjecta calci fuerunt a Clariss. Grævio* Addenda & Mutanda *in libris Sigonii de jure Civium Romanorum, eadem hoc loco, Lector humanissime, muneris mei esse intellexi, post eosdem immediate libros typis dare. Siquidem Grævius, qui primum Francofurtensem sequutus fuerat editionem, emendatiorem postea, ut ipse in Præfatione narrat, auctioremque nactus Parisiensem anni* CIↃIↃLXXIII. *cum ea sibi prætermittere fas non esse putaret quæ in ista reperit emendata & adjuncta, nonnisi integro primo tomo jam excuso subjicere potuit. Mihi vero aliud inire consilium libuit, ut meliori ordine collecta cuncta prodirent, Tibique in opere Sigonii lustrando utilius consulerem. Vale.*

Sequuntur addenda & mutanda in Libris Sigonii de Jure civium Romanorum, *quæ in editione Parisiensi anni* M. D. LXXII. *ab ipso auctore multis in locis aucta leguntur, in ceteris autem editionibus non extant.*

Addenda & mutanda in Libro primo.

IN *argumento ejus libri lin.* 16. *post vocem* imperia *adde* & triumphos.

Lin. 20. *post vocem* narrat *in fine adde*: ut, cum triumphus solus ex honoribus, de quo disputet, relinquatur, exposita solemni triumphantium pompa, jura ipsa triumphandi, atque ejus concedendi honoris instituta singula persequatur, ac definitionem civis Rom. ab initio propositam, ut jam satis confirmatam ac certam concludat.

Pag. 92. *F. post* relictas *adde*: Ut autem urbanis tribubus rusticæ digniores, sic ex rusticis aliæ aliis nobilitate videntur præstitisse. neque enim iis, qui de ambitu quenquam condemnassent, quasi præmium Crustumina tribus fuisset constitutum, idque L. Cornelio Balbo ab accusatoribus ejus, ut invidiosum objectum, si pari omnes honore fuissent ac dignitate, quod factum fuisse, inquit Cicero in defensione Balbi hoc modo: *Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit. quod hic assecutus est legis de ambitu præmio, minus invidioso, quam qui legum præmiis prætoriam sententiam, & prætextam togam consequuntur.* Legis autem præmio hoc videtur esse concessum, ut, qui de ambitu damnaretur, is tribu moveretur; qui eum damnaret, is eam assequeretur. Quod si Crustumina tribus invidiosa Balbo objecta est, certe id factum, quia multis aliis nobilitate excelluit. unde autem nobilitatis istius caussa manarit, etiam atque etiam quærendum existimo.

Pag. 97. *F. post vocem* intulerunt *adde*: Cum enim omnem a principio legum interpretationem pontifices publice suscepissent, legis actiones, quibus cives inter se disceptarent, composuerunt. quibus de rebus tandiu a populo sunt consulti, quoad Cn. Flavius scriba Ap. Claudii actiones in vulgus publicavit. cujus rei apud Livium lib. IX. fieri mentionem invenio hoc pacto: *Cn. Flavium forensis factio ædilem curulem creavit, quod jus civile in* A *penetralibus pontificum repositum vulgavit, & fastos circa forum in albo reposuit.* & Valerium lib. II. ita: *Jus civile per multa sæcula inter sacra, cæremoniasque deorum immortalium abditum, solisque pontificibus notum Cn. Flavius libertino patre natus vulgavit, & fastos pæne toto foro exposuit.* & apud Ciceronem lib. VI. ad Atticum hoc modo: *Sex libros de repub. tibi valde probari gaudeo. e quibus unum ἱστορικὸν requiris, de Cn. Flavio C. F. Ille vero ante Decemviros non fuit, quippe qui ædilis curulis fuerit, qui magistratus multis annis post decemviros institutus est. quid ergo profecit, quod protulit fastos? occultatam putant quodam tempore istam tabulam, ut dies agendi peterentur a paucis. Nec vero* B *pauci sunt auctores, Cn. Flavium scribam fastos protulisse, actionesque composuisse.* Hactenus isti. At vero legis actiones dictæ sunt, quod earum rerum, de quibus lex XII. tabularum scripta erat, privatim agendarum formulam præscribebant. unde Cicero in defensione Murenæ adversus Sulpicium jurisconsultum dixit: *Gloria militaris vestris formulis atque actionibus anteponenda est.* & de eodem Sulpicio in XI. Philippica: *Neque consumere litium actiones malebat, quam controversias tollere.* Ceterum, ut quod dicimus planius sit, & illustrius, verba C ipsa etiam Pomponii, unde hæc omnis ducta disputatio est, subjungemus. *Deinde ex his legibus,* inquit, *eodem fere tempore actiones compositæ sunt quibus homines inter se disceptarent. quas actiones ne populus, prout vellet, instituerei, & certas & solemnes esse voluerunt. & appellatur hæc pars juris Legis actiones: & ita eodem pæne tempore tria hæc jura nata sunt, leges XII. tabularum: ex his cœpit fluere jus civile, ex iisdem legibus actiones compositæ sunt. omnium tamen harum & interpretandi scientia, & actiones apud collegium pontificum erant, ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset, privatis. & fere populus prope annis centum hac con-*

A
ſuetudine uſus eſt . poſtea cum Ap. Claudius propoſuiſſet & ad formam redegiſſet has actiones , Cn. Flavius ſcriba ejus , libertini filius , ſurreptum librum populo tradidit . & adeo gratum fuit id munus populo , ut tribunus pl. fieret , & ſenator , & ædilis curulis . hinc liber qui actiones continet , appellatur Jus civile Flavianum . Augeſcente civitate & qui aderant , quædam genera agendi compoſuerunt . nec poſt multum temporis ſpatium Sex. Ælius alias actiones compoſuit , & librum populo dedit , qui appellatur Jus Ælianum . Quibus e Pomponii verbis illud etiam tacite poteſt intelligi , quod in re non dubia ne teſtibus quidem debet non neceſſariis
B
confirmari : actiones ipſas ita tum ſolemnes fuiſſe , ut qui agere lege vellent , ii & impetrationis rationem habere , & formularum deberent . Impetrationis autem ea vis fuit , ut nemini liceret judicio experiri , niſi prius a pontificibus , aut quod poſtea factitatum eſt , a prætore agendi formulam impetraſſet . unde inter illa tria Prætorum , eſt , *Judicium dabo* , aut *non dabo* . formularum vero , ut formulæ quædam adhiberentur , quarum ductu in judiciis experirentur , ut qui uno verbo erraſſet , is tota cauſſa cecidiſſe videretur . Hinc enim illud eſt Ciceronis in oratione pro Murena : *Poſſet agi*
C
lege nec ne , pauci quondam ſciebant . faſtos enim vulgo non habebant . erant in magna potentia qui conſulebantur . a quibus etiam dies tanquam a Chaldæis petebantur . inventus eſt ſcriba quidam Cn. Flavius , qui cornicum oculos confixerit , & ſingulis diebus ediſcendos faſtos populo poſuerit , & ab ipſis cautis juriſconſultis eorum ſapientiam compilarit . Itaque irati illi , quod ſunt veriti , ne dierum ratione pervulgata & cognita ſine ſua opera lege poſſet agi , notas quaſdam compoſuerunt , ut omnibus in rebus ipſi intereſſent . Actionum autem cum multa genera extiterunt , tum illa præcipua , quod aliæ in rem fuerunt , aliæ in perſonam , aliæ miſtæ .
D
Actio in rem , quæ , auctore Ulpiano , vendicatio dicebatur , eſt per quam rem noſtram , quæ ab alio poſſidetur , petimus . in perſonam , quæ condictio vocabatur , per quam cum eo agimus , qui obligatus eſt nobis , ut faciat , vel det . quarum illa ex jure poſſeſſionis , hæc ex obligatione dictorum factorumque emanat . prioris actionis hæc formula fuit , cujus pro Murena Cicero meminit : FUNDUS , *qui eſt in agro , qui Sabinus vocatur , meus eſt . eum ego ex jure Quiritum meum eſſe aio . inde ibi ego te ex jure manu conſertum voco* . cui is , unde petebatur : UNDE *tu me ex jure manu con-*
E
ſertum vocas , inde ibi ego te revoco . Quibus prætor : UTRISQUE *ſuperſtitibus iſtam viam dico . inite viam* . item : *redite viam* . poſterioris hæc , cujus mentionem facit Probus : AJO *te mihi dare , facere oportere* . Ad actiones autem in rem pertinent interdicta , quæ ut a veteribus juriſconſultis accepimus , nihil aliud erant , quam non perpetuæ , ſed ad tempus interim dictæ ſententiæ de poſſeſſionibus . quarum adjudicatio tantiſper durabat , dum de jure proprietatis pronunciabatur . evicto enim dominio ſequebatur poſſeſſio . Interdicti autem verba fuerunt : UTI NUNC POSSIDETIS . quorum meminit Feſtus hoc modo : *In legitimis actionibus , nemo ex iis , qui litigant , poſſeſſionem ſuam*
F
vocare audet , ſed ad interdictum venit , ut prætor his verbis utatur , UTI NUNC *poſſidetis eum fundum , quo de agitur , quod nec vi , nec clam , nec precario alter ab altero poſſidetis , ita poſſideatis , adverſus ea vim fieri veto* . Sed de actionibus quidem , quod ad hunc locum attinet , hactenus .

Pag. 98. *B. poſt* invenerint . *adde* : Eorum porro duo genera fuerunt , perpetuum , & peculiare . Perpetuum , quod inito magiſtratu proponebant , & quo civibus , quemadmodum jus anno ſuo de quaque re dicturi eſſent , denunciabant . Peculiare , quod ob certum negotium obortum proponebatur . Perpetui meminit Cicero in ſecundo de finibus , cum ait : *Quid enim mereri velis jam , cum magiſtratum inieris , & in concionem aſcenderis . eſt enim tibi edicendum , quæ ſis obſervaturus in jure dicendo* . & Aſconius in Corneliana , cum ſcripſit , C. *Cornelium in tribunatu tuliſſe , ut prætores ex edictis ſuis perpetuis jus dicerent . eamque rem tum gratiam ambitioſis prætoribus , qui varie jus dicere aſſueverant , ſuſtuliſſe* . quibus verbis ſignificat , prætorem , quod K. Januariis edictum propoſuerat , id lege Cornelia obſervare in reliquum anni coactum fuiſſe . Peculiaria vero edicta ea ſunt , de quibus Cicero ſcribit in quinta in Verrem : *Cur jam addictis decumis , cum jam ad ſummam decumarum nihil , ad tuum quæſtum multum poſſet accedere , ſubito atque ex tempore nova naſcebantur edicta ?* Item : *Q. Septicio affirmante , ſe plus decuma non daturum , exoritur peculiare edictum repentinum : Nequis frumentum de area tolleret , antequam cum decumano pactus eſſet* . de toto autem hoc prætorio jure poſt , ubi de magiſtratibus agemus , latius differemus .

Pag. 99. *A. poſt.* parentis loco eſſet . *adde* : Itaque ſcite Varro , ut ſcriptum eſt apud Macrobium , morem in animi judicio eſſe , eumque ſequi debere conſuetudinem dixit . non male etiam Feſtus , qui morem inſtitutum patrium definivit , quod ad religionem & cærimonias pertineret .

Ibid. poſt atque legibus , *adde* : & Quintilianus : *Præterea , quæ legibus cauta ſunt , quæ perſuaſione etiamſi non omnium hominum , ejus tamen civitatis , aut gentis , in qua res agitur , in mores recepta ſunt . ut pleraque in jure non legibus , ſed moribus conſtant* . & Pomponius : *Hoc jus moribus , non legibus introductum eſt* .

Pag. 104. *C. poſt* accuſatione Curionis . *adde* : Eadem etiam ratione judicium illud , quod *Vindiciæ ſecundum libertatem* dictum eſt , huc referendum eſt . Quod jus inſtitutum eſſe a L. Bruto , primo conſule , Valerii collega , prodit Pomponius , in perſona Vindicis Vitelliorum ſervi , qui proditionis conjurationem indicio ſuo detexerat , atque inde a X. viris in XII. tabulas eſſe translatum . Sed pace Pomponii dixerim , alias vindicias Brutus , alias X. viri inſtituerunt . Bruti enim vindiciis cautum eſt , ut ſervus vindicta liberatus , e dominorum poteſtate exiret , quod Vindici ſervo parum tutum eſſet in dominorum , quos indicio ſuo læſerat , poteſtate manere : at X. virum vindiciæ eam vim habuerunt , ut non modo liber , de cujus ſtatu controverſia eſſet , interea dum de libertate ejus diſceptaretur , in ſua libertate maneret , ſed etiam ut ſervus , qui in libertatem ab aliquo juſto vindice aſſereretur , interea pro libero haberetur , & dominus libertatis aſſertori poſſeſſione cederet . Has autem vindicias ſcribit Dionyſius libro XI. e jure gentium in XII. tabulas eſſe translatas , id eſt , ut cum corpus ex libertate in ſervitutem traheretur , non qui libertatem eriperet , ſed qui conſervaret , uſque ad judicium in poteſtate haberet . Quas vindicias cum injuſte ſecundum ſervitutem in Virginiam ingenuam Ap. Claudius decemvir decreſſet , ſeditionem plebis Romæ & in caſtris & alteram in montem Aventinum ſucceſſionem excitavit , qua decemvirum imperium abrogatum , & provocatio populo , tribunicia poteſtas plebi reſtituta eſt . Quin etiam XII. in tabulis legem fuiſſe facile abducor ad ſuſpicandum , qua de liberis quæſtionem judicii cauſſa haberi vetaretur . Eſt certe antiquo more obſervatum , ut ſoli ſervi in judicio torquerentur . Itaque qui aliquid , unde pœnam timerent , commiſerant , continuo ſervos , quorum indicio & quæſtione coargui poſſent , ma-

numittebant. & is, qui quæstionem exercebat, ne id fieret, suspicatus, dominis denunciare solebat, ut familiam ne manumitterent, aut, ut illi loquebantur, ut eam in potestate haberent. quod verba Livii ostendunt de Minucia Vestali libro VIII. quæ insimulata ab indice servo, cum decreto pontificis jussa esset sacris abstinere, familiamque in potestate habere, facto judicio viva sub terram defossa est. quod idem de servis Milonis fecisse Pompeium, narrat Pædianus. Neque vero de libertis solum quæstio haberi, sed ne de servis quidem in dominos potuit. Itaque Cicero in oratione pro Deiotaro sic quæritur: *Nam cum more majorum de servo in dominum ne tormentis quidem quæri liceat, exortus est servus, qui quem in eculeo appellare non posset, eum accuset solutus.* & in Miloniana: *Sed tamen majores nostri in dominum de servo quæri noluerunt, non quia non posset verum inveniri, sed quia videbatur indignum esse, & domini morte ipsa tristius. in reum de servis accusatoris cum quæritur, verum inveniri potest?* Neque vero ab hoc genere libertatis aliena lex Fabia fuit de plagiariis, quam ante Ciceronis tempora latam inde liquet, quod ejus ipse in oratione Rabiriana meminit, cum dixit: *An de servis alienis contra legem Fabiam retentis plura dicenda sunt?* cujus tamen legis multiplicem fuisse vim ex veteribus Pandectarum libris intelligimus, quo loco de manumissis agitur, nempe, ut qui ingenuum, aut libertinum hominem sciens emisset, vendidisset, invitum celavisset, vinctum habuisset, servum alienum retinuisset, vel persuasisset, ut a domino fugeret, judicio pœnaque damnaretur. ne servus, qui plagium admisisset, pro quo dominus pœnam intulisset, intra decem annos manumitteretur.

Pag. 121. *B. post* hactenus, *addenda*: Nunc antiquam sponsaliorum rationem & morem exquiramus. Sponsalia vero quæ fuerint, ex Ser. Sulpicii verbis apparet, quæ extant apud Gellium lib. III. cap. IV. *Qui uxorem*, inquit, *ducturus erat, ab eo, unde ducenda erat, stipulabatur, eam in matrimonium ductum iri. qui daturus erat, itidem spondebat. Is contractus stipulationum, sponsionumque dicebatur sponsalia. Tunc quæ promissa erat, sponsa appellabatur; qui spoponderat ducturum, sponsus. Sed si post eas stipulationes uxor non dabatur, aut non ducebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat, judices cognoscebant. Judex, quam ob rem data, acceptave non esset uxor, quærebat. si nihil justæ caussæ videbatur, litem pecuniæ æstimabat, quantique interfuerat, eam uxorem dari, aut accipi, eum, qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat. Hoc jus sponsaliorum observatum est ad id tempus, quo civitas universo Latio lege Julia data est.* Ex quibus verbis illud intelligi potest, sponsalia mutuam esse repromissionem futurarum nuptiarum recte atque ordine inter eos, quibus jure civili licet, factam. an vero quam in Latio observatam esse ait sponsaliorum rationem Servius, eadem etiam Romæ sit custodita, merito revocari in dubium possit. equidem aliquid interfuisse, facile ex ultimis de lege Julia verbis crediderim, & Romano more actionem in eum datam, qui sponsalia etiam sine caussa remisisset.

Pag. 125. *A. post* nihil oportet. *adde*: Quo ex fonte manavit arbitrium rei uxoriæ ab eodem celebratum, in quo hæc verba excelluerunt: *Quid æquius & melius esset dari*: cujus formulæ meminit in III. de Off. & in Topicis. unde illa quæstio apud eundem lib. I. de Oratore tractata: *Paterfamilias cum uxorem prægnantem in provincia reliquisset, Romæque alteram duxisset, neque nuncium priori remisisset, mortuusque esset intestato, & ex utraque filius natus esset, mediocrisne res in controversiam adducta est? cum quæreretur de duorum civium capitibus, & de puero, qui ex posteriore natus erat, & de ejus matre, quæ, si judicaretur certis quibusdam verbis, non novis nuptiis fieri cum superiore divortium, in concubinæ locum duceretur.* unde multas alias etiam quæstiones extitisse verisimile est, præsertim vero cum post Carvilianum &c.

Pag. 127. *C. post* succedat. *addenda*: Ex quibus rebus intelligitur, fiduciam esse contractum, quo fidem alterius sequuti rem ei aliquam dicis caussa mancipamus, ita dictum, quod nulla alia re quam fide ac probitate emptoris freti eam venditionem celebramus.

Pag. 128. *D. post* Ciceronis loco post intelligitur. *addenda*: Præterea vero aliquos etiam & adoptatos, & arrogatos fuisse accepimus, ut C. Octavium, qui postea Imp. Cæsar Augustus dictus est. Hunc enim scribit Appianus, audita Cæsaris patris adoptivi nece, ex Macedonia Romam reversum, primum in foro apud C. Antonium prætorem urbanum se Cæsaris adoptionem accipere professum esse. fuisse enim morem, ut prætoribus testibus adoptiones fierent. post autem consulem cum Q. Pedio declaratum rursus se in patris Cæsaris nomen lege curiata adoptasse. quam legem ferri moris fuisse iis, qui patre carerent. Quoniam autem adoptivi idem jus habebant, ac naturales filii, ut & propinquos & libertos adoptatorum assequerentur, & C. Cæsari cum aliæ res præclaræ, tum multi, iique locupletes liberti erant, propterea Octavium, ut priorem adoptionem testamento factam posteriore hac confirmaret, esse adductum.

Ibid. E. post demonstravimus. *adde*: Quoniam autem mancipatio, ut post dicemus, ære & libra interjecta fiebat, in adoptiones vero quædam mancipationis imago incurrebat, quod pater adoptivus filium adoptivum dicis caussa a naturali patre emebat, propterea observatum est, ut adoptiones etiam ære & libra celebrarentur. quem morem aperte significavit Sueto. cum scriptum reliquit, Augustum Lucium & Caium adoptasse domi emptos per æs & libram a patre.

Ibid. E. quæ scripta sunt inde ab illis verbis, C. Octavius etiam a Paterculo &c. *usque ad finem capitis* x. *non leguntur in editione Parisiensi.*

Pag. 130. *F. post verba* ac nectebat. *addenda*: Quæ caussa est, ut sæpe apud Latinos mancipium. & nexus conjungantur. sic enim Cicero libro VII. ad Curium: *Attici te proprium esse scribis mancipio & nexu, meum autem usu & fructu.* & in oratione de Aruspicum responsis: *Multæ sunt domus in hac urbe, atque haud scio an fere cunctæ jure optimo, sed tamen jure privato, jure hereditario, jure auctoritatis, jure mancipi, jure nexi.* & in Paradoxis: *Non enim ita dicunt, eos esse servos, ut mancipia, quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo jure civili.*

Pag. 132. *C. post* præconis. *adde*: Inde hasta pro auctione, ut Nepos de Attico: *Ad hastam nunquam accessit.* & Cicero de lege agraria: *Num obscure videntur prope hasta præconis insectari Cn. Pompeii exercitum?*

Pag. 136. *C. post* factio est. *adde*: quo in genere Ulpianus Latinum Junianum excipit, qui testamenti factionem habet, & tamen tutor dari non possit.

Ibid. D. post fecit tutores, *insere*: & Paulus cap. VI. *Intestato patre mortuo agnatis defertur tutela.* & Caius cap. IX. *Si plures sint agnati, proximus tutelam nanciscitur, & si eodem gradu plures sint, omnes tutelam nanciscuntur.*

Pag. 139. *E. post* ærarium reliquerunt. *adde*: Et

A quoniam dixi, singulos solemni a censoribus jurejurando adactos, illud quoque addo, novo aliquando, eoque inusitato obstrictos. quod tradit Livius libro XLIII. in hunc modum: *Censores, ut delectum adjuvarent, ita in concione edixerunt: Legem censui censendo dicturos esse, ut præter commune omnium civium jusjurandum hæc adjurarent*: TU MINOR ANNIS SEX ET QUADRAGINTA ES. TUQUE EX EDICTO C. CLAUDII, TI. SEMPRONII CENSORUM AD DELECTUM PRODITO. ET QUOTIESCUNQUE DELECTUS ERIT, SI MILES FACTUS NON ERIS, IN DELECTU PRODIDIS.

B *Pag.* 140. *B. post* appellata: *lege sequentia hoc modo*: Ea vero jam inde a Romulo rege instituta est trium millium. ex singulis enim tribubus mille conscripti sunt pedites. unde tribuni, qui singula millia ducerent, nominati. Ut autem treis ille peditum legiones, sic idem treis turmas equitum scripsit. quas etiam treis centurias appellavit, ut singulis legionibus singulæ equitum centuriæ adderentur.

Ibid. C. post auctore Festo. *adde*: Neque enim Plutarcho legionem geminatam, & sex millium a Romulo factam affirmanti assentior.

C *Pag.* 142. *C. post* ad hos, qui decem. *adde*: Egregie. nam quod ille tribunos vicenos quaternos profitetur, id ad ejus tempora referendum est, cum ante memoriam ejus tribunorum numerus variaverit. Nam primi tantum tres fuere, qui singulis millibus præessent, inde sex facti. hoc autem ostendit Livius lib. VII. *Et quum eo*, inquit, *anno placuisset tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea, sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipsi faciebant) T. Manlius, qui postea Torquatus appellatus est, secundum in sex locis tenuit*. id autem factum est anno Urbis CCCXCII. Q. Servilio iterum, L. Genucio iterum consulibus. D Inde usque ad sexdecim auctus eorum numerus est, C. Bubulco tertium, Q. Barbula iterum coss. quod tradit idem libro IX. his verbis: *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia, unum, ut tribuni militum sexdecim in quatuor legiones a populo crearentur, quæ antea perquam paucis suffragio populi relictis locis, dictatorum & consulum ferme fuerant beneficia. tulere eam rogationem tribuni L. Atilius, & C. Marcius. alterum, ut duumviros navales idem populus juberet*. at lib. XLII. P. Licinio, C. Cassio coss. *In tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod consules ex S. C. ad populum* E *tulerunt, ne tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum prætorumque in iis faciendis judicium, arbitriumque esset*. & sequenti anno: *Tribunos militum non permissum, ut consules facerent, populus creavit*. Hic autem numerus tandiu observatus est, quandiu legiones quatuor scribi cœptæ sunt, ex quaternis militum millibus singulæ. ubi vero legiones ex quinis millibus, & amplius scribi cœperunt, tum vero tribunorum ad viginti quatuor perductus est numerus. ut singulis legionibus seni tribuni præessent. ex quibus quatuordecim, ut ait Polybius, stipendia minus quinque, F reliqui saltem decem fecissent.

Pag. 144. *C. post* deleretur. *adde*: Pertinet etiam huc, credo, lex ea: *Ne quis loco ab imperatore assignato cederet, atque ordinem desereret*. cui rei capitalem pœnam propositam fuisse animadverto, cum A. Postumius dictator eo nomine de filio extremum supplicium sumpserit, ut Diodorus libro XII. tradit.

Pag. 148. *D. post* fustibus cæcidit. *adde*. & lib. XI. *Qui miles ad exercitum non redisset, eum ipsum, bonaque ejus vendere consul jussus*.

Pag. 149. *F. post* inita ratio est. *adde*: Varro tamen non a tributo tribus, sed tributum a tribubus dictum, ut dixi, existimat.

Pag. 154. *A. verba illa*, Cæsarem postea peregrinarum mercium portoria instituisse, Suetonius refert. *non leguntur in Parisiensi editione*.

Pag. ibid. F. post salis vectigali? *lege*: de eo non deest, quid opiner, sed quid pro certo affirmem. nam hoc vectigal, quanquam de eo nihil, quod quidem extet, memoriæ proditum sit.

Pag. 155. *A. post* tribus onerasse. *adde*: Sublatum autem esse eo magis puto, quod idem factum de vectigali macelli accepi: magnum nimirum illud Romæ fuisse, donec plebis incusantis apud omnes principes remissum est portorium mercis ejus. Macelli autem nomine res omnes, quæ ad victum hominum pertinerent, comprehenderunt.

Ibid. B. post hæc autem, *adde* tam tributa, quam. *& mox* post exigenda, *adjice*: Livius de Catone & Flacco censoribus libro XXXIX. *Vectigalia summis pretiis, ultro tributa infimis locaverunt. quas locationes cum senatus precibus, & lacrymis publicanorum victus induci, & de integro locari jussisset, censores edicto summotis ab hasta, qui ludificati priorem locationem erant, omnia eadem paululum imminutis pretiis locaverunt*. & libro XLIII. in censura Claudii, & Sempronii: *Edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia, aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet*. Item: *Contentione orta, cum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: Quæ publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius, & Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset, de integro locarentur, & ut omnibus redimendi, & conducendi promiscue jus esset*.

Ibid. D. post ærarium ipsum erat. *addenda sunt*: Ærarium autem in æde, ut supra apparuit, Saturni fuit. quod tamen non unum Romæ, sed tria fuisse comperio, cum diligentius veterum annalium verba considero; unum, in quo civium tributa, ac sociorum vectigalia, & præda imperatorum asservabatur, quo sumptus bellorum ordinarii sustinebantur: alterum, *sanctius ærarium* appellatum. in quo aurum vicesimarium custodiebatur, cujus meminit Livius bello Punico II. anno DXLIV. Fabio quintum, & Flacco quartum consulibus. *Cetera*, inquit, *expedientibus, quæ ad bellum opus erant, consulibus aurum vicesimarium, quod in sanctiore ærario ad ultimos casus servabatur, promi placuit. prompti ad quatuor millia pondo auri*. tertium, in quo pecunia Gallici belli caussa servabatur. quam Gallico bello collatam refert Appianus lib. secundo, cum execrationibus publicis, eam motum non iri, nisi bellum Gallicum impenderet. Secundum ærarium, quod sanctius dictum est, a Pompeio apertum tradit Cicero libro septimo epistolarum ad Atticum: *Capuam*, inquit, *C. Cassius tribunus pl. venit. attulit mandata ad consules, ut Romam venirent, pecuniam de sanctiore ærario auferrent, statim exirent urbe relicta*. & Cæsar libro primo belli civilis: *Quibus rebus Romam nunciatis tantus repente terror invasit, ut, cum Lentulus consul ad aperiendum ærarium venisset ad pecuniam Pompeio ex S. C. proferendam, protinus aperto sanctiore ærario ex urbe profugeret*. Reliqua duo a Cæsare refracta sunt. nam Appianus insimulat eum ex Gallico ærario pecuniam abstulisse, quod diceret, nihil esse, quod amplius de Gallis metueretur, quos ipse funditus sustulisset. Dio vero, & Plutarchus ærarium in universum ab eo expilatum scribunt. id autem, in quo universa populi Rom. vectigalia reconderen-

tur, fuisse, ostendit Lucanus his verbis, cum de Cæsare loquitur:

—— Tunc conditus imo
Eruitur templo multis intactus ab annis
Romani census populi, quem Punica bella,
Quem dederat Perses, quem victi præda Philippi,
Quod tibi, Roma, fuga Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabricius regi non vendidit, auro,
Quicquid parcorum mores servastis avorum,
Quod dites Asiæ populi misere tributum,
Victorique dedit Minoia Creta Metello,
Quod Cato longinqua vexit super æquora Cypro.
Tunc orientis opes, captorumque ultima regum
Quæ Pompeianis prælata est gaza triumphis,
Egeritur, tristi spoliantur templa ruina.

Plinius autem Cæsarem ex ærario protulisse ait laterum aureorum XXVI. millia, & in numerato pondo CCC.

Sed de ærariis hactenus. Redeo ad tributum.

Pag. 156. *C. post* existimaretur, *adde:* Sed de comitiis scripserunt alii luculente. nos vero quoniam jura suffragiorum, non rationem comitiorum exquirimus, pauca hæc dixisse satis habebimus. quorum auctoritatem siquis postulabit, ab iis quibus hæc indagare operæ fuit, repetere facile poterit.

Conferamus igitur rem in pauca, & quod alii justis prope voluminibus sunt complexi, nos verbo tantum significemus.

Ibid. D. post exoleverunt, *addi debent:* adeo ut postremis temporibus non triginta, ut quondam, curiæ ad comitia convenirent, sed ad usurpandam juris vetustatem, triginta curiarum lictores, quemadmodum est in secunda Ciceronis agraria, suffragia, pro curiis ipsis inirent. quippe quæ auspiciorum caussa tantummodo sint retenta, cum centuriata jam & tributa auctoritate & fama florerent.

Ibid. F. post illa verba, & a minoribus magistratibus haberi licuit, *addenda sequentia:* Quarum rerum rationem siquis requirat, Nicolai Gruchii pereruditos de comitiis commentarios perlegat.

Cui viro ut multis in rebus assentior, sic ab eo in binorum comitiorum ratione explicanda valde diversus sum. quod non gloriæ quærendæ, sed antiquitatis illustrandæ caussa, cujusmodi sit, hoc loco pluribus mihi exponendum putavi. Est ergo quæstio hujusmodi: cum trina fuerint comitia, quid sit id, quod Cicero in secunda agraria, de binis comitiis, quibus magistratus singuli crearentur, scripsit his verbis: *Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus. tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata, & tributa, curiata tantum auspiciorum caussa remanserunt. hic autem tribunus pl. quia videbat, potestatem neminem injussu populi, aut plebis habere posse, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit: tributa, quæ vestra erant, sustulit. ita cum majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.* Hæc Cicero. Hunc igitur locum dico obscurissimum esse, & quam ex eo sententiam Nicolaus Gruchius collegit, putare me ab ipsa consuetudine Romani moris, atque ab ipsa demum rei veritate abhorrere. Quis autem ejus sensus sit, ex loci hujus lectione, quam ille ex ingenio, ut video, ac nulla antiqui libri fultus auctoritate, attulit, facile intelligi potest. est autem hæc: *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, & ceteris patriciis magistratibus, tributa plebejis. tum curiata iterum de iisdem judicabatur.* Qua ex lectione apparet, placere Gruchio, patricios quondam magistratus binis comitiis esse creatos, centuriatis, & curiatis, plebejos item binis, tributis & curiatis. post autem curiatis comitiis obsoletis magistratus omnes binis item comitiis declaratos, centuriatis & tributis. Quam sententiam si ille etiam alterius loci auctoritate firmaret, quod nec facit, nec facere potest, tamen quia eam multis interjectis ex ingenio verbis inducit, ego vix in re tanta probare possem. neque enim simile veri videtur, si singuli magistratus binis, iisque diversis fuissent comitiis declarandi, non aliquam aliquando annalium scriptores eorum inter se contentionem literis prodituros fuisse, si aut curiata, aut tributa comitia centuriatorum sententiam infirmassent. Quamobrem ego incolumi vulgata lectione ita hunc locum interpretor. Reprehendit Rullum tribunum pl. Cicero, qui X. viros creari jubebat tributis comitiis, ita ut non omnes XXXV. tribus vocarentur, sed XVII. tantum sorte ducerentur. deinde ut qui a novem tribubus esset designatus, lege curiata, id est, imperio ornaretur. reprehendit autem acute magis, ut solet in orationibus, quam vere, & quod tributa comitia imperfecta attulit, & quod curiata obsoleta rettulit. id quod eo gravius esse significat, quod cum majores binis quondam comitiis de omnibus magistratibus voluerint judicari, hic neutra afferat. quæ sint autem hæc comitia bina, exponit, centuriata & curiata. nam *consules* (sic enim cum Gruchio hic legendum puto, non *censores*) centuriatis creabantur, quando ceteri patricii magistratus declarabantur curiatis. deinde iterum de iisdem magistratibus judicabatur, ut priora comitia reprehendere populus posset. Quod autem ait, consules centuriatis comitiis creatos, cum ceteri patricii magistratus curiatis, recte ait. siquidem constat, primos consules, atque inde reliquos a populo per centurias convocato declaratos. ceteros autem patricios magistratus intelligit quæstores, quos iccirco patricios vocat, quia prius patriciis ea potestas patuit, quam plebeiis. Plutarchus enim Poplicolam consulem Bruti collegam quæstores duos populo creandos permisisse ait, P. Minucium, & M. Veturium, quas gentes tum patricias constat fuisse. creatos autem esse curiatis comitiis patet, primum, quia nondum tributa instituta erant: deinde, quia Gellius scribit. minoribus magistratibus comitiis tributis magistratum dari, sed justius curiatis: postremo, quia Tacitus lib. XI. prodidit, quæstores regibus imperantibus esse institutos. idque legem curiatam ostendere, a L. Bruto repetitam. Quod autem ait, bis judicatum esse de omnibus magistratibus, id non habet eam vim, ut significet, diversis comitiis esse judicatum, centuriatis, & curiatis. sed illud vult intelligi, qui magistratus centuriatis comitiis creati erant, ut consules, de his bis centuriatis comitiis esse judicatum; qui curiatis, bis curiatis. ut qui prioribus comitiis aliquem creassent, iidem posterioribus, si pœniteret, mutata sententia abrogare eundem possent. Deinde addit: Nunc vero quia magistratus creantur, non ut olim, alii centuriatis, alii curiatis, sed alii centuriatis, alii tributis, curiata obsoleverunt. nam ea propter auspiciorum religionem tantum remanserunt.

Rullus autem curiata comitia, quæ non populus, sed pro populo triginta curiarum lictores ineunt, revocavit, tributa imperfecta attulit. Ita cum majores binis comitiis voluerint de eadem re judicari, Rullus ne una quidem comitia populo reliquit, nam in utrisque peccavit.

Neque

Neque vero illam rationem perpetuo observatam esse existimandum est, quam apud majores ait fuisse, ut iisdem comitiis bis de eodem candidato judicaretur, sed effigiem tantum, ac similitudinem ejus retentam. Nam cum prærogativæ centuriæ suffragationem instituissent, eam pro unis comitiis habuerunt; reliquarum autem quæ jure vocatæ dictæ sunt, pro alteris. sic enim celerius suffragia a populo iniri posse judicarunt, si eadem comitia partirentur, quam si eadem bis integra haberentur. Hoc autem intellexit, & docuit Asconius his verbis in secundam Verrinam: *Prærogativæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas. mos enim fuerat, quo* B *facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri, quorum tribus prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri; secundæ jure vocatæ, quod in his sequente populo, ut sæpe contigit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur.* His enim verbis significat bina quidem comitia esse habita, sed non integra, verum speciem tantum binorum comitiorum esse usurpatam. in tributis enim sorte tribum, in centuriatis ex tribu sorte centuriam eduxerunt, quæ prima suffragium iniret. quæ centuria, C quoniam ante alias rogabatur, prærogativa dicta est, & tribus ea, unde sumpta est, prærogativa etiam appellata. prærogativæ autem tribus, vel centuriæ prærogativæ sententiam pro unis comitiis habuerunt, reliquarum quæ deinceps citabantur, & jure vocatæ dicebantur, judicium, ut dixi, pro alteris. Plerumque autem fiebat, ut jure vocatæ sententiam prærogativarum sequerentur, raro autem rescinderent. Unde illud est Ciceronis pro Murena, tantam comitiis centuriatis fuisse religionem, ut semper omen prærogativæ valuerit. Harum vero centuriarum multi meminerunt, ut Livius libro decimo: *Cum primo* D *vocatæ Q. Fabium consulem omnes dicerent centuriæ*. & post: *Q. Fabium & prærogativa, & primo vocatæ omnes centuriæ consulem cum L. Volomnio dicebant*. & libro XXVI. *Fulvius Romam comitiorum caussa accersitus cum comitia consulibus rogandis haberet, prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Otacilium*. & post: *Citatis Veturiæ senioribus*. & de eadem: *Tum centuria auctoritate mota viri*. est enim Veturia tribus nomen, unde centuria prærogativa ducta est, ut Galeria: unde idem dixit libro XXVII. *Galeria juniorum, quæ sorte prærogativa erat, Q. Fulvium, & Q. Fabium consules* E *dixerat*. & Cicero in Antonium: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies, sortitio prærogativæ, quiescit. renunciatur, tacet. prima classis vocatur. deinde, ut assolet, suffragia. tum secunda classis*. & in primo de Divinatione: *Prærogativam majores omen justorum comitiorum esse voluerunt*. Postremo meminit etiam prærogativarum Festus, cum scribit: *Prærogativæ centuriæ dicuntur, ut docet Varro, quod rustici Romani, qui ignorarent petitores, facilius eos animadvertere possent. Verrius probabilius judicat esse, ut cum essent designati a prærogativis, in sermonem res veniret populi de dignis indignisve, &* F *fierent ceteri diligentiores ad suffragia de his ferenda*. Sed de binis comitiis hactenus. Neque vero assentior iis, qui ad rationem binorum comitiorum locum orationis pro Plancio transferunt. quanquam enim binorum ibi comitiorum, quibus de ædilitate Plancii actum est, meminit, tamen non id, quod nunc agimus, intelligit. neque Plancium, ut illi putant, tributis & centuriatis comitiis factum ædilem curulem significat, sed tributis binis. priora autem subito extra ordinem a consule habita esse, nec aliqua de caussa perfici potuisse ostendit. unde ait: *Sed cur ego sic ago? quasi non comitiis jam superioribus sit Plancius designatus ædilis. quæ comitia primum habere cœpit consul tum omnibus in rebus summa auctoritate, tum harum ipsarum legum ambitus auctor. deinde habere cœpit subito, præter opinionem omnium, ut ne si cogitasset quidem quispiam largiri, daretur spacium comparandi. vocatæ tribus, latum suffragium, descriptæ, renunciatæ, longe plurimum valuit Plancius. nulla largitionis nec fuit, nec esse potuit suspicio. an tandem una centuria prærogativa tantum habet auctoritatis, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit, tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declararit? cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint prærogata? quo quidem tempore, si id Laterensis facere voluisses, aut si gravitatis esse putasses tuæ, quod multi nobiles sæpe fecerunt, ut cum minus valuissent suffragiis, quam putassent, postea prolatis comitiis prosternerent se, & populo Rom. fracto animo atque humili supplicarent, non dubito, quin omnis ad te conversa se fuerit multitudo.*

Nunc, quod quæri potest, caussam exponamus, cur centuriatis in comitiis, quibus populum in classes centuriasque distributum suffragia inire docuimus, tribus adhibeantur. unde quidam omnes fere magistratus integris binis comitiis designari existimarunt, tributis, & centuriatis. Quid est enim tam vulgare, tam omnibus notum, quam consulem, censorem, prætorem comitiis centuriatis declarari; & tamen eos a tribubus aliquando declaratos videmus. Cicero enim de se consule in secunda agraria dixit: *Me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus consulem declararunt*: & in Miloniana de comitiis consularibus Milonis: *Clodius tota comitia suis humeris sustinebat, convocabat tribus, se interponebat*. & Livius lib. XXXIX. *Salinator præter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatum aut consulem aut censorem fecisset, populum Rom. omnem, quatuor & triginta tribus ærarios reliquit*. de prætura Plutarchus testis est: *Ut prima, inquit, tribus vocata Catonem prætorem declaravit, statim Pompeius ementitus auspicia, comitia dimisit*. & tamen Cicero se ter prætorem primum comitiis centuriatis renunciatum gloriatur in Pompeiana, & prætores collegas esse consulum, iisdemque comitiis creatos scimus. Ut ergo hunc difficultatis scrupulum, siquis est, evellamus, repetenda nobis, aut apertius explicanda sunt ea, quæ de centuriis & tribubus supra diximus. Est ergo intelligendum ex Servii instituto, tribus nihil ad centuriata comitia pertinuisse: post expletas autem XXXV. tribus, cum omnis populi honos in iis consisteret, mutatam esse Servii rationem, & tribus ad centuriarum divisionem esse traductas. Ut autem ante populus in sex classes, & centum tres ac nonaginta centurias divisus vocabatur, sic postea in XXXV. tribus dispertitus citari cœptus est, ita tamen, ut singulæ tribus suas classes, suasque centurias haberent. Quocirca supra diximus, ex XXXV. tribubus unam esse sorte eductam, atque ex ea, cum in unaquaque tribu aliquot essent e quinque classibus cives, omnium vero classium multæ centuriæ, unam esse ex omni centuriarum numero lectam centuriam, vel juniorum, vel seniorum, quæ prima rogaretur, & *prærogativa* diceretur, cujus auctoritatem, quasi omen quoddam, reliquæ sequerentur. unde dixit Cicero: *Ecce comitiorum dies, sortitio prærogativæ, quiescit. renunciatur, tacet. prima classis vocatur*. Quibus verbis ostendit prærogativam

ante primam classem esse suffragatam. & in Planciana prærogativam centuriam unius tribus partem vocavit: *Vocatæ tribus, latum suffragium, descriptæ, renunciatæ. longe plurimum valuit Plancius, an tandem una centuria prærogativa tantum auctoritatis habet, ut nemo unquam prior eam tulerit, quin renunciatus sit, tu aut his ipsis comitiis consularibus, aut certe in illum annum ædilem Plancium factum miraris, in quo non exigua pars populi, sed universus populus voluntatem suam declaraverit? cujus in honore non unius tribus pars, sed comitia tota comitiis fuerint prærogata?* Inde etiam illa sunt apud Suetonium, Cæsarem dictatorem edidisse per libellos circum tribum missos scriptura brevi: *Cæsar dictator illi tribui: Commendo vobis illum & illum, ut suffragio vestro dignitatem suam teneat.* & illa apud Lucanum de simulatis comitiis ejusdem Cæsaris:

——— *Fingit solemnia campus,*
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna.

Neque vero aliud est id, quod scriptum est apud Ciceronem in III. de Legibus: *Censores populi partes in tribus distribuunto, & in pecunias, ævitates, ordines partiunto.* id est, primum in tribus, deinde in classes ex censu, & centurias ex ætate & ordine distinctas. Hanc enim legem scripsit Cicero apte ad eam remp. quam in suis libris finxerat, ad eam, inquam, quam P. Scipio, quem loquentem fecerat, & æquales ejus administrarunt post sexcentesimum ab urbe condita annum, tum cum tribuum nomen late in urbe patebat. Quamquam autem in centuriatis comitiis pariter, atque in tributis tribus citabantur, atque suffragia inibant, non eodem tamen modo inibant. nam in tributis cujusque tribus unum erat suffragium, in centuriatis tot observabantur suffragia, quam multæ tribuum ipsarum erant centuriæ.

Pag. 157. *E. in fine capitis post* dividebat. *adde*: Tiberius autem omnino comitia populi sustulit. quod scripsit Tacitus libro primo: *Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. nam ad eam diem etsi potissima arbitrio principis, quædam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus ademptum jus questus est nisi inani rumore, & senatus largitionibus ac precibus sordidis exolutus libens tenuit, moderante Tiberio, ne plures quam quatuor candidatos commendaret, sine repulsa & ambitu designandos.*

Pag. 160. *A. in fine capitis* XIX. *post* rediit *adde*: Quam rem Manutius in libro suo de legibus elegantissime persecutus est.

Ibidem. Initium capitis XX. *de Magistratibus & quæ sequuntur usque ad verba* magistratus autem varii. &c. *pagin.* 161. *E. hoc pacto leguntur in Parisiensi editione*: Hactenus de sacerdotibus. nunc de magistratibus, quorum jus paucis, ut video, verbis in tertio de legibus Cicero est complexus, cum dixit: *Magistratus omnes judicium & auspicium habento.* quod est aliud nihil, quam judicandi & auspicandi potestatem habento. Judicium dicitur habere, qui potest & jus dicere, & edictum interponere. Jus vero dicere, in primis est judicii dandi potestatem habere, atque ei formulam judicandi præscribere. Quicunque enim jus reddebat, audita facti serie, aut concedebat actionem, aut negabat. Qua re in edictis prætoriis hæc verba celebrabantur: *Judicium dabo, Judicium non dabo.* unde illud est Ciceronis in Verrem: *Si quis eum pulsasset, edixit, se judicium injuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur, judicem de sua cohorte daturum: ipsi autem nullius rei actionem sese daturum.* Edictum autem interponebat, cum res longiorem disquisitionem non desiderabat. cujus generis est illud alterum apud Livium de Ap. Claudio

A consulari decemviro: *Ut jam sciret, non id petulantiæ suæ, sed Virginio absenti datum, jus eo die se non dicturum, neque edictum interpositurum.* & hoc Ciceronis de Antonio consule: *Cum tot edicta proposuisset, edixit, ut adesset senatus frequens a. d.* VIII. *Kalend. Decemb. eo die ipse non affuit. at quomodo edixit? hæc sunt, opinor, verba in extremo: Siquis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt, & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse.* Hoc autem jus qui magistratus habuerunt, ii potestatem dicuntur habuisse; qui præter hoc aliquid etiam amplius, imperium. Etenim legimus dictatoris, consulum, decemvirum, tribunorumque B militum consularium, ac prætorum non potestatem solum, sed etiam imperium extitisse. censorum vero, & ædilium, & quæstorum, & tribunorum pl. potestatem tantum. merito. dictator enim jus vitæ necisque sine provocatione habet. & eo dicto omnes alii abdicant. consules autem quanquam in civem animadvertere non possunt, itemque prætores, tamen prehensionem habuerunt, & vocationem; tribuni vero pl. prehensionem tantum, itemque ædiles. Atque omnino qui magistratus lictores cum fascibus habuerunt, ut dictator, consules, prætores, & reliqui, qui cum potestate consulari fuerunt, C amplius jus habuerunt, quam qui viatore tantum, ut censores, tribuni pl. & ædiles, aut qui neutro, ut quæstores. itaque ut dictatori consul, sic consuli, ut scribit libro sexto Polybius, reliqui magistratus paruerunt, præter tribunos plebis, non quia majore essent tribuni, quam consules potestate, sed quia ad eorum evertendam potestatem essent creati. Quæ autem de prehensione, & vocatione magistratuum dixi, ea ex Varronis sententia dixi, qui apud Gellium ita scribit: *In magistratu habent alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum. vocationem, ut consules, & ceteri, qui habent imperium. prehensionem, ut tribuni pl. & alii, qui habent viatorem.* D *neque vocationem, neque prehensionem, ut quæstores, & ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem. qui vocationem habent, iidem prehendere, tenere, abducere possunt, & hæc omnia, sive adsunt, quos vocant, sive acciri jusserunt. tribuni pl. vocationem habent nullam.* Cujus rei rationem reddit Gellius, quod antiquitus creati videntur, non juri dicundo, nec caussis, querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria, quæ coram fieret, arceretur. ac propterea jus ad se vocandi ademptum, quoniam, ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum & præsentium oculis opus erat. & alio loco Varro: E *Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehensionis, eos magistratus a privato in jus quoque vocari est potestas. M. Lævinus ædilis curulis a privato ad prætorem in jus est eductus. nunc stipati servis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiam ultro summovent populum.* Cur autem velit Cicero omnes magistratus habere auspicia, ipse declarat in legibus: *Ut multos*, inquit, *inutiles comitiatus probabiles impediant moræ. sæpe enim populi impetum injustum auspiciis dii immortales represserunt.* Confirmat hoc idem M. Varro libro Rhetoricorum vicesimo, ut est apud Nonium. *Eo die*, F inquit, *cis Tiberim redeundum est, quod de cœlo auspicari jus sit nemini præter magistratum.* Ex quibus locis apparet, non omnia eum auspicia intelligere, sed tantum observationem de cœlo. ea enim potissimum impedita, atque infirmata comitia sunt. unde edicto consulari in comitiis centuriatis habendis cavebatur, ne magistratus ullus minor de cœlo servasse vellet. quod etiam minores magistratus, ut tribuni pl. auspicium, id est, spectionem, & nunciationem haberent, quibus inutilia comitia obnunciando facile possent impedire. quod lege Ælia, quæ obnunciationi parere

coegit, erat provisum. Reliqua vero auspicia non omnes magistratus habuisse illud indicio est, quod plebeii magistratus neque augures, neque pullarios adhibuerunt, ut tribuni, & ædiles plebis. alioquin plebeii auspicia habuissent. quod supra negavimus. Quocirca ego in eam adductus sum opinionem, ut, cum inquit Zonaras libro annalium secundo, tribunis pl. auspicia a patriciis esse concessa, de observatione de cœlo esse accipiendum putem. Hoc autem factum scribit M. Horatio, & P. Valerio coss. abdicatis Xviris, anno CCCIV. his verbis: *Quin etiam tribunis pl. in comitiis auspiciorum usum concesserunt. id quod eis verbo quidem honorem ac dignitatem attulit, (id enim jus ab antiquo solis patriciis fuit) re autem vera impedimento fuit, ne facile tribuni plebis, & plebs ipsa quæcunque vellet, ageret, sed per caussam auspiciorum aliquando impedirentur.* Tribunatum autem plebis Livius libro II. & Plutarchus in quæstionibus magistratum esse negarunt. Quod si ita est, profecto ne proconsules quidem, & proprætores magistratus fuerunt, quia auspiciis caruerunt. unde scitum est illud Ciceronis in secundo de divinatione: *Bellicam rem administrari majores nostri nisi auspicato noluerunt. quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent. Itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur.* atque illud in primo: *Magistratus Romanos auspiciis usos esse coactis.* coactum autem dictum esse auspicium, tripudium solistimum. Adeo vero magistratuum propria auspicia fuerunt, ut magistratus ipsos inter se distinxerint, ac segregarint. ut enim auspicia alia majora fuerunt, alia minora, sic magistratus partim majores, partim minores: majores, qui majora auspicia habuerunt, ut consules, prætores; minores vero, qui minora, ut reliqui. Majora autem dicuntur auspicia habere, quia eorum auspicia magis rata sunt, quam aliorum. quod ex libris Messallæ, & Tuditani commentariis Gellius prodit libro XIII

Pag. 162. *C. post* jus dixerunt, *adde*: Inde enim scripsit libro II. Livius: *Appius consul quam asperrime jus de creditis pecuniis dicere.*

Ibid. F. post jus dicerent, *infere sequentia*: Quibus ex rebus illud intelligi potest, munera publica inter diversos magistratus ita fuisse partita, ut primæ tamen partes consulum, prætorumque fuerint. quid autem inter utriusque jus differentiæ intercesserit, paucis, ut institui, demonstrabo.

Major fuit imperii vis, atque auctoritas in consule, quam in prætore. Hoc & Livius libro XLIV. scriptum reliquit, & res ipsa declarat. consules enim duodecim fasces præferebant, prætores urbani binos, provinciales senos. sic enim invenio apud Censorinum: *M. Plætorius tribunus plebis scitum tulit, in quo scriptum est: Prætor urbanus, qui nunc est, quique posthac erit, duos lictores apud se habeto.* provincialem autem prætorem Polybius ἑξαπέλεκυν solet vocare, quasi cui sex secures præferantur. iidem magistratibus omnibus intercedebant, iis solis non intercedebatur. ab omnibus magistratibus & comitiatum, & concionem avocare poterant: nullus ab eis poterat. vitæ tamen necisque jus non habebant, nisi nobili illo senatusconsulto armati, quo decerni solet, ut videant consules, nequid detrimenti resp. capiat. de quo sic scripsit Sallustius in Catilinæ conjuratione: *Itaque quod plerumque in atroci negocio solet, senatus decrevit, darent operam consules, nequid resp. detrimenti caperet. ea potestas per senatum more Romano magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque cives,*

A *domi militiæque summum imperium ac judicium summum habere. aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli jus est.* Ad hæc iidem, ut est apud Polybium libro VI., legationes in curiam introducebant; quæ celeriter statuenda erant, statuebant; quæ deliberationem desiderabant, ad senatum referebant; patrum decreta curabant; quæ de rep. per populum transigenda erant, proponebant; conciones, quoties opus erat, advocabant; senatum habebant; senatusconsulta populo referebant; in re bellica summum imperium habebant? sociis, quicquid visum fuerat, imperabant; tribunos mil. creabant; delectum habebant; de iis, qui sub suo imperio erant, in
B castris supplicium sumebant; comite quæstore publicæ pecuniæ, quantum res ipsa ferret, impendebant.

Prætorum autem propria jurisdictio fuit. ea vero fuit duplex, urbana una, peregrina altera. unde prætores duo instituti sunt, unus, qui urbanam exerceret jurisdictionem; alter, qui peregrinam. quorum ille urbanus dictus est, hic peregrinus. urbanus enim inter cives, peregrinus inter cives & peregrinos jus dicebat. unde Livius lib. XXII. *Romæ juris dicundi urbana sors Pomponio, inter cives Romanos & peregrinos P. Furio evenit.* & lib. XXII.: *Prætores provincias sortiti, L. Apustius Ful-*
C *lo urbanam jurisdictionem, M. Ælius Glabrio inter cives & peregrinos. Inde alii creati quatuor, qui ad regendas provincias mitterentur.* Postremisque temporibus ita institutum est, ut præter urbanum prætorem, & peregrinum, qui jus in urbe dicerent, sex alii essent prætores, qui de criminibus publicis quærerent, postero anno provincias sorte administrarent. omnium autem prætorum maxima semper auctoritas fuit prætoris urbani, adeo ut sint, qui putent, prætorem peregrinum ex edicto prætoris urbani jus dixisse. Cum autem prætoria munera duo fuerint, jurisdictio, & quæstio, visum
D est faciendum, ut hoc loco de jurisdictione dicerem, quæstionum autem exercendarum rationem ut in secundum librum, ubi de judiciis ago, rejicerem. Sic igitur dico, omnem prætoriam jurisdictionem his tribus verbis esse expressam, *do, dico, addico*, sed hæc quidem in promptu. interiora illa: prætorem *dedisse*, ut bonorum possessionem, ut judices, recuperatores, & arbitros. *dixisse*, ut viam in formulis, ut tutorem ex lege Atilia, ut cum interdicto cavebat, vel cum ferias indicebat. *addixisse*, ut dum in jure cessio fiebat. Unde Tulliana illa sunt de Verre prætore urbano: *Domus erat plena, nova jura, nova decreta, nova judicia petebantur. mihi*
E *det possessionem, mihi ne adimat. in me judicium ne det, mihi bona addicat.* & illa: *Simul iure dicendo bonorum, possessionumque contra omnium instituta addictio, & condonatio.* Atque urbanus quidem, & peregrinus prætor privatas tantum controversias cognoverunt, & juris Quiritium custodes ac vindices, in quo uno jurisdictio posita fuit, fuerunt. sunt autem qui putent, urbanum tantum fuisse, apud quem lege agere liceret, ut filios emancipare, servos manumittere, in jure cedere, bonorum possessionem, & tutorem postulare, & cetera obire, quæ jure Quiritium a nobis exposito continerentur.

F Reliqui certe prætores in urbe publicorum criminum quæstiones singuli singulorum exercuerunt, de majestate, de sicariis, de ambitu, de repetundis, de peculatu, de vi, & ceteris ejusmodi, de quibus post in judiciorum disputatione agemus. provinciales autem non solum jus dixerunt, sed de publicis etiam criminibus quæsiverunt, & cum consilio cognoverunt. Universam autem jurisdictionis suæ formulam, ex qua de quacunque re in magistratu jus redditurus esset, prætor urbanus Kal. Jan. in foro proponere consuevit, id quod prætoris edictum est nominatum. quod, præter Pompo-

A nium, ostendit, ut supra dixi, Cicero in II. de finibus, cum scripsit: *Quid enim mereri velis jam, cum magistratum inieris, & in concionem ascenderis? est enim tibi edicendum, quæ sis observaturus in jure dicendo. quid merearis igitur, ut te dicas in eo magistratu omnia voluptatis caussa facturum esse?* Ac primis quidem temporibus hæc edicta mutare prætoribus licuit, quod tamen probri loco Verri Cicero objecit, cum dixit, eum ne ex edicto quidem suo jus semper dixisse. post autem lege C. Cornelii tribuni plebis anno urbis DCLXXXVI. cautum est, Dione, & Pædiano auctoribus, ut ex edictis suis perpetuis prætores jus dicerent. qua lege addit Pædianus multum auctoritatis & gratiæ ademptum B ambitiosis prætoribus, qui jus varie dicere solerent. Quare quoniam edicta in annum tantum valuerunt, dixit id in Verrem Cicero: *Qui plurimum tribuunt edicto prætoris, edictum legem annuam dicunt esse. in edicto plus complecteris, quam in lege. si finem edicto prætoris afferunt Kal. Januariæ, cur non initium quoque edicti nascitur a Kal. Januariis?* Forma porro perpetui edicti prætoris urbani, ut de flamine diali, & de sacerdote Vestæ, talis est apud Gellium libro XI. *Sacerdotem Vestalem, & flaminem dialem in omni mea jurisdictione jurare non cogam.* & de fluminibus retandis illa: *Qui flumina retanda publice redempta habent, si quis eorum ad me eductus fuerit, qui* C *dicatur, quod eum ex lege locationis facere oportuerit, non fecisse.* reliqua desiderantur. Quod præterea Romæ edixerant prætores urbani, id eosdem sine reprehensione mutare in provincia, si quam postea obtinuissent, non potuisse invenio. Quod ex actionibus in Verrem intelligitur, in quibus orator acutissimus ita agit: *Cur ea capita in edictum provinciale transferre noluisti: utrum digniores homines existimasti eos, qui habitabant in provincia, quam nos, qui æquo jure uteremur? an aliud Romæ equum est, aliud in Sicilia? non hoc potest hoc loco dici. multa esse in provinciis aliter edicenda, non de hereditatum* D *quidem possessionibus, non de mulierum hereditatibus.* Formam autem provincialis edicti ille in epistolis ad Atticum expressit, cum de se Ciliciæ prætore loqueretur in hunc modum: *Multa sum secutus Scævolæ: in iis illud, ut Græci inter se disceptent suis legibus. breve autem edictum est propter hanc meam διαίρεσιν, quod duobus generibus edicendum putavi. quorum unum est provinciale, in quo est de rationibus civitatum, de ære alieno, de usura, de syngraphis, in eodem omnia de publicanis. alterum, quod sine edicto satis commode transigi non potest, de hereditatum possessionibus, de bonis possidendis, magistris faciundis, vendendis, quæ ex edicto & postula-* E *ri, & fieri solent. tertium de reliquo jure dicendo ἄγραφον reliqui. dixi me de eo genere mea decreta ad edicta urbana accommodaturum.* Hactenus de jurisdictione prætorum. Reliqui vero magistratus de ceteris rebus, quæ ad ipsorum magistratum pertinerent, jus dixerunt. quorum etiam diversa edicta feruntur. Quod demonstrat Asconius, cum in commentario Divinationis ait: *Subsellia sunt tribunorum, triumvirorum, quæstorum, & hujusmodi minora judicia exercentium, qui non in sellis curulibus, sed in subselliis considebant.* itemque Plutarchus in quæstionibus, cum tribunos pl. negat magistratus esse, quia ex sel- F la curuli, ut magistratus, jus non redderent. & in Catone majore, cum tribunos pl. ait in basilica Porcia jus dixisse. Ædiles porro de annonæ ratione, de urbis, viarum, aquarum, ædificiorumque curatione, & rerum venditione cognovisse satis multa historiarum exempla demonstrant. unde illud Tullianum est in IX. Philippica: *Senatum censere ædiles curules edictum, quod de funeribus habeant, Ser. Sulpicii funeri remittere.* & in III. de officiis: *In mancipiorum venditione fraus omnis excluditur. quod enim sciri debuit de sanitate, de fuga, de furtis, præstatur edicto ædilium.* Nam quæstores crimina scribarum cognovisse testis est locupletissimus in Catone minore Plutarchus.

Ad finem capitis post vocem hactenus *adde*: Nam singulorum magistratuum jus, atque auctoritatem persequi doctissimi viri Paulli Manutii est, qui se de magistratibus scripturum esse jampridem pollicitus est.

Pag. 163. *post verba*, extra urbem non habetur. *adde*: Nisi forte senatusconsulto summo illo, de quo dixi, muniti fuerint consules, ut provideant, ne quid resp. detrimenti accipiat, & magistratus quidem, qui illud habet, nullo alio honoris titulo, nisi, qui magistratus nomine continetur, ornatus est; hoc qui adeptus est, idem Imperatoris nomen usurpat.

Ibid. post defertur. *adde sequentia*: Mandatur autem aut magistratibus, aut privatis, illis ordine, ut prætoribus, consulibus, & dictatoribus, his extra ordinem, ut qui consulatu, aut prætura abierint, aut alio modo privati fuerint. Est autem operæ pretium intelligere, quemadmodum cum consulatus & prætura centuriatis comitiis, dictatura vero consulis appellatione deferatur, ipsorum tamen imperium curiata lege, non centuriata firmetur. Hoc docet Livius, qui libro quinto dixit, comitia curiata rem militarem continere: & Cicero, qui in secunda agraria, consuli, si legem curiatam non haberet, rem militarem attingere non licere: item, consulibus legem curiatam ferentibus a tribunis plebis sæpe intercessum esse: & iterum Livius libro nono, qui scriptum reliquit, dictatori Papirio legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidisse, quod Saucia curia principium fuerit. ex quo suspicari facile possumus, idem in prætoribus etiam evenisse. An vero hoc perpetuum in consulibus fuerit, ut imperium habere, id est, bellum gerere, nisi lata lege curiata, nequiverint, merito revocari in quæstionem possit. primum enim illud movet admirationem, quod ex infinita prope consulum multitudine, quos ad bella quotannis missos produnt historiæ, neminem præcipua hac curiata de imperio lege ornatum videmus. deinde extant verba Ciceronis, ex quibus apparet, legem curiatam consulis rebus aptam fuisse, necessariam non fuisse. sunt autem in epistola ad Lentulum: *Appius consul dictitat, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam; si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum. legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiisset. Sunt qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur.* & libro III. ad fratrem: *Appius sine lege curiata confirmat, se Lentulo nostro successurum.* & libro IIII. ad Atticum: *Appius sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat.* Quibus verbis significat, consuli fuisse utilem legem curiatam, verum non necessariam. nam etiam sine ea imperium obtinuisse. probe. Nam ante legem quidem Corneliam, qui provinciam habebat, si ultra annum eam obtinuisset, prorogatione imperii eguit; lege autem Cornelia, donec in urbem reversus esset, imperium, ut ille innuit, tenuit. Præterea vero qui legem curiatam non habebat, is ne senatus quidem consulto eo ornatus fuit, quo sumptus de publico suppeditabatur; qui autem habebat, viaticum a senatu obtinuit. Quocirca legem curiatam utilem quidem appellavit, quia sine ea viaticum obtineri non poterat; non necessariam vero, quia etiam sine ea haberi in provincia imperium poterat. Age vero magistratus sine lege curiata imperium habuerunt, num vero privati eam desiderarunt? multo, ut mea fert opinio, minus. Hoc cum mul-

ta confirmant, tum maxime verba Ciceronis in secunda agraria, cum ait, inauditum, & plane novo more esse, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis ante comitiis sit datus. id est, ut imperium privato lege curiata tribuatur. at qua lege privati imperium a populo acceperunt? nempe tributa. ut de continuando P. Scipioni imperio Livius: *Consules jussi cum tribunis plebis agere, ut, si iis videretur, populum rogarent, quem vellet in Africa bellum gerere. omnes tribus P. Scipionem jusserunt.* & de Lentulo ac Stertinio: *Plebs Cornelio Lentulo & L. Stertinio procoss. imperium esse in Hispania jussit.* sic Cn. Pompeio Magno contra piratas lege Gabinia, adversus Mithridatem regem lege Manilia. Animadverto etiam imperium privato sæpe senatusconsulto mandatum, ut Cn. Pompeio pro cos. adversus Sertorium in Hispaniam, Cn. Pisoni, auctore Sallustio, pro prætore in eandem, C. Octaviano pro pr. ex sententia Ciceronis adversus M. Antonium Mutinam coloniam oppugnantem. Qui autem a senatu imperium accepissent, eos nomen tantum imperii sine ullo viatici subsidio affecutos, nescio an ex Pompeii epistola conjici possit, quam ad senatum ex Hispania procos. misit, & stipendium petiit, quæ est apud Sallustium.: *Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio, quam consilio profectum, qui nomine modo imperii a vobis accepto diebus quadraginta exercitum paravi.* Cur autem privati lege curiata imperium accipere non potuerunt? credo, quia curiata comitia auspicata erant, proconsules autem & proprætores, utpote qui, teste Cicerone, privati, & sine magistratu essent, auspicia non habebant; tributis autem comitiis recte accipiebant, quæ erant, ut dixit, inauspicata. nam P. Scipionis, quem privatum cunctis centuriis cum imperio in Hispaniam missum esse, inquit Livius, novum plane ac singulare exemplum est. Atque hæc quidem mea de imperio sententia est. Neque enim satis probare possum eruditi hominis in primis ac diserti Nicolai Gruchii opinionem, qui his duntaxat, quas proposui, auctoritatibus fretus, neminem omnino censet sine curiata lege imperium habuisse, cum tamen iisdem testimoniis privatos homines tributa lege imperium accepisse, facile revincatur. Neque vero in eo etiam illi assentior, quod ait, legem curiatam bis esse latam, primum magistratus mandandi caussa, deinde imperii transmittendi. quod quoniam unius Ciceronis ex secunda in Rullum testimonio nisus affirmat, an is fuerit in ea re Ciceronis sensus, paulo diligentius, quod etiam supra, cum de suffragiis ageremus, fecimus, exquiramus. sic loquitur Cicero: *Primum lege curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, & plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus.* Dico igitur, Ciceronem, ut sæpe alias solet, captiose agere, atque argute, aliamque, quam quæ erat, Rulli sententiam demonstrare. Rullus enim decemviros agrarios legi comitiis tributis volebat, curiatis autem imperio decorari. Sed quoniam non omnes ille tribus advocari jubebat, propterea ea comitia Cicero pro nullis esse habenda existimat, ac reprehendit, quod novo more imperium detur lege curiata ei, cui magistratus nullis ante comitiis datus sit. inde alteram affert captionem. perinde enim verba legis Serviliæ accipit, quasi Rullus magistratum decemviris binis comitiis mandari juberet, tributis & curiatis, non autem magistratum tributis mandaret, imperium curiatis, & vitio dat, quod tributa comitia imperfecta afferat, curiata absoleta referat. idque eo indignius esse ostendit, quod cum apud majores bina essent comitia, centuriata, quibus consules creabantur, & curiata, quibus reliqui magistratus, eaque bis haberentur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret, hic tamen comitia bina adhibuerit ille quidem, sed aut manca, aut obsoleta. Ex quo intelligi potest, Ciceronem aptius ad caussæ, quam ad veritatis rationem ita disputasse, idque eum, cum apud imperitam multitudinem ageret, facile efficere potuisse.

Ibid. quæcumque leguntur ab illis verbis: Quod autem dixi, *usque ad illa*, ne vero vos fallant varia, *non extant in parisiensi editione. nec etiam ea quæ sequuntur pag.* 164. D. *post verba Livii* antiquata est.

Pag. 164. D. *in fine libri primi addendum est totum caput* XXII. de triumphis, *ut hic sequitur.*

CAP. XXII.

De triumphis.

HACTENUS de imperio. deinceps de triumpho, qui ab imperio divelli vix potest, differendum est. Honorum, qui suffragio, aut studio civium deferrentur, omnium amplissimus fuit triumphus. Qui institutus a Romulo usque ad extrema non solum reip. sed etiam imperii tempora permanavit. Fuit autem genus honoris, qui haberi solitus est iis, qui imperium a populo acceptum summa cum virtute ac felicitate administrassent. nimirum, ut domum redeuntes magna cum celebritate & pompa in urbem inirent. pompa vero, quanquam alia aliis temporibus pro rerum ac victoriarum conditione fuit, tamen in hoc fere fuit semper eadem, ut senatus, qui ad portam obviam prodierat, anteiret. tum spolia de hostibus capta, & præda omnis auri atque argenti, & oppidorum captorum simulachra, & captivorum hostium duces vincti subsequerentur; imperator autem ipse auratis quadrigis, laurea coronatus, dextra lauri ramum tenens, & toga triumphali indutus veheretur; currum vero legati & tribuni quidem in equis, & pedibus exercitus omnis victor laureatus cum cantu, & clamore assectaretur. hanc vero pompam per urbem in Capitolium imperator duceret, ubi taurum immolaret, ac splendidum convivium appararet. Quem quidem pompæ ordinem tum Cicero demonstravit breviter in Pisonem, cum dixit: *Differis de triumpho. quid tandem habet iste currus? quid vincti ante currum duces? quid simulachra oppidorum? quid aurum? quid argentum? quid legati, & tribuni in equis? quid clamor militum? quid tota illa pompa? quid vehi per urbem?* tum vero longo post Ciceronem intervallo Zonaras libro secundo annalium copiosissime descripsit, siquidem ita scriptum reliquit: *Re bene gesta, justaque victoria parta, dux statim a militibus Imperator appellabatur, & laureatos fasces per tabellarios victoriæ nuncios in urbem mittebat. Ipse vero domum regressus, senatu habito triumphum postulabat, quem si a senatu & populo obtinuisset, nomen Imperatoris confirmabat. Quod si adhuc in magistratu eo esset, quo victoriam peperisset, eo etiam in celebritate utebatur. sin tempus magistratus abierat, aliud nomen ei accommodatum assumebat. neque enim privato triumphare licebat. Triumphali vero habitu ornatus, armillis sumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens, populum convocabat, & militibus suis aliis communibus, aliis propriis laudibus oneratis pecuniam & ornamenta dividebat, cum armillas aliis, aliis hastas puras, aliis coronas aureas, aliis argenteas, expressum viri nomen ac facinus ferentes, largiretur. Nam siquis murum primus ascenderat, muri; si castellum aliquod expugnarat, castelli speciem corona gerebat; si navali prælio vicerat, rostris corona exornabatur; si equestri, equestre quidquam præseferebat. Qui*

autem civem in acie, aut in obsidione, aut in alio periculo conservasset, cum summam laudem assequebatur, tum quernam coronam accipiebat, cujus honos argenteis & aureis omnibus excellebat. Neque vero hæc dona singulis tantum virtutis caussa dabantur, sed & cohortibus & exercitibus universis. spoliorum autem magna pars militibus distribuebatur. Quin etiam quidam universum populum donarunt, & sumptus in ludorum publicorum apparatus fecerunt, & si quid reliqui erat, in porticus, templa, aut alia ejusmodi opera publica consumpserunt. His rebus perfectis triumphans currum conscendebat. currus autem neque bellicarum, neque ludicrarum quadrigarum, sed rurris rotundæ instar erat constructus. Quo non ipse solus vehebatur, sed si liberos, aut cognatos aliquos habebat, etiam illorum virgines & pueros asciscebat, natu vero grandiores in equis jugalibus imponebat. Si autem plures erant, equis singularibus vecti ipsum prosequebantur. reliquorum vero civium nemo vehebatur, sed laureati omnes pedibus ingrediebantur. Quin etiam minister publicus in ipso curru advehebatur, qui pone coronam auream, gemmis distinctam sustinens, admonebat eum, ut respiceret, id est, ut reliquum vitæ spacium provideret, nec eo honore elatus superbiret. Appensa quoque erat currui nola & flagellum, quibus notabatur, ipsum in eam calamitatem incidere posse, ut & flagris cæderetur, & capite damnaretur. Nam qui ob facinus supremo supplicio afficiebantur, nolas gestare solebant, ne quis inter eundum contactu illorum piaculo se obstringeret. Hoc autem ornatu urbem inibat, spoliis, & tropæis, & simulachris castellorum, urbium, fluminum, montium, portuum, marium, & reliquorum omnium, quæ in ditionem redegerat, prælatis. Quod si dies unus ad hanc pompam transferendam non esset satis, secundus etiam, & tertius assumebatur. Illis autem præcedentibus triumphans in forum Romanum delatus, ac captivis inde aliquot in carcerem duci atque necari jussis, in Capitolium ascendebat, ibique nescio quo sacrificio facto, & donis consecratis, in iis porticibus cænatus, ad vesperam domum, tibiis & fistulis præcinentibus, revertebat. Hæc Zonaras. Addit Plinius libro XXXIII. capite VII. ex Verrii auctoritate, quod idem etiam apud Isidorum inveni, triumphantum corpora minio illini solita. sic Camillum triumphasse. Atque hæc quidem quamquam adeo certa sunt, ut confirmatione non egeant, placet tamen instituti tenendi caussa locis etiam aliquot Livii insignioribus comprobare. sic loquitur ille libro XXXIV. de T. Flaminini triumpho Macedonico: *Triduum triumphavit. die primo arma, tela, signaque ærea & marmorea transtulit. secundo aurum argentumque factum, infectumque, & signatum. tertio die coronæ aureæ, dona civitatum, translatæ* CXIV. *& hostiæ ductæ, & ante currum multi nobiles captivi, obsidesque, inter quos Demetrius, regis Philippi filius fuit. ipse deinde Quinctius in urbem est invectus, milites secuti currum frequentes, ut ex omni provincia exercitu deportato. his duceni quinquageni æris in pedites divisi, duplex centurioni, triplex equiti.* & libro XLV. in concione M. Servilii de triumpho L. Paulli Macedonici, qui antiquabatur: *Militum quidem propria est caussa qui & ipsi laureati, & quisque donis, quibus donati sunt, insignes, triumphum nomine cient, suasque & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt.* & post: *Et legiones ex Illyrico laureatæ urbem inibunt, & navales socii: Macedonicæ legiones suo abrogato triumpho alienos spectabunt? Quid deinde tam opimæ prædæ, tam opulentæ victoriæ spoliis fiet? quonam abdentur illa tot millia armorum detracta corporibus hostium? an in Macedoniam remittentur? quo signa aurea, marmorea, eburnea, tabulæ pictæ, textilia, tantum argenti cælati, tantum auri. tanta pecunia regia? an noctu tanquam furtiva in ærarium deportabuntur? quid illud spectaculum maximum, nobilissimus opulentissimusque rex captus, ubi victori populo ostendetur?* & infra: *Pars non minima triumphi est victimæ præcedentes, ut appareat, diis grates agentem imperatorem ob rempublicam bene gestam redire. omneis illas victimas, quas traducendas in triumpho judicavit, alias alio cædente mactate. illas quidem epulas senatus, quæ nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio eduntur, utrum hominum voluptatis caussa, an deorum hominumque turbaturi estis? L. Paulli triumpho portæ claudentur? rex Macedonum Perseus cum liberis, & turba alia captivorum, spolia Macedonum circa flumen relinquentur? L. Paullus privatus tanquam rure rediens a porta domum ibit?* & deinde ubi de pompa triumphi agitur: *Ipse postremo Paullus in curru, magnam cum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa majestatem præseferens. Post currum inter alios illustres viros filii duo Q. maximus, & P. Scipio, deinde equites turmatim, & cohortes peditum suis quæque ordinibus. Pediti in singulos dati centeni, duplex centurioni, triplex equiti.* Postremo quod scriptum est apud Zonaram de captivis necandis jussu Imperatoris in Capitolium ascendentis, idem est etiam apud Ciceronem in oratione de suppliciis contra Verrem: *An etiam*, inquit, *qui triumphant, eoque diutius hostium duces servant, ut his per triumphum ductis pulcherrimum spectaculum, fructumque victoriæ populus R. percipere possit, tamen cum de foro in Capitolium currum flectere incipiunt, illos duci in carcerem jubent, idemque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finem facit.*

Hic autem de quo dixi, honos fuit, ut ego quidem video, duplex, unus triumphus, alter ovatio dictus: major ille, hic minor: ille ob insignem victoriam, hic etiam ob levem concessus. Qui enim, auctore Gellio libro VI. bellum aut non rite indictum, aut non cum justis hostibus, aut cum humilibus, aut non idoneis, ut servis & piratis, gessisset, aut deditione repente facta, incruenta victoria, negotium confecisset, aut, ut addit in Marcello Plutarchus, verbis, non armis rem peregisset, aut, ut sæpe Livius, qui sine magistratu, aut alienis auspiciis, aut in aliena provincia rem gessisset, aut exercitum non deportasset, ei concedebatur, ut ovans urbem ingrederetur, quod erat nihil aliud, nisi ut non quadrigis, sed vel pedibus, vel, ut aliis placuit, equo vectus, non senatu, sed equitibus Romanis præeuntibus, non tubis, sed tibiis præcinentibus, non laurea, sed myrtea corona redimitus iniret, neque taurum, sed ovem in Capitolio immolaret. quod ex Dionysio, Plutarcho, Gellio & Dione, quorum verba in fastorum consularium commentario recitavi, cognoscitur. unde Plinius lib. XV. cap. XXIX. ait: *Triumphans de Sabinis Postumius Tubertus in consulatu, qui primus omnium ovans urbem ingressus est, quod rem leviter sine cruore gessisset, myrto Veneris genitricis coronatus incessit. hæc postea ovantium fuit corona, excepto M. Crasso, qui de fugitivis & Spartaco laurea coronatus incessit.* Triumphavit autem hic anno urbis ducentesimo quinquagesimo primo; quamquam Dionysius hunc ei leviorem honorem habitum esse ait, quia male ante rem gesserat, ac prope in fuga cum ceteris captus fuerat.

Ut autem imperium mandatum est consulibus, prætoribus, dictatoribus, & privatis hominibus, iisque item omnibus prorogatum est, sic consules, dictatores, prætores primum, deinde etiam reliqui triumpharunt. primus consul prorogato imperio triumphavit Q. Publilius Philo de Palæpolitaneis. prætor primus Q. Valerius Falto de Siculeis. P. Scipioni, qui privatus in Hispaniam cum

imperio fuerat missus, triumphus est negatus. at non multis post annis L. Lentulo, ut ovans in urbem rediret, permissum est. postremo vero major etiam triumphus iis, qui sine magistratu rem gessissent, tributus, ut Cn. Pompeio ex Africa, Hispania, & Asia. De P. Scipione sic Livius: *Ob res gestas magis est tentata triumphi spes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratus re gessisset, constabat.* de Lentulo vero ita: *Lentulus cum in senatu res ab se per multos annos fortiter feliciterque gestas exposuisset, postulassetque, ut triumphanti sibi urbem invehi liceret; res triumpho dignas esse censebat senatus, sed exemplum a majoribus non accepisse, ut qui neque dictator, neque consul, neque prætor res gessisset, triumpharet, pro consule illum provinciam Hispaniam, non consulem, aut prætorem obtinuisse. decurrebatur tamen eo, ut ovans urbem iniret, intercedente Ti. Sempronio Longo tribuno plebis qui nihilo magis id more majorum, aut ullo exemplo futurum dicebat. postremo victus consensu patrum tribunus cessit, ex S. C. Lentulus ovans urbem est invectus.* Ex iis, qui cum magistratu, atque adeo cum imperio summo fuerunt soli decemviri & tribuni militum consulares triumphum nullum egerunt.

Fuerunt etiam alia præclara & ad memoriæ æternitatem illustria triumphantium jura, de quibus scriptum extat apud Valerium. ut illud: Ne quis triumpharet, nisi quinque millia hostium una acie cecidisset. Unde lex extitit, quam L. Marius & M. Cato tribuni plebis tulerunt, qua pœnam imperatoribus minati sunt, qui aut hostium occisorum in prœlio, aut amissorum civium falsum numerum ad senatum scripsissent, & jusserunt eos, quam primum ad urbem accessissent, apud quæstores urbanos jurare, de utroque numero vere ad senatum scripsisse. item illud: Ne qui pro altero rem gessisset, sed is cujus auspiciis res gesta esset, triumpharet. quod exemplo Q. Valerii prætoris, & Q. Lutatii consulis, bello Punico primo confirmatur. & illud, quod more potius retentum, quam lege observatum videtur: Ne pro recuperato, sed pro aucto imperio triumpharetur: ut Q. Fulvio consuli de Capua recepta, & L. Opimio prætori de Fregellis in ditionem redactis, negatus est. item: Ut de externis hostibus, non de civibus triumphus ageretur. quo factum est, ut neque L. Sulla de inimicis suis, neque Q. Catulus consul de M. Lepido, neque C. Antonius de L. Catilina, quamquam illi adversus rempublicam steterant, atque arma tulerant, triumpharint.

Hic autem honos primum a senatu, post etiam repugnante senatu a populo datus est. primum sine senatusconsulto, collega intercedente, triumphasse P. Servilium Priscum consulem de Volscis anno urbis CCCLVIII. testis est Dionysius. Primi vero patribus invitis, jubente populo, de Sabinis M. Horatius, de Æquis L. Valerius anno CCCIV.

Quin etiam illud est observatum, ut aut ex terrestri victoria, aut ex navali, itemque aut in urbe, aut, cum id non daretur, in monte Albano triumpharetur. primus navalem triumphum egit C. Duilius bello Punico primo, in monte Albano triumphavit primus C. Papirius Maso consul de Corsels. de quo ita Valerius: *Papirius Maso, cum bene gesta republica triumphum a senatu non impetrasset, in Albano monte triumphandi & ipse initium fecit, & ceteris postea exemplum præbuit, proque laurea corona, quum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est.* Cujus vestigia M. Marcellus bello secundo Punico persecutus de Syracusanis in monte Albano triumphavit. Quoniam autem sine magistratu, aut certe sine imperio triumphare nemo poterat, qui sine magistratu urbem triumphi caussa inituri erant, eis legem de imperio ferre necesse erat, id est, ut eo die, quo in urbem inirent, cum imperio essent. quam legem tributis comitiis latam constat. unde Livius de Marcello: *Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset.* & de L. Paullo: *L. Paullo, L. Anicio, & Cn. Octavio decretus est ab senatu triumphus, mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die triumphantes urbem inveherentur, imperium esset.* & de Pontinii triumpho Cicero ad Atticum: *Pontinius vult ante diem* IV. *Non. Novemb. triumphare. huic obvii Cato & Servilius prætores aperte, & Mucius tribunus plebis. negant enim latum de imperio, & est hercle latum insulse.* recte. nam, ut est apud Dionem in historia, Galba prætor clam sub lucem quosdam in suffragium miserat, cum tamen ante primam horam nihil agi cum populo posset. Sed de honorum quidem Romanorum ratione & jure hæc a nobis breviter dicta sint.

ADDENDA ET MUTANDA IN LIBRO II.

Pag. 168. *E. post verba* perscribi Senatusconsultum, *adde:* Dio vero Augustum scribit senatum legisse, & cum videret non semper frequentes senatores convenire, senatusconsulta ut etiam a paucioribus quam quadringentis fierent, cum hic ante numerus, ut rata essent, quæreretur, statuisse.

Pag. 171. *B. dele* de qua alibi dicendum *& lege ut hic sequitur*: de qua ita, ut dixi, scripsit Suetonius: *Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, & post necem Cæsaris per gratiam & præmium allecti, quos orcivos vulgus vocabat) ad modum pristinum, & splendorem redegit duabus lectionibus, prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legit, secunda suo & Agrippæ.* Hoc autem factum P. & Cn. Lentulis consulibus narrat Dio. In consulatu vero Tiberii, & Quinctilii rem ita actam scribit: *Inde senatus lectus est. cum enim amissis per bella patrimoniis census centum millibus esset præfinitus, post autem magnis partis divitiis usque ad ducenta millia esset perductus, nemo jam reperiebatur, qui ultro senator esse vellet. quin etiam filii, & nepotes senatorum afflicta re familiari non solum senatoriam dignitatem non appetebant, sed ea etiam se abdicabant. peregrinante autem Augusto decretum factum est, ut* XX. *viri ex equitibus designarentur. Quare nemo eorum in senatum adscriptus est, qui non alium magistratum ex iis, per quos patet curia, adeptus esset.* XX. *viri autem sunt triumviri capitales, & triumviri monetales, & quatuorviri viarum curandarum, & decemviri litibus judicandis. & quoniam nemo amplius ultro tribunatum petebat, ut ex quæstoriis, & nondum annos* XL. *natis aliqui fierent, omnes ipse perquisivit, & qui supra* XXXV. *annos nati erant, præteriit, qui vero infra eam ætatem erant, & censum habebant, senatores esse coegit, nisi si quis membris captus esset.* Narrat etiam Suetonius, Augustum equites in senatum legisse, facta eis copia, ut transacta potestate, in utro vellent, ordine manerent.

Ibid. C. post verba Suetonii in Tiberio adde: & in Claudio: *Latum clavum, quamvis initio affirmasset, non lecturum se senatorem, nisi civis Romani abnepotem, etiam libertini filio tribuit, sed sub*

conditione, si prius ab equite Rom. adoptatus esset. Hanc autem tunicam post palmatam dictam tradit Festus, cum ita scribit: *Tunica palmata a latitudine clavorum dicebatur, quæ nunc a genere picturæ appellatur*. Clavis autem quasi floribus quibusdam variatam, ac distinctam fuisse ostendit Martialis, cum inquit de mapalibus:

Et lato variata mapalia clavo.

Pag. 172. *F. deleantur verba in fine capitis*. II. neque enim *&c. adjici autem debent, quæ sequuntur:* Quo loco ait, ærarium ac vectigalia omnia in potestate senatus fuisse, atque omnes publicos sumptus ex ejus esse arbitrio factos. jam vero maleficia ac crimina per Italiam commissa, de quibus publicum judicium constitui oportebat, ut proditionis, conjurationis, veneficii, cædis, atque insidiarum ad senatum relata, ejusque de his cognitionem fuisse. Quod si qua in Italia controversia dirimenda, si publice, vel privatim quispiam, vel civitas objurganda, si cui auxilium ferendum erat, de his omnibus senatum statuisse. eodemque modo si qua extra Italiam ad aliquos legatio erat mittenda, aut ad aliquid decidendum, aut ad fœdus faciendum, aut ad cohortandum, aut ad imperandum, aut postremo ad res repetendas, & ad bellum indicendum, hæc senatum curasse. præterea quid de legatis exterarum gentium agendum, quid eis respondendum esset, decrevisse. postremo Dionysius omnem remp. in potestate senatus scribit fuisse, nisi quod neque magistratus ab eo crearentur, neque leges ferrentur, neque bellum, aut pax decerneretur.

Pag. 177. *F. post* mutarunt. *adde*: Ne autem temere omnes ferrent, video sero tandem, nimirum dominante Tiberio, esse provisum. siquidem apud Plinium libro XXXIII. ita scriptum est: *Tiberii demum principatus nono anno in unitatem venit equester ordo, annulorumque auctoritati forma constituta est, C. Asinio Pollione, C. Antistio vetere coss. anno urbis conditæ* DCC. *septuagesimo quinto, quod miremur, futili pæne de caussa, cum C. Sulpicius Galba, dum juvenalem famam apud principem popinarum pœnis aucupatur, questus esset in senatu, vulgo institores ejus culpæ defendi annulis. hac de caussa constitutum, ne cui jus id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri, avoque paterno H-S quadringenta census fuisset, & lege Julia theatrali in* XIV. *ordinibus sedendi*.

Pag. 178. *F. ad capitis finem post* hactenus *addenda*: Ex quo intelligi potest, cum annulorum aureorum usus propterea increbuisset, merito Tiberium imp. constituisse, ut, quod apud Plinium est, ne cui id jus esset, nisi cui ingenuo, ipsi, patri, avoque paterno H-S. quadringenta census fuisset, & lege Julia theatrali in quatuordecim ordinibus sedendi. qua de lege post agam, ubi de ordinum spectaculis agam.

Pag. 179. *E. post verba Ciceronis contra Rullum adde sequentia*: De tributis & vectigalibus civilibus, atque adeo etiam Italicis supra diximus; nunc & de Italicis, & de provincialibus pauca restat ut adjungamus. horum autem duo genera fuerunt, unum certum, alterum incertum. certum pecuniæ, incertum aliarum rerum. Quod voluit Cicero, cum dixit in v. in Verrem: *Inter Siciliam, ceterasque provincias in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quod ceteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, ut Hispanis, & plerisque Pœnorum, quasi victoriæ præmium, ac pœna belli; aut censoria locatio constituta est, ut Asiæ lege Sempronia*. Quæ vero incerta fuerunt, ea multarum rerum fuerunt, ut frumentorum, quorum decumæ sunt exactæ, portoriorum, pascuorum, metallorum, & ejusmodi reliquorum, de quibus egregie Polybius libro VI. ubi de potestate senatus disputat. *Cum in Italia*, inquit, *multa sint vectigalium genera, quæ censores in sumptus apparatusque publicos locare solent, ea vero non satis facile aliquis percensuerit, ut flumina, portus, hortos, metalla, atque ut paucis comprehendam, quæcumque sub Romanorum ditione sunt, hæc omnia populus exercere atque exigere, & ferme, ut ita dicam, totus in his conducendis & curandis occupatus atque implicitus esse consuevit*. Adjicit Appianus libro primo, Romanos, quos bello cepissent, agros, si culti essent, colonis, quos eo deduxissent, divisisse, aut civibus Rom. vendidisse, aut locasse; si inculti, cujus generis erant multi, colendos iis, qui vellent, dedisse, imposito annuo vectigali, decima quidem frumentorum, quinta vero frugum. quin etiam ab iis, qui majores & minores pecudes aluissent, certum vectigal exegisse, quod idem de Siciliensibus, Gallicis, & Asianis factum esse perspicuum est.

Pag. 180. *E. post* facultatem lædendi. *adde*: & libro II. ad Atticum: *Illa caussa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiæ tollendis non tam de portorio, quam de nonnullis injuriis portitorum querebantur*.

Ibid. F. post invenisti? *adde:* Ut autem publicani, qui decumas redimebant, decumani, qui pascua, pecuarii, sic ii a quibus decumas exigebant, aratores atque agricolæ, cum quibus pascuorum rationem conficiebant, pastores appellati sunt. Unde illa sunt in Fontejana: *Referta est Gallia negotiatorum, plena civium Romanorum. unum ex toto negociatorum, colonorum, publicanorum, aratorum, pecuariorum numero testem producant*. item: *Omnes illius provinciæ publicani, agricolæ, pecuarii, ceteri negociatores Fontejum defendunt*. Aratores autem fere, & pastores cives Romanos fuisse satis ex actionibus in Verrem patet, sed maxime ex IV. cum ait, Siciliam cives Romanos partim cum quæstu compendioque dimittere, partim retinere, ut arare, pascere, ut negociari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. Addit Asconius mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licuisse.

Pag. 187. *F. post verba veteris tabulæ* capere liceret: *adde:* Quin etiam quæsitorum fuisse scribas indicat in Cluentiana Cic. inquiens: *Quid sibi illi scribæ, quid lictores, quid ceteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt?*

Pag. 190. *A. post* in Verrinis. *adde*: sed maxime in oratione de jurisdictione: *Ceterarum*, inquit, *rerum selecti judices ex civium Romanorum conventu proponi solent*. & post: *Selecti e conventu, aut propositi ex negotiatoribus judices nulli*. & postea: *Habebat in consilio homines honestos e conventu Syracusano, qui Sacerdotis prætoris quoque in consilio fuerant, cum esset hic idem Sopater absolutus*. item: *M. Petilium equitem Romanum, quem habet in consilio, jubet operam dare, quod rei privatæ judex esset*. & in frumentaria: *Scandilius postulat de conventu recuperatores. Verres negat, se de existimatione sua cuiquam, nisi suis commissurum, & plus existimat apud lectissimos senatores pecuniam, quam apud tres recuperatores metum valere*.

Neque vero solum ex negotiatoribus legi judices soliti sunt, sed etiam patroni. quod exemplo Q. Minucii, equitis Romani, quem Syracusis negotiatum scribit Cicero, potest confirmari, a quo eodem in loco Sopatrum Siculum apud Verrem prætorem defensum narrat.

Pag. 194. *C. post verba Ciceronis in Maniliana, adde*: Argentarii cujusdam L. Fulvii bello Punico meminit Plinius libro XXI. cap. III. *L. Fulvius argentarius*, inquit, *bello Punico secundo cum corona rosacea interdiu e pergula sua in forum prospexisse dictus ex auctoritate senatus in carcerem adductus non ante finem belli emissus est*.

Pag. 194. *C. post verba Appiani addenda:* Contra autem post in conjuratos, Catilinæ socios, obser-

vatum

vatum est. qui apud Sallustium queruntur, sibi more majorum uti lege non licuisse, neque amisso patrimonio corpus liberum habere. tanta sævitia fœneratorum atque prætoris fuit.

Pag. 196. *C. post* abuterentur. *adde :* Quocirca Plinius ad Trajanum de instituendo Nicomedensium fabrum ad ignes arcendos collegio ita scripsit: *Tu, domine, dispice, an instituendum putes collegium fabrorum duntaxat hominum* CCL. *ego attendam, ne quis nisi faber recipiatur, neve jure concesso in aliud utatur. nec erit difficile custodire tam paucos.* Jura vero collegiorum horum a Cajo descripta sunt, XII. tabulas interpretante, cujus placet verba subjicere: *Neque societatem*, inquit, *neque collegium, neque hujusmodi corpus passim omnibus habere conceditur. nam & legibus, & senatusconsultis, & principalibus constitutionibus ea res coercetur. paucis admodum in caussis concessa sunt hujusmodi corpora: ut ecce vectigalium publicorum sociis permissum est corpus habere, vel aurifodinarum, vel argentifodinarum, & salinarum. item collegia Romæ certa sunt, quorum corpus senatusconsultis atque constitutionibus principalibus confirmatum est, veluti pistorum, & quorundam aliorum, & naviculariorum, qui & in provinciis sunt. quibus autem permissum est corpus habere collegii, societatis, sive cujuscunque alterius nomine, eorum proprium est, ad exemplum reip. habere res communes, arcam communem, & actorem, sive syndicum, per quem tanquam in rep. quod communiter agi fierique oporteat, agatur & fiat.* Hæc ille. Nunc illud addo, sodalitii, aut sodalitatis nomen varie esse apud veteres usurpatum. unde Cicero sodalitatum meminit in Catone, easque Catone ipso quæstore institutas scripsit, sacris Magnæ matris acceptis, & sodalitiorum in Planciana, quæ legem Liciniam coercuisse innuit. sed quoniam eæ ad sacra pertinuerunt, hæc ambitus crimen attigerunt, propterea nobis hoc loco videntur relinquenda.

Pag. 209. *F. adde ad finem capitis sequentia:* Etenim *magni æstimans*, ut est apud Suetonium, *sincerum, atque ab omni colluvione peregrini ac servilis sanguinis incorruptum servare populum, & civitatem R. parcissime dedit, & manumittendi modum terminavit, servos non contentus multis difficultatibus a libertate justa removisse, cum & de numero, & de conditione, ac differentia eorum, qui manumitterentur, curiose cavisset, hoc quoque adjecit, ne vinctus unquam, tortusve quis ullo libertatis genere civitatem adipisceretur.* Significavit autem tres, ut opinor, leges de servorum manumissionibus Augusto imperante latas, unam Juliam, alteram Fusiam Caniniam, tertiam Æliam Sentiam. Juliam Augustus ipse tulisse existimatur, ut cum servum imperator manumittit, non vindictam imponit, sed simpliciter liberum esse jubet. qua lege tam manumissoris, quam manumissi ætatem definivit, juraque, quibus patroni adversus libertos uterentur, constituit, cujus legis Paullus meminit lege XIV. de manumissionibus, Dio lib. LV. Furiam Caniniam, qui & quo anno tulerint, parum certum est. fuit autem, ut in testamento ex tribus servis non plures, quam duos manumittere liceret. usque ad decem, dimidiam partem. a decimo usque ad triginta, tertiam partem, ut tamen adhuc quinque manumittere liceat, æque ut ex priori numero, a triginta usque ad centum, quartam partem, æque ut decem ex priore numero liberari possint. a centum usque ad quingentos, partem quintam similiter, ut ex antecedenti numero vigintiquinque possint fieri liberi. eademque præcipit, ne plures numero, quam centum ex cujusquam testamento fierent, & ut libertates servis testamento nominatim darentur. sic enim scriptum est apud Ulpianum, & Cajum in Institut. Paullum sentent. IV. Æliam Sentiam videntur tulisse Sex. Ælius, C. Sentius coss. an. DCCLVI.

A Ut qui servi pœnæ caussa vincti a domino, quibusve inustæ notæ fuerant, quive propter noxam torti, nocentesve inventi, quive traditi, ut ferro aut cum bestiis depugnarent, quique in custodia fuissent, ii si manumitterentur, non cives Romani, sed dediticiorum numero essent. id est, ut neque connubium, neque commercium, neque testamenti factionem haberent. Ut minorem triginta annorum servum vindicta, aut testamento, nisi caussa apud consilium probata, manumittere non liceret. Ne dominus annis viginti minor servum, nisi caussa apud consilium probata, manumitteret. Ut servus ab eo domino, qui solvendo non esset, testamento liber
B esse jussus, & heres institutus, etsi minor esset triginta annis, vel in ea caussa esset, ut dediticius fieri deberet, civis Rom. & heres sit, si tamen alius ex eo testamento nemo heres sit. quod si duo, pluresque liberi heredesque jussi sint, primo loco scriptus liber & heres sit. Ut si patronus libertum inopem non aluerit, primum libertatis caussa impositis tam ipse, quam is, ad quem ea res pertinebit, multetur; dein ipsius hereditate, tum ipse, tum ipsius liberi priventur, nisi heres institutus sit. postremo a bonorum possessione removentur, præterquam secundum tabulas. Ne dominus in manumittendo
C servo, servare legem ei de contrahendo matrimonio, quæ civis Rom. libertatem imminuat, imponat, si secus faxit, ad ejus legitimam hereditatem ne admittatur. quæ omnia in Ulpiani, Juliani, & Paulli veterum jurisperitorum commentariis scripta reperiuntur. Atque hæc quidem imperante Augusto in libertinos constituta sunt. Inde Tiberio imperante lex Junia Norbana est lata a consulibus M. Junio Silano, & C. Norbano Flacco, qua media quædam libertinorum conditio introducta est, qui neque cives Romani essent, neque dediticii, id est, qui neque optima, neque deterrima conditione libertatis uterentur. Quo spectans Justinianus in
D Institutionibus, tripartitum libertinorum statum fuisse dixit: *Nam qui manumitterentur modo majorem & justam libertatem consequutos esse, & factos cives Rom. modo minorem, & Latinos ex lege Junia Norbana factos; modo inferiorem, & factos lege Ælia Sentia dediticios.* Qui locus ut certius intelligatur, non ignorandum est, aliud fuisse jus civium Rom. sive jus Quiritium, aliud Latinorum populorum. multas vero, magnasque inter utrunque differentias intercessisse, sed quæ ad hunc locum pertineant, eas esse, quæ a Cajo jurisconsulto in Institutionibus attinguntur. cujus non sententiam,
E sed verba ipsa libet ascribere. *Ingenuorum*, inquit, *omnium unus status est. Libertorum vero ideo non unus, quia tria sunt genera libertatum. quia liberti aut cives R. sunt, aut Latini, aut dediticii. Cives Romani sunt, qui his tribus modis aut testamento, aut in æde sacra, aut ante consulem fuerunt manumissi. Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur. dediticii vero, qui post admissa crimina suppliciis subditi, & pro criminibus cæsi, aut in quorum facie vel corpore quæcunque indicia aut igne, aut ferro impressa sunt, & ita impressa, ut deleri non possint, hi si manumissi fuerint, dediticii appellantur.*
F *Sed inter hæc tria genera libertatum ideo cives Romani meliorem statum habent, quia & testamenta facere possunt, & ex testamento quibuscunque personis succedere. nam Latini, & dediticii, nec testamenta condere, nec sibi ex testamento aliorum aliquid demissum possunt ullatenus vindicare. tamen Latini certis rebus privilegia civium Romanorum libertorum consequi possunt; dediticii vero nulla ratione possunt ad civium Rom. libertorum privilegia pervenire. nam Latini patronorum beneficio, id est, si iterum ab ipsis testamento, aut in æde sacra, aut ante consulem manumittantur, civium Rom. privilegia conse-*

quuntur. Hæc ille. Quod autem ait, qui jus Quiritium habebant, heredes fieri potuisse cujusque, etiam Romani civis, intelligi oportet. unde Cicero in III. in Verrem dixit, P. Trebonium libertum suum heredem fecisse, nimirum quia justa libertate liberatus erat. Quod vero addit, Latinos libertos testamentum facere non potuisse, legibus Romanis accipiendum est, in quibus jus Quiritium continetur. Ex his autem non est difficile intellectu, ut Latini quondam populi deterius jus civitatis Rom. habuerunt, quam cives Rom. sic libertinos Latinos incommodiore in caussa fuisse, quam qui vindicta liberati cives Rom. erant facti. illi enim optimum jus civitatis habebant, hi imperfectum. præterea vero, ut Latini populi optimum jus civitatis Romanæ lege Julia adepti sunt, qua civitas Romana universo Latio, bello Marsico, data est, sic libertinos Latinos tum optimum jus libertatis assecutos, cum nova concessione jus Quiritium obtinuerunt. unde Suetonius cum dixit, D. Claudium civi vacationem legis Papiæ Poppææ, Latino jus Quiritium dedisse, Latinum libertinum intellexit. & Plinius, cum Trajanum imp. in epistolis rogavit, ut daret civitatem Harpocrati, quod esset peregrinæ conditionis, manumissus a peregrina, & ut jus Quiritium largiretur libertis Antoniæ Maximillæ, civitatem Chrysippo Mithridatis, & ut indulgeret jus Quiritium L. Satrio Abascanto, & P. Cæsio Phosphoro, idque se volentibus patronis petere addidit, satis significavit, peti civitatem peregrinis, jus Quiritium libertis Latinis: qua in re quia jus patronorum lædebatur, id est, si ex jure Quiritium libertis testandi potestas data esset, propterea addit, se volentibus patronis, quorum res agebatur, id petere. Neque vero aliud quicquam Tacitus libro XIII. intellexit, cum in oratione cujusdam senatoris hæc verba posuit: *Manumittendi duas species a majoribus institutas, ut relinqueretur pœnitentiæ, aut novo beneficio locus, quos vindicta patronus non liberavit, velut vinculo servitutis attineri*. Nimirum enim voluit, qui vindicta liberati essent, eos servitute omnino exemptos, jus civitatis optimum retinere: qui non vindicta, ut Latinos, eos respectum aliquem patronorum habere. neque enim heredem ex testamento alium, quam patronum poterant instituere. itaque tales libertos patroni constituebant, ut esset pœnitentiæ, aut novo beneficio locus, nempe novum beneficium juris Quiritium largitionem appellantes.

Addo hoc etiam, quod scriptum apud Isidorum invenio, nescio an satis in hac re auctorem idoneum, lib. XLIX. nullis libertinis præter Romanos, non modo in urbe, sed ne propius quidem urbem septem millia passuum commorari licuisse.

Pag. 209. *F. post* erat positum. *adde*: Itaque non modo majestatis, aut peculatus, aut repetundarum, aut similia crimina, quibus aperte resp. erat violata, publica, eorumque quæstiones caussæ publicæ dicebantur, verum etiam, quibus privatorum res agebatur, ut furti, rapinæ, damni dati, injuriæ, & omnia denique, quæ non sua sponte, sed prudentum interpretatione maleficia nominarentur. quod ex lege Lætoria perspicue intelligitur, quæ adversus eos lata est, qui minorem circumvenissent. siquidem ea lege caussa, quæ privata semper antea fuerat, publica facta est; ut in III. de nat. deo. significat Cicero. *Inde judicium*, inquit, *publicum rei privatæ, lege Lætoria*. rem enim privatam appellat, quæ semper antea privata fuerat. Ergo quoniam caussa publica est, in qua quivis e populo læsus est, propterea judicia publica Justinianus ea definivit, *in quibus cuivis e populo agere liceret*. Ut autem judicia alia privata, alia publica, sic judices alii rerum privatarum, alii publicarum fuerunt. Privatarum, ut arbitri, centumviri, decem-

A viri stlitibus judicandis, & recuperatores. Publicarum, ut duumviri perduellionis, populus Roman. & decuriæ judicum. Hoc ergo observatum est, ut, si actio esset privata, videretur, de jure ne, an de facto, an de neutro controversia esset. si de jure, dabantur vel arbitri, vel centumviri, vel decemviri. si de facto, recuperatores. si de neutro, edictum interponebatur. Judices autem hos primum dederunt reges, deinde consules, postremo prætores. siquidem judices dare, est ejus magistratus penes quem juridictio est. jurisdictio vero a regibus ad consules, a consulibus ad prætores translata est.

B Quoniam autem illi modo arbitros dederunt, modo judices, hinc vocabula longe inter se diversa emanarunt, arbitrium, & judicium. Arbitrium, sive actio arbitraria est, in qua qui judex datus est, non ad certam formulam ac summam, ut in judicio, astringitur, sed ei permittitur, ex æquo & bono, secundum cujusque rei, de qua agitur, naturam, æstimare, quemadmodum actori satisfieri oporteat. Quid autem a judicio differat, eleganter pro Q. Roscio Cicero docet, his verbis: *Aliud est judicium, aliud est arbitrium. judicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. ad judicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amitta-*
C *mus. ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulavimus, consequamur. ejus rei ipsa formulæ verba testimonio sunt. quid est in judicio? asperum, directum, simplex.* SI PATERET H-S IↃↃↃ *dari oportere. hic nisi planum facit, H-S*-IↃↃↃ *ad libellam sibi deberi, caussam perdit. quid est in arbitrio? mite, moderatum,* QUANTUM *æquius & melius sit dari*. Ex quo apparet, arbitrum totius rei habere arbitrium & facultatem; judicem certa prætoris formula esse astrictum. Arbitrorum porro duo sunt genera, unum eorum, in quos est a litigatoribus compromissum; alterum eorum, qui a prætore dati sunt. Illis pa-
D rendum est propter compromissum, his propter prætoris imperium. Qui vero a prætore sunt dati, iidem etiam sæpe judices appellati. unde vulgatum illud est Ciceronis in Murenæ defensione: *Tot homines per tot ætates nondum constituere potuerunt, utrum judicem, an arbitrum dici oporteat*. Hi vero erant judices ii, quibus prætor liberam potestatem permiserat de re controversa ex æquo & bono pro arbitratu judicandi. quæ judicia *bonæ fidei* actiones sunt appellata. quod ex Topicis Ciceronis liquet, in quibus est: *Omnibus judiciis, in quibus* EX BONA FIDE EST ADDITUM, *primus eorum usus est*. & in III. de Officiis: *Q. Scævola summam vim esse dice-*
E *bat in omnibus iis arbitriis, in quibus adderetur*, EX FIDE BONA. nimirum enim intelligebat, in quibus eæ voces non essent, non licuisse judici, sive arbitro a præscripta prætoris formula discedere. Ut autem prætoris erat judicem dare, sic rei accipere. quo in loco animadvertendum est, comprobatum more fuisse, ut actor, qui judicem a prætore peteret, formulam ipsam, in quam judicium peteret, certis conceptisque verbis proferret. exempli caussa: C. AQUILLIUS *judex esto. si paret, Septimium Octavio centum debere, tum Septimius damnetur*. quod verba illa Quinctianæ declarant: *Judicium quin*
F *acciperet in ea ipsa verba, quæ Nævius edebat, non recusare*. & in Verrem quinta: *Agyrinenses judicium se passuros esse dicebant. quærebant, quæ in verba recuperatores daret*.

Venio nunc ad centumviros, atque decemviros, quorum non admodum antiquam originem esse suspicor. Etenim cum Festus centumviros dictos scribat, quod ex singulis XXXV. tribubus terni ad judicandum legerentur, eosque quanquam centum & quinque essent, tamen, quo facilius appellarentur, centumviros nominatos, sane ostendit, eos non nisi post annum DXII. quo demum triginta quinque tri-

bus expletæ sunt, esse institutos. cui rei ne adversantur quidem verba Pomponii, qui post binos prætores urbanum peregrinumque institutos reip. centumviris opus fuisse tradit. prætor autem peregrinus eodem tempore creari cœptus est, quo XXXV. tribus sunt expletæ. verba vero Pomponiana hæc sunt: *Post aliquot annos non sufficiente prætore urbano, quod multa turba peregrinorum in civitatem veniret, creatus est & alius prætor, qui peregrinus appellatus est ab eo, quod plerunque inter peregrinos jus dicebat. deinde cum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, centumviri litibus judicandis constituti sunt.* quanquam in aliis legitur *decemviri*. Sed & centumviri, & decemviri de caussis privatis cognoverunt, de jure judicarunt, & hastæ præfuerunt. unde poeta ille dixit:

Seu trepidos ad jura decem citat hasta virorum,
Et firmare jubet centeno judice caussas.

& Suetonius de Augusto: *Auctor fuit, ut centumviralem hastam, quam quæstura functi consueverant cogere, decemviri cogerent.* & Valerius ubi de testamentis agit, centumvirale judicium, *hastæ judicium* vocat. Quibus autem de rebus centumviri judicarint, ex his Ciceronis in primo de oratore verbis colligitur: *Volitare in foro, hærere in jure, ac prætorum tribunalibus, judicia privata magnarum rerum obire, in quibus sæpe non de facto, sed de æquitate & jure certetur, jactare se in caussis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillicidiorum, testamentorum ruptorum aut ratorum, ceterarumque rerum innumerabilia jura versentur, cum omnino quid suum, quid alienum, quare denique civis, an peregrinus, servus, an liber sit, ignorent, insignis est impudentiæ.* Testamentum vero cum dixit, hereditates videtur intellexisse. quas in oratione pro Cæcina expressit, inquiens: *L. Crassus judicio centumvirali hanc sententiam defendit, M. Curium, qui heres institutus esset ita, mortuo posthumo filio, cum filius non modo non mortuus, sed ne natus quidem esset, heredem esse oportere.* Leves autem habitas esse has caussas ætate Ciceronis ostendit Tacitus in dialogo de oratore, cum ait: *Lege Pompeja omnia apud prætores gerebantur, apud quos quod majora olim negotia exerceri solita sunt, quod majus argumentum est, quam quod caussæ centumvirales, quæ nunc primum obtinent locum, adeo splendore aliorum judiciorum obruebantur, ut neque Ciceronis, neque Cæsaris, neque Bruti, neque Cælii, neque Calvi, non denique ullius magni oratoris liber apud centumviros dictus legatur, exceptis orationibus Asinii Pollionis.*

Decemviros porro iis judiciis, quæ ad centumviros forte deferebantur, præfuisse, Dio scriptum reliquit libro LIV. De libertate autem ab iis potissimum judicatum animadverto apud Ciceronem in defensione Cæcinæ. *Cum Arretinæ*, inquit, *mulieris libertatem defenderem, & Cotta decemviris religionem injecisset, decemviri prima actione non judicaverunt.* & pro domo: *Si decemviri sacramentum in libertatem injustum judicassent, tamen quotiescunque vellet quis, hoc in genere se rem judicatam referre posse voluerunt.*

Atque hæc quidem ita, ubi de jure erat controversia. Cum vero de facto lis inciderat, tum a prætore aut judex unus dabatur, aut recuperatores minimum tres. Qui porro judex unus erat datus, is unum, aut plures judicii socios sibi solebat adjungere, ut in caussa P. Quinctii videmus Quinctium sponsionem fecisse, si bona sua ex edicto prætoris essent possessa. datum judicem a prætore C. Aquillium tres jurisperitos L. Lucullum, P. Quinctilium, M. Marcellum in consilium advocasse. ipsum sedisse juratum, alios injuratos. non enim

A judicabant, sed consilium communicabant, quia non a magistratu potestatem acceperant. videmus etiam pro Q. Roscio egisse Ciceronem apud C. Pisonem judicem a prætore datum, Pisoni vero M. Perpernam in consilio assuisse.

Recuperatores autem, ut ait Festus, primum dicti sunt, qui inter populum Roman. & civitates peregrinas de rebus privatis reddendis recipiendisque cognoscebant. ea enim recuperatio dicebatur. Antiquissimum porro recuperatorum monumentum extat apud Livium bello Punico secundo lib. XXVI. ubi ait, recuperatores a Scipione imperatore datos, B uter, cum murum prior ascendisset, murali corona donandus esset. verba ejus hæc sunt: *Ea contentio cum prope seditionem veniret. Scipio tres recuperatores cum se daturum pronunciasset, qui cognita caussa, testibusque auditis judicarent, uter prior in oppidum transcendisset, C. Lælio, & M. Sempronio advocatis partis utriusque P. Cornelium Caudinum de medio adjecit, eosque tres recuperatores considere, & caussam cognoscere jussit.* mentio est etiam bello Persico libro XLIII. quo loco scripsit ita: *Hispaniæ legati de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nixi genibus ab senatu petierunt, ne se socios fœdius spoliari, vexarique,* C *quam hostes patiantur. cum & alia indigna quererentur, manifestum autem esset pecunias captas, L. Canulejo prætori, qui Hipaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias peterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem facerent.* Quid plura? meminit etiam Gellius libro XX. cap. I. in hunc modum: *Prætores legem* XII. *tabularum, Si injuria alteri faxit,* XXV. *æris pœnæ sunto, abolescere, & relinqui censuerunt, injuriisque æstimandis recuperatores se daturos edixerunt.* Animadverto etiam Ciceronem pro A. Cæcina ad recuperatores egisse a D P. Dolabella prætore urbano datos de vi publica. quæ quoniam a jure civili pendebat, ad recuperatores rejecta est: cum alias prætor cum consilio de vi, ut de crimine publico, cognoscere soleret. Eosdem vero etiam recuperatores in provinciis a prætoribus, vel e conventu, vel e cohorte prætoris datos, Ciceronis ipsius testimonio patet, & in actionibus in Verrem, & in Flacci defensione. in Verrem tertia: *Iste recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur: ingerebat Artemidorum medicum Cornelium, pictorem Tleptolemum, & ejusmodi recuperatores, quorum civis Rom. nemo erat.* & post: *Quærebant, in quæ verba recuperatores da-* E *ret. respondebat, Si pateret, adversus edictum fecisse, quæ in judicio dicturum esse dicebat.* & alio loco: *Quid prætor? jubet recuperatorum rejicere. Decurias scribamus. quas decurias? de cohorte mea rejicies, inquit. quid? ista cohors quorum hominum est? Volusii aruspicis, & Cornelii medici, & horum canum, quos tribunal meum vides lambere. nam de conventu nullum unquam judicem, nec recuperatorem dedit.* item: *Quod esset judicium, cum e Verris turpissimo flagitiosissimoque comitatu tres recuperatorum nomine assedissent, assecla istius, non a patre ei traditi, sed a meretricula commendati?* item: F *Si ex omni copia conventus Syracusani splendidissimorum hominum, honestissimorumque faceres potestatem aratori non modo rejiciendi, sed etiam sumendi recuperatores, tamen genus injuriæ ferre nemo posset.* pro Flacco autem: *Inimicus M. Cælius, quod cum in re manifesta putasset, nefas esse, publicanum judicare contra publicanum, sublatus erat e numero recuperatorum.* item: *Hunc æstuantem, & tergiversantem judicio ille persequitur. a recuperatoribus caussa cognoscitur.*

Atque de privatis quidem judiciis hæc hactenus. Publicorum vero longe diversa ratio fuit. Antiquissi-

ma judicia his de criminibus constituta esse invenio, majestate, paricidio, peculatu. nondum enim leges de ambitu, de repetundis, de vi, & ceteris ejus generis erant latæ, quibus postea forum sæpe Romanum incaluit, cum pœnarum tria genera essent proposita, mors, exilium, multa.

Majestatis crimen esse constat, cum ea tolluntur, in quibus vel regis, vel magistratus, vel populi amplitudo versatur. Quoniam autem multis modis eorum lædi majestas potest, id, quo gravissime violari poterat, proprio nomine perduellionis vocarunt. cum autem perduellis sit hostis, perduellio crimen erit hostilitatis, id est, cum quis se adversus rempublicam hostili animo gerit. De majestate autem tulisse Romulum puto tum, cum de proditione legem tulit, cujus meminit Dionysius.

Tulit autem idem etiam, teste Plutarcho, de paricidio, cum paricidium non parentis, sed cujusque hominis cædem appellaret. quam vocem usurpasse quoque Numam video, cum in lege de cæde hæc verba posuit, *Siquis hominem liberum dolo sciens morti duit, paricida esto*. paricidam nimirum vocans, auctore Festo, non qui parentem occidisse diceretur, sed qualemcunque hominem. unde *parici* etiam *quæstores* dicti, qui creari solerent caussa rerum capitalium quærendarum. Itaque primum judicium, quod Romæ de capite fuit, paricidii fuit, tum cum M. Horatius, sorore interfecta, in judicium est adductus. quem lege Numæ de paricidio interrogatum ajunt Festus & Dionysius. unde in Miloniana dixit Cicero: *Romana civitas primum judicium de capite vidit M. Horatii, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem interfectam esse fateretur*. Neque enim Livium laudo, qui judicium illud perduellionis vocavit. nisi forte perduellionem appellemus, non quod ille sororem, id enim paricidium erat, sed quod hominem in conspectu vel regis, vel populi Rom. interfecerat. in quo majestatem civitatis diminuerat. de perduellione autem anquisitum esse crediderim in Junios, Vitellios, & Aquillios, qui de prodenda regibus patria nefaria & scelerata consilia habuerunt. quos Brutus primus consul supremo supplicio affecit. Nam non multis post annis Sp. Cassium Viscellinum, qui ter consul fuerat, cum in suspicionem tyrannidis affectatæ venisset, die dicta perduellionis ad populum, ejusdem judicio condemnatum esse prodidit Livius.

De peculatu vero, id est furto publico latum a regibus opinor, aut certe a primis consulibus. nam Coriolanum de peculatu postulatum, qui primis floruit liberæ civitatis annis, proditum est. quanquam Plutarchus accusatum eum a tribunis verbo quidem, quod prædam in Antiati agro partam in publicum non redegisset, re autem, quod plebis commodis, cum de frumento dividendo ageretur, obsistens, majestatem populi neglexisset. Itaque multa ab eo petita non est, ut in peculatu, sed ut in graviori crimine perpetuum exilium irrogatum est. damnati autem post de peculatu sunt T. Romilius, & C. Veturius, viri consulares, quia prædam propter inopiam ærarii vendidissent, nec militi divisissent.

Atque hæc quidem ita. Horum vero judiciorum exercendorum usque ad annum sexcentesimum quartum ab Urbe condita, quo perpetuæ quæstiones institutæ sunt, hanc fuisse formam invenio. ut aut rex, aut duumviri, aut populus, aut quæsitores de criminibus, prout res incideret, quærerent, & cognoscerent. Reges rebus capitalibus cum consilio judicum præfuisse, indicat Livius, qui ita de Superbo rege loquitur: *Metum ut incuteret, cognitiones capitalium rerum sine consiliis per se solus exercebat. propterque eam caussam occidere, in exilium agere, bonis multare poterat*. Ex quibus verbis apparet, si hoc Superbus novo exemplo fecit, ut solus his judiciis operam daret, contra ab aliis ante regibus observatum esse.

Duumviri in judicio perduellionis tantum factitati. creavit autem eos primum Tullus rex, his, ut ait Livius, verbis, in caussa Horatii: *Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent, facio. lex horrendi carminis erat: Duumviri perduellionem judicent. si a duumviris provocarit, provocatione certato. si vincet, caput obnubito. infelici arbori reste suspendito. verberato vel intra pomœrium vel extra pomœrium*. Eorum vero post meminit etiam in judicio M. Manlii de affectata tyrranide, cum ait: *Sunt qui duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos auctores sint*. Hos certe cum raro creatos, tum postremo vetustate evanuisse comperio, nisi quod in consulatu Ciceronis C. & L. Cæsares creati sunt, idque non a populo, sed, ut tum mos erat, a prætore, (sic enim narrat Dio) ut C. Rabirio, qui Saturninum tribunum pl. sua manu necarat, perduellionem judicarent, a quibus damnatus, cum ad populum provocasset, nobili, quæ extat, oratione a Cicerone consule defensus est ac absolutus.

Populum sub regibus, nisi de perduellione judicasse, cum quis ad eum a duumviris provocasset, non invenio. anno autem post reges exactos idem publicorum judiciorum dominus est constitutus. siquidem latum est, ut populus consulum decretum irritum posset facere, si quis a consulibus damnatus ad populum provocasset. Itaque Brutus eam potestatem in conjuratos anquirendi, & animadvertendi habuit, quia nondum lex hæc de provocatione erat lata, quam post eodem anno collega ejus P. Valerius Poplicola tulit. quanquam scribit Plutarchus, Brutum filios solos damnasse, de reliquorum supplicio suffragium populo permisisse. quasi vero in filios ille jus potius patrium, quam consulare exercuerit. Anno autem post reges exactos XVI. populi judicium confirmatum est. siquidem senatusconsultum in sententiam M. Valerii est factum, ut quemadmodum populo jus datum erat magistratuum creandorum, & jubendarum atque antiquandarum legum, etiam judiciorum potestas permitteretur, & maxime, si quis civitatem læsisse, aut seditione conflanda, aut tyrannide paranda, aut civitate hostibus prodenda, aut aliquo ejusmodi facinore patrando, putaretur. Judicium autem populi primum de Coriolano fuit, qui a plebe tributim tum primum suffragia ineunte in exilium pulsus est. ex quo, teste Dionysio, institutum est, ut qui peccasse viderentur, ad populi judicium adducerentur. unde magnæ opes populi emanarunt. Cum autem sæpe ad populum rei fierent, observatum est, ut centuriatis comitiis de perduellione tantum judicaretur, de ceteris autem omnibus, tributis. Quare cum Sp. Cassium ad populum de perduellione postulatum a quæstoribus K. Fabio, & L. Valerio, damnatumque populi judicio, scribat Livius, perduellionem autem tyrannidis crimen interpretetur Dionysius, facile mihi persuadeo, a populo centuriatim, non tributim convocato damnatum. neque enim tributis comitiis de supremo, quo Cassius affectus est, supplicio agebatur. M. Manlium certe tyrannidis affectatæ reum centuriatis comitiis a populo damnatum tradit Livius, cum ait: *In campo Martio cum centuriatim populus citaretur*. itaque subdit, fuisse, qui prodiderint, duumviros, qui de perduellione anquirerent, creatos. & hic autem, ut ante etiam Cassius, de saxo Tarpejo dejectus est. Quin etiam Rabirianum judicium de perduellione centuriatis comitiis agitatum narrat Dio. Adde quod Gracchum & Neronem de perduellione postulatos, centuriatis comitiis judicatos refert Livius libro XLIII. *Tribunus plebis*, inquit, *Tiberii Gracchi primum bona consecravit, quod in*

multa pignoribusque ejus, qui tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem coegisset: C. Claudio diem dixit, quod concionem a se avocasset, & utrique censori perduellionem se judicare pronunciavit, diemque comitiis a C. Sulpicio prætore urbano petiit. hæc perduellionis crimen docent. centuriata vero comitia illa, quæ sequuntur: *Prior Claudius caussam dixit. & cum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multæque aliæ primæ classis*. Quod autem ait, tribunum pl. diem comitiis a prætore urbano petiisse, hoc caussæ est, quod tribunus pl. centuriata comitia habere non potuit. Hoc tamen crimen majestatis quidem, non tamen perduellionis esse crediderim, itaque sine centuriatis agi comitiis potuisse. Cicero etiam in orat. pro domo, Cæsonem Quinctium & M. Camillum centuriatis comitiis damnatos in exilium ait profugisse. quod vix probare possum. primum, quod neque in eos de perduellione est anquisitum, deinde quod ne suprema quidem pœna affecti sunt, postremo quod rem tributis potius comitiis confectam, quam centuriatis innuere videtur Livius. Verba Ciceronis sunt hæc: *Cæso ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & C. Servilius Abala, damnati comitiis centuriatis, cum in exilium profugissent, rursum ab eodem populo placato sunt in suam pristinam dignitatem restituti*. Livii vero hæc: *Cæson Quinctio, qui adversus tribuniciam rogationem contenderat, & tribunos plebis exagitaverat, & multos interfecisse insimulabatur. A. Virginius tribunus plebis diem capitis dixit. Virginius arripi jubet hominem, & in vincula duci: patricii vi contra vim resistunt. T. Quinctius clamitat, cui reo capitalis dies dicta sit, eum indemnatum indicta caussa non debere violari. tribunus negat, supplicium sumpturum se de indemnato. servaturum tamen in vinculis esse ad diem judicii, ut, qui hominem necaverit, de eo supplicii sumendi copia populo Rom. fiat. appellati tribuni medio decreto jus auxilii sui expediunt, in vincula conjici vetant. sisti reum, pecuniamque, nisi sistatur, populo promitti placere pronunciant: summam pecuniæ, quantam æquum esset promitti, veniebat in dubium. id ad senatum rejicitur. reus, dum consulerentur patres, retentus in publico est. vades dare placuit. unum vadem tribus millibus æris obligarunt. quot darentur, permissum tribunis est. decem finierunt, tot vadibus accusator vadatus est reum. Hic primus vades publicos dedit. dimissus e foro nocte proxima jussu consulum in Tuscos in exilium abiit. Judicii die cum excusaretur exilii caussa solum vertisse, nihilominus, Virginio comitia habente, collegæ appellati dimisere concilium pecunia a patre exacta crudeliter*. Hæc de Cæsone. de Camillo vero ita: *M. Camillus die dicta ab L. Apulejo tribuno pl. propter prædam Vejentanam cum accitis domum tribulibus & clientibus, quæ magna pars plebis erat, percontatus animos, cum responsum tulisset, se collaturos, quanti damnatus esset, absolvere eum non posse, in exilium abiit. absens quindecim millibus gravis æris damnatur*. Ex quibus apparet, Camillum in exilium sponte abiisse, non damnatum. multa enim ei irrogata est, non exilium: petebatur autem multa ab iis, qui peculatus rei fiebant, ut Sp. Tarpeio, A. Aterio consulibus dies dicta est T. Romilio ab C. Claudio Cicerone tribuno pl. C. Veturio ab L. Halieno ædili plebis, quod anno priore consules prædam ob ærarii inopiam vendiderant. uterque damnatus est, Romilius X. millibus æris, Veturius XV. millibus. anno etiam Punici belli secundi primo M. Livius Salinator ex invidia peculatus ab omnibus tribubus, ut est scriptum in libro de viris illustribus, est damnatus. multam autem ei fuisse irrogatam ex verbis hisce Livii colligo: *M. Livius erat multis annis ante ex consulatu populi judicio damnatus. quam ignominiam adeo ægre tulerat, ut & rus migraret, & per multos annos & urbe & omni cœtu careret hominum*. quod idem judicandum est de judicio M. Postumii Pyrgensis publicani, de quo ita Livius: *M. Postumio publicano, quod naufragia ementitus erat cum detrimento populi Romani, Sp. & L. Carvilii tribuni pl. ducentum millium æris multam dixerunt. cujus certandæ cum dies venisset, conciliumque tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet, concilium per publicanos vi disturbatum est. Itaque Carvilii omissa multæ certatione rei capitalis diem Postumio dixerunt, ac, ni vades daret, prehendi a viatore atque in carcerem duci jusserunt. Postumius vadibus datis non affuit. tribuni vocaverunt plebem, plebesque scivit, si M. Postumius ante K. Majas non prodisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset, videri eum in exilio esse, bona ejus venire, ipsi aqua & igni interdici*. P. autem Scipioni Africano cum a Petiliis tribunis pl. de peculatu dies dicta ad populum esset, isque excusaretur morbi caussa solum vertisse, remissa accusatio est, ut extat apud Livium, libro XXXVIII. Petebatur etiam ab iis multa, qui male pugnando majestatem populi Rom. diminuerant. ut M. Postumio, & T. Quinctio tribunis militum consulari potestate, quod opera eorum male pugnatum ad Vejos esset, dies dicta ab tribunis pl. est. Postumius X. millibus gravis æris damnatus, alterum omnes tribus absolverunt. id actum est anno CCCXXXII. C. Sempronio, Q. Fabio coss. Quin etiam sequenti anno, cum L. Hortensius tribunus pl. diem dixisset C. Sempronio prioris anni consuli, quod male in Volscos pugnasset, accusationem remisit. Bello etiam Punico II. *Claudia novo more*, ut ait Suetonius in Tiberio, *majestatis judicium subiit ad populum, quod in conferta multitudine ægre procedente carpento palam optaverit, ut frater suus Pulcher revivisceret, atque iterum classem amitteret, quo minor turba Romæ foret*. Gellius libro decimo ob id multam ei gravis æris XXV. millia dixisse C. Fundanium & Ti. Sempronium ædiles plebis scribit. Irrogatam etiam multam esse iis, qui socios spoliassent, docet Livius, cum scribit, *A. Atilio, A. Hostilio coss. C. Lucretium, qui prætor provinciam spoliarat, ubi dies, quæ dicta erat, venit, tribuni pl. ad populum accusarunt, multamque decies centum millium æris dixerunt. comitiis habitis omnes quinque & triginta tribus eum condemnaverunt*. Quibus ex locis intelligi illud præterea potest, nemini ad populum accusare nisi magistratui licuisse.

Atque judicia quidem populi usque ad annum sexcentesimum quartum urbis hoc pacto celebrata sunt. Quæsitorum vero creandorum ratio fuit talis. Cum usus postulabat, ex s. c. vel dictator, vel consulum alter, ambove, vel prætorum aliquis de crimine publico quærere jubebatur. qui jussus erat, is quæsitor dicebatur. quos quæsitores ante XII. tabularum leges latas creari cœptos significat Pomponius, cum inquit: *Quoniam de capite civis Rom. injussu populi Romani non erat permissum lege consulibus jus dicere, propterea quæstores constituebantur a populo, qui capitalibus rebus præessent, & appellabantur quæstores paricidii, quorum meminit lex XII. tabularum*. Laudo. siquidem Festus etiam scripsit, paricidii quæstores appellatos, qui solebant creari caussa rerum capitalium quærendarum. Nescio autem, an hæc judicia Cicero in Bruto intellexerit, cum scripsit, L. Brutum primum consulem civitatem perpetuo dominatu liberatam magistratibus annuis, legibus, judiciis obstrinxisse. Quæ interea judicia per quæsitores facta sint, deinceps videtur exponendum, ut ex multorum judiciorum observatione facilius in hujus antiquitatis cognitionem & notitiam veniamus. primum A. Cornelio Cosso, Furio Medullino coss. senatus consultum factum prodit lib. IV. Livius, ut de quæstione Postumianæ cædis tribuni primo quoque tempore ad ple-

bem ferrent ; plebesque præficerent quæstioni , quem vellet . a plebe consensu populi consulibus negocium mandatum . Quin etiam de judicio C. Licinii Stolonis nonnihil libet suspicari , quem a M. Popilio Lænate sua lege X. millibus æris damnatum anno CCCXVIII. idem scribit , quod mille jugerum agri cum filio suo possideret , emancipandoque filium fraudem legi fecisset . Quin etiam in hunc numerum illud referendum arbitror , de quo Livius anno CCCXLIII. *De veneficiis primum quæsitum . CLXX. matronæ , quæ venena coquerent , damnatæ .* & illud anno CDXXXIX. C. Sulpicio , M. Pœtilio cos , de quo idem ita : *Cum omnia infida Romanis essent , Capuæ quoque occultæ principum conjurationes factæ . de quibus cum ad senatum relatum esset , quæstiones decretæ , dictatoremque quæstionibus exercendis dici placuit . C. Mænius dictus . Campanos , prius quam nominaretur , mors haud dubie ab ipsis conscita judicio subtraxit . deinde ut quæstioni Campanæ materia decessit , versa Romam interpretando res , non nominatim qui Romæ, sed in universum qui usquam coissent , conjurassentve adversus populum Ro. queri senatum jussisse . & coitiones bonorum adipiscendorum caussa factas adversus remp. esse . inde dictator abdicat . ea inde quæstio consulibus ab senatu mandata . nobiles aliquot absolvuntur .* Accedit huc etiam judicium L. Scipionis Asiatici , quod ab eodem his verbis expressum est : *Petillii tribuni pl. rogationem ad plebem ita tulerunt Velitis , jubeatis , quæratur , quæ pecunia , capta , ablata , coacta ab rege Antiocho est ; quod æs publicum relatum non est , uti de ea re Ser. Sulpicius prætor urbanus ad senatum referat , quem eam rem velit senatus quærere de iis , qui prætores nunc sunt . omnes tribus , Uti rogassent , jusserunt . Ser. Sulpicio deinde referente , quem rogationem Petillii quærere vellent , Q. Terentium Culleonem patres jusserunt . Ad hunc reus L. Scipio factus , & recepta nomina legatorum ejus A. & L. Hostiliorum , & C. Furii quæstoris . & ut omnia contacta societate peculatus viderentur , scribæ quoque duo , & accensus L. Hostilius . Et scribæ , & accensus prius , quam de Scipione judicium fieret , absoluti sunt . Scipio , & A. Hostilius legatus , & C. Furius damnati . Judiciis a Q. Terentio prætore perfectis Hostilius & Furius damnati eodem die prædes quæstoribus dederunt . In bona L. Scipionis possessum publice quæstores prætor misit . neque in iis vestigium ullum comparuit pecuniæ regiæ , vertitque Scipionum invidia in prætorem & consilium ejus & accusatores .* Hoc actum anno quingentesimo sexagesimo sexto ab Urbe condita , M. Lepido , C. Flaminio coss. Postero autem etiam anno quæstionem de bacchanalibus, sacrisque nocturnis , in quibus agi majestas reip. videbatur , senatus extra ordinem , ut scribit Livius , mandavit consulibus Marcio Philippo & Postumio Albino . Inde pergit : *Adducti aliquot ad consulem , fassique de se , nullam moram judicio fecerunt . Cæterum tanta fuga ex urbe facta erat , ut quia multis actiones & res peribant , cogerentur prætores T. Mænius , & M. Licinius , quorum ille inter cives , hic inter cives & peregrinos jus dicebat , per senatum res in tricesimum diem differre , donec quæstiones a consulibus perficerentur . Eadem solitudo , quia Romæ non respondebant , nec inveniebantur , quorum nomina delata erant , coegit consules circa fora proficisci , ibique quærere , & judicia exercere .*

Sp. Postumius quæstionibus cum summa fide curaque perfectis , comitia habuit . Eiusdem vero generis illa quoque , ut opinor , fuerunt , quæ anno sexcentesimo primo facta sunt . de quibus scriptum est ita in epitoma XLIX. *De veneficiis quæsitum . Publicia , & Licinia nobiles feminæ , quæ viros suos necasse simulabantur , cognita causa , cum prætori prædes vadesque dedissent , cognatorum decreto necatæ sunt .*

Atque hoc quidem pacto publicæ quæstiones usque ad annum sexcentesimum quartum tractatæ sunt . Anno autem ipso sexcentesimo quarto , Censorino & Manilio coss. perpetuæ quæstiones sunt institutæ . ex verbis his Ciceronis , quæ sunt in Bruto , colligitur : *Carbone forum tenente plura fieri judicia cœperunt . nam & quæstiones perpetuæ hoc adolescente constitutæ sunt , quæ ante nullæ fuerant . L. enim Piso tribunus pl. legem primus de pecuniis repetundis Censorino , & Manilio coss. tulit .* hæc ille . Quæstiones autem perpetuæ hanc vim habuerunt , ut cum eo tempore seni quotannis prætores crearentur , duo , qui jus de privatorum controversiis dicerent , quatuor qui in provincias juris dicundi caussa cum imperio mitterentur , post hac ratio converteretur , atque quatuor illi , qui sortiri provincias solerent , Romæ suas quisque quæstiones sortirentur , ut majestatis , peculatus , inter sicarios , ambitus , repetundarum . adeo ut si quo de horum criminum esset quærendum , non novo quæsitore , qui extra ordinem quæreret , opus esset , sed prætor ille , qui ei quæstioni præesset , adiretur , isque , ut ante , cum consilio de eo crimine cognosceret . Quanquam autem judicia fere omnia hoc modo postea sunt facta , non est tamen omnino antiqua consuetudo intermissa . quin & multi extra ordinem ad populum rei facti , & multi ad quæsitores extra ordinem a senatu decretos , sive a populo jussos sunt adducti . Ne autem , quod dico , temere videar affirmasse , primum afferam utriusque generis judicia aliquot & populi & quæsitorum , qui extra ordinem cognoscere sunt jussi . deinde perpetuarum quæstionum , quæ a prætoribus ex ordine exercebantur , formam aperiam . quo loco de consilio etiam eorum , id est , de judicibus , quorum caussa hæc instituta oratio est , verba faciam . Quid igitur? non ne P. Scipio Æmilianus post secundum consulatum & censuram , id est , ut ego reor , anno sexcentesimo undecimo post Romam conditam , L. Cottam consularem ad populum accusavit ? anno vero DCXXII. non ne P. Popillius legem tulit , ut quæreretur in eos , qui cum Ti. Graccho fuerant ? idemque nono post anno lege C. Gracchi a populo urbe est pulsus ? neque ita multo post L. Opimius rogatione Bestiæ tribuni pl. in urbem est restitutus? Nam quid C. Norbanum trib. pl. memorem , qui aliquot post annis incitato in Q. Cæpionem , quod male pugnasset , populo , ei imperium abrogavit ? aut C. Domitium , qui in tribunatu M. Scauro diem dixit ad populum , & ei multam irrogavit , quod ejus opera sacra multa populi Romani esse diminuta diceret ? aut Saturninum tribunum pl. qui de Q. Metello Numidico , quod in legem suam jurare noluisset , tulit , ut ei aqua & igni interdiceretur ? aut C. Cornelium tribunum pl. qui P. Furium , eum , qui restitutioni Numidici obstiterat , in judicium vocavit ? aut M. Virgilium , qui in tribunatu L. Syllæ imperatori diem dixit ? aut P. Clodium tribunum plebis , qui lege ad populum lata Ciceroni , quod cives indicta caussa damnasset , aqua & igni interdixit ? Aut quid exemplorum copiam quæram , quibus popularium judiciorum consuetudinem nunquam intermissam esse confirmem , cum lex ipsa Cassia tabellaria , quæ populo in judiciis tabellam dedit , satis magno hujus rei esse argumento possit ? Judicia vero , quæ a quæsitoribus extra ordinem facta sunt , hæc fere fuerunt . narrat Cicero in libris de finibus , anno sexcentesimo undecimo , P. Scævolam tribunum plebis tulisse ad plebem , vellent ne quæri de L. Tubulo , qui prætor ob rem judicandam pecunias ceperat ; eoque plebiscito quæstionem consuli Cn. Cæpioni esse decretam . Anno vero sexcentesimo nono , (quod extat apud Asconium , & Ciceronem in Bruto , & in epitomis Livianis ,) Sex. Peduceus criminatus est , L. Metellum pon-

A tificem maximum, totumque collegium pontificum male judicasse de incestu virginum Vestalium, quod unam modo Æmiliam damnaverat, absolverat duas Marciam & Liciniam. populus L. Cassium creavit, qui de eisdem virginibus quæreret, isque & duas & plerasque alias nimia usus asperitate damnavit. Quinquennio vero interjecto refert Sallustius, C. Mamilium Limitanum, tribunum pl. rogationem ad populum promulgasse, uti quæreretur in eos, quorum consilio Jugurtha senatus secreta neglexerat, quique ab eo in legationibus, aut imperiis pecunias accepissent, qui elephantos, quique perfugas tradidissent, itemque qui de pace aut bello cum hostibus pactiones B fecissent; eamque a plebe acceptam. Quid quod anno sexcentesimo sexagesimo tertio, (ut est apud Valerium,) Q. Varius tribunus pl. legem adversus collegarum intercessionem perrogavit, qua jubebat quæri, quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent? Quo tempore, ut narrat Asconius, Q. Cæpio vetus inimicus Scauri, sperans, se invenisse occasionem opprimendi ejus, egit, ut Q. Varius tribunus pl. belli concitati crimine adesse apud se Scaurum juberet, anno septuagesimo secundo. ille in forum venit, & accepto respondendi loco dixit: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus* C *socios in arma ait concitasse. M. Scaurus negat. testis est nemo. utri vos, Quirites, convenit credere? qua voce est ab ipso etiam tribuno dimissus.* Quid opus est pluribus? pervulgatum est judicium Clodianum. at de eo scribit ita Cicero in epistolis ad Atticum: *Credo te audisse, cum apud Cæsarem pro populo fieret, venisse eo muliebri vestitu virum; idque sacrificium cum virgines instaurassent, mentionem a Q. Cornificio in senatu factam. postea rem ex S. C. ad virgines & pontifices relatam, idque ab iis nefas esse decretum. deinde ex S. C. consules rogationem promulgasse. in hac caussa Piso consul ami-* D *citia P. Clodii ductus operam dat, ut ea rogatio quam ipse fert, & fert ex S.C. & de religione, antiquetur.* Quod idem judicandum est de caussa Milonis, de qua Pædianus scribit, Cn. Pompeium cos. tulisse, ut quæreretur de cæde facta in via Appia, & quæsitor suffragio populi crearetur ex consularibus; creatum L. Domitium Ahenobarbum, eumque quæsivisse.

Atque hæc quidem extraordinariarum quæstionum exempla sint. Primæ autem perpetuæ quæstiones hæ videntur fuisse, majestatis, peculatus, ambitus, repetundarum. addo etiam inter sicarios. E nam Cicero in libris de finibus L. Tubulum prætorem quæstionem inter sicarios exercuisse ait. quod haud ita multo post quæstiones perpetuas institutas factum est. Hæ vero postea a Sylla dictatore auctæ numerum etiam prætorum, & quæsitorum uberiorem desiderarunt. tulit autem ille, Pomponio teste, de falso, de parricidio, de sicariis, de injuriis, & quatuor prætores, qui de his quærerent, adjecit. unde Cicero in Cluentiana, quam multis post Syllam mortuum annis dixit, prætores, qui cognitiones rerum capitalium exercerent, nominat Q. F Nasonem de veneficio, M. Plætorium & C. Flaminium inter sicarios, C. Orchinium peculatus, se ipsum de repetundis, C. Aquillium ambitus. alias vero alios etiam prætores quæstiones exercuisse significat, ut de majestate, & de vi publica.

Fuit autem harum quæstionum hæc forma, ut aut a prætore, qui quæstionem sortitus esset, cum selectis judicibus, aut a quæsitore editicio cum editiciis judicibus exercerentur. quorum illud in ceteris criminibus, hoc in ambitu & sodalitiis observatum est. Dicamus autem primum de priore. erat igitur ita in more positum, ut & prætor adesset, qui quæreret, & princeps judicum, qui judex quæstionis appellabatur, & judices ipsi sorte ex decuriis selectorum educti, quorum cœtus consilium vocabatur.

Prætor ipse dicebatur quærere, & quæstionem ac judicium exercere, & quæstioni præesse, & quæsitor esse. testis est Cicero pro Rabirio Postumo, cum ait: *Accusavi de pecuniis repetundis, judex sedi, prætor quæsivi.* & Asconius: *Judicium C. Cornelii de majestate exercuit Q. Gallius prætor.* iterum Cicero in prima in Verrem actione: *Duo igitur consules, & quæsitor erunt ex illius voluntate.* Item: *Subsortiemur in M. Metelli locum, quoniam is huic quæstioni præfuturus est.* & iterum Asconius: *Scaurus postulatus est apud M. Catonem prætorem repetundarum.* & post: *M. Cato id judicium exercebat.* & rursus Cicero de finibus: *L. Tubulus prætor quæstionem inter sicarios exercuit.* Quæsitoris autem quæ essent partes, docuit Asconius diligenter, qui exponens hos Virgilianos versus:

Quæsitor Minos urnam movet ille silentum:
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.

ait Virgilium Minoem judicem apud inferos, tanquam si prætor sit rerum capitalium, *quæsitorem* appellasse; dedisse sortitionem, cum *urnam* nominat; electionem judicum, cum ait, *conciliumque vocat*; cognitionem facinorum, cum dicit, *vitasque & crimina discit.* Quod idem ex verbis etiam Ciceronis in Vatinium colligi potest his: *Quæro ex te, edixerit ne C. Memmius prætor, ut ex lege Licinia & Junia adesses die tricesimo? quæro ex te, num quis in hac civitate post urbem conditam tribunos appellarit, ne caussam diceret? num quis reus in tribunal sui quæsitoris ascenderit, eumque vi deturbarit, subsellia dissiparit, urnas deleverit? scias ne tum fugisse Memmium? accusatores esse nos de tuis, tuorumque manibus ereptos, judices quæstionum de proximis tribunalibus esse depulsos.* & in Bruto: *Intelligens dicendi existimator videt oscitantem judicem, loquentem cum altero, nonnunquam etiam circulantem, mittentem ad horas, quæsitorem ut dimittat rogantem.* & in quinta Philippica: *Quæro, si Lysiades citatus judex non responderit, accipiet ne excusationem is, qui quæstioni præerit?* & in Cluentiana: *Quid est, Q. Naso, quod tu isto loco sedeas? quæ vis est, qua abs te hi judices tali dignitate præditi coerceantur?* & in Rhetoricis ad Herennium: *Accusatoris officium est, inferre crimina; defensoris, diluere & propulsare; testis est, dicere, quæ scierit aut audierit; quæsitoris est, unumquemque eorum in officio suo continere.* Quibus ex locis intelligitur, quæsitoris fuisse, sortiri judices, cogere, dimittere, & crimen cognoscere.

Judex autem quæstionis, quoniam a Cicerone & ab Asconio princeps judicum appellatur, is fuisse judicatur, qui primus judicum sententiam ferret. Hominem certe fuisse privatum, ostendit Cicero in Bruto, cum ait: *C. Visellius cum post ædilitatem curulem judex quæstionis est mortuus.* Alium vero a prætore fuisse, docet Quinctilianus, cum scribit, prætorem impeditum fuisse in iis, quæ imperii erant; judicem quæstionis in iis, quæ ad caussæ cognitionem pertinebant. apparet etiam ex actione in Verrem, in qua M. Glabrio quæsitor fuit, Q. Curtius judex quæstionis. de Glabrione notum. de Curtio, hæc verba sunt indicio: *Ejusdem modi subsortitionem homo amentissimus suorum quenque judicium fore putavit per sodalem suum Q. Curtium judicem quæstionis.* Judicem tamen quæstionis pro quæsitore ipso poni video in Cluentiana, cum inquit: *Quid est, Q. Naso, cur tu isto loco sedeas?* & quæ sequuntur. & post: *Jubet ea lex, qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis, hoc est, Q. Voconium cum iis judicibus, qui ei obvenerint, quærere de veneno.* Idcirco enim Q. Voconium eundem esse cum Q. Nasone prætore puto,

quod neque judices judici obveniunt, ſed prætor; nec judex quærit, ſed judicat. Itaque quoniam in judicem quæſtionis, & principem judicum ea verba convenire non poſſunt, judicem quæſtionis pro quæſitore dictum exiſtimo. Quin etiam contra quæſitorem pro judice quæſtionis poſitum eſſe a Pædiano invenio. ſatis enim patet, Junium judicem quæſtionis, id eſt, judicum principem fuiſſe, prætore Verre. oſtendit Cicero in Cluentiana: *Quinctius tribunus plebis convivium C. Junio judici quæſtionis maximum fecit*. item: *Princeps illorum judicum damnatus eſt C. Junius, quod diceretur alios ſuppoſuiſſe, qui reum damnarent, non eos, quos Verres prætor fuerat ſubſortitus*. & alibi: *Damnatus eſt C. Junius, qui ei quæſtioni præfuerat. adde etiam illud, ſi placet, tum eſt condemnatus, cum eſſet judex quæſtionis*. at in II. Verrinam inquit Aſconius: *Junius quæſitor fuit in Cluentii cauſſa, Verre prætore. Eſt enim aperte Junius judex, non quæſitor, vel quia Verres prætor adſit, vel quia ipſe prætor non ſit*.

Hoc loco occurrent fortaſſe nonnulli arbitrantes, judicum ſortitionem, quam ante quæſitoris fuiſſe admonui, non quæſitoris fuiſſe, ſed prætoris urbani, quod Cicero in cauſſa Oppianici, Verrem prætorem urbanum ſortitum eſſe dixerit. ut cum dixit: *Inventi ſunt ſenatores, qui C. Verre prætore urbano ſortiente exirent in eum reum, quem incognita cauſſa condemnarent*: Quibus ego reſpondeo, credere me, Verrem tum, non ut prætorem urbanum, ſed ut quæſitorem extra ordinem eſſe ſortitum. Nam quanquam Verres prætor urbanus fuit, tamen judicium etiam publicum contra conſuetudinem exercuit. quod ni ita eſſet, cur hoc ei Cicero in tertia Verrina objeciſſet? quod his verbis facit: *Atque etiam judicium in prætura publicum exercuit. non enim prætereundum eſt ne id quidem, petita multa eſt apud iſtum prætorem a Q. Opimio. qui adductus eſt in judicium verbo, quod cum eſſet tribunus pl. interceſſiſſet contra legem Corneliam*. Ut ergo huic Opimiano judicio præfuit, cum eſſet publicum, ſic etiam videtur Oppianici alterum exercuiſſe, in quo Junius judex quæſtionis fuit. Nam poſt hoc judicium ita ſubdit: *Nam de ſubſortitione illa Juniana judicum nihil dico*. ſupra autem probavimus, Junium judicem quæſtionis fuiſſe, Verre prætore. unde dixit idem: *Quod C. Verres prætor Urbanus ſubſortitionem ejus in eo codice non haberet*. & quoniam ſubjungit: *Ejuſmodi ſortitionem ſuorum quoque judicium fore putavit per ſodalem ſuum Q. Curtium judicem quæſtionis*, apparet, ſi Junius judex quæſtionis reſpondet Q. Curtio, etiam Verrem prætorem reſpondere M. Glabrioni. quod enim fuit Curtius in cauſſa Verris rei, idem fuit Junius in cauſſa Oppianici. ex quo efficitur, ut quod valuit Glabrio in cauſſa Verris, idem valuerit Verres in cauſſa Oppianici. ille autem quæſivit, ergo & hic quæſiverit, neceſſe eſt. quare ſi judices ſortitus eſt, non ut prætor urbanus, ſed ut quæſitor ſortitus eſt.

His de quæſitore & judice quæſtionis expoſitis, reſtat ut de conſilio judicum diſſeramus. Hi vero in decurias diſtributi feruntur fuiſſe, quas prætores urbani non ſorte, ſed judicio jurati confecerunt. quoniam autem ex ordinibus iis, apud quos judicia eſſent, ſeligebantur, ſelecti judices appellati ſunt. Hoc autem voluit Cicero, cum dixit in Cluentiana, prætores urbanos juratos optimum quenque in ſelectos judices referre. innuit etiam Aſconius in primam contra Verrem actionem, cum ita ſcriptum reliquit: *Cum multi judices in conſilio cum prætore ſuo judicaturi eſſent, qui quæſitor fuiſſet in cauſſa publica, neceſſe fuerat, eos primum de curia ſenatoria conſcribi, cum ſenatus judicaret; deinde in urnam ſortito mitti, ut de pluribus neceſſarius numerus confici poſſet; tertio permitti accuſatori ac*

A *reo, ut ex illo numero rejiciant, quos putaverint ſibi aut inimicos, aut ex aliqua re incommodos fore*. Significat enim ante vulgatam quæſitoris, de qua dixi, ſortitionem, decuriam eſſe conſcriptam. quam quidem quotannis a prætore urbano jurato ex ordinibus conſcribi ſolitam fuiſſe intelligere poſſumus.

Pag. 211. *A. poſt* dicendum. *adde*: & libro primo de oratore: *Et animos equitum Romanorum, apud quos tum, judices, cauſſa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipſi propter judicia abalienati, revocabam*.

Ibid. B. illa quæ ſcripta ſunt a verbis, Deinde lex B altera Servilia &c. *uſque ad verba* anno ſexcenteſimo ſexageſimo ſecundo. *ibid. C. hoc modo ſunt legenda*: Ego tamen hanc legem Serviliam aut non acceptam, aut non obſervatam, aut certe damnato Q. Cæpione latore abrogatam exiſtimo. ſiquidem inquit apud Ciceronem Craſſus: *Et animos equitum Rom. apud quos tum cauſſa agebatur, ad Q. Cæpionis odium, a quo erant ipſi propter judicia abalienati, revocabam*. ſignificat enim ſeditionem a C. Norbano tribuno pl. excitatam, cum imperium Q. Cæpioni ob rem adverſus Cimbros male geſtam abrogaret, quæ anno poſt Cæpionis conſulatum exarſit. Itaque ſi cauſſa Norbani apud equi- C tes ſolos acta eſt, profecto apparet, jam tum legem Cæpionis abrogatam fuiſſe. Hoc vero eo etiam magis ita eſſe perſpicuum eſt, quod ni judicia ad ſolos equites, lege Servilia abrogata, redacta fuiſſent, nihil cauſſæ fuiſſet, ut M. Livius Druſus anno DCLXII. de ea referret. quemadmodum omnium veterum, quorum verba in medium proferam, teſtimonio comprobatur.

Pag. 212. *F. poſt verba* inſectatur atque exagitat. *adde*: Poſtremo Auguſtus quartam addidit ducenariorum, & Imp. Caligula quintam.

Pag. 213. *B. poſt verba Suetonii adjice*: Cum ergo D (ut eo redeam, unde digreſſus ſum) hæc omnia conſtarent, cum prætor, ut dixi, urbanus, non ex cuncto populo, ſed ex his ordinibus juratus decurias ſelectorum in eum, ut puto, annum, quo ipſe præturam gereret, conſcribebat, ex quibus decuriis quæſitor numerum legitimum quæſtioni ſuæ quiſque ſortiebatur, quemadmodum ſupra probatum eſt.

Editiciorum vero judicum diſſimilis multo ratio fuit. Editicii enim ſunt, quos non quæſitor ſortitus eſt, ſed accuſator edidit, neque ex certis, ſed ex omni populo ſumpſit. Quos Cicero in Planciana ſelectis ſive delectis judicibus videtur oppoſuiſ- E ſe, cum ait: *An vero nuper chariſſimi viri cives nomen editi judicis non tulerunt, cum ex* CXXV. *judicibus, principibus equeſtris ordinis quinque & ſeptuaginta reus rejiceret, quinquaginta referret, omniaque potius permiſcuerunt, quam ei legi, conditionique parerent. nos neque ex delectis judicibus, ſed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, ſed ab accuſatore conſtitutos ita feremus, ut neminem rejiciamus?* & quorum ſimilitudinem quandam fuiſſe retentam in Sicilia videtur innuere, in oratione de juriſdictione, inquiens: *Ceterarum rerum ſelecti judices ex civium Rom. conventu propo-* F *ni ſolent, inter aratores, & decumanos lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, judicia fiunt*. Permittebatur autem, ut in crimine ambitus, & ſodalitiorum, quæ ad ambitum pertinent, judices ederentur. Itaque cum Murenam & Plancium noſter defenderet, editiciorum judicum meminit. pro Murena ita, cum Sulpicium accuſatorem alloqueretur: *idem editicios judices eſſe voluiſti*. pro Plancio ita: *Veniamus ad cauſſam. in qua tu nomine legis Liciniæ de ſodalitiis omnes ambitus leges complexus es. neque enim aliud quicquam in hac lege niſi editicios judices ſequutus es. quod genus judicio-*

rum si est aequum nulla in re, nisi in hac tribuaria, non intelligo quamobrem senatus hoc uno in genere tribus edi voluerit ab accusatore. neque eandem editionem transtulerit in ceteras caussas. de ipso denique in ambitu, de rejectione judicium fieri voluerit alternorum. ex quibus verbis (sunt enim obscura) nescio an intelligi possit, in sodalitiis ab accusatore tantum judices editos esse, in cetero ambitu ab accusatore & reo. Reum certe non solum non judices sed ne quaesitorem quidem edidisse, post ostendit, cum ait: *Etenim si reus tribus ederet, Voltiniam fortasse Plancius propter vicinitatem non edidisset; si quaesitor dandus esset, C. Alfium, quem habet, cui notissimus sit, tribulem suum edidisset.* Accusatorem vero edidisse, cum addit: *Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos aut inimicos meos.*

A item: *Nos neque ex delectis judicibus, sed ex omni populo, neque editos ad rejiciendum, sed ab accusatore constitutos, feremus, ut neminem rejiciamus?* Atque haec quidem de judiciis, & judicibus satis sint.

Pag. 220. *C. post* nullo pacto potest. *adde:* & in epistola ad Lentulum: *Cum omnibus nobis in administranda rep. propositum esse debeat id, quod a me saepissime dictum est, cum dignitate ocium, non idem semper dicere, sed idem semper spectare debemus.* &

B in procemio dialogi de oratore: *Cogitanti mihi saepenumero, & memoria vetera repetenti perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima rep. cum & honoribus & rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negocio sine periculo, vel in ocio cum dignitate esse possent.*



ONUPHRII PANVINII CIVITAS ROMANA.

IMP. CÆSARI FERDINANDO AUSTRIO. PIO. FELICI. PERPETUO. AUGUSTO ONUPHRIUS PANVINIUS

Veronensis, Frater eremita Augustinianus.

S. P. D.



*RIMA totius instituti mei parte *, Cæsar Auguste, defunctus, nunc longe dignissimum, & præstantissimum opus aggredior. Tanto enim quæ sequuntur, ea quæ antecesserunt, excellunt, quanto ædificiorum moles res præstantissimorum hominum gestæ. Veterem enim Romanam maximamque illam Rempublicam dilucide sub omnium oculos, tanta brevitate, quanta fieri posse intelligo, subjicere institui. Quo ortu, & quibus incrementis orbem terrarum occuparit, quo ordine, qua ratione, quo consilio, & eventu singula præclara gesserit, demonstrare deinceps, commentarii potius, quam historiæ more conabor. A Romulo autem initium sumens, omnia usque ad Justiniani Magni Augusti imperium persequar, quæ præcipue cognitu digna animadverterim. Qua ratione Romulus primum, deinde ceteri reges Romanam rempublicam constituerint. Quis libertate parta, ejusdem status fuerit, quonam modo ex paucorum patriciorum imperio, quibus solis, plebe exclusa, principio respublica commissa fuerat, tenuiores, id est, plebs cum principibus civitatis in ea administranda, paulatim adæquata, eos postremo superaverit, atque pulsis optimatibus, ad injustum populi dominatum respublica translata sit. L. Sullæ deinde, Marii & Cinnæ dominationem: Crassi & Pompeii arma, quæ in C. Cæsarem dictatorem, Antonii & Lepidi, quæ in Augustum cessere, exponam. Post Augustum, qui primus sub principis nomine singulare imperium a senatu obtinuit, quæ Romanæ civitatis conditio sub sequentibus imperatoribus fuerit, usque ad Justinianum imperatorem aperiam. Ad hæc sacra, sacerdotia, magistratus majores, minores, ordinarios, extra ordinem, urbanos, provinciales, comitia, tribus, curias, centurias, ordines, & omnia postremo ejus civitatis præclariora instituta, quantum potero, demonstrabo. Quæ omnia quum non solum cognitu dignissima, sed & lectu jucundissima sint, ea in publicum exire nullo alio munita præsidio convenientius esse existimavi, quam rerum Romanarum summi præsidis, imperatoris optimi, & Cæsaris Augustissimi. Cujus virtute, justitia, pietate, & religione universus terrarum orbis tanquam clarissimo jubare illustratur, cujus doctrina, eruditione, & liberalitate, prisca illa virtus, & literarum prope deplorata studia recreari, & in pristinum splendorem redigi cœperunt, quum susceptum abs te, optime Cæsar, literarum patrocinium ab omnibus fere nostræ ætatis principibus, etiam summis prope neglectum, undique fama ferat. Te enim Deus optimus maximus, quum ad Romani nominis gloriam renovandam, conservandamque, tum ad literarum studia retinenda & augenda, ad tantum imperii fastigium evexisse videtur. Sed ne diutius majestatem tuam verbis distineam, propositi mihi operis rationem explicandam aggrediar. Venetiis Kal. Augusti. M. D. LVIII.*

* Descriptione Urbis Romæ, quæ secundo in tomo legetur.

CAPUT I.

ROMULUS REX PRIMUS.



URBEM Romam reges ab initio tenuisse constat. Quorum imperio tantæ reipublicæ non solum utili, verum prope etiam necessario, annis CCXLIV. paruit. Quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque congregata multitudo, transfuga ex suis populis, sub tutela inviolati templi, aut libertatem, aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu, agitari cœpta esset tribuniciis procellis, & in aliena urbe cum patribus civili contentione decertare, priusquam pignora conjugum, ac liberorum, charitasque ipsius soli, cui longo tempore assuescitur, animos eorum consociasset? dissipatæ res nondum adultæ discordia forent, quas tranquilla regii imperii moderatio fovit, eoque nutriendo postremo perduxit, ut bonam frugem libertatis, maturis jam viribus ferre possent. Primus autem Romæ regnasse, qui eandem etiam condidisse Romulus proditur. Quo tempore tria millia peditum, & trecenti equites, ex loci indigenis, Græcis, & Latinis, Albanis, & pastoribus, per mille domos distributi Romæ collecti erant, a quibus quum Romulus fratre Remo cæso, auspicato rex creatus esset, tunc primum illud institutum est, ne ullus deinceps in urbe magistratus, nisi ante captatis auspiciis crearetur: Ita Livius lib. I. Dionysius lib. II. & Plutarchus in Romulo.

CAP. II.

De primis tribubus, & curiis.

QUUM Romulus rex creatus, ad civitatis statum constituendum animum adjecisset, primo universum populum Romanum in tres partes, quas tribus appellavit, divisit. singulas vero tribus in decem partes, quas curias vocavit: curiasque in decurias distribuit. Tribubus tres tribuni, curiis XXX. curiones, decuriis decuriones, populi Romani suffragiis præpositi. Post hæc agrum Romanum in tres partes divisit, quarum alteram publicam, alteram sacerdotum, tertiam privatorum esse voluit. Partem vero agri quæ privatis obtigerat in triginta partes divisam, singulas curias sortiri voluit. Quæ ita a Dionysio in Romulo libr. II. traduntur: *divisa in tres partes omni multitudine, singulis partibus præfectum constituit eum, quem illustrissimum ac nobilissimum censebat. Tum singulas trium partium rursus in decem partes distribuit, totidemque singulis præfectos dedit, qui essent fortissimi, ac majores quidem tribus, minores curias appellavit. Et ii quidem qui tribuum præfecti erant, tribuni, curiarum vero curiones appellati. Divisæque rursus sunt curiæ in decurias, vocabaturque singularum præfectus decurio. Postquam autem hoc modo omnes in tribus & curias descripti sunt, agrum Urbanum omnem in triginta æquales partes distribuit, exempta ex singulis tantilla portione, quæ sufficeret templis, delubrisque construendis, simulque parte aliqua publica relicta, &c.* Unde autem tribus, & curiæ dictæ, aut quæ eorum nomina fuerint, paulo post dicam.

CAP. III.

De patriciis, & plebe, senatu, equitibus & populo.

TERTIA populi divisio a Romulo facta, in patres, & plebem exemplo ab Atheniensibus sumpto, fuit: patrum progenies patricii, A plebis plebeii appellati. Romulus enim quum novam urbem viribus, & juvenum robore affatim ab se munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandem quoque consilii ope fulcisset. Quare populum Romanum tertia (ut dixi) divisione in duas partes primo distribuit, ex his illustriores genere, spectatæ virtutis, quique prudentia, modestia, probitate, vitæque sanctimonia præ ceteris pollerent, vel plures filios suscepissent, itemque ditiores, & opulentiores, ac postremo natu grandiores essent, patres, reliquam vero multitudinem ut ignobiles, & pauperes, plebem appellavit. Patres autem dicti ob ætatem (nam ex populo seniores erant) vel ob curæ similitudinem, vel quia agrorum partem tribuebant tenuioribus, & B eos suæ curæ commendatos, atque in clientelam susceptos, tanquam patres tuebantur. Patres ad concionem sigillatim per præconem convocabantur addito patris prænomine, plebs vero omnis simul cornu bubulo. Patribus & patriciis sacra facere, sacerdotia & magistratus gerere, jus dicere, atque cum rege publica negotia, quæ ad civitatis statum pertinebant, administrare injunctum est. Plebs his muneribus exclusa, quæstuarias artes exercebat, & agriculturæ pecorique alendo operam dabat. Ad quorum ordinum concordiam conservandam, clientum ac patronorum jus instituit. Nam tenuiores & plebem, in ditiorum, patriciorumque clientelam distribuit. Quod postea egregium reip. temperamentum Ti. Gracchus tribunus plebis dissolvit. Familiæ C autem quæ ab his patribus, quos primos Romulus legit, descenderunt, patriciæ majorum gentium dictæ sunt, ut aliquod discrimen esset inter has, & illas quas posteriores reges in patricias cooptarunt, quæ minorum gentium sunt vocitatæ. In his fuerunt certæ familiæ hæ:

Julia.	Fabia.	Tarpeia.
Hostilia.	Potitia.	Pinaria.
Gegania.	Quinctilia,	Romilia.

Ex quibus familiis, quæ majorum gentium dictæ sunt, centum hac ratione senatores, quorum consilio rempub. administraret, primo legit. Nam singulis tribubus edixit, ut tres omnium præstantissimos ex unaquaque earundem suis suffragiis crearent, atque ita novem facti: deinde eadem ratione tres a D singulis curiis quæ XXX. erant ditiores, meliores, & natu grandiores renuntiari jussit, atque ita omnino nonaginta novem aucti, ipse vero suo arbitrio iis centesimum adjecit. Hi omnes ex patribus lecti sunt. Centum autem ideo tantum creavit, vel quia is numerus satis erat novæ & parvæ civitati, sive quia soli centum erant, qui creari senatores possent. Senatores autem propter senectutem, quum vetustissimi patriciorum essent, sive ab honore & virtute appellavit. Senatorum ordo senatus, reliqui omnes non senatores, populus appellati sunt. Hinc ortum, SENATVS . POPVLVS . QVE . ROMANVS. Ex reliquis porro qui senatores creati non fuerant, omnibusque tam patriciis quam plebeiis familiis Romulus trecentos juvenes ad corpori custodiam, decem ex singulis curiis legit, qui ab eo- E rum primo duce Fabio Celere, celeres vocati sunt. Inde ille postea, & ii qui post eum fuerunt, tribuni celerum appellati. Quamquam eos quidam a corporis celeritate dictos opinentur. Quum autem trecenti essent, omnibus quidem tribunus vel præfectus celerum, singulis vero centenariis tres centuriones, singulis decuriis decuriones XXX. præerant. Hi equis merebant, a quibus ordo equester medius inter senatum & populum manavit, senatorum seminarium appellatus, reliqua deinceps multitudo

sub populi vel plebis nomine remansit. Diu autem post reges exactos, quum senatores quoque ex plebe fieri cœpti sunt, ex hac Romuli institutione civium Romanorum, qui ex duplici genere constabant patricio & plebeio, tres ordines facti sunt, senatores, equites, & de populo, duplexque Romanorum civium divisio orta, quarum altera ad alteram nihil pertinebat, prior autem fuit hæc a Romulo instituta. Omnes Romani cives, vel patricii sunt, vel plebeii: posterior hæc, quum senatores e plebe fieri cœpti, orta. Cives Romani omnes, vel senatores sunt, vel equites, vel de populo, tametsi populi plebisque nomina apud Ciceronem & Livium aliquando confundantur. Verum propria populi appellatione omnes non senatores, vel ut alii, extra senatorum & equitum numerum intelligebantur: hinc illud notissimum elogium S. P. Q. R. vel illud: CONSENSV. SENATVS. ET. EQVESTRIS. ORDINIS. POPVLIQVE. ROMANI. Ita ut vel a genere, vel ab ordine cives Romani distingui cœpti sint. Ut civis Romanus genere patricio natus, equestris tamen ordinis, si nondum in senatum lectus esset, sin autem senator esset factus, ordinis senatorii diceretur. Quod si patricius neque senator allectus esset, neque inter equites locum haberet, quia scilicet equestri censu non esset, hoc est H-S CD∞ non possideret (minus enim qui habebat eques esse non poterat,) aut, si censum quidem equestrem habuisset, censor tamen illi ob flagitia equestris ordinis insignia equum, & annulum ademisset, is de populo erat. Si quis igitur patriciæ gentis, neque senator esset, neque eques, is patricius quidem erat, & dicebatur, idem tamen de populo erat. Quandoquidem civis Romanus quicunque erat, ut is de tribus ordinibus unum haberet, senatorium, aut equestrem, aut popularem necesse esset: Ita ut dici posset, senator non es, ergo eques, aut de populo: neque senator, neque eques, quamvis patricius, ergo de populo: ordo enim præterea nullus superest: Ita quoque de plebeio genere qui patricio opponebatur dicendum. Si civis Romanus plebeius minus haberet CD∞ de populo erat, si CD∞ haberet, equumque publicum obtinuisset, annuloque uteretur, quamvis plebeius, erat tamen eques, & si ex equite in senatum a censoribus lectus, senator erat. Quod post reges exactos factum est. Erant ergo ita patriciorum tres ordines, sicut & civium plebeiorum: cives Romani patricii & plebeii senatores, cives Romani patricii & plebeii equites, cives Romani patricii & plebeii de populo vel de plebe. Post Ti. Gracchi seditiones, quibus egregium illud reipub. Romanæ temperamentum dissolutum est, altera orta est civium Romanorum divisio. Nam omnes qui reipub. conservationem studebant optimates, qui vero seditiosis civibus res novas molientibus adhærebant, plebs dicebantur, ita ut plebis nomine multa significari necesse sit. Plebs enim primum accipitur, ut distinguitur contra patricios. Plebs item pro populi voce usurpatur, ut omnes qui non sunt senatores, de plebe aliquando dicuntur a Livio & Cicerone, qua ratione patricius civis Romanus, non senator, neque eques, de plebe is dici poterit. Accipitur item plebis vox, ut se opponit optimatibus: nam civis Romanus sive patricius, sive senator, sive etiam in magistratu sit, quum reip. incommodus est, is de plebe dicitur, ut qui ejus commodis student, sive neque senatores, neque equites, neque patricii sint, optimates appellantur, ita ut hæc tertia civium Romanorum divisio a factionum studiis, hominumque moribus, & voluntate orta sit. Rursus plebs ut est ordo, & opponitur senatui, & ordini equestri, in duas partes distributa fuit, in collegia, & libertinos: servi enim in numero civium non erant. Quæ autem, & quot collegia, itemque libertinorum genera fuerint, alibi explicabo. Hæ autem populi Romani

A divisiones rep. maxime stante fuerunt. Quum enim ad unius arbitrium constituta fuisset, omnibus his sublatis, harum rerum tantum umbræ quædam per aliqua tempora remanserunt. Ceterum satis ab instituto digressi ad Romulum, senatorum, populique originem, & eorundem munera revertamur. Regum enim munera erant, templorum primum & sacrificiorum omnium curam gerere: per eum deinde omnia quæ ad deorum cultum, & honorem pertinerent, agebantur, legum morumque patriæ regimen habebat, juris omnis quum naturalis, tum civilis custos erat, injuriarum maximarum judicium penes regem esse solebat, minorum enim B cognitio senatui permissa fuerat. Senatum habere, populum ad concionem vocare, primum sententiam dicere, & quæ a pluribus decreta essent, exequi, munus regum erat. In bellis vero ejus suprema potestas semper fuit, postremo tanquam omnium princeps, & caput colebatur. Senatus autem munus erat cognoscere de omni re, de qua reges primum, deinde consules referre soliti essent, & quod majori parti placuisset, id demum perfici, hocque a regibus & senatu Lacedæmoniorum translatum, quibus omnis juris publici potestas penes senatum erat. Ex patriciis quoque sive senatoribus sacerdotes, & C magistratus tantum creabantur. Plebis autem sive reliqui populi officia ei a Romulo concessa principio, hæc tantum fuerunt, magistratus omnes creare, leges sciscere vel condere, deque bello paceve decernere, societatem cum aliquo contrahere ac dissolvere, fœderaque inire, quum rex vel consules retulissent. Neque tamen plebis potestas absoluta erat, nisi ea etiam senatus approbasset, quæ a plebe sancita erant. Ferebat autem populus suffragium non viritim, sed per triginta curias divisus, & quod pluribus visum esset curiis, ad senatum referebatur. Qui mos postea paulatim dilabi cœpit, & sensim eo res processit, ut suffragiorum jus conversum fue- D rit. neque enim de plebiscitis senatus quidquam statuebat, sed senatusconsultum ratum non erat, nisi id populus approbasset. Jure enim sciscendarum legum, vi postremo, & secessionibus, populus tantam sibi potestatem exactis regibus vindicavit, ut maximam reip. Romanæ partem demum obtinuerit status popularis. Quanquam enim regiæ potestatis species quædam in consulum imperio, in senatus vero potestate optimatum principatus quodammodo agnosceretur, populi tamen tanta auctoritas supra omnes magistratus, & senatum fuit, ut non immerito dici possit, omne imperium, atque illius reipub. majestatem penes populum fuisse. Cui ar- E gumento esse potest ad populum provocatio, quæ non fuisset, nisi major esset populi quam magistratuum potestas: quin etiam fasces submittendi mos, cum magistratus in concionem ascendebant, confessio erat populi, quam magistratuum vim, majestatemque majorem fuisse. Jam vero de capite civis, omninoque de libertate, ac jure civitatis, nullius erat, nisi populi judicium. Quæ si maximi sunt in omni repub. momenti, populum sane, penes quem hæc omnia fuerunt, longe maximam reipub. Romanæ partem obtinuisse fatendum est. Verum quibus rationibus, & temporibus, quo rerum auctu, vel a quibus singula hæc populus Ro- F manus obtinuerit, sigillatim post dicam. Porro autem ex populo a Romulo in his tribus & XXX. curias diviso, quum exercitus ad bellum educturus esset, rex quidem tribunis, illi curionibus, curiones vero decurionibus, quo militum numero opus esset, statim præscribebant, atque uno edicto, sive omnes Romanæ copiæ, sive pars ad arma vocarentur, in præscriptum sibi locum instructæ, stato die quamprimum aderant. Recte igitur bello paceve his institutis Romulus remp. suam constituit. Ex Dionysio lib. II. Livio lib. I. Plutarcho in Romulo, & aliis.

CAP.

A

CAP. IV.

De reliquis Romuli publicis institutis.

ROMULUS ad augendam urbis frequentiam, tria præcipue excogitavit: partus necare vetuit, asylum aperuit, his qui ad eum confugerant omnium rerum impunitate promissa, hostes victos pro amicis, & civibus in civitatem recepit. Quum enim urbs in spem magis futuræ magnitudinis, quam ad id quod tum hominum erat, alia atque alia appetendo loca, aucta fuisset, ne urbis vana magnitudo esset, B adjiciendæ multitudinis caussa, vetere consilio condentium urbes, qui obscuram atque humilem conciendo ad se multitudinem, natam e terra sibi prolem mentiebantur; locum quendam in Capitolio, qui inter duos lucos erat, asylum aperuit, inter arcem Capitoliumque. Eo ex finitimis populis turba omnis sine discrimine, liber, an servus esset, avida novarum rerum, vel quæ apud suos aliquam noxam contraxerat, perfugit, idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit. Romanas quoque vires hoc momento valde auxit, finitimorumque minuit. Confugientibus autem ad asylum servis, sponsor factus est sub religionis prætextu, eos nihil detrimenti ab inimicis passuros, si C permanere apud se vellent, omnesque civitate donabat, agri parte quam bello acquisierat singulis tradita Confluebant etiam undique domestica fugientes mala, nec amplius ex urbe discedebant comiter a Romulo suscepti. Ex urbibus vero bello victis & captis, quasdam integras Romam transduxit, civitateque donavit. Quasdam vero colonias Romanas fecit, de quibus sequente libro accurate differam. His igitur & similibus institutis, brevi tempore urbem ex parva amplissimam, & maximam reddidit. Nam qui, quum Romam condidit, tria tantum millia peditum, & CCC equites habuerat, idem moriens peditum sex & quadraginta millia, & mille equites reliquisse traditur. D Cujus instituta ceteri reges, & post consules sequuti, urbem Romam omnium maximam, & populo refertissimam effecerunt. Ex Dionysio, Livio, Plutarcho, & aliis.

CAP. V.

De re divina a Romulo instituta.

REBUS civilibus a Romulo recte constitutis, deorum deinde sacra, & cærimonias, quibus homines præcipue in officio continentur, & multa E bona recte institutis civitatibus eveniunt, providentissime formavit. Sumpto a deorum cultu, Geniorumque veneratione initio, sacra, templa, aras, simulachrorum erectiones, formasque eorum, & signa, potestates, & beneficia, quibus humanum genus affecisse creditum est, descripsit. Dies quoque festos, deorum, & larium, & sacrificia, quibus gauderent ab hominibus honorari, ferias, & nundinas, & a laboribus quietem populum docuit. Traditas de ipsis fabulas quibus maledicta insunt, atque deorum contemptus gignitur, omnes abolevit, assuefecitque homines, ut de iis optime loquerentur, & sentirent, nihil illis beata illa natura indignum attribuendo: sacra omnia peregrina re- F jecit, nullaque eorum sine S. C. in urbem recipi voluit. Multos postea sacerdotes creavit, quos omnes enumerabo, quum de Numæ institutis verba faciam. Is enim sacrorum omnium, jurisque divini apud Romanos conditor creditus est. Quæ enim Romulus primum instituit, ille postea reformavit, multaque sacra & sacerdotia de novo adjunxit. Dionysius lib. II.

CAP. VI.

De Romuli domesticis institutis.

ROMULUS post politicam privatas leges, & mores, quæ ad œconomicam attinent, ordinavit: in queis præcipua fuere uxorum ducendarum, & matrimonii leges, maritorum uxorumque conditiones; adulterii & aliorum criminum pœnam, patrumque in filios potestatem. Artes sordidas & sedentarias ingenuis prohibuit, servos enim & advenas eas exercere voluit, Romanis vero tantum res rusticam & militarem permisit: ob rusticorum commoditatem, ut singulo nono die Romam ad mercatum venirent, nundinas instituit. Hoc autem brevissime libro I. Livius docet ita: *Rebus itaque divinis, & humanis rite peractis, vocata ad concionem multitudine, quæ coalescere in populi unius corpus, nulla re præterquam legibus poterat, jura dedit, quæ ita sancta generi hominum agresti fore ratus, si se ipse venerabilem insignibus imperii fecisset, quum cetero habitu se augustiorem, tum maxime lictoribus duodecim, cum fascibus & securibus sumptis fecit. Alii ab numero avium, quæ augurio regnum portenderant, eum sequutum numerum putant, alii ab Etruscis finitimis, unde sella curulis & toga prætexta sumpta est, numerum quoque ipsum ductum placet. Et ita habuisse Etruscos, quod ex duodecim populis communiter creato rege, singulos singuli populi lictores dederint.* Dionysius libro secundo.

CAP. VII.

De raptu Sabinarum, & primo bello Sabino.

QUUM Romulus & populus Romanus uxores non haberent, neque a finitimis gentibus filias impetrare possent, animi ægritudine dissimulata, ad spectaculum ludorum solemnium, Neptuno equestri de industria paratorum, quos Consuales vocant, vicinos urbi populos invitavit, & præsertim Sabinos, quorum quum ludicro interfuissent, filias virgines medio spectaculo rapi a Romanis jussit, quas DCLXXXIII. fuisse Dionysius scribit, anno post urbem conditam IV. XIV. Kal. Septembris. Quare hi populi qui raptas amiserant, & alii quos vel ipsi lacrymis suis, vel exemplum ad multos pertinens movit, raptarum virginum injuriam vindicaturi, contra Romanos arma ceperunt. Primi omnium Cæninenses, in agrum Romanum impetum fecerunt, quibus effuse vastantibus, obvius factus cum exercitu Romulus, levi certamine eorum exercitum fudit, fugavit, urbemque primo impetu cepit. Post Cæninam in Antemnates copias eduxit, quam urbem captam cum Cænina colonias Romanas fecit, eorumque multitudinem Romam traducens, eam statim in tribus curiasque divisit, atque ad sex millia peditum populum Romanum auxit. Eadem ratione Crustumios profectus, cum eam quoque civitatem cepisset, coloniam fecit. Novissime vario & periculoso Marte, bellum cum Sabinis fuit, quorum Rex. T. Tatius erat, in quo a Tarpeia virgine arce Romana prodita, urbs admodum periclitata est. Demum triennio exacto raptarum precibus, Romani cum Sabinis amicitiam contraxere. Inde quum ad fœdus faciendum duces prodiissent, non pacem modo, sed civitatem unam ex duabus fecerunt, regnumque æquo jure consociantes, imperium omne Romam contulerunt. Ita geminata urbe, ut Sabinis tamen aliquid daretur, Roma quidem priscam appellationem retinuit, populus vero a Curibus T. Tatii patria Quirites appellati, T. que Tatius commune regnum cum Romulo in urbe tenuit annos V. quo postremo a Laurentibus cæso, Romulus solus regnum obtinuit. Quum autem bello Sabino adhuc vigente, plerique ex Etruria, & Latio in Romuli auxilium venissent, confecto bello, multi

ex iis, ejus beneficiis, gratia, & morum humanitate ducti, Romæ remanserunt, in his unus fuit princeps gentis Etruscæ Vibenna Cœlius, a quo monti Cœlio inditum nomen tradunt. Item alter nomine Lucumo, de cujus nomine, tertiæ Lucerum tribui appellationem factam quidam scripsere.

CAP. VIII.

De tribuum & curiarum nominibus, & comitiis curiatis.

SABINORUM, Tuscorum, & aliorum advenarum in urbem adventu, quum urbs duplicata esse videretur, ornatus quoque civitatis auctus. Sabini enim omnes in unam tribum & decem curias, Etrusci vero & reliqui advenæ, in aliam tribum totidemque curias distributi sunt, tribubusque nomina indita. Prima enim Ramnensium a Romulo, in qua veteres Romani omnes erant: Tatiensium a Tatio, in qua Sabini; Lucerum tertia appellata fuit, in qua Tusci, Latini, & reliqui omnes, qui ad asylum confugerant, conjecti sunt, a luco asyli, ut Pedianus, & Plutarchus: vel a Lucumune Etrusco, ut Varro scripserunt, nominata. Has Livius equitum centurias vocat, quod ex singulis tribubus, singulæ equitum centuriæ conscriptæ essent. De tribubus autem latius in Ser. Tullio verba faciam. Ceterum de XXX. curiarum etymologia, & nominibus loquuturus, M. Varronis, & Sext. Pompeii verba præponam: Ille enim libro II. de vita populi Romani, Curiam a cura dictam scripsit: *Itaque propter curam locus quoque quo suam quisque domum senator conferi, curiam appellavit*. Sex. vero Pompeius: *Curia locus est* (inquit) *ubi publicas curas gerebant*. Varro etiam libro quarto de lingua Latina ita scribit: *Curiæ duorum generum, nam & ubi curarent sacerdotes res divinas, ut curiæ veteres, & ubi senatus humanas ut curia Hostilia, quam primus ædificavit Hostilius rex, ante rostra*, &c. Adjicit Sex. Pompeius: *Curiæ etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt hæ, in quas populum Romulus distribuit, numero triginta, ita ut in sua quisque curia sacra publica faceret, feriasque observaret*. De quarum curiarum nominibus parum inter auctores convenit. Livius enim & quidam alii, eas a Sabinis mulieribus nomina accepisse scripserunt. Livii verba sunt hæc: *Itaque quum populum in triginta curias divideret, nomina earum curiis imposuit. Id non traditur, quum haud dubie aliquando numerus major hoc mulierum fuerit, ætate an dignitatibus suis virorumve, an sorte lectæ sint, quæ nomina curiis darent.* Alii vero, inter quos est Varro, eas ante Sabinarum raptum nomina habuisse scripserunt, iis a Romulo in prima civitatis divisione imposita. Varronis sententiam Plutarchus confirmat, quum ait: *Curias quidam perhibent, a Sabinis mulieribus nomen traxisse, sed hoc mendacium esse deprehenditur, nam multis illarum a locis nomina imposita sunt*. Dionysius quoque libro II. *De honoribus* (inquit) *habitis virginibus Sabinis Romani scriptores dissentiunt. Quidam enim scribunt inter alia id eis tributum, ut XXX. curiæ earum nominibus appellarentur, tot enim fuisse scribunt quæ legationem suscepissent*. Terentius autem Varro, cum his hac in re non consentit. dicit enim jam ante nomina curiis fuisse imposita a Romulo in prima divisione populi, partim a principibus viris, partim ex locis sumpta, nec vero XXX. tantum mulieres legationem suscepisse, sed DXXVII. Ceterum quum omnia fere curiarum nomina vetustate obliterata sint, paucaque admodum supersint, quid de hac re ego sentiam, nihil certi habeo quod dicam. Varronis tamen sententiam ut approbem, facit, tum ipsius viri ingenium, diligentia & doctrina; tum Plutarchi, & Dionysii testimonia, postremoque ea quæ supersunt curiarum nomina, quæ ab aliquo potius alio eventu, quam a mulierum nominibus deducta esse videntur. Ego enim ex XXX. curiis octo hæc tantum nomina inveni, quæ sunt: *Foriensis, Rapta, Vellensis, Velitia, Calabra, Titia, Tifata, & Saucia*. Quatuor primarum quæ & curiæ veteres dictæ sunt, atque in Palatio semper fuerunt, ita meminit Sex. Pompeius: *Novæ curiæ proximæ compitum Fabricii ædificatæ sunt, quod parum amplæ erant veteres a Romulo factæ, ubi is populum & sacra in partes triginta distribuerat, ut in iis ea sacra curarent. Quæ quando ex veteribus in novas evocarentur, quatuor curiarum per religiones evocari non potuerunt. Ita quod Foriensis, Raptæ, Vellensis, Velitiæ, res divinæ fiunt in veteribus curiis*. Ex quo loco, & quatuor curiarum, quæ veteres a scriptoribus appellantur, semperque in Palatio fuerunt, nomina habemus, & reliquas curias ex Palatio, ubi urbs Romuli fuit aucto urbis ambitu, per urbem dispersas esse. De curia Calabra, quæ in Capitolio erat, meminit Varro libro V. & libro I. Saturnalium Macrobius, & Sext. Pompeius: *Calabra curia dicebatur, ubi tantum ratio sacrorum gerebatur*. De curiis Titia & Tifata sic scribit Sex. Pompeius: *Titiensis tribus a prænomine Tatii regis appellata videtur, Titia quoque curia ab eodem rege est dicta*. Item: *Tifata, Iliceta. Romæ etiam Tifata curia. Tifata etiam locus juxta Capuam. Curiæ* vero *Fauciæ*, quæ in antiquis scriptis codicibus *Saucia* dicitur, sic meminit Livius libro IX. *Dictator Papirius, C. Junium Bubulcum magistrum equ. dixit, atque ei legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Fauciæ curiæ fuit principium, duabus insignis cladibus captæ urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem curiæ fuerat principium*. Forte in his & curia Hostilia fuit in monte Cœlio. De curiis ita scribit Dionysius libro II. *Sacra sua singulis curiis constituit, suis cuique divis, quos venerari semper deberent assignatis, & sacris faciendis, certos sumptus definivit, quos ex ærario suppeditari oporteret. Porro autem una cum suis sacerdotibus sacris sibi solemnibus peragendis, curiales adesse oportebat, unaque epulabantur feriis, in curialibus tricliniis cœnaculisque, erant enim suæ cuique curiæ cœnationes, in quibus communis veluti focus, singulis curiis consecratus erat. Hujusmodi autem ædes curiarum etiam nominibus appellabantur, quæ nomina nostra adhuc ætate retinent*. Et alio loco: *Omnibus curiis Junoni Quirinæ aræ positæ sunt, quæ etiamnum hoc nostro tempore ponuntur*. Et eodem libro de Numa loquens, *Unum sacerdotum collegium fecit triginta curionum, quorum (ut dixi) munus erat pro curialibus sacra facere*. Et paulo post: *His quidem de caussis Romulus non fecerat commune totius urbis templum Vestæ, nec Vestales virgines instituerat, sed in unaquaque XXX. curiarum suam quamdam Vestam statuerat, in qua epulabantur curiales, sacerdotes autem peragendis sacris non alios quam præfectos curiarum*. Sext. Pompeius: *Curiæ etiam nominantur, in quibus uniuscujusque partis populi Romani quid geritur, quales sunt hæ, in quas populum Romulus distribuit, numero XXX. ita ut in sua quisque curia, sacra publica faceret, feriasque observaret, iisque curiis singula nomina virginum imposita esse dicuntur, quas virgines quondam Romani de Sabinis rapuerant*. Idem alibi: Hos curiones flamines vocatos scribit ita: *Curiarum flamines, curiarum sacerdotes sunt*. Et Pomponius lege 2. de origine juris: *Postea aucta ad aliquem modum civitate, ipse Romulus traditur populum in XXX. partes divisisse, quas partes curias appellavit, propterea quod tunc reip. curam per sententias earum partium expediebat, & ita leges quasdam & ipse curiatas ad populum tulit*. Ex quibus locis manifestum est, curias Romæ fuisse populi tales quasdam partes, quales sunt nostro tempore in urbibus parœciæ. Ut enim nostræ parœciæ habent destinatas quasdam ædes, & domos, in certa quadam urbis parte sitas, quæ communia sacra, ipsam ædem sacram communem, sacrorumq commu-

nem ministrum, id est parœcum habent, ita curiæ erant incolarum urbis partes, non modo loco, sed etiam sacris sibi peculiaribus distinctæ, quibus qui præerant, curiones vocabantur. In has ergo curias omnes, qui civitate donati in urbem migrabant, per curias dividebantur. Nam cives Romani, qui in coloniis, & municipiis erant, sua quædam in suis urbibus sacra habebant, non secus quam qui Romæ erant. Neque in Romanas curias erant distributi. A curiis fiunt curiata comitia, in quibus populus curiatim suffragium dicebat, hoc est, in quibus populi per curias divisi sententia rogabatur, ut quod plures curiæ statuissent, id jussum populi esse diceretur. Quod his verbis docet Dionysius: *Populus ferebat suffragium, non universus confuse, sed per curias vocatus. Quodque pluribus visum esset curiis, id ad patres referebatur, nunc vero mos mutatus est. Neque enim patres de jussu populi judicant, sed contra sententiam patrum populus confirmat*, &c. Populus enim, postquam is, qui habiturus esset comitia, suam rogationem exposuisset, in suas quisque curias discedebat, quæ deinde eo ordine suffragium dicerent, quo sorte exibant. Quæ autem prima exibat, ea PRINCIPIUM esse dicebatur. Quodque plures ex triginta curiis jusserant, id ratum habebatur. Ac si primo vocatæ consentirent, statim atque sexdecim ex illis suffragium dixerant, finis erat comitiorum. Quia tum certum esset a pluribus curiis, id jussum esse, quod sexdecim jussissent: sin dissentirent, eo usque vocabantur, dum sexdecim curiæ consensissent. Quod si XVI. curiæ rogationem non suscipiebant, ea omnino teneri non poterat. Hæc autem comitia auspicato, non nisi auctoribus patriciis, intra pomerium, atque in foro, fiebant. Ideo foro locus proximus Comitium dicebatur, in quo hæc comitia, Livio, Dionysio, & Tranquillo auctoribus, fieri consueverant. Ceterum post curias a Romulo institutas, usque ad tempora Ser. Tullii VI. Romanorum regis, omnia quæ suffragiis populi a regibus committebantur, curiatis comitiis peragi necesse erat, quum adhuc nec centuriata, nec tributa comitia in usu essent. Itaque non modo reges, sed etiam ceteros magistratus curiatis comitiis creatos fuisse interpretandum est, quum apud auctores reperimus a populo eos creatos. Leges quoque omnes, & judicia, quæ ad illud usque tempus latæ sunt, vel acta, curiata fuerunt, ita ut omnia quæ populi suffragiis fierent, non nisi comitiis curiatis fierent. Verum post classes a Ser. Tullio institutas, tum duo cœperunt esse comitiorum genera, *curiata*, & *centuriata*, quibus duobus comitiorum generibus populus usus est, usque ad judicium Coriolani, annumque urbis CCLXIII. quo primum anno cœperunt *tributa* comitia usurpari. Ut autem comitiis tributis populus Romanus per tribus, centuriatis per centurias distinctus, suffragium ferebat, sic curiatis, per curias, nulla tribuum, census, ætatis, aut ordinis habita ratione distinguebatur. Quod Gellius ex Lælio Felice docet, quum ait: *Curiata comitia esse, cum ex generibus omnium suffragium fertur*. Nam qui in tribus descripti erant, locis ac regionibus erant distincti, qui in classes censu, ordinibus, ætatibusque: at qui in curiis continebantur, nulla habita istorum ratione, tantum sacrorum quadam distinctione, distinguebantur. Erant enim ex omnibus tribubus, qui urbem incolerent, ideoque in curias descripti. Unde fiebat, ut in curiis esset tribuum, & classium, quæ præcipue populi Romani partes erant, confusio. Ideo Lælius ait, curiata comitia esse, quando ex generibus omnium suffragium fertur. Postquam igitur curiatis centuriata, tributaque comitia accesserunt, tum minus frequentari cœperunt curiata, quum omnia fere quæ ante curiatis fiebant, post tributis & centuriatis fieri cœperint, & maxime postquam lex lata est de creandis plebeiis magistratibus tribus comitiis, qui hactenus curiatis creati fuerant. Post quæ tempora duabus potissimum rationibus curiata comitia haberi tantum cœperunt, una erat legum ferendarum, altera vero sacerdotum quorundam creandorum caussa. Leges autem curiatæ fuerunt quinque. Prima de impe-

A rio, hoc est, rei militaris administrandæ facultate, magistratibus dando. Cicero oratione II. in Rullum. Hi autem erant dictatores, ut Livius libro IX. & XXIII. consules, pro consulibus, prætores, & pro prætoribus, ut Cicero in Rullum, epist. fam. libro I. & libro V. Livius, postremo proquæstores, qui cum jure prætorio in provincias mittebantur, & idem Cicero II. Philippica tradiderunt. Ex quibus locis intelligitur rem militarem nemini attingere licuisse, nisi lege curiata id ei nominatim datum esset, atqui nemo cum imperio rem militarem gerere poterat, nisi consulari aut prætorio. Quicunque ergo in provinciam cum belli gerendi potestate mittebantur, legem curiatam ante habere debebant. Nam
B quum vel dictator rei gerendæ caussa a consule dictus esset, vel reliqui magistratus comitiis centuriatis, aut tributis creati fuissent, quo imperium haberent, hoc est rei militaris administrandæ facultatem, lege curiata opus erat. Altera lex curiata fuit, qua Camillus ab exilio revocatus est, ut tradit lib. V. Livius. Tertia lex curiata erat, qua adoptiones fiebant, de qua Cicero pro domo. Tacitus libro XVII. & Gellius lib. V. cap. XIX. scribunt. Quarta quæ testamentis confirmandis ferri solebat. Gellius libro XV. cap. XXVII. Quintam postremo legem curiatam fuisse inveni, qua sacrorum detestationes fiebant, id est, omnes consecrationes quas pu-
C blice in concione populi fieri oporteret. Gellius libro XV. cap. XXVII. Altera porro causa habendorum curiatorum comitiorum fuit, ad creandos sacerdotes quosdam. Hi autem fuerunt Flamines, & Curio maximus, cujus, ut tradit Sex. Pompeius, auctoritate, curiæ omnes, curionesque gerebantur: ut ex Dionysio libro II. & Lælio Felice apud Gellium libro XV. cap. XVII. intelligitur. Curiatis omnibus comitiis (ut dixi) commune erat, ut auspicato intra pomerium haberentur, auctoribus patriciis. Ipsis enim jus tantum erat curiata comitia habendi, qui aut dictatores, consules, prætores, & interreges, aut si de rebus sacris tractandum esset, pontifices essent. Hæc comitia primo universi populi Ro-
D mani, qui in urbe habitaret, per curias distincti suffra iis agebantur. Postea quum civitas integris urbibus data fuisset, & non omnes, qui cives Romani essent, sed hi tantum qui in curias descripti erant, quas eorum tantum fuisse constat, qui urbem habitabant, jus in hisce comitiis haberent, factum est, ut minus frequentari curiata comitia cœperint. Neque enim æquum videbatur hac suffragiorum parte eos privare, qui æquo jure cives essent, quique urbem non habitarent. Nam principio, quum omnia quæ suffragiis populi gererentur, curiatis comitiis gererentur, post centuriata comitia a Ser. Tullio rege inventa, majores magistratus centuriatis creari cœpti sunt, minores vero curiatis comitiis ad-
E huc creari mos retentus est, usque ad legem Publiliam, qua cautum fuit, ut minores magistratus non curiatis amplius, sed tributis, quæ paulo ante inventa fuerant, crearentur. Tunc enim ea ratio inventa est, omnes cives comitiis admittendi, ut omnes magistratus, vel centuriatim, vel tributim, non curiatim amplius crearentur. Ex qua re factum est, ut successu temporis paulatim curiata comitia quasi abolita fuerint. nam quum de imperio magistratuum agendum erat, qui jam centuriatis, vel tributis comitiis rite facti fuerant, non XXX. curiæ amplius in suffragium vocarentur, sed pro XXX. curiis, triginta lictores suffragium inierint: ita ut legem curiatam de magistratuum imperio ferre, non esset populo
F curiatim convocato, legem jubendam amplius dare, sed ad usurpationem quandam vetustatis triginta lictorum suffragiis legem committere, quæ Cicero secunda in Rullum, suis temporibus ita fuisse docet his verbis: *Nunc quia prima illa comitia tenetis centuriata, & tributa, curiata tantum auspiciorum causa remanserunt. Hic autem tribunus plebis quia videbat potestatem neminem, injussu populi aut plebis posse habere, curiatis comitiis, quæ vos non initis, confirmavit, tributa quæ vestra erant sustulit*. Et paulo post: *Sunt igitur decemviri neque veris comitiis, hoc est populi*

suffragiis, neque illi ad speciem, atque ad usurpationem vetustatis per triginta lictores, auspiciorum caussa adumbratis. Ex his verbis perspicuum est, tempore Ciceronis curiatis comitiis de magistratuum imperio habendis, triginta tantum lictores suffragium iniisse, quum ante omnes cives, qui in curias descripti erant, soliti essent suffragium dicere. Hi voce loco XXX. curiarum, quod rogati erant jubebant, eoque modo, quod hi jussissent ratum habebatur, perinde ac si curiarum suffragiis jussum esset. Quomodo factum sit, ut lictoribus potius, quam aut curionibus, aut aliis quibusdam gravioribus personis, curiata hæc comitia committerentur, locus est Lælii Felicis apud Gellium libro XV. cap. XXVII. unde id suspicari possumus. Scribit enim curiata comitia per lictorem curiatim calari. Ex eo enim credi potest factum esse, desuetudine quadam, & incuria populi, quum singulæ curiæ a singulis lictoribus vocatæ, non convenirent, ut ipsis lictoribus id committeretur, cujus caussa curiæ essent vocatæ. Quum autem adoptionis aut sacerdotum creandorum caussa, quæ populi beneficio dabantur, comitia curiata haberentur, non triginta lictores, sed populus curiatim convocabatur. Tuncque tabellis curiatim distributis, & comitia more ceterorum comitiorum peragebantur, & quod pluribus curiis visum fuisset, id demum more majorum exequi solitum fuisse. Nam quæ a Cicerone de triginta lictoribus scribuntur, non existimo ad omnia curiata comitia transferenda esse, sed ad ea tantum quæ de imperio magistratuum habebantur. Nam magistratibus justis comitiis a populo jam ante designatis, rursus coire populus propter eorundem magistratuum imperium minus curabat. Itaque ne omnino deserta per infrequentiam populi viderentur, constitutum videtur, ut pro triginta curiis, triginta lictores convenirent. Verum ceteris in rebus retenta fuisse existimo comitia curiata, & legibus curiatis reliquis promulgandis, & sacerdotibus, quæ populi beneficia erant, creandis.

CAP. IX.

De patriciis minorum gentium, & novis senatoribus lectis, a quibus patrum conscriptorum appellatio manavit.

BELLO Sabino confecto, quum Sabinorum, Etruscorum, & multorum in dies ad asylum confugientium adventu, urbs valde crevisset: postquam eos Romulus in civitatem æquo jure suscepisset, & in Lucerum, Tatientiumque tribus conjecisset, Regibus quoque visum est, ut patriciorum numero duplicato, Senatorum quoque ordinem augerent. Igitur ex illustrioribus familiis viros centum curiarum suffragiis deligentes, eos in patres cooptatos, veteribus senatoribus adscripserunt, atque hac ratione senatorum numerus ad ducentos est auctus. Hinc patriciorum minorum gentium, & patrum conscriptorum originem manasse potius crediderim, quam quod Livius, Plutarchus, & Tacitus tradunt. Quorum Livius patricios minorum gentium sub Tarquinio Prisco; Tacitus vero sub L. Bruto primo consule, (nam & is patricios legisse traditur) primum appellatos scribunt. Plutarchus vero patrum conscriptorum originem eidem Bruto attribuit. Nam eos tantum patricios, qui a Romulo primum lecti sunt, majorum gentium fuisse, vel sequentis lectionis patriciorum testimonio confirmari posset, qui eorum ratione habita, non nisi minorum gentium se ipsos esse profiterentur. Fuerunt equidem & hi majorum gentium, si iis qui a sequentibus regibus lecti sunt conferantur. ita ut a Romulo lecti, ita sint majorum gentium, ut minorum esse non possint. Novissimi vero a Bruto creati, ita sint minorum, ut majorum appellationem obtinere nequeant: medii vero a regibus allecti modo majorum, modo minorum dici possint, majorum quidem inferiorum, minorum vero superiorum patriciorum, habita ratione. De patribus vero conscriptis, eos primum conscriptos esse credendum, qui primo ordini jam instituto inserti sunt, & reliqui omnes qui variis temporibus in eum ordinem sunt collocati. Nam si conscriptum esse, idem est, quod allectum, cur hi qui in ordinem jam institutum cooptati sunt, conscripti non sunt appellandi? Patrum igitur conscriptorum appellationem, ab hac secunda Romuli & Tatii senatorum lectione manasse credendum. Quo tempore inter reliquas familias in patricias, hæ præcipue lectæ sunt Valeria, Turannia, Curtia, Vettia, Martia, Aurelia, Camillia, Berennia, & pleræque aliæ, quæ ex Sabinis Romam cum T. Tatio commigraverant. Post Sabinos, Medullinos, Fidenates, Vejentes, Camerinos, & alios populos partim sponte, partim coactos in civitatem acceptos, integras quoque urbes victas, dum Romulus vixit, eadem ratione civitate donavit, hocque institutum perpetuo servandum posteris reliquit, quod reges & consules sequuti, eo præcipue factum est, ut urbs ipsa totius demum orbis terrarum imperio posita sit. Hæc autem sunt quæ de reipub. a Romulo constitutæ forma, quamque is moriens reliquit, ex Dionysio, Livio, Plutarcho, & aliis veteribus scriptoribus accurate collegi.

CAP. X.

De Numa Pompilio, secundo Rege.

VIR divini humanique juris consultissimus Numa Pompilius, qui rex post Romulum Romæ creatus est, nulla quidem bellica laude insignis fuit, sed non minus civitati in pace, quam Romulus in bello profuit. Urbem enim novam vi & armis conditam, jure, moribus, legibus, & religione de integro condidit, & renovavit. Inter cujus cetera præclara gesta, quæ a me in Fastis breviter commemorata sunt, sacerdotum ordo, distinctioque præcipua fuere. Universam enim sacerdotiorum rationem in octo partes distribuit. Curiones, flamines, tribunum celerum, augures, virgines Vestales, salios Palatinos, feciales cum patre patrato, & postremo pontifices. Quorum quosdam ipse, quosdam vero Romulus instituerat. Cujus rei occasione commodum mihi hoc loco, & opportunum visum est, rem omnem sacram, quæ apud Romanos fuit breviter pertractare, atque de omnibus quæ apud eos unquam fuerint, sacerdotiis disserere, ab antiquissimis Lupercis incipiens, & ad novissime instituta usque perveniens. Sed ante omnia de prima apud Latinos religione disserere necessarium esse videtur.

CAP. XI.

De prima Latinorum religione.

HOMINES priscos, agrestes, asperos, & more ferarum viventes, ad mitiorem cultum, vitamque, Saturnum & Janum, qui in Latio regnarunt, redegisse fama est, quum eos agrorum cultum, & politiorem quandam vivendi rationem docuissent. Ipsis vero, qui hactenus sine ulla religione fuerant, primus deorum cultum metumque injecit Saturni filius Faunus, qui lucos sacravit, templa constituit, & sacrificiorum jus ordinavit. A quo etiam ædes sacræ fana appellata sunt. Post Faunum quum Picus, Latinus, Evander, & alii qui in Latio regnaverunt, novas semper cærimonias commenti essent, novissime dæmonum cultum maxime in Latio auxit Æneas sacris Phrygiis in Italiam transportatis. Cujus postea exemplum sequuti ceteri reges Albani primum, deinde Romani, multa & ipsi sacra addidere usque ad Numam, qui quum omnia in certum ordinem sacra direxisset, divini apud Romanos juris conditor creditus est. De cujus institutis quæ ad deorum cærimonias attinent loquuturus, prius de iis quæ ante eum instituta sunt sacerdotia, verba faciam.

CAP. XII.

NOMINA OMNIUM SACERDOTIORUM POPULI ROMANI.

Luperci, Panos, Lycei, vel Inui sacerdotes.

LUPERCI, qui & Fabiani, & Quinctiliani appellabantur, auctore Sext. Pompeio, a Fabio, & Quinctilio præpositis suis, sacerdotes omnium vetustissimi fuerunt, ante urbem conditam ab Evandro Arcade Arcadum rege solemni ex Arcadia translato, in Palatino monte instituti. De quibus Dionysius libro secundo sic scribit: *Arcades itaque in colle Palatino firmati, quum ædificia alia more patrio exornassent, templa quoque construxere, ac primum quidem Pani Lyceo admonente eos Carmenta (est enim apud Arcadas Pan vetustissimus, plurimumque in honore habitus) loco congruo invento, quem Romani Lupercal vocant, Græci Lyceum dicunt. Erat enim antiquitus antrum magnum sub colle arbusto denso contectum, & fontes sub petris profundi, adhærensque rupibus saltus crebris arboribus, & quidem magnis opacus, ubi ara deo constructa, sacrificia patria perficiebant, quæ Romani postea mense Februario peragebant.* Et libro secundo. *Quum præsensissent homines Numitoris, peracturos juvenes Lupercalia, sacrificium Arcadicum, quod Evander constituit, tempus illud sacrificii insidiis delectum est, quum oportebat juvenes Palantium incolentes, sacris perfectis ex Lupercali circuire vicum cursu, nudos ipsos succinctos pudenda pellibus immolatorum paulo ante animantium. Hæc enim velut purgatio, sive lustratio quædam incolarum patria habebatur.* Et Livius libro primo. *Jam tum in Palatio monte Lupercal hoc fuisse ludicrum ferunt, & a Palanteo urbe Arcadica Palantium, deinde Palatinum montem appellatum: ibi Evandrum, qui ex eo genere Arcadum, multis ante tempestatibus ea tenuerat loca, solemne allatum ex Arcadia instituisse, ut nudi juvenes Lyceum Pana venerantes, per luxum atque lasciviam currerent, quem Romani deinde vocarunt Inuum.* Et Justinus libro XLIII. *Sub Fauno Aboriginum rege, Evander ab Arcadiæ urbe Palanteo in Italiam cum mediocri turba popularium venit, cui Faunus & agros, & montem, quem ille postea Palatinum appellavit, assignavit. In hujus radicibus templum Lyceo quem Græci Pana, Romani Lupercum appellant, constituit, ipsum dei simulachrum nudum caprina pelle amictum est, quo habitu nunc Romæ Lupercalibus decurritur.* Varro libro IIII de lingua Latina: *Luperci* (inquit) *dicti sunt, quod Lupercalibus in Lupercali sacra faciunt.* & libro quinto. *Ego magis arbitror Februarium, a die Februato dictum, quod tum februatur populus, id est Lupercis nudis lustratur antiquum oppidum gregibus cinctum.* & Sex. Pompeius: *Februarius mensis dictus, quod tum, id est extremo mense anni populus februaretur, id est lustraretur, ac purgaretur; vel a Junone Februata, quam alii Februalem, Romani Februlim vocabant; quod ipsi eo mense sacra fiebant, ejusque feriæ erant Lupercalia, quo die mulieres februabantur a Lupercis amiculo Junonis, id est pelle caprina, quam ob caussam is quoque dies februatus appellabatur.* Lupercalia autem XV. Kal. Martii celebrabantur. Plutarchus in problematibus. *Quid est* (inquit) *quod Luperci canem immolant? Luperci autem sunt, qui Lupercalibus per lasciviam discurrentes, pellibus obvios cædunt* &c. Valerius Maximus libro II. cap. I: *Equestris vero ordinis juventus omnibus annis bis urbem spectaculo sui sub magnis auctoribus celebrabat, die Lupercalium, & equitum probatione. Lupercalium enim mos Romæ a Romulo & Romæ inchoatus est, tunc quum lætitia exultantes, quod his avus Numitor rex Albanorum, eo loco ubi educati erant, urbem condere permiserat sub monte Palatino, hortatu Faustuli educatoris sui, quem Evander Argivus consecraverat, facto sacrificio, cæsisque capris, epularum hilaritate, ac vino largiore provecti, divisa pastorali turba, cincti*

A *omnes pellibus immolatarum hostiarum, jocantes obvios petierunt, cujus hilaritatis memoria annuo circuitu feriarum repetitur.* &c. Lupercalia igitur erant festa, & sacrificia quibus ad expiandos manes, Pani Lyceo juvenes Romani nudi canem & capram immolabant. Deinde facie sanguine fœdata, se his pellibus cingebant, lorisque e pelle factis currebant nudi, circa Palatium obvios quosque coriis illis verberantes, & præsertim mulieres gravidas, quæ ultro obviam occurrebant, facilem partum percussione sperantes. De qua re ita secundo Fastorum meminit Ovidius:

Monte sub Esquilio multis inciduus annis
Junonis magnæ nomine Lucus erat.
B *Huc ubi venerunt pariter nuptæque virique,*
Suppliciter posito procubuere genu.
Quum subito motæ tremuere cacumina silvæ:
Et dea per lucos mira loquuta suos,
Italides matres (inquit) sacer hircus inito.
Obstupuit dubio territa turba sono.
Augur erat, nomen longis intercidit annis,
Nuper ab Etrusca venerat exul humo.
Ille caprum mactat, jussæ sua terga puellæ,
Pellibus exsectis percutienda dabant;
Luna resumebat decimo nova cornua motu,
Virque pater subito, nuptaque mater erat.
C *Gratia Lucinæ dedit hæc tibi nomina lucus.*
Aut quia principium tu dea lucis habes;
Parce precor gravidis facilis Lucina puellis.
Maturumque utero molliter aufer onus.

Et alibi de Lupercis loquens scribit:

Mensis ab his dictus secta qui pelle Luperci.
Omne solum lustrant, idque piamen habent.

De Lupercalibus autem, ita in Romulo scribit Plutarchus: *Sed Lupercalia expiationis gratia instituta videntur. Celebrantur enim ea sacra mensis Februarii atris diebus, quæ expiativa interpretari quis posset. Eam quoque diem Februatam veteres appellabant. Ac videtur id solemne pervetustum, Evandrum ex Arca-* D *dia allatum instituisse. Hoc vulgatior fama tenet. Potest etiam nomen ipsum a lupa dictum videri. Etenim videmus Lupercos inde cursum incipere, ubi Romulum expositum ferunt. Verum qui in his servatur sacrificii mos, haud facile eum conjectura assequi possumus. Jugulant enim capras, tum duos ex genere adulescentes eo sistunt, quorum frontes alii cultro sanguine perfuso pingunt, alii statim lanam lacte madentem admoventes abstergunt: oportet etiam abstersos adulescentes ridere. Deinde incisis in corrigias caprarum pellibus, discurrunt in orbem, & si qui obstant scuticis cædunt. Mulieres adulta ætate ultro se ad verbera offerunt, ratæ eam rem ad fœcunditatem conducere. Proprium* E *ac suum ejus celebritatis est, ut Luperci canem immolent.*

De Lupercis mentio est in hac antiqua inscriptione:

L. AELIANO. L. F.
AN. PROVINCIALI
EQVO. P. ORNATO
LVPERCO. DESIG
HVIC. ORDO. DECVRION
STATVAM. DECREVIT
L. AELIANVS. VERECVNDVS
F H. V. S. R. L. D. D. D

Hæc sacra Romæ usque ad Anastasii imp. tempora perduraverunt, Theoderico Amalo Gothorum rege in Italia regnante; quibus auctore Gelasio Papa circiter annum Christi CDXCV. reclamantibus superstitiosis quibusdam Romanis, omnino abolita sunt, fierique amplius prohibita; ut ex antiquo S. R. registro cognovi, cujus mihi copiam fecit, vir omni laude, & perpetua memoria dignus Marcellus Papa II. qui eo tempore Cardinalis S. Crucis erat.

CAP. XIII.

CERERIS. GRÆCA. SACERDOS

DIONYSIUS libro primo : *Arcades auctore Evandro, in Palatio Cereri etiam templum erexerunt, eique sacrificia faciebant per fœminas, quæ sine viro essent, ut lex est Græcis, quorum nihil mutavit sequens ætas*. Livius sæpe Cereris Græcæ sacerdotis mentionem facit.

CAP. XIV.

POTITII. ET. PINARII. HERCVLIS SACERDOTES

DIONYSIUS libro primo : *Evander, & Arcades cærimonias Græco ritu, ut ipsos Hercules docuerat, & sacra eidem Herculi instituerunt (qui cæso Geryone quum in Latium cum ejus armentis venissent, latronem Cacum occiderat) & ut grata ei semper sacra facerent, familias duas illustres fuisse dicunt, qui cærimonias didicerint Græcas, Potitios & Pinarios, penes quas familias multum tempus duravit cura sacrificii, ut ille instituerat. Potitiis quidem sacrificii auctoribus, Pinariis autem extorum participatione prohibitis, atque in aliis omnibus quæcunque per utrosque fieri oporteret, secundum honorem habentibus. Hanc autem ignominiam esse eis impositam dicunt tardioris adventus caussa. Jussi enim summo mane adesse, adesis ipsi jam extis advenere. Nunc non amplius manet in his familiis hujus sacrificii solemne ministerium, sed empti pueri de publico id peragunt*, &c. Livius lib. I. *Ibi tum primum bove eximia capta de grege, sacrum Herculi adhibitis ad ministerium dapemque Potitiis, ac Pinariis, quæ tum familiæ maxime inclytæ ea loca incolebant, ab Evandro factum. Forte ita evenit, ut Potitii ad tempus præsto essent, iisque exta apponerentur, Pinarii extis adesis, ad ceteram venirent dapem, inde institutum mansit, donec Pinarium genus fuit, ne extis solemnibus vescerentur. Potitii ab Evandro edocti, antistites sacri ejus per multas ætates fuerunt, donec tradito servis publicis solemni familiæ ministerio, genus omne Potitiorum interiit.* Quod quando factum fuerit libro IX. docet. & Valerius libro I. cap. II. *Hercules quoque detractæ religionis suæ, & gravem, & manifestam pœnam exegisse traditur. Nam quum Potitii sacrorum ejus ritum, quem pro dono genti eorum ab ipso assignatum velut hæreditarium obtinuerant, Ap. Claudio censore auctore, ad humile servorum ministerium transtulissent, omnes qui erant numero supra triginta puberes intra annum extincti sunt. Nomenque Potitium in duodecim familias divisum prope interiit. Appius vero luminibus captus est.*

CAP. XV.

REGES

REGES tam apud Græcos, quam apud Romanos sacerdotes fuisse manifestum est. Virgilius enim de rege Deli Anio loquens, ita ait.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Et Livius in Numa libro I. *Tum sacerdotibus* (inquit) *creandis animum adjecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime quæ nunc ad Dialem flaminem pertinent.* Et libro II. *Rerum deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant, &c.* Idem libris II. & V. Dionysius refert.

CAP. XVI.

FRATRES. ARVALES. XII

MASSURIUS Sabinus, apud Gellium libro sexto, cap. septimo. Accam Laurentiam Romuli nutricem duodecim filios suscepisse scripsit. Ex quibus quum unum amisisset, graviter dolere cœpit. Quare quo ejus dolorem leniret, in filii demortui locum Romulus Accæ Laurentiæ sese filium dedit; seque & ceteros ejus filios fratres arvales appellavit. Ex eo tempore collegium mansit fratrum arvalium numero XII. cujus sacerdotii insigne erat spicea corona, & albæ infulæ. Plinius lib. XVII. cap. secundo : *Arvorum sacerdotes Romulus in primis instituit, seque duodecimum fratrem appellavit inter illos, ab Acca Laurentia nutrice sua. Spicea corona quæ vitta alba colligaretur sacerdotio ei pro religiosissimo insigni data, quæ prima apud Romanos fuit corona, honos quoque is non nisi vita finitur, & exules etiam captosque comitatur.* Et Varro libro quarto de lingua Latina, *Fratres* (inquit) *Arvales dicti sunt, qui sacra publica faciunt propterea, ut fruges ferant arva, a ferendo & arveis fratres arvales dicti, quia fratria dixerunt.*

De hoc sacerdotio mentio est in antiquis epigrammatibus sic.

C. PORCIO. C. F. QVIR
PRISCO. LONGINO. C. V
X. VIRO. STLITIB. IVDICAND
ADLECTO. INTER. QVAESTOR
AB. ACTIS. SEN. AED. CVR
ADLECTO. INTER. PRAETOR.
PRO. COS. LYCIAE. PAMPHILIÆ
COS. FRATRI. ARVALI

Item :

L. CAESONIVS. C. F. QVIRINA
LVCILIVS. MACER. RVFINIANVS
COS. FRATER. ARVALIS
PRAEF. VRBI. ELECTVS. AD
COGNOSCENDAS. VICE. CAESARIS
COGNITIONES. PROCOS. PROVINC
AFRICÆ

LX. PVBLICI. SACERDOTES

Dionysius libro II. ex Varrone : *Deinde autem quia curiæ quædam sine ratione, & inconsiderate magna ex parte electiones faciebant sacerdotum, quædam vero hunc honorem precio per præconem subjiciendum censebant, quædam esse sorte partiendum existimabant : non venalia Romulus, neque sorte partienda fecit sacerdotia, sed cujusque curiæ ipse binos creavit, supra annum quinquagesimum natos, genere excellentes, simul & virtute præstantes, neque inopes, aut corpore ulla ex parte trunco; hos autem non in præfinitum quoddam tempus, sed per omnem vitam potiri eo honore statuit, atque ob ætatem a militaribus officiis, ex lege vero a civilibus molestiis immunes esse voluit.*

CAP. XVII.

AVGVRVM. XV. COLLEGIVM

AUGURANDI ars antiquissima est, quæ a Chaldæis ad Græcos, a Græcisque ad Etruscos, & ab Etruscis ad Latinos devenit. Nam veteres Chaldæos optimos augures fuisse memoriæ proditum est. Amphiaraus quoque, Mopsus, & Calchas peritissimi apud Græcos augures memorantur : in Tuscis vero hæc ars multum floruisse constat. Ascanium etiam apud Latinos augurasse legimus, quum aciem contra Mezentium educeret. Et ubi micare sinistris fulgur aspexit, pugnavit, & vicit. Dionysius vero, antiquam augurandi peritiam apud Aborigines etiam fuisse tradit. Romulus ipse summus augur fuit ; & idcirco instituit magistratus cum auguriis creari. Et posteri non nisi augurato res gerebant. Tanta autem veneratio huic arti accessit, ut Romulus principio trium augurum collegium constituerit, singulos ex singulis tribubus, quæ tres erant, Ramnensium, Tatiensium, Lucerum. Quod his verbis libro secundo tradit Dionysius : *Ad hæc etiam vates statuit ex singulis tribubus singulos sacris interesse, quos augures vocavit. Quos per curias creari insti-*

tuit. Et in Numa: *Quartam sacrorum partem tribuit interpretantibus signa a diis missa, & distinguentibus quarum essent rerum indicia, privataque & publica, quos equidem augures Romani vocant, totius rei divinæ peritissimos.* Sex. Pompeius: *Augustus locus sanctus ab avium gestu, id est, quia ab avibus significatus est, sic dictus; sive ab avium gustatu, sive quia aves pastæ id ratum fecere.* Augur ab avibus gerendoque dictus, quia per eum avium gestus edicitur, sive ab avium garritu, unde & augurium. Inde auspicium ab ave aspicienda dictum. nam quod nos cum præpositione dicimus *aspicio*, apud veteres sine præpositione a, *Spicio* dicebatur. Augurandi modum libro I. diserte narrat Livius: *Accitus Numa, sicut Romulus augurato in urbe condenda regnum adeptus est, de se quoque deos consuli jussit. Inde ab augure, cui deinde honoris gratia publicum id perpetuumque sacerdotium fuit, deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. Augur ad lævam ejus capite velato sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt. Inde ubi prospectu in urbem agrumque capto, deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinavit, dexteras ad meridiem partes, lævasque ad septentrionem esse jussit. Signum contra quod longissime conspectu oculi ferebant, animo finivit: tum lituo in lævam manum translato, dextra in capite Numæ imposita, precatus est ita: Jupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, uti tua signa nobis certa ac clara sint, inter eos fines quos feci. Tum peregit verbis auspicia, quæ mitti vellet. Quibus missis declaratus rex Numa de templo descendit* &c. Locus enim augurii templum vocabatur. Varro libro VI. de lingua Latina: *Templum tribus modis dicitur, ab natura, ab auspicio, ab similitudine; ab natura in cœlo, ab auspiciis in terra, ab similitudine sub terra. In cœlo templum dicitur, ut in Hecuba.*

O magna templa cœli tum commixta stelleis splendidis.

In terra, ut in Peribœa,

Scrupea saxa Bacchi templa prope aggreditur.

Sub terra, ut in Andromacha,

Acherusia templa alta Orci salvete infera.

Quam quia initium erat oculi, a tuendo primo templum dictum, quo circa cœlum qua tuemur templum dictum, sic:

Contremuit templum magnum Jovis altitonantis:

Id est, ut ait Nævius in Hemisphærio: *ubi terra cærulo septum stat.* Ejus templi partes quatuor, sinistra ab oriente, dextra ab occasu, antica ad meridiem, postica ad septentrionem. In terreis dictum templum locus augurii, aut auspicii caussa quibusdam conceptis verbis finitus. Concipitur verbis non iisdem usquequaque. In arce ita: *Tesqua a me ita sunto, quoad ego ea velim, quum nuncupavero: olla, terra, arbor, quisquis est, quam me sentio dixisse, templum tectumque, ferto in sinistrum. Olla, terra, arbor, quisquis est, quod me sentio dixisse, templum tectumque, ferto in dextrum &c.* Ita igitur locatus augur, si signa læva fuerunt quia illa parte septentrio est, felicia pronuntiat. Nam pars illa orbis propter altitudinem dextra putatur. Si a dextra infelicia. Nam quia meridies depressus est, infelix existimatur. Alites autem volatu auspicia facientes præcipuæ putabantur buteo, sanqualis, immusculus, aquila, vultur, ut tradit Sex. Pompeius. Quamquam autem maxima auguriis, auguribusque ex Romuli præscripto veneratio habita semper fuerit, nihilominus sub L. Tarquinio Prisco rege post Attii Navi miraculum, iis certe, sacerdotioque augurum tantus honos accessit, ut nihil belli, domique postea, nisi auspicato gereretur, concilia populi, exercitus vocati, summa rerum, ubi aves non admisissent, dirimerentur. Ser. Tullius rex postea, ut existimo, quum in quatuor tribus urbem divisisset, alterum augurem adjunxit. Nam anno urbis CDLIV. ut tradit libro X. Livius, Q. Appuleio Pansa, & M. Valerio Corvo V. Coss. rogatione Ogulnia, quinque e plebe additis, ad novem numerum aucti sunt, ut latius demonstravi in Fastorum commentariis, ubi de pontificibus, & pontifice maximo verba feci. Primi e plebe augures hi fuerunt, C. Genucius, P. Ælius Pætus, M. Minucius Fessus, C. Martius, T. Publilius. Qui numerus usque ad dictaturam Sullæ Felicis mansit. Quo tempore, ut ex Livio Florus in epitoma libri XXCIX. tradit, Sulla augurum, pontificumque collegium ampliavit, ut essent XV. augures, totidemque pontifices. Qui numerus postea mansit. Ceterum quum ceteris fere omnibus sacerdotibus, simul ac in judicium ducti & damnati essent, alium substitui mos fuisset, augures hac lege immunes erant, dum enim viverent licet maximorum criminum convicti essent, sacerdotio tamen potiebantur, neque unquam privari poterant. Quum enim sacrorum arcana neminem qui augur non esset cognoscere vellent, ubi quis augur cooptatus esset jurejurando adigebatur, augurum res nemini se dicturum, privatum vero eum postea factum, eo sacramento liberum esse nolebant. Augurum autem in Romuli memoriam vultur prosperrima avis esse existimabatur. Quum autem veteri lege ac more augures ab auguribus, pontifices a pontificibus, reliqui sacerdotes a suis quique collegiis crearentur, unus tantum pontifex maximus a populo, primus Cn. Domitius Ahenobarbus tribunus plebis Neronis imperatoris atavus, pontificibus offensior, quod alium quam se sui patris in locum cooptassent, lege lata jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit, anno urbis DCLI. C. Mario III. & L. Aurelio Oreste coss. Nec multo post ipse pontifex maximus populi suffragio creatus est. Hujus legis Cicero II. agraria in Rullum meminit his verbis: *Hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius tribunus plebis vir clarissimus tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Qua lege etiam permissum est, ut absentes possent petere sacerdotia, scribit enim Cicero; C. Marium, quum in Cappadocia esset, lege Domitia augurem factum fuisse. Atque ita augures, pontifices, septem viri epulonum, XV. viri sacris faciundis, & feciales, qui hactenus a suis collegiis creari solebant, tributis comitiis renuntiari cœpti sunt. Postea L. Sulla dictator, rerum potitus quum alia multa contra plebem, quæ Marianas partes foverat, tum hoc sanxit, ut sacerdotes iidem a collegiis crearentur, ut Pedianus in divinationis commentario sic tradit: *His decem annis a Sylla, bellis civilibus spoliatus est populus Romanus potestate tribunicia, judicandi jure, arbitrio creandorum sacerdotum.* Sed quemadmodum legem Domitiam abrogavit Sulla, sic legem Sullæ aliquot annis post T. Attius Labienus tribunus plebis abrogavit, Domitiamque restituit, M. Tullio, & C. Antonio coss. Fecit autem hoc auctore C. Cæsare: qui si populus in mandando sacerdotio suffragium ferret, se, qui popularis admodum erat, pontificem maximum in demortui Metelli Pii locum creatum iri, non sine caussa putabat. Quod & re comprobatum est, nam P. Servilio Isaurico, & Q. Lutatio Catulo, consularibus viris dejectis, ipse nondum prætorius in amplissimi sacerdotii gradum ascendit. Rursus a populo ad collegia lege Labieni abrogata, jus cooptandorum sacerdotum rettulit, post cædem Cæsaris M. Antonius consul, eo consilio ut facilius ac certius M. Aimilius Lepidus, cujus filio filiam suam collocaverat, pontifex maximus in Cæsaris locum subrogaretur. Ceterum quum Antonii omnes leges anno sequenti Hirtio & Pansa coss. ex S.C. abrogatæ essent, quod ex M. Tullii oratione in ipsum XIII. & Dionis libro XLVIII. intelligitur, hæc quoque, quam de sacerdotiis tulerat, fracta est, lexque Domitia iterum restituta, sic enim eo anno scribit Cicero ad Brutum: *Pansa vivo celeriora omnia putabamus, statim enim collegam sibi subrogasset, deinde ante prætorum, sacerdotum comitia fuissent.* Postea sub Augusto abrogata tertio Domitia lege, collegiorum primo, deinde

Romanorum principum arbitrio, pontifices, augures, & reliqui sacerdotes cooptari cœpti. Augurum collegium Romæ usque ad Theodosii senionis imp. tempora viguit. Quibus religione Christi sanctissima omnia jam obtinente, vetereque dæmonum cultu abrogato, uno edicto sacerdotiorum omnium reditus fisco publico applicati sunt. Quare postea plane augures, & alii sacerdotes fieri desierunt. ita Zosimus.

De auguribus præterea multa mentio est apud Ciceronem libro I. de divinatione, Ovidium quarto Fastorum, Valerium lib. II. Plutarchum in problematibus, & Statium Papinium libro quarto Thebaidos.

De augurum vero collegio has inscriptiones vidi:

IOVI. O. M. SACR
COLLEG. AVGVR. D.D.
CVR
T. IVNIVS. SELEV
CVS. CVM. VALER. FIL
IMMVN. PERPET

item

COLLEGIVM
AVGVRVM. AVCTORE
IMP. CÆS. TRAIANO
HADRIANO. AVG
TERMINOS. POMERII
RESTITVENDOS. CVR

CAP. XVIII.

Haruspices.

HARUSPICES a Romulo institutos fuisse, tradit libro secundo Dionysius. Hi a victimis in ara aspiciendis dicti sunt. is enim est haruspex, qui, postquam hostia immolata est, inspectis extis futura prædicit; qui & extispex dicitur. Hic sæpe per pecudum, & ceterarum hostiarum fibras, jecinora, & alia intestina, futura arte dæmonum divinabat.

De haruspicibus mentio est in hac antiqua inscriptione

SOFRONIA
Ɔ. L. TERTIA
SIBI. ET. P. SEXTILIO
PRIMO. HARVSPICI
SEVIRO. AQVINI
ET. SVIS. IN. FR
P. XII. IN. AGR. P. XII

CAP. XIX.

De Tribuno Celerum.

TERTIAM sacrorum administrandorum partem Numa tribuno celerum tribuit, quem Romulus equitum, quos celeres vocabant, præfectum constituit; sub cujus potestate pedestres, equestresque copiæ erant, corporisque regis ad custodiam creatus fuerat. Hic enim statuta quædam sacrificia peragebat. Ita Dionysius libro secundo. De tribuno celerum mentionem facit Pomponius libro primo, tt. de origine juris ita: *Initio civitatis Romanæ, constat reges omnem potestatem habuisse. Iisdem temporibus & tribunum celerum fuisse constat, is autem equitibus præerat, & veluti secundum locum a regibus obtinebat, quo in numero fuit L. Junius Brutus, qui auctor fuit regis ejiciendi.* Et Dionysius in Romulo: *Romulus trecentos viros ex præcipuis familiis, quos curiæ renuntiarunt, eodem modo, quo antea senatores, delegit, eosque ad corporis custodiam circum se habuit, vocatique omnes sunt celeres, ut plures scribunt ab exequendi ministerii celeritate, prompti enim velocesque ad opera erant, quos Romani celeres vocant. Ut autem Valerius Antias dicit a primo* A *eorum duce Fabio Celere. Præerat namque dux ipsis etiam clarissimus, cui tres suberant centuriones, & sub eis alii inferiores magistratus, qui per urbem sequentes eum cum telis ministri eorum quæ jubebantur erant.* &c. Hujus tribuni celerum postea exactis regibus locum tenuit apud dictatorem magister equitum, & apud imperatores præfectus prætorio, ut tradit Pomponius.

CAP. XX.

Curiones XXX. Et Curio Maximus.

B CURIONES erant qui curiis præsidebant a Romulo instituti, curiarumque suffragiis creati: de quibus libro secundo in Numa sic scribit Dionysius: Assumpta itaque Numa omnis divini cultus institutione, atque conscripta, eam in octo divisit partes, quot erant etiam sacrorum ordines, tradidit autem primam sacrorum constitutionem triginta curionibus, quas dixi hostias immolare publicas pro curiis. His omnibus unus præsidebat curio maximus dictus, cujus auctoritate (ut inquit Festus) ceteri curiones regebantur. Hujus frequens mentio est apud Livium. Hic curiatis comitiis semper creatus est.

C

CAP. XXI.

De Sodalibus Titiis, alias Titiensibus.

SODALES Titii (inquit M. Varro libro IV. de lingua Latina) dicti sunt a Titiis avibus, quas in auguriis certis observare solent. Tacitus vero libro primo: *Idem annus* (inquit) *novas cærimonias accepit*, addito sodalium Augustalium sacerdotio, ut quondam T. Tatius retinendis Sabinorum sacris sodales Titios instituerat. Sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti. De hoc sacerdotio mentionem facit Lucanus libro D primo.

Septemvirque epulis festus, Titiique sodales

Hi sacerdotes extra urbem habitabant, & in tuguriis certa auguria servabant, quoniam ad id deputati a pontificibus erant. De iis præterea nihil compertum habeo.

Horum quoque ut aliorum multorum meminere antiquæ inscriptiones ita:

P. CORNELIO
DOLABELLÆ
COS
VII. VIRO. EPVLONVM
E SODALI. TITIENSI
LEG. PRO. PR. DIVI. AVGVSTI
ET. TI. CAESARIS. AVGVSTI
CIVITATES. SVPERIORES
PROVINCIAE. ILLYRICI

item

M. F. CL. PRISCO
SACERDOTI. TITIALI
PR. INTER. CIVIS. ET
PEREGRINOS. TR. PL
QVAESTORI. PROC
F AVG. XX. HERED

item

. . . .
PONTIFICI. MAXIM . . .
TRIBVNIC. POTESTAT . . .
IMP. XVII. P. P
COS. VIII. DES. VIIII. CENSORI
CONSERVATORI. CAEREMONIARVM
PVBLICARVM. ET
RESTITVTORI. AEDIVM. SACRARVM
SODALES. TITI

CAP.

CAP. XXII.

FLAMINES XV.

SECUNDAM (inquit libro secundo Dionysius) sacrorum ministeriorum curam Numa rex iis tradidit, qui a gestatione pileorum & infularum flamines vocati sunt. De quorum institutione parum inter veteres scriptores convenit. Plutarchus enim in Numa ita scribit: *Jovis Martisque sacerdotibus a Romulo constitutis, tertium ipse Romuli constituit, quem flaminem Quirinalem nominavit. Vocabant & sacerdotes antea constitutos flamines, a pileis quibus ad tegenda capita utebantur, quasi pilamines quidam essent.* E contra Dionysius, & Livius flaminum omnium originem Numæ tribuunt. Ita enim scribit Livius: *Tum sacerdotibus creandis animum adjecit, quamquam ipse plurima sacra obibat, ea maxime quæ nunc ad flaminem Dialem pertinent, sed quia in civitate bellicosa plures Romuli quam Numæ reges similes putabat fore, iturosque ipsos ad bella, ne sacra regiæ vicis desererentur, flaminem Jovi assiduum sacerdotem creavit, insignique eum veste, & curuli regia sella adornavit. Huic duos flamines adjecit, Marti unum, alterum Quirino.* Erat autem flamen sacerdotis nomen, qui alicui deo peculiariter consecratus, ei uni singillatim sacra faciebat, a quo & nomen obtinebat, ut is qui Jovis sacra curabat, vel Martis, aut Quirini; is flamen Dialis, Martialis, & Quirinalis vocabatur. Hinc Cicero secundo de legibus: *Divisque aliis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto.* Nominis autem ratio tracta est a filo, quo caput cinctum habebant, quod his verbis docet M.Varro libro IIII. de lingua Latina: *Flamines* (inquit) *quod in Latio, capite velato erant semper, ac caput cinctum habebant filo, flamines dicti. Horum singuli cognomina habent ab eo deo, cui sacra faciunt, sed partim sunt aperta, partim obscura*, &c. & Servius super Virgilium: *Flamines* (inquit) *in capite habebant pileum, quod quum per æstus ferre non possent, filo tantum capita religare cœperunt. Nam nudis penitus capitibus incedere nefas erat, unde a filo, quo utebantur, flamines dicti quasi filamines.* Plutarchus in Numa, eos a pileo pilamines primo, post flamines dictos putat, quod non placet; nam & pontifices, & alii sacerdotes pileos gerebant, & flamines tamen non sunt appellati. Appianus, flaminem Dialem semper velo, & galero festis profestisque diebus uti solere scribit. Sunt qui eos a sacris infulis flamines dictos putant, quas in capite gestabant; quæ ab antiquis flamæ dicebantur, sive a flameo, quod genus est tegminis capitis, quod potius mulierum est quam virorum. Sex. Pompejus: *Flamen Dialis dictus quod filo assidue veletur, indeque appellatur flamen quasi filamen.* Pileus autem sive galerus quo flamines utebantur, apex vocabatur, cujus formam ex lapidibus marmoreis, vetustisque nummis, ita aliquando descripsi. Nam quum apex fastigium sit & summum aliquod alicui additum rei, flaminis pileus qui ad modum galeæ militaris factus erat, in summo fastigio virgulam fixam habebat, circa quam filum lanæ albæ religatum erat; a qua re (ut dixi) & ipsi flamines sunt vocati, & pileus ipse apex. Unde Valerius libro primo cap. I. *At Sulpicio inter sacrificandum apex prolapsus, eidem sacerdotium abstulit.* Et Lucanus libro primo.

Et tollens apicem generoso vertice flamen.

Apice autem non nisi flaminibus uti permissum erat, ut nunc mitra episcopis. Servius lib. XIII. *Vocant apicem ab apendo quod est vincire, unde aptus & apiculum filum, quo flamines velatum caput gerunt.* Sex. Pompejus: *Apex*, (inquit) *qui est sacerdotum insigne, dictus est, ab eo quod comprehendere vinculo antiqui apere dicebant, unde aptus is qui convenienter alicui junctus est.* Virgilius lib. XIII.

Hinc exultantes Salios, nudosque Lupercos,

A *Lanigerosque apices,*

Apex igitur omnium flaminum insigne commune erat. Quum autem tres a Numa principio tantum instituti fuissent, Dialis, Martialis, & Quirinalis; postea processu temporis XII. alii Romæ additi sunt, & ad XV. numerum aucti. Sex. Pompejus: *Maximæ dignationis flamen Dialis est inter XV. flamines. Et quum ceteri discrimina majestatis suæ habeant, minimi habetur Pomonalis: Quod Pomona levissimo fructui agrorum præsidet, id est pomis:* &c. Ceterum omnes flamines mox enumerabo. Post constitutos XII. flamines, orta est inter eos majorum, minorumque, vel patriciorum, & plebejorum distinctio. Tres enim primi a Numa instituti majores, B & patricii appellati sunt. XII. posteriores minores & plebeii. Unde Sex. Pompeius: *Majores flamines appellabantur patricii generis, minores vero plebeii.* Nam tres primi flamines semper ex patriciis cooptati sunt, ut docet Cicero in oratione pro domo; in qua regem sacrorum, flamines, salios, interregem, & ex dimidia parte reliquos sacerdotes non nisi ex patribus creari posse tradit. Ceterum quamquam XV. flamines essent, qui nomine convenirent, collegæ tamen non erant, neque eorum quoddam collegium vocabatur. Siquidem flamen unius tantum Dei sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quæ per se quisque procuraret, & ad alios nihil omnino attineret. Quod Cicero libro secundo de C legibus satis indicat, quum legem ejusmodi ponit: *Divisque aliis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto.* Flamines autem, (de majoribus præsertim loquens) tametsi non essent pontifices, ita tamen erant adscripti in collegium pontificum, ut si quando de re aliqua apud pontifices ageretur, ipsi una judices sederent ejus rei, de qua ad collegium pontificum relatum esset. Quod potest ex oratione Ciceronis pro domo sua intelligi, quæ quum habita sit apud pontifices, ad quorum collegium rejectum erat de domo a Clodio consecrata judicium, in ea tamen oratione judices sedisse regem sacrorum & flamines ostendit. Creabantur autem D flamines a populo comitiis curiatis, ut ex Lælio Felice docet Gellius cap. XXVII. libri XV. Flamines vero a populo comitiis curiatis creati inaugurabantur a pontifice maximo, cujus dicto omnes suberant. Quod ex his Livii testimoniis demonstrari potest. Livius lib. XXVII. *Et flaminem Dialem invitum inaugurari cœpit P. Licinius pont. max. C. Valerium Flaccum.* Quod idem scribit Valerius Maximus libro VI. cap. IX. *C. Valerius Flaccus secundi belli Punici temporibus luxu perditam adolescentiam inchoavit. Ceterum a P. Licinio pontifice maximo flamen factus*, &c. & L. Florus in epitoma libri XIX scribit: *L. Cæcilius Metellus pontifex maximus A. Postumium consulem, quoniam idem & flamen Martialis erat,* E *quum ille ad bellum gerendum proficisci vellet, in urbe tenuit, nec passus est a sacris recedere.* Et idem Livius libro XXXVII. de Q. Fabio Pictore, quem dicit eo anno, quo creatus est prætor, inauguratum fuisse flaminem Quirinalem, ita scribit: *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum, & Postumium Albinum fuerat. Consulem illum cum C. Lutatio collega in Siciliam ad classem proficiscentem ad sacra retinuerat Metellus pontifex maximus. Prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur P. Licinius tenuit. Et in* F *senatu & ad populum magnis contentionibus certatum est, & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, & provocatum ad populum est. Religio ad postremum vicit, & dicto audiens esse flamen pontifici jussus.* Quamobrem flamini Diali antiquitus nec magistratum petere, nec capere permissum erat. In cujus rei gratiam ei lictore, & regia sella curuli uti permissum est. Inde Cornelium Merulam flaminem Dialem consulem in locum Cinnæ urbe pulsi suffectum pœnas dedisse violati antiqui juris quidam crediderunt: in magistratu enim paulo post occisus est. Flaminium autem sa-

cerdotium ita perpetuum erat, ut tamen ob certas quasdam caussas flamines etiam sacerdotio privari possent; dicebanturque flaminio abire, aliique subrogabantur. quod si nullis illarum caussis coacti fuissent sacerdotium deponere, id dum vivebant retinere solebant. Unde Valerius Maximus libro 1. cap. 1. *Consimili ratione post P. Cœlius, M. Cornelius Cethegus, & C. Claudius propter exta parum curiose admota aris deorum immortalium, variis temporibus, bellisque diversis flaminio abire jussi sunt coactique etiam. At Sulpicio inter sacrificandum apex e capite prolapsus, eidem sacerdotium abstulit*. Aliæ quoque erant caussæ ejus deponendi sacerdotii, quas paulo post afferam. Quum autem pontificum maximorum auctoritatem, super flamines, regem sacrorum, & ceteros pontifices fuisse aperte ex Livio ostenderim, miror cur Sex. Pompejus ita scripserit: *Ordo sacerdotum æstimatur deorum maximus quisque. Maximus videtur rex, deinde Dialis, post hunc Martialis, quarto loco Quirinalis, quinto pontifex maximus. Itaque in conviviis solus rex supra omnes accubat: Sed Dialis, supra Martialem, & supra Quirinalem Martialis: is supra pontificem maximum: Rex quia potentissimus: Dialis quia universi mundi sacerdos, qui appellatur Dium: Martialis, quod conditor ac urbis parens Mars: Quirinalis, socio Romani imperii adscito Quirino: pontifex maximus, quod judex atque arbiter rerum divinarum humanarumque habetur*, &c. Nisi hoc intelligatur, in religiosis quibusdam epulis, & conviviis, quantum ad sessionem attinet, antiqui ritus ergo id observatum fuisse, ceterum potestate pont. max. omnes anteiisse. Flamines autem, quum populi suffragiis creati, a pontifice inaugurarentur, hoc est certis quibusdam, ac solennibus captatis auguriis crearentur; captos duci a partibus, velut ab hostibus mos fuit. Hinc flamines capti dicebantur. Flaminum uxores flaminicæ vocabantur, ut tradit Sex. Pompejus, quibus divortium facere non licebat. Flaminum ministri flaminii dicebantur, & ministræ Flaminiæ. Sex. Pompejus: *Flaminius Camillus puer ingenuus patrimus & matrimus, qui flamini Diali sacrificanti ministrabat, antiqui enim sacrorum ministros Camillos vocabant. Flaminia sacerdotula, quæ flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrima & matrima erat, id est patrem, matremque adhuc vivos habebat. Flaminius lictor, qui flamini Diali sacrorum caussa præsto est. Flaminia ædes domus flaminis Dialis. Præciæ dicebantur, qui a flaminibus præmittebantur, ut denuntiarent opificibus, ut manus abstinerent ab opere, ne si vidisset sacerdos facientem opus, sacra polluerentur. Hi ab aliis præclamitatores appellantur*. Hæc itaque sunt quæ omnibus flaminibus communia erant, nunc singillatim de iis disputemus.

CAP. XXIII.

DE FLAMINE DIALI.

ATQUE primo a flamine Diali, qui maximæ dignationis inter omnes erat, initium sumam. Hic, Dionysio, & Livio auctoribus, a Numa; vel ut Plutarchus tradit, a Romulo ipso Jovi institutus fuit. Nam ante flaminum munus, regum fuerat; qui pontificum regumque promiscue officia exercebant, ut de Priamo, & Ænea apud Virgilium videri potest. Item apud eundem de rege Deli Anio, & sacerdote Apollinis.

Rex Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos.

Dictus autem est Dialis ἀπὸ τοῦ Διός, hoc est a Jove, qui δῖος dicitur quasi Jovialis, a quo vita dari putabatur hominibus. Cui flamini cærimonias multas impositas fuisse liquet; quæ ex Fabio Pictore, Massurio Sabino, M. Varrone, Plutarcho in problematibus, Gellio lib. x. cap. xv. ceterisque libris qui de sacerdotibus publicis conscripti sunt, excerptæ sunt hæ: I. Equo Dialem flaminem vehi religio erat. II. Classem procinctam extra pomerium, id est exercitum armatum videre; idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, quum bella consulibus mandabantur. III. Item jurare Dialem fas nunquam erat. IV. Item annulo uti nisi pervio, cassoque fas non erat. V. Ignem a flaminia, id est flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri jus non erat. VI. Vinctum si ædes ejus introiisset, solvi necessum erat, & vincula per impluvium in tegulas subduci atque inde foras in viam demitti. VII. Nodum in apice, neque in cinctu, neque alia in parte ullum habebat. VIII. Si quis ad verberandum duceretur, si ad pedes ejus supplex accubuisset, eo die verberari piaculum erat. IX. Capillum Dialis, nisi qui liber homo erat, detondere non poterat. X. Capram & carnem incoctam, & ederam, & fabam, neque tangere Diali mos erat, neque nominare. XI. Propagines e vitibus altius prætentis non succidebat. XII. Pedes lecti, in quo cubabat, luto tenui circumlitos esse oportebat, & de eo lecto trinoctium continuum non decubabat, neque in eo lecto cubare alium fas erat. Neque apud ejus lecti fulcrum capsulam esse cum strue, atque ferro oportebat. XIII. Unguium Dialis & capilli segmina subter arborem felicem terra operiebantur. XIV. Dialis quottidie festatus erat. XV. Ac sine apice sub divo esse licitum non erat, sub tecto uti libebat, & non pridem a pontificibus constitutum. XVI. Farinam fermento imbutam attingere ei fas non erat. XVII. Tunicam intimam nisi in locis tectis non exuebat, ne sub cœlo tanquam sub oculis Jovis nudus esset. XVIII. Super flaminem Dialem in convivio, nisi Rex sacrificulus, haud quisquam alius accumbebat; quæ res Sex. Pompeii locum de sessione sacerdotum in solemnibus conviviis aperit. XIX. Uxorem quum amittebat, flaminio decedere mos erat. XX. Flaminis matrimonium nisi morte dirimi non poterat. XXI. Locum, in quo bustum esset, nunquam ingrediebatur. XXII. Mortuum nunquam attingebat, funus tamen exequi religio non erat. XXIII. Unus omnium flamen Dialis galero albo utebatur, ut libro secundo rerum divinarum refert M. Varro, vel quod maximus esset, vel quod Jovi immolata hostia alba fieri oportuisset. XXIV. Ungi sub dio fas non erat Diali. XXV. Flamen Dialis antiquitus, nec magistratum petere, nec capere poterat, ne sacris avocaretur, & multa contra religionem facere cogeretur. XXVI. Præclamitatores habebat: qui ipsum præcedebant, clamantes, ut homines ab operibus desisterent, quia ei opus facientem videre religiosum erat. Massurius quoque Sabinus alia quædam fuisse scripsit, quæ remissa sunt, gratiamque aliquot cærimoniarum Diali factam fuisse tradit. Flaminis Dialis apex sive pileus albogalerus dicebatur, quod fieret ex hostia alba Jovi cæsa, cui affigebatur apex virgula oleagina. Sex. Pompejus. Eædem ferme cærimoniæ sunt, quas flaminicæ sacerdotissæ Diales observabant. In queis hæ. Quod bene nato operiretur. Et quod virricæ surculum de arbore felici haberet, & quod scalas descendere ei plus tribus gradibus religiosum esset. Atque etiam, quum iret ad Argæos, neque caput comere, neque capillum depectere solebat.

Flaminicæ cujusdam mentio est in vetusta inscriptione sic:

Q. CAECILIO. Q. F. AN
OPTATIANO
PRÆF. COH. I AQVI
TANOR. EQVIT
PONTIA. T. F. SABI
NA. MATER
FLAMINICA
L. D. D. D

Adjicit in fine hujus capitis Gellius: Verba prætoris ex edicto perpetuo de flamine Diali, & de sa-

cerdote Vestæ sunt hæc: *Sacerdotem Vestalem, & flaminem Dialem, in omni mea jurisdictione jurare non cogam*. A Numa usque ad Marii & Sullæ tempora, perpetua & continuata serie flamines Diales semper fuerunt, usque ad L. Cornelium Merulam, qui in seditione civili Cinnæ, & Octavii in magistratu occisus fuit. Post quem, quum Cæsar qui postea dictator fuit, id sacerdotium consequutus fuisset, non longe post a victore Sulla, & sacerdotio, & uxoris dote multatus est: ita ut nullus deinceps flamen Dialis inauguratus fuit, usque ad finem imperii Augusti Cæsaris. Sub quo anno plus minus centesimo postquam id sacerdotium vacaverat, flamen Dialis inauguratus est Ser. Cornelius Maluginensis, post quem perpetuo ordine flamines Diales multi fuerunt usque ad novissima imperii tempora, quibus cum reliquis sacerdotiis veteris superstitionis ab imp. Theodosio id sacerdotium omnino sublatum est. Atque hæc sunt quæ de flamine Diali apud veteres scriptores inveni.

CAP. XXIV.
DE FLAMINE MARTIALI.

SECUNDUS a Numa institutus flamen Martialis fuit, ut Dionysius & Livius tradunt; vel a Romulo, ut Plutarchus; quod Romuli urbis conditoris Mars pater creditus sit. Hic patricius, & major flamen erat. De quo M. Varro libro quarto de lingua Latina: *Flamines singuli cognomina habent ab eo deo, cui sacra faciunt, sed partim sunt aperta, partim obscura: aperta ut Martialis, Volcanalis*, &c. Idem refert libro sexto.

De flamine Martiali mentio extat in antiqua inscriptione sic:

P. CORNELIVS . P . F . DOLABELLA
C. IVNIVS. C. F. SILANVS. FLAMEN. MARTIAL COS
EX . S . C
FACIVND. CVRAVERVNT. IDEM. QVE
PROBAVERVNT

Hi consules, ut ex Fastis liquet, sub Augusti imperio fuerunt. Ne autem quis hac inscriptione in dubium verteret, quod de flaminibus majoribus dixi, ipsos semper ex patriciis lectos fuisse, animadversione dignum, gentem Juniam plebejam quidem ante dictatorem Cæsarem fuisse, ideoque hoc sacerdotio exclusam. Verum post Cæsaris dictatoris tempora, a quo Junia gens cum plerisque aliis in patricias allecta est, ut Tranquillus & Dio tradunt, tam hoc sacerdotium, quam cetera quæ plebeiis antea prohibita erant, obtinere potuit, ut sub Augusto hunc Junium obtinuisse videmus.

CAP. XXV.
De Flamine Quirinali, Volcanali, Carmentali, Florali, Palatuali, Falacro, Furinali, Volturnali, Virbiali.

ET hic (fl.Quir.) flamen major, & patricius a Numa in Romuli honorem institutus est, quod Romulus Quirinus appellatus parens, & urbis conditor fuisset. De hoc flamine frequens mentio est apud Livium, Varronem, & Sex. Pompeium.

Flamen Volcanalis Volcano consecratus, & reliqui undecim flamines minores omnes, & plebeii fuerunt, variis temporibus instituti. De flamine Volcanali sic scribit Varro lib. IIII. de lingua Latina: *Flaminum cognomina aperta sunt Martialis, & Volcanalis*.

Flamen Carmentalis Carmentæ Evandri Arcadis matris, cujus templum prope Capitolium fuit, sacra curabat; de quo Cicero in Bruto ita mentionem facit; *M. Popillius quum consul esset, eodemque tempore sacrificium publicum cum læna faceret, quod erat flamen Carmentalis, plebis contra patres concitatione & seditione nuntiata, ut erat læna amictus, ita venit in concionem, seditionemque tum auctoritate tum oratione sedavit*. Hos autem flamines plebejos fuisse testimonio est hic Lænas, qui ex plebe consul lectus fuerat, quum flamen Carmentalis esset.

De Florali flamine, qui a Flora dictus est, meminit Varro libro sexto de lingua Latina. Hanc deam floribus præesse veteres credebant. Quam meretricem fuisse ajunt, quæ quum magnas opes corporis quæstu quæsivisset, populum Romanum fecit heredem, certamque pecuniam reliquit, ex cujus annuo fœnore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos Floralia, sive ludos Florales appellabant. Quod quia senatui flagitiosum tractu temporis visum est, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur, deamque finxerunt esse, quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus, aut vitibus bene prospereque florescerent; itaque Floram nuncupasse, & ludos ei dedicatos appellavisse Floralia. De quibus in antiquo nummo sic mentio est C. MEMMIVS. FLORALIA. PRIMVS. FECIT. Celebrabantur autem hi ludi omni cum lascivia, convenientes memoriæ meretricis, in quibus præter verborum licentiam nudabantur, flagitante populo, meretrices, quæ mimarum functæ officio, in conspectu multitudinis ad satietatem usque impudicis motibus detinebantur. De hac dea, & ejus ludis multa scribit Ovidius libro quarto Fastorum.

Palatualis flamen, ut Varro libro sexto de lingua Latina, sive Palatilis, ut Sex. Pompejus scribunt, flamen constitutus fuit ad sacrificandum ei deæ, in cujus tutela Palatium erat, quam M. Varro Palatuam vocat, de quo nihil præterea memoria dignum inveni.

Flamen Falacer, ut libro quarto de lingua Latina scribit Varro, a divo patre Falacre dictus est. Quis autem is deus fuerit, nondum inveni.

Flaminum aliquot cognomina obscura sunt (inquit Varro libro quarto de lingua Latina) ut Dialis, & Furinalis. Quum Dialis a Jove sit, qui Diovis est: Furinalis a Furina, cujus etiam in Fastis Furinales feriæ sunt. De eodem mentionem facit libro sexto de lingua Latina. Forte hæc dea est, cujus vetus hæc inscriptio meminit.

I. O. M. H. AVG
SACR
GENIO . FORINARVM
ET. CVLTORIBVS. HVIVS
LOCI. TERENTIA. NICE
CVM. TERENTIO. DAMA
RIONE. FILIO. SACERDOTE

Flaminis Volturnalis solus quod sciam meminit M. Varro libro VI. de lingua Latina sic: Eundem Pompilium Numam ait fecisse flamines, qui cum omnes sint a singulis deis cognominati, in quibusdam apparent etyma, ut cur sit Martialis, Quirinalis. Sunt, in quibus flaminum cognominibus latent origines, ut qui sunt in versibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis; obscura est eorum origo. Volturnus, Palatua, Furina, Flora, Falacer, Pomona, pomorum patrona.

Flaminem Virbialem deo Virbio, id est Hippolyto consecratum, nullus quod sciam antiquus scriptor commemorat. Ejus ego mentionem extare vidi Romæ in antiqua inscriptione, quæ modo ad manus non est, quam vel in fine libri, vel alio loco postea ubi occasio sese obtulerit, afferam. Deus autem Virbius idem qui Hippolytus est, Thesei & Hippolytæ Amazonis filius, qui quum a Phædra noverca per calumniam apud patrem delatus esset, quod ipsi stuprum in-

ferre voluisset, patris iram veritus curru conscenso A fugam arripuit, quumque juxta maris littus pervenisset, incusso a Neptuno pavore, equi consternati implicatum habenis Hippolytum dilacerarunt. Cujus vicem miserata Diana ad vitam eum revocavit, & in Aricinio nemore collocatum, pro Hippolyto Virbium appellavit, quasi bis virum. Vide hæc latius apud Ovidium secundo metamorphoseos.

CAP. XXVI.

De flaminibus Laurentiali, Lavinali, Lucularis, Pomonali, & Divorum omnium. B

NEQUE etiam horum (priorum) trium flaminum ullam mentionem apud veteres auctores extare unquam vidi. Eos autem ex antiquo hoc epigrammate concinnavi.

P. AELIO. P. F. PAPIR
MARCELLO. CENT
FRVM. SVB. PRINCIPE
PEREGRINOR. HASTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG.VII. GEM. PIAE. FEL. ADLEC C
TO. AD. MVNERA. PRAEFF
LEGG. VII. CLAVD. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI
LVCVLARI. LAVRENT. LAVINAL
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM. PATRONO
CIVITATIS. FORO. FLAM. FVLGINIAE
ITEM. QVE. IGVVINORVM
SPLENDIDISSIMVS. ORDO
FORO. FLAM
CVIVS. DEDICAT. DECVRIONIBVS
ET. LIBERIS. EORVM. PANEM D
ET. VINVM. SS. XXX. Ñ. ITEM
MVNICIPIBVS. SS. IIII. Ñ. DEDIT

Ex his Laurentialem Accæ Laurentiæ Romuli nutrici creatum fuisse crediderim, reliquorum vero obscura cognomina sunt.

Flaminis Pomonalis, quem inter xv. minimi habitum fuisse tradit Sex. Pompeius, Varro libro sexto de lingua Latina meminit, eumque a Pomona pomorum dea denominatum fuisse tradit. Et Sex. Pompeius: *Maximæ* (inquit) *dignationis flamen Dialis est inter quindecim flamines, & quum ceteri discrimina majestatis suæ habeant, minimi habetur Pomonalis, quod Pomona levissimo fructui agrorum præsidet, id est pomis.* Hæc autem sunt quæ de xv. E flaminibus invenire potui. Quorum uxores omnes flaminicæ dicebantur. Ceterum quo ab antiquitatum studiosis gratiam aliquam ineam, & alterius generis flaminum aliquot inscriptiones suggeram, qui certe municipales flamines fuerunt.

Firmi in Piceno:

T. APPAEO. T. F. VEL
ALFINIO. SECVNDO
PROC. AVGVST. XX. HERED F
PROC. ALPI. ATRECTIANAR
PRAEF. VEHICVL. SVB. PRAEF
CLASS. PRAET. RAVENN. PR
ALAE. I. AVG. THRAC. TRIB. COH
I. AELIAE BRITTON. PRAEF
COH. IIII. GALLOR. PATRON
COLON. FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. AVGVRI
II. VIR. QVINQ. BIS
OB. MERITA. EIVS

ibidem

L. VOLCATIO. Q. F
VEL. PRIMO
II. VIR. II. QVINQ
FLAM. DIVOR. OMN
P. C. EX. TESTAMENTO
EIVS. POSITA
Q. LICINIO. CRISPINO
C. HERENNIO. MAXIMO
II. VIR

ibidem

L. VOLCATIO. Q. F
VEL. PRIMO
PRAEF. COH. I. NORICOR
IN. PANN. PRAEF. RIPAE
DANVVI. ET. CIVITATIVM
DVARVM. BOLOR. ET. AZALIOR
TRIB. MILIT. LEG. V.
MACEDONICAE. IN
MOESIA. PRAEF. ALAE. I
PANNONIOR. IN. AFRICA
II. VIRO. QVINQ
FLAMINI. DIVOR
OMNIVM. P. C
EX. TESTAMENTO. EIVS
POSITA
M. ACCIO. SENECA
... MANLIO. PLANTA
II. VIR. QVINQ

CAP. XXVII.

De reliquis imperatorum inter divos relatorum flaminibus; & primo de flamine divi Julii.

POST reip. casum quum Romanos imperatores & Augustas eorum uxores, vel filios, consecrandi mos irrepsisset, plures quoque eorumdem flamines sunt facti. Mortuo enim & inter divos relato imperatori flamen, & sodales, qui ab eo nomen acciperent, addebantur, templumque, in quo ipsi hymnos in ejus honorem compositos canerent, extruebatur. Nam Julio Cæsari, a quo hic mos originem habuit, etiam adhuc viventi hæc decreta fuisse tradit his verbis Tranquillus: *Non enim honores modo nimio recepit, ut continuum consulatum, perpetuam dictaturam, præfecturamque morum, insuper prænomen imperatoris, cognomen patris patriæ, statuam inter reges, suggestum inter orchestra, sed & ampliora humano fastigio sibi decerni passus est, sedem auream in curia, & pro tribunali tensam, & ferculum circensi pompa, templa, aras, simulachra juxta deos, pulvinar, flaminem, lupercos, appellationem mensis e suo nomine.* &c. Post mortem quoque ei consecrato eadem omnia remanserunt: quod his verbis indicat idem Tranquillus: *Laudationis loco cos. Antonius per præconem pronuntiavit S.C. quo ei divina simul atque humana decreverat, item jusjurandum, quo se cuncti pro salute unius astrinxerant.* Qua ratione vero imperatores consecrari apud veteres Romanos solerent, quum post mortem inter divos referrentur, accurate exposui in commentariis libri secundi fastorum, ubi Severi Augusti obitum descripsi.

De flamine divi Julii mentio extat in antiquo hoc epigrammate.

M. PVBLICIO
M. F. SAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
EQVO. PVBLICO

FLAM. DIVI. IVLI A
PRAEF. AEDIL. POT
QVAESTOR. AERAR
SACERD. IVVEN. BRIX
COLLEGIA
CENTON. ET. FABROR

item

L. ACVTIO
L. F
FAB. PRIMO
EQVO. PVB
II. VIR. I. D
AEDIL. Q. ALIM B
FLAM. DIVI. IVLI

De flamine divi Augusti.

Augustum post mortem a Tiberio Cæsare consecratum fuisse præter Tranquillum docet etiam libro primo Tacitus ita: *Idem annus novas cærimonias accepit, addito sodalium Augustalium sacerdotio. Sorte ducti e primoribus civitatis unus & viginti, Tiberius, Drususque, Claudius, & Germanicus adjiciuntur.*

De flamine divi Augusti mentio est in hisce vetustis inscriptionibus:

NERONI. CAESARI C
GERMANICI. F
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVG
PRON. FLAMINI. AVGVSTALI
SODALI. AVGVSTALI

item

C. VALERIO. C. F. PAP
MARIANO
HONORES. OMNES
ADEPTO. TRIDENT
FLAMINI. ROM. ET. AVG
PRAEF. QVINQ. AVGVR
ADLECTO. AN. NON. LEG. III D
ITALIC. SODALI. SACROR
TVSCVLANOR. IVDICI
SELECTO. DECVR. TRID
DECVRIONI. BRIXIAE
CVRATORI. REIP. MANT
EQVO. PVBL. PRAEF. FABR
PATRONO. COLON
PVBLICE

item

M. ARTORIVS. M. F. PAL. PRISCVS. VICASIVS
SABIDIANVS. TRIB. COH. XV. VOLVNT. C. R. TR. LEG E
VII. CLAVD. PIAE. FID. PRAEF. ALAE. I. PANN
PRAEF
MONTIS. BERENICIDIS. FLAM. DIVI. AVG
PATR. COL
...RATEG. THEAD. EX. VOTO. D. D.

De sacerdote divæ Augustæ.

Augustarum vero consecratarum, non flamines sed sacerdotes vocabantur, quæ illis præcipue sacra faciebant. Liviam autem Drusillam, quæ & Julia Augusta, Augusti Cæsaris uxorem post obitum, primam omnium Augustarum sub Divæ Augustæ vocabulo a F Claudio imperatore consecratam tradit Tranquillus in Claudio cap. XI. *Aviæ* (inquit) *Liviæ divinos honores, & circensi pompa currum elephantorum, Augusteo similem decernendum curavit.*

Ejus mentio est in hac vetusta basi ita:

DENTRIAE. L. F. POLLAE
SACERDOTI. DIVAE
AVGVSTAE
POST. MORTEM
D. D

De flamine divi Claudii.

Ti. Claudium Cæsarem post obitum a Nerone imperii herede consecratum fuisse tradunt Tacitus lib. XII. Tranquillus cap. XLV. & Eutropius libro septimo.

De cujus flamine mentio est in hac vetusta inscriptione:

Q. PETRONIVS. C. F. PVB. MODESTVS
P. P. BIS
LEG. XII. FVLM. ET. LEG. I. ADIVTRIC
TRIB. MIL. COH. V. VIG.
TR. COH. XII. VRB. TR. COH. V. PR. PR...
DIVI. NERVAE. ET. IMP. CAES
NERVAE. TRAIANI. AVG. GERM. PROVINC
HISPANIAE. CITER. ASTVRIAE. ET
GALLAECIARVM. FLAMEN. DIVI. CLAVDI
DEDIT. IDEMQVE. DEDICAVIT

De flamine vero divi Vespasiani mentio est in antiquo hoc epigrammate ita:

M. BAEBIO. M. F. Q. N. ARN. SVETRIO
MARCELLO. EQVO. PVBLICO
AED. Q. IIII. VIR. I. D. IIII. QVINQ. II
PATRONO. MVNIC. FLAMINI. DIVI
VESPASIANI
M. BAEBIVS. SVETRIVS. MARCELLVS. ET
SVETRIA. RVFA. OPTVMO. HVIC. DECV
RIONES. FVNVS. PVBLICVM. STATVAM
EQVESTREM. CLYPEVM. ARGENTEVM
LOCVM. SEPVLTVRAE. DECREVERVNT
VRBANI. STATVAM. PEDESTREM

item

L. APPAEO, L. F
PVP
PVDENTI. P. P
TRIB. COH. XII
VRB. ET. X. PRAET
FLAMINI. FLAV
PATRONO

De sodalibus autem Flavialibus;

IMP. CAESARI
DIVI. F. T. VESPAS
IANO. AVGVSTO
PONTIF. MAX. TRIB
POT. IMP. X. P. P
CENSORI. CONSER
VATORI. AEDIVM
PVBLICARVM. ET
RESTITVTORI. AEDIVM
SACRARVM
SODALES. FLAVII
P. MARTIVS. VERVS

De sacerdote divæ Domitillæ.

Divæ Domitillæ sororis Titi & Domitiani Imperatorum, Vespasiani Augusti filiæ, a Domitiano imperatore consecratæ, cujus meminit Statius libro Silvarum primo, hanc marmoream inscriptionem vidi.

C. ASCONIO. C. F.
FAB. SARDO
IIII. VIR. I. D
PRAEF. FABR
FRATRI
CVSINIAE. M. F
SARDI. MATRI
ET. SIBI
ASCONIA. C. F
AVGVRINA
SACERDOS
DIVAE. DOMITILLAE

De flamine Trajanali.

De flamine, & sodalibus divi Trajani, quem consecratum ab Hadriano fuisse omnes tradunt, has vidi veteres inscriptiones.

P. CLODIO. P. F
FAB. SVRAE
Q. FLAMINI. DIVI
TRAIANI. PONTIF
II. VIR. QVINQ. TRIB. LEG
II. ADIVTRIC. PIAE. FID
CVRAT. REIP. BERGOMEN
DAT. AB. IMP. TRAIANO
CVRAT. REIP. COMENS
DAT. AB. IMP. HADRIANO
COLLEGIA
FABROR. ET. CENT.

item

SEX. TITIO
SEX. F. PVP
MONTANO
CAESIO. SABINO
EQVO. PVBLICO
AED. PONTIFICI
FLAMINI. TRAIANAL
PATRONO. MVNIC
PLEBS. VRBAN
H. R. I. R. I

item

IOVI. CONSERVATORI. ET. IVNONI. SANCTAE
SACRVM
C. PLAETORIVS. C. F. STEL. PHOEBVS. VI. VIR
AVGVSTAL
SODAL. TRAIANAL. ET. HADRIANAL. IIII. VIR
QVINQVEN
PATR. IVVEN. TREBVL. MVTVST. VOT. SOL. LIB
MER

Sacerdotum divarum Plotinæ, Marcianæ, & Faustinæ meminerunt hæ vetustæ inscriptiones.

AEMILIAE
C. F
SACERD. DIVAE
PLOTINÆ
COLLEG. CENT
TITVLO. VSA
D. M
CETRAMIAE
P. F. SEVERINAE
SACERDOTI
DIVAE. MARCIANAE
T. BAEBIVS. GEMELLI
NVS . . . . AVGVST
CONIVGI. SANCTISS

item

SAENIAE. CN. FIL
BALBILLAE
SACERDOTI. DIVAE
FAVSTINAE. DECVRI
ONES. AERE. COLLA
TO. OB. MERITA. EIVS

De flamine Hadrianali.

Hadrianum imperatorem vita functum, ab Antonino Augusto Pio consecratum fuisse his verbis docet Ælius Spartianus: *Hadrianus rogante Antonino divus a senatu appellatus est, qui templum ei pro sepulchro apud Puteolos constituit, & quinquennale certamen, & flamen, & sodales, & multa alia, quæ ad honorem quasi numinis pertinerent.* Unde multi Antoninum Pium dictum putant.

De flamine Hadrianali meminit vetus hoc elogium ita:

L. FABIO M. F. GAL. CILONI
SEPTIMINO. COS. PRAEF. VRB
LEGG. AVGG. PR. PR. PANNON
SVPERDVCI. VEXILL. LEG. PRO
PR. PROVINCIAR. MOESIAE. SVPER
PONTI. ET. BITHYNIÆ
COMITI. AVG. LEG. AVGG. PRO
PR. PROV. GALATIAE. PRAEF
AER. MILITARIS. PROV
COS. ITEM. Q. LEG. PROV. NARBONENS
LEG. LEG. XVI. FL. F. SAMOSATE
SODAL. HADRIANAL
PR. VRB. TRIB. PLEB. Q. PROV
CRETÆ. TRIB. LEG. XI. CL
X. VIR. STLITIB. IVDICANDIS
MEDIOLANENSIS
PATRONO

Plerosque ex sequentibus imperatoribus inter divos relatos fuisse, docent Dio, Herodianus, Ælius Spartianus, Julius Capitolinus, Eutropius, & alii imperatorum vitarum scriptores, inter quos Marcum, L. Verum, Commodum, Pertinacem, & Severum fuisse ex iisdem constat, egoque paulo post ostendam, & antiqua hæc profitetur inscriptio, quæ eorundem sodalium meminit.

C. CAERELLIO. FVFIDIO
ANNIO. RAVO. C. F. OVF
POLLITIANO. SODALI
MARCIANO. AVRELIANO
COMMODIANO. HELVIANO
SEVERIANO. III. VIR. MONET
A. A. A. F. F. TRIB. LATICLAVIO
LEG. III. CYR. VI. VIR. EQVIT. ROM
TVRMÆ. PRIMÆ. QVAESTOR
CANDIDATO
IMP. CAESARIS. M. AVRELI
ANTONINI. PII. FELICIS. AVG
TRIB. PL. CANDID. PR. HASTAR. C. V
FVFIDII. AMYCVS. ET
CHRESTINA. NVTRITORES

Ceterum si quis desiderio tenetur intelligere, quo ritu, & quibus cærimoniis veteres Romani imperatores inter divos referebantur, is commentarios nostros in secundum Fastorum librum petere poterit, ex quo omnia accurate &, ut existimo, diligenter descripta, facile cognoscere poterit. Ego vero hoc loco omnes imperatores, & Augustas, qui apud veteres inter divos relati sunt, adjiciam, ut quot flamines fuerint omnes demum intelligere possint, quot enim divi imperatores usque ad Constantinum, tot etiam flamines fuisse existimandum est.

CAP. XXVIII.

Imperatores Cæsares & Augustæ, qui inter divos ex s. c. relati sunt.

DIVOS JVLIVS.

AB Augusto Cæsare. Nummi ærei. Lapides. Tranquillus cap. XXCVIII. Dio lib. XLVI.
Divus Augustus Pater.
a Ti. Cæsare Augusto. Nummi ærei. Lapid. Tacitus lib. I. Tranquill. cap. C. Dio. lib. LVI. Eutropius lib. VII. Victor.

Diva Augusta.
a Claudio Imp. Nummus æreus. Tranq. in Claudio cap. XI.
Diva Drusilla.
a Caio Caligula Imp. fratre. Tranquill. in Caio cap. XXIIII.
Divus Claudius.
a Nerone Imp. Nummus argenteus. Tacitus L. XII. Tranquill. cap. XLV. Eutropius libro VII.
Diva Claudia Poppæa.
a Nerone Imp. patre. Tacitus lib. XVI. & Tranquillus.
Divus Augustus Vespasianus.
a Tito filio. Nummi. Lapides. Tranquillus C. XXIII. Statius Lib. Silvarum. I. Eutropius libro VII.
Divus Titus Augustus.
a Domitiano fratre. Num. Lap. Tranquillus in Tito, & Domit. cap. II. Statius libro Silvarum I. Eutropius libro VII.
Diva Domitilla.
a fratre Domitiano. Statius libro Silvarum I. Lapides.
Diva Julia Divi Titi Filia.
a patruo Domitiano Imp. Nummi argentei, & aurei. Statius libro Silvarum I.
Divus Cæsar Imp. Domitiani Aug. F. alias.
Divus Cæsar Domitianus.
a patre Domitiano Imp. Nummi argenteus, & aureus.
Divus Nerva.
a Trajano Imp. Nummus arg. Lapides. Eutrop. L. VII.
Diva Augusta Martiana.
Trajani Imp. soror, a Trajano. Nummus arg. Lapides.
Divus Trajanus Parthicus.
ab Hadriano Imp. Nummus argent. Lap. Eutropius. L. VIII.
Diva Plotina.
Trajani Imp. uxor, ab Hadriano. Nummi arg. Lapides. Dio, & Spart. in Hadriano. Sex. Aurelius Victor.
Divus Antinous.
ab Hadriano. Spartianus in Hadriano.
Diva Sabina:
Hadriani uxor, ab Hadriano. Nummi, & Lapides. Spartianus in Hadriano.
Divus Hadrianus Augustus.
a Pio Imp. Nummi arg. & Lapides. Spartianus, Capitolinus in Pio. Eutropius lib. VIII.
Diva Augusta Faustina.
Pii Imp. uxor, a Pio. Nummi argenteus, & æreus. Lapides. Capitolinus in Pio.
Divus Antoninus Pius.
a Marco Imp. Nummi arg. & ærei. Lapides. Capitolinus in Pio. Victor, & Eutropius lib. VIII.
Divus Verus Parthicus.
a Marco Imp. Nummi ærei. Capitolinus in Marco. Eutropius lib. VIII.
Diva Faustina Pia.
a marito Marco Imperatore. Nummi argentei, & ærei. Capitolinus in Marco.
Divus M. Antoninus Pius.
Germanicus Sarmaticus.
a Commodo Imperatore. Nummi, & Lapides. Capitolinus. Eutropius lib. VIII.
Divus Commodus.
a Severo Imperatore. Nummi, & Lapides. Lampridius, & in Severo Spartianus.
Divus Pertinax Pius Pater.
a Severo Imperatore. Nummi ærei. Dio, Julius Capitolinus, & Sex. Victor.
Divus Septimius Severus Pius.
a Caracallo, & Geta impp. filiis. Nummi, & Lapides. Herodianus lib. IV. Spartianus, Eutropius lib. VIII.
Divus Geta.
a Caracallo Imp. fratre. Spartianus.
Divus Antoninus.
a Macrino Imperatore. Spartianus.

A

Diva Julia Augusta.
Severi Imperatoris uxor, ab Alagabalo. Nummus æreus. Ex Herodiano.
Diva Julia Mæsa.
Avia Imp. Alexandri, ab ipso consecrata. Herodianus lib. VI.
Divus Alexander.
a S. P. Q. R. Lampridius.
Diva Julia Mammæa.
Alexandri Imp. mater. a S. P. Q. R. Lamprid. in Alexandro.
Diva Paullina.
Uxor Maximini, ab ipso. Nummus æreus.

B

Divus Gordianus Africanus.
a S. P. Q. R. Herodian. lib. VIII. Julius Capitolinus.
Divus Gordianus Augustus.
a Philippo Imp. Julius Capitolin. Eutropius lib. IX.
Divus Philippus Senior.
Divus Philippus Junior.
Divus Decius.
a S. P. Q. R. Eutropius libro IX.
Divus Valerianus.
a Gallieno filio Imp. Trebellius Pollio in Gallieno.

C

Diva Mariniana.
a Gallieno. Nummi argenteus, & æreus.
Divus Cæsar Valerianus.
a Gallieno patre. Nummus argenteus. ex Pollione.
Divus Claudius.
ab Aureliano Imp. Nummus æreus. Trebellius Pollio, Eutrop. lib. IX. Victor.
Divus Aurelianus.
a Tacito Imp. Fl. Vopiscus Eutropius libro IX.
Divus Carus.
a filiis Carino & Numeriano Imp.
Divus Numerianus.
a Diocletiano Imp. Lapis antiquus.

D

Divus Nigrinianus.
Nummus æreus.
Divus Constantius Pius Princeps.
a Constantino Imp. filio. Nummus æreus, & Lapides, Eutropius libro X.
Divus Maximianus Sen Fort. Imp.
a Maxentio Imp. filio. Nummus æreus.
Divus Romulus.
a Patre Maxentio Imp. Nummus æreus.
Divus Maximianus.
a Licinio Aug. Nummus æreus.
Divus Diocletianus.
a Constantino, & Licinio Impp. Eutropius lib. IX.

E

Diva Helena.
a filio Constantino Imperatore.
Divus Aug. Pius Constantinus Max.
a filiis Constantino, Constantio, & Constante Augustis. Nummus æreus. Eutrop. lib. X. Codex Theodosianus.
Divus Constantinus Jun.
a fratribus Constantio, & Constante Augustis. Codex Theodosianus.
Divus Constans.
a fratre Constantio. Eutropius lib. X. Symmachus lib. I. Epist. XXXIX.

F

Divus Constantius.
a Juliano Imp. Eutropius lib. X. Symmachus ibidem. Codex Theodosianus.
Divus Julianus.
a Joviano, Aug. Eutropius libro X. Symmachus ibid. Codex Theodosianus.
Divus Jovianus.
a Valentiniano, & Valente Imp. Eutropius lib. X. Codex Theodosianus.
Divus Valentinianus Magnus.
a Gratiano filio, & Valente fratre Imp. Marcellinus Comes.

Divus Valens.

a Gratiano, & Valentiniano Juniore Impp. Codex Theodosianus.

Divus Gratianus.

a Theodosio, & Valentiniano Juniore Impp. Codex Theodosianus. Symmachus lib. I. Epist. XXXIII. & XXXIX.

Divus Valentinianus Jun.

a Theodosio Imp. Codex Theodosianus.

Divus Theodosius.

a filiis Arcadio, & Honorio Imp. Codex Theodosianus.

Divus Arcadius.

a filio Theodosio Juniore Aug. Codex Theodosianus.

Divus Honorius.

a Valentiniano III. Aug. Codex Theodosianus.

Divus Theodosius Junior.

a Valentiniano III. Imperatore. ex Codice Justiniani.

Divus Placidius Valentinianus.

Ex Codice Justiniani.

CAP. XXIX.

VIRGINES VESTALES VI.

De Virginibus Vestalibus.

VIRGINUM Vestalium institutionem Dionysius libro secundo, Livius lib. primo, & in Romuli, & Numæ vitis Plutarchus, Numæ Pompilio, quemadmodum pleraque alia sacra tribuunt. Alii vero (ut tradit Plutarchus) inter quos Virgilius, vetustius id institutum putant; ipsum enim Ilio, & Troianis manasse scribunt, posteaquam Palladio potiti sunt. Easque ex Troianis ad Lavinios primum, deinde Albanos, postremo ad Romanos commigrasse. Virgilius II. Æneidos.

Sic ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Vestæ enim ignis perpetuus dicatus erat, a sacris virginibus custoditus. Eam autem terram esse quidam credunt: alii vero Vestam nihil aliud quam purum ignem esse arbitrantur. Alii porro eandem, quæ & Opis, & Cybeles omnium eorum mater dicitur, esse opinati sunt. Cujus sacra, vigilem scilicet ignem, cum virginibus, penatibus, & Palladio Æneas ex Troia in Latium tulit, & condito Lavinio Vestæ ædem sacravit; in qua etiam hæc sacra condidit. Postea Ascanius condita Alba longa templum Vestæ ædificavit in montis Albani parte, cui suberat lucus, in quo Ilia sive Rhea Silvia Romuli mater compressa est. Vestæ enim ministræ perpetuam virginitatem servabant. Nam mos antiquus Latinis fuit, generosas & castas virgines legere in Vestæ ministerium; quod idem observasse Romulum quidam tradunt, qui castissimas sacrorum cærimonias, ut auctor est M. Varro, instituit, temploque Vestæ excitato, Vestales virgines legit. Quamquam alii (ut dixi) non Romulum, sed Numam Pompilium ejusmodi instituti auctorem ferant. Ego porro existimo Vestalium sacra antiquissima quidem, & longe ante ipsum Romulum fuisse. Nam Ilia, sive Rhea virgo Vestalis fuit, ipsorum scriptorum testimonio. Numam vero ipsum templum Vestæ condidisse, (quum id sacerdotium a Romulo neglectum fuisset, domesticæ calamitatis recordatione) præscriptum virginum numerum ordinasse, rationem, & tempus quibus capi deberent addidisse, honorem, delinquentium pœnam, & postremo omnes Vestalium cærimonias statuisse, quibus apud Romanos eas teneri mos fuit, quæ ante Numam nequaquam ita accurate observata fuisse crediderim. Nam is Vestæ templum circulari effigie in foro inter Palatium & Capitolium ex antiquorum Latinorum & Albanorum ritu ædificavit, & Vestæ sacra, ignemque perpetuum, certis quibusdam virginibus, a se lectis tradidit custodienda. Ignis porro perpetui sacris Vestæ virginibus custodiam ideo veteres commisisse traditur, ut puram & incorruptam ignis substantiam, inviolatis item integrisque corporibus commendarent, sive quod sterile, & infecundum esset scitæ virginitati adjungerent. Ideo autem in Vestæ templo perpetuum ignem servari voluerunt, quod veteres nihil aliud Vestam esse existimaverint, quam purum ignem, vel quod Vesta eadem esset quæ & tellus, quæ medium orbis locum obtinens, igneos globos ex se ipsa emittat. Itaque nihil aliud a sacris virginibus, quam inextinguibilem illum ignem custodiri quidam putant. Nonnulli vero præter hunc, alia quædam arcana in Vestæ templo servari tradidere, pontificibus ipsis, virginibusque Vestalibus etiam incognita, quod ea videre, aut audire fas non sit. Quidam duo dolia haud magna, alterum apertum, alterum clausum in Vestæ templo fuisse scribunt, in quibus quid repositum fuerit, incertum. Alii Palladium in eo templo custodiri etiam existimaverunt. Quoties autem ignis ille perpetuus quovis casu extinguebatur, maximorum malorum imminentium præsagium erat, idque super omnia gravia Romani timebant, interitum urbis quamprimum adfuturum existimantes, ut Romæ, quum Mithridatici, tum civilis belli temporibus, quibus ignis in æde Vestæ extinctus fuit. Ignem autem amissum nequaquam decebat ex altero igne sumere, sed maximis precibus numen Vestæ placantes, multis sacrificiis novum ex Solis radiis eliciebant, pura & immaculata flamma, ex lagena aqua plena Solis splendori opposita, accensa. Primus autem Numa quattuor Vestales virgines legit omnes nobilissimas, & patricias, Geganiam, Berenniam, Canuleiam, & Tarpeiam. Quibus postea aucta civitate, propter multitudinem sacrorum, quæ perficiebant, duas alias addidit Ser. Tullius rex, sexque virgines Vestales factæ sunt, qui numerus semper postea in posterum mansit donec id sacerdotium fuit. Quarum præfecta virgo Vestalis maxima appellabatur, quemadmodum ex his inscriptionibus liquet.

CLOELIAE. CLAVDIANAE
V. V. MAXIMAE
A. DIIS. ELECTAE. MERITO
QVAM. SIBI. TALEM. ANTISTITEM
NVMEN. VESTAE. RESERVARE VOLVIT
COELIA. NERVIANA. SOROR
CVM. PIERIO. CONIVGE. AC. LIBERIS
SVIS. ORANTES. VT. PER. TOT. SAECVLA
FACERE. DII. PERMITTANT

item

FL. MANILIAE. V. V. MAX
CVIVS. EGREGIAM. SANCTIMO
NIAM. ET. VENERABILEM
MORVM. DISCIPLINAM
IN. DEOS QVOQVE. PER VIGILEM
ADMINISTRATIONEM
SENATVS. LAVDANDO
COMPROBAVIT
AEMILIVS. FRATER. ET
RVFINVS. FRATER. ET
FLAVII. SILVANVS. ET
EIRENEVS. SORORIS. FILII
A. MILITIIS. OB. EXIMIAM
ERGA. SE. PIETATEM
PRAESTANTIAM. QVE

L. Antistius Labeo, qui de Virgine Vestali capienda diligentissime scripsit, minorem quam annos sex, majorem quam annos decem natam capi fas esse negavit: item quæ non fuerit patrima, & matrima, hoc est cujus utrique parentes viverent, item quæ lingua debili, sensuve aurium diminuta, aliaque quavis corporis labe affecta sit: item quæ ipsa, aut cujus pater emancipatus sit, etiam si vivo patre in avi potestate sit. Item cujus parentes alter ambove servitutem servierint,

rint, aut in negociis sordidis diversati sint: sed eam, cujus soror ad id sacerdotium lecta sit, excusationem mereri aiunt: item cujus pater flamen, aut augur, aut XV. vir sacris faciundis, aut qui septem vir epulonum, aut salius etiam fuerit. Sponsæ quoque pontificis, & tibicinis sacrorum filiæ vacatio a sacerdotio isto tribui solet. Porro autem C. Attejus Capito XV. vir sacris faciundis scriptum reliquit, neque ejus legendam filiam, qui domicilium in Italiam non haberet, & excusandam ejus, qui liberos tres non tulisset. Virgo autem Vestalis simul atque capta, & in atrium Vestæ deducta, pontificibus tradita est, eo statim tempore sine emancipatione, ac sine capitis minutione, e patris potestate exiit, & jus testamenti faciundi adipiscitur. Virginibus Vestalibus triginta annorum castitas a rege Numa præscripta fuit, quibus caste & incorrupte manerent, sacrificiaque & alias cærimonias Vestæ peragerent. Quod tempus in tres partes partitum erat; nam decem primis annis discebant, totidem ministræ erant, reliquis vero decem, alias juniores edocebant. Anno vero tricesimo exacto, dabatur eis nubendi potestas; quæ vittis & reliquis sacerdotii insignibus depositis, matrimonio jungi poterant. Hoc vero paucissimas admodum fecisse traditum est. Fertur quoque eis, quæ hanc nubendi licentiam amplexæ sunt, non tantum multa adversa omni tempore quo vixerunt contigisse, verum etiam pœnitentia & mœrore reliquam vitæ partem infeliciterque transegisse. Vesta injuriam, quæ sibi allata videbatur, ulciscente, pessimum postremo vitæ finem sortitæ sunt. Quare reliquæ his exemplis permotæ, usque ad mortem pudice & caste in Vestæ ministerio permanserunt. In demortuæ autem locum ante triginta annorum spatium, aliam subrogare necesse erat. Interdiu cum virginibus Vestalibus commorari omnibus licebat; noctu autem viris ad eas ingressus erat interdictus. Quas populus Romanus multis maximisque honoribus honestavit, quibus nuptiarum, aut filiorum desiderium leniri poterat. Sacrosanctæ enim & inviolabiles erant, lictore utebantur, ampliorem & digniorem in circo & aliis spectaculis locum habebant: si casu quispiam nocens ad mortem ductus, virginem Vestalem obviam habuisset, eum amplius interficere non licebat, verum jurare cogebatur, se non ultro, & de industria, aut dedita opera, sed casu obviam factam. Qui vero occurrebat, cum ipsæ feretro vehebantur ad necem, nihilominus moriebatur. Vestalium porro delinquentium pœna hæc erat: Si petulanter egisset, aut rerum sacrarum perinde ac ignis custodiam suæ curæ creditam neglexisset, atque ob cetera ejusmodi peccata, nuda linteo tamen obtensa, in editiore obscurioreque domus loco, flagris a pontifice maximo verberabatur, quemadmodum a P. Licinio pontifice maximo in eam, quæ parum diligenter sacrum ignem custodierat, animadversum fuisse, Valerius tradit. Si vero parum pudice se habuisset, castitateque amissa, incesti convicta fuisset, turpissima miserabilique morte, hac ratione afficiebatur. Sandapila vincta efferebatur per medium forum, ab ædibus Vestæ usque ad portam Collinam, tanquam mortua, cum luctu propinquorum, & necessariorum, sequentibus pontificibus, aliisque sacerdotibus in mœsto silentio. Juxta portam Collinam intra urbis muros, tumulus usque hodie impudicarum Vestalium supplicium sinistra euntibus ad portam, imminet, ubi locus erat subterraneus, in quo per foramen scalis descendebatur. In eum virgo corrupta, vinculis soluta, capiteque velato, postquam pontifex maximus arcana quædam verba pronuntiasset, & cum ceteris sacerdotibus terga vertisset, sola a carnifice demittebatur, sublatisque scalis occludebatur locus undique, ubi ne fame videretur necata, panis, lactis, & olei aliquantulum ponebatur, lectulusque stratus, & ardens lucerna simul. Quibus perfectis discedebant sacerdotes, atque eo die justitium erat in urbe, & mœror, pavorque magnus, præsertim quod ingentes civitati, atque reipublicæ calamitates pœna Vestalis virginis portendere credebatur. Nec sane civitas lugubriorem, aut mœstiorem diem agebat, quam eum, quo de virgine Vestali supplicium sumptum est. De more autem, rituque capiundæ virginis litteræ quidem antiquiores non extant, nisi quod capta fuisse fertur, quæ capta prima est a Numa rege. Ego autem (ut supra dixi) ante Numam ipsum captam primum fuisse Vestalem existimio, tum multis conjecturis, tum etiam ex testimonio libri primi Q. Fabii Pictoris, in eo loco ubi ea verba recitantur, quæ pontifex maximus fari solet, quum virginem Vestalem capit. Ea autem ejusmodi sunt: *Sacerdotem Vestalem, quæ sacra faciat, quæ jus siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus uti, quod optima lege fiat, ita te Amata capio.* Amata autem inter capiendum a pontifice maximo appellatur, quoniam quæ prima capta est, hoc fuisse nomine traditum est. Ceterum quum ex quatuor, quas primas a Numa captas refert Plutarchus, nulla sit quæ Amata vocatur, ante Numam quoque virgines Vestales fuisse certum est. De capienda quoque virgine Vestali invenitur lex Papia, qua cautum fuit, ut pont. max. arbitratu, virgines e populo viginti legantur, sortitioque in concione ex eo numero fiat. Sed ea sortitio ex lege Papia paulatim abrogata est. Nam si quis honesto loco natus, pontificem maximum adiisset, atque obtulisset ad sacerdotium filiam suam, cujus duntaxat salvis religionum observationibus, ratio haberi posset, gratia Popilliæ legis per se ratum fit. Capi autem virgo propterea dicitur, quia pontificis maximi manu prehensa, ab eo parente in cujus potestate est, veluti bello capta abducitur. Plerique autem capi virginem solum debere dici putant, sed flamines quoque Diales, pontifices, & augures capi dicebantur, ut auctor est L. Sulla rerum gestarum libro secundo. In commentariis autem Antistii Labeonis, quæ in XII. tabulas composuit, ita scriptum est: *Virgo Vestalis neque hæres est cuiquam intestato, neque intestatæ quisque, sed bona ejus in publicum redigi aiunt.* Vestales autem publicis sumptibus alebantur. Quod sacerdotium Romæ usque ad Theodosii senioris Augusti tempora perduravit; ipse enim quum Christianæ pietatis cultum ardentissime amplexus esset, gentiliumque antiquæ superstitioni præ omnibus Romanis imperatoribus adversaretur, eas tollendas censuit. Quæ res hac ratione transacta est. Victo & occiso Maximo tyranno, qui Gratianum imperatorem per insidias apud Lugdunum interfecerat, quum Romam venisset, triumphum de tyranno acturus imperator Theodosius Augustus, postquam triumphum egisset, filiumque suum Honorium imperatorem creasset, Romano suasit senatui, qui religionem veterem retinere studebat, ut decepti, & inducti in errores gentium, resipiscere, & Christianam religionem, in qua omnium scelerum abolitio donaretur, amplecti vellent. Sed nemo motus omni oratione illius dicitur, quod negarent, se facere posse, ut majorum suorum instituta & tradita novitiis Christianorum inventis postponerent, quum illorum custodia urbs incolumis prope mille & ducentos annos conservata fuisset; quibus si alia potiora duxissent, ignorare se quæ sit fortuna consequutura. Institit tum pius princeps, & remp. sumptibus sacrorum gravari dixit. quos quum senatus tueri non posset, virginum Vestalium ante omnes, pontificum, augurum, XV. virum sacris faciundis, fetialium, saliorum, VII. virum epulonum, & aliorum sacerdotum redditus publicos privatosque uno edicto sustulit: quare paulatim Christiana religione crescente, gentilium superstitiones aboleri, & antiquari cœptæ sunt, quum sumptus quibus sacerdotes ali ac nutriri possent, amplius eis a nullo suppeditarentur. Quo tempore senatus auctoritas admodum diminuta est. Legationem postremo pro antiquis cærimoniis,

& præsertim virginibus Vestalibus restituendis, Q. Aurelius Symmachus V. C. præfectus urbi ad impp. Theodosium & Valentinianum Juniorem suscepit, a quibus quum ejusdem postulata suscepta non fuissent, nihil eorum quæ petierat obtinere potuit, divino Ambrosio Mediolanense episcopo soluta oratione, & Aurelio Prudentio heroicis versibus acriter reclamantibus, ejusque rationes singularis ingenii, & eruditionis plenis orationibus refellentibus. Porro autem tam Symmachi relationem, quam Divi Ambrosii responsionem hoc loco adjicere placuit, tum quod ob rerum quibus refertæ sunt copiam, his commentariis intelligendis maximo usui erunt, tum ut quibus rationibus vana gentilitas ritus suos defendere solebat cognoscatur: quibusque rationibus divinus ille Ambrosius tela in nos a Symmacho jacta in eum ipsum retorserit. Fuit vero is Symmachus senatorii ordinis, & quod tum eximium habebatur in ipsis senatoribus, sicut & apud eorum majores, cærimoniarum veterum pontifex, item augur, & XV. vir sacris faciundis, ut ex ejus statuæ elogio intelligi potest, & ideo parum æquus Christianis, ut sunt ingenia propensa ad privatum commodum. apud quos si potuisset eundem dignitatis locum tueri, fortasse sensisset aliter. quo factum est, ut contradictores, & ut ita loquar antagonistas habuerit insignes aliquot e nostris, in queis ut dixi Prudentium, & D. Ambrosium, cum quibus etiam victo certasse fuit honorificum, quod ipsum excusaret causa deterior, non divitior facundia. De qua sic scribit Prudentius:

O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat & ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas;
Os dignum æterno tinctum quod fulgeat auro.
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Prætulit, & liquidam temeravit crimine vocem.

Atque hactenus de Symmacho: nunc vero ipsum pro veteri superstitione differentem audiamus.

DDD. NNN. VALENTINIANO THEODOSIO ET ARCADIO AVGVSTIS SYMMACHVS V. C. PRAEFECTVS VRBI.

UBI primum senatus amplissimus semperque vester, subjecta legibus vitia cognovit, & a principibus piis vidit purgari famam proximorum temporum, boni sæculi auctoritatem secutus, evomuit diu pressum dolorem, atque iterum me querelarum suarum jussit esse legatum. Cui ideo divi principis denegata est ab improbis audientia, quia non erat justitia defutura, DD. Imperatores Valentiniane, Theodosi, & Arcadi, inclyti victores & triumphatores semper Augg. Gemino igitur functus officio, & ut præfectus vester gesta publica prosequor, & ut legatus civium mandata commendo. Nulla est hic dissensio voluntatum, quia jam credere homines desierunt aulicorum se studio præstare, si discrepent. Amari, coli, diligi, majus imperio est. Quis ferat, obfuisse reipub. privata certamina? Merito illos senatus insequitur, qui potentiam suam famæ principis prætulerunt. Noster autem labor, pro clementia vestra ducit excubias. Cui enim magis commodat quod instituta majorum, quod patriæ jura & fata defendimus, quam temporum gloriæ? quæ tum est major, cum vobis contra morem parentum intelligitis nil licere. Repetimus igitur religionum statum, qui reip. diu profuit. Certe numerentur principes utriusque sectæ, utriusque sententiæ: proximus eorum cærimonias patrum coluit, recentior non removit. Si exemplum non facit religio veterum, faciat dissimulatio proximorum. Quis ita familiaris est barbaris, ut aram victoriæ non requirat? Cauti in posterum sumus, & talium rerum ostenta vitamus. Reddatur tamen saltem nomini honor, qui numini denegatus est. Multa victoriæ debet æternitas vestra, & adhuc plura debebit. Aversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit, vos amicum

A *triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista votiva est. Nemo colendam neget, quam profitetur optandam. Quod si hujus numinis non esset justa visitatio, ornamentis saltem curiæ decuit abstineri. Præstate oro vos, ut ea quæ pueri suscepimus, senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est. Merito divi Constantii factum diu non stetit. Omnia vobis exempla vitanda sunt, quæ mox remota didicistis. Æternitatem curamus famæ & nominis vestri, ne quid futura ætas inveniat corrigendum. Ubi in leges vestras & verba jurabimus? qua religione mens falsa terrebitur, ne in testimoniis mentiatur? Omnia quidem deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus. Sed plu-* B *rimum valet ad metum delinquendi, etiam præsentia religionis urgeri. Illa ara concordiam tenet omnium, illa ara fidem convenit singulorum, neque aliud magis auctoritatem facit sententiis nostris, quam quod omnia quasi juratus ordo decernit. Patebit ergo sedes prophana perjuriis, & hic inclyti principes mei probabile judicabunt, qui sacramento publico tuti sunt? Sed divus Constantinus idem fecisse dicitur. Cetera potius illius principis æmulemur, qui nihil tale esset aggressus, siquis ante se alius deviasset. Corrigit enim sequentem lapsus prioris, & de reprehensione antecedentis exempli nascitur emendatio. Fas fuit, ut parens* C *ille clementiæ vestræ, in re adhuc nova non caveret invidiam. Num potest etiam nobis eadem defensio non venire, si imitemur quod animus improbat? Accipiat æternitas vestra alia ejusdem principis facta, quæ in usum dignius trahat. Nil ille decerpsit sacrarum virginum privilegiis, decrevit nobilibus sacerdotia, Romanis cærimoniis non negavit impensas, & per omnes vias æternæ urbis lætum secutus senatum, vidit placido ore delubra, legit inscripta fastigiis deum nomina, percontatus est templorum origines, miratus est conditores. Cumque alias religiones ipse sequeretur, has servavit imperio. Suus enim cuique mos, suus cuique ritus est. Varios custodes urbibus cunctis mens divina distri-* D *buit. Ut animæ nascentibus, ita populis fatales genii dividuntur. Accedit utilitas, quæ maxime homini deos asserit. Nam cum ratio omnis in operto sit, unde rectius quam de memoria atque documentis rerum secundarum, cognitio venit numinum? Jam si longa ætas auctoritatem religionis faciat, servanda est tot sæculis fides, & sequendi sunt nobis parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Romam nunc putemus assistere, atque his vobiscum agere sermonibus. Optimi principes, patres patriæ, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar cærimoniis avitis; neque enim pœnitet. Vivam more meo, quia libera sum. Hic cul-* E *tus in leges meas orbem redegit, hæc sacra Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Ad hoc ergo servata sum, ut longæva reprehendar? Video quale sit quod instituendum putatur. Sera tamen & contumeliosa est emendatio senectutis. Ergo diis patriis, diis indigetib. pacem rogamus. Æquum est, quicquid omnes colunt unum putari. Eadem spectamus astra, commune cœlum est, idem mundus involvit. Quid interest, qua quisque prudentia verum inquirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Sed hæc otiosorum disputatio est. Nunc preces, non certamina offerimus. Quanto commodo sacri ærarii vestri, Vestalium virginum prærogativa detracta est:* F *sub largissimis Imperatoribus denegatur, quod parcissimi præstiterunt. Honor solus est in illo velut stipendio castitatis. Ut vittæ earum capiti decus faciunt, ita insigne ducitur sacrificii, vacare muneribus. Nudum quodammodo nomen immunitatis requirunt, quoniam paupertate a dispendio tutæ sunt. Itaque amplius laudi earum tribuunt, qui aliquid rei detrahunt. Siquidem saluti publicæ dicata virginitas, crescit merito cum caret præmio. Absint ab ærarii vestri puritate ista compendia. Fiscus bonorum principum, non sacerdotum damnis, sed hostium spoliis augeatur. Ullum ne lucrum compensat invidia? Atqui avaritia in vestros*

A *mores non cadit. Hoc miseriores sunt, quibus subsidia vetera decerpta sunt. Etenim sub Imperatoribus qui alieno abstinent, qui resistunt cupiditati, ad solam detrahitur amittentis injuriam, quod desiderium non movet auferentis. Agros etiam virginibus & ministris deficientium voluntate legatos, fiscus retentat. Oro vos justitiæ sacerdotes, ut urbis vestræ sacris reddatur privata successio. Dictent testamenta securi, & sciant sub principibus non avaris stabile esse quod scripserunt. Delectet vos ista felicitas generis humani. Cœpit caussæ hujus exemplum sollicitare morientes. Ergo Romanæ religiones ad Romana jura non pertinent? Quod nomen accipiet ablatio facultatum, quas nulla lex, nullus casus fecit caducas?*

B *Capiunt legata liberti, servis testamentorum justa commoda non negantur. Tantum nobiles virgines, & fatalium sacrorum ministri, excluduntur prædiis hæreditate quæsitis. Quid juvat, saluti publicæ castum corpus dicare, & imperii æternitatem cœlestibus fulcire præsidiis, armis vestris, aquilis vestris, amicas applicare virtutes, pro omnibus efficacia vota suscipere, & jus cum omnibus non habere? Ita ne melior est servitus quæ hominibus impenditur? Remp. lædimus, cui nunquam expedit ut ingrata sit. Nemo me putet solam caussam religionum tueri. Ex hujusmodi facinoribus, orta sunt cuncta Romani generis incommoda.*

C *Honoraverat lex parentum Vestales virgines ac ministros deorum, victu modico justisque privilegiis. Stetit muneris hujus integritas usque ad degeneres trapezitas, qui ad mercedem vilium bajulorum sacræ castitatis alimenta verterunt. Secuta est hoc factum fames publica, & spem provinciarum omnium messis ægra decepit. Non sunt hæc vitia terrarum. Nihil imputamus astris. Nec rubigo segetibus obfuit, nec avena fruges necavit. Sacrilegio annus exaruit. Necesse enim fuit perire omnibus, quod religionibus negabatur. Certe si est hujus mali aliquod exemplum, imputemus tantam famem vicibus annorum. Gravis hanc sterilitatem aura contraxit.*

D *Silvestribus arbustis vita producitur, & rursus ad Dodonæas arbores plebis rusticæ inopia convolavit. Quid tale provinciæ pertulerunt, quum religionum ministros honor publicus pasceret? Quando in usus hominum concussa quercus? quando vulsæ sunt herbarum radices? quando alternos regionum defectus deseruit fœcunditas mutua, quum populo & virginibus sacris communis esset annona? Commendabat enim terrarum proventus victus antistitum, & remedium magis quam largitas erat. An dubium est, semper pro copia omnium datum, quod nunc inopia omnium vendicavit? Dicet aliquis, sumptum publicum denegatum alienæ religionis impendiis.*

E *Absit a bonis principibus ista sententia, ut quod de communi quibusdam tributum est, in jure fisci esse videatur. Nam cum resp. de singulis constet, quod ab ea proficiscitur, fit rursus proprium singulorum. Omnia regitis, si suum cuique servatis, plusque apud vos justitia quam licentia valet. Consulite certe munificentiam vestram, an hæc publica velit existimari, quæ in alios transtulistis. Semel honori urbis delata compendia, desinunt esse tribuentium, & quod a principio beneficium fuit, usu atque ætate fit debitum. Inanem igitur metum divino animo vestro tentas incutere, si quis asserit conscientiam vos habere præbentium, nisi detrahentium subieritis invidiam.*

F *Faveant clementiæ vestræ sectarum omnium arcana præsidia, & hæc maxime, quæ majores vestros aliquando juverunt, vos defendant, a nobis colantur. Eum religionum statum petimus, qui divo parenti culminis vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit heredes. Spectat senior ille divus ex arce siderea lacrimas sacerdotum, & se culpatum putat, more violato quem libenter ipse servavit. Præstate etiam divo fratri vestro alieni consilii correctionem, tegite factum, quod senatui displicuisse nescivit. Siquidem constat ideo exclusam legationem, ne ad eum judicium publicum perveniret. Pro æstimatione est temporum superiorum, ut non dubitetis abolere, quod probandum est principis non fuisse.*

Nunc vero divinum Ambrosium futilibus ejus inanibusque rationibus respondentem attente auscultemus.

AMBROSIUS EPISCOPUS BEATISSIMO PRINCIPI ET CHRISTIANISSIMO IMP VALENTINIANO AUGUSTO

QUUM *omnes homines qui sub ditione Romana sunt, vobis militent imperatoribus terrarum atque principibus, tum ipsi vos omnipotenti deo & sacræ fidei militatis. Aliter enim salus tuta esse non poterit, nisi unusquisque deum verum, hoc est deum Christianorum, a quo cuncta reguntur, veraciter colat. Ipse enim solus verus est deus, qui intima mente veneretur. Dii enim gentium dæmonia, sicut scriptura dicit. Huic igitur deo vero quisquis militat, & qui intimo colendum recipit affectu, non dissimulationem, non conniventiam, sed fidei studium & devotionis impendit. Postremo si non ista, consensum saltem aliquem non debet colendis idolis & prophanis cærimoniarum cultibus exhibere. Nemo enim deum fallit, cui omnia etiam cordis occulta manifesta sunt. Ergo cum a te imperator Christianissime fides deo vero sit exhibenda, cum ipsius fidei studium cautio atque devotio, miror quomodo aliquibus in spem venerit, quod debeas aras diis gentium tuo instaurare præcepto, ad usus quoque sacrificiorum prophanorum præbere sumptum. Quod enim jamdudum vel fisco vel arcæ est vendicatum, de tuo magis conferre videbere, quam de suo reddere. Et de dispendiis queruntur, qui nunquam nostro sanguini pepercerunt, qui ipsa ecclesiarum ædificia subruerunt. Petunt etiam ut illis privilegia deferas, qui loquendi & docendi nostris communem usum, Juliani lege proxima denegarunt, & privilegia illa quibus sæpe decepti sunt etiam Christiani. Nonnullos enim illis privilegiis partim per imprudentiam, partim propter publicarum necessitatum molestias declinandas, irretire voluerunt: & quia non omnes fortes inveniuntur, etiam sub principibus Christianis plerique sunt lapsi. Sed hæc si jam sublata non essent, auferenda tuo imperio comprobarem. At cum per totum fere orbem a pluribus retro principibus inhibita interdictaque sint, Romæ autem a fratre clementiæ tuæ augustæ memoriæ Gratiano fidei veræ ratione sublata sint, & datis antiquata rescriptis, ne quæso vel fideliter statuta convellas, vel fraterna præcepta rescindas. De negotiis civilibus si quid statuitur, nemo putat esse temerandum: & præceptum de religione calcatur? Nullus obrepat juniori ætati tuæ, sive ille gentilis est qui ista deposcit, non debet mentem tuam vinculis suæ superstitionis innectere, sed proprio studio docere & admonere te debet, quemadmodum veræ fidei studere debeas, quando ille tanto motu veri vana defendit. Deferendum meritis clarorum virorum & ego suadeo: sed deum certum est omnibus præferendum. Si de re militari est consulendum, debet exercitati in præliis viri expectari sententia, consilium comprobari. Quando de religione tractatus est, deum cogita. Nullius injuria est, cui deus omnipotens antefertur. Habet ille sententiam suam. Invitum non cogitis colere quod nolit, hoc idem vobis liceat imperator: & unusquisque patienter ferat, si non extorqueatur imperatori, quod moleste ferret si ei extorquere cuperet imperator. Ipsis gentilibus displicere consuevit prævaricantis affectus. Libere enim debet defendere unusquisque fidele mentis suæ & servare propositum. Quod si aliqui nomine Christiani tale aliquid decernendum putant, mentem tuam vocabula nuda non capiant, nomina cassa non fallant. Quisquis hoc suadet, sacrificat, & quisquis hoc statuit. Tolerabilius tamen est unius sacrificium, quam lapsus omnium. Totus hic Christianorum periclitatur senatus.*

Si hodie gentilis aliquis imperator, quod absit, aram statueret simulachris, & eo convenire cogeret Christianos, ut sacrificantibus interessent, ut oppleret anhelitus & ora fidelium cinis ex ara, favilla de sacrilegio, fumus ex busto, & in ea curia sententiam diceret, ubi jurati ad aram simulachri in sententiam cogerentur: propterea enim interpretantur aram locatam, ut ejus sacramento, ut ipsi putant, unusquisque conventus consuleret in medium, cum curia majore jam Christianorum numero sit referta: persecutionem esse crederet Christianus, qui cogeretur tali optione ad senatum venire: quod fit plerunque, nam etiam injuriis convenire coguntur. Te ergo imperatore Christiani in aram jurare cogentur? Quid est jurare, nisi ejus quem testare fidei tuæ præsulem, divinam potentiam confiteri? Te imperatore hoc petitur & postulatur, ut aram jubeas elevari, sumptum sacrificiis prophanis dari. Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni. Unde rogo te, ne id decernas, statuas, vel in ejusmodi decreta subscribas. Convenio fidem tuam Christi sacerdos. Omnes conveniremus episcopi, nisi incredibile hoc & repentinum ad aures pervenissent hominum, quod tale aliquid esset vel in consistorio suggestum tuo, vel a senatu petitum: sed absit ut hoc senatus petiisse dicatur. Pauci gentiles communi utuntur nomine. Nam & ante biennium ferme cum hoc petere tentarent, misit ad me sanctus Damasus Romanæ ecclesiæ sacerdos, judicio dei electus, libellum quem Christiani senatores dederunt, & quidem innumeri, postulantes nihil se tale mandasse, non congruere gentilium istiusmodi petitionibus, non præbere consensum. Questi etiam publice privatimque, se non conventuros ad curiam, si tale aliquid decerneretur. Dignum est temporibus vestris, hoc est Christianis temporibus, ut dignitas Christianis senatoribus abrogetur, quo gentilibus senatoribus prophanæ deferatur voluntatis effectus? Hunc libellum ego fratri clementiæ vestræ direxi. Unde constitit, non senatum aliquid de superstitionis impensis mandasse legatis. Sed fortasse dicatur: Cur dudum non interfuerunt senatui, cum ista peterentur? Satis loquuntur quid velint, qui non interfuerunt: satis locuti sunt, qui apud imperatorem locuti sunt. Et miramur tamen si privati resistendi Romæ eripiunt libertatem, qui nolunt esse liberum tibi non jubere quod non probas, non servare quod non sentis. Et ideo memor legationis proxime mandatæ mihi, convenio iterum fidem tuam, convenio mentem tuam, ne vel respondendum secundum hujusmodi petitionem gentilium censeas, vel in ejusmodi responsa sacrilegium subscriptionis adjungas. Certe refer ad parentem pietatis tuæ principem Theodosium, quem super omnibus fere majoribus caussis consulere consuesti. Nihil majus est religione, nihil sublimius fide. Si civilis caussa esset, diversæ parti responsio servaretur: caussa religionis est, episcopus convenio. Detur mihi exemplum missæ relationis, ut & ego plenius respondeam, & sic de omnibus consultus clementiæ tuæ parens respondere dignetur. Certe si aliud statuitur, episcopi hoc æquo animo pati & dissimulare non possumus: licebit tibi ad ecclesiam convenire, sed illic non invenies sacerdotem, aut invenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quærit ecclesia, quia templa gentilium muneribus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulachris fecisti. Vox enim tua, manus tua, & subscriptio tua, opus est tuum. Obsequium tuum dominus Jesus recusat & respuit, quoniam idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Non potestis duobus dominis servire. Privilegia tua sacratæ deo virgines non habent: & vendicant virgines Vestæ? Cur sacerdotes dei requiris, quibus petitiones prophanas gentilium prætulisti? Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respondebis his verbis, puerum esse te lapsum? Omnis ætas perfecta Christo est. Omnis deo plena puericia fidei comprobatur. Parvuli etiam Christum intrepido adversus persecutores ore confessi sunt. Quid respondebis germano tuo? Nonne tibi dicet, victum me esse non credidi, quia te imperatorem reliqui: mori non dolui quia te heredem habebam; imperio me decedere non ingemui, quia imperia mea, præsertim de religione divina, omnibus sæculis mansura credebam. Hos ego titulos piæ virtutis erexeram, has de sæculo manubias, hæc spolia de diabolo, has ego de adversario omnium exuvias efferebam, in quibus æterna victoria est. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Abrogasti decreta mea, quod adhuc ille qui contra me levavit arma, non fecit. Nunc gravius telum corpore recipio, quod a fratre mea statuta damnantur, meliore parte mei apud te periclitor. Illa enim mors corporis, ista virtutis est. Nunc mihi abrogatur imperium, & quod est gravius, abrogatur a tuis, abrogatur a meis: & id abrogatur, quod in me etiam mei adversarii prædicarunt. Si volens acquievisti, damnasti fidem meam: si invitus cessisti, prodiditi tuam. Ergo quod gravius est, & in te periclitor. Quid respondebis etiam patri, qui te majore dolore conveniet dicens: De me fili pessime judicasti, qui putasti quod ego gentilibus conniventiam præstitissem. Nemo ad me detulit, aram esse in illa Romana curia: nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum gentiliumque consilio sacrificarent gentiles præsentibus Christianis, & inviti Christiani interesse sacrificiis cogerentur. Multa & diversa crimina me imperante commissa sunt, ultus sum quæcunque sunt deprehensa, si quis tunc latuit, debet ergo dicere, me probasse quod ad me nemo detulerat? De me pessime judicasti, si mihi superstitio aliena, non fides mea servavit imperium. Unde cum advertas imperator, deo primum, deinde patri & fratri injurias irrogari, siquid tale decernas, peto ut id facias quod saluti tuæ apud deum intelligis profuturum.

AMBROSIUS EPISCOPUS BEATISSIMO PRINCIPI ET CLEMENTISSIMO IMP. VALENTINIANO AUGUSTO.

CUm vir clarissimus præfectus urbis Symmachus ad clementiam tuam retulisset, ut ara quæ de urbis Romæ curia sublata fuerat, redderetur loco, & tu imperator licet adhuc in minoris ævi tyrocinio florentibus novus annis, fidei tamen virtute veteranus obsecrata gentilium non probares, eodem quo comperi puncto libellum obtuli, quo licet comprehenderim quæ suggestioni necessaria viderentur, poposci tamen exemplum mihi relationis dari. Itaque non fidei tuæ ambiguus, sed providus cautionis & pii certus examinis, hoc sermone relationis assertioni respondeo, hoc unum petens, ut non verborum elegantiam, sed vim rerum spectandam putes. Aurea enim (sicut scriptura divina docet) est lingua sapientium litteratorum, quæ phaleratis dotata sermonibus, & quodam splendentis eloquii, velut coloris preciosi corusco resultans, capit animorum oculos specie formosi, visuque perstringit. Sed aurum si diligentius manu tractes, foris precium, intus metallum est. Volve quæso atque excute sectam gentilium, preciosa & grandia sonant, veri effœta defendunt. Deum loquuntur, simulachrum adorant. Tria igitur in relatione sua Vir clarissimus præfectus urbis proposuit, quæ valida putavit. Quod Roma veteres, ut ait, suos cultus requirat. Et quod sacerdotibus suis, virginibusque Vestalibus emolumenta tribuenda sint. Et quod emolumentis sacerdotum negatis fames secuta publica sit. In prima propositione, flebili Roma questu sermonis illachrymat, veteres, ut ait, cultus cærimoniarum requirens. Hæc sacra, inquit, Hannibalem a mœnibus, a Capitolio Senonas repulerunt. Itaque dum sacrorum potentia prædicatur, infirmitas proditur. Ergo Hannibal diu sacris insultavit Romanis, & diis contra se dimicantibus usque ad muros urbis vincendo pervenit. Cur se obsideri passi

sunt, pro quibus deorum suorum arma pugnabant? A Nam de Senonibus quid loquar, quos Capitolii secreta penetrantes Romanæ reliquiæ non tulissent, nisi eos pavido anser strepitu prodidisset? En quales templa Romana præsules habent. Ubi tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur? Verum quid negem sacrorum ritus militasse Romanis? Sed etiam Hannibal eosdem deos colebat. Utrum volunt igitur eligant. Si in Romanis vicerunt sacra, in Carthaginensibus ergo superata sunt: si in Carthaginensibus triumphata, nec Romanis utique profuerunt. Facessat igitur invidiosa illa populi Romani querela. Non hæc Roma mandavit. Aliis illa eos interpellat vocibus. Quid me casso quotidie gregis innoxii sanguine cruentatis? Non B in fibris pecudum, sed in viribus bellatorum trophæa victoriæ sunt. Aliis ego disciplinis orbem subegi. Militabat Camillus, qui sublata Capitolio signa, cæsis Tarpeiæ rupis triumphatoribus reportavit: stravit virtus, quos religio non removit. Quid de Atilio loquar, qui militiam etiam mortis impendit? Africanus non inter Capitolii aras, sed inter Hannibalis acies triumphum invenit. Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. Quid dicam bimestres imperatores, & terminos regum cum exordiis copulatos? Aut forte illud est novum, barbaros suis excessisse finibus? Nunquid etiam illi Christiani fuerunt, quorum miserabili novoque exemplo alter captivus imperator, sub C altero captivus orbis, fefellisse quæ victoriam promittebant, suas cærimonias prodiderunt? Nunquid & tunc non erat ara Victoriæ? Pœnitet lapsus, & vetusta canicies pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longæva converti: verum certe est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus quæ emendare se non potest. Non annorum canicies est laudanda, sed morum: nullus pudor est ad meliora transire. Hoc solum habebam commune cum barbaris, quia deum antea nesciebam. Sacrificium vestrum, ritus est bestiarum cruore aspergi. Quid in mortuis pecudibus quæritis dei voces? Venite D & discite in terris cælestem militiam. Hic vivimus, & illic militamus. Cæli mysterium doceat me deus ipse qui condidit, non homo qui seipsum ignoravit. Cui magis de deo, quam deo, credam? Quomodo possum vobis credere, qui fatemini vos ignorare quod colitis? Uno, inquit, itinere non potest perveniri ad tam grande secretum. Quod vos ignoratis, id nos dei voce cognovimus. Et quod vos suspicionibus quæritis, nos ex ipsa sapientia dei & veritate compertum habemus. Non congruunt igitur vestra nobiscum. Vos pacem diis vestris ab imperatoribus obsecratis, nos ipsis imperatoribus a Christo pacem rogamus. Vos manuum vestrarum adoratis opera, nos injuriam dicimus, omne quod fieri potest, deum putari. E Non vult se deus in lapidibus coli. Denique etiam ipsi philosophi vestri ista riserunt. Quod si vos ideo Christum deum negatis, quia illum mortuum esse non creditis: nescitis enim quod mors illa carnis fuerit, non divinitatis, quæ fecit ut credentium jam nemo moriatur: quid vobis imprudentius, qui contumeliose colitis & honorifice derogatis? Vestrum enim deum lignum putatis: o contumeliosa reverentia. Christum mori potuisse non creditis: o honorifica pervicacia. Sed vetera (inquit) reddenda sunt altaria simulachris, ornamenta delubris. Reposcantur hæc a consorte superstitionis: Christianus imperator aram solius Christi didicit honorare. F Quid manus pias & ora fidelia ministerium suis cogunt sacrilegiis exhibere? Vox imperatoris nostri Christum resultet, & illum solum quem sentit, loquatur, quia cor regis in manu dei. Nunquid imperator gentilis aram Christo levavit? Dum ea quæ fuerunt reposcunt, exemplo sui admonent quantum Christiani imperatores religioni quam sequuntur debeant deferre reverentiæ, quando gentiles superstitionibus suis omnia detulerunt. Dum cepimus, etiam sequamur. Nos sanguine gloriamur, illos dispendium movet. Nos hæc victoriæ loco ducimus, illi injuriam putant. Nunquam nobis amplius contulerunt, quam cum verberari Christianos atque proscribi ac necari juberent. Præmium fecit religio, quod perfidia putabat esse supplicium. Videte magnanimos: per injurias, per inopiam, per supplicium nos credimus: illi cærimonias suas sine quæstu manere posse non credunt. Habeant, inquit, Vestales virgines immunitatem suam. Dicant hoc qui nesciunt credere, quod posset esse gratuita virginitas: provocent lucris, qui diffidunt virtutibus. Quot tamen illis virgines præmia promissa fecerunt? Vix septem Vestales capiuntur puellæ. En totus numerus quem infulæ vittati capitis, purpuratarum vestium murices, pompa lecticæ ministrorum circumfusa comitatu, privilegia maxima, lucra ingentia, præscripta denique pudicitiæ tempora coegerunt. Attollant mentis & corporis oculos, videant plebem pudoris, populum integritatis, concilium virginitatis. Non vittæ capiti decus, sed ignobile velamen, usui nobile castitatis: non exquisita, sed abdicata, lenocinia pulchritudinis: non illa purpurarum insignia, non luxus deliciarum, sed usus jejuniorum: non privilegia, non lucra: omnia postremo talia, ut revocari studia putes, dum exercentur officia. Sed dum exercetur officium, studium provocatur, suis castitas cumulatur dispendiis. Non est virginitas quæ precio emitur, non virtutis studio possidetur. Non est integritas, quæcunque tanquam in auctione nummario ad tempus sollicitatur compendio. Prima castitatis victoria, est facultatum cupiditates vincere, quia lucri studium tentamentum pudoris est. Ponamus tamen subsidia largitatum conferenda virginibus, quæ Christianis munera redundabunt, quod tantas opes sufficiet ærarium? Aut si arbitrantur solis Vestalibus conferendum, non pudet ut qui totum sibi sub imperatoribus gentilibus vendicarunt, iidem sub principibus Christianis non putent nobis sortem debere esse communem? Sacerdotibus quoque suis & ministris queruntur alimenta publica non præberi. Quantus hinc verborum tumultus increpuit? At contra nobis etiam privatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur, & nemo conqueritur. Non enim putamus injuriam, quia dispendium non dolemus. Si privilegium quærat sacerdos ut onus curiale declinet, patria atque avita & omnium facultatum possessione cedendum est. Quomodo hanc gentiles, si haberent, ingravarent querelam, quod sacerdos ferias ministerii sui emat totius patrimonii sui damno, & privatus universæ commoditatis dispendio usum publici mercetur obsequii: prætendens communis salutis excubias, domesticæ inopiæ se mercede solatur, quia ministerium non vendidit, sed gratiam comparavit. Conferte causas. Vos excusare vultis decurionem, cum ecclesiæ excusare non liceat sacerdotem. Scribuntur testamenta templorum ministris, nullus excipitur prophanus, nullus ultimæ conditionis, nullus prodigus verecundiæ: soli ex omnibus clerico commune jus clauditur, a quo solo pro omnibus votum commune suscipitur, officium commune defertur: nulla legata vel gravium viduarum, nulla donatio. Et ubi in moribus culpa non deprehenditur, tamen officio mulcta præscribitur. Quod sacerdotibus phani legaverit Christiana vidua, valet: quod ministris dei, non valet. Quod ego non querar, sed ut sciant quid non querar, comprehendi. Malo enim nos pecunia minores esse quam gratia. Sed referunt ea quæ vel donata vel relicta sunt ecclesiæ, non esse temerata. Dicant & ipsi, quis templis dona detraxerit, quod factum est Christianis. Quæ si facta essent gentilibus, redderetur potius quam inferretur injuria. Nunccine demum justitia prætenditur, æquitas postulatur? Ubi tunc erat ista sententia, cum direptis Christianorum omnium facultatibus, ipsos vitales anhelitus spiritus inviderent, & nullis usquam negata defunctis inhiberent supremæ commercia sepulturæ? Quos gentiles præcipitarunt, maria reddiderunt. Fidei ista victoria est, quod & ipsi jam facta majorum carpunt suorum, sed quæ melioratio, ut eorum munera petant, quorum gesta con-

demnant? Nemo tamen donaria delubris, & legata haruspicibus denegavit, sola sublata sunt prædia, quia non religiose utebantur iis quæ religionis jure defenderent. Qui nostro utuntur exemplo, cur non utebantur officio? Nihil ecclesia sibi nisi fidem possidet. Hos reditus præbet, hos fructus. Possessio ecclesiæ, sumptus est egenorum. Numerent quos redemerint templa captivos, quæ contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Prædia igitur intercepta, non jura sunt. En quod factum, quod triste piare nefas, fames, ut aiunt, publica vindicavit: quia usui omnium proficere cœpit, quod proficiebat commodis sacerdotum. Propterea ergo detractis, ut aiunt, arbusta exuta corticibus succo miserabili deficientium ora lambebant. Propterea chaonia frugem glande mutantes, rursus in pecudum pastus, & ad infelicis victus alimenta revocati, concussa quercu famem in silvis miseram solabantur. Nova videlicet prodigia terrarum quæ nunquam ante acciderant, cum superstitio gentilis toto orbe ferveret. Revera quando ante vacuis avenis seges fallax, avari vota lusit agricolæ, & spem rusticæ plebis quæsita sulcis frugis herba destituit. Et unde Græcis oracula habita suæ quercus, nisi quia remedium silvestris alimoniæ, cælestis religionis donum putarunt? Talia enim suorum munera credunt deorum. Quis Dodonæas arbores nisi gentium populus adoravit, cum pabulum triste sacri nemoris honore donaret? Non est verisimile, quod indignantes eorum dii id pro pœna intulerunt quod solebant placati conferre pro munere. Quæ autem æquitas, ut paucis sacerdotibus dolentes victum negatum, ipsi omnibus denegarent, cum inclementior esset vindicta quam culpa. Non est igitur idonea quæ tantam ægritudinem mundi fallentis caussa constrinxerit, ut virentibus segetibus subita spes anni adulta moreretur. Et certe ante plurimos annos templorum jura toto orbe sublata sunt. Modo ne demum diis gentilium venit in mentem suas iniurias ultum iri? Propterea nec assueto cursu Nilus intumuit, ut urbicorum sacerdotum dispendia vindicaret, qui non vindicavit suorum? Esto tamen si superiore anno deorum suorum iniurias vindicatas putant, cur præsenti anno contemptui fuere? Jam enim nec herbarum vulsis radicib. rusticana plebs pascitur, nec baccæ silvestris explorat solatia, nec cibum de sentib. rapit, sed operum læta felicium dum messes suas & ipsa miratur, explevit voti satietate jejunium, usurarios nobis reddidit terra proventus. Quis ergo tam novus humanis usibus, ut vices stupeat annorum? & tamen etiam superiore anno plerasque novimus provincias redundasse frugibus. De Galliis quid loquar solito ditioribus? Frumentum Pannoniæ quod non severant vendiderunt. Et fœcunda Rhetia fertilitatis suæ novit invidiam. Nam quæ solebat tutior esse jejunio, fœcunditate hostem in se excitavit. Liguriam Venetiasque autumni frumenta paverunt. Ergo nec ille sacrilegio annus exaruit, & iste fidei fructibus annus effloruit. Negent etiam quod largo fœtu vineæ redundaverint. Itaque & messem fœneratam recepimus, & liberalioris vindemiæ beneficia possidemus. Postremus superest & maximus locus, utrum ea quæ vobis profuerint imperatores, restituere subsidia debeatis. Ait enim, vos defendant, a nobis colantur. Hoc est fidelissimi principes quod ferre non possumus, quia exprobrant nobis vestro se nomine diis suis supplicare, & vobis non mandantibus sacrilegium immane committunt, dissimulationem pro consensu interpretantes. Sibi habeant præsidia sua, suos si possunt, illa defendant. Nam si iis a quibus coluntur, auxilio esse non possunt, quomodo possunt vos defendere, a quibus non coluntur? Sed majorum, inquit, servandus est ritus. Quid quod omnia postea in melius profecerunt? Mundus ipse qui vel primum coactis elementorum per inane seminibus tenero orbe concreverat, vel confuso adhuc indigesti operis caligabat horrore, nonne postea distincto cœli, maris, terrarumque discrimine rerum formas quibus speciosus videtur, accepit? Exutæ humentibus tenebris novum terræ stupuere solem, dies in exordio non refulget, sed in processu temporis incremento luminis micat & caloris exæstuat. Luna ipsa quæ propheticis oraculis species ecclesiæ figuratur, cum primum resurgens in menstruas reparatur ætates, tenebris noctis absconditur, paulatimque cornua sua complens vel e regione solis absolvens, clari splendoris fulgore irrutilat. Exerceri in fructus terræ ante nesciebant, post ubi imperare arvis sollicitus cœpit agricola & informe solum vestire vinetis, silvestres animos domesticis mollitæ cultibus exuerunt. Anni ipsius ætas prima quæ nos usu parili coloravit, nutu gignentium sed in processu lapsuris floribus vernat, postremis adolescit fructibus. Nos quoque ævi rudes sensus habemus infantiæ, sed mutati in annos ingenii rudimenta deponimus. Dicant igitur, in suis omnia manere debuisse principiis, mundum tenebris obductum quia splendore solis illuxerit, displicere. Et quanto gratius est animi tenebras depulisse quam corporis, fideique jubar emicuisse quam solis? Ergo & mundi sicut omnium rerum, primæva viam mutarunt, ut venerabilis canæ fidei sequeretur senectus. Quos hoc movet, reprehendant messem, quia sera fœcunditas est: reprehendant vindemiam, quia in occasu anni est: reprehendant olivam, quia postremus est fructus. Ergo & messis nostra fides animarum est, ecclesiæ gratia meritorum, vindemia est, quæ ab ortu mundi virebat in sanctis, sed postrema ætate se diffudit in populos, ut adverterent omnes non rudibus animis irrepsisse fidem Christi. Nulla enim sine adversario corona victoriæ: sed explosa ea opinione quæ ante convaluit, id quod erat verum jure prælatum. Si ritus veteres delectabant, cur in alienos ritus eadem Roma successit? Omitto absconditam precio humum, & pastorales casas auro degeneri renitentes. Quid (ut de ipso respondeam quod queruntur) captarum simulachra urbium victosque deos, & peregrinos ritus sacrorum, alienæ superstitiones æmuli receperunt? Unde igitur exemplum quod currus suos simulato Almonis in flumine lavat Cybele? Unde Phrygii vates, & semper invisa Romanis non æque Carthaginis numina? quam cælestem Afri, Mithram Persæ, pleriq; Venerem colunt, pro diversitate nominis non pro numinis varietate. Sic deam esse, & Victoriam crediderunt, quæ utique munus est non potestas, donatur non dominatur, legionum gratia non religionum potentia. Magna igitur dea quam militum multitudo sibi vendicat, vel præliorum donat eventus. Hujus aram strui in urbis Romæ curia petunt, hoc est, quo plures conveniunt Christiani. Omnibus in templis aræ, ara etiam in templo Victoriarum, quando numero delectantur sacrificia sua ubique concelebrant. Quid est nisi insultare fidei, unius aræ sacrificium vendicare? Ferendum ne istud, ut gentilis sacrificet, & Christianus intersit? Hauriant omnes, inquit, hauriant vel inviti fumum oculis, symphoniam auribus, cinerem faucibus, thus naribus, & adversantium licet ora excitata focis nostris favilla respergat. Non illis satis sunt lavacra, non porticus, non plateæ occupatæ simulachris. Etiam ne in communi illo consilio non erit communis conditio? Obstringetur pia senatus portio obtestantium vocibus adiurantium sacramentis? Si refutet, videbitur mendacium prodere: si acquiescat, sacrilegium confiteri. Ubi, inquit, in leges vestras & verba jurabimus? Ergo mensuram quæ legibus tenetur inclusa, cærimoniis gentium suffragium colligit, fidem stringit, jam non solum præsentium sed absentium etiam? Et quod est amplius, imperatores fides vestra pulsatur? Vos enim cogitis si jubetis. Constantius Augustæ memoriæ nondum sacris initiatus mysteriis contaminari se putavit, si aram illam videret. Jussit auferri, non jussit reponi. Illud auctoritatem facti habet, hoc præcept ī non habet. Nemo sibi de absentia blandiatur, præsentior est qui se animis inserit, quam qui oculis protestatur. Plus enim est mente connecti, quam corpore copulari.

Vos senatus cogendi consilii præsules habet, vobis coit, vobis conscientiam suam non diis gentium præstat, vos liberis suis non tamen fidei suæ præfert. Hæc est charitas expetenda, hæc est charitas major imperio, si fides tuta sit quæ servat imperium. Sed fortasse aliquem moveat, ita fidelissimum principem destitutum, proinde quasi meritorum precium caducis æstimetur præsentium. Quis enim sapiens non in orbe quodam atque circuitu locata humanarum rerum novit negocia, quia non eosdem semper successus habent, sed variant status, & mutant vices? Quem beatiorem Cn. Pompeio Romana templa miserunt? At is cum tribus triumphis terrarum cinxisset orbem, pulsus acie, bello profugus, & sui terminis exul imperii, Canopei manu spadonis occubuit. Quem nobiliorem Cyro Persarum totius Orientis terræ regem dederunt? Is quoque cum principes potentissimos adversantes vicisset, victos reservasset, muliebribus armis fusus interiit. Et ille rex qui superatos etiam confessus honore donaverat, execto capite & intra utrem plenum cruoris satiari jussus incluso, fœmineis imperiis ludibrio fuit. Adeo in istius vitæ curriculo non paria paribus, sed longe diversa referuntur. Quem etiam magis sacrificiis deditum, quam Carthaginensium ducem Hamilcarem reperimus? qui cum toto prœlii tempore inter acies positus dimicantes sacrificium faceret, ubi partem suorum victam esse cognovit, in ipsos quos adolebat se præcepitavit ignes, ut eos vel cruore suo restingueret, quos sibi nihil profuisse cognoverat. Nam de Juliano quid loquar, qui cum responsis haruspicum male credulus esset, ademit sibi subsidia revertendi. Ergo in communi casu non est communis offensa. Neminem etenim promissa nostra luserunt. Respondi lacessentibus tanquam non lacessitus. Refellendæ etenim relationis, non exponendæ superstitionis mihi studium fuit. Te tamen imperator, ipsa eorum relatio faciat cautiorem. Nam cum de superioribus principibus texuisset, quia prior eorum numerus cærimonias patrum coluit, recentior non removit, addidisset etiam si exemplum religio veterum non facit, faciat dissimulatio proximorum: evidenter docuit quod & fidei tuæ debeas, ut gentilitii ritus non sequaris exemplum, & pietati ut fratris statuta non violes. Si enim pro suis duntaxat partibus eorum dissimulationem principum prædicarunt, qui cum essent Christiani, decreta tamen gentilium minime removerunt: quanto magis amori debent deferre fraterno ut qui dissimulare deberes, etiam si quid forsitan non probares, ne fraternis derogares statutis, & nunc teneas quod & fidei tuæ & germanitatis necessitudini judicas convenire.

CAP. XXX.

De Palladio.

ATQUE hæc sunt quæ de virginibus Vestalibus apud veteres auctores extare didicerim. Verum antequam ad reliqua sacerdotia explicanda deveniam, quum paulo ante Palladii mentionem fecerim, haud ab re fore existimo, si paucis quid Palladium fuerit explicabo, præsertim quum id ab auctoribus negligatur. Palladium igitur erat Palladis simulachrum, quod una antiquorum superstitio poeticis fabulis edocta, olim e cœlo lapsum fuisse, Dardanique manibus exceptum credidit. Scutum id fuisse quidam existimaverunt, ut Romæ ancilia. Aliter Diodorus, atque Dio sentiunt, qui Palladium signum fuisse ligneum tricubitale cœlo lapsum in Pessinunte urbe Phrygiæ, dextera tenens hastam, læva colum & fusum, & ad eum locum bove duce devenisse, ubi Dardanus erat, qui dum urbem Ilium condidisset, deos rogavit, ut aliquod signum darent temporis novæ urbis, statimque apparuisse Palladium; a quo quum exceptum esset, Apollinis oraculo admonitus est, tam diu mansuram urbem, donec in ea Palladium conservaretur. Alii,

A ut M. Varro, Dionysius, Ovidius, Plutarchus & Servius, ex quibus hæc excerpsi, dicunt: Chrysam Pallantis filiam, quum in Arcadia Dardano nupsisset, pro dote secum adduxisse Palladium, & magnorum deorum simulachra, scilicet Penates, quibus templa Dardanus in Samothracia construxit, quæ postea sacra sunt in Ilium nepotum tempore transvecta, & in templo Palladis, quod in arce Trojana erat, collocata: accepto oraculo mansuram urbem quamdiu intra mœnia Palladium conservaretur, quod circa intimam arcis templique partem abditum fuit, quodam altero Palladio illi simillimo effícto, quod in publico neglectius asservabatur. Itaque tempore belli illius, quod

B communibus viribus Græcia tota adversus Trojanos gessit, quum Pyrrhus ex Heleno vate Priami filio didicisset, salvo in urbe Palladio, inexpugnabilem esse Trojam, idque Græcorum principes cognovissent, quum nulla spes potiundæ urbis esset, nisi prius sublato Palladio, datum est negocium Ulyxi & Diomedi, qui clam per cloacas in urbem ingressi, vique in custodes facta, ut Stersichorus, & Euphorio tradidere, Palladium Antenoris opera, quod ejus uxori Theanæ, Palladis sacerdoti traditum fuerat custodiendum, subripientes, ad suos reversi sunt. Urbemque tutelari Palladis nomine spoliatam, infirmam

C captuque non admodum difficilem reddiderunt. Unde Virgilius secundo Æneidos:

> .....*cæsis summæ custodibus arcis*
> *Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis,*
> *Virgineas ausi divæ contingere vittas.*

Quod tamen Palladium a Græcis captum imaginarium fuisse existimant, verumque Palladium capta jam urbe Sicam Æneæ tradidisse cum magnis diis, quos penates Trojani vocabant. Virgilius:

> .....*& manibus vittas Vestamque potentem,*
> *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Silius vero Italicus verum quidem Palladium raptum asseruit, idque Æneæ a Diomede redditum, quod

D Æneas cum omnibus aliis Trojanorum sacris cærimoniisque in Italiam adduxit, Lavinique collocavit, quod deinde ab Ascanio Albam longam translatum putant, condito Vestæ templo. Palladium porro ex Alba longa sub rege Tullo Hostilio, postquam eam diruisset, sive ut Varro putat, ex Lavinio Romam translatum est, atque in æde Vestæ collocatum. Quid autem fuerit, multis verbis explicare Dionysius conatur, atque postremo ita concludit: *Nemo tamen videre primum illud, certaque de eo tradere potuit.* Itaque in ambiguo est, an Dardanus id Ilusve susceperit, fueritne ligneum, an æneum signum, aut, ut quidam tradidere, scutum; remansisse postremo Ilii, an Ro-

E mam advectum. Non defuerunt enim qui existimarunt, Æneam relicto sociis Latinorum regno, in Phrygiam cum Palladio rediisse, quorum opinio a multis labefactata est. Frequentior enim fama est, Palladium Romæ remansisse in æde Vestæ locatum. Quæ cum incendio flagraret, L. Cecilius Metellus pontifex maximus, Palladium medio ex incendio a virginibus fugientibus neglectum rapuit, quare statim lumina, quod deos vidisse crederetur, amisit. ob quod factum magni sunt postea illi honores habiti, quod sub recentem primam Punicam pacem factum est. Quo tempore Palladium primo visum fuisse constat. Porro au-

F tem sub Commodo Marci filio Imperatore, quum Vestæ templum iterum conflagrasset, Palladium quoque iterum conspectum est: quod in primis Romani colebant, atque in arcano semper habebant. Quippe raptum id Vestales virgines media sacra via in aulam imperatoris transtulerunt, templo vero restituto denuo loco suo repositum est. Id deinceps Alagabalus Imperator, quum templum deo suo Alagabalo, quem plerique Solem existimant, sic Phœnicum lingua appellatum, in ea Palatii parte fecisset, ubi prius Orci ædes fuerat, cum matris magnæ typo, Vestæ igne, anciliis, & omnibus Romanis sacris in id templum transtu-

lit, sedibusque propriis tertio movit, dictitans, Palladium dei sui conjugem esse debere. Hocque agebat, ne quis Romæ deus nisi Alagabalus suus coleretur. Dicebat præterea Judæorum, & Samaritanorum religiones, & Christianam devotionem illuc transferri oportere, ut omnium culturarum secretum Alagabali sacerdotium teneret. Quæ post ejus cædem sedibus propriis restituta sunt. Quamquam multi existimarint eum non Palladium, sed lignum quoddam, quod Palladium esse credebat, abstulisse, quum simulachrum effictum pro vero illi virgo Vestalis maxima ostendisset, quia plura Palladia similia facta esse dicebantur, ne quis verum unquam auferre posset. Palladium demum cum multis aliis Romanæ urbis ornamentis, Constantinus pius imperator gentilium inani superstitione abrogata, ex urbe Constantinopolim deportavit, & quo ab omnibus videri posset, medio foro super columnam marmoream collocari jussit. Idque statuam æneam Palladis fuisse memoriæ proditum est. Atque hactenus de Palladio.

CAP. XXXI.

Saliis Palatinis XII. & Virginibus Saliaribus.

SEXTAM sacrorum institutorum partem (ut inquit Dionysius) Numa rex Saliis tribuit: quos ipse ex patriciis creavit, juvenes XII. spectatissimos, qui quum sacra in Palatio factitarent, ubi eorum sacrarium fuisse refertur a Sex. Rufo, & P. Victore, Salii Palatini vocati sunt. Dicti autem sunt Salii, ut inquit M. Varro, a saltando, quod facere in comitio in sacreis quotannis & solent & debent. Sext. Pompeius: *Salios* (inquit) *a saliendo & saltando dictos esse, quamvis dubitari non debeat, tamen Polemon quidam ait, Arcada quendam fuisse nomine Salium, quem Æneas a Mantinea in Italiam deduxerit, qui juvenes Italicos enopliam saltationem docuerit. At Critolaus Saonem ex Samothrace, cum Ænea deos penates, qui Lavinium transtulerit, saliare genus saltandi instituisse, a quo appellatos Salios: quibus per omnes dies ubicunque manerent, quia amplæ ponebantur cœnæ, si quæ aliæ magnæ cœnæ sunt, Saliares appellantur.* Et Livius libro primo: *Salios item duodecim Marti gradivo Numa legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegmen, cœlestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, ac per urbem ire canentes carmina, cum tripudiis, solemnique saltatu jussit.* Plutarchus in Numa: *Salii vocati sunt, non ut quidam fabulantur a viro Samothrace seu Mantineo, Salio nomine, qui saltationem quæ armata dicitur edocuerit, sed ab ipso potius tripudio saltatorio, quod vehementius robustiusque per urbem euntes subsaltant, quum ad mensem Martium sacra scuta, quæ ancilia dicebantur susciperent, induti puniceis tunicis, æneis balteis latisque succincti, æneas in capite galeas portantes, & parvis gladiis arma pulsantes, reliquum vero saltationis pedum est opus. Moventur enim suaviter, conversiones, ac saltationes in celeri & crebro numero robuste & leviter reddentes.* Dionysius vero libro Secundo: *Hi autem Salii omnes saltatores quidem sunt, & laudatores armatorum deorum, quorum solemnitas est mense Martio, quæ sumptu agitur publico multos dies, quibus ducunt choreas per urbem, & in forum, & Capitolium, & in multos alios privatos publicosque locos, tunicas varii coloris, æneis succincti balteis, togasque annectentes fibulis circum distinctas purpura, subtegmine puniceo, quas trabeas vocant; est enim gentilis ea vestis Romanis, & valde honorifica: & quos apices vocant capitibus imponentes, pileos altos in speciem coni eductos. Accincti autem omnes erant gladiis, ac dexteris lanceam, aut virgam, aut quid tale tenent, læva ancilia. Quæ autem ancilia fuerint paulo post dicam.* Adjicit Dionysius; *Ancile autem est scuti cuneati species, arctiora habentis latera, qualia dicuntur ferre ii, qui apud Græcos Curetum sacra perficiunt, suntque Salii Græco nomine interpretati Curetes. illi quidem a Græcis ex ætate denominati, a Romanis vero a continuo motu Salii. Et ob eam caussam omnes quoque alios, quibus multum inest saltatus & gestus, ducto a Saliis nomine saltatores vocant. Moventur autem ad tibiam ex modulo armatis motibus, quandoque simul ac vicissim, quandoque patria quædam canentes carmina cum tripudiis, solemnique saltatu simul cum choreis; choream autem & armigerum motum, & in scutis factum per gladios strepitum Curetes primi instituere.* De carminibus Saliaribus frequens apud omnes veteres scriptores mentio est. Quorum quædam vocabantur axamenta, quæ erant in hominum memoriam composita, ut Mamurii, & Volumniæ. Nam in deos singulos versus ficti, a nominibus eorum appellabantur, ut Janualii, Junonii, Minervii. Is qui Saliis præerat vocabatur magister, eorum vero cœtus collegium. Valerius Maximus libro primo, cap. primo: *Obruitur etiam tot illustribus consularibus L. Furius Bibaculus, exemplique locum vix post Marcellum invenit. Sed pii simul ac religiosi animi fraudandus non est, qui prætor a patre suo collegii Saliorum magistro jussus, sex lictoribus præcedentibus, arma ancilia tulit, quamvis vacationem hujus officii honoris beneficio haberet. Omnia namque post religionem ponenda semper nostra civitas duxit, etiam in quibus summæ majestatis conspici decus voluit.* Salii autem non a populo, sed a magistris collegii legi solebant patricii adolescentes, quorum uterque parens viveret, nec in magistratu esset. Lege quoque cautum erat, ut Salii liberi essent.

De Saliis & magistro collegii Saliorum mentio est in his vetustis inscriptionibus.

M. RVBRIO. L. F
PROCVLO
PR. AED. Q
PONT. SALIO
MVNIC. ET. IN. COL

Item:

L. ANTISTIVS. CN. F. HOR. SARCVLO
SALIVS. ALBANVS. IDEM. MAG. SALIORVM
ANTISTIA.L.L.PLVTIA.L.ANTHVS.RVFVS
L. IMAGINES. DE. SVO. FECERVNT.
PATRONO. ET. PATRONÆ. PRO. MERITIS

Ceterum (ut sæpe dixi) Salii non nisi ex patriciis lecti sunt: quod Cicero in oratione pro domo refert. De Anciliis autem hæc produnt Dionysius & Plutarchus: *Annum jam octavum regnante Numa, morbus urbem invaserat, cunctis vero mœrentibus, traditur scutum æneum e cœlo delapsum, in Numæ manibus decidisse. Quod in urbis salutem missum Ægeriam sibi retulisse Numa tradidit, oportereque eum asservari, aliis undecim ad illius figuram, magnitudinem, formamque effictis, quo dubium ob similitudinem esset cœlestis illius adipiscendi. Addiditque Numa, se a musis cognovisse eam urbem, in qua id ancile servaretur, omnium potentissimam futuram. Quo facto quum pestis cessasset, scutum autem ex ejus imperio quum effingere artifices certassent, diffidentibus ac desperantibus ceteris, Mamurium Veturium præstantissimum artis ejus opificem, usque adeo ejus similitudinem effinxisse, struxisseque omnes similes, ut ne Numa quidem id cognosceret. Horum vero scutorum custodes Salios XII. legit, quot fuerant fabrefacta scuta, a quibus sacris anniversariis efferrentur per urbem.* Id autem scutum quemadmodum ex numismate Antonini Pii cognovi, breve fuit, ideoque ancile appellatum, quod ex utroque latere esset recisum, & summum infimumque ejus latius medio pateret. Mamurius autem XI. anciliorum a se factorum præmii loco poposcit, ut suum nomen inter carmina Salii cantarent. Ideo Mamurii Veturii nomen in cantibus Salii Romani maxime frequentabant.

Virginum

Virginum Saliarum sic meminit Sex. Pompeius: *Saliares virgines Cincius ait esse conducticias, quæ ad Salios coibant cum apicibus paludatæ, quas Ælius Stilo scripsit sacrificium facere in regia cum pontifice paludatas, cum apicibus in modum Saliorum.* De eis præterea nihil inveni.

CAP. XXXII.

De Fetialibus & Patre Patrato.

SEPTIMAM sacrorum partem collegio Fetialium tribuit Numa. Hi erant ex optimis nobilibusque familiis electi, & per omnis vitæ tempus ei sacro destinati. *Fetiales dicti*, ut scribit M. Varro libro quarto de lingua Latina, *quod fidei publicæ inter populos præerant: nam per hos fiebat, ut justum conciperetur bellum, & inde desitum, & ut fœdere fides pacis constitueretur. Ex heis mittebant antequam bellum conciperetur, qui res repeterent, & per hos etiam nunc fit fœdus, quod fidus scribit Ennius dictum.* Et libro secundo de vita populi Romani. *Itaque & bella, & tarde nec magna licentia suscipiebant, quod bellum nullum nisi pium putabant geri oportere, & priusquam indiceretur bellum, iis a quibus injurias factas sciebant, fetiales legatos, res repetitum mittebant quattuor, quos oratores vocabant.* Et libro tertio. *Si cujus legati violati essent, qui id fecissent, quamvis nobiles essent, ut dederentur civitati statuerunt, fetialesque viginti, qui de his rebus cognoscerent, judicarent, statuerent, constituerunt.* Sex. Pompeius: *Fetiales* (inquit) *a faciendo dicti, apud hos enim belli pacisque faciendæ jus est.* Et Nonius Marcellus: *Fetiales apud veteres Romanos erant, qui sancto legatorum officio, ab iis qui adversum populum Romanum aut rapinis, aut injuriis hostili mente commoverant, pignora facto fœdere jure repetebant, nec bella indicebantur, quæ tamen pia vocabant, prius quam fuisset quid fetialibus denuntiatum.* Plutarchus in Numa: *Fetiales pacis custodes sunt ab re ipsa nomen adepti; controversias enim verbis sedabant, quum non permitterent prius militare, quam omnis judicii spes abscissa esset. Etenim pacem Græci vocant, quando verbo non vi controversiæ tolluntur. At Romani fetiales sæpe ad eos ibant, qui injurias intulissent, illisque suadebant, ut se benevole & amice gererent: iis autem inimicis sese & non pro voluntate gerentibus, deos testari, & multa gravia in eos eorumque patriam imprecari, nisi juste rem aggrediantur; sic eis bellum indicebant. Fetialibus vero prohibentibus, aut minus comprobantibus, neque militare fas erat, neque arma movere. Sed ab his necesse erat initium belli pro jure duces acciperent, & tum demum communi commodo prospicerent. Fertur cladem Senonicam urbi accidisse ob hæc sacra violata.* Jus Fetiale ab Æquicolis mutuatum scribit Valerius libro decimo, cujus auctor fuit Sertor Resius Æquicolarum rex. Id jus (ut dixi) Numa primus Romanis constituit, sive ut Valerius scribit, ab Æquicolis, sive ut alii, ab Ardeatibus assumptum. Nam Romæ ante Numam collegium Fetialium non fuit. Id autem constituit, quum indicturus esset bellum Fidenatibus, ob latrocinia quædam & excursiones in agros Romanos factas, scireque prius vellet utrum secum convenire sine bello vellent. Qui necessitate coacti pacem maluerunt. Fetialium autem præcipua munera erant (ut tradit Dionysius) custodire, ne Romani bellum fœderatæ civitati injustum inferrent, in his autem qui fœdera rumpere cœpissent, ad eos legatos ire, & justa primum ratione repetere, atque si postulatis, qui læserint non obtemperarent, iis bellum indicere: simili ratione, si læsos se esse a Romanis socii aliqui asseverantes æqua postularent, ea cognoscere, atque si aliquid præter fœdera perpessi sunt, videanturque vera objicere, comprehensos sontes, eos læsis dedititios tradere. Injurias quoque legatis factas judicare, & quæ pia sunt in fœderibus, custodire, pacem facere, atque

A factam, si non ex legibus sacris facta videatur, irritam habere, imperatorum iniqua facta, quæcunque circa jusjurandum, & sponsiones fierent, cognoscere, & expiare. Quum autem bellum indicere justum & pium esse judicarint, unus quidem Fetialium, quem reliquis suffragiis prætulerint, ornatus veste, & gestaminibus sacris, ut inter alios conspicuus manifestusque sit, ad eorum urbem qui læserint proficiscitur, & attingens fines, Jovem deosque alios invocat, testans, quod ad repetendas pœnas pro urbe Romana proficiscitur. Postea juratus quod ad urbem vadit quæ prius injuste egerit, & execrationes maximas sibi ipsi ac Romæ imprecatus si mentiatur, intra fines pergit, deinde cuicunque primum occurrit hunc obtestatus, sive civis is

B fuerit, sive rusticus, easdemque imprecationes apponens ad urbem vadit; deinde antequam urbem ineat, janitorem ipsum sive alium, quem primum obvium in porta habuerit, eodem modo testatus in forum progreditur, illicque adstans qua caussa venerit, cum primoribus disserit, jusjurandum ut prius, & imprecationes apponens. Si igitur judicium illi subeant, tradentes sontes, urbe digreditur, eos viros abducens amicus jam ab amicis. Si vero tempus illi ad consultandum petant, decem eis dierum cum dederit, iterum redit, quousque petitionem eorum recipit. Elapsis ve-

C ro triginta diebus, si justa civitas non exhibeat, diis cœlestibus manibusque invocatis abit, hoc tantum dicto quod de eis consultabit per otium S. P. Q. R. Pronuntiat deinde in senatu cum aliis astans Fetialibus peractum esse ab ipsis, quantum fuerit ex legibus sacris pium, & si decernere bellum velint, eis amplius religione non prohiberi; antequam enim hæc facta fuissent, neque senatus, neque populus bellum alicui decernere poterat. Cincius porro libro tertio de re militari, Fetialem populi Romani bellum indicentem hostibus, telumque in agrum eorum jacientem hisce verbis uti scripsit: *Quod populus Hermundulus, hominesque populi Hermunduli, adversus populum Romanum*

D *bellum fecere, deliquereque, quodque populus Romanus cum populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum jussit, ob eam rem ego populusque Romanus, populo Hermundulo, hominibusque Hermundulis bellum indico facioque.* Horum Fetialium unus pater patratus dicebatur, cujus munus erat, quum pax, aut fœdus facienda essent, verba facere. Ejus rei exemplum ex Livii libro primo afferam. *Fœdus ictum inter Romanos, & Albanos est his legibus, ut cujus populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. Fœdera alia aliis legibus, ceterum eodem modo omnia fiunt. tum ita factum accepimus, nec ullius vetustior fœderis memoria est. Fetialis regem Tullum*

E *ita rogavit: Jubesne me rex cum patre patrato populi Albani fœdus ferire? jubente rege: Sagmina* (inquit) *te rex posco. Rex ait: pura tollito. Fetialis ex arce graminis herbam puram attulit, postea regem ita rogavit: Rex facisne me tu regium nuntium populi Romani Quiritium? vasaque comites meos? Rex respondit, quod sine fraude mea, populique Romani Quiritium fiat, facio. Fetialis erat M. Valerius. Is patrem patratum Sp. Furium fecit, verbena caput capillosque tangens* (*pater patratus ad jusjurandum patrandum, id est sanciendum fit*) *fœdus multisque id verbis, quæ longo effata carmine non opus est referre, peragit. Legibus*

F *deinde recitatis: Audi* (inquit) *Jupiter, audi pater patrate populi Albani, audi populus Albanus, ut illa palam prima, postrema, ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt, illis legibus populus Romanus prior non deficiet; si prior defecerit, publico consilio dolo malo, tum me Diespiter populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantoque magis ferito, quanto magis potes pollesque: id ubi dixit, porcum silice percussit. Sua item carmina Albani, suumque jusjurandum per suum dictatorem, suosque sacerdotes peregerunt. Fœdere icto,* &c. Fetiales autem ut ceterorum collegio-

rum sacerdotes, a collegis subrogabantur. Post legem vero Domitiam de qua sæpe dixi, eos populi suffragiis creatos fuisse, quemadmodum augures, pontifices, XV. viros sacris faciundis, & VII. viros epulonum, pro certo asserere non ausim, præsertim quum id nusquam me legisse meminerim. Eos tamen populi tributis comitiis creatos fuisse, ut credam potissimum adducor, quod penes collegium viginti fetialium erat publicæ religionis pars una non minus necessaria, quam quæ erat penes augures, pontifices, XV. viros S. F. & VII. Viros epulonum. Unde fit ut pari ratione credam, ante legem Domitiam cooptari per collegas solitos fetiales, sicut illi cooptabantur, præsertim quum nusquam reperiamus, vel a pontificibus eos creatos, sicut flamines, vel a magistratibus, post primam eorum a Numa creationem. Quod si ante legem Domitiam cooptari a collegio concedamus, necesse est ut hac lege suffragiis populi creari cœperint. Fetiales vero habere partem religionis publicæ, a reliquis sacerdotibus separatam, tum ex his quæ dixi, tum ex legibus Ciceronis intelligi potest, apud quem seorsum de fetialibus libro secundo hæc lex ponitur. *Fœderum, pacis, belli, induciarum, oratorum, fetiales judices sunto. Bella disceptanto.* Fuisse autem eorum collegium tum ex his quæ etiam dixi, tum ex Livio cognosci potest, qui libro XXXVI. ita scribit: *Consul inde M. Acilius ex S. C. ad collegium fetialium retulit, ipsi ne utique regi Antiocho indiceretur bellum.* Reliqua, quantum ad fetialium creationem attinet, quemadmodum de pontificibus, & auguribus dixi, intelligenda sunt. Atque hæc sunt, quæ de fetialibus, ex Cicerone, M. Varrone, Dionysio lib. I. Livio lib. I. Gellio lib. XVI. cap. IV. Plutarcho, Sex. Pompeio, & Nonio Marcello collegi. De fetialibus mentio est in antiqua inscriptione ita:

P. CORNELIO. LENTVLO
SCIPIONI. COS. PRAEF
AERARI. LEGATO. TI
CAESARIS. AVG. LEG. LEG
VIIII. HISPAN. PONTIFICI
FETIALI. D. D.

CAP. XXXIII.

De Pontificibus.

OCTAVA & *ultima divisio* (inquit Dionysius libro secundo) *sacrarum traditionum Numæ fuit eorum sacrorum, quæ pontifices sortiti sunt. Qui magnum apud Romanos sacerdotium, & potestatem habent.* De quibus loquuturo ea erunt hoc loco mihi repetenda, quæ in V. fastorum commentario digessi, ne hac una sacerdotum præcipua parte præterita, imperfectus hic liber exiret. Erat autem pontificatus sacer magistratus, a posse & facere, ut Scævula, vel a ponte, ut Varro scribunt, appellatus. Pontifices enim, ut apud Varronem Q. Scævula pontifex maximus dicebat, a posse & facere dicti sunt. Varro autem lib. IV. de lingua Latina, pontifices a ponte dictos arbitratur, nam ab iis pons Sublicius est factus primum, & restitutus sæpe, quum ideo sacra & ultra & cis Tiberim non mediocri ritu fiant. & Dionysius libro secundo: *Novissima Numæ institutorum pars continebat sacra maximi apud Romanos sacerdotii, & cujus potestas est amplissima. Hi ab uno suorum operum, videlicet sarciendo ponte Sublicio vocabantur pontifices, summa auctoritate præditi, nam de omnibus causis ad sacra pertinentibus judicant, tam inter magistratus sacros, quam inter privatos homines, novasque leges de sacris arbitratu suo condunt, sicubi destituuntur scriptis legibus: & magistratus, penes quos cærimoniæ sunt ac sacrificia, sacerdotesque omnes examinant; ministros quoque sacrorum in officio continent, ne quid præter solemnes ritus faciant; a profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu deorum, ac geniorum, alisque*

A *religionibus: quod si quem animadvertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine. Ipsi nullius potestati sunt obnoxii, nec tenentur ad reddendum rationem vel senatui, vel populo. Id genus sacerdotes, sive sacri doctores, sive sacrarum legum consulti, sive sacrorum custodes recte dicendi sunt. Ego Hierophantas nostris appellari dixerim. In defuncti locum alius solet subrogari non populi suffragiis, sed qui collegio maxime videatur idoneus ex omni civium numero, nec nisi inauguratus ad sacerdotium admittitur,* &c. Pontificum etiam muneris meminit diserte Cicero pro domo sua ad pontifices ita: *Quum multa divinitus, pontifices, a majoribus nostris inventa atque instituta sunt, tum nihil præclarius, quam quod vos eosdem & religionibus deorum immortalium, & summæ reipublicæ præesse voluerunt, ut amplissimi, & clarissimi cives remp. bene gerendo, pontifices religionem sapienter administrando, rempublicam conservarent. Quod si ullo tempore magna causa in sacerdotum populi Romani judicio, ac potestate versata est; hæc profecto tanta est, ut omnis reipub. dignitas, omnium civium salus, vita, libertas, aræ, foci, dii penates, bona, fortunæ, domicilia, vestræ sapientiæ, fidei potestatique commissa & credita esse videantur.* Et non longe post ad Lentulum unum ex pontificibus loquens: *Te appello,* inquit, *Lentule, tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque deorum. Vosque pontifices, ad quos epulones Jovis optimi maximi, si quid est prætermissum, aut commissum adferunt; quorum de sententia illa eadem revocata, atque instaurata celebrantur; qui sunt ludi minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum, nihil cujusque aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum.* Ceterum quatuor tantum a Numa pontifices instituti traduntur, qui omnes ex patriciis semper cooptati sunt, usque ad annum urbis CDLIV. in quo *Q. Appuleio Pansa, & M. Valerio Corvo* v. *cos.* ut libro decimo tradit Livius, *ne undique tranquillæ res essent, certamen injectum est inter primores civitatis patricios plebeiosque a tribunis plebis Q. & Cn. Ogulniis. Qui undique criminandorum patrum apud plebem occasionibus quæsitis, postquam alia frustra tentata erant, eam actionem susceperunt, qua non infimam modo plebem accenderent, sed ipsa capita plebis consulares triumphalesque plebeios, quorum honoribus nihil præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset. Rogationem ergo promulgarunt, ut quum quattuor augures, quattuor pontifices ea tempestate essent, placeretque augeri sacerdotum numerum, quattuor pontifices, quinque augures de plebe omnes allegerentur. Eam rem juxta ægre passi patres, quam quum consulatum vulgari viderent: simulabant ad deos id magis quam ad se pertinere, ipsos visuros ne sacra sua polluantur, id se optare tantum, ne qua in rempublicam clades veniat. Minus autem tetendere, assueti jam tali genere certaminum vinci; & cernebant adversarios non id quod olim vix speraverint affectantes magnos honores, sed omnia jam, in quorum spem dubiam erat certatum, tamen adeptos multiplices consulatus, censurasque, & triumphos,* &c. Et paulo post: *Vocare tribus extemplo populus jubebat, apparebat accipi legem, ille tamen dies est intercessione sublatus; postera die deterritis tribunis ingenti consensu accepta est. Pontifices creantur suasor legis P. Decius Mus, P. Sempronius Sophus, C. Marcius Rutilus, M. Livius Denter. Quinque augures item de plebe, C. Genucius, P. Ælius Pætus, M. Minucius Fessus, C. Marcius, T. Publilius. Ita octo pontificum, novem augurum numerus factus.* Qui usque ad Sullæ Felicis dictaturam mansit. Ceterum quum L. Cornelius Sulla Felix, adversæ partis factionibus cæsis, dictator renuntiatus fuisset, inter multa quæ aut abrogavit, aut addidit, pontificum quoque & augurum collegium ampliavit, ut essent quindecim pontifices, & quindecim augures. Ita ex Livio Florus in epitoma libri LXXXIX. Ex cujus Sullæ facto, duplex factus est pontificum ordo, primi enim octo, & ii deinceps,

qui in eorum locum cooptati sunt, pontifices majores appellati, reliqui vero septem minores pontifices dicti sunt. Majorum & minorum pontificum, tam apud veteres auctores, quam in antiquis lapideis epigrammatibus frequens mentio est. Majorum siquidem in his:

PETRONIVS. APOLLODORVS. V.C
PONTIFEX. MAIOR. XV. VIR. SACR. FAC
PATER. SACR. DEI. INVICTI. MITHRAE
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO
VNA. CVM. RVFIA. VOLVSIANA C. F. CON
IVGE. XV. KAL. IVLIAS. DD. NN
VALENTINIANO. ET. VALENTE. AVGG. III
COSS. ARAM. DICAVIT

Item:

M. MAECIO MEMMIO. FVRIO. BALBVRIO
CAECILIANO. PLACIDO. C. V
PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI. PVBLICO
P. R
QVIRITIVM. XV. VIRO. SACRIS. FACIVNDIS

Item:

LVCIO. AVRELIO. AVIANIO. SYMMACHO
V. C
PONTIFICI. MAIORI. XV. VIRO. SACRIS
FACIVND

Pontificum vero minorum sic meminit M. Cice. in oratione de haruspicum responsis: *At vero meam domum P. Lentulus consul & pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messala, L. Lentulus, Flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius rex sacrorum, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sex. Caesar, Flamen Quirinalis. Q. Cornelius. P. Albinovanus, Q. Terentius pontifices minores, causa cognita, duob. locis dicta, maxima frequentia amplissimorum ac maximorum civium adstante, omni religione una mente omnes liberaverunt.* Et Julius Capitolinus in Macrino. *Senatus Macrinum quum scribam pontificum fecisset, quos hodie pontifices minores vocant, pontificem maximum appellavit.* Et in antiquis inscriptionibus:

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
CVRATORI. TRIVMPHI. FELICISSIMI
GERMANICI. SECVNDI. IMP. CAESARIS
DIVI. F. DOMITIANI. AVGVSTI
EXORNATO
SACERDOTI. SPLENDIDIS. PONTIF.
MINOR

Item:

C. IVNIO. C. F. QVIR
FLAVIANO
LEG. LEG. VII. GEM
PONTIFICI. MINORI
CVRATORES. FRVMENTARI

Universus porro pontificum coetus collegium vocabatur, quemadmodum ex Cicerone in oratione ad pontifices pro domo, & de haruspicum responsis, itemque ex antiquis inscriptionibus liquet. Ceterum ut Dionysius libro secundo, & Cicero in Rullum scribunt, Pontifices a Numae temporibus usque ad annum urbis circiter DCL. a collegio pontificum cooptari soliti fuerunt, non enim comitiis a populo creabantur: quo tempore Cn. Domitius Cn. filius Ahenobarbus trib. plebis pontificibus offensior, quod alium quam se in locum patris sui Cn. Domitii cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegiis ad populum transtulit. Ita Cicero in Rullum, & Tranquillus cap. secundo in Nerone. Atque ita pontifices, augures, VII. viri epulonum, quindecim viri sacris faciundis, & fetiales, qui prius a suis collegiis subrogabantur, postea lege Domitia tributis comitiis per populum creati sunt. Hanc legem a Sulla dictatore plebi offensiore abrogatam, restituit Cicerone consule T. Labienus tribunus plebis, ut Dio libro XXXVII. auctor est. Postea sub Augusto iterum abrogata Domitia lege, collegiorum primo, deinde Romanorum principum arbitrio pontifices, & reliqui sacerdotes cooptari coepti. Pontificum collegium usque ad Theodosii senioris Imperatoris tempora Romae fuit. Quibus, religione Christiana omnia jam obtinente, imperatoribusque antiquae superstitioni adversantibus, uno edicto sacerdotiorum omnium redditus fisco applicati sunt. Quare postea plane pontifices, augures, & reliqui sacerdotes fieri desierunt, quum redditibus omnibus mulctati essent. Ita Zosimus. Atque haec sunt quae breviter de pontificibus dicenda inveni. Nunc vero ut & de pontifice maximo, quorum seriem quanta potui diligentia collegi, verba faciam, reliquum est. Ut enim erant pontifices majores minoresque, sic supremus unus summusque omnium pontifex erat, qui maximus dicebatur a Numa institutus, quod, ut Dionysius tradit, maximarum rerum quae ad sacra & religionem pertinent, judex esset, & vindex contumaciae privatorum & magistratuum. De ejus creatione sic scribit libro primo Livius: Minoribus pontificibus creatis, *Numa pontificem deinde maximum Numam Martium M. F. ex patribus legit, eique sacra omnia exscripta exsignataque attribuit; quibus hostiis, quibus diebus, ad quae templa sacra fierent, atque unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Cetera quoque omnia publica privataque sacra pontificis scitis subjecit, ut esset quo consultum plebs veniret, ne quid divini juris negligendo patrios ritus, peregrinosque asciscendo, turbaretur. Nec coelestes modo caerimonias, sed justa quoque funebria, placandosque manes, ut idem pontifex edoceret, quaeque prodigia fulminibus, aliove quo viso missa susciperentur, atque curarentur, ad ea elicienda ex mentibus divinis, Iovi Elicio aram in Aventino dicavit, Deumque consuluit auguriis quae suscipienda essent.* Ita Livius. & Sex. Pompeius: *Pontifex maximus, judex atque arbiter rerum divinarum atque humanarum.* Ceterum pontifex maximus ex collegio pontificum creabatur, non quidem collegarum cooptatione, ut in ceteris sacerdotiis mos erat, sed populi tributis comitiis, ut ex omni Livii historia facile intelligi potest. Multo etiam tempore non nisi ex patribus creabatur, donec postremo omnibus honoribus plebi communicatis, pontifex quoque max. ex plebe primus creatus est Ti. Coruncanius. Post quem multi, tam patricii, quam plebeii, pontifices maximi creati fuerunt, usque ad C. Julium Caesarem. Quo mortuo in ejus locum pontificatum maximum per vim invasit Lepidus. Post cujus mortem id sacerdotium suscepit Augustus, quod Lepido vivo nunquam, quamquam oblatum, recipere sustinuerat, ut Tranquillus tradit. Decens autem visum est eum, qui totius imperii possessionem adeptus esset, ipsum quoque supremam divinarum rerum auctoritatem, quae hoc sacerdotio comprehendebatur, habere. Quare post Augustum omnes Romani principes, qui sub imperatoris nomine rei Romanae praefuerunt, pontificatum maximum vel susceperunt, vel se pontifices maximos appellari passi sunt; ut Constantinus, Constantius, Valentinianus, Valens, & Gratianus Augusti. Qui Christianae religioni addicti, quanquam a pontificis maximi munere abhorrerent, id tamen nomen elogiis suis adscriptum non aspernati sunt, vel rejecerunt. Primus omnium Gratianus imp. edicto proposito (ut Zosimus docet) se pontificem maximum appellari vetuit, atque ita ea sacerdotii dignitas in Imperatoribus defecit. Quod quum adeo sublime, maximum, & prae ceteris sacerdotiis celeberrimum esset, ut omnes ejus dicto praesto essent, nam ceteri pontifices, flamines, rex, quindecim viri sacris faciundis, & reliqui omnes sacerdotes sub ejus potestate erant, ut ex Livio passim intelligitur, statui eorum seriem, quorum memoriam invenire potuerim, hic quoque brevissime subjicere.

Numa Marcius M. F. pontifex maximus primus.

*

C. Papirius pontifex maximus.

*

Q. Furius Fusus alias
M. Papirius pontifex maximus.

*

A. Cornelius Cossus pontifex maximus.

*

Sp. Minucius Augurinus pontifex maximus.

*

M. Fabius Ambustus pontifex maximus.

*

P. Cornelius Scipio Scapula pontifex maximus.

*

P. Cornelius Scipio Barbatus pontifex maximus.

*

Ti. Coruncanius TI. F. TI. N. pont. max. primus e plebe factus.
L. Cæcilius L. F. C. N. Metellus pontifex maximus.
L. Cornelius L. F. TI. N. Lentulus Caudinus pont. max.
P. Licinius P. F P. N Crassus Dives pont. max.
C. Servilius C. F. C. N. Geminus pont. max.
M. Aimilius M. F. M. N. Lepidus pont. max.
P. Cornelius Cn. F. L. N. Scipio Nasica vir optimus pont. max.

*

P. Cornelius P. F. P. N. Scipio Nasica Serapio pont. max.
P. Licinius P. F. P. N. Crassus Mucianus pont. max.
P. Mucius P. F. Q. N. Scævula pont. max.

*

L. Cæcilius L. F. Q. N. Metellus Calvus pont. max.

*

Q. Servilius Q. F. Cn. N. Cæpio pont. Max.

*

Cn. Domitius Cn. F. Cn. N. Ahenobarbus pont. max.
Q. Cæcilius Q.F.Q.N. Metellus Dalmaticus pont.max.
Q. Mucius P. F. Q. N. Scævula pont. max.
Q. Cæcilius Numidici F. L. N. Metellus Pius pont. max.
C. Julius C. F. C. N. Cæsar dictator pont. max.
M. Aimilius M. F. Q. N. Lepidus pont. max.
Imp. Cæsar Divi F. C. N. Augustus pont. max.
TI. Julius Divi Augusti F. Divi N. Cæsar Augustus pont. max.
C. Julius Germanici F. TI. Augusti N. Divi Augusti pron. Cæsar Augustus Germanicus pont. max.
Ti. Claudius Drusi F. TI. N. Cæsar Augustus Germanicus pontifex maximus.
Imper. Nero Claudius Divi Claudi F. Cæsar Augustus Germanicus pontifex max.
Ser. Sulpicius C. F. Ser. N. Galba Imp. Cæsar Augustus pont. max.
Imp. M. Salvius L. F. M. N. Otho Cæsar Augustus pont. max.
A. Vitellius L. F. P. N. Germanicus Imp. Augustus pont. max.
Imp. Cæsar T. Flavius Vespasianus Augustus pon.max.
Reliqui deinceps omnes Romani imperatores pontifices maximi fuerunt.

CAP. XXXIV.

Salii Collini XII.

SALII Agonales, qui a quibusdam Collini, quod eorum sacrarium in Quirinali colle esset, appellati, a Tullo Hostilio rege ex voto, quod bello Sabino nuncupaverat, instituti sunt. De quibus Dionysius libris II. & III. mentionem facit sic: *Committiturque prælium apud urbem Heretum cum Sabinis, in quo multi utrinque cecidere, pugnantibusque eis diu ancipiti Marte, intendens manus ad cœlum Tullus Hostilius rex,* A *vovit diis, si vinceret ea die Sabinos, se Saturno, Rheæque institurum publico sumptu ludos, quos agunt adhuc quotannis Romani, quum ex agris fructus omnes perceperint. Vovitque duplicem eorum, quos vocant Salios, numerum. Sunt hi etiam ex parentibus generosis, armatis saltationibus incedentes ad tibiam certis temporibus, deorumque laudes quasdam patrias canentes.* Et M. Varro lib. v. de lingua Latina: *In libris Saliorum, quorum cognomen Agonensium, forsitan hic dies ideo appellatur potius Agonia.*

De Saliis Collinis mentio est in vetusta hac inscriptione.

B

P. COELIO. P. F.
SER. BALBINO
VIBVLLIO. PIO
X. VIRO. STLITIB. IVDIC
VI. VIRO. EQVIT. ROMAN
TVRM. EQVIT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. F. ADLECTO
INTER. PATRIC. AB. IMP. CAES
TRAIANO. HADRIANO. AVG
SALIO. COLLINO. QVAEST
AVG. FLAMINI. VLPIALI. PR. DE
FIDEI. COMMISS. CoS
C DESIGNATO
DECVRIONES. SVA. PECVNIA

CAP. XXXV.

De XV. Viris sacris faciundis.

POSTQUAM ab incognita anu (quam Sibyllam esse crediderunt) carmina Sibyllina Tarquinio Superbo vendita sunt, ut in libro de ludis sæcularibus disserui, rex ipse duos statim sacrorum librorum custodes creavit ex illustribus civibus, servosque publico sumptu eis statuit. Quorum alterum M. Atilium D visum injuste agere, nec fidelem esse, & a quodam accusatum tamquam parricidam culeo insutum in mare projecerit. Quod his verbis docet Valerius libro primo, cap. primo: *Tarquinius autem rex M. Atilium duumvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum in mare abjici jussit, idque supplicii genus non multo post parricidis lege irrogatum est. Justissime quidem, quia pari vindicta parentum ac deorum violatio expianda est.* De duumviris sacris faciundis frequens mentio est per omnem Livii historiam, ante primum consulem plebeium creatum, libro tertio: *Libri per duumviros sacrorum ad-* E *diti.* Et libro quarto: *Obsecratio itaque a populo* II. *viris præeuntibus est facta.* Et paulo post: *Multa* II. *viri ex libris placandæ deum iræ, avertendæque a populo pestis caussa fecere.* Et libro quinto: *Libri Sibyllini ex S. C. additi sunt,* II. *viri sacris faciundis lectisternio tum primum in urbe facto.* De his ita libro quarto scribit Dionysius: *Post ejectionem autem regum, assumens civitas oraculorum patrocinium, viros etiam illustrissimos custodes eis designavit, qui per omnem vitam eam curam haberent, militia & aliis urbanis muneribus immunes, publiceque apud eos libros deposuit, sine quibus non permisit oracula aspicere Sibyllina. Romani enim nihil ita* F *custodiunt, neque sanctum, neque sacrum, quemadmodum Sibyllina divinitus oracula missa. Ea autem adeunt ex S. C. seditione civitatem tenente, aut calamitate magna aliqua bello incidente, aut prodigiis aliquibus, & larvis magnis, & cognitu difficillimis ipsis apparentibus, qualia sæpe evenire solent.* Porro autem anno urbis CCCXXCVIII. lege lata a tribunis plebis C. Licinio, & L. Sextio ex II. viris X. viri facti sunt, simulque lege cautum, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. Quam legem, decimo sui tribunatus anno, illi tribuni plebis pertulerunt. Post quod tempus usque ad L. Sullæ Felicis dictaturam fuerunt X. viri S.F. de quib.

A toties mentio est apud Livium. A Sulla vero Dictatore XV. viri S. F. facti sunt. Quod hac ratione ostendi potest. Ciceronis ætate erant XV. viri sacris faciundis, qui adhuc erant decemviri eo anno, quo Capitolium arsit, paulo ante Sullæ Dictatoris tempus L. Scipione, & C. Norbano cos. anno urbis DCLXXI. Atque post eum annum in sacerdotum collegiis nusquam legitur quicquam esse mutatum, nisi in dictatura Sullæ. Relinquitur ergo ut hæc XV. virorum institutio a Sulla facta esse credatur, præsertim quum aliis sacerdotum collegiis legatur adjecisse aliquot sacerdotes, ut auguribus & pontificibus. Fuisse vero Ciceronis ætate XV. viros, ex quarta Cœlii ad Ciceronem epistola B intelligi potest, in qua ipse ad Ciceronem scribit, P. Dolabellam populi suffragiis factum XV. virum. Tranquillus quoque in Cæsare: *Proximo autem senatu percrebuit fama, L. Cottam XV. virum sententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci, Cæsar rex appellaretur*. Quod vero decemviri sacrorum adhuc essent eo anno, quo Capitolium crematum est, ex verbis Dionysii libro quarto intelligitur, qui ait: *Libros Sibyllinos, qui adhuc a decemviris servabantur, incendio Capitolii fuisse crematos, quod anno ante Sullæ dictaturam conflagravit*. De XV. viris ita scribit libro II. Tacitus: C *Ludis sæcularibus Domitiani intentus affui, sacerdotio XV. virali præditus, ac tum prætor, quod non jactantia refero, sed quia collegio XV. virum antiquitus ea cura, & magistratus potissimum exequebantur officia cærimoniarum*. Et Servius interpretans illud Virgilii:

..... *lectosque sacrabo*
Alma viros. ait sic:

Primo fuerunt duo librorum Sibyllinorum custodes, inde X. inde XV. usque ad tempora Syllana: post crevit numerus usque ad LX. Sed remansit XV. virum vocabulum. Post Sullam idem sacerdotium mansit usque ad Theodosii tempora, quibus cum ceteris veteris superstitionis sacris abrogatum est. Porro autem ex eo epi- D stolæ Cœlii loco, quem citavi, colligi potest, popul suffragiis sacerdotes hujus collegii aliquando creatos, idque per legem Domitiam. Nam quod a collegis ante eam legem cooptarentur, passim in Livii historia legitur, ubi de suffectis in demortuorum locum sacerdotibus loquitur. Horum munus erat, libros Sibyllinos custodire, quum ex S. C. adeundi essent, adire, & quæ legissent senatui renuntiare, & ea S. C. decreta procurare, ludos sæculares celebrare, & postremo omnia peragere, quæ Sibyllinorum carminum jussu facienda erant. De his frequens mentio est in vetustis monumentis sic:

E

HERCVLI . INVICTO
M . CASSIVS
HORTENSIVS
PAVLLINVS. PR. VRB
XV. VIR . SACRIS
FACIVNDIS
DONVM. DEDIT

Item:

IVNIO. POSTVMIANO. V. C. P. P
DEI. SOLIS. INVICTI. MITHRAE
XV. VIRO . S. F. PONTIFICI
DEI. SOLIS. ORDO. SACER
DOTVM . MAGISTRO . SVO
CVRANTE. ET. DEDICANTE
FLAVIO. HERCVLEO. VIRO
RELIGIOSISSIMO

Item:

AVRELIO. VICTORI
XV. VIR. SACR. FAC
LEG. AVGG. PRO. PR
PROV . PANN. INF
PATRON. R. P. H. V
D. D

CAP. XXXVI.

De Rege sacrorum, alias sacrificulo primo.

De hujus sacerdotii institutione, & munere ita scribit lib. II. Livius: *Regibus exactis, & parta libertate, rerum deinde divinarum habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium esset, regem sacrificulum creant. id sacerdotium pontifici subjecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret*. Et Dionysius initio libri quinti. *Sed quandoquidem multorum magnorumque bonorum auctores fuisse reip. visi erant reges, custodire volentes nomen hujus imperii per omne tempus, donec urbs esset, jussere pontifices & augures unum eligere ex senioribus maxime idoneum, nullius ipsum alterius rei, præterquam eorum, quæ ad divinos cultus pertinent, præsidentiam habiturum, & ab omni alio ministerio civili bellicoque liberum, regem sacrorum vocatum. Creatusque est rex sacrificulus primus M. Papirius, ex patriciis vir quietis studiosus*. &c. Regis porro uxor appellabatur Regina, quæ & ipsa aliquot sacra facere solebat; de qua Macrobius in libris Saturnalium mentionem facit. Creabatur autem rex sacrorum populi comitiis centuriatis, quemadmodum apud Gellium lib. XV. cap. XXVII. refert Lælius Felix. Quam diu autem vetus religio mansit, rex sacrorum semper ex patriciis creatus est, ut Cic. pro domo scribit. Mansit autem hoc sacerdotium usque ad Theodosii senioris tempora, quibus cum reliquis sacris abrogatum est.

CAP. XXXVII.

De Sacerdotibus fœminis bonæ deæ.

Bona dea, quam alii Faunam, alii Fatuam appellant, terra a plerisque esse creditur, quod infantes partu editi, non prius vocem edunt quam terram attigerint. Bonam vero deam vocant, quod omnium nobis ad vitam bonorum caussa est terra. Faunam vero, quod omni usui animantium favet, a qua Fauni agrestes dii, quod e terra geniti sint. Dicitur etiam Ops, quod ipsius ope atque auxilio vita constet; & Damia, quia ei in operto sacrificabatur, unde & sacerdos ejus Damatris appellabatur, & sacrificium, quod ei fiebat, Damium, a contrario sensu, quod minime esset publicum. Hæc ab aliis & Senta vocata est. Hanc Varro scripsit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo illam, dum vixit, præter virum suum, mas viderit, nec nomen ejus audierit, propter quod illi in operto mulieres sacrificabant, & Bonam deam nominabant. Hæc Romæ in Aventino ædem habuit. De cujus sacris a P. Clodio Ciceronis ætate pollutis frequens mentio est apud Ciceronem, & Asconium: qui quum C. Cæsaris pontificis maximi uxorem Muciam adamaret, muliebri habitu in operto Bonæ deæ inventus est ab Aurelia C. Cæsaris matre, quo non nisi mulieribus ingredi fas erat. Unde Cicero in P. Clodium acerrime invectus est, quod ausus fuisset ea sacra, quæ in operto pro salute populi F Romani in pontificis maximi ædibus fiebant, sua præsentia polluere. Hujus Deæ meminit vetus hæc inscriptio, quæ Romæ in ædibus Gentilis Delphinii extat.

ANNIA. P. L. FLORA. EX
TESTAMENTO. BONAI. DEAI
SACRVM
SALVIA. SOROR
Ɔ LIBERTA
SVA . PECVNIA
FAC. CVRARVNT

CAP. XXXVIII.

De Gallis & Archigallo, Sacerdotibus Deæ Cybelis.

QUUM secundo Punico bello maxime vigente, ex carminibus Sibyllinis x. viri sacris faciundis ad senatum retulissent, hostem pelli Italia, vincique posse, si mater Idæa Pessinunte Romam advecta esset, statim senatus legatos in Asiam ad regem Attalum misit. Is legatos comiter acceptos Pessinuntem in Phrygiam deduxit, sacrumque iis lapidem, quem matrem deum incolæ esse dicebant, tradidit, ac deportari Romam jussit. Qui Romæ a viro optimo Scipione Nasica susceptus est: & in Ædem Victoriæ, quæ est in Palatio, eum pertulere pridie Idus Aprilis, isque dies festus fuit. Populus frequens dona deæ in Palatium tulit, lectisterniumque & ludi fuere, Megalesia appellata. Hæc etiam Cybeles, & mater magna, & dea Pessinuntia; ejus sacra Orgia; sacerdotes vero Galli appellati sunt. Hi castrati omnes erant. Quod hinc evenisse fama est. Quum dea Cybeles puerum Phrygem formosissimum Attyn nomine suis sacris ea lege præfecisset, ut perpetuo castitatem servaret, haud longe post Sangaritidem nympham compressit. Quare ab irata dea in furorem actus, quum Dyndima venisset, manusque sibi afferre conaretur, miseratione deæ furore liberatus a se interficiendo abstinuit, virilitatem tamen sibi amputavit; & ideo Cybeles castratos sacerdotes habere mavult. Galli autem dicuntur a Gallo Phrygiæ flumine, cujus aquam qui gustassent, reddebantur insani: testes vero Samia testa sibi præcidebant. Sex. Pompeius: *Galli qui vocantur matris magnæ comites, dicti sunt a flumine cui nomen est Gallo, quia qui ex eo biberint in hoc furere incipiunt, ut se privent virilitatis parte. Alii putant ideo eos sibi genitalia incidere, quia violaverint nomen patris matrisve, ne possint ipsi fieri parentes.* Hi quotannis religionis caussa Hilaribus festis matris deum simulachrum, carpentum & leones Cybeles, quam & deam Berecynthiam vocabant, & cultros Phrygios magna pompa producebant ad Almonem rivum, ibique ad duorum amnium confluentem, veteri instituto omnia abluebant. Nam quo primum die ex Asia illuc est advecta, a sacerdote lota est: isque mos postea per singulos annos est servatus. Unde Ovidius quarto Fastorum.

Est locus in Tiberim, quo lubricus influit Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.
Illic purpurea canus cum veste sacerdos
Almonis dominam, sacraque lavit aqua.

Et Lucanus libro primo.

Tunc qui fata deum, secretaque carmina servant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybelem.

Et D. Augustinus cap. quarto libri secundi de civitate Dei: *Oblectabantur* (inquit) *cœlesti virgini, & Berecynthiæ matri deorum omnium, ante cujus lecticam die solemni lavationis ejus, talia per publicum cantitabantur a nequissimis scenicis*, &c. De his sacerdotibus sic scribit Dionysius libro secundo: *Romani fabulosam omnem rejiciunt superstitionem, sicut deæ Idææ sunt sacra; cui quum sacrificia quotannis, & ludos prætores agant Romanis legibus, sacra tamen ejus agunt vir & mulier Phryges, hi quæ ea per urbem circumdant congregantes matronas, ut mos est illis, figurasque annectentes pectoribus, carminaque, pulsantes tympana, decantant, varias stolas induti, hisque cærimoniis deam Phrygiam colebant.* Et Herodianus libro primo: *Veris initio, stato solemnique die pompam matri deum Romani celebrant. in ea, quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, supellexque pleraque imperatoria materiæ aut artis spectandæ, præferri ante deam solent. Passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induant quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cujusque studium*
A *repræsentent, sic ut non temere a falsis veros dignoscas. Quæ autem ratio sit cur huic deæ tantum honorem Romani habeant, non alienum videtur, quantum ex historia accipimus commemorare. Ipsum igitur simulachrum cælitus ut ajunt demissum, neque qua sit materia, neque a quo fabricatum artifice satis constat, neque plane hominum manibus creditur factum. Hoc igitur cælitus decidisse ferunt in quendam Phrygiæ agrum, cui nomen Pessinunte a casu ejus simulachri factum putant; ibi enim a principio comparuisse. In hoc Phryges olim Orgia colebant, ad ipsum fluvium Gallum, a quo etiam deæ sacerdotes cognominantur. Sed ubi res*
B *Romana crevit responso accepto mansurum imperium, atque ad summum auctum iri, si Pessinuntiam deam ad se transferrent, missi in Phrygiam legati sunt, petitum deæ simulachrum; quod facile concessum est, & Romam advectum.* Ita Herodianus.

De dea Cybele, ejus sacris, & sacerdotibus Gallis mentio est in vetustis epigrammatibus ita:

M. D. M. ID. ET. ATTIDIS. MINOTAVRANI
ARAM. IIII. IDVS. MARTI
GRATIANO. IV. ET. MEROBAVDE. COSS
DEDICAVIT
ANTIQVA. GENEROSAE. DOMO. CVI
REGIA. VESTAE
C PONTIFICI. FELIX. SACRATO. MILITAT
IGNE
IDEM. AVGVR. TRIPLICIS. CVLTOR
VENERANDAE. DIANAE
PERSIDICI. QVE. MITHRAE. ANTISTES
BABELONAE. TEMPLI
TAVROBOLIQVE. SIMVL. MAGNI. DVX
MYSTICE. SACRI

item

COSMVS. AEDITVVS. MATRIS. DEVM
ANTIOCHO. SACERDOTE. ANNIS. XII
EIVS . . . .
D AB. IMP. AVG. GRATIS. MANVMISSVS. OB . . . . .
SVPRA. SVNT. H-S. N. L. DONATIONIS
CAVSSA

item

MANCIP. . . . .
L. VETTIO. SYNTROPHO
RELIGIOSO
A. MATRE. MAGNA. CAPILLATO
VETTIA. AMOR. DE. SVO. FECIT
POSTERIS. QVE. EORVM
M. D. M. I. ET. ATTINIS
L. CORNELIVS. SCIPIO. ORFITVS
E V. C. AVGVR. TAVROBOLIVM
SIVE. CRIOBOLIVM. FECIT
DIE. IIII. KAL. MART
TVSCO. ET. ANVLLINO. COS

item

C. CAMERIVS
CRESCENS
ARCHIGALLVS. MATRIS
DEVM. MAGNAE. IDAEAE. ET
ATTIS. POPVLI. ROMANI
VIVVS. SIBI. ET
C. CAMERIO. EVCRATIANO. LIB
F SVO. CETERIS. AVTEM. LIBERTIS. VTRI
VSQVE. SEXVS. LOCA. SINGVLA
SEPVLTVRAE. CAVSSA. H. M. H. N. S

CAP. XXXIX.

De VII. Viris Epulonum.

UT fere omnes veterum sacerdotes, sic Epulones vario numero fuerunt. Quando enim primum instituti sunt, tres creati sunt, ut ait Livius lib.

XXXIII. qui ita scribit. *Anno urbis* DLVIII. *L. Furio Purpureone M. Claudio Marcello Cos. Romæ eo primum anno* III. *viri Epulones facti C. Licinius Lucullus, T. Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Leca. His triumviris item ut pontifici lege datum togæ prætextæ habendæ jus.* De his III. viris Cicero III. de oratore ita scribit. *Sed ut pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare sacrificium facerent, instituti.* At posterioribus temporibus septemviros epulones fuisse ex antiquis veteribus tum scriptorum tum lapidum monumentis intelligi potest. Antistius enim Labeo apud Gellium libro primo cap. XII. ita scribit: *Item cujus pater flamen, aut augur, aut* XV. *vir S. F. aut qui septemvir epulonum, aut salius est.* Ut autem Ciceronis ætate eum numerum fuisse credam ex eo colligo, quod Lucanus libro primo hujus sacerdotii meminit illo versu.

Septemvirque epulis festus, Titiique sodales.

Ut enim rationem temporis habeat Lucanus, necesse est initio belli civilis, cujus prodigia illic scribuntur fuisse VII. viros epulones, at si tempore belli civilis inter Cæsarem & Pompeium erant VII. viri epulonum, nemo autem legatur ad sacerdotum numerum centum & eo amplius annorum spacio adjecisse, præter Sullam dictatorem, relinquitur ut Sullæ instituto VII. viri epulones esse cœperint, qui ad illud usque tempus fuerant III. viri; nam non multo tempore ante Sullæ dictaturam adhuc triumviros epulones fuisse ex Ciceronis libro tertio de oratore intelligi potest. L. enim Crassus illic loquitur de triumviris epulonibus, quem constat paulo ante Sullæ dictaturam obiisse. Et Livius libro XL. III. virorum epulonum meminit A. Postumio & C. Calpurnio cos. anno urbis DLXXIV. at post illos consules sacerdotum numerum nusquam legimus auctum, nisi a Sulla dictatore, quando is augurum, pontificum, & aliorum sacerdotum numerum auxit. Porro autem de eorum munere Cicero in oratione de haruspicum responsis ita loquitur: *Ludos minus diligenter factos, pollutosque. Quos ludos? Te appello, Lentule, tui sacerdotii sunt tensæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: Vosque pontifices, ad quos epulones Jovis optimi maximi, si quod est prætermissum, aut commissum adferunt, quorum de sententia, eadem renovata celebrantur. Ludi sunt minus diligenter facti? quanto aut quo scelere polluti? respondebis & pro te, & pro collegis tuis, & pro collegio pontificum, nihil cujusquam aut negligentia contemptum, aut scelere esse pollutum.* Ex quibus verbis intelligimus non modo quod esset munus epulonum, sed etiam fuisse eorum quoddam collegium. Et hi ut ceteri sacerdotes a collegis subrogabantur ante legem Domitiam, quod ex tota Liviana historia liquet. Post legem vero Domitiam populi suffragiis is quoque honor mandari cœptus, &c. De VII. viris epulonum mentio est in antiquis epigrammatibus ita:

DIS. MANIBVS
M. SVLPICI. BASSI
AMICI. OPTVMI
L. NONIVS
ASPRENAS
VII. VIR. EPVLON

item

L. CORNELIO. P. F.
SVLLAE. COS
VII. VIR. EPVL
CLIENTES

item

L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVLON. TRIVMPH. EX. ROETIS. AEDEM
SATVRNI
FECIT. DE. MANVBIIS. AGROS. DIVISIT
IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

CAP. XL.

De II. viris ædis locandæ, faciundæ, dedicandæ; & de III. viris ædibus sacris, incendio consumptis restituendis, & sacris conquirendis, donisque persequendis.

ILLORUM frequens mentio est apud Livium, & præsertim libris VII. & XXII. Quos quamquam sacerdotes necessario non fuisse sciam, eos tamen hoc loco adjunxi, quod qui hæc peragerent potissimum ex sacerdotibus legebantur. Nam ubi ædes aliquo casu vota erat, statim qui locarent, facerent, & dedicarent II. viri populi comitiis tributis, lege Papiria renuntiabantur, quod ex Gellio libro XV. cap. XVII. facile animadverti potest.

De his Livius libro XXV. ita scribit: *Comitia deinde a prætore urbano de senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt* V. *viri muris turribusque reficiendis, &* III. *viri bini, uni sacris conquirendis, donisque præsignandis, alteri reficiendis ædibus Fortunæ, & matris Matutæ intra portam Carmentalem, sed & Spei extra portam; quæ priore anno incendio consumptæ fuerant,* &c. Multos præterea ejusmodi sacros magistratus creatos fuisse didici; de quibus, quia neque necessario sacerdotes essent, neque ordinarii erant, nihil præterea differendum esse existimo. Atque hæc sunt omnium sacerdotiorum nomina, quæ tam apud veteres scriptores, quam in antiquis epigrammatibus invenire potui. Nunc de iis dicendum est, quos non nisi ex vetustis inscriptionibus observavi.

CAP. XLI.

De Pontificibus, & Sacerdotibus deorum singulorum.

PRÆTER eos, quos supra digessi, multi quoque erant in urbe sacerdotes publici, variis nominibus appellati, & recentioribus temporibus instituti, quorum memoria in vetustis tantum superest epigrammatibus, ex quibus quanta potui diligentia eos collegi, atque hac ratione hoc loco in antiquitatis studiosorum gratiam accurate exscripta subjunxi.

M. AVR. AVG. LIB
AGILLO. SEPTEMTRIO
NI. PANTOMIMO. SVI
TEMPORIS. SACERDO
TI. SYNHODI. APOLLINIS. PA
RASITO. ALVMNO. FAVSTINAE
AVG. PRODVCTO. AB. IMP. M
AVREL. COMMODO. ANTONI
NO. PIO. FELICE. AVGVSTO
ORNAMENTIS. DECVRIONAT
DECRETO. ORDINIS. EXORNATO
ET. ALLECTO. INTER. IVVENES
S. P. Q. LANVINVS

item

LVNAE. ET. SOLI. AETER
ET. M. D. M. IDAEAE. ET
LIBERO. PATRI. SACRVM
M. VALERIVS. M. L. SYRVS
SACERD
VOTO. SVSCEPTO. M. L

item

M. AVRELIO . VICTORI
C. V
PRAEF . FERIAR
LATIN. SACERDOTI
DEI. SOLIS
RELIGIOSISSIMO
P. OVINIVS. CALIDIANVS
CONDISCIPVL. PATRONO
DIGNISSIMO

item

SOLI . AETERNO
SACR
PRO. SAL. P. VALERI
CRISPI . SEPTEMTRION
SACERD. DEI. INVICTI
M.ANTONIVS.M.F. LIBER
MESOPYLVS
AEDITVVS . LOCAVIT

item

L. AVRELIO
APOLAVSTO . MEMPHIO
AVGG. LIB. HIERONICAE
CORONATO. ET. TON. DIAPAN
TON. APOLLINIS. SACERDOTI
SOLI. VITTATO. ARCHIEREI
SYNHODI . ET . AVGG
L . AVRELIVS . PANICVLVS
QVI . ET . SABANAS
PATRONO . OPTIMO

item

DIS. MANIBVS
L. RABONIO. L. F. OVF
NOVELLIO
SACERD. DEI. SILVANI
VIX. ANN. LXV
RABONIA . IANVARIA
FILIO. SANCTISSIMO
FECIT

item

IOVI. IVNONI. HERCVLI
SACRVM
CN. DOMITIVS. CN. F. SERE
NVS. SACERDOS. ISIDIS. ET
DOMITIA. VXOR. V. S. L. M

item

DEO. SOLI. INVICTO
MITHRAE
F. L. SEPTIMIVS.ZOSIMVS
V. P. SACERDOS. DEI
BRONTONTIS
ET. AECATE. HOC. SPELEVM
CONSTITVIT

item

VERATIO . A . F . PAL. SEVERIANO
EQ. ROM. CVR . REIP. TEGIANENSIVM
ADLECTO
IN. ORDINEM. DECVRION. CIVI. AMANTISSIMO
QVI . CVM . PRIVILEGIO. SACERDOTI
CAENINENSIS
MVNITVS. POTVISSET . AB . HONORIB. ET
MVNERIBVS
FACILE . EXCVSARI . PRAEPOSITO . HONORE
PATRIAE
HONOREM. AEDILITATIS. LAVDABILITER
ADMINISTRAVIT

Item:

M. AVRELIVS. MENOPHILVS
ORNATVS. IVDICIO . EIVS
EQVO. PVBL. SACERDOS
TVSCVLAN. AEDIL. POLAE
CVM. MENOPHILO. PATRE
LIB. AVG. NN. EX. PROCVRAT
INDVLGENTISSIMO
L. D. D. D

item

DIS . MAN
C. NONI . C . F. VRSI
SACERDOTIS. CABESIS
MONTIS. ALBANI
CVRIONIS
C . NONIVS . IVSTINVS
ALVMNO . DVLCISSIMO
VIX. AN. II. M. XI. D. XIIII

Pontifices

L. CALPVRNIO. L. F. PAPIRI'A. ASELLIO
VI. VIR. AVGVSTAL. ET. PONTIFICI. MIN
DEI. LIBERI. INVICTI

item

T. AELIO. MALCO. LICTORI. EQ. PRAETORIAN
COH. III. PR. QVI. ET. VRB. ITEM. ANTISTITI
SACERD . TEMPL . MARTIS . CASTROR
PR
FECIT . BEN. MERENTI . CONIVGI. DVL. SVO
ROSCIA. SVCCESSA. CVM. QVO. VIX. AN. XL
DECESSIT. ANNOR. LXVI.

item

DIS. SECVRITATIS
Q. VIBIVS. HERMA
ANTISTES
SANCTI . SILVANI
ANNVM. AGENS
LXX . FECIT
SIBI . B. M

item

HONORI
MEMMIO. VITRASIO . ORFITO. V. C
NOBILITATE. ACTIBVS. QVE. AD. EXEM
PLVM. PRAECIPVO. PRAEFECTO. VRBI
ET. ITERVM. PRAEFECTO. VRBI. PRO. CON
SVLI. AFRICAE. AC. TERTIO. SACRARVM
COGNITIONVM . IVDICI . COMITI . IN
CONSISTORIO. PRIMI. ORDINIS. LE
GATO. SECVNDO. DIFFICILLIMIS. TEM
PORIBVS. PETITV. SENATVS. ET. P. R
COMITI. ORDINIS. SECVNDI. EXPEDITION
BELLICAS. GVBERNANTI. CONSVLARI. SICIL
PONTIFICI. SOLIS. PONTIFICI. VESTAE
XV. VIRO. S. F. CONSVLI. PRAETORI. Q. K. OM
NIBVS. Q. PERFVNCTO. HONORIBVS. INTRA
AETATIS. PRIMORDIA. OB. PROVIDENTIAM
ET. STATVM. OPTIMVM. VRBI. ROMÆ. AB. EO
REDDITVM . CORPVS . OMNIVM. MANCI
PVM. STATVAM. SVB. AERE. CONSTITVIT

item

COELIAE. PATERNAE
MATRI . SYNAGOGAE
BRIXIANORVM

item

MAMMIAE. C. F
IVSTAE
Q. TVLLIVS. Q. F. HORAT
CINCIVS. PRISCVS
PONTIFEX . SACRARIVS

IVNO-

IVNONIS
QVIRITIS . PATRONVS
MVNICIPI
TESTAMENTO. PONI. IVSSIT
item

DIS . MAGNIS
VLPIVS.EGNATIVS.FAVENTINVS
V.C.AVGVR.P.V. B. P. R. Q
PATER.ET.HIEROCERIX. D.S.M.I
ARCHIBVCOLVS . DEI. LIBERI
HIEROFANTA . HECATAE . SA
CERDOS. ISIDIS . PERCEPTO
TAVROBOLIO. CRIOBOLIOQVE
IDIBVS . AVGVSTIS . DD. NN
VALENTE. AVG. V. ET. VALEN
TINIANO.AVG.CONSS.FELICITER
item

Q. COELIO. APOLLINARI
FANATICO. DE. AEDE
BELLONAE. PVLVIN
CVIVS. MONITV. HASTA
IN . AEDE . BELLONAE
IN. LVCO. DICATA. EST
FIRMIA. TYCHE
CONIVGI.SVO. BENEMERENTI
SIBI.POSTERIS.QVE.SVIS
FECIT
item

DIS . MAGNIS
MATRI. DEVM. ET. ATTIDI
SEXTILIVS.AGESILAVS.AEDESIVS
V. C. CAVSSARVM. NON. IGNOBILIS
AFRICANI. TRIBVNALIS. ORATOR
ET. IN. CONSISTORIO. PRINCIPVM
ITEM . MAGISTER . LIBELLORVM
ET . COGNITIONVM . SACRARVM
MAGISTER. EPISTVLARVM. MAGISTER
MEMORIAE. VICARIVS. PRAEFECTVRAE
PER. HISPANIAS. VICE. S. I. C
PATER. PATRVM. DEI. SOLIS. INVICTI
MITHRAE. HIEROFANTA. HECATAE
DEI.LIBERI.ARCHIBVCOLVS.TAVROBOLIO
CRIOBOLIO.QVE.IN.AETERNVM.RENATVS
ARAM. SACRAVIT. DD. NN
VALENTE. V. ET. VALENTINIANO. IVN
AVGG. CONSS. IDIBVS. AVGVSTIS

CAP. XLII.

De Ministris sacerdotum populi Romani.

Ut multa sacerdotum, sic & ministrorum apud veteres genera erant, ex quibus præcipua, ex antiquis lapidum, & librorum monumentis hæc fuisse animadverti.

Camilli & Camillæ.

A Romulo instituti, de quibus Dionysius libro secundo sic scribit: *Iis autem quæ sine liberis essent gratissimos sibi ex omnibus permisit eligere ex singulis Curiis, singulos pueros & puellas, & hos quidem ad pubertatem usque sacris ministrare, illas vero quoad essent nubiles, more ex Græcia translato. sacris autem ministrant coronis redimiti, Camillique a Romanis vocantur.* & Sex. Pompeius: *Camillus puer ingenuus, qui sacris ministraret, dicebatur. Antiqui enim Camillos ministros dicebant.*

Flaminii & Flaminiæ.

Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat. Antiqui enim ministros Camillos dicebant. Flaminia dicebatur sacerdotula, quæ flaminicæ Diali præministrabat, eaque patrima & matrima erat, hoc est patrem & matrem adhuc vivos habebat. ita Sex. Pompeius.

Æditius, alias *Æditumus*.

Gellius libro duodecimo, cap. sexto. *Varo* (inquit) *censet æditumum dici oportere non æditiuum, quod alterum sit recenti novitate fictum, alterum antiqua origine incorruptum.* Sed ipse Varro libro sexto de lingua Latina, contradicere videtur; ait enim: *Alterum a curando, & tutela, ut quum dicimus, bellum tueor, & tueri villam. A quo etiam quidam dicunt illum, qui curat ædes sacras æditiuum, non æditumum.* Item libro septimo: *Si ab æde & tuendo æditiuus est, cur ab atrio & tuendo non atrituus sit potius quam atriensis?* Æditui meminit vetus hæc inscriptio.

D . M
T. FLAVIO. AVG. LIB
LIBERALI. AEDITVO
MARTIS. VLTORIS
CLAVDIA. EXOCHE
CONIVGI
BENEMERENTI. ET
SIBI. FECIT
VIX. AN. LVII

item

COSMVS. AEDITVVS. MATRIS. DEVM
& cetera

De scribis pontificum, A commentariis XV. virum S. F. Adjutoribus Haruspicum, & Kalatoribus ejusmodi epigrammata meminerunt.

AGRIAE. TRIPHOSAE. VES
TIFICAE. LIVIVS. THEONA. AB
EPISTVLIS. GRAEC. SCRIBA
A. LIB. PONTIFICALIBVS
CONIVGI. SANCTISSIMAE
B.D.S.M

item

TI. CLAVDIVS
MARTIALIS
A. LIBRIS
PONTIFICAL

item

DIS . MANIBVS
MYRRHINI. DOMITIANI
PVBLICI. A. COMMEN
TARIIS. XV. VIR. S. F
ARRVNTIA. DOLICHE
FECIT. CONIVGI. CARIS
SIMO.ET. LIBERIS. LIBER
TABVS.QVE.SVIS.POSTERISQ
EORVM

item

D . M
CN. IVLI. CN. FIL
DONATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

item
Q. CAECILIO
FEROCI
KALATORI. SACERDOTII
TITIALIVM. FLAVIALIVM
STVDIOSO. ELOQVENTIÆ
VIXIT. ANNIS. XV
MENSE. I. DIEBVS. XXIIII
FILIO. OPTIMO. AC
REVERENTISSIMO
M. GAVIVS. KARINVS

CAP. XLIII.

De Tibicinibus, & Tubicinibus.

TIBICINUM Romanorum frequens apud veteres auctores mentio est. Hi tibias concinentes sacris populi Romani interesse solebant. De his sic scribit M. Varro, lib. IV. de lingua Latina: *Quinquatrus minusculæ dictæ Juniæ Idus ab similitudine majorum, quod tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad ædem Minervæ.* Et Sex. Pompeius: *Minusculæ (inquit) quinquatrus appellantur Idus Junii, quod is dies festus est tibicinum, qui colunt Minervam, cujus deæ festus est proprie dies quinquatrus mense Martio.* Aliter minusculæ quinquatrus appellantur Idus Juniæ. Ovidius IV. Fastorum.

Et jam quinquatrus jubeor narrare minores;
Nunc ades o cœptis flava Minerva meis.
Cur vagus incedit tota tibicen in urbe?
Quid sibi personæ, quid toga longa volunt?
Sic ego: sic posita Tritonia cuspide dixit,
Possem utinam doctæ verba referre deæ.
Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat fanis, cantabat tibia ludis,
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat mercede labor, tempusque sequutum est,
Quod subito gratæ frangeret artis opes.
Adde quod Ædilis pompa, qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.
Exilio mutant urbem, Tiburque recedunt,
Exilium quodam tempore Tibur erat.
Quæritur in scæna cava tibia, quæritur aris:
Ducit supremos nænia nulla choros.
Servus erat quidam, quantolibet ordine dignus,
Tibure sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo, turbamque canoram
Convocat: ad festas convenit illa dapes.
Nox erat, & vinis oculique animique natabant,
Quum præcomposito nuntius ore venit.
Atque ita, quid cessas convivia solvere? dixit,
Auctor vindictæ jam venit ille suæ.
Nec mora convivæ valido titubantia vino
Membra movent dubii, stantque labantque pedes.
At dominus, discedite, ait, plaustroque morantes
Sustulit, in plaustro scirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus, motusque merumque,
Potaque se Tibur turba redire putat.
Jamque per Esquilias Romanam intraverat urbem,
Et mane in medio plaustra fuere foro.
Claudius, ut possit specie numeroque senatum
Fallere, personis imperat ora tegi.
Admiscetque alios, ut tunc tibicina cœtum
Augeat, in longis vestibus ire jubet.
Sic reduces bene posse tegi, ne forte notentur
Contra collegæ jussa redisse sui.
Res placuit, cultuque novo licet Idibus uti,
Et canere ad veteres verba jocosa modos.
Hæc ubi perdocuit, superest mihi discere, dixi,
Cur sit quinquatrus illa vocata dies.
Martius, inquit, habet tali mea nomina festa,
Estque sub inventis hæc quoque turba meis.
A *Prima tenebrato per rara foramina buxo,*
Ut daret effeci tibia longa sonos.
Vox placuit, faciem liquidis referentibus undis
Vidi & virgineas intumuisse genas.
Ars mea non tanti est, valeas mea tibia, dixi,
Excipit abjectam cespite ripa suo.
Inventam Satyrus primum miratur, & usum
Nescit, & afflatam sensit habere sonum.
Et modo dimittit digitos, modo concipit auras,
Jamque inter nymphas arte superbus erat.
Provocat & Phœbum, Phœbo superante pependit,
Cæsa recesserunt a cute membra sua.
B *Sum tamen inventrix auctorque ego carminis hujus,*
Hoc est cur nostros ars colit ista dies.

Livius libro IX. *Ejusdem* (inquit) *anni rem dictu parvam præterirem, nisi ad religionem visa esset pertinere: Tibicines probibiti a proximis censoribus erant in æde Jovis vesci, quod traditum antiquitus erat. Ægre passi Tibur uno agmine abierunt, adeo ut nemo in urbe esset, qui sacrificiis præcineret, ejus rei religio tenuit senatum, legatosque Tibur miserunt, ut darent operam, ut hi homines Romanis restituerentur. Tiburtini benigne polliciti, primum accitos eos in curiam hortati sunt, ut reverterentur Romam, postquam pelli nequibant, consilio haud abhorrente ab* C *ingeniis hominum eos aggrediuntur. Die festo alii alios per speciem celebrandarum cantu epularum caussa invitant, & vino, cujus avidum genus est, oneratos sopiunt, atque ita in plaustra vinctos conjiciunt, ac Romam deportant, nec prius sensere, quam plaustris in foro relictis, plenos crapulæ eos lux oppressit: tunc concursus populi factus, impetratoque ut manerent, datum ut triduum quotannis ornati cum cantu, atque hac, quæ nunc solemnis est, licentia per urbem vagarentur, restitutumque in æde vescendi jus iis, qui in sacris præcinerent.* Valerius Maximus lib. II. cap. de institutis antiquis: *Tibicinum quoque collegium solebat in foro vulgi oculos in se convertere, quum inter* D *publicas privatasque ferias, actiones, personis tecto capite, variaque veste velatis, concentusque edit. Inde tracta licentia. Quondam vetiti in æde Jovis vesci, quod prisco more factitaverant, Tibur irati se contulerunt: quorum ministerio senatus deserta sacra non æquo animo ferens, per legatos a Tiburtinis petiit, ut eos gratia sua Romanis templis restituerent; quos illi in proposito perseverantes interposita festæ epulationis simulatione, mero somnoque sopitos plaustris in urbem devehendos curaverunt, quibus & honos pristinus restitutus, & hujusce lusus jus est datum. Personarum usus pudorem circumventæ temulentiæ caussam habet.* E Idem propemodum in problematibus a Plutarcho refertur. Tibicines quoque sacris publicis interesse consuesse refertur in hac antiqua & eleganti inscriptione, quæ adhuc extat in hortis reverendiss. Carpensis.

IMP. CAESARI
M. AVRELIO. ANTONINO
PIO. FELICI. AVGVSTO
TIBICINES. ROMANI
QVI. SACRIS
PVBLIC. PRAEST. SVNT
item
DIANAE
LVCINAE
INVICTAE
CN. POMPEIVS
CN. LIB. BARB
VS. PROCVRAT
TVBICIN. ROM
VOTO. SVSCEPTO
L. M

F DE Tubicinibus vero sic scribit Sex. Pompeius: *Tubicines ii appellantur, qui sacerdotes viri speciosi publice sacra faciunt tubarum lustrandarum gratia, &c.* Qui enim tubis canebant, Tubicines dicebantur.

CAP. XLIV.

De Pullario, Popa, Victimario, Præfica, designatore, Vespillone.

PULLARIUS erat, qui caveæ pullorum curam agebat, e quorum pastu auguria augures captare solebant; quæ quoties offa quæ pullis dabatur, aliquo modo cadebat in solum, tripudia solistima dicebantur. Solebant autem in auspiciis apud veteres adhiberi non passim omnes, sed hi tantum, qui essent periti. Peritos enim oportebat esse eos, qui quid silentium foret intelligerent. Silentium id in auspiciis dicebatur, quod omni vitio careret: rogabat hinc augur an adhuc silentium esset, respondebat statim pullarius silentium sibi esse videri. Tum ille si aves pascerentur petebat, aut ubi; non quod ad auspicia pertineret, utrum pascerentur necne pulli, quos pullarius attulisset, sed quia quum pascebantur necesse erat, aliquid ex ore decidere, & terram pavire, ex hoc terripavium primo, post terripudium, deinde tripudium est dictum. Quum igitur offa jam ex ore pulli ceciderat, tum auspicanti tripudium solistimum nuntiabatur. Extabat decretum collegii augurum vetus, avem omnem tripudiumfacere posse. Hunc augurandi modum Claudius primo bello Punico, & secundo Flaminius derisere: ille enim pullos in mare mergi jussit, quoniam (inquit) esse nolunt, bibant, & classem amisit; hic, quum tripudio auspicaretur pullarius, diemque committendi prælii propterea differret, ex eo quæsivit, si ne postea quidem pulli pascerentur quid faciundum esset, quum ille quiescendum censeret, *Præclara vero* (inquit Flaminius) *auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur*. Itaque signa convellit, pugnavit ad Trasimenum, & cum XV. Romanorum millibus ab Hannibale cæsus est. Livius lib. X. *Pullarius auspicium mentiri ausus tripudium solistimum nuntiaturus consuli*. Et Cicero II. de divinatione. *Attulit in cavea pullos, qui ex eo nominatur pullarius*. Et in antiqua inscriptione.

M. POMPEIO. M. F. ANI. ASPRO
7. LEG.XV.APOLLINAR.7.COH.III.PR.
PRIMOP.LEG.III.CYREN.PRAEF.CASTR
LEG.XX.VICTR.
ATIMETVS. LIBERTVS. PVLLARIVS
FECIT. ET. SIBI. ET

Popæ ministri sacrorum erant. Hi Hostias & victimas ligabant; & laureati, succinctique, atque ad ilia usque nudi, eas ante aras deductas feriebant. Unde Tranquillus in Caligula: *Admota altaribus victima, succinctus poparum habitu cultrarium mactavit*. Et Spartianus in vita Getæ: *Percussit hostiam popa*. Et Propertius libro IV.

Succinctique calent ad nova sacra popæ.

Et hi (*Victimarii*) sacerdotum ministri erant, qui victimas ligabant, & cultrum, aquam, & molam parabant, & reliqua, quæ sacris erant necessaria. Valerius lib. primo cap. primo: *Libros Petilius prætor urbanus ex auctoritate senatus per victimarios facto igne in conspectu populi cremavit*. Livius lib. XL. *Libri in comitio igne a victimariis facto in conspectu populi cremati sunt*. Victor Romæ castra victimariorum fuisse refert.

De lictoribus Flaminum, & virginum Vestalium; itemque præciis, alias præclamitatoribus Flaminum abunde supra disputavi.

De Præfica M. Varro lib. VI. de lingua Latina. *Præfica, ut Aurelius scribit, mulier ab luctu, quæ conduceretur, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret. Hoc factitatum Aristoteles scribit in libro, qui inscribitur nomina Barbarica, quibus testimonium est, quod fretum est Nævii.*

Hæc quidem hercle opinor præfica est,
Nam mortuos collaudat.

A *Claudius scribit: ea, quæ præficeretur ancilleis, quemadmodum lamentarentur, præfica est dicta; utrunque ostendit a præfectione, præficam dictam.* Plautus in Truculento.

Sine virtute argutum civem mihi habeam pro præfica:

Sex. Pompeius: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant ceteris modum plangendi, quasi in hoc ipsum præfectæ.* Nonius Marcellus: *Præficæ* (inquit) *dicebantur apud veteres, quæ adhiberi solent funeri mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent.* Plautus in Frivolaria:

B *Superboque omnes argutando præficas.*

Idem in Truculento:

Præfica quæ alios collaudare, se vero non potest.

Lucillius XXII. *Mercede quæ conductæ flent alieno in funere præficæ, multo & capillos scindunt, & clamant magis.* Varro in libris de vita populi Romani: *Dein næniam cantari solitam, ad tibias & fides, eorumque ludistricas cursitassent. Hæc mulier vocata olim præfica usque ad Punicum bellum.*

Designatores dicebantur, qui constituendæ funebri pompæ præerant, unicuique incedendi locum ordinemque præscribentes; ita Sex. Pompeius. Cicero C ad Atticum lib. IV. *Desertus a suis vix jam decimum designatorem retinet*, &c.

Vespillones vero cadaverum funeratores erant, ita dicti, quod vespertino tempore mortuos efferre solerent; unde & funera a funalibus dici autumat Donatus, quia noctu efferebantur ob sacrorum celebrationem diurnam. Martialis lib. II.

Qui fuerat medicus, nunc est vespillo Diaulus.

Hi vespæ a Sex. Pompeio ita appellantur: *Vespæ dicuntur* (inquit) *qui funerandis corporibus officium gerunt, non a minutis illis volucribus, sed quia vespertino tempore eos efferunt, qui funebri pompa propter inopiam duci nequeunt.* Ceterum præficam, D designatores, & vespillones inter sacrorum ministros adposui, quod & manes sua sacra haberent, quorum hi potissimum ministri erant. Hæc autem sunt, quæ de sacerdotiis eorumque ministris, qui apud antiquos fuerint, invenire in vetustis lapidum & librorum monumentis potui. Quæ ut facilius, si opus erit, memoriter teneri possint, eorum omnium de more epilogum suggeram.

CAP. XXIX.

E *Epilogus omnium sacerdotiorum populi Romani eorumque ministrorum.*

I. Luperci Panos Licæi.
vel
Inui sacerdotes.

OMNIUM vetustissimi ante urbem conditam ab Evandro Arcade Aboriginum rege, solemni ex Arcadia translato, instituti, novissimi omnium Anastasio imperatore, & Theoderico Amalo Gothorum Rege in Italia regnante, a S. Gelasio Papa aboliti circiter annum Christi CDXCV. Varro lib. IV. de lingua Latina. Dionysius lib. I. Livius lib. I. Ovidius F Fastorum lib. II. Valerius Maximus lib. II. cap. I. Plutarchus problemate LXVII. Justinus lib. XLIII. vetus registrum S. R. E.

II. Cereris Græca sacerdos.

Quæ sine viro esset ab eodem Evandro creata. Dionysius lib. I. Sæpe Livius.

III. Potitii & Pinarii Herculis sacerdotes.

Ab eodem Evandro facti. Dionysius lib. I. Livius lib. I. & IX. Valerius Maximus lib. I. cap. secundo.

IV. Reges.

Sacerdotes erant. Dionysius libro secundo, & quinto. Livius libro primo & secundo.

A

V. Fratres Arvales XII.

A Romulo facti. Varro libro IV. de lingua Latina, Plinius libro decimo octavo, cap. secundo. Gellius libro sexto, cap. septimo, ex Massurio Sabino. Macrobius libro primo Saturnalium.

VI. LX. *Sacerdotes publici.*

Bini ex singulis curiis, quæ triginta erant, qui sacris publicis præessent, quinquagenario majores a Romulo rege ordinati. Hi curiarum suffragiis legebantur. Dionysius lib. II. ex Varrone.

VII. Augurum XV. *collegium.*

Hi primo tres tantum fuerunt, singuli ex singulis tribubus, quæ tres erant. Ramnensium, Tatiensium, & Lucerum, a Romulo creati. Deinde a Ser. Tullio

B

rege quattuor (ut existimo) facti. Postea anno urbis CDLIV. Q. Appuleio Pansa, M. Valerio Corvo V. cos. rogatione Ogulnia, quinque e plebe additis ad novem numerum aucti. Postremo a Sulla dictatore XV. instituti. Novissime a Theodosio Imperatore circa annum Christi CCCXC. sublati. Cicero primo lib. de Divinatione. Dionysius lib. secundo. Livius lib. decimo. Ovidius quarto Fastorum. Valerius lib. secundo, cap. I. Plutarchus problematibus LXXI. LXXVI. LXXVII. XCIII. XCIX. Statius Papinius lib. III. Thebaidos.

VIII. Haruspices.

C

A Romulo instituti. Dionysius lib. II.

IX. Tribunus celerum.

A Romulo institutus, a Numa sacerdos factus. Dionysius lib. II.

X. Curiones XXX.

Qui totidem curiis præerant, quorum primus dicebatur

Curio Maximus.

Cujus auctoritate ceteri curiones regebantur. Sacerdotium a Romulo constitutum fuit. Dionysius lib. secundo. Sæpe Livius, Festus.

XI. Sodales Titii, alias Titienses.

Varro lib. IV. de lingua Latina, Tacitus lib. I. Lucanus libro I. & Macrobius libro I.

D

XII. Flamines quindecim.

Ex his tres erant, qui majores & patricii dicebantur, quod semper ex patriciis fuerint, a Numa instituti. Dionysius lib. II. Livius lib. I. & alibi sæpe. Festus. Plutarchus in Numa, & alibi. Cic. pro domo.

Flamen Dialis.

Jovi.

Flamen Martialis.

Marti.

Flamen Quirinalis.

Romulo.

E

Varro libris quarto & sexto de lingua Latina. Cicero secundo de legibus. Dionysius libro secundo. Livius libro primo. Plutarchus in Numa, & problematibus, Appianus, Gellius libro decimo, cap. decimoquinto ex Fabio Pictore, & Massurio Sabino. Festus libro decimotertio. Augustinus de civitate Dei libro tertio.

Flamines minores qui & plebeii XII.

Festus libro tertiodecimo.

Flamen Volcanalis,

Volcano. Varro libro quarto de lingua Latina.

Flamen Carmentalis,

Carmentæ. Cicero in Bruto.

F

Flamen Floralis.

Deæ Floræ. Varro libro sexto de lingua Latina.

Flamen Palatualis,

Deæ Palatuæ. Varro libro sexto de lingua Latina.

Flamen Falacer,

Divo patri Falacri. Varro libro quarto, & sexto de ling. Lat.

Flamen Furinalis,

Deæ Furinæ. Varro libris IV. & VI. de ling. Lat.

Flamen Volturnalis,

Deo Volturno. Varro lib. quinto de lingua Latina.

Flamen Virbialis,

Deo Virbio, id est, Hippolyto.

Flamen Laurentialis,

Accæ Laurentiæ. ex antiquis inscriptionibus.

Flamen Lavinalis,

Flamen Ligularis, alias *Lucullaris*: ex antiquis inscriptionibus.

Flamen Pomonalis,

Deæ Pomonæ, omnium postremus. Festus.

Flaminicæ quindecim,

Festus, Plutarchus, & Gellius.

Hoc sacerdotium a Theodosio imperatore sublatum est. Ex historia Theodoriti Cyrensis, & Zosimo.

XIII. Virgines Vestales V. Cum Virgine Vestali maxima.

Quatuor a Numa rege factæ, duæ a Ser. Tullio rege additæ, & sex factæ, a Theodosio imperatore sublatæ. Dionysius libro secundo. Livius libro primo. Plutarchus in Numa, Gellius ex Fabio Pictore, commentariis L. Sullæ dictatoris, & Antistio Labeone. Symmachus, Zosimus, Theodoritus Cyrensis, Prudentius, & D. Ambrosius.

XIV. Salii XII. cum Magistro collegii Saliorum.

Hi semper ex patriciis lecti sunt, a Numa ordinati, Martique sacrati. Dionysius libro secundo. Ovidius tertio Fastorum. Valerius Maximus libro primo, cap. primo. Plutarchus in Numa. Acro in Horat. Servius super VIII. librum Æneid. Cicero pro domo ad pontifices.

XV. Virgines Saliares,

Sex. Pompeius.

XVI. Fetialium XX. collegium & Pater Patratus,

A Numa instituti. Dionysius libro secundo. Livius libro primo. Plutarchus in Numa, & Problematibus. Gellius libro decimosexto, cap. quarto. Servius super Virgilium lib. nono Æneid. Hi Fœderum, pacis, belli, induciarum, oratorum, judices erant. Cicero libro secundo de legibus. Nonius Marcellus ex libris II. & III. Varronis de vita populi Romani.

XVII. Collegium pontificum XV.

A Numa quattuor primo pontifices instituti sunt omnes patricii, post rogatione Ogulnia, Anno urbis CDLIV. Q. Appuleio Pansa M. Valerio Corvo V̄. cos. quattuor de plebe additis octo facti, qui majores dicti sunt. Deinde a Sulla Felice dictatore VII. præterea alii qui minores vocabantur, creati, eorumque numerus ad quindecim auctus. Novissime a Theodosio imp. cum reliquis vetustæ superstitionis sacris sublati. Dionysius libro secundo. Livius libro decimo, & ex ipso Florus libro XXCIX. Cicero pro domo ad pontifices, & de Haruspicum responsis, Theodoritus Cyrensis, Symmachus in relatione ad Theodosium imp. Horum unus populi Romani suffragiis ceteris prælatus dicebatur.

XVIII. Pontifex maximus.

A Numa institutus, a Gratiano Imperatore abolitus. In omnibus populi Romani sacris præerat, ejus maxima atque adeo in omnes sacerdotes suprema potestas erat. Dionysius lib. II. Livius lib. I. Plutarchus in Numa, & Zosimus lib. IV.

XIX. Salii Agonenses, alias *Collini*.

A Tullo Hostilio ordinati. Dionysius lib. secundo, & tertio.

XX. XV. Viri Sacris faciundis cum magistr.

Hi primo fuerunt II. viri a Tarquinio superbo instituti, qui librorum Sibyllinorum curam gerebant. Post anno urbis CCCXXCVIII. anno ante primum consulem plebeium creatum lege Sextia Licinia X. facti, quinque patricii, totidem e plebe, postremo XV. viri a Sulla Dictatore aucti. Dionysius lib. IV. Livius lib. V. Censorinus de die natali, Lactantius lib. primo. Servius super Virgilium.

XXI. Rex sacrorum, alias *Rex Sacrificulus*.

Cujus uxor Regina sacrorum dicebatur. Macrobius libro primo. Sacerdotium anno primo partæ libertatis a populo Romano institutum L. Bruto, & L. Colla-

tino cos. Anno CCXLV. Dionysius lib. V. Livius lib. II. semper ex patriciis creatus. Cicero pro Domo.

XXII. Sacerdotes Bonæ deæ Feminæ,
Cicero sæpe, & Florus.

XXIII. Galli sacerdotes deæ Cybelis cum Archigallo.
Antiqui lapides. Livius lib. XXXVI. Ovidius IV. Fastorum. Festus. Tertullianus in Apologetico. D. Augustinus lib. III. de civitate Dei.

XXIV. VII. Viri Epulonum.
Hi primo III. viri creati fuerunt anno urbis DLVIII. L. Furio Sp.F. Purpureone, M. Claudio M. F. Marcello cos. Post a Sulla Dictatore VII. facti. Cicero in oratione de haruspicum responsis. Livius lib. XXXIII. Valerius Maximus lib. II. Gellius lib. I. cap. XII. ex Antistio Labeone. Augustinus lib. III. de civitate Dei.

XXV. II. Viri ædis locandæ.
Livius libro vigesimo secundo.

XXVI. II. Viri ædis faciundæ.
Livius libro septimo.

XXVII. II. Viri ædis dedicandæ.
Livius libro vigesimosecundo.

XXVIII. III. Viri ædificandis ædibus sacris incendio consumptis.
Livius libro vigesimoquinto.

XXIX. III. Viri sacris conquirendis, donisque persequendis,
Livius libro vigesimoquinto.

XXX. Sacerdotes deorum singulorum.

XXXI. Antistites templorum singulorum.
Ex vetustis inscriptionibus.

Nomina Ministrorum sacerdotum populi Romani.

Camilli, Camillæ.
Pueri & puellæ patrimi & matrimi a Romulo instituti. Dionysius libro primo.
Flaminii, Flaminiæ,
Flaminum flaminicarumque ministri. Festus.
Æditimi, alias *Æditui*,
Varro lib. IV. de lingua Latina.
Scribæ publici pontificum
A. Commentariis XV. *virum sacr. fac.*
Adjutores haruspicum,
Kalatores sacerdotiorum,
Tibicines qui sacris publicis præsto sunt,
Ex antiquis inscriptionibus.
Tubicines,
Sex. Pompeius.
Pullarii,
Cicero II. de Divinat. Livius lib. X. Lapides.
Popæ,
Tranq. in Caligula. Spartian. in Geta. Propert. lib. IV.
Victimarii,
Livius, Victor, Valerius.
Lictor flaminius,
Festus.
Flaminis Dialis præcia, alias *Præclamitator*,
Gellius, Plutarchus, Sex. Pompeius.
Lictores VI. *virginum vestalium,*
Tranquillus, Plutarchus, Gellius.
Præfica,
Sex. Pompeius, Varro, Nonius Marcellus.
Designator,
Sex. Pompeius, Cicero.
Vespa, alias *Vespillo*,
Sex. Pompeius.

Hæc itaque sunt omnium sacerdotiorum, eorundemque ministrorum nomina, quæ quanta potui diligentia in vetustis monumentis collegi; quorum maximam partem Numa rex instituit, vel ante institutam certis quibusdam regulis additis reformavit. Porro autem reliqua Numæ instituta omisi, tum quod ex Livio, & Dionysio notissima sint, tum etiam quod de iis abunde in commentariis fastorum verba feci. Ceterum antequam ad ceterorum regum gesta explicanda deveniam, rem utilem antiquitatum studiosis me facturum esse arbitratus sum, si tractatum divi ST. Cæcilii Cypriani huic de sacerdotiis disputationi suggeram, quem ille de Idolorum vanitate scriptum reliquit, in quo idololatriæ origo, caussæ, & incrementa referuntur, multaque de diis Romanis, oraculis, delubris, divinationibus, auguriis, & reliquis ejusmodi cognitu dignissima, a sanctiss. viro explicantur. In quo postremo, & antiquorum superstitio, & Christianæ fidei puritas demonstrantur: res quæ ad eorum quæ scripsi intelligentiam maxime conducunt, quum eorundem institutionem aperiant.

DIVI. ST. CAECILII. CYPRIANI TRACTATVS. IIII. DE. IDOLORVM VANITATE

QUOD idola dii non sint, & quod unus deus sit, & quod credentibus datum sit deos non esse, quos colit vulgus, hinc notum est. Reges olim fuerunt, qui ob regalem memoriam coli apud suos postmodum etiam in morte cœperunt. Inde illis instituta templa: inde ad defunctorum vultus per imaginem detinendos expressa simulacra. Nam & immolabant hostias, & dies festos dando honores celebrabant. Inde posteris facta sunt sacra, quæ primitus fuerant assumpta solatia. Nam ut videamus an stet hæc apud singulos veritas, Melicertes & Leucothea præcipitantur in maria, & fiunt postmodum maris numina. Castor & Pollux alternis moriuntur, ut vivant, Æsculapius ut in deum resurgat, fulminatur. Hercules, ut hominem exuat, Oeteis ignibus concrematur, Apollo Admeti pecora pavit. Laomedonti muros Neptunus instituit, nec mercedem operis infelix structor accepit. Antrum Jovis in Creta visitur, & sepulchrum ejus ostenditur, & ab eo Saturnum fugatum esse manifestum est: inde Latium de latebra ejus nomen accepit. Hic litteras imprimere, hic signare nummos in Italia primus instituit, unde ærarium Saturni vocitatur. Nam & rusticitatis hic cultor fuit, inde ferens falcem pingitur: hunc fugatum hospitio Janus excepit, de cujus nomine Janiculum dictum est, & mensis Januarius institutus est: ipse bifrons exprimitur, quod in medio constitutus annum incipientem pariter & recedentem spectare videatur. Mauri vero manifeste reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt. Inde per gentes & provincias singulas varia deorum religio mutatur, dum non unus ab omnibus deus colitur, sed propria cuique majorum suorum cultura servatur: hoc ita esse Alexander Magnus insigni volumine ad matrem suam scribit, metu suæ potestatis proditum sibi a piis hominibus, a sacerdote secretum, quod majorum regum memoria servata sit, inde colendi & sacrificandi ritus inoleverit. Si autem aliquando dii nati sunt, cur non hodie quoque nascuntur? nisi forte Juppiter senuit, aut partus in Junone defecit. Cur vero deos putas pro Romanis posse, quos sæpius videas nihil pro suis adversus eorum arma valuisse? Romanorum autem vernaculos deos novimus: Est Romulus pejerante Proculo deus factus, & Picus, & Tiberinus, & Pilumnus, & Consus, quem deum fraudis velut consiliorum deum coli Romulus voluit, postquam in raptum Sabinarum perfidia pervenit. Deam quoque Clocinam Tatius adinvenit & coluit, Pavorem Hostilius atque Pallorem, mox a nescio quo Febris dedicata, & Acca, & Flora meretrices: hi dii Romani. Ceterum Mars Thracius, & Juppiter Creticus, & Juno vel Argiva, vel Samia, vel Pœna, & Diana Taurica, & deorum mater Idæa, & Ægyptia portenta non numina: quæ utique si quid potestatis habuissent, sua ac suorum regna servassent. Plane sunt apud Romanos & victi penates, quos Æneas profugus advexit. Est & Venus calva, multo hic turpius calva, quam apud Homerum vulnerata. Regna autem

non merito accidunt, sed sorte variantur. Ceterum imperium ante tenuerunt & Assyrii, & Persæ; & Græcos, & Ægyptios regnasse cognovimus. Ita vicibus potestatum Romanis quoque ut & ceteris imperandi tempus obvenit. Ceterum si ad originem redeas, erubescas. Populus de sceleratis & nocentibus congregatur, & asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Nunc ut rex ipse principatum habeat ad crimina, fit Romulus parricida. Atque ut matrimonium faciat, rem concordiæ per discordiam auspicatur. Rapiunt, ferociunt, fallunt ad copiam civitatis augendam. Nuptiæ sunt illis rupta hospitii fœdera, & cum soceris bella crudelia. Est & gradus summis in Romanis honoribus consulatus. Sic consulatum cœpisse videmus ut regnum. Filios interficit Brutus, ut crescat de suffragio sceleris commendatio dignitatis. Non ergo de religionibus sanctis, nec de auspiciis, aut auguriis Romana regna creverunt, sed acceptum tempus certo fine custodiunt. Ceterum & Regulus auspicia servavit, & captus est: & Mancinus religionem tenuit, & sub jugum missus est. Pullos edaces habuit Paullus, & tamen apud Cannas cæsus est. C. Cæsar ne ante brumam in Africam navigia transmitteret, auguriis & auspiciis retinentibus, sprevit, eo facilius & navigavit, & vicit. Horum autem omnium ratio est illa quæ fallit & decipit, & præstigiis cæcantibus veritatem stultum & prodigum vulgus inducit. Spiritus insynceri & vagi, qui posteaquam terrenis vitiis immersi sunt, & a vigore cœlesti terreno contagio recesserunt, non desinunt perditi perdere, & depravati errorem pravitatis infundere: hos & poetæ dæmonas norunt, & Socrates instrui se & regi ad arbitrium dæmonii prædicabat, & magis inde est ad perniciosa vel ludicra potentatus, quorum tamen præcipuus Sosthenes formam veri dei negat conspici posse, & angelos veros sedi ejus dicit assistere. In quo Plato pari ratione consentit, & unum deum servans, ceteros angelos vel dæmonas. Hermes quoque Trismegistus unum deum loquitur, eumque incomprehensibilem atque inæstimabilem confitetur. Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo vatum pectora inspirant, extorum fibras animant, avium volatus gubernant, sortes regunt, oracula efficiunt, falsa veris semper involvunt. Nam & falluntur, & fallunt, vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam spiritus corporibus occulta mentis terrent, membra distorquent, valetudinem frangunt, morbos lacessunt, ut ad cultum sui cogant, ut nidore altarium & rogis pecorum saginati remissis quæ constrinxerant, curasse videantur. Hæc est de illis medela, cum ipsorum cessat injuria, nec aliud his studium est quam a deo homines avocare, & ad superstitionem sui ab intellectu veræ religionis avertere, & cum sint ipsi pœnales, quærere sibi ad pœnam comites, quos ad crimen suum fecerunt errore participes. Hi tamen adjurati per Deum verum nobis statim cedunt & fatentur, & de obsessis corporibus exire coguntur. Videas illos nostra voce & oratione occulte flagellis cædi, igni torqueri, incremento pœnæ propagantis extendi, ejulare, gemere, deprecari unde veniant, & quando discedant, ipsis etiam qui se colunt audientibus confiteri, & vel exiliunt statim, vel evanescunt gradatim, prout fides patientis adjuvat, aut gratia curantis aspirat. Hinc vulgus in odium nostri nominis cogunt, ut nos odisse incipiant homines antequam nosse, ne cognitos aut imitari possint, aut damnare non possint. Unus igitur omnium dominus deus. Neque enim illa sublimitas potest habere consortem, cum sola omnem teneat potestatem. Ad divinum imperium etiam de terris mutuemur exemplum. Quando unquam regni societas aut cum fide cœpit, aut sine cruore desiit? Sic Thebanorum germanitas rupta, & permanens rogis dissidentibus etiam in morte discordia, & Romanos geminos unum non capit regnum, quos unum uteri cepit hospitium. Pompeius & Cæsar affines fuerunt, nec tamen necessitudinis fœdus in æmula potestate tenuerunt. Nec hic tu de homine mireris, cum in hoc omnis natura consentiat. Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & in armentis rector unus, multo magis mundi unus est rector, qui universa quæcunque sunt verbo jubet, ratione dispensat, virtute consummat. Hic enim videri non potest, visu clarior est. Nec comprehendi, tactu purior est. Nec æstimari, sensu major est. Et ideo sic deum digne eum æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Quod vero templum habere possit deus, cujus templum totus est mundus, & cum homo latius maneat intra unam ædiculam, vim tantæ majestatis includat? In nostra dedicandus est mente, in nostro consecrandus est pectore. Nec nomen dei quæras, deus nomen est illi, illic vocabulis opus est, ubi propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est. Deo qui solus est, dei vocabulum totum est. Ergo unus est, & ubique totus diffusus est. Nam & vulgus in multis deum naturaliter confitetur, cum mens & anima sui auctoris & principis admonetur. Dici frequenter audimus, o deus, & deus videt, & deo commendo, & deus mihi reddet, & quod deus vult, & si deus dederit. Atque est hæc summa delicti, nolle agnoscere quem ignorare non possis? Quod vero, & Christus sit, & quomodo per ipsum nobis salus venerit, sic est ordo, sic ratio. Judæis primum erat apud deum gratia, sic olim justi erant, sic majores eorum religionibus obediebant. Inde illis & regni sublimitas floruit, & generis magnitudo provenit. Sed illi negligentes disciplinæ superbi postmodum facti, & fiducia patrum inflati, dum divina præcepta contemnunt, datam sibi gratiam perdiderunt. Quam fuerit illis profana vita, quæ contracta sit violatæ religionis offensa, ipsi quoque testantur, qui & si voce tacent, exitu confitentur. Dispersi & palabundi vagantur soli. Et cœli sui profugi per hospitia aliena jactantur. Necnon deus ante prædixerat fore, ut vergente seculo, & mundi fine jam proximo, ex omni gente & populo & loco cultores sibi eligeret deus multo fideliores, qui indulgentiam de divinis muneribus haurirent, quam acceptam Judæi contemptis religionibus perdidissent. Indulgentiæ igitur hujus & gratiæ arbiter & magister sermo & filius dei mittitur, qui per prophetas omnes illuminator & doctor humani generis prædicabatur. Hic est virtus dei, hic ratio, hic sapientia ejus, & gloria, hic in virginem illabitur, carnem spiritu sancto cooperante induitur. Deus semper cum homine miscetur, hic deus noster, hic CHRISTUS *est, qui mediator duorum hominem induit, quem perducat ad patrem. Quod homo est, esse* CHRISTUS *voluit, ut & homo possit esse quod* CHRISTUS *est. Sciebant & Judæi* CHRISTUM *esse venturum. Nam hoc illis semper prophetis monentibus annuntiabatur. Sed significato duplici ejus adventu: unum, qui exercitio & exemplo hominis fungeretur: alterum, qui deum fateretur, non intelligendo primum adventum, qui in passione præcessit occultus, unum tantum credunt, qui erit in potestate manifestus. Quod autem hoc Judæorum populus intelligere non potuit, delictorum meritum fuit. Sic erant sapientiæ & intelligentiæ cæcitate mulctati, ut qui vita indigni essent, haberent vitam ante oculos, nec viderent. Itaque cum* CHRISTUS *secundum a prophetis prædicta, verbo & vocis imperio dæmonia de hominibus excuteret, paralyticos restringeret, leprosos purgaret, illuminaret cæcos, claudis gressum daret, mortuos rursus animaret, cogeret sibi elementa famulari, servire ventos, maria obedire, inferos cedere, unum qui exercitio & exemplo hominis fungeretur, alterum qui dominum fateretur non intelligendo. Judæi qui illum crediderant hominem tantum de humilitate carnis & corporis, existimabant magnum diligentia potestatis. Hunc magistri eorum atque primores, hoc est, quos & doctrina ille & sapientia revincebat, accensa ira, & indignatione provocata, postremo de-*

tentum Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus & mortem suffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes. Hoc eos facturos & ipse prædixerat, & prophetarum omnium testimonium sic ante præcesserat, oportere illum pati, non ut sentiret mortem, sed ut vinceret: & cum passus esset, denuo ad superos regredi, ut vim divinæ majestatis ostenderet. Fidem itaque rerum cursus implevit. Nam & crucifixus, prævento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus a mortuis sponte surrexit. Apparuit discipulis suis talis ut ante fuerat, & agnoscendum se videntibus præbuit, simul victus, & substantiæ corporalis firmitate conspicuus ad dies quadraginta remoratus est, ut denuo ad præcepta vitalia instrui possent & discerent quæ docerent. Tunc in cœlum circumfusa nube sublatus est, ut hominem quem dilexit, quem induit, quem a morte protexit, ad patrem victor imponeret: Jam venturus e cœlo ad pœnam diaboli, & censuram generis humani, ultoris vigore & judicis potestate: per orbem vero discipuli magistro & deo monente diffusi præcepta dei in salutem darent, ab errore tenebrarum ad viam lucis adducerent, cæcos & ignaros ad agnitionem veritatis ocularent. Ac ne esset probatio minus solida, & de Christo delicata confessio, per tormenta, per cruces, per multa pœnarum genera tentantur. Dolor qui veritatis testis est, admovetur, ut Christus dei filius, qui hominibus ad vitam datus creditur, non tantum præconio vocis, sed & passionis testimonio prædicatur. Hunc igitur comitamur, hunc sequimur, hunc habemus itineris ducem, lucis principem, salutis auctorem, cœlum pariter & patrem quærentibus, & credentibus pollicentem. Quod est Christus, erimus Christiani, si Christum fuerimus secuti.

CAP. XLVI.

De Tullo Hostilio rege III. *ceterisque ejus successoribus.*

HIC, ut quidam tradidere, primus Romanorum regum sellam curulem, lictores, togamque pictam invenisse dicitur. Albam diruit, Albanosque omnes in urbem recepit, plebem quidem civitate donavit, primores Albanorum in patres legit, inter quos nobiles familiæ fuere Julia, alias Tullia, Servilia, Quinctia, Gegania, Curiatia, Clœlia, Quinctilia, & Atilia. Reliqua hujus regis gesta conscripsi supra libro primo, item in Fastorum commentariis, & multa præterea libro tertio de eodem rege afferam. Hæc Dionysius, Livius, & reliqui.

Ancus Marcius rex IV.

Ancus Marcius Numæ ex filia nepos rex Romanus creatus, sacrorum cærimonias a Numa institutas, & paulatim abolitas renovavit. Fines imperii protulit, Salinarum vectigal instituit, carcerem medio foro ad terrorem crescentis audaciæ primus ædificavit, jus fetiale (ut quidam tradunt) ab Æquicolis acceptum ordinavit; quamquam multi sint, qui hoc institutum Numæ tradant. Multa præterea bella gessit, de quibus libro sequente mentionem faciam. Dionysius, Livius, Eutropius, & cetera.

L. Tarquinius Priscus rex V.

L. Tarquinius Priscus Damarati Corinthii exulis filius, quum regnum Romanum post Ancum suscepisset, reipublicæ augendæ studiosus, centum ex plebe patricios legit, qui, auctore Livio, patricii minorum gentium dicti sunt. Quamquam omnes ego minorum gentium patricios esse existimem, qui post centum primos a Romulo lectos facti sunt. Senatorum numerum ad CCC. auxit, circum maximum fecit, ludos magnos, sive Romanos instituit, equitum centurias duplicavit, & pleraque alia gessit, quæ in commentariis Fastorum retuli, libroque tertio afferam. Ex Dionysio, & Livio &c.

Ser. Tullius rex VI.

Nullus mea sententia post Romulum salubrior rex urbi fuit, quam Ser. Tullius rex Romæ post socerum Tarquinium creatus; qui præter alia gesta, trib. Romanas primus in urbanas rusticasque divisit, censum instituit, lustrum condidit, primum comitia centuriata ordinavit, compitalitios ludos fecit, populo annonam, mensuras, & pondera invenit, æreum nummum percussit, multaque præterea vel bello, vel pace præclara gessit, de quibus in commentariis Fastorum disserui. Ceterum hoc loco de tribus potissimum ejus publicis institutis disputare mihi ipsi constitui, quæ cognitu non indigna, & hujus mei de civitate Romana libri præcipuæ partes sunt. Erit autem prima de tribubus disputatio, post de censu, deinde de comitiis centuriatis. Quibus institutis magna totius reip. Romanæ pars constituta fuit. Atque ante omnia de tribubus Romanis, quas ante instituit, primum disputare aggrediar.

CAP. XLVII.

De tribubus Romanis.

INTER præclara regis Ser. Tullii gesta, qui multas res saluberrimas tanto futuro imperio providentissime instituit, non postremum locum tenet tribuum urbanarum, rusticarumque distinctio, quam ab illo primum factam fuisse omnes veteres scriptores profitentur. Quum autem tribuum cognitio, res ut utilis & necessaria, ita difficilis & obscura hactenus fuerit, mihi ipsi constitui hoc loco, quo Ser. Tullii gesta scribere aggressus sum, de eisdem differere, atque quantum rei difficultas permittet, obscura quæque explanare, verumque XXXV. tribuum numerum, & nomina, atque quid de eis, quæ superfluæ videntur, sentiendum sit, aperire. Cujus rei tractationem, quo distinctius intelligi possit, a Romulo paulo altius repetam. Nam is primus tribus tres constituit.

Urbem Romam & agrum in tres partes, quas etiam tribus appellavit, & XXX. curias, primus Romulus divisit, ut M. Varro libro quarto de lingua Latina, & alii veteres scriptores tradunt: *Ager Romanus* (inquit Varro) *primum divisus in partes tres, a quo tribus appellatæ Tatiensium, Ramnium, Lucerum nominatæ (ut ait Ennius) Tatienses a Tatio, Ramnenses a Romulo, Luceres (ut ait Junius) a Lucumone; sed omnia hæc vocabula Tusca, ut Volumnius, qui tragœdias Tuscas scripsit, dicebat.* Dionysius lib. secundo: *Divisa in tres partes omni multitudine singulis partibus præfectum constituit eum, quem illustrissimum ac nobilissimum censebat. Tum singulas trium partium rursus in decem partes distribuit, totidemque singulis præfectos dedit, qui essent fortissimi, ac majores quidem partes, tribus, minores, curias appellavit, ut etiam ad nostram usque ætatem vocantur. Qui tribubus, tribuni, qui curiis præerant, curiones vocati: divisæque sunt rursus curiæ in decurias, vocabaturque singularum præfectus decurio. Postquam autem hoc modo omnes in tribus & curias descripti sunt, agrum urbanum omnem in triginta æquales partes distribuit, ac singulis curiis suam partem attribuit.* Livius libro decimo: *Quum inter augures constet imparem numerum debere esse, ut tres antiquæ tribus, Ramnenses, Tatienses, Luceres, suum quæque augurem habebat.* Pedianus oratione III. in Verrem: *Tribus principio tres fuerunt, Tatiensis una a Tatio rege, Ramnensis altera a Romulo, Luceres altera a Lucumone, sive Lucretino, sive a luco, quem lucum asylum vocaverat Romulus. Obtinuerunt autem nomen, aut a tributo dando, aut quia primo tres*

fuerunt, unde etiam tribuni dicti. Plutarchus in Romulo: *Eodem tempore in tres tribus tota civitas divisa, Ramnenses a Romulo, a Tatio Tatienses appellatas, tertiæ tribus homines Luceres dicti a luco Asyli, in quem multi fuga delati, civitate donati sunt. Tribus autem tres ipsas fuisse numero nomen ipsum indicat. Quibus qui præerant, tribunos vocabant*. Singula autem tribus decem continebat curias. Pomponius I. II. III. *Dicti tribuni, quod olim in tres partes populus divisus erat, & ex singulis singuli creabantur, vel quia tribuum suffragio creabantur*. Et Propertius libro IV. Eleg. I.

Prima Galeritus posuit prætoria Lygmon,
Magnaque pars Tatio rerum erat inter oves.
Hinc Tities, Ramnesque viri, Luceresque coloni,
Quattuor hinc albos Romulus egit equos:

Et Sex. Pompeius: *Titiensis tribus a prænomine T. Tatii regis appellata videtur*. Pediani & Plutarchi sententiam de Lucerum appellatione, qui Luceres a luco asyli dictos fuisse scribunt, maxime probo, veram enim eam esse existimo. Nam hi, qui cum Romulo primo urbem condiderunt, ut pastores, Albani, aliquot Græcanici generis, qui tum Palatium & Capitolium habitabant, Ramnenses a Romulo nominati fuerunt, qui Palatium, & montem Cœlium post conditam urbem coluerunt. Tatienses autem fuerunt Sabini, & quotquot ab ea regione, vel cum T. Tatio, vel postea venerunt: hi Capitolium & Quirinalem coluerunt. Ceteri adventitii, ut Etrusci & Latini, & perfugæ omnes, qui ad Asylum confugerant, Luceres a luco Asyli denominati sunt. Hi loca inter Palatium & Capitolium plana, atque circum forum tenuere. Et quamquam auctores habeam, qui tertiam tribum Lucerum a Lucumone Etrusco, qui Romulo bello laboranti contra Sabinos præsto fuit, dictam velint, quemadmodum Cœlium montem ab altero Tuscorum duce Vibenna Cœlio appellatum fuisse scribunt; magis tamen Plutarchi & Pediani sententiam adducor ut probem, quod Lucerum a luco appellatio longe amplior sit, atque plus comprehendat, quam a Lucumone derivata. Livius libro primo has trib. centurias equitum vocat, quod ex singulis iis tribubus centum equites scripti essent. *Eodem* (inquit) *tempore & centuriæ tres equitum conscriptæ sunt, Ramnenses a Romulo, ab T. Tatio Tatienses appellati, Lucerum nominis & originis caussa incerta*. Sex. Pompeius: *Turmam equitum dictam esse ait Curiatius, quasi terimam, quod ter deni equites ex trib. tribubus, Tatiensium, Ramnium, Lucerum fiebant. Itaque primi singularum decuriarum decuriones dicti, qui ex eo in singulis turmis sunt, etiam nunc terni*. Et M. Varro libro IV. *Tribuni militum dicti, quod terni trib. tribubus Ramnensium, Lucerum, Tatiensium olim ad exercitum mittebantur*. Porro autem hæ trib. tres usque ad Tarquinii (ut opinor) Prisci tempora permanserunt. Nam quum sub Tullo Hostilio Albani in Ramnensium tribum adscripti, ceterique omnes populi, qui sub regibus Romam venerunt ad habitandum, præter Sabinos, Lucerum tribui inclusi fuissent, urbeque multum aucta, hæ tres tribus non sufficerent, L. Tarquinius Priscus sub iisdem, quibus inauguratæ erant, nominibus eas duplicavit, primosque & secundos Tatienses, Ramnenses, & Luceres constituit, quod idem etiam de equitum centuriis Livio, & Dionysio auctoribus fecit. Cujus rei ita meminit Sex. Pompeius: *Sex Vestæ sacerdotes constitutæ erant, ut populus pro sua quisque parte haberet ministram sacrorum, quia civitas Romana in sex erat distributa partes, in primos secundosque Tatienses, Ramnes, & Luceres*. Et Livius libro primo: *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutavit, numero tantum alterum adjecit, ut mille octingenti equites in tribus centuriis essent, posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi erant appellati sunt, quas nunc, quia geminatæ sunt, sex vocant centurias*. Ita autem hæ tribus fuerunt usque ad Ser. Tullium.

CAP. XLVIII.

De tribubus Servii Tullii Regis.

LUCERUM multitudine crescente, quum ea una adventitiorum tribus mirum in modum aucta esset, ita ut ea sola reliquas duas longe superaret, aucta quoque civitate, quum urbis mœnia septem montibus occupatis ampliata fuissent, Ser. Tullius rex urbem denuo in quattuor, agrum vero Romanum in quindecim, vel ut aliis placet XVII. partes, quas Romuli exemplo tribus appellavit, divisit. Ex quibus quattuor, quæ intra urbem erant, urbanas, reliquas vero, quæ in agro, rusticas appellavit. Tribus autem urbanas quattuor, non (ut Romulus) ab auctore, vel gentis origine, sive casibus, sed a locis, quos colebant, Servius nominavit. In primam enim tribum vel regionem conjecit omnes, qui montem Cœlium & finitima loca plana habitarent orientem versus, quam Suburanam appellavit, quod esset sub antiqua urbe, vel a pago Sucusano, ut scribit Varro: secunda regio, vel tribus dicta est Esquilina, hæc Esquilias continebat: tertia regio duos colles comprehendebat, Quirinalem, & Viminalem, a quibus Collina appellata: quarta regio sola complectebatur fere totum id spacium, quod antiquæ tres sub Romulo; continebat enim Palatium, forum & Capitolium, dictaque Palatina a Palatio ipso tanquam primo colle, in quo urbs condita esset. Ab his igitur regionibus tribus quoque quattuor urbanæ appellatæ sunt. M. Varro: *Ab hoc quoque* (inquit) *quattuor partes urbis tribus dictæ: & ab locis, Suburana, Esquilina, Collina, Palatina*. Sex. Pompeius: *Urbanas tribus appellabant, in quas urbs erat dispartita a Ser. Tullio rege, id est, Suburana, Palatina, Esquilina, Collina*. Et Livius libro primo: *Quadrifariam urbe divisa ab Ser. Tullio, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit*. Et Dionysius libro quarto: *Ser. igitur Tullius, ubi muro septem colles complexus est, in quattuor partes urbem divisit, & cognomina cuique parti imposuit ex collibus. Unam quidem vocans Palatinam, aliam Suburanam, tertiam Collinam, & quartam Esquilinam, quattuorque tribuum fecit urbem, quæ eo usque fuerat trium, neque amplius tres tribus generis sive originis, ut antea, sed quattuor a locis a se designatis dictas esse voluit; creavitque partibus singulis principes tribuum sive vicorum præfectos, quos scire jussit ubi quisque habitaret, statuitque homines, qui in unamquamque partem abituri essent, tanquam ejus loci incolas in nullam aliam transferri posse habitationem, nulloque alio loco, vel tribu, nomina in militia darent, vel tributum penderent, quam in ea, in qua conjecti & descripti fuerant, tribu*. Hæ autem sunt caussæ, & origo quattuor primarum tribuum, quas, quod intra urbem essent, urbanas appellavit. Quo tempore alius factus est tribuum, alius vero curiarum ordo, nam tribus locis, curiæ vero quibusdam sacris tantum conveniebant. Subsequenti tempore nobiles omnes, qui in tribus urbanas conjecti fuerant a Ser. Tullio rege, paulatim in rusticas sese transtulerunt, atque urbanæ tribus humiles admodum & non nisi tenuiorum hominum esse cœperunt: sed hæc latius paulo post. Expeditis, quæ ad tribus urbanas in universum pertinent, nunc de iis singillatim est modo disputandum.

CAP. XLIX.

De Tribubus Urbanis. Prima Suburana.

INTER quatuor tribus urbanas, in quas Ser. Tullius rex urbem divisit, M. Varro primam enumerat Suburanam, a Subura appellatam, sic: *Reliqua urbis loca olim discreta, ut Argæorum sacraria,*

ria, in ſeptem & viginti partes urbis ſunt diſpoſita: é queis prima eſt ſcripta regio Suburana, ſecunda Eſquilina, tertia Collina, quarta Palatina. Et paulo poſt: *Eidem regioni attributa Subura, quod ſub muro terreo Carinarum eſſet; vel, ut Junius ſcripſit, ab eo, quod fuerit ſub antiqua urbe, cui teſtimonium poteſt eſſe, quod ſubeſt ei loco, qui terreus murus vocatur: ſed ego a pago potius Sucuſano dictam puto Sucuſam. Nunc ſcribitur tertia littera B. non C. Pagus Sucuſanus quod ſuccurrit Carineis.* Ita Varro lib. quarto de lingua Latina. Sex. Pompeius: *Suburam Verrius alio libro a pago Sucuſano dictam ait. Hoc vero maxime probat eorum auctoritatem, qui ajunt ita appellatam & regionem urbis & tribum a ſtativo prædio, quod ſolitum ſit ſuccurrere Eſquiliis infeſtantibus eam partem urbis Gabinis, indicioque eſſe, quod adhuc ea tribus per C. literam, non B. ſcribatur.* Quinctilianus quoque libro primo, cap. XXII. *Subura cum tribus notatur, C. tertiam oſtendit.* Hæc (ut dixi) Cœlium montem & circumadjacentia loca complectebatur. Hujus tribus in antiquis inſcriptionibus ita mentio eſt:

Romæ ante arcum Septimii Severi Aug.

PACI. AETERNAE
DOMVS
IMP. VESPASIANI
CAESARIS. AVG
LIBERORVM. QVE. EIVS. SACRVM
TRIB. SVC. IVNIOR

Lavinii

C. ATTIO. T. F. SVB
VITALIANO
DOMO. CELEAE
VETERANO. LEG. V
AVG. MILITAVIT. ANN
XXXVIII. VIX. AN. LVIIII
IN.FR.P.XI.IN.AGR. P.XVI

Romæ in muſæo Card. Carpenſis.

L. AVFVSTI. L. F. SVBVRA. RVFINI. CEN
COHOR. VII. VIGIL. ROM. CANDIDAT
TI. CAESARIS. ET. AVFVSTIAE. SVPERANTIAE
ET. AVFVSTI. ET. AVFVSTIAE. GEMEL. OLL. IIII
L. AVFVSTIVS. L. F. SVB. FVSCVLVS. MAIOR
L. AVFVSTIVS. L. F. PALATINA. SERENVS. M
EX. CAVSSA. LEG. FACIVN. CVR

Tribus II. Eſquilina.

Inter urbanas ſecunda tribus ſcribitur a Varrone Eſquilina, quod in Eſquilino monte eſſet, appellata. De Eſquiliis vero ſatis ſupra dixi. De hac tribu hoc extat epigramma Romæ in ædibus Gentilis Delphinii Romanarum antiquitatum aſyli.

DIS. MANIB
M. FABI. M. F. ESQ. REGILLI. ET. FABIAE.......
FABIA. M. ET. Ɔ. LIB. ARETE. ARCHIM.......
TEMPORIS. SVI. PRIMA. DIVRNA. FEC.......
SIBI. ET. SVIS. QVIBVS. LEGAVIT. TESTA.......

Tribus III. Collina.

Tertia tribus Collina, ut tradit Varro, a collibus Quirinali & Viminali, in quibus ſita erat, appellata eſt. De qua Joſephus lib. XIIII. cap. XVII. ſic meminit. *L. Copenius L. F. Collina.* Hujus quoque tribus in antiquis inſcriptionibus mentio eſt ita:

Romæ in Aventino in cœnobio S. Alexii.

C. VETTIO. C. F
COL. NIGRO
DOMO. ANTIOCHIA
SYRIA
VETERANO. LEG. XII
FVLMINAT
MILIT. ANN. XXVI
VIXIT. ANN. LVII
EX. TESTAMENTO

Auximi.

Q. PLOTIO. MAXIM
COLLIN
TREBELLIO. PELIDIANO
EQ. PVB
TRIB. LEG. II. TRAIAN. FORT
TRIB. COH. XXXII. VOLVNT
TRIB. LEG. VI. VICTRIC
PROC. AVG
PROMAGIST. XX. HERED
PRAEF. VEHICVLOR
QQ. PATR. COL. ET. SVO. PONT
COL. FABR. AVXIM. OB
EXIMIVM. INTER. MVNICIP
SVOS. AMOREM
L. D. D. D

Tibure.

Q. HORTENSIO
Q. F. COL
ADVOCATO. FIS
CI. PRAEF. FABR
PATRONO. MVNICIPI
COLLEGIVM. FABRVM
TIBVRTIVM. OB
MERITA
L. D. S. C

Tibure.

Inter urbanas quarta fuit tribus Palatina auctore Varrone, a Palatino monte denominata, quem cum foro & Capitolio obtinebat. De qua ſic Cicero ſcribit oratione IV. in Verrem: *C. Claudius C. F. Palatina.* Et Aſconius eo loco ſic: *Alibi ait L. Claudium Palatina.* Infinita propemodum ſunt vetuſta monumenta, quæ hujus tribus mentionem faciunt, in quibus PAL. PALAT. PALATIN. PALATINA, & PALATEINA appellatur, quorum præcipua hæc ſunt:

Anagniæ.

L. COMINIO. L. F. L. N. PAL
FIRMO. PR. Q. AER. ET. ALIM
OPPIAE. SEX. ET. Ɔ. L. EVNONEAE
EXEMPLVM. PERIIT. CASTAE. LVGETE. PVELLAE
OPPIA. IAM. NON. EST. ERepTA. EST. OPPIA. FIRMO
ACCIPITE. HANC. ANIMAM. NVMEROQVE. AVGETE. SACRORVM
ARRIA. ROMANO. ET. TV. GRAIO. LAODAMIA
HVNC. TITVLVM. MERITIS. SERVAT. TIBI. FORMA. SVPERSTES
SIBI. SVIS. POSTERIS. QVE. EORVM

Romæ via Latina.

T. AVRELIO. T. F. PAL
VERO
MOPSVESTIA
MIL. COH. VIIII. PR
T. AVREL. T. F. PAL
POMPONIVS
VALERIANVS
FRATRI. OPTIMO POS

Beneventi ante carceres.

M. GAVIVS. M. F. PALAT
SABINVS. SCRIBA. AEDIL
I. D. PRAEF. FAB
SIBI. ET
NASENNIAE. M. F
IVSTAE. VXORI. B. M

Romæ in hortulis Colotianis.

FORTVNAE. AVG
L. LICINIVS. L. F. PALA
TINA. SABINVS
VOT. DD
XIIII. KAL. FEBR
M. IVNIO. SILANO. ET
L. NORBANO. COS

Hæ itaque ſunt quattuor urbanæ tribus, in quas quanquam ab initio nobiles omnes conjecti fuiſſent, paulatim tamen poſtea ſe ſubduxerunt, & in ruſticas relati ſunt, quum forenſi turbæ, & tenuioris fortunæ hominibus urbanas reliquiſſent. Unde Plinius lib. XVIII. cap. III. ita ſcripſit: *Ruſticæ tribus laudatiſſimæ, eorum qui rura haberent, urbanæ vero in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ probro. Itaque quattuor ſolæ erant a partibus urbis in queis habitabant: Suburana, Palatina, Collina, Eſquilina.* Livius lib. IX. *Q. Fabius cenſor, ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam, in quatuor tribus conjecit, urbanaſque eas appellavit; inde Maximi cognomen adeptus eſt.* Florus ex Livio in ep. lib. XX. *Libertini in quatuor tribus redacti ſunt, quum antea diſperſi fuiſſent, Eſquilinam, Palatinam, Suburanam, & Collinam.* Aſconius in orat. pro Milone: *Libertini* (inquit) *in urbanis tribubus ſuffragium ferebant. Quæ præcipua cauſſa fuit, ut nobiles ſe ex urbanis ſubduxerint, & in ruſticas, quæ horum hominum colluvie carebant, tranſierint.*

CAP. L.

De tribubus Ruſticis.

De tribuum ruſticarum numero a Ser. Tullio inſtituto parum inter vetuſtiſſimos auctores convenit. Fabius enim Pictor tradidit, agrum Romanum in ſex & viginti partes, quas tribus appellavit, Ser. Tullium diviſiſſe; quibus quum quattuor urbanas addidiſſet, omnium numerum ad XXX. auxit. Venonius vero agrum omnem in unam & XXX. tribus ab eodem rege diviſum ſcripſit; ita ut quattuor urbanis additis quinque & triginta tribuum numerum, qui poſterioribus temporibus fuit, ipſe expleverit. Cato autem longe omnium diligentiſſimus, certum earundem numerum non edidit. Dionyſius XVII. ruſticas, & quattuor urbanas ab ipſo rege factas fuiſſe innuere videtur, qui ubi judicium Coriolani deſcribit, unius & viginti tribuum numerum tantum tunc fuiſſe retulit. Livius vero haud longe poſt reges exactos, Ap. Claudio & P. Servilio coſ. tribuum XXI. numerum factum tradit, ut XV. ruſticis a Ser. Tullio inſtitutis, tum duæ forte additæ ſint, atque XVII. factæ. Quibus ſi quattuor urbanas addiderimus, omnes erunt XXI. Catonis in primis, poſt Dionyſii ſententiam ſequentium, XIV. tribuum adjunctio, quæ a T. Livio accurate refertur confirmare videtur: præſertim quum Dionyſius adeo rerum Romanarum ſcriptor diligens, nullam XXI. tribuum expletionis mentionem faciat poſt reges exactos, eas tantum Coriolani judicio XXI. fuiſſe ſcripſit. Hæc omnia ut Dionyſii, Catonis, & forte Livii ſententias confirmant, ita Pictoris & Venonii refellunt. Pictor quidem multa præterea ſcripſiſſe traditur a

A vero haud parum abhorrentia, & a Polybio ſæpe negligentiæ reprehenditur. Venonii vero opinionem omnino falſam fuiſſe non eſt quod demonſtrem, quum liquido conſtet, quibus temporibus XIV. tribus antiquis XXI. ſingillatim additæ fuerint. Quam ob rem ego in tanta auctorum diverſitate Dionyſium in primis, & a quo parum abhorrere Livius videtur, ſequar, atque a Ser. Tullio XXI. tribus factas fuiſſe credam. Nam quod poſt reges exactos ad XXI. auctæ fuerint, quum id a Dionyſio prætereatur, a Livio vero ita conciſe & obſcure tradatur, ut ne earundem quidem, ut ejus conſuetudo eſt, nomina afferat, non ſuſcipiam. B Hanc eandem ſententiam accuratiore alia ratione paulo infra confirmabo, quum de XIV. quæ veteribus XXI. additæ fuerunt, verba faciam. Supereſt igitur ut a Ser. Tullio ſeptemdecim ruſticas tribus, & quattuor urbanas factas fuiſſe dicamus, atque ab eo XXI. numerum auctum. Suggerit lib. IV. Dionyſius. *Tullius igitur quum in totidem partes agrum omnem Romanum diviſiſſet* (qui eo tempore ab oriente agris Gabino, & Tiburtino, ab occidente vero & ſeptentrione paulo ultra Tiberim, & Anienem, a meridie autem mari terminabatur, neque ab ulla parte pluſquam XVIII. millia paſſuum ſe extendebat) *prope montes, rupes, ſpecus, & per-* C *fugia colonis ſecuritatem allatura præparavit, quæ pagos appellavit, quo ſe ex agris omnes recipiebant, quum hoſtium incurſiones fierent, atque in eis ſæpe pernoctabant. Erant quoque & pagorum magiſtri, quibus nomina colonorum ſcire curæ erat, qui eidem pago attributi erant, atque in ejus juriſdictione prædia haberent: & quum opus eſſet ruſticos ad arma vocari, aut viritim tributa redimi, hi & homines adducebant, & pecunias exigere ſoliti erant. Ac ne eorum multitudo difficilis inventu eſſet, ſed facile numerari & cognoſci poſſet, aras eos erigere juſſit diis pagi inſpectoribus & tutelaribus, quos hoſtiis publicis magiſtros pagi cum omni paganorum mul-* D *titudine ſingulis annis honorare conſtituit, & hoc ſolemne inter cetera admodum honorabile inſtituit, quæ Paganalia vocantur. Ac leges eorundem ſacrificiorum edidit, quas adhuc Romani obſervant. Juſſit autem omnes qui conventui & ſacris Paganalibus intereſſent, ut per capita ſingula nummum ſolverent, alium quidem viros, alium fœminas, alium impuberes: ex quibus a pagi magiſtris numeratis, cujuſvis ſexus, & ætatis numerus manifeſtus erat.*

Hæc autem ſunt, quæ de tribubus ruſticis univerſali quadam ratione inveni, nunc eas ſingulas deſcribendas aggrediar.

E

Tribus V. Romilia.

Tribus omnes ruſticæ, quemadmodum & urbanæ, initio a locis, in quibus collocatæ fuerant, nomina acceperunt. nam quod a familiis quædam earum nomina habeant, id non ſub Ser. Tullio, ſed poſtea factum eſt, ut ex Livio demonſtrabo. Quod autem a locis ruſticæ tribus initio nomen habuerint, his verbis indicat M. Varro libro IV. de lingua Latina: *Ab hoc quoque quatuor partes urbis tribus dictæ; & ab locis Suburana, Eſquilina, Collina, Palatina. Quinta, quod ſub Roma, Romilia. Sic reliquæ extra ab iis rebus, de quibus in tribuum libris ſcripſi.* Ex quibus F verbis colligimus, & tribus a locis dictas fuiſſe, & tribum Romiliam, quam quintam appellat, quod ſub Roma eſſet, vocatam. Hanc autem eam agri Romani partem obtinuiſſe crediderim, quæ in Tuſcia prope urbis mœnia inchoans, ſecundum flumen, uſque ad maris oſtia trans Tiberim extendebatur. Quod ex Sex. Pompeio intelligitur, qui de hac tribu ſic meminit: *Romilia tribus dicta, quod ex eo agro cenſebatur, quem Romulus ceperat ex Vejentibus.* Eum porro agrum, quem Romulus de Vejentibus cepit, trans Tiberim in Tuſcia fuiſſe, atque ea parte a Janiculo, vel Vaticano uſque ad mare ſe extendiſſe re-

ferunt Dionysius, & Strabo. Cicero Oratione secunda in Verrem: *Fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romilia*. Asconius ibidem: *Romilia nomen est tribus ablativi casus, ut sit ex Romilia*. Cicero in Rullum: *A Romilia tribu se initium facturum, populi pars amputetur, ordo tamen negligatur, ante rusticis detur ager qui habent, quam urbanis*. De hac tribu octo vetusta vidi epigrammata, quorum unum est hoc via Gabina inventum.

DIS. MANIBVS
M. AVRELIO. M. F. ROM
VETVRIO
AVG. N. CARTOPHILA
AVRELIA. PROCVLA
VXOR. ET
AVRELIA. PROCVLIN
MAT. FILIO. PIISS
F. E. C

Romæ.

L. CASSIVS. L. F
ROM. NIGER
DOMO. ATESTE
MIL. COH. I. PR
MIL. ANN. XVII
VIX. ANN. XXXVII

Tribus VI. Clustumina.

Clustumina tribus, alias Crustumina (utroque enim modo in vetustis inscriptionibus extare animadverti) a Tuscorum urbe Clustumina, alias Crustumina dicta est. Ita Sex. Pompeius: *Crustumeriam autem in Sabinis potius quam in Tuscis fuisse crediderim, haud procul ab urbe Anienem versus*. De qua tribu sic Livius lib. XLII. scribit: *Postquam consul quæ voluerat dixit, SP. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis appellaverant, a consule & a tribunis petiit, ut sibi paucis ad populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur: SP. Ligustinus trib. Crustuminæ ex Sabinis sum oriundus Quirites*. Hujus tribus Cic. pro Planco, & pro Balbo sic meminit: *In tribum Crustuminam pervenit L. Cornelius Balbus legis de ambitu præmio*. Hujus tribus XIV. inscriptiones vidi, in quibus semel tantum CRV. semper vero vel CLV. vel CLVST. exaratum erat.

Curibus in Sabinis.

L. SVRREDI. L. F. CLV
FELICIS
PROCVRATORI. AB
SCAEN. THEAT. IMP
CAESAR. DOMITIAN
PRINCIPI
CORONATO. CONTRA
OMNES. SCAENICOS

Cærete.

TI. CLAVDIO. DIVI. AVG. F.
AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. XX
L. PAVLLVS. L. F. CLV. ATTICVS
PRAEFECTVS. FABRVM. CAER
S. P. EIVS. C. C
Q. Q.

Foro Sempronii.

C. HEDIO. C. F. CLVST. VERO
EQVO. PVBL. PRAEF. EQVIT. ALAE
INDIANAE. P. F. TRIB. MILIT. IEG. II
TRAIAN. F. PRAEF. COH. II. LIG. EQ
II. VIR. II. VIR. QVINQ. QVAESTORI
PATRONO. MVNICIPI. FLAMINI

Tribus VII. Lemonia.

Sex. Pompeius: *Lemonia* (inquit) *tribus a pago Lemonio appellata est, qui est a porta Capena via Latina*. Cicero in Antonium Ser. Sulpicii Q. F. Lemonia Rufi meminit. Idem pro Planco. *Quid Planco cum Lemonia?* De hac tribu plures vidi inscriptiones, inter quas hæ fuerunt:

Auximi.

L. PRAESENTIO. L. F
LEM. PAETO
L. ATTIO. SEVERO
PRAEF. COH. I. AFR
C. R. EQ. IVDICI. SELECTO. EX
V. DEC. PR. AVXIMI. PAT. COL
AEDILI. II. VIR. ANCONAE
VIBIA. L. F. MARCELLA
FLAMINIA. AVGVST
MARITO. OMNIBVS. EXEM
PLIS. DE. SE. BENE. MERITO
CENAM. COLON. ET. EPVL
POP. DEDIT

Romæ in colle Palatino.

IOVI. OPTVMO
SERVATORI
M. RVSPIVS. M. F
LEMONIA
VLPIANVS. MILES
VETERANVS
S. P
V. T. S

Tribus VIII. Pupinia.

Tribum Pupiniam in vetustis epigrammatibus PVP. POP. PVPINIAM. ET. POPINIAM exaratam fuisse notavi, magna enim teste Quinctiliano inter O. & V. affinitas est. Sic Popillia, & Pupillia, Poblilia, & Publilia scribi animadverti. De hac ita scribit Sex. Pompeius: *Pupinia tribus ab agro Pupino*. Hic ager in Latio cis Tiberim ad mare vergens, haud longe ab urbe erat. Quod Livius libro vigesimo sexto, his verbis aperte docet: *Hannibal infestus perpopulato agro Fregellano propter intercisos pontes, per Frusinatem Ferentinatemque, & Anagninum agrum in Labicanum venit. Inde Algido Tusculum petiit, nec receptus mœnibus infra Tusculum dextrorsus Gabios descendit. Inde in Pupiniam exercitu dimisso octo millia passuum a Roma posuit castra*. Valerius Maximus lib. IV. cap. IV. *Illi etiam prædivites, qui ab aratro accersebantur, ut cos. fierent, voluptatis caussa sterile, atque æstuosissimum Pupiniæ solum versabant*. Et paulo post: *Atilius consulibus scripsit villicum in agello, quem septem jugerum in Pupinia habebat, mortuum esse*. Cicero ep. fam. VIII. C. Lucretii C. F. Pup. Juri; & ad Q. fratrem libro primo, Cn. Nerii Pupinia meminit. De qua tribu has suggerere placet inscriptiones:

Sassinæ.

L. APPAEO. L. F
PVP
PVDENTI. P. P
TRIB. COH. XII
VRB. ET. X. PRAET
FLAMINI. FLAV
PATRONO

Romæ in hortis Juliis.

DIS. MANIBVS
L. TITI. L. F. PVPINIA
MACRI. VI. VIRI
DECVRION
LAVDE. POMPEIA
VIXIT. ANNOS. XXX

TITIA . RHODE
MATER. ET
SALVIVS . VICTOR
CONLOC. F

Tribus IX. Vejentina.

De tribu Vejentina Cicero pro Cn. Plancio meminit ita: *Quid Plancio cum Lemonia? quid cum Vejentina?* Hæc autem ab agri Vejentis parte appellata fuit; qui trans Tiberim in Tuſcia ſupra urbem Vejos verſus erat, de Vejentibus a Romulo captus. nam agrum a Vaticano mare verſus tribus Romilia obtinebat.

De hac quoque vetera hæc vidi epigrammata:

Q. GAVIVS. Q. F
VEIENTINA
APVSIVS

Item Romæ in inſula.

T. RVNCANIVS
T. F. VEIEN
ASTVRIVS

Tribus X. Galeria.

Quum animadverterim unam & viginti tribus a Ser. Tullio additas, omnes aut a locis, aut a nobiliſſimis familiis nominatas fuiſſe, in hanc deveni ſententiam, ut Galeria, Pollia, & Voltinia, quæ in earum numero fuerunt, a locis quoque appellationem obtinuiſſent, quorum tamen apud nos memoria omnino interciderit; nam eas familias neque etiam plebeias, necdum patricias fuiſſe hac potiſſimum ratione ſuſpicatus ſum, quod nullam earundem mentionem unquam fieri cognovi, quemadmodum aliarum familiarum, quæ poſtea tribubus nomina reliquerunt, ut Aimiliæ, Corneliæ, Fabiæ, Horatiæ, Meneniæ, Papiriæ, Sergiæ, & Veturiæ. Nam illud dici non poſſe exiſtimo, eas quidem familias fuiſſe, verum priſcis illis temporibus extinctas; quod non ſtatim, ut tribus factæ ſunt familiarum nomina, ſed longo tempore poſt a nobiliſſimis familiis obtinuerint. Quod ſi hæ ignobiles vel deperditæ familiæ fuiſſent, nulla ratione credendum eſt, eas tribubus nomina ſua indidiſſe. Tribus igitur Galeria & duæ ſequentes a locis nomina ſortitæ ſunt, nobis modo incognita. Niſi eam a Galeſo flumine dictam velimus Galeſam, poſt Galeriam, cujus fluminis meminit Virgilius, qui in Tuſcia erat; de qua Livius libro vigeſimoſeptimo ita ſcribit: *Galeria juniorum, quæ ſorte prærogativa erat, Q. Fulvium, & Q. Fabium conſules dixerat, eodemque jure vocatæ inclinaſſent*, &c. Et Plinius libro ſeptimo, cap. XLVIII. M. Mucium M. F. Galeria Felicem commemorat. In antiquis quoque lapideis monumentis, ita Galeriæ tribus mentionem fieri inveni:

Rocæ juxta Neapolim.

N. PETTIO. N. F
GAL. RVFO
II. VIRO. Q. ALIMENT
CVR. PEC. PVBLICAE
CVRATORI. FRVMENT
CVLTORES. IOVIS
OB. MERITA. EIVS
L. D. D. D

Compſæ.

M. MINDIVS. M. F. GAL
MAXIMVS
STATVAM. MERCVRII. OB. HO
NOREM. QVINQ. POSVIT
CVIVS. DEDICATIONE. DEDIT
POPVLO. VIRITIM. DENARIOS
SING. L. D. D. D

Romæ.

C. ACILIVS. T. F
CAPITO. GALE
RIA. BILBILI
MIL. COH. X. PR
7. MART
VIX. ANN. XXV. MIL
ANN. IIII. T. P. I

Tribus XI. Pollia.

De tribu Pollia Livius libro VIII. ita meminit: *Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem in Tuſculanos latam. Memoriamque ejus iræ, Tuſculanis in pœnæ tam atrocis auctores manſiſſe ad patrum ætatem conſtat, nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre ſolitum.* Et lib. XXXIX. *Quum ad tribum Polliam ventum eſt, in qua M. Livii nomen erat, & præco cunctaretur citare ipſum cenſorem, cita, inquit Nero, M. Livium*, &c. Utriuſque rei meminit etiam Valerius lib. II. cap. IV. & lib. IX. cap. X. De hac tribu hæc antiqua monumenta mentionem faciunt:

Romæ ad SS. Coſmam & Damianum.

SEX. TRVTTEDIO. SEX. F
POL. MAXIMIANO
FVI. AD. SVPEROS. MENSES. VII
TRVTTEDIVS. CLEMENS
TRIB. COH. II. VRB
ET. MARINA. PROCVLA
FILIO. CARISSIMO

In domo Colotii.

M. BALLONIO
M. F. POL. PAVLLO
MVTINA
MIL. COH. X. PR. 7
FRONTONIS. MIL
ANN. VIII. VIX. ANN
XXXVI. T. P. I

Tribus XII. Voltinia.

De hac tribu Cicero pro Plancio ſæpe mentionem facit; ita enim ait: *Quas tribus edidiſti? Terentinam credo, aut Voltiniam.* Et paulo poſt: *Voltinia tribus ab hoc corrupta, Terentinam habuerat venalem, quid diceret apud Voltinienſes, aut tribules ſuos judices?* Et alibi: *Plures te teſtes habere de Voltinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris.* Multos hujus tribus lapides vidi, in quibus VOL. VOLT. VOLTIN. & VOLTINIA exaratum erat, ut hic:

Reate.

SEX. TADIVS. SEX. F. VOL. LVSIVS. NEPOS
PAVLLINVS
PRO. COS. SORTITVS. PROV. CRET. CYR
LEG. PRO. PR. PROV
AFRIC. PRAEF. FR. D. LEG. PROPR. PROV
ASIAE. LEG. PROPR. PROV
MAC. PRAET. CAND. AED. CVR. Q. PROV
PONT. ET. BIT. TR. MIL. LEG
IIII. F. F. X. VIR. STLITIB. IVDIC. VIII. VIR. II
Q. Q
MVLVIA. C. F. PLACITA. MARITO. OPTIMO
ET. SIBI

Romæ apud Gentilem Delphinium.

L. IVLIVS
M. F. VOLT
FVSCVS
AQVENSIS
OLEARIVS

In hortis Juliis Romæ.

INNOCVVS. APER. ECCE. IACES. NON VIRGINIS. IRA
NEC. MELEAGER. ATROX. PERFODIT VISCERA. FERRO
MORS. TACITA. OBREPSIT. SVBITO FECITQVE. RVINAM
QVAE.TIBI.CRESCENTI.RAPVIT.IVVENILE FIGVRAM
T.STATILIO. T.F.VOL. APRO. MENSORI
AEDIFICIOR. VIXIT. ANN. XXII. M. VIII D. XV
T. STATIVS. VOLTINIA. PROCVLVS
ACCENSVS. VELATVS. ET. ARGENTARIA
EVTYCHIA. PARENTES. FILIO.OPTVMO. ET
ORCIVIAE. ANTHIDI.VXORI. EIVS. SIBI QVE. ET. SVIS
LIBERIS. LIBERTABVS. POSTERIS. QVE EORVM

Tribus XIII. Claudia.

Sequentes novem tribus, quæ familiarum nomina habent, a locis antea appellatas fuiſſe, præter Varronis auctoritatem, teſtimonio etiam eſſe poteſt tribus Claudia, quæ quum vetus eſſet, aliudque nomen a loco procul dubio haberet, a gente Claudia in eam relata novum nomen aſſumpſit. Quod his verbis docet libro II. Livius: *P. Valerio* IIII. *T. Lucretio* II. *cos. ſeditio inter belli paciſque auctores orta in Sabinis, aliquantulum inde virium tranſtulit ad Romanos. Namque Actius Clauſus, cui poſtea Ap. Claudio fuit Romæ nomen, quum pacis ipſe auctor, a turbatoribus belli premeretur, nec par factioni eſſet, ab Regillo magna clientium comitatus manu Romam transfugit: his civitas data agerque trans Anienem. Vetus Claudia tribus additis poſtea novis tribulibus, qui ex eo venerant agro, appellata. Appius inter patres lectus, haud ita multo poſt in principum dignationem pervenit.* Idem tradit Dionyſius lib. V. his verbis: *Claudius opibus & amicis aſſumptis ex Sabinis Romam migravit. Quem S. P. Q. R. in patricios conſcripſit, locumque in urbe pro domo conſtruenda conceſſit. Agrum quoque ei publicum tradidit, qui inter Fidenas & Piculiam erat, quem poſſet ſuis dividere; a quibus tribus facta eſt Claudia vocata, quæ uſque ad mea tempora manet, idemque nomen ſervat.* Et Virgil. lib. VII.

Claudia nunc a quo diffunditur & tribus & gens.

Et Pedianus pro Scauro cujuſdam Servilii Claudia Glauciæ meminit.

Romæ ad turrim Sabellam.

C. POETELIVS
C. F. CLA
PAVLLVS
EMONA
MIL.COH.III.PR
7. FECEN
MIL. ANN. VIII
VIX. AN.XXVII
T. F. I

In vinea Carpenſi.

M. AEMILIO. M.F
CL. NIGRO. ARA
MIL.FRVM.LEG.XXX.V.V
F. C. H

Romæ.

M.SATVRNIVS
M. F. CLA
MAXIMVS
CELEIA. EQ
COH. X. PR. 7
APTI. MIL. ANN
XII. VIX. ANN
XXX. H. F. C

Tribus XIV. Aimilia.

Claudiæ exemplum multæ præterea tribus ſequutæ ſunt: hæ antiquis nominibus quæ a locis acceperant dimiſſis, nobiliſſimarum gentium, quæ in ſingulas ſeſe tranſtulerant, nomina acceperunt, ut Aimilia, Cornelia, Fabia, Horatia, Menenia, Papiria, Sergia, & Veturia. Hæ enim familiæ circa tempora partæ libertatis patriciæ & celeberrimæ in urbe erant. Nam eas primo in quattuor urbanas conjectas fuiſſe aperte indicat Dionyſius, quandoquidem omnes, qui urbem habitarent, ex inſtituto Ser. Tullii, principio unam ex his quattuor urbanis tribubus obtinere neceſſe eſſet, ſicut qui agros, ruſticas. Verum quum ob forenſem turbam in eas conjectam, viles haberi cœpiſſent, factum eſt, ut illuſtres familiæ in eas paſſim tribus nomina darent, ſeque transferendas curarent, in quibus agros ſuos habuiſſent, eiſque nova nomina tribuerent. Ita igitur gens Aemilia, Cornelia, Fabia, & reliquæ omnes, Claudiæ forte exemplo, vetera nomina tribubus, in quas tranſlatæ erant immutarunt, novaque ab ſe tradiderunt. Qua re factum fuiſſe opinor, ut multæ tribus fuerint quæ plures haberent appellationes, quod ita fuiſſe etiam paulo poſt oſtendam. Una igitur ex antiquis Ser. Tullii ruſticis tribubus fuit, quæ poſtea Aimilia appellata eſt ab Aimilia gente, quæ Romæ fuit nobiliſſima; de qua tribu Livius lib. XXXVIII. ſic meminit: *Rogatio perlata eſt, ut in Aimilia tribu Formiani ac Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent, atque in his tribubus tum primum ex Valerio plebiſcito cenſi ſunt.* De eadem Cicero ad Atticum ep. lib. II. ita mentionem facit: *Formianorum tribum Aimiliam.*

Romæ in crypta S. Sebaſtiani.

L. ABERIO. L. F. AIM
COCCEIO. LEPIDO. PROC
RAET.TR.PL.QVAEST.LEG
ASIAE. LEG. PRO. PR. AFRICAE
MISSO. AD.PRINCIPEM. TRIB.MIL
LEG. XXII. PRIMIGENIAE
X.VIR.STLIT.IVD
APOLLONIVS.LIMENA
CYPRI

Romæ in domo Bubalorum.

D. M. S
T. AELIO. T. F. AEMI
MARCELLO. DOBI
RO. MIL. COH. IIII. PR
7. FELICIS. MIL. ANN
VI. VIX. ANN. XXV
T. FLAVIVS. PETRONI
ANVS. MIL. COH. II
PR. 7. CLEMENTIS
HERISEVS. MVNI
CIPI. SVO. B. N. M
FECIT

In Sabinis.

Q. VIBIO. Q. F. AIMILIA
VETENIO. EQVO. SEVERO
DVCENTANO.TRIB.SEMPR.PR
LEG. XXII. PRIM. AVG. P. F
SEMPRON. COH. II. CLASSIS. G
PATRONO. AEQVICVLA
GEST. TR. IVVENT. TREBVL
MVTVSTAE. QVI. OBLA
TA. SIBI. STATVA. AB
IIS. HONORE. CONTEN
TVS. IMPENSAM. REMISIT

Tribus XV. Cornelia.

De tribu Cornelia, quæ & ipsa a nobilissima gente Cornelia nomen obtinuit, Livius lib. XXXVIII. ubi de Æmilia, & sequentes inscriptiones mentionem faciunt:

Romæ.

C. IVLIVS
C. F. COR
PVDENS
THESSALONICA
MIL. COH. VII. PR
7. MATVRI
MIL. ANN
XVI. VIX. ANN
XXXXV. MENS. VI
EX. TESTAMEN
TO. FIERI
IVSSIT. SIBI

Tibure.

DIS. MAN
L. AVTIO. L. F. CORNEL
CAPITOLINO
MIL. COH. VI. PRAETOR
VIX.ANN.LXIIX.
L. AVTIVS. L. F. CORNEL
LATINVS
FRATRI. KAR
H. S. E

Tribus XVI. Fabia.

Et hæc tribus a Fabia gente, quæ in eam relata fuit, nomen obtinuit, de qua Tranquillus in Augusto cap. XL. Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummum a se dividebat. Et Horat. lib. I. Epist. VI.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

Hujus quoque tribus vetusta extant hæc epigrammata:

Brixiæ.

C. PONTIO. C. F. FAB
PELIGNO. TRIB. MIL
LEG X GEM. Q. CVRAT
LOCOR. PVBLIC
ITERVM. AEDILI. CVRVL
LEGATO. PRO. PR. ITERVM
EX. S. C ET. EX. AVCTORITA
TE. CAESARIS. DD

In Æquicolis.

T. PETIDIO. T. F
FABIA. CESSINO
VIII. VIRO. AEDIL. PLEB
POTESTATIS. VIII. VIR. II
FANOR. VIII. VIR. III. AERARI
ADLECTO. SVPRA. NVMER
SEVIRVM. AVGVSTALIVM
PLEBIS. S. TREBVLAN. M
OB. MERITA. EIVS
L. D. D. D

Tribus XVII. Horatia.

Horatiæ tribus nullam apud veteres auctores mentionem adhuc fieri inveni, quanquam marmoreæ inscriptiones frequenter ejus meminerint. Quum autem aliquot tribuum nomina præter XXXV. in antiquis monumentis extare manifestum sit, ut Ocriculanæ, Cluentiæ, Cluviæ, Æliæ, Papiæ, & aliarum quarundam, quas omnes paulo post enumerabo, hanc potissimum multas ob caussas præ ceteris elegi, quæ XXXV. numerum expleret. Primo quia nulla earum veterum scriptorum auctoritatem habet. Deinde quia (quamquam nec Horatiæ nemo veterum scriptorum meminerit) ipsa a nobilissima gente nomen obtinuit, ut pleræque aliæ. Quæ nisi priscis his temporibus denominata sit, non video quanam ratione posterioribus sæculis tribus nomen obtinere potuerit, quum ea gens circa quadringentesimum ab urbe condita annum memorari desinat. Ceterarum enim extra XXXV. numerum origo aliqua ratione conjici potest, quod de Horatia dici omnino nequit, quæ omnia ex aliarum disputatione apertiora fient. Postremo, quod nullam invenerim tribum, præter Horatiam, quæ si eam in XXXV. numerum constituamus, aliquid controversiæ non patiatur. Hæc autem ex ceterarum examinatione longe facilius demonstrari poterunt. Inter omnes enim tribus, quæ XXXV. superfluunt, auctoresque non habent, sed ex lapidibus acceptæ sunt, una tantum Ocriculana, quæ & ipsa scriptorum testimonio caret, Horatiæ loco reponi posset. Sed eam inter XXI. priores nulla ratione constitui posse, quum de ea verba faciam, ostendam. De tribu porro Horatia inter multas quas vidi inscriptiones, hæ præcipuæ sunt:

C. Castellanæ.

MAMMIAE. C. F
IVSTAE
Q. TVLLIVS. Q. F
HORAT
CINCIVS. PRISCVS

Civitatis Castellanæ.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
7. LEG. XX. V. V
CORNICVLARIO. PR. PR
DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG.
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO. ET. AB
IMP. CAESARE. TRAIANO
HADRIANO. AVGVSTO. HASTA. PVRA
ET. CORONA. AVREA
AVILIA. SOTHERIS. MATER
FILIO. OPTIMO. PIENTISSIMO
L. D. D. D

Spoleti.

M. SEPTIMIO. M. F. HOR
SEPTIMIANO
EQVO. PVBL. IIII. VIR. I. D
PRAEF. FABR. ROMAE
DEC. IIII. SCAMILLAR
OPERAE. VETERES
A. SCAENA PATRONO. OB
MERITA. EIVS. L. D. D. D

Tribus XVIII. Menenia.

Menenia tribus, quæ ex hoc corrupto Josephi loco antiquitatum libro XIII. *L. Manlius L. F. Mentina*, in Mentinam se transformaverat, nunc demum vetustæ inscriptionis auxilio, quæ Feltriæ extat prope ecclesiam cathedralem, pristino splendori restituta est. Quamquam enim frequens de ea in antiquis epigrammatibus mentio esset, tamen quia nunquam, non nisi hac nota MEN. exarata fuerat; res dubia & anceps diu fuit, quum tam Mentina quam Menenia interpretari posset, Mentinamque Josephi testimonium confirmaret. Quod erratum esse, multis adducor rationibus ut credam; primum quia vox Mentina nullam habet significationem, deinde quia facilis lapsus fuit a MEN. vel etiam MENENIA in Mentinam, & præsertim in Græco scriptore, si tamen id vitium, quod vix credo, admiserit, librariique erratum non fuerit; ad hæc tribum

A MEN. quæ frequens est, pro Menenia interpretari posse ex Feltria inscriptione didicimus. quod si Menenia tribus fuit, procul dubio ob easdem rationes, quas de Horatia attuli, ex antiquis XXI. fuit, quo tempore gens Menenia, a qua tribus nomen accepit, maxime florebat, cujus postea memoria (incredibile dictu) quam cito defecit. Postremo est hic Ciceronis locus epist. familiarium libro XIII. sic scriptus: *P. Rupilius P. F. Men.* qui in vetustis codicibus modo Menenius, modo Menius legitur, nunquam Mentinus; ita ut facilis lapsus fuerit ex Menenia, Menenius. Lapides autem qui de Menenia mentionem faciunt inter plures, hi præcipui sunt:

B

Apud Feltriam læva, cum cathedralem ædem ingrederis.

C. FIRMIO. C. F
MENEN. RVFINO
EQ. PVB. LAVREN
LAV. DEC. FLAMIN
PATRONO. COLLE
GIORVM. FAB. CENT
DENDR. FELTRIAE
ITEM. QVE. BER. VENS
COLLEG. FABR. ALTI
NATIVM. PATRONO

C

Vicetiæ.

V . F
Q. IVLIVS. Q. F
MEN. CATVLLVS
IIII. VIR. MISSVS. HONES
TA. MISSIONE. EX. COH. VI
PR. SIBI. ET. COELIAE. SEVERAE
VXORI. SANCTISSIMAE. POST
OBITVM. ET. POMPEIAE. MAN
SVETAE. SOCRVI. OPTIMAE
ET. HOSTILIAE. SERENAE
CONIVGI. CARISSIMAE
H. M. H. N. S

D

Beneventi.

C. CATIO. C. F. MEN. BALBO
OPE. TREIICIAE. C. F. PVLLAE
HOS. DECVRIONES. FVNERE
PVBLICO. DE. FOROETRIO. DIALE
EFFERENDOS. ET. HIC. HVMANDOS. CENS
FVFISIAE. A. L. VIOLAE
C. CATIVS. C. F. MEN. GALLVS
PARENTIBVS. ET. VXORI

Tribus XIX. Papiria.

E Et hæc tribus a gente Papiria nomen accepit. De qua ita tradit Sex. Pompeius: *Papiria tribus a Papirio vocata.* Livius libro VIII. *Memoriamque ejus iræ Tusculanis mansisse ad patrum ætatem constat, nec quemquam ferme ex Pollia tribu candidatum Papiriam ferre solitum.* Hujus tribus inter multa vetera hæc epigrammata suggeram:

Aletri.

L. CALPVRNIO. L. F. PAPIRIA. ASELLIO
VI. VIRO. AVGVSTAL. ET. PONTIFICI. MIN
DEI. LIBRI. INVICTI
CALPVRNIA. HILARA. MARITO
OPTIMO. SANCTISSIMO
BENE. MERENTI. FECIT

F

In Sabinis.

DEO. INVIC
SERAPI. ET
SERVATORI
D. IVNIVS. D. F. PAPIRIA
VAERGVLENVS
AENEATOR. LEG. VIII
CL. GEMIN. P. FIDEL
NVMINI. TVO. VOTO
SVSCEPTO. D. D

Fulginei.

P. AELIO. P. F. PAPIR
MARCELLO. CENT
FRVM. SVB. PRINCIPE
PEREGRINOR. ADSTATO
ET. PRINCIPI. ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL

Tribus XX. Sergia.

De tribu Sergia, quæ & ipsa a gente ejusdem nominis appellationem obtinuit, Pedianus in Cornelianam ita meminit: *Sergia & Quirina damnaverunt.* Et Frontinus lib. II. de Aquæductibus. *Verba legis: T. Quinctius Crispinus cos. populum jure rogavit, populusque jure scivit in foro pro rostris ædis divi Julii populi Romani, & Juliis, tribus Sergia principium fuit, pro tribus Sex.* &c. Hujus tribus hæc vetusta saxa meminerunt.

Asisii.

C. RASINIO. C. F. SER
TETTIANO
PRAEF. FABRVM. IIII. VIR
PRAEF. COH. PRAETOR
PATRONO. MVNICIPI

Brundusii.

A. GABINIVS. A. F. SERG
PONTIANVS
MILES. LEG. XX. CANDI
DATVS. TI. CAES. AVG
RELATVS. IN. PRAET
VIX. AN. LIIX M. V
H. S. E.

Ameriæ.

DIS. MANIBVS
OCTAVIVS. IVNIVS. IVNI. F
SERGIA. FAVSTINIANVS
AMERIA
VII. VIR. EPVLON. PROCV
RATOR. OPER. PVBLIC
H. S. P. D. V

Tribus XXI. Veturia.

A gente Veturia & hæc tribus nomen vetere relicto mutuata est, ut pleræque aliæ; de qua Livius libro XXXVI. ita scribit: *Fulvius Romam comitiorum caussa accersitus, quum comitia consulibus rogandis haberet, prærogativa Veturia juniorum declaravit T. Manlium Torquatum, & T. Octacilium.* Et paulo post: *& redire in suffragium Veturiam juniorum juberet.* Et item: *Tum Veturia & auctoritate mota viri, & admirantum circa se fremitu, petiit a consule ut Veturiam seniorum citaret, velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum consules dicere. Citatis Veturiæ senioribus datum secreto in ovili cum his colloquendi tempus, seniores de tribus consulendum esse dixerunt,* &c.

Hujus quoque tribus hi lapides extant.

SEX. APVSIVS
SEX. F. VET
BAEBIVS
VOLSCIB. LATIN

Item:

C. CASSIVS. C. F. VET
MODESTINVS

Hispelli.

SEX. CALPVRNIVS
SEX. F. VETVRIA
QVINCTIANVS

Hæc porro sunt unius & viginti tribuum nomina, quas a Ser. Tullio factas fuisse existimo. De quibus libro VII. ubi de judicio Coriolani agitur, ita

ſcribit Dionyſius: *Ubi vero tulere omnes tribus ſuffragium, dinumeratis calculis non magnum diſcrimen apparuit; una enim & viginti cum eſſent tribus, quibus calculi dati ſunt, novem eum abſolverunt, ita ut ſi eis duæ aliæ tribus acceſſiſſent, ex ſuffragiorum æqua parte ex lege abſolvi poſſet.* Quoſdam vero, atque etiam me ipſum movent verba Livii lib. II. *Ap. Claudio, P. Servilio coſ. Romæ tribus una & viginti factæ.* Quod ſi eo anno, non igitur a Ser. Tullio factæ ſunt. Si autem Livii verborum rationem habere velimus (quamquam de ea re nihil apud Dionyſium reperiatur) decem, & novem tribus a Servio factas dicemus, atque hoc anno duabus additis ad unam & viginti auctas. In his autem alteram eſſe Cluſtuminam ſuſpicari ex eo poſſumus, quod quadriennio ante T. Æbutio & C. Vetuſio Coſ. Cruſtumeria capta ab eodem Livio referatur. Quæ vero altera eſſe potuerit, ne divinando quidem conſequi potui. Ceterum ego unius, & viginti tribuum inſtitutionem integram Servio tribuere malim, quam has duas hoc tempore factas affirmare. Utcumque res ſit, illud ſatis conſtat, unam, & viginti tribus hoc tempore Romæ fuiſſe: quæ omnes aut a locis in quibus erant, aut a nobiliſſimis Romanis gentibus nomina adeptæ ſunt.

A B

Tribus XXII. Stellatina.

C

Quattuordecim deinceps tribuum, quæ quinque & triginta numerum ſupplerunt, adjectio, & quæ quoque anno addita ſit, aperte ex Livio deinceps intelligemus. Anno enim poſt urbem conditam CCCLXV. *altero poſt eam a Gallis captam in civitatem accepti, qui Vejentium, Capenatiumque ac Faliſcorum per ea bella transfugerant ad Romanos, agerque iis novis civibus aſſignatus.* Ita Livius lib. VI. Et biennio poſt luſtro XVIII. Tribus quattuor ex novis civibus a Cenſoribus additæ Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arnienſis. Eæque viginti quinque numerum explevere. Hæ vero tribus non ita neceſſario (ut multi exiſtimarunt) appellatæ ſunt, quod ipſarum ager ad campum Stellatem, & Tromentum vel lacum Sabatem, aut prope Arnum eſſet, ea enim loca longe extra agrum Romanum erant, qui nunquam ad Arnum ſe extendit, ſed quod ii qui ex illis regionibus Romam venerant, atque civitate, & agris donati fuerant, illis agri Romani partibus quas ſortiti eſſent, nomina ea tribuerint, ab iis regionibus ſcilicet, unde ipſi commigraverant. Quod ita eſſe latius paulo poſt aperiam. Quum autem propter novos cives Tuſcos, hæ tribus additæ ſint, vero ſimile eſt, eas omnes in Tuſcia fuiſſe. Ex quibus prima Stellatina, non in Campania, ubi erat campus qui Stellas appellabatur, ſed in Etruria fuit; hoc enim tempore Romanorum imperium Capuam uſque non extendebatur, nec ullum inter Romanos Campanoſque fœdus adhuc interceſſerat. In Etruria ergo fuit, quod ex Sex. Pompeii fragmento liquet ſic: *Stellat...... eo, qui in Campania eſt, ſed eo qui..... pena. Ex quo Tuſci profecti...... m campum appellaverunt.* Quæ verba ſic ego reſtituerem: *Stellatina tribus dicta non eſt a campo eo qui in Campania eſt, ſed eo qui in Etruria, regione Capena, ex quo Tuſci profecti, eum Stellatem campum appellaverunt.* Hæc autem ſic reſtitui, quod in Tuſcia Capenates erant populi ad lucum Feroniæ, & inter Tuſcos populos Stellates quoque enumerentur. De hac etiam tribu multas inſcriptiones vidi, quarum præcipuæ hæ ſunt:

D E F

Urbini.

F. FLAVIO. L. F
STE. CIMBRO
PONT. AED. BIS
IIII VIR. I.D. QVINQ
PRAEF. FABR
D. D

Galeatæ.

Q. VELCENNAE
L. F. STEL
PROCVLO
DECVRIONI
MEVANIOLAE
C. C. M. M. PATRONO
HONORE. CONTENTVS
IMPENDIVM. REMISIT
ET. DEDICATIONE. STATVAE
NVMER. COLL. IPSORVM
SPORTVL. DEDIT
SINGVL. DENARIOS. BINOS
L. D. D. D

Romæ.

SOLI. INVICTO
MITHRAE
T. ANTISTIVS
T. F. STELLA
TINA. SEVE
RIANVS. DE
DICAVIT

Tribus XXIII. Tromentina.

Tromentina tribus a campo Tromento dicta. Sex. Pompeius. Is campus in Tuſcia fuit, ex quo quum aliquot Romam perfugiſſent, & civitate donati, in quattuorque tribus conjecti, agri populi Rom. partem obtinuiſſent, uni earum Tromentinæ nomen poſuerunt. Tromentum autem campum in Tuſcia eſſe incerti auctoris libro ſatis liquet. Hæc tribus cum Stellatina addita eſt anno urbis CCCLXVII. De qua hæ inſcriptiones mentionem faciunt:

Peruſii.

C. BETVO. C. F. TRO
CILONI. MINVCIANO
VALENTI. ANTONIO
CELERI. P. LIGVVIANO
AEDILI. II. VIR. CVINO
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR
VMBRIAE. XV. POPVLORVM
PATRONO. MVNICIPI
BETVRES. PECTILLA. FILIA
PATRI. PIISSIMO. L. D. D. D

Peruſii.

C. VIBIO. C. F. L. N. TRO
GALLO. PROCVLEIANO
PATRONO. PERVSINORVM
PATRONO. ET. CVRATORI. R. P. VET
TONENSIVM. IVDICI. DE. V. DEC. AEDI
LI. PATRONO. COLLEGI. CENTON
VIBIVS. VOLDVMIANVS
AVO. CARISSIMO. OB. CVIVS
DEDICATIONEM. DEDIT
DECVRIONIBVS *. II. PLEBI *. II
L. D. D. D

Tribus XXIV. Sabatina.

Sabatina tribus a lacu Sabate dicta. Ita Sex. Pompeius. Sabatis autem lacus in Tuſcia fuit, atque noſtra ætate appellatur Anguillariæ. Hæc cum duabus ſuperioribus propter novos cives addita eſt. De qua ejuſmodi extant inſcriptiones:

Apud

Apud G. Delphinium.

C. RVTILIO. C. F
SAB. HOMVN
CIONI. MANTVA
MIL. COH. VII. PR
7. VALLI. MIL
ANN. XIIII. VIX
ANN. XXXII
H. B. M. F. C

Romæ via Latina.

L. IVNIO. L. F. SABATI
NA. POLIONI. AV
ROMATARIO. AVIC
PVBL. VIX. ANN
XLVII

Tribus XXV. Arniensis.

Hæc tribus in vetustis monumentis & Arnensis, & Arniensis appellatur, quæ passim in Narniensem se transformaverat, quum Arniensem legendum sit. Dicta autem est ab Arno Tusciæ amne, cum tribus superioribus, Livio libro VI. auctore, propter novos cives anno urbis CCCLVIII. a censoribus addita. De hac tribu Cicero ita in Rullum meminit: *A Suburana usque ad Arniensem*; & Livius lib. XXIX. *C. Claudius Nero Censor ex tribu Arniense*. Idem Valerius libro II. cap. IV. tradit. Vetusta vero epigrammata sunt hæc:

Vulsiniis.

IN. ITALIA. VOLSINIENSIVM
PATRIAE. SVAE. ITEM. FERENT
ET. TIBVRTIVM. ITEM. COLON
ITALICENSIVM. IN. PROV. BAETICA
PRAET. ETRVR. XV. POPVLOR
SACERDOTI. CAENIENSIVM
M. HELVIVS. M. F. CLEMENS. ARNEN
SIS. DOMO. CARTHAGINE. PRAEF. EQ
ALAE. PRIMAE. CANNANEFATVM
PRAESIDI. SANCTISS. ET. KARISSIMO
CVRA. AGENTE. L. ACONIO. CALLISTO
TR. MIL. LEG. XIIII. GEM. SEV

Item:

C. CVRTIVS. P. F. PAL. NERVA. IIII. VIR
P. SILVIVS. P. F. ARNIEN. PAETINVS. IIII. VIR
C. RVSTIVS. C. F. QVARTVS. VEL. IIII VIR
T. FLAVIVS. T. F. ARN. SABINVS. IIII. VIR

Tabella.

M. CAESTIVS
C. F. ARN
CLEMENS

Tribus XXVI. Pomptina.

Post superiores tribus additas, ipso loco sequitur Livius. *De agro Pomptino a L. Sicinio tribuno plebis actum ad frequentiorem jam populum, mobilioremque ad cupiditatem agri, quam fuerat: cura majoris belli quod Etruria in armis erat, dilata res est*, &c. Hic ager Anxur quæ nunc Terracinæ sunt an. CCCXLVIII. Volscis ereptus fuerat. Suggerit Livius lib. VI. Anno urbis CCCLXXII. *Hostes novi præter Volscos, velut sorte quadam prope in æternum exercendo Romano militi datos, Circeosque, & Velitras colonias jam diu molientes defectionem, & suspectum Latium, Lanvini etiam, quæ fidelissima urbs fuerat, subito exorti. Id patres rati contemptu accidere, quod Veliternis civibus suis tamdiu impunita defectio esset, decreverunt ut primo quoque tempore ad populum ferretur, de bello eis indicendo, ad quam militiam, quo paratior plebs esset, quinque viros Pomptino agro dividendo, & III. viros Nepet coloniæ deducendæ crea-*

A *verunt. Propter hanc caussam, aliquot annis post C. Fabio Ambusto, & C. Plautio Proculo Cos. anno urbis* CCCXCVI. *a Censoribus M. Fabio & ..... duæ tribus additæ sunt, Pomptina, & Popilla, alias Popillia, in quas tum qui agrum Pomptinum sortiti erant, tum novi alii cives, qui in dies civitate donabantur, conjecti sunt.* Sex. enim Pompeius, *Pomptinam tribum a Pontia urbe dictam scribit, a qua & ager Pomptinus appellatus est. Hæc in Volscis erat prope Terracinas.* De hac tribu Cic. epist. IV. ad Atticum: *Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Mæciam.* & IX. epist. Fam. lib. *L. Julius L. F. Pom. Annalis.* Hæc in antiquis
B marmoribus & Pontina, & Pomptina exarata est, ita:

Præneste.

DIS. MANIBVS. S
T. FLAVIVS. T. F. PONT
SABINVS
VIX. ANN. LXVI. M. VII
D. VIII. HOR. VIII
H. S. E

Præneste.

DIS. MANIBVS
L. IVNIVS. L. F. PON
C TINA. ACVLNIVS
MIL. LEG. II. PARTH
MIL. AN. IX. VIX. ANN
XXXXVI
H. F. C

Romæ.

L. TARQVITIO
L. F. POMP
ETRVSCO
SVLPICIANO
SCRIBAE. QVAESTORIO
EX. TESTAMENTO
D DE. HS. XX

Romæ in domo Coritii.

M. LARCIVS. L. F
POMPTINA
PVDENS. VETER
T. F. I. ARBITRIO
LARCIAE. FORTVNATAE
VXORIS
H. M. H. N. S

Tribus XXVII. Popilla, alias Popillia, alias Poblilia.

In Sex. Pompeii fragmento scriptum est: *Popillia*
E *tribus ...... buum, tot enim fu ...... lici nomine a ...... Pinaria a sorori .... mine.* Paulus Pontifex ejus abreviator, *Popilla tribus* (inquit) *a progenitrice traxit vocabulum.* His animadversis in eam deveni sententiam, ut hæc tribus non a gente Popillia nomen acceperit, sed a loco, qui forte in Volscis prope Pontinam erat. Neque enim ulla XIV. harum tribuum, quæ a Livio primis XXI. additæ referuntur, a familia nomen obtinuit, neque verisimile est gentem Popilliam, quæ & plebeia fuit, & tantum hoc tempore cognita, tribui nomen dedisse. Illud adde, quod præter Papiriæ, nullius tribus Festus mentionem facit, quæ a gente derivetur, tanquam quod eorum
F nomina manifesta sint. Hæc igitur tribus Popilla & Popillia primo appellata fuit, non a gente Popillia, sed a loco nomen adepta, cujus in antiquis marmoreis monumentis ita mentionem fieri inveni POP. POPIL. PVP. PVPIL. magna enim, Quinctiliano auctore, inter O. & V. affinitas est, ut Poblicus, Publicus Pullius, & Pollius, Poblicola, & Publicula. De hac tribu ita scribit Valerius lib. IX. cap. X. *Quam ob causam Popillia tribus, in qua plurimum postea Tusculani in civitatem recepti, potuerunt, neminem unquam candidatum Polliæ tribus fecit magistratum.* Hanc tribum Livius Publiliam vocat lib. VII. sic; *Eodem*

anno duæ tribus Pomptina & Publilia additæ. Hanc proculdubio eandem cum Popillia esse existimo; nam processu temporis quum jam illud obrepsisset, ut gentes tribubus nomina darent, factum est propter litterarum affinitatem, ut Popilla vel Popillia tribus in Publiliam paulatim versa sit, nomine a familia Poblilia accepto, quæ posterioribus temporibus quamquam plebeia nobilis fuit. In antiquis enim monumentis vidi PV. PVB. PVBL. PVBLIL. Item POB. & POBL. Hæc tribus in vetustis monumentis omnium frequentissima est, ita ut aliquando paulo minus quam LX. inscriptiones, quæ ejus meminerint, observarim. Quarum quæ ad manus sunt exempla, hic suggeram:

Ferentini.

C. IVLIO. C. F. PVB. RVFO
VETERANO. COH. VI. PR
7. AQVILLII. MAXIMI
PRAETORI. AED. IIII. VIRO. I. D
MVNICIPIO. ALETRI
C. IVLIVS. C. F. RVFINVS. FRATRI
BENE. MERENTI. ET. SIBI
POSTERIS. QVE. SVIS

Romæ.

M. APICIVS
M. F. PVB
PVDENS
VERONA
MIL. COH. XII. PR
MILIT. AN. XVI
VIX. ANN. XXXIIX.
H. S. E

Anagniæ.

L. VIBIO. B. L. POB. IVSTO
FILIO. PR. Q
L. VIBIO. L. LIB. SEVERO
VI. VIRO. AVG
VIBIA.. EVROPA
FECIT

Romæ.

D. M
APOLAVSTVS. MODIAN....
PVBL. VII. VIR. EPVLON. ITEM....
APOLAVSTVS. CLAVDIAN.....
VII. VIRVM. EPVLON.....
IVSTVS. GAVIANVS. PVBL. ET..
P. VOLVSIVS...... RENATVS
VOLVSIAE. IVSTAE. MATRI

Reliqua tribus Pupilliæ, & Pobliliæ epigrammata ad manus hoc loco non sunt.

Tribus XXVIII. Mæcia.

Latinis & Campanis, qui rebellaverant, a T. Manlio consule in deditionem anno urbis CDXIV. redactis, res omnis ita a consule composita est, ut tradit libro octavo Livius: *Latini, Campanique agro mulctati. Latinus ager Privernati addito agro, & Falernus qui populi Campani fuerat, usque ad Vulturnum flumen plebi Romanæ dividitur. Extra pœnam fuere Latinorum Laurentes, Campanorumque equites, quia non desciverant. Cum Laurentibus renovari fœdus jussum. Equitibus Campanis civitas data*. Et paulo post, Anno urbis CDXVI. L. Furio & C. Mænio Cos. post Latinum bellum confectum, adjicit Livius. *Lanvinis civitas data. Aricini, Nomentani, Pedani, eodem jure quo Lanvini in civitatem accepti. Tusculanis civitas servata quam habebant. Campanis equitibus honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanis, & Formianis civitas sine suffragio data*. Et haud multo post suggerit Livius, Anno CDXXII. A. Cornelio II. & Cn. Domitio Cos. *Eodem anno census actus, novique cives censi, tribus propter eos additæ Mæcia, & Scaptia. Censores addiderunt. Q. Publilius Philo, Sp. Postumius*. Ita ut ex his Livii locis hoc scitu dignum animadvertere possumus. Dare civitatem jus populi Romani fuisse, quotiescunque illi libuisset, verum novos cives in tribum conjicere, quod erat supremum civis Romani privilegium, ut in illa vel in illa suffragium ferrent, hoc munus censorum esse, censusque & lustri tempus expectari oportere, atque ob eam caussam legimus, aliquoties censores ante quinquennii tempus creatos, ut in commentariis Fastorum animadverti. Ceterum propter novos (ut dixi) cives, Lanvinos, Aricinos, Nomentanos, & Pedanos, quibus suffragii jus diu ante datum erat, hoc anno a censoribus duæ tribus additæ sunt, Mæcia & Scaptia. Ex quibus Mæcia tribus, auctore Sex. Pompeio, a quodam castro sic appellata est. Hoc autem Mæcium fuit, quod Latinorum erat. De hac tribu ita scribit Cicero ad Atticum libro quarto: *Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Mæciam*. Et pro Plancio: *Quid Plancio cum Lemonia? Quid cum Vejentina? Quid cum Crustumina? Nam Mæciam, quæ non judicaret, sed quæ rejiceretur, esse voluisti*. Et Livius libro XXIX. *Deinde M. Livius in ærarium venit, & præter Mæciam tribum, quæ se neque condemnasset, neque condemnatum consulem aut censorem fecisset, populum Romanum omnem, quattuor & triginta tribus, ærarios reliquit*, &c. Idem tradit Valerius lib. secundo, cap. nono de censoria nota.

De tribu Mæcia inter aliquot lapides hunc collegi:

Neapoli ad S. Paulum.

C. HERBACIO. MAEC
ROMANO. DE. MAR
.... II. VIRO. AL
.... LICIO. QVAEST
CVR. SACRAE. PECVN
CVR. II. FRVM. COMPAR
SE. VIVO. FECIT
QVI. OB. PROMISS. VENAT
PHETRIS. DIVISIT. QVI
NA. MIL. NVM

Tribus XXIX. Scaptia.

Tribus Scaptia eo anno, & eam ob caussam qua Mæcia, teste Livio, addita fuit. De qua Sex. Pompeius: *Scaptia tribus a nomine urbis Scaptiæ appellatur*. Tranquillus in Augusto cap. XL. *Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis, die comitiorum singula millia nummum a se dividebat*. Duas enim tribus Augustus, & plerique alii aliquando obtinebant, alteram quam sibi nascendi sors dedisset, alteram vero vel jure adoptionis, aut in accusationis de repetundis præmium, aut emptam, ut quis majorem in distributionibus partem haberet. Ita enim legi in antiquo lapide Brixiæ.

Q. MINICIO. Q. F.
FAB. POB
MACRO

Item Augusti.

C. IVLIO. C. F
PAB. SCAPT
CAESARI
AVGVSTO

De hac tribu ejusmodi inter multas collegi inscriptiones:

Romæ.

C. AVILIVS
C. F. SCA
SEVERVS
FESVLIS

MIL. COH. III. PR
7. PAVLINI
MIL. AN. V
VIX. AN. XXV.
H. A. C.

Neapoli.

C. GISPIVS. A. F. SCAPT
SEVERVS. FLORENTIA
MIL. COH. III. PR. VIX
ANN. XLIII. MILITAVIT
ANN. XVII

Neapoli.

L. APISIVS. C. F. SCAPTIA. CAPITOLINVS
EX. TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT
MONVMEN
ARBITRATV. HEREDVM. MEORVM. ET
SIBI. ET. SVIS

Narniæ.

D. M
C. NVMISIO. C. F. SCAP
NVMMEIO
NAVILIANO
SENIORI
EQVO. ROMANO
OMNIBVS. HONORIBVS
IN. COL. NAR. PERFVNCTO
DONATO. AB. IMP. CAESAR
T. VESP. AVG. TORQ. ET
ARMILLIS. II. ET. HAS
PVR. II. ET. COR. VAL. II
C. NVMISIVS. C. F. SEMPRONIVS
DECVR. IN. COL. NAR
D. D

Tribus XXX. Oufentina.

Crescente ob novos cives, qui in dies addebantur, urbis frequentia, anno CDXXXV. L. Plautio & M. Follio cos. duæ Romæ, Livio libro octavo auctore, additæ tribus, Oufentina, & Falerina. Eas addiderunt censores L. Papirius Crassus, & C. Mænius. Quod Livius omisit. Hi enim eo anno censores relati sunt a Verrio Flacco in tabulis Capitolinis. De Oufentina tribu sic scribit Sex. Pompeius: *Oufentinæ tribus initio caussa fuit, flumen Oufens, quod est in agro Privernate inter mare, & Terracinas.* Lucretius:

Priverno Oufentina venit, fluvioque Oufente.

Postea a censoribus alii quoque diversarum civitatum eidem tribui sunt adscripti. De hac tribu ejusmodi vidi lapides:

Ponte Corvi.

C. MATIENI. C. F. OVF
OVICVLAE
ANNORVM. XXVII
PRAECO. IDEM. DISSIGNATOR
TEMPVS. VICTVRO. MIHI. LONGVM
STAMINE. PARCA
AETATIS. NOSTRAE.......

Frusinone.

A. AGNEIVS. L. F. OVF. NIGER. II. VIR
A. AGNEIVS. L. F. RVFVS.. F
A. AGNEIVS. L. F. OVF. SARDVS
A. ALLIENVS. Q. L. CHRESIMVS
AGNEIA. IOCVNDA. TESTAMENTO
SVO. FIERI. IVSSIT

Tribus XXXI. Falerina.

Falerina tribus eo anno, quo Oufentina, Livio auctore, addita est, ab agro Falerno in Campania, ut existimo, dicta; nam ea parte & Oufentina fuit. De hac tribu Josephus lib. XIII. cap. XVI. antiquitatum meminit ita: *C. Sempronius C. F. Falerina.* & hi vetusti lapides:

Albæ.

L. CORNELIVS. A. F. FAL
PVPILLVS
PRAEFECTVS. FABR
FLAMEN. QVINQVENN
PATRONVS. CASTRI. NOEVESIVM
EX. TESTAMENTO
C. IVLIVS. SP. F. PAL. CARVS
L. CORNELIVS. L. F. FAL. ALBANVS
L. CORNELIVS. ATHICTVS
L. CORNELIVS. EVTYCHVS
FECERVNT. ET. SIBI. ET. SVIS

Item:

L. MAGIO. M. F. FAL
VETERANO. LEG. X
FRETENSIS
MAGIA. Ↄ. L
PATRONO. B. M. ET. SIBI

Tribus XXXII. Aniensis.

Ob eam qua superiores caussam anno urbis CDLV. M. Fulvio, & T. Manlio Cos. Livio libro X. auctore, condito lustro a censoribus P. Sempronio Sopho, & P. Sulpicio Saverrione, tribus additæ duæ Aniensis ac Terentina. Ex his Aniensis ab Aniene amne (ut puto) dicta est; in Sabinis enim fuit. De hac tribu Cicero Ep. fam. lib. VIII. mentionem facit sic: *L. Atteius L. F. An. Capito*; & pro Plancio eandem commemorat. De qua tribu hæc vetera epigrammata collegi.

Romæ in Quirinali.

C. TERENTIVS. CC. L. ANI. EROS
ALVMINARIVS. VIVOS. SIBI. ET
CC. TERENTIS. HILARO. ET
EPAPHRODITO. PATRONIS
CAECILIAE. C. L. CHELAE. VXORI
TERENTIAE. MVSAE. LIBERTIS
CAECILIO.. C. Ↄ. L. HILARO. MVSAE
FRATRI

Sermonetæ.

DIIS. MANIBVS
M. ANTONIO. M. F. ANIENSI
MATRINIO. EVOK. AVG
VIX. ANN. XXXIIX. M. VIII
M. ANTONIVS. M. F. ANIEN
PRIMIGENIVS
MEDICVS. FACT. RVSSAT
FRATRI. SANCTISS. FEC

Tribus XXXIII. Terentina.

De tribu Terentina, quæ cum Aniensi addita est, Cicero pro Plancio meminit sic: *Quas tribus edidisti? Terentinam credo.* Et paulo post: *Prioribus comitiis Aniensem a Plotio, Terentinam a Plancio tibi esse concessam.* Et post: *Altinas præfectura, ex qua Cn. Plancius fuit ex tribu Terentina.* Idem Ep. Fam. libro VIII. *M. Oppius M. F. Terentina.* Hanc a Terento (is locus in campo Martio erat) dictam puto. De qua in his antiquis inscriptionibus mentionem ita fieri inveni:

Ad S. Germanum.

L. LVCCEIO. L. F. TER
HIBERO
II VIRO. ITER. QQ. PATRONO
SACERDOTI. SACROR. SAVADIOR
CVR. R. P. INTERAMNAT. LIRIN
EORVND. ET. PATRONO
IVDICI. SELECTO
CASSINATES. PVBL. OB. MERITA. EIVS
D. D

Item:

C. NAEVOLEIO. M. F. TER
RVFO. II. AED. Q
NAEVOLEIAE. C. F
PROCVLAE. LABEONIS

Tribus XXXIV. Velina.

Tribus Velina a lacu Velino dicta, Floro ex Livio in epitoma libri XIX. auctore, addita fuit cum Quirina, anno Urbis DXIII. A. Manlio II & Q. Lutatio Cos. Eas addiderunt censores C. Aurelius Cotta, & N. Fabius Buteo. Hæque XXXV. numerum expleverunt. De hac Cicero Epist. libro IV. ad Atticum sic scribit: *Tribus habet Pomptinam, Velinam, & Mæciam.* Idem in Bruto: *T. Annius Velina.* Et Horatius lib. I. Epist. VI.

Hic multum in Fabia valet, ille Velina.

Persius quoque Satyra V.

Libertate opus est, non hac ut quisque Velina
Publius emeruit scabiosum tesserula far.

Hæc, ut dixi, a lacu Velino potius dicta est, quam a Velia. Est enim is lacus in Sabinis, a quibus sequens quoque tribus appellata est. Velia vero urbs Lucaniæ longe ab urbe distans. De hac tribu hæc vetusta monumenta meminerunt:

Sutri.

DIIS. MANIBVS
T. VALERIO. T. F
VEL. VICTORI
DECVRIONI. SVTRI
II. VIR. I. D. ITERVM
QVINQVENNALI
CVRATORI. PECVNIAE
PVBLICAE. PONTIFICI
PATVLCIA. EXOCHE
COIVNX

Recaneti in Piceno.

C. LVCILIVS. C. F. VEL. VINDEX. MIL. COH. VI. PRAET VIXIT. ANN. XXX. MILITAVIT. ANNIS. XII. PRINCIPALIS. BENEFICIARIVS. TRIBVNI. DEINDE. OPTIO IN. CENTVRIA. HOC. TESTAMENTO. FIERI IVSSIT. HONORIS. PIETATIS. QVE. CAVSSA SIBI. ET. C. LVCILIO. SECVNDO. PATRI. ET LVCILIAE. SVAE. AVIAE. EX. HS. ∞ ∞
PRAELEGATIS

Tribus XXXV. Quirina.

Tribus Quirina, quæ eo anno quo Velina addita est, a Curensibus Sabinis videtur appellationem traxisse. Sex. Pompeius. Cice. ep. Fam. lib. VIII. *C. Septimius T. F. Quirina.* Et pro Quinctio: *L. Albius Sex. F. Quirina.* Asconius in Cornelianam: *Duæ solæ tribus, Sergia, & Quirina damnaverunt.* Josephus antiquit. libro XIV. cap. XVII. Papirii Quirinæ meminit. Antiqua vero Epigrammata sic habent:

Romæ ad S. Marcum.

C. ANTONIVS
C. F. QVI
PRISCVS. OSCA
MIL. COH. VII. PR
7. CRITONI. VERI
MIL. ANN. XV. VIX
ANN. XXXIIII
C. IVLIVS. PROCVLVS
COMMANIPVLARIS
ET. H. B. M. F. C

Romæ in hortis Juliis.

L. AEMILIVS. L. F
QVIR. REBVRRVS
MIL. COH. X. PR. 7
MARI. VIX. AN. XXV
MIL. ANN. IIII. T. P. I.

Item:

L. CAESONIVS. C. F. QVIRINA
LVCILIVS. MACER. RVFINIANVS
COS. FRATER. ARVALIS. PRAEF
VRBI. ELECTVS. AD. COGNOSCENDAS
VICE. CAESARIS. COGNITIONES
& cetera.

Velina & Quirina tribus XXXV. numerum explevere. Post quas is numerus amplius mutatus non est, usque ad bellum Marsicum, in quo quum Tuscis, Umbris, Gallis, & reliquis Cispadanis populis lege Julia civitas data esset, octo novæ tribus, ut Paterculus, vel decem, ut Appianus tradit, in quas novi cives conjicerentur, a censoribus P. Licinio Crasso, & L. Julio Cæsare additæ sunt, anno urbis DCLXV. Cn. Pompeio Strabone, & M. Porcio Catone Cos. In easdem bello Marsico confecto reliqui Italici civitate donati, præter Lucanos, & Samnites relati sunt. Quamquam & hi paulo post eandem sunt consequuti. Atque XLIII. vel XLV. tribuum numerus factus fuerat, qui quum annos prope quattuor mansisset, postremo novis civibus in XXXV. tribus a censoribus L. Marcio Philippo, & M. Perperna, auctore L. Cinna consule distributis, denuo XXXV. numerus restitutus est. Qui idem Ciceronis tempore, ut ex ejus orationibus in Rullum, in Verrem, in Antonium, & aliis locis liquet, fuit. Triginta quinque tribuum etiam extat mentio in duabus Trajani imp. inscriptionibus eodem argumento exaratis, ita:

IMP. CAESARI
DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIANO
AVG. GERMANICO
DACICO. PONTIFICI
MAXIMO. TRIBVNIC
POT. VII. IMP. IIII. COS. V
P. P
TRIBVS. XXXV
QVOD. LIBERALITATE
OPTIMI. PRINCIPIS
COMMODA. EARVM. ETIAM
LOCORVM. ADIECTIONE
AMPLIATA. SINT

Hæ itaque sunt XXXV. tribus, in quas universus populus Romanus dispartitus erat, quarum aliquam, ut ait Asconius, necesse erat ut cujuscunque esset ordinis civis Romanus obtineret. Qui enim pleno jure cives Romani erant, id est, cum jure suffragii, quod erat supremum civis Romani jus, is in una harum XXXV. tribuum ut esset necesse erat; quam si antiquus civis, hereditate; si novus, a populo civitate donatus, a censoribus obtinebat, in qua suffragium ferret. Ex quib. quattuor, ut dixi, Urbanæ, in quas transferri ignominiæ esset, reliquæ omnes rusticæ laudatissimæ eorum qui rura haberent, quæ propriæ ingenuorum erant, quum

Urbanæ forensis turbæ, ut proletariorum, capite censorum, & libertinorum essent, ut auctores sunt Cicero I. de Oratore, Valerius, Asconius, Plinius, & Florus.

CAP. LI.

De iis, quæ superfluunt, tribuum nominibus.

MULTARUM tribuum nomina, quæ in vetustis epigrammatibus, & forte apud antiquos auctores, præter XXXV. reperiuntur, multam & magnam dubitandi occasionem attulerunt. Nam præter relatas in antiquis inscriptionibus, Camillæ, Cluentiæ, Cluviæ, Dumiæ, Minuciæ, Ocriculanæ, Papiæ, Vot... Cestiæ, Taur... Juliæ, Flaviæ, Ulpiæ, Æliæ, apud Livium Sapiniæ, & Festum Pinariæ mentionem quoque fieri inveni. De quibus quid existimem probabiliter disputaturus, nihil enim certi quod afferam habeo, primum rationem reddam, cur nullam earum in XXXV. numerum collocarim, deinde quanam ratione constitutæ esse potuerint. Etenim in XXXV. primis tribubus digerendis illud præcipue observavi, ut eas tribus in earum numerum collocarem, quæ tam veterum auctorum, quam lapidum testimonia haberent. Quod etiam in omnibus præter unam tantum Horatiam præstiti; nam & auctores, & lapides, quibus earum numerum confirmarem, citavi. Horatiam autem potius, quæ una ex his est, quæ scriptorum testimoniis caret, quam ullam aliarum paulo ante recitatarum tribuum interserui, tum ob eas quas dixi rationes, quum de ea disputavi, tum quod nullæ etiam harum testimonium ullum antiquum habeant, præter unam Ocriculanam, quæ una tantum sine controversia, quando Horatia delenda esset e numero XXXV. ejus locum obtinere posset, tum quod multos lapides etiam ipsa habeat, tum quod, quanquam mendose, de ea M. Cicero in orat.II. in Rullum mentionem faciat sic: *Ab Ocriculana ad Arniensem*. Nam in antiquis scriptis codicibus *Usurana* legitur, ut sit *Suburana*; deinde si *Ocriculanam*, & non *Suburanam* legere voluerimus, Ciceronis sententiam labefactabimus, qui illarum duarum tribuum enumeratione universas tribus comprehendere voluit a prima ad novissimam, a Suburana scilicet, quæ inter urbanas prima est, ad novissimam Arniensem: quomodo novissimam? non quidem ratione temporis, nam XXV. fuit, sed loci, omnium enim remotissima ab urbe erat. Quæ quum ita sint, relinquitur, ut Ciceronis locus corruptus sit, & pro *Ocriculana Suburana* legendum. Est & alius Ciceronis locus in oratione pro Q. Roscio, ita: *Q. Luscius Ocrea senator*; in quo cognomen id *Ocrea Ocric.* id est, *Ocriculana*, pro tribu interpretari posset: sed quum res & obscura & incerta sit, visum est potius Horatiam, quam Ocriculanam tribum in XXXV. numerum referre, præsertim quum si Ocriculana una ex XXXV. tribubus esset, (hoc autem maxime me argumentum movit) ut ex XXI. his, quas Ser. Tullius fecit fuisset, necesse est, præsertim quum XIV. sequentium numerus manifestus sit. Ceterum nulla ratione fieri potest, ut ex primis XXI. tribubus sit, quum hæ omnes ab agri Romani locis a Servio denominatæ fuerint: Ocriculum autem, a quo hanc tribum dictam fuisse crediderim, longe ab agro Romano situm erat. Quod si quispiam eam non ab oppido Ocriculo, sed ab ocriculis, id est, montibus appellatam assereret, ut Collina a collibus, una quidem ex XXI. esse posset; verum quum evidentiora argumenta non habeam, Horatiam excludere Ocriculanæ caussa nolui, quandoquidem si Horatia tribus fuit, ut omnino fuisse credo, non nisi iis temporibus addita esse potuerit, quum CD. anno post urbem conditam ea gens, quæ sub regibus, & post reges exactos primis reip. temporibus quam maxime in urbe floruit, vix amplius ab historicis nominetur.

Tribus extra numerum Ocriculana.

Quid ergo eam esse dicemus? Ego igitur eam quidem unam ex XXXV. tribubus procul dubio fuisse existimo, sed quænam ex supra relatis fuerit incertum. Quandoquidem unam tribum plura nomina habere potuisse, immo habuisse satis demonstraverim. Una enim ex antiquis Ser. Tullii tribubus, sive a gente, sive a loco appellata fuerit, esse potuit, in quam Ocriculani in civitatem recepti, a censoribus relati fuerint. A quibus ea tribus vel antiquo nomine mutato novum Ocriculanæ assumpserit, vel utraque simul retinuerit. Nam eam tribum fuisse, in dubium venire non potest, cum pleraque saxa vetusta viderim, quæ ejus mentionem faciebant sic: OCR. OCRIC. ex quibus hæc ad manum nunc sunt:

Morlupi.

V. VITELIVS. A. F. OCR
CRESCENTIVS. II. VIR. CAP
Q. VALERIVS. Q. F. OCR
PACATVS. II. VIR. CAP
CVM. CONS. RESTITVE
RVNT

Via Flaminia.

GENIO
IOVI. STYGIO. SANCTO
SACRVM
SEX. POMPEIVS. SEX. FIL
OCRIC. CIVICA
MIL. COH. VIII. PRAET

Tribus extra numerum Pinaria.

Hæc si tribus fuit (ejus enim tanquam tribus meminit Sex. Pompeius sic: *Popillia tr..... buum, tot enim fu..... lici nomine a...... Pinaria a sorori...... mine.*) proculdubio una ex XXI. a Ser. Tullio factis fuit; puta Clustumina, Lemonia, Pupinia, aut Vejentina. Cui gens Pinaria patricia majorum gentium, & urbe vetustior nomen suum novum imposuit, ut de Æmilia, Fabia, Cornelia, & Papiria factum fuisse scripsi. Sed hanc tribum merito illud suspectam facit, quod saxorum prorsus eget testimonio.

Tribus extra numerum Sappinia.

Hujus quoque tribus nullum unquam epigramma vidi, neque qui vidisset agnovi, quamobrem dubium esse potest an Romana fuerit, quamquam de ea diserte bis, terve Liv. in libris de bello Macedonico mentionem faciat, ut lib. tricesimo primo sic: *Eodem tempore P. Ælius Consul C. Oppium præfectum socium, hac tumultuaria manu per Umbriam, quam tribum Sappiniam vocant, agrum Bojorum invadere jussit.* Et lib. XXXIII. *Sub hæc tam varia fortuna gesta, L. Furius Purpureo alter consul per tribum Sappiniam in Bojos venit.* & cetera.

Reliquæ Tribus incertæ.

Reliquarum novem vel decem tribuum nomina, si modo vel tribus fuerint, vel error fabrilis non sit (omnium enim in vetustis marmoreis inscriptionibus mentionem extare didici) diu multumque me torserunt. Ut Camilla, Cluentia, Cluvia, Dumia, Minucia, Papia, Vot.... Cestia, & Taur.... nam etsi facile concederem quasdam ex iis errore fabrili ortas esse potuisse, ut MIN. pro MEN. VOT. pro VET.

vel VOLT. & ſimiles, id tamen de omnibus dici nulla ratione poſſe exiſtimo, & præſertim Papiæ, cujus ſupra XII. inſcriptiones extare vidi ſic exaratas: PAP. PAPIA. Cluentiam quoque & Cluviam ex Cluſtumina errore fabrili ortas exiſtimaſſem, niſi eas integras ſic, CLVENTIA, & CLVVIA exaratas fuiſſe inſpexiſſem. Cujus rei occaſione CAM. Camillam, DVM. Dumiam, MIN. Minuciam, CES. Ceſtiam, quæ conciſæ in lapidibus ſcalptæ erant, interpretatus ſum. VOT. enim & TAVR. ſi tribuum nomina fuere, interpretari me neſcire fateor, niſi Votivam & Tauriam dicamus. quod ſi error fabrilis fuit, & VOT. pro VET. vel Voturiam pro Veturia interpretari voluerimus, quo modo Voturios pro Veturios dictos apud Soſipatrum legimus, non erit, quod in ejus alia interpretatione laboremus. Porro autem quum quaſdam ex his tribubus omnino fuiſſe mihi perſuaſiſſem, & in his Cluentiam, Cluviam, & Papiam, ſuſpicatus ſum hæc nomina aliquot earum octo, vel decem tribuum fuiſſe, quæ bello Marſico, quum Italis civitas data eſt, a Licinio & Julio cenſoribus additæ ſunt. Quod ut exiſtimarem duabus potiſſimum rationibus adductus ſum. Primum, quod eas aliquas ex antiquis XXXV. tribubus eſſe non poſſe ſemper exiſtimarim. Non enim veriſimile videtur, ut antiquis illarum nominibus mutatis, Cluviæ, Papiæ, & Cluentiæ, quæ familiarum plebeiarum & novarum nomina ſunt, aſſumpſerint. Deinde quia animadverterim ab Appiano lib.I. de bello civili, inter præcipuos duces Italicos, qui contra populum Rom. bello Marſico arma ſumpſerunt, Papium Mutilum, & L. Cluentium nominari. Quæ familiæ poſtea in civitatem receptæ nobiles evaſerunt, ſummoſque honores Romæ adeptæ ſunt, ut præturam & conſulatum. In Faſtis enim conſularibus Papii Mutili mentio eſt. Cluvia quoque eſt oppidi in Samnio nomen, a quo quando cum ceteris Italicis populis Samnites civitate donati ſunt, tribus Cluvia facile appellari potuit. Quod de his tribus dixi, idem de Camilla, aut Camillia, Dumia, Minucia, Ceſtia, Taur.... & Vot...... Si Veturiam interpretari voluerimus, & forte Ælia ſuſpicari poterit. Nam Juliam, Flaviam, & Ulpiam, in Auguſti, Veſpaſiani, & Trajani memoriam additas, vel ex veteribus ita appellatas fuiſſe, ex Dione libro XLIV. intelligi poteſt. Nec me movet, quod, novis civibus ex illis octo aut decem detractis, in XXXV. poſtea tribus diſtributi ſint, atque tempore M. Tullii tantum XXXV. nominentur. Nam poſteaquam cives ex iis excepti ſunt, republica ſtante eas nihil fuiſſe exiſtimo, verum poſt Auguſti tempora, quum integris provinciis extra Italiam etiam civitas dari cœpiſſet, eas ſub iiſdem, quibus inſtitutæ fuerant, nominibus ab aliquo imperatore reſtitutas fuiſſe puto, atque ad XLIII. vel XLV. numerum iterum auctas. Quæ nihilominus ob antiqui numeri religionem ſemper XXXV. appellatæ fuerunt, quamquam XLIII. aut XLV. eſſent, ut centuriis & tribubus Romuli ſub rege Tarquinio Priſco, centumviris, qui centum quinque, Sex. Pompeio, & quindecim viris ſacris faciundis, qui LX. Servio auctoribus, fuerunt, accidit. Nec ulla difficultas fuit, quæ novas tribus addere ſub imperatoribus prohiberet, præſertim quum cives Romani in eas non diſtribuerentur amplius, ut ſuffragium ferrent, vel aliquid comitiis agerent, quæ omnia in principis unius poteſtate erant, ſed tantum in eas tribus civitate donati referebantur, ut id ſignum quoddam eſſet, eos eſſe cives Romanos, omnibuſque privilegiis potiri poſſe, quæ libertate oppreſſa ſub Cæſarum imperio cives Romani potiri ex legibus conſueverant. De quibus alio loco diſputabo.

De VIII. alias decem, Tribubus bello ſociali additis.

Anno ab urbe cond. DCLXIV. L. Julio Cæſare, & P. Rutilio Lupo coſ. bello Marſico maxime vigente, (omnis enim Italia auctoribus Picentibus, Tuſcis, Umbris, & Gallis exceptis, arma contra Romanos ob non adeptum jus civitatis aſſumpſerat) *quum iidem Tuſci, Umbri, ob eandem cauſſam defectionem molirentur, veritus ſenatus, ne hoſtibus omni ex parte orientibus, urbem minus tueri poſſet, mare omne a Cumis ad urbem uſque libertis communivit, eis tunc primum ad militiam ob virorum inopiam accitis. Italos vero omnes adhuc in fide permanentes, (lege ab altero conſulum, quæ Julia appellata (quod maxime exoptabant, civitate donavit, inter quos Tuſci, Umbri, & Galli fuere. Hac igitur liberalitate uſus ſenatus, ex amicis longe amiciores fecit, & qui dubii erant, in fide confirmavit. Novos vero hos cives Romani haud ſtatim eorum tribubus, quæ XXXV. numero fuere, miſcuerunt, verum decem alias tribus addidere, in quibus ipſi ſuffragium noviſſimi ferrent, & plerunque eorum ſuffragium nullius fere erat momenti, quum quinque & triginta in primis vocarentur, quæ ſupra dimidium reliquas excederent, quod a principio efflagitantibus Italis eos latuit. Quum vero res cognita fuiſſet, alterius ſeditionis occaſionem præbuit*; ut auctor eſt Appianus lib.I. Bell. Civ. Et paulo poſt: *Et hæc quidem per Italiam ſociali bello geſta ſunt, quod quum in majus augeretur, Italia omni civitate donata, Lucanis & Samnitibus eo tempore exceptis, quievit*. Nam & hi eandem paulo poſt aſſequuti ſunt, & inter tribus quemadmodum ſuperiores ſeparatim lecti, ne ſi antiquis civibus miſcerentur, eos in comitiis ſuperarent, quum eſſent numero longe plures. Hoc eſt quod ex Livio ſcribit Florus in Epitoma libri LXXX. *Italicis populis a ſenatu civitas data*. Et libro XXCIV. *Novis civibus ex S. C. ſuffragium datum*. Paterculus autem lib.II. hanc rem aliter tradere videtur; non enim novas tribus additas fuiſſe ſcribit, ſed octo ex veteribus acceptas, in quibus Italici ſuffragium ferrent. Ait enim: *Non erat Mario & Sulpicio Cinna temperatior. Itaque quum ita civitas Italiæ data eſſet, ut in octo tribus contribuerentur novi cives, ne potentia eorum, & multitudo veterum civium dignitatem frangeret, pluſque poſſent recepti in beneficium, quam auctores beneficii, Cinna in omnibus tribubus ſe eos diſtributurum pollicitus eſt, quo nomine ingentem totius Italiæ frequentiam in urbem acciverat, e qua pulſus collegæ optimatiumque viribus, quum in Campaniam tenderet, conſulatus ei abrogatus eſt, ſuffectuſque in ejus locum L. Cornelius Merula flamen Dialis*. Ita Velleius. Appiani autem ſententiam magis ut approbem duo faciunt; primum eſt antiquorum exemplum, qui propter novos cives, novas etiam tribus addere ſolebant; nunc enim tota Italia civitate donata, veriſimile etiam viſum eſt, ut eas decem tribus adderent. Alterum eſt octo, aut decem tribuum, quas mox referam, nomina, quæ proculdubio veræ tribus aliquando, & non ex XXXV. numero fuerunt. Hoc quidem anno a cenſoribus Julio & Licinio propter novos cives additæ, & quadriennio poſt a Marcio & Perperna cenſoribus, quum in XXXV. tribus Italici omnes diſtributi eſſent, diſſolutæ, & poſtremo poſt Auguſti tempora, quum integris extra Italiam provinciis civitas dari cœpiſſet, & forte a Claudio imperatore in cenſura quam cum L. Vitellio anno urbis DCCC. geſſit, denuo additæ, quod innuere videtur hæc inſcriptio cujuſdam ab ipſo civitate donati:

TI. CLAVDIVS. TI. F
CAMIL
SOTERICVS

Porro autem inter ipſas novas tribus has fuiſſe exiſtimo:

Tribus Camillia, alias Camilla. A

Hujus tribus mentionem fieri in quinque antiquis inſcriptionibus animadverti ſic: CAM. CAMIL Quarum aliquot ſunt in libro epigrammatum antiquæ urbis exaratæ ita:

L. VICIDIVS. L. F
CAM. PRAESENS

Item:
Q. MANLIVS. Q. F. CAM
SEVERVS
ALBA. POMPEIA B

Item:
M. VADIVS. M. F
CAM. ASPRENAS

Item:
L. LVCCEIO. C. F
CAMIL. APRILI
AVG. BAD

Item:
TI. CLAVDIO. TI. F
CAMIL
SOTERICO C

Ceterum verbum CAMIL. pro Camilla, Camilia & Camillina interpretari poteſt. Cauſa autem, cur neque hujus, neque novem ſequentium nemo meminit, eſt, quod paulo poſtquam inſtitutæ ſunt, fractæ fuerunt; poſt Claudii vero imperatoris tempora haud multos integros hiſtoricos habeamus.

Hoc epigramma Mutinæ in vetuſto ſaxo exaratum:

P. VETTIO. P. F. CAM
SABINO. EQ. P
IIII. VIR. AED. POT D
ET. MAG. MAN. RAVEN
CORNELIA. MAXIMINA
MARITO. INCOMPARAB
ET. SIBI. VIVA. POSVIT

Tribus Ceſtia.

Tribum CES. quam in aliquot lapidibus ſe vidiſſe vir fide dignus mihi retulit, pro Ceſtia ego interpretor, gente poſt legem Juliam Romæ nobili, & conſulari: C. Ceſtii enim conſulis ſub Tiberio Cæſare cum Cn. Servilio mentio eſt apud Tacitum, & in faſtis conſularibus, ejuſdemque ut puto VII. viri epulonum in vetuſta pyramide prope portam Oſtienſem E ſic:

C. CESTIVS. L. F. POB. EPVLO
PR. TR. PL. VII. VIR. EPVLONVM

Tribus Cluentia.

L. Cluentii bello Italico contra Romanos ducis Appianus meminit. Gentem etiam Cluentiam Romæ nobilem Auguſti tempore fuiſſe, eamque a Troianis & Cloantho comite Æneæ deſcendiſſe, tradidit Virgil. lib.v. ſic:

.....*genus unde tibi Romane Cluenti.* F

Ab hac facile fieri poſſet, ut tribus Cluentia nomen obtinuerit, de qua mentio eſt in hac vetuſta Sublacenſi inſcriptione:

DIS. MANIBVS
SEX. IVNIVS. SEX. F. CLVENT
FRONTINVS
VET. LEG. I. ITAL. VOLVNT
VIX. ANN. LXIIX. M. IIX
H. S. E

Tribus Cluvia.

Hæc tribus a Cluvia Samnitium urbe, de qua meminit Livius, nomen obtinere potuit, in qua Samnites in civitatem recepti, conjecti fuerint; de ea enim mentionem fieri animadverti in vetuſto hoc Prænestino epigrammate:

DIS. MANIBVS
D. ANTISTIVS. D. F. CLVVIA
AETERIVS
MIL. COH. V. PRAET. 7. AELI
ASPRI. VIX. ANN. XXXXII
M. IIX. D. XXII.
T. F. I
IN. FRON. PEDES. XXIIII
IN. AGRO. PEDES. XXIIII

Tribus Dumia.

Tribum, quæ in tribus vetuſtis lapidibus DVM. notatur, ego Dumiam interpretor, de qua præterea nihil, quod afferam, habeo.

Romæ.

Q. FLAVIVS. DVM. Q. L. HILARVS
FECIT. MONVMENTVM. SIBI. ET
Q. FLAVIO. HERMEROTI. FRATRI. ET
Q. FLAVIO. GAMO. COGNATO. ET. SVIS
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
QVOS. MANVMISI. ET. QVOS. MANV
MISERO
POSTERIS. QVE. EORVM

Via Caſſia.

CLAVDIAE. VENERIAE
A. GELLIVS. A. F. DVM
SECVNDVS
BONONIA
FECIT. ET. SIBI
IN. F. P. VI. IN. AGR. P. IX

Fani.

Q. PERCERNIVS
Q. F. DVM
MASCVLINVS

Tribus Minucia.

Minuciam gentem Romæ nobiliſſimam & vetuſtiſſimam fuiſſe ſatis conſtat. Hæc quum priſcis temporibus a patribus ad plebem tranſiſſet, paulo ante bellum Marſicum adhuc florebat, quo tempore duos conſulares, & alterum ex iis triumphalem Minucios habuit. Ab hac gente haud abſurdum eſſet tribum Minuciam derivatam eſſe dicere, de qua in antiquo hoc lapide mentio eſt ita:

Præneſtæ.

A. MVNIO. A. F
MIN. EVARISTO
SPL. EQ. R. PAT. COL
OMNIBVS. HONOR
NITIDE. FVNCTO. OB
INSIGNEM. EIVS. EDITIONEM
MVNERIS. BIDVI. POPVLO
POSTVLANTE. BIGAM
PLACVIT. EQVEST. STATVA
DECRETO. ORDINIS. EVM
ORNARI
L. D. D. D

Tribus Papia.

Frequentiſſima mentio eſt hujus tribus in vetuſtis marmoreis monumentis; ita ut hæc una fidem reliquis facere queat, plures quam XXXV. tribus fuiſſe.

A Hæc forte a gente Papia dicta est Italicarum nobilissima. Nam inter primos belli socialis duces a Paterculo, & Appiano Papius Mutilus refertur, cujus gens postea in civitatem accepta consularis fuit. Papiorum enim Mutili & Secundini consulum sub Augusto in fastis mentio est. Item legis Papiæ & Poppææ, T. quoque Annius Milo oratione Ciceronis celebratus e gente Papia fuit. A qua proculdubio hæc tribus nomen accepit, de qua hi lapides meminerunt:

Sutrii.

M. ANTEIO
B M. F. PAP. RESTI
TVTO. PR. IVV
AEDILI. AVGVRI
CVR. R. P. DECVR
AVGVST. ET. POP
AERE. CONLATO

Romæ in domo Lælii Lalli.

Q. CAECILIVS. Q. L. PAPIA
SIBI. ET. LIBERTIS. ET. LIBERTABVS. QVI
SVNT. COMMVNES. CVM
CAECILIA. Q. L. DIONYSIA. ET. POSTERIS
LIBERTORVM. ET. LIBERTARVM. EORVM
C CAECILIA. Q. L. DIONYSIA
SIBI. ET. LIBERTIS. ET. LIBERTABVS. QVI
SVNT. COMMVNES. COM. Q. CAECILIO
Q. L. PAPIA. ET. POSTERIS. LIBERTORVM
ET. LIBERTARVM. EORVM

Neapoli.

C. MARCIVS. C. F
PAPIA
SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
ET. LIBERTAE
HOC. MONVMENTVM
SIVE. SEPVLCHRVM. EST
D H . N . S

Tribus Taur....

Tribum Taur. neque ego unquam vidi, neque qua ratione interpretari possit, nisi Tauria dicamus, scio. Vir tamen doctus, & fide plenus se hanc in antiquis tabulis marmoreis vidisse pro certo affirmavit.

Tribus Vot....

Hujus tribus in duabus omni ex parte absolutis elegantissimisque inscriptionibus mentionem extare vidi ita:

E *Romæ apud G. Delphinium.*

L. NEVIVS. L. F. VOT
POLLIO
L. NEVIO. L. L
DIOMEDI

Romæ ad S. Mariam in via lata.

CN. SERGIO. CN. F. VOT
PRISCO. FILIO. SVO
PRAETORI
SACRIS. VOLCANI. EX. DD
AEDILI. ADLECTO

F *Placentiæ in æde D. Paulli.*

V . F
L. BETVCIVS. L. F
VOT. TENAX
L. BETVCIO. L. F
RVFO. PATRI
CINTVLLIAE. L. F
MAXIMAE. MATRI
C. BETVCIO. L. F
SALVIO. PATRVO
L. BETVCIO. L. F
AVO

Hæc autem (si error fabrilis est, quod minime existimo) tam pro Veturia, quam pro Voltinia interpretari possunt. Quamquam apud Sosipatrum Voturios pro Veturios aliquando dictum legimus. Ita ut Veturia dicendum sit. Quod si neque error fabrilis sit, neque Veturia legendum, quid plane dici possit ignoro, nisi Votiva vel Votinia interpretemur, quorum neutrum tamen placet.

Tribus Ælia.

Postremam omnium Æliam tribum, quæ decem numerum expleret, suggessi, quod parum compertum habeam, an a gente antiqua Ælia nobili, quamquam plebeia, an ab Hadriano Imperatore, qui ex gente Ælia fuit, dicta sit, quemadmodum Julia, Flavia, & Ulpia, quæ ab Augusto, Vespasiano, & Trajano nomen adeptæ sunt. Hujus tribus lapidem nullum adhuc vidi, sed se vidisse vir quidam doctus, & cui facile credo, mihi retulit. Hæc autem si omnia tribuum nomina sunt a XXXV. diversa, facile ipsarum decem tribuum bello Marsico additarum esse potuerunt. De quibus præterea quid afferam non habeo.

Tribus Julia.

Tribum Juliam scribit Dio libro XLIV. in Augusti honorem a senatu appellatam fuisse, unam ex veteribus, non de novo additam. Quæ autem ea fuerit incertum. De hac tribu duas inscriptiones extare vidi ita:

Fani.

Q. TITIENVS. Q. F
IVLIA. QVADRATVS

Inter Ariciam & Bovillas.

DIS. MANIBVS
Q. IVNIVS. Q. F. IVLIA
VALENS
MIL. LEG. V. ALAVD
VIX. ANN. XLIIX
D. XX. H. IIX. VIVVS
FECIT. SIBI. ET. SVIS
IN. FR. P. I ĪĪĪ I. IN. A. P. IĪĪ

Tribus Flavia.

Et hæc tribus aut a Vespasiano, aut ab altero filiorum Tito vel Domitiano nominata fuit; quandoquidem hi ex gente Flavia fuerunt. De qua tribu hanc vidi inscriptionem Romæ.

C. VALERIVS. C. F
FLAVIA. SPECTATVS
SISICIA. MIL. COH.
VIII. PR. 7. VOCONI
MIL. ANN. VI. VIX
ANN. XXIIII. H. F. C

Tribus Ulpia.

Hæc in Trajani Imper. memoriam denominata est, de qua antiquum epigramma ego aliquando vidi, quod modo ad manus non est. Atque hæc sunt omnium tribuum nomina, quæ ego unquam extare in antiquis tam librorum quam lapidum monumentis didici. Quas ego hac ratione digessi, atque de iis ita disputavi, ut probabiliter potius, & disputandi more disseruerim, quam sic omnino fuisse mihi persuadeam. Quæ ego attuli, harum rerum studiosi accurate examinabunt: si quod mihi proposui, consequutum me esse existimabunt, non parum mihi in lucro tulisse videbor; sin autem, liberum erit cuique, quæ de rebus adeo nostra ætate, & forte antiquorum etiam obscuris tractavi, ad suam ipsorum

rum ſententiam, dum meliora & certiora afferant, omnino revolvere, & ea diſtinctiora & illuſtriora reddere; quod enim potui præſtiti, neque quidquam laboris, quo omnia clariſſima facerem, reliqui.

A tribubus comitia tributa fiunt, quemadmodum a curiis curiata, & centuriis centuriata. Ea erant, auctore Gellio, quum ex regionibus, & locis, id eſt, per tribus ſuffragium ferebatur. Erant enim tribus populi Romani partes diſtinctæ, locis in urbe diverſis, & regionibus undique circum urbem per Italiam diſperſis. Ceterum de comitiis curiatis haud multo poſt, quum ad eorum primam inſtitutionem deveniam, diſputabo. Atque hactenus de tribubus Romanis.

CAP. LII.

De Cenſu primo, & luſtro inſtituto.

POſt diſputationem de tribubus, quæ de cenſu pollicitus ſum, nunc exponere rei ipſius ordo requirit. Ser. itaque Tullius rex, poſt urbanas ruſticaſque tribus inſtitutas, Tuſcorum exercitu fuſo, *Romam* (ut inquit Livius) *reverſus, longe maximum pacis opus aggreſſus eſt: ut quemadmodum Numa divini auctor juris fuiſſet, ita Servium conditorem omnis in civitate diſcriminis, ordinumque, quibus inter gradus dignitatis fortunæque aliquid interlucet, poſteri fama ferrent. Cenſum enim inſtituit rem ſaluberrimam tanto futuro imperio, ex quo belli paciſque munia non viritim, ut ante, ſed pro habitu pecuniarum fierent: nam claſſes, centuriaſque, & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit, vel paci decorum, vel bello*. Tum igitur cives omnes bona ſua æſtimare rex juſſit, atque eorum æſtimationem jurejurando obſtrictos ad ſe deferre; præterea patrem, nomina, & ætatem uxorum, liberorum, libertorum, ſervorumque profiteri, quaque urbis in regione, aut quo ſuburbii pago habitarent, indicare; qui ſecus feciſſet, bona ejus publicari, ipſum verberatum venire, & civitatem amittere voluit. Ex iis autem verbis, quæ Dionyſii ſunt, colligimus: Cives Romanos, non ubi ad ætatem ferendis armis idoneam, hoc eſt ad annos XVII. pervenerant, ut quidam exiſtimarunt, ſed a quo primum die nati erant, cenſos fuiſſe. Quo in loco Dionyſius ipſe libertinos quoque, & ſervos una cum ingenuis fuiſſe cenſos ſignificat. Quum autem, ut ex eodem liquet, ruſtici Romani cenſi fuiſſent, non eſt dubium, quin, poſteaquam communicari civitas cœpta eſt, municipia & coloniæ in cenſum recepta fuerint. De municipiis autem ita ſcribit Pedianus: *Convenerat ex municipiis cujuſcunque modi multitudo, aut propter comitia ſuffragiorum cauſa, aut ludorum, aut ut cenſerentur*. Idem quoque ſignificant verba Ciceronis in oratione pro Cluentio, quum ſcribit: *Tabulas publicas Larini cenſorias corrupiſſe, decuriones univerſi judicarunt*. Certe enim de tabulis iis intelligit, in quas Cenſores, quum civium Romanorum cenſum agerent, municipum nomina retulerant. Coloni vero bello Punico ſecundo cenſeri cœpti. Ita enim ſcribit Livius libro XXIX. *Duodecim coloniarum, quod nunquam ante a factum erat, deferentibus cenſoribus, cenſum acceperunt: ut quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis monumenta extarent*. Orbos autem & orbas, itemque viduas cenſu excluſas aliquando fuiſſe refert Livius. Libro enim III. *Q. Fabio* (inquit) T. *Quinctio coſ. cenſa ſunt civium capita* CXXIII ∞ CCXIV. *præter orbos, orbaſque*. Et libro LIX. ait: *Cenſa civium capita* CCCLXIII ∞ DXIII. *præter orbos & viduas*. Nulla igitur (his exceptis) hominum conditio cenſu a Ser. Tullio excluſa fuit, ut ex Dionyſio ſatis conſtat. Qui profeſſione perfecta tabulas perlegit, quibus & civium numerum, & uniuſcujuſque opes cognovit. Prout autem varius erat cujuſque cenſus, ita etiam ſex deſcripſit civium claſſes, quæ in centurias diſpartitæ erant; ita ut in primam ditiſſimum quemque, in ſextam tenuiſſimum conjiceret. Ex his enim, quorum maximus erat cenſus, id eſt, qui centum millia æris eove amplius poſſiderent, primam claſſem fecit octuaginta centuriarum, quadraginta quidem ſeniorum, & totidem juniorum. Erant autem ſeniores poſt annum ætatis XLV. juniores autem a XVII. ad XLV. ſeniores ad urbis cuſtodiam ut præſto eſſent, juvenes ut foris bella gererent. Arma his imperata, galea, clypeus, ocreæ, lorica, omnia ex ære, hæc ut tegumenta corporis eſſent, tela in hoſtem, haſtaque, & gladius. Additæ huic claſſi, ut Livius ſcribit: duæ fabrum centuriæ, quæ ſine armis ſtipendia facerent, datum munus ut machinas in bello ferrent. Has duas centurias non primæ, ſed ſecundæ claſſi adjectas fuiſſe prodit Dionyſius, earumque unam centurias ſeniorum, alteram vero juniorum ſequi juſſas. Secunda claſſis intra centum, uſque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſum viginti centuriarum inſtituta, decem ſeniorum, & decem juniorum, his arma imperata, ſcutum pro clypeo, & præter loricam omnia eadem. Tertiæ claſſis quinquaginta millium cenſum eſſe voluit, viginti quoque centuriarum, ex quibus decem juniorum, totidem ſeniorum. quibus de armis nihil quidquam mutatum, præter ocreas tantum, quas eis ademit. In quarta claſſe cenſus quinque, & viginti millium, ut Livius, vel viginti tantum millium, ut Dionyſius; totidem centuriæ, eodemque diſcrimine ætatum factæ; arma his immutata nihil præter haſtam, & verutum datum. Quinta claſſis aucta, centuriæ XXX. factæ, XV. ſeniorum, XV. juniorum, XI. millibus hæc claſſis cenſebatur. fundas lapideſque miſſiles hi ſecum gerebant. In his, ut Livius ſcribit, accenſi, tibicines, cornicineſque in tres centurias diſtributi. Dionyſius vero duas tibicinum tantum centurias factas fuiſſe refert, eaſque quartæ claſſi adjunctas, quarum una erat ſeniorum, altera juniorum. Cenſus autem undecim millium minor, reliquam civium multitudinem habuit, quæ erat major civium multitudo, quam in unam centuriam redegit militiæ ac tributi immunem: & hæc fuit ſexta claſſis. In hac autem centuria proletarii, & capite cenſi erant. Proletarii autem erant, qui ∞ C. aſſes vel plus minus in cenſum deferebant, qui ſoli in urbe procreandæ proli, & nulli alii videbantur vacare publico muneri, unde a prole proletarii nuncupati. Capite cenſi vero tenuiores erant, qui CCCLXXV. aſſes haberent in cenſum, qui quoniam pecunia non viderentur cenſi, capite ſuo cenſebantur, civium numerum augentes: quibus non ideo vacatio a militia data, quod arma his quoque non committi poſſent, ſed quia bellicos ſumptus facere nequirent. Eis enim temporibus milites ſe de ſuo alebant. Proletarii longo tempore poſt militare cœperunt. Capite vero cenſis primus bello Jugurthino arma dedit C. Marius, ut ſcribunt Saluſtius, & Valerius Maximus. Ceterum Ser. Tullius ita pedeſtri exercitu ornato diſtributoque, equitum ex primoribus civitatis qui maximo cenſu eſſent, XII. ſcripſit centurias. Sex item alias centurias, tribus a Romulo inſtitutis, ſub iiſdem quibus inauguratæ erant nominibus fecit, atque ad XVIII. numerum auxit, quas cum octuaginta primæ claſſis centuriis conjunxit; eiſque ad equos emendos, dena millia æris ex publico data, & quibus equos alerent viduæ attributæ, quæ bina millia æris in annos ſingulos penderent. Ex qua diviſione ſequitur, ut decuriones, equites, ſenatores omnes in prima claſſe cenſerentur, quandoquidem neque decurio poterat eſſe, qui centum millia non haberet, neque eques, qui XL. ∞. neque ſenator, qui octingenta millia. Summa autem centuriarum, quæ omnibus claſſibus continebatur, erat CXCIII. vel, ut Livius, CXCIIII. Qui unam tibicinum, cornicinum, & accenſuum centuriam adjungit.

A Ex his octo & XC. erant primæ classis, si numerentur centuriæ XVIII. equitum, vel centum centuriæ erunt primæ classis, si duas fabrum addiderimus, quas Livius primæ, Dionysius vero secundæ classibus adjunxere. Populo ita distributo militum descriptionem per centuriarum divisionem faciebat, ac tributum ex censu per easdem centurias imperabat. Nam si quando ei opus esset militum decem millibus, aut viginti, divisa in centum nonaginta tres centurias civitate, per centurias imperabatur quantum dare militum quemque oporteret. Tum inita ratione pecuniarum, quæ exercitui ducendo opus esset, populus in centum nonaginta tres centurias dividebatur, B & quid quamque centuriam conferre oporteret, imperabat. Qua ratione fiebat, ut qui maximo censu erant, quum & pauciores essent, & in plures divisi centurias, sæpius ac fere continenter ferrent onus militiæ, & de suis facultatibus plus in commune conferrent, atque ut ait Livius: *In dites a pauperibus inclinata onera*. Qui enim medio censu erant, quia plures erant, & in pauciores centurias distributi, nec ita sæpe militabant, nec magno tributo gravabantur; qui vero infimo censu erant, omni onere immunes fuerunt. Atque illo quidem periculorum & impensarum onere divitibus imposito, ut ne id graviter ferrent, optimam rationem leniendæ indi- C gnationis commentus est. Effecit enim ut hi vere Reip. domini essent, & in pauperibus nulla propemodum vis esset, idque ita fecit, ut se excludi plebs non sentiret. Fuit autem illa quam divitibus dedit, dominatio in comitiis, quibus res maximæ a populo sciscebantur. Nam ex veteri lege tria erant in populi potestate, magistratus omnes creare, leges condere, aut abrogare, bellum indicere, aut pacem facere. Hæc vero a populo adhuc ita peragi solita erant, ut per curias divisus suffragium ferret; erantque tunc pauperes divitibus ferendo suffragio pares. Quin etiam, quia multo pauciores erant divites pauperibus, ita fiebat, ut vis suffragiorum esset penes pauperes. D Quo a Ser. Tullio animadverso in divites transtulit potestatem suffragiorum; quando enim volebat vel magistratus creare, aut leges ferre, aut bellum indicere, centuriata comitia pro curiatis vocabat, ac primum quidem ad suffragium ineundum vocabat centurias maximi census, in quibus erant XVIII. centuriæ equitum, & peditum XXC. Hæ octo & nonaginta centuriæ, quæ reliquam multitudinem tribus centuriis superabant, si convenissent, reliquas vincebant, omninoque quod statuissent obtineri oportebat. At si omnes illæ non convenissent, tunc vocabat secundæ classis XX. vel XXII. centurias; quod si harum rursus diversæ E fuissent sententiæ, vocabantur centuriæ viginti classis tertiæ, mox quartæ XX. vel XXII. idque eousque faciebat, donec XCVII. centuriæ convenirent: quod si vocata etiam quarta classe id nondum ita accidisset, sed suffragiorum multitudine pares essent CXCII. centuriarum sententiæ, tum ultimam centuriam sextæ classis vocabat, quæ cui parti se addidisset ea vincebat. Id quod raro aut nunquam usu venit; fere enim a prima classe omnia transigebantur, raro ad quartam perventum. Quinta vero classis, ac postrema nullius fere momenti erant. Atque illo quidem ordine instituendo, quo tantum auctoritatis dabatur ditioribus, ut pene exacti Reip. administratione pauperes videren- F tur, tantum adhibuit calliditatis, ut plebi infimæ fraus non appareret. Omnes enim se æquabiliter gerere remp. censebant, quod viritim rogabantur in suis singuli centuriis. At decipiebantur, partim quod universæ centuriæ unum esset suffragium, sive plurimos, sive paucos cives complecteretur, partim quod primæ suffragium ferrent eæ centuriæ, quæ erant maximi census, quæ & plures erant numero reliquis omnibus, & pauciores tamen homines singulæ continebant. Erat vero & pars fraudis non minima in eo, quod capite censi quamquam longe plures essent, unicum tantum suffragium omnes faciebant, ac postremi vocabantur. Qua ratione efficiebatur, ut divites, quorum erant maximæ in rep. impensæ, quique continenter munera reip. sustinerent, minus id gravate ferrent, propter eam quam obtinebant in rebus maximis auctoritatem; quam cum iis non communicari videbant, quibus in capessenda rep. non tantum oneris incumberet: pauperes contra, quibus oneris publici minimum imponebatur, æquo animo ferrent, se pro sua immunitate tributorum ac militiæ inferiores iis esse, in quos ista incumberent. Hæc ratio reip. gerendæ per multas ætates a Romanis servata est. Qua ratione autem posterioribus temporibus mutata fuerit, tribuum numero aucto, centuriisque duplicatis, alibi explicabo. Censu autem a rege Ser. Tullio perfecto, quem maturaverat metu legis de incensis latæ (nam vinculorum minis, mortisque edicto caverat, ne quis incensus remaneret) lustrum hac ratione primo condidit. Edixit ut omnes cives Romani, equites, peditesque in suis quisque centuriis, in campo Martio prima luce adessent; ibi instructum exercitum omnem sue, ove, & tauro, sacrificio facto lustravit. quas hostias quum eas prius circumduci ter circum exercitum jussisset, immolavit; idque conditum lustrum appellatum, quia in censendo finis factus est. Id autem sacrificii genus Solitaurilia, & Sueovetaurilia vocabant. Primo autem lustro censa fuisse octuaginta civium millia traduntur, quem numerum eorum tantum fuisse Q. Pictor scripsit, qui arma ferre poterant. Dionysius vero eos octuaginta quattuor millia fuisse prodit, idque ex tabulis censoriis se accepisse scribit: cum Dionysio sentit Eutropius. Quum vero institutum fuerit, ut quinto quoque anno exacto census fieret, lustrumve conderetur, hinc lustrum pro quinquennali spatio sumptum esse constat. Idque a luendo dictum scribit Varro libro quinto de lingua Latina, quod quinto quoque anno vectigalia, & alia tributa per censores persolverentur: tametsi ultra quinquennii tempus vel bello, vel domesticis discordiis, vel alio casu sæpe productum in septem, decem, & aliquando septemdecim annos fuisse lustrum ex Fastis constet. Magistratus autem huic muneri præfuit primum, qui summus in urbe fuit, reges, ejectis regibus consules, deinde, quum consules bellis impedirentur, censores, qui ab re nomen acceperunt. Censum autem in foro primum, deinde Villa publica (locus is erat in campo Martio) fieri institutum; lustrum vero semper in campo Martio conditum. Hæc autem ex Dionysio, Livio, Plinio, Salustio, Valerio, Eutropio, Censorino, Sex. Pompeio, L. Floro, & ceteris, qui Ser. Tullii regis acta scripserunt, decerpsi.

CAP. LIII.

De comitiis centuriatis.

De comitiis autem centuriatis disputaturus, quæ præcipua populi Romani comitia erant, ante omnia, quid comitiorum vocabulo significetur, interpretandum est. Comitia a coeundo, vel potius, ut veteres dicebant, a comeundo dicta sunt, quod populus coire his & in unum locum convenire soleret, a quo etiam verbo locus in foro Romano Comitium dicebatur, & conciones quasi comitiones vocabantur. Erant autem comitia, quum generaliter verbum accipitur, conventus populi totius, aut partis ad ferendum de aliqua re suffragium. Alio modo, & quum proprie vocabulum accipitur, universi populi convocatio ad aliquid suis suffragiis sciscendum. Nam si plebs tantum, quæ pars populi erat, a magistratu vocata fuisset, ea non proprie comitia dicebantur, sed concilia: quod Gellius libro XV. cap. XXVII. ex Lælio Felice, Cicero II. de legibus, & post reditum in senatu, docent.

Quamquam Livius hanc differentiam non agnovisse videatur, qui & sæpe comitiorum & concilii nomine absque ullo discrimine in eadem re utitur, & concilium pro quavis populi congregatione usurpat. Ceteræ porro populi congregationes, & cœtus, qui non ferendi suffragii caussa, sed ludorum, aut census fiebant, non comitia dicta. Non erant enim comitia, nisi essent populi tales conventus, qui indicti essent ad ferendam de aliqua re per suffragia sententiam. Tria autem erant comitiorum genera; curiata a Romulo instituta, de quibus supra verba feci; centuriata a Ser. Tullio inventa, de quibus nunc disputare institui; & tributa, de quibus post dicam. Calata enim comitia non faciebant aliud genus comitiorum, sed ejusmodi erant vel curiata, vel centuriata, a calo verbo, quod est convoco, dicta, unde & Romæ in Capitolio curia Calabra, in qua calata, hoc est convocata plebe, pontifex dies pronuntiare solebat. Centuriata igitur comitia erant, quibus populus per classium centurias divisus suffragium ferebat, ita ut centuriatim suffragia colligerentur, & quod plures centuriæ jussissent, id ratum haberetur. Ex his autem, quæ supra ex Livio, & Dionysio de Ser. Tullio disserui, quales, & a quo primum, & quo modo institutæ, suffragiumve ferrent ejusmodi centuriæ, unde nomen habuerunt centuriata comitia, facile intelligi potest. Tribus porro potissimum de caussis comitia centuriata haberi solebant. Una erat creandorum magistratuum, altera legum ferendarum, tertia judicii exercendi caussa: quod etiam Cicero II. de divinatione docet. Quod quidem institutum reipublicæ caussa est, ut comitiorum vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes. His autem comitiis creabantur primo omnes majores magistratus ordinarii, & extraordinarii præter dictatorem, qui noctu ab altero consulum, ex S. C. quotiescunque opus esset dicebatur; magistrum equitum, qui a dictatore cooptabatur, & interregem, quem comitiorum habendorum causa, non nisi patricium, & a patriciis prodi solitum Cicero, Asconius, & Livius testantur. Erant autem majores magistratus, qui comitiis centuriatis creabantur; consules, quod ex Cicerone, & T. Livio manifestissimum est; prætores, ut ex omni Liviana historia liquet; & postremo censores, ut A. Gellius lib. XIII. cap. XIIII. ex Messalla scribit. Qui Consules, censores, & prætores majores magistratus vocat, eosque comitiis centuriatis aperte creatos refert. Dictatorem autem ab altero consulum creari mos erat, ut supra dixi, qui ex S. C. quem vellet ex omnium consularium numero dictatorem, quoties opus erat, dicebat. Illud tamen scitu dignum, aliquando populi jussu actum fuisse, ut consul non pro arbitrio, sed quem populus jussisset, dictatorem diceret, ut dictus est Q. Fulvius Flaccus a M. Marcello consule bello Punico secundo: ex quo etiam plebiscito a Q. Fulvio dictatore P. Licinius Crassus pontifex max. mag. eq. dictus est. Est etiam per absentiam consulum aliquando prodictatore a populo creatus, quemadmodum de Q. Fabio Maximo testatur Livius libro XXII. Interrex autem, quum sine curuli magistratu resp. esset, comitiorum caussa patricius a patriciis coeuntibus prodebatur; quam rem sæpe Livius commemorat. Illud quoque animadvertendum, proconsules interdum centuriatis comitiis creatos, ut de P. Scipione Africano proconsule in Hispaniam misso tradit lib. XXVI. Livius. Quamquam rationem hanc decernendarum provinciarum nec perpetuam, nec ordinariam fuisse post ostendam. Comitiis postremo centuriatis creabatur Rex sacrorum, alias rex sacrificulus, ut ex Lælio Felice docet Gellius lib. XXVII. cap. XV. nam de quibus sacerdotiis lex Domitia fuerit, supra demonstravi. Comitiis etiam centuriatis X. viri legum scribendarum, & tribuni militum consulari potestate

A creati sunt. Hi igitur sunt omnes magistratus, quos centuriatis comitiis creatos fuisse inveni. Alteram porro comitiorum centuriatorum caussam fuisse dixi legum ferendarum. Leges autem hæ fuerunt omnes, quæ a magistratibus iisdem promulgatæ sunt, qui vel majores essent, vel comitiis centuriatis crearentur. Quare omnes fere leges a dictatoribus, consulibus, & prætoribus auctoritate senatus latæ, centuriatis comitiis latæ sunt; ut de bello indicendo, Valeriæ de provocatione, duodecim tabularum, Æmilia de censura, & similes. Dixi autem fere ita factitatum, quia id perpetuum non fuit, ut quas leges ferrent majores magistratus, has centuriatis comitiis ferrent. B Nam aliquando leges curiatas majoribus magistratibus, ut a consule in comitio latas legimus, ut fuit rogatio M. Pisonis consulis ad populum de religione a P. Clodio contempta in comitio, auctore Cicerone, lata. Bellum postremo iisdem comitiis indici solitum aperte ex omni Livii historia intelligitur. Pax enim tributis comitiis, ut ostendam, fiebat. Tertia postremo comitiorum centuriatorum ratio fuit judiciorum exercendorum caussa. Judicia autem populi his comitiis habita, ad unum tantum crimen capitale perduellionis spectabant. Nam reliqua judicia, vel a triumviris capitalibus, vel ab ædilibus, vel a C. viris, vel a prætoribus, vel a quæstoribus ad id a populo creatis, aut quæstoribus parricidii transigebantur. C Unum tantum perduellionis crimen ad judicium populi pertinebat, quod centuriatis comitiis terminabatur. Erat autem crimen perduellionis, hostili animo se in remp. gerere: nam quos nos hostes appellamus, veteres perduelles vocabant. Hinc factum est, ut reus perduellionis diceretur, qui se quoquo modo hostili animo in rempublicam esse declarasset, quasi diceres reum hostilitatis. Discrimen autem erat inter id crimen, & crimen majestatis, auctore Cicerone lib. III. in Verrem. Nam majestatis crimen erat duces hostium pecunia D liberasse, aut privatum hominem domi suæ hostium duces servasse incolumes, legionem solicitasse, seditionem in exercitu excitasse, magistratui pro suo imperio quidquam agenti restitisse, ut idem Cicero pro Cluentio, & pro C. Cornelio ostendit; atque hoc crimen suum prætorem habebat, qui de eo quæreret. Crimen vero perduellionis erat civem Romanum contra jus libertatis sibi legibus Porcia maxime, & Sempronia concessæ in crucem tollere, aut securi percutere, aut in latumias conjicere, aut verberare. Quum enim lege Porcia cautum esset, ne civem Romanum virgis cædere, aut ullo servili supplicio afficere liceret, lege vero Sempronia, ne de capite E civis Romani injussu populi judicaretur, quicumque contra jus suæ libertatis civem Romanum, quasi peregrinum tractasset, tanquam oppugnator libertatis Romanæ reus perduellionis ad populum fiebat. Jus enim civitatis totum erat penes populum, ideoque judicio populi merito subjiciebatur, qui contra leges de jure civitatis, ac libertatis populi quicquam fecerat. Itaque C. Rabirius perduellionis reus factus est, quod Saturninum tribunum plebis, quamvis seditiosum, & reip. perturbatorem, injussu populi Romani occidisse diceretur. Qui magistratus, quod ad defensionem libertatis populi institutus fuerat, idcirco legibus F sacrosanctus esse jubebatur: quod nihil aliud erat, quam sacrum caput ejus esse, qui tribuno plebis nocuisset, quod idem erat atque eum pro hoste haberi. In hoc itaque crimine populus comitiis centuriatis judicabat, ut ex oratione III. in Verrem, & pro domo, & Valerio lib. VI. cap. V. liquet. Duumviri aliquando qui de hoc crimine quærerent creati sunt, sub regibus de Horatio perduellionis reo. Judicia etiam perduellionis centuriatis comitiis agi solita refert lex XII. tabularum, quam Cicero lib. III. de legibus ponit ita: *Privilegia ne irroganto: De capite civis nisi per maximum comitiatum, Ollosque, quos censores in partibus*

populi locassint, ne ferunto. Perduellionis autem judicium capitale esse nemo ambigit. Quapropter P. Clodius, quum reum perduellionis Ciceronem fecit, ob id judicatus est non jure fecisse, quod tributa habuit comitia de capite civis Romani, qui centuriata habere debuisset. Quod etiam Cicero lib.III. de legibus refert.

Commune autem erat omnibus centuriatis comitiis, cujusvis caussa haberentur, eos non nisi a majoribus magistratibus haberi posse. Quum enim agendi cum populo jus cuiquam non esset præterquam magistratui (nisi de sacris agendum esset) siquidem rogare quid populum, quod suffragiis suis quid jubeat, aut vetet, quod est cum populo agere, nemo absque imperio posset: minores sane magistratus, quorum erant minora auspicia, quibusque minus erat imperii, jus habere non poterant vocandi centuriata comitia, quibus & auspiciis majoribus, & maximo imperio opus esset. Habere igitur centuriata comitia poterant consules, prætores, censores, dictatores, & interreges, quos omnes majores magistratus fuisse liquet. Ac magistratuum majorum, quos solos his comitiis creari dixi, comitia consules semper ac soli habebant, nisi aut res ad interregnum rediisset, aut absentibus consulibus senatui visum esset, dictatorem comitiorum caussa creandum esse: tunc enim consules ab interrege, aut dictatore creabantur. Prætorum comitia non nisi consules habere poterant; prætori enim neque consulum, neque prætorum comitia habere jus erat, ut ostendit Cicero lib.IX. ad Atticum. Censores quoque non nisi a consulibus creabantur, ut ex omni Liviana historia liquet. Atque creandis magistratibus non nisi consules, dictatores, interrex comitia habere poterant. Legibus vero ferendis, aut judiciorum caussa, jus erat consulibus, dictatori, & prætoribus tantum, ut ex omni Livii historia didici; censores enim aut interregem, vel magistrum equitum comitia nunquam exercendi judicii, aut legum ferendarum caussa habuisse, constat. Censores tamen jus habuisse populi vocandi ex lustri condendi ratione manifestum est. Legibus quoque inter arma silentibus L. Valerius Flaccus interrex de perpetua Sullæ dictatura legem tulit, quam legem legum omnium iniquissimam, dissimillimamque legis Cicero appellat. Jus etiam vocandi populi magistrum equ. habuisse indicant Pomponii verba quum ait. *Hoc fuisse dictatoribus magistros equitum, quod erant sub regibus tribuni celerum*. At ex Dionysio constat tribunum celerum jus agendi cum populo habuisse. Ex his igitur apparet, ex magistratibus quibus jus esset habendi centuriata comitia. Consules enim tantum, dictatores, & interreges magistratibus creandis comitia habere solebant: censores vero, prætores, & magistri equitum minime. Legum autem, ac judiciorum, consules tantum, dictatores, & prætores: non interreges, censores, & magistri equitum. Jus vero convocandæ concionis omnes habuisse constat. Ex his porro qui magistratus non essent, solos pontifices jus habuisse agendi cum populo invenio: idque in comitiis centuriatis, tributis, & curiatis. In centuriatis quidem tantum in creatione regis sacrificuli, qui centuriatis fieri solebat; in reliquis eorundem comitiorum caussis nihil illis juris erat. His autem comitiis omnes quotquot adesse volebant pleno jure cives Romani interesse poterant, id est, qui jus suffragii ferendi haberent, quibusque civitas cum suffragio data fuisset: nam erant & cives sine suffragio; vel quod his datum a populo non esset quum cives facti sunt, vel quod eos censores ignominiæ caussa suffragii latione privassent, quos in Cæritum tabulas referri dicebant. Hi primi omnium municipes cives Romani facti sunt, sine suffragii tamen jure, pro sacris Romanis bello Gallico custoditis. Asconius: *Qui plebeius erat in Cæritum tabulas referebatur, & ærarius fiebat, ac per hoc non erat in albo centuriæ suæ, ad hoc ut civis esset, sed tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet*. Vide Gellium lib. XVI. cap.XII. quum enim essent plura civium Romanorum genera, quæ variis juribus, & privilegiis distincta essent, hi pleno jure cives Romani erant, quibus suffragii ferendi jus datum fuerat, vel non ablatum: reliqua enim omnia quæ habebant privilegia cum aliis civibus imperfecti juris communia erant. Non virgis cædi, vel securi percuti legibus Porcia & Sempronia, commune etiam erat his, qui sine suffragio cives essent. Militare in legione Romana, hereditatem civis Romani capere posse, testamentum jure Quiritium facere, iisdem civibus communia erant. Jus connubiorum cum Latinis communicabant, & alia quædam similia. In comitiis ergo centuriatis jus ferendi suffragii habebant omnes cum pleno jure cives Romani. In quo numero ante legem Juliam comprehendebantur omnes cives Romani, qui in urbe, agrove habitarent, atque in XXX. curias, XXXV. tribus, & sex classes distributi essent. Item municipia aliquot, quibus civitas cum suffragio data fuerat, ut Tusculani, Lanvini, Aricini, Nomentani, Pedani, Forniani, Fundani, & Arpinates. Et postremo coloniæ aliquot civium Romanorum, quibus civitas cum suffragio data fuerat, civiumque Romanorum ob id dictæ, quum hæ quæ suffragium non haberent coloniæ Latinæ dicerentur. Duo enim coloniarum genera fuisse tradit in Pisonianam Asconius; quædam Latinæ, & quædam civium Romanorum, de quibus frequens apud Livium mentio est. Post legem vero Juliam Italia omnis, cui ea lege civitas cum suffragio data est, jus in comitiis hisce habere cœpit. Atque ita coloniæ omnes, municipia, & præfecturæ, & alia Italiæ oppida, vel sociæ civitates Romæ suffragari cœperunt. In omnibus porro comitiis centuriatis erant diribitores, qui tabellas populo per centurias ministrabant: non enim eas populus domo ferebat, ut aperte tradit Cicero epistolarum libro I. ad Atticum. Diribitorum, qui a diribendis hoc est distribuendis tabellis dicebantur, meminit Cicero in Pisonem, & alibi sæpe. Erant & rogatores; erant qui cistas deferebant, in quas tabellas suffragii populus conjiciebat; de quibus sæpe Cicero. Itemque custodes, qui præter id quod observabant, ne quid fraudis committeretur in sortitionibus, & suffragiis dicendis, describebant etiam cujuscunque centuriæ educta e cista suffragia, ut appareret quæ esset illius centuriæ sententia, quam sententiam tum per præcones magna voce pronuntiabant, & postremo quem omnes centuriæ, vel tribus magistratum pronuntiassent, populo alta voce declarabant. De iis custodibus, & præconibus Cicero in Rullum, & alibi sæpe, & Plutarchus in Catone meminerunt. Præcones etiam centurias, & classes ad ferendum suffragium vocabant. Erat vero & hoc præterea custodum munus, ut post lata suffragia in quibusdam tabulis numerum sententiarum punctis notarent, quod ex Cicerone in oratione post reditum in senatu liquet; singulorum enim sententiæ puncta, universæ centuriæ suffragia vocabantur. Iidem diribitores, rogatores, custodes, & præcones in reliquis centuriatis comitiis legum vel judiciorum erant. Hoc differt, quod in tabellis magistratuum notata erant nomina candidatorum. In judiciis: in altera *Absolvo*, in altera *Condemno*, in altera *Non liquet*. In legibus: *Uti rogas*, in altera, *Antiquetur*. Nunc de iis qui magistratus petebant, quos candidatos vocabant, dicam. Erant autem candidati qui magistratum aliquem petebant, sic dicti a toga candida, quam gestabant, qui se magistratum petere professi essent. Hujus rei exemplorum omnes libri pleni sunt. Caussam cur in toga candida magistratus ambientes apparerent, refert Plutarchus in problematibus. Ex candidatis

quidam petitionem suam biennio, quidam anno antequam inirent inchoabant. Erant quoque petendis magistratibus præscripti, & certi quidam anni, ante quos magistratum nemo petere poterat, nisi legibus solveretur, de quibus satis dixi in commentariis Fastorum in tractatu de consulatu. Edictis vero comitiis, tum qui petere volebant, se profiteri candidatos oportebat: alioqui nisi intra legitimos dies se petere professi essent, ratio eorum haberi comitiis non poterat. Petitionem tamen diu ante per amicos candidati adornabant. Post edicta vero comitia concione ab aliquo magistratu impetrata populo se petere profitebantur: hoc est, quandam publicam voluntatis suæ declarationem populo faciebant, de aliquo magistratu, si populus ita vellet, obtinendo; magistratus enim populi mera beneficia erant. Candida autem toga petitionis signum erat, ut a populo dignoscerentur, qui ambirent magistratus. Quam diu enim retinebatur toga candida, tam diu perstare in petitione; ea deposita & petendi voluntatem deposuisse candidati censebantur. Quod ex historia Cicerei scribæ apud Valerium legitur. Ceterum non semper ratio habebatur eorum qui professi essent, in qua re magistratuum, & senatus cognitio locum habebat. Ne enim populus magistratus alicui mandaret indigno, aut contra leges; publice intererat considerari candidatorum caussas a magistratibus & consilio publico, quæ deinde ad populum allegatæ efficiebant, ut eorum tantum qui digni essent rationem comitiis habere vellet, ac sæpe etiam contra populi studia manifesta, magistratus judicio, aut senatus decreto excludebantur suffragiis populi nonnulli candidati, ut passim ex omni historia liquet. Ita ut omnes petere possent magistratus, si legitima ætate, nominaque populo publice professi essent, si magistratus, vel senatus eorum rationem haberi censuissent. Tum eorum nomen consul etiam recipiebat, id est, populi suffragio permittebat, ut ex iis designaret quos vellet. Adeoque tum consulem nomen candidatorum recipere oportebat, ut omnino suffragio populi exclusus esset is, cujus nomen non recepisset: ac si quem populus designasset, cujus nomen accipere nollet, nihil eo designando populus perficere posset, quando ei liberum esset populi concionem dimittere, quum vellet. Hujus rei multa apud Livium, & Valerium Maximum de M. Palicano exempla extant. Post comitia edicta trinundinum expectari mos erat ante diem comitiorum, id est dies XXI. partim ut ad eam diem populus commode undique convenire posset, partim ut candidati populo frequentiori, & non modo urbanæ, sed etiam rusticanæ multitudini supplicare possent. Caussæ autem cur candidatorum ratio haberi non poterat, multæ erant, ut defectus ætatis, quia lex lata erat a L. Villio Annale trib. plebis, A. Postumio & C. Pisone Cos. qua certi quidam anni constituti erant, ante quos non liceret magistratum capere. Item erat & lex Cornelia quæ jubebat, ut ordinatim magistratus caperentur, id est, primo quæstura, anno XXVII. deinde tribunatus plebis, anno XXX. post Ædilitas, anno XXXVII. post prætura, anno XXXIX. & postremo consulatus, anno XLIII. & qui minores magistratus non obtinuisset, majores adipisci non posset. Fuit & lex alia Cornelia, cujus caussa candidatorum ratio haberi non posset, quæ vetabat eundem magistratum bis intra decennium iniri posse. Erat & alia lex, qua vetabatur ne in magistratuum comitiis absentium ratio haberetur. De qua Tranquillus in Cæsare. Postremo si qui turpi judicio damnati essent, in perpetuum omni honore ac dignitate mulctati erant, ut scribit Cicero pro Cluentio. Tum etiam si quis publico judicio damnatus, cujus pœna exilium non esset, sed ignominia tantum, mulctave, ei magistratum petere non licebat. Item ambitus damnati ante legem Tulliam honoribus exclusi erant. Multæ postremo fuerunt caussæ, quibus candidatorum ratio haberi non posset, quæ passim in historiis leguntur. De ratione petendi candidatorum ita Cicero in libro de petitione consulatus ad Q. fratrem scribit, ut nihil desiderari possit. Hæc tamen observavi. Candidatorum mos erat in forum convenire, ut populo & plebi etiam rusticæ supplicarent, singulorum quos obvios habebant manus prensare, prehensos dextra obvios cives benigne orare, nundinis quibus rustici in urbem conveniebant, in comitium venire, in colle hortulorum campo Martio imminenti consistere, ut ab universis videri possent, secum alios adducere populo gratiosos, qui suo nomine etiam peterent. Nomenclatores servos habebant, qui eis singulorum nomina quos salutarent, & obsecrarent, suggererent. Quidam etiam divisores habebant, per quos nummos viritim per tribus, & centurias dividerent, quibus earundem suffragia emebant; quod lex ambitus prohibebat. Quidam quo populo gratiosi fierent, congiaria, munera, epulum, & alias largitiones publice populo præbebant. Eadem fere ratio est de comitiis centuriatis, quæ legum ferendarum, & judiciorum caussa fiebant. Nisi quod legibus ferendis, antequam lex promulgaretur, recitari solebat a præconibus suggerentibus scribis populo, ut ante sciret & intelligeret legem, quam suffragium ferret. In comitiis vero centuriatis judiciorum caussa nisi accusator is esset qui comitia haberet, præter eas personas, quas omnibus centuriatis convenire necesse erat, intervenire eum primum oportebat, qui diem perduellionis ad populum dixisset, tum vero defensorem qui pro reo diceret, postremo & ipsum reum sordidatum cum amicis qui populo supplicarent, priusquam in suffragium mitteretur. Quod vero comitiis adesse has personas dixi, ita accipiendum est, nisi exilii causa solum ante judicii diem rei vertissent; quemadmodum fecisse Camillum, Coriolanum, K. Quinctium, & Ciceronem ipsum in historiis legimus. Porro ante comitia centuriata edictum præmitti necesse erat, ut ad quam diem convenire populus deberet multo ante intelligeret. Unde fit ut in omni historia ita sæpe reperiantur consules comitia edixisse. Illud vero dubium est, ita ne comitia edici solerent, ut præcones per vicos dimissi diem prædicerent, an, quod magis credo, potius scriptum esset, quod publice proponeretur, eodem modo quo prætorum edicta. Sane scriptum in tabella proponi publice solitum quo edicebatur, quis dies comitiis centuriatis futurus esset, idque forma perpetua tradit Gellius libro XIII. cap. XIIII. Et quoniam comitiis etiam adesse ex agris homines oportebat, qui in urbem fere non nisi nono quoque die, id est, nundinis veniebant, propterea edictum illud per plures dies publice extare necesse erat, ut populo universo notum esset. Unde post edictum promulgatum ante comitiorum diem trinundinum interjici solebat etiam in magistratuum comitiis: nam in reliquis ita fieri oportuisse satis manifestum est. Quod vero tantum tempus interjici debere dixi, ita accipi debet, si modo nil accidisset, quod impedimento esset, quo minus comitia suo tempore haberentur. Nam si res ad interregnum rediisset, a secundo interrege comitia haberi poterant, quorum imperium non erat nisi quinque dierum. Hinc trinundino legem promulgare, erat legem, quam quis ferre proposuerat, tribus diebus nundinarum advocata concione ita recitare, ut de singulis capitibus populus & doceretur, & doceri aliis adhibitis suasoribus fieret: data etiam facultate, ut qui vellet, legem improbare dissuadereque posset. Erant autem nundinæ feriæ rusticorum, quibus in urbem conveniebant negociis domesticis provisuri, quemadmodum nunc mercatus. Fiebant autem nono quoque die, unde etiam nomen habuerunt. Qui autem leges ferre volebant, solebant sibi unum aliquem magna auctoritate præditum conci-

liare, & adjungere: is auctor legis a Cicerone appellari solet. A In judiciis quoque trinundini lex observabatur. Quare ea lex communis erat omnibus centuriatis comitiis. Est etiam illud observatione dignum, in omnibus centuriatis comitiis senatus auctoritate opus fuisse, quod Dionysius indicat libro nono. Quod in tributis non erat. Patres enim auctores fieri solebant omnium, quæ centuriatis comitiis transigebantur. Hæc porro comitia non nisi auspicato haberi poterant. Auspicia autem captare, erat ex avibus ceterisque auguralis disciplinæ signis Jovis voluntatem interpretari. Hoc autem duobus præcipue modis fiebat, aut per exta hostiarum, & hoc erat haruspicum munus, aut ex avibus, quod augures facere solebant, ut Cicero secundo de divinatione, & B secundo de legibus scribit. Auguralis vero disciplina ex quattuor potissimum generibus constabat; ex avibus, ex cœlo, ex terrenis quibusdam animalibus, & ex diris. Ex avibus signa observabantur tripliciter; ex volatu, ex occentu, ex tripudio. E cœlo, quod servare de cœlo dicebatur, erat attentius circumspiciendo observare, num qua parte cœli aliquid se ostenderet, unde divinationem accipere posset, ut fulgura, & tonitrua, ut Cicero secundo de divinatione tradit. *Jove enim tonante* (inquit) *aut fulgurante comitia populi haberi nefas*. De terrenis animalibus, C scribit Plinius libro octavo, cap. LVII. item, ut ex morbo Herculeo, alias comitiali. De diris Cicero primo de divinatione: *Etenim dira sicut & cetera auspicia ut omina, aut signa, non caussas afferunt, cur quid eveniat, sed nuntiant eventura nisi provideris*. Ex his omnibus augures auspicia captabant, cujus disciplinæ, auctore Dionysio, veteres Romani observantissimi erant. Ante igitur comitia centuriata auspicari mos erat, & quamquam nihil apparuisset, mala signa obnuntiando afferre, vel fausta nuntiare, ut comitia haberi possent. Intra Pomerium autem auspicari mos erat in arce, vel in Palatio, ubi locus erat, quod a P. Victore auguratorium vocatur. D Quod si quis vel non recte auguratus esset, & comitia habuisset, ubi id cognitum esset, tota illa actio vitiosa erat; hinc aliquoties magistratus ob eam caussam abdicasse legimus. Quod si quis comitia prohibere voluisset, is obnuntiabat. Obnuntiare autem, erat magistratui servatum esse de cœlo renuntiare, ideoque ne eo die Jove prohibente, comitia haberet, vetare. Cautum autem legibus erat, ut obnuntiationi pareretur. Auspicia autem penes magistratus erant; augures enim nihil pro officio agebant nisi a magistratibus jussi essent. Id autem est quod ait Cicero: *Magistratus tantum habuisse spectionem auspiciorum*. E Auspicia autem & majora, & minora vocabantur, majora erant consulum, prætorum, censorum; minora reliquorum magistratuum. Præter auspicia, quæ omnino a magistratibus ante ejusmodi comitia servanda erant, sacra quoque quædam legitima fieri & hostiarum immolationes oportebat, de quibus Dionysius libro septimo. Edicto itaque proposito, reque in trinundinum ante promulgata, senatus auctoritate interveniente, sacris factis, auspiciis addicentibus, nullaque obnuntiatione, vel aliorum magistratuum intercessione interjecta, quum centuriata comitia major magistratus habere vellet, die suffragii populus in campo Martio conveniebat, ubi priusquam in tribus & centurias distribueretur, F concionem ad populum habebat, qua rogabat, ut id de quo ageretur jubere, aut vetare vellet; ac si magistratuum essent comitia, rogabat populum, ut ex iis candidatis quorum haberi rationem oporteret, quos tum omnes nominatim appellabat, crearet populus quos vellet consules, prætores, censoresve, vel quos ipse recitasset, vel quosdam ex omnibus civibus, si modo ii essent, quorum ratio haberi ex legibus posset. Deinde in centurias distributus initis comitiis suffragia ferre incipiebat. Comitia vero inchoata, multas ob caussas, vel impedita, vel renovata fuisse constat, ut intercessione, & vitio magistratuum. Tribunorum autem plebis summum jus in intercessionibus erat, quod verbo uno solemni VETO continebatur. Si autem nulla caussa esset, qua comitia prohiberentur, postquam populum magistratus in suas centurias discedere jusserat ad suffragium ferendum, tum omnes qui aderant cives, quibus suffragii jus erat, discedebant in suas quisque centurias, ut quo ordine rogarentur suffragium dicerent. Tum centuria, quæ prima sorte exiisset ea prærogativa vocabatur, in qua tantum momenti erat, ut fere in quam partem inclinasset prærogativa, eam reliquæ centuriæ sequerentur. Primo autem voce suffragium ferre solebant, post legem vero tabellariam, populus in mandandis magistratibus reliquisque actionibus tabellis utebatur, in quibus in judiciis *Absolvo*, *Condemno*, *Non liquet*, exaratum fuerat; in comitiis legum *Antiquo*, *Uti rogas*; in magistratibus tot diribebantur tabellæ quot candidati, in quibus nomina candidatorum scripta erant per primas litteras. Is igitur candidatus qui plura per singulas centurias puncta tulisset, singillatim per præconem nuntiabatur, qui plura centuriarum suffragia, magistratus itidem a præcone populo referebatur. Tabella vero accepta, tum ex uno septorum (duo enim in campo Martio septa erant, in quibus comitia habebantur) per quosdam ponticulos omnes tribus singillatim in aliud septum ibant, atque in cistas, quæ in illis pontibus a rogatoribus tenebantur, tabellas mittebant. Locus autem, in quo centuriæ ad suffragium vocabantur, erat prope tribunal ejus qui comitia habebat. Quum autem, ut dixi, major pars centuriarum aliquid scivisset, tum ea comitia rite habita dicebantur. Isque (si magistratuum erant) qui plura suffragia tulisset, a præcone populo renuntiabatur, ut satis ex Dionysio supra vidimus. Primum autem renuntiari perhonorificum erat. Locus, ut dixi, comitiorum centuriatorum erat campus Martius, in quo erant duo septa, in quibus populus Romanus suffragium ferebat; de quibus apud Livium & Tranquillum frequens mentio est. Ea autem intra pomerium haberi non poterant: habebantur autem in loco augurato, id est, ab auguribus ad eam rem dicato, & consecrato. Hæc autem comitia non poterant, nisi diebus comitialibus haberi. Dierum enim anni, ut ex marmoreis fastis, & Macrobio liquet, quidam erant festi, quidam profesti, quidam intercisi. *Festi diis dicati sunt. Profesti hominibus ad administrandam rem privatam, publicamque. Intercisi deorum hominumque communes. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profestis fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares. Intercisi in se non in alia dividuntur. Nam quum hostia cæditur fari nefas est, inter cæsa, & porrecta fari licet rursus, quum adoletur non licet*. Ex his verbis Macrobii liquet quosdam dies fuisse comitiales, qui in Fastis littera C notabantur a Numa instituti, quibus solis cum populo agi fas esset. Tempus quo consules creabantur varium fuit, ut etiam varius fuit dies quo inire magistratum solerent. Verum postquam ineundo consulatui dies status est Kal. Januarii, comitia consularia haberi solebant mense Julio, vel Augusto, ut ex Cicerone liquet. Paulo post consularia prætoria comitia habebantur. Censoria vero circa Kal. Julii haberi solebant, quod ex Ciceronis epist. ad Appium lib. III. manifestum est, qui statim ut designati erant inibant, nec tempus statum Kal. Januarii expectabant, ut consules, & prætores. Perdurarunt autem hæc comitia libera usque ad C. Cæsaris dictaturam, quo tempore, ut scribit Tranquillus, *Comitia cum populo partitus est, ut exceptis consulatus competitoribus, de cetero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronuntiarentur: pro altera parte quos ipse dedisset*. & in Augusto: *Comitiorum quoque pristinum jus re-*

duxit, ac multiplici pœna coercito ambitu. Post Augusti vero obitum omnino a Tiberio antiquata sunt; quod his verbis docet Tacitus libro primo. *Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. nam ad eam diem & si potissima principis arbitrio, quædam tamen studiis tribuum fiebant, neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore*. Et Modestinus in lege unica ad legem Juliam de ambitu: *Hæc lex* (inquit) *in urbe hodie cessat, quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem*. Ex quibus verbis manifestum est, sub Cæsare, & Augusto adhuc fuisse comitia, verum sub Cæsare adeo non fuisse libera, sub Augusto vero paulo quidem liberiora, sed tamen quæ maxima ex parte principis arbitrio, non populi favore, fierent. At post imperium a Tiberio initum adeo desierunt fieri hæc comitia, ut nunquam postea a sequentibus imperatoribus populo restituta sint, sed primum penes senatum Tiberii instituto manserunt, postea plane in principis potestate fuerunt, quemadmodum ex Plinii epistolis manifestum est. Atque hactenus de comitiis centuriatis.

CAP. LIV.

L. Tarquinius Superbus rex VII.

Occiso Servio regnum Romanum vi invasit L. Tarquinius, qui a morum acerbitate Superbus cognominatus est. Is primores patrum, quos Servii rebus favisse arbitrabatur, occidit. Volscis bellum primus intulit, ex quorum manubiis templum Jovi in Capitolio maximum condidit, ferias Latinas primus instituit, cloacam maximam fecit, multaque præterea bello, paceque præclara gessit. Quæ tamen omnia inaudita sævitia, tyrannideque, qua multis annis urbem oppressit, deformavit. Postremo vero quum impotenter se gerendo omnes in odium sui adduxisset, novissime propter expugnatam nocturna vi a Sexto ejus filio Lucretiæ pudicitiam Bruti opera præcipue, regno cum uxore, & filiis exactus est, quum annos XXV. regnasset, perpetuoque exilio cum omni prole sua mulctatus est. Qui quum Tuscorum & Latinorum ope sæpe in regnum restitui frustra tentasset, demum Cumas concessit, ubi summa cum ignominia reliquum vitæ tempus apud Aristedemum tyrannum transegit. Fuit igitur urbs regum sub imperio tantæ reip. ortui, & incrementis admodum necessario annos CCXLIV. Quorum aliquot justi, fortes, prudentes, rerum humanarum peritissimi, & publicæ utilitatis studiosissimi extiterunt; qui iis legibus, institutisque Romanam remp. fundarunt, ut ab iis primordiis ad certissimum exterarum omnium gentium, ac populorum bello paceque principatum eam pervenire non difficile fuerit. Sed quum aliqui eorum aut patricios, quorum ipsi e corpore erant, vehementius extulissent, plebemve depressissent; aliqui regnum per vim partum imperiosius quam decebat administrassent, demum propter immoderatam quandam eorum in cives libidinem, atque audaciam urbe atque imperio dejecti sunt, populusque Romanus L. Bruto præcipue auctore libertatem adeptus est. De cujus origine, caussis, incrementis, & statu nunc differere institui.

CAP. LV.

Libertas populi Romani.

Hæc est (ut inquit Florus) secunda populi Romani ætas, in qua liber vivere cœpit, primaque reip. mutatio, qua Superbo rege exacto, libertateque parta, imperium duobus viris annuum mandatum est, qui prætores primum, deinde judices, postremo consules appellati sunt. Hi summus erant apud Romanos ordinarius magistratus, qui pulsis regibus ab interrege, sive urbis præfecto Sp. Lucretio Tricipitino comitiis centuriatis, ex commentariis Ser. Tullii, pro rege creati sunt. Hi fuerunt Brutus, & Collatinus; quibus præterquam quod annuum tantum imperium datum est, nihil aliud ex regia potestate immutatum: itaque omnia regum jura, lictores cum fascibus, trabeam prætextam, sellam curulem regiam, ceteraque regum insignia primi consules habuere. Id tantum cautum est, ne si ambo fasces cum securibus haberent, duplicatus terror, duoque reges pro uno facti viderentur, ut alter consul fasces XII. securibus alligatas, alter vero virgarum fasces tantum cum lictoribus haberet, idque alternatim singulis mensibus, donec annuum eorum imperium expleretur, facerent. Brutus priore mense concedente collega fasces cum securibus habuit. Hac igitur ratione quum duorum regum metum civibus ademissent, potestatis invidiam minuerunt. Duo autem consules ideo creati sunt, ut si unus improbus esse maluisset, alter eandem habens potestatem, collegam coerceret. Placuit quoque ne imperium consulare longius quam annuum esset, ne propter magistratus diuturnitatem insolentiores superbioresque essent, sed civiles se semper redderent, qui se. post annum scirent magistratu abituros. Penes primos vero consules post reges exactos, omnis regia potestas erat. Totius enim imperii summa per eos administrabatur: nam S. P. Q. R. per accensos, & præcones cogebant, exercitum parabant, ab eis provocatio non erat, domini pacis bellique erant, inconsulto senatu vel populo in caput cujuscunque civis animadvertere poterant. Postremo penes eos (ut inquit Pomponius) summum jus uti esset lege cautum est. Ceterum mortuo Bruto, ne per omnia regiam sibi potestatem vendicarent, legibus a P. Valerio consule, quo plebi gratificaretur, latis, quare etiam Poplicola appellatus est, consulum auctoritas eo ipso primo libertatis partæ anno valde imminuta est, regiæque potestati longe inferior facta. Institutum enim Valeriis duabus legibus est; primum ut magistratum nemo caperet, nisi qui a populo imperium acciperet, si quis aliter fecisset, capitali pœna puniretur, qui eum occidisset, ei impune esset; deinde ut provocatio a consulibus ad populum esset, neve possent in caput civis Romani animadvertere injussu populi, relicto eis tantum, ut coercere possent, & in vincula publica duci juberent. In atrocibus vero casibus maximisque reip. periculis, vel necessitatibus, consulibus aliquando summum jus, & regia prorsus potestas ad tempus per senatum iis verbis concedebantur: *Ut consules darent operam, ne quid resp. detrimenti caperet. Ea potestas more Romano magistratui maxima permittebatur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque cives, domi, militiæque imperium atque judicium summum habere; aliter sine populi jussu nulli earum rerum consulibus jus fuisse* tradit Salustius. Hoc autem factum fuisse constat Gracchanis, & Saturnini tribunorum plebis seditionibus, conjuratione Catilinæ, tertio Pompeii consulatu, & novissimo reip. contra Cæsarem anno. Multa præterea de consulibus, & omnibus fere Romanis dignitatibus, quæ præcipuæ erant, differui in commentariis Fastorum: quæ quamquam reip. civitatisque Romanæ nobilissimæ partes erant, hoc tamen loco denuo eas repetere nolui; quod si quem earum desiderio teneri contigerit, is fastos ipsos adire poterit, in quibus de iis fere omnibus abunde disputavi. Hoc tamen loco quum ad libertatis initium devenerim, illud agam, ut omnium Romanorum magistratuum brevem quendam indicem, vel epilogum suggeram, ut uno aspectu, quæ ego in commentariis Fastorum, & alii diffuse admodum tractavimus, intelligi possint:

quum vero de iis ita disputaverim, ut majores tantum magistratus, vel digniores & notiores exposuerim, reliquos vero paulo obscuriores præterierim, huic deinde magistratuum Romanorum epilogo brevem adjungam earum dignitatum interpretationem, quam in fastorum commentariis non fecerim, atque ita omnia scite tradi poterunt, & absque inani repetitione nihil non disputatum transmitti.

CAP. LVI.

Nomina omnium magistratuum populi Romani ab urbe condita usque ad Constantinum imperatorem.

MAGISTRATUS URBANI.

Magistratus Majores Ordinarii.

REX

QUORUM primus fuit Romulus, novissimus Tarquinius Superbus. Dionysius, Livius, Plutarchus, Pomponius. Ego in Fastorum commentariis.

Præfectus, vel *Tribunus celerum*

A Romulo institutus, quorum primus Fabius Celer, novissimus L. Brutus, qui primus Consul creatus fuit. Dionysius, Pomponius. Ego in Fastorum commentariis.

Consules duo

Primum creati anno urbis CCXLV.

Dionysius, Livius, Plutarchus, Gellius, Messalla, & Pomponius. Ego in commentariis.

Censores duo

Primum creati anno urbis CCCXI.

Dionysius, Livius, Pomponius, sæpe Plutarchus. Ego in commentariis.

Prætores XV.

Hi primo fuerunt,

Prætor unus urbanus,

Creatus anno urbis CCCXXCVIII.

Livius, Plutarchus, Pomponius. Post duo,

Prætor urbanus, &

Prætor peregrinus,

Creati anno urbis DXII.

Livius, & Pomponius. Post duobus aliis additis, quattuor facti, id est,

Prætor urbanus,

Prætor peregrinus,

Prætor Siciliæ,

Prætor Sardiniæ, & *Corsicæ*,

Creati anno urbis DXXVII.

Livius, & Pomponius, ac Solinus. Post duobus aliis additis sex facti, id est,

Prætor urbanus,

Prætor peregrinus,

Prætor Siciliæ,

Prætor Sardiniæ, & *Corsicæ*,

Prætor Hispaniæ citerioris,

Prætor Hispaniæ ulterioris,

Creati anno urbis DLVII.

Livius, & Pomponius. Post quæstionibus publicis inventis, earumque numero a Sulla Felice dictatore aucto, duo prætores veteribus additi, eorumque numerus ad octo auctus, omnesque in urbe anno præturæ retenti, post annum vero præturæ, pro prætoribus in provincias missi. Fuerunt autem,

I. Prætor urbanus,

II. Prætor peregrinus,

III. Prætor de majestate,

IV. Prætor de vi,

V. Prætor de repetundis, *vel de Peculatu*,

VI. Prætor de crimine inter sicarios,

VII. Prætor de ambitu,

VIII. Prætor de veneficio, *vel de falso*.

Cicero sæpe. Pomponius, Tacitus, & alii.

IX. Prætor cerealis,

X. Prætor cerealis,

A Cæsare dictatore additi. Tranquillus, Dio, Pomponius:

XI. Prætor,

XII. Prætor,

Prætores alii duo ab Augusto additi. Tacitus, Tranquillus, Dio, Pomponius.

XIII. Prætor,

XIV. Prætor,

Qui de fideicommisso jus dicerent, a Claudio Imp. additi.

Quorum unum detraxit Titus, restituit Nerva, qui inter fiscum & privatos jus diceret. Pomponius.

XV. Prætor tutelaris,

A Marco Imp. factus. Julius Capitolinus.

Imperatores Cæsares Augusti.

Quorum primus Cæsar Augustus. Dio, In commentariis.

Donati tribunicia potestate.

Tacitus, Tranquillus, Dio, In commentariis.

Nobilissimi Cæsares, vel *Principes juventutis*,

Tacitus, Dio. Ego in commentariis.

Præfectus urbis,

Ab Augusto institutus. Tacitus, Dio, Tranquillus.

Magistratus majores extra ordinem.

Præfectus urbis absente ordinario magistratu,

A Romulo institutus, quorum primus Denter Romilius. Tacitus, Pomponius.

Interrex,

Post Romuli mortem factus. Dionysius, Livius, Plutarchus, In commentariis.

Dictator, &

Magister equitum,

Primum creati anno urbis CCLVI.

Dionysius, Livius, Plutarchus, Pomponius, In commentariis.

X. Viri legibus scribendeis consulari potestate,

In commentariis.

Creati anno urbis CCCIII. Dionysius, Livius, Pomponius.

Tribuni militum consulari potestate,

Primum tres, post quattuor, deinde sex. Creati anno urbis CCCX. Dionysius, Livius, Pomponius, In commentariis.

III. *Viri* R. P. C

Creati anno urbis CCCIX. Dio, Appianus, Tranquillus, In commentariis.

CAP. LVII.

Magistratus minores ordinarii.

Quæstores urbani duo, alias *Quæstores ærarii.*

PLUTARCHUS, Pomponius, Tacitus, In commentariis. Creati, vel sub regibus, vel a primo cos. Poplicola Anno CCXLV.

Tribuni plebis X.

Hi primo duo fuerunt creati anno CCLXI. post v. postremo X. facti. Dionysius, Livius, Pædianus, Pomponius, In commentariis.

Ædiles plebis II.

Eodem anno quo primi tribuni plebis creati. Dionysius, Livius, Pomponius, In commentariis.

Ædiles curules II.

Creati anno CCCXXCVIII. Livius, Pomponius, In commentariis.

Ædiles cereales,

Creati a Cæsare dictatore. Tranquillus, Pomponius, In commentariis.

Curatores omnium tribuum,

Varro libro quinto de lingua Latina.

III. Viri capitales,

Varro

A Varro libro quarto, Cicero pro Cluent. de orat. Livius libris XXV. & XXXIX. Tacitus libro V. Pomponius. Creati circa annum urbis CDLXV. In commentariis.

III. Viri nocturni,
Livius libro nono, Tacitus libro V.
III. Viri valetudinis,
Numus argenteus.
III. Viri monetales A. A. A. F. F
Cicero ep. fam. libro sexto. Pomponius.
IV. Viri viarum curandarum,
Dio, Pomponius, Vetustæ inscriptiones. Ego libro primo.
B *V. Viri cis & uls Tiberim,*
Livius, Pomponius.
X. Viri stlitibus judicandis,
Cicero sæpe. In lapidibus.
C. Viri litibus judicandis,
Pomponius, Festus.
Præfecti ærari,
Tacitus sæpe. In lapidibus.
Curatores operum publicorum,
ab Augusto instituti. Tranquillus.
Curatores alvei Tiberis, & cloacarum,
ab Augusto creati. Tranquillus, Lapides.
Curatores viarum singularum extra urbem,
C Plutarchus in Gracchis, Cicero ad Atticum, Tacitus, Tranquillus. Ego supra libro primo.
Præfectus prætorio,
ab Augusto lectus. Tacitus, Tranquillus.
Præfectus frumenti populo dividendi,
ab Augusto institutus. Tranquillus cap. XXXVI.
Præfectus vigilum,
Tacitus, Pomponius.
Curatores regionum,
Denuntiatores regionum,
Magistri vicorum urbis regionum,
XIIII.
D ab Augusto instituti. Tranquillus, Victor. Ego supra lib. I.
Advocatus fisci,
Julius Capitolinus in Macrino.

Magistratus minores extra ordinem.

II. Viri perduellionis,
a Tullio Hostilio rege primum creati. Varro, Dionysius, Cicero de oratore, Livius lib. I. & VI. In commentariis.
E *Quæstores parricidii,* vel *rerum capitalium,*
Pomponius. In commentariis.
Præfectus annonæ,
Livius sæpe.
V. Viri mensari,
Primum creati anno urbis CDII. Livius libro sexto.
III. Viri mensari,
Livius libro vigesimo tertio.
II. Viri navales,
Livius libris IX. X. & XLI.
III. Viri, qui conquirerent juvenes idoneos ad arma ferenda, militesque facerent,
F Livius libro vigesimo quinto.
V. Viri turribus, murisque reficiendis,
Livius libro vigesimo quinto.
X. Viri, qui judicant super sacramento, & libertate,
Cicero.
X. Viri distribuendorum donativorum,
Livius.
III. Viri legendi senatus,
III. Viri recognoscendi turmas eq. Rom.
a Cæsare Augusto excogitati. Tranquillus cap. XXXVI.

Magistratus populi Romani extra urbem, vel Provinciales.

Proconsulibus,
Cicero, Livius. In commentariis.
Proprætoribus,
Cicero, Livius. In commentariis.
Legati proconsulum,
Cicero, Livius. In commentariis.
Legati proprætorum,
Cicero. In commentariis.
Quæstores provinciales XVIII.
In Commentariis.
Primum II. deinde sex, postremo XVIII. a Sulla facti. Tacitus.
Proquæstoribus,
Cicero. In commentariis.
Præfectus Ægypti,
Dio, Tranquillus.
Præfecti præfecturarum,
Festus.
Consulares quattuor, qui per Italiam jus dicerent,
ab Hadriano imp. creati. Spartianus.
Juridici Italiæ,
a Marco creati. Capitolinus.
III. *Viri* vel,
V. *Viri* vel,
VII. *Viri* vel,
X. *Viri,*
Coloniæ deducendæ. Sæpe Livius.
V. *Viri* vel,
VII. *Viri* vel,
XX. *Viri*
Agris dandis adtribuendis. Sæpe Cicero, & alii.
V. *Viri* vel,
XV. *Viri*
Agrorum metiendorum, dividendorumque. Livius.
III. *Viri* vel,
V. *Viri,*
ad inspiciendos fines, litesque dirimendas. Livius libro tertio & alibi.

Nomina ministrorum magistratuum P. R.

Scribæ,
Cicero, Lapides.
Accensus, vel *Adcensus,*
Varro libro quinto de lingua Latina.
Præcones,
Cicero in Verrem VII. in Rullum, pro Milone, Gellius libro XII. cap. octavo.
Lictores,
Festus, Gellius.
Viatores,
Festus, Gellius.
Carnifices,
Tacitus, Plinius.
Diribitores,
Cicero pro Plancio, ad Q. Fratrem libro tertio, & secundo de natura deorum.
Rogatores,
Cicero post reditum in senatu, & secundo de divinatione.
Custodes,
Cicero secunda in Rullum.
Nomenclatores,
Lapides, Cicero pro Muræna.
Divisores,
Cicero secunda in Verrem, Asconius, hi
Magistri curiarum
dicuntur a Plauto in Aulularia.

CAP. LVII.

Commentarius in eos Magistratus, quos in commentariis Fastorum praeterii.

Praefectus urbis

PRAEFECTUS urbis extraordinarius magistratus erat, qui creabatur quoties consules bellis ex urbe avocabantur, ne respublica sine magistratu esset. Hunc magistratum Romulum instituisse tradit Tacitus libro V. *Sed praecipua ex eo Pisoni gloria, quod praefectus urbi recens, continuam potestatem,* B *& insolentia parendi graviorem, mire temperavit. Namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur. Feruntque a Romulo Dentrem Romulium, post a Tullo Hostilio Numam Martium, ab Superbo Tarquinio Sp. Lucretium impositos. Dein consules mandabant: duratque simulachrum quoties ob ferias Latinas praeficitur, qui consulare munus usurpet. Ceterum Augustus bellis civilibus Cilnium Maecenatem equestris ordinis cunctis apud Romam, atque Italiam praeposuit. Mox rerum potitus ob magnitudinem populi, ac tar-* C *da legum auxilia, sumpsit e consularibus, qui coerceret servitia, & quod civium audacia turbidum nisi vim metuat. Primus Messalla Corvinus eam potestatem, & paucos intra dies finem accepit, quasi nescius exercendi. Tum Taurus Statilius quamquam provecta aetate, egregie toleravit. Dein Piso viginti per annos pariter probatus publico funere ex decreto senatus celebratus est.* Ex iis Taciti verbis manifestum est, praefectos urbis illos veteres a Romulo institutos fuisse, atque non a populo, sed a regibus, vel consulibus creari solitos. Unde etiam id colligi potest, multo magis observatum fuisse in adumbrato illo praefecto Latinarum feriarum caussa creato. Profe- D ctis enim urbe consulibus, summum imperium erat penes praetorem urbanum, nisi quum ob Latinas ferias urbe exibant singulis annis consules. Tum enim ad usurpationem vetustatis, praefectus in urbe relinquendus erat a consulibus, penes quem, non penes praetorem imperium esset in urbe, ne scilicet populus se religione obstrictum putaret, si quid in Latinis feriis omissum esset, quod a veteribus usurpatum fuisset. De hoc praefecto urbi Latinarum caussa scribit Gellius lib. XIV. cap. ultimo: *Praefectum urbi Latinarum caussa relictum senatum habere posse negat Mucius, quoniam ne senator quidem sit,* E *neque jus habeat sententiae dicendae, quum ex ea aetate praefectus fiat quae non sit senatoria. M. autem Varro in* IV. *epistolicarum quaestionum, & Atejus Capito in conjectaneorum* CCLIX. *jus esse praefecto habendi senatus dicunt. Deque ea re assensum esse Capitonem Tuberoni contra sententiam Mucii refert. Namque & tribunis (inquit) plebis senatus habendi jus erat, quamquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum.* Sunt etiam Pomponii haec verba lege II. de origine juris: *Quoties autem proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat, isque vocatur praefectus urbis; qui praefectus ita olim constituebatur, postea vero Latinarum feriarum caussa introductus est, & quotannis observatur.* F Quamdiu igitur non erant in urbe praetores, quibus summum imperium esset per absentiam summi magistratus, tam diu penes praefectos urbis fuit potestas non modo vocandi consulendique senatum, sed etiam agendi cum populo; unde fit, ut centuriata comitia habendi jus etiam esset praefecto urbis, ut intelligi potest ex eo, quod scribit Livius in fine libri primi: *Duo consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis, ex commentariis Ser. Tulli creati sunt.* Eum tamen ante interregem factum fuisse, quam haec comitia haberet, refert Dionysius. Verum post institutam dictaturam A subrogandis magistratibus dictator potius creabatur, si ad interregnum res non rediisset, quam ut ea comitia haberet praefectus. Quin tamen vel legibus ferendis, vel judicio exercendo, praefectus urbis jus haberet centuriatis comitiis agendi cum populo, negari non potest. At post introductum Romae praeturae magistratum desiit praefectus urbis fieri, nisi quod Latinarum caussa profectis urbe consulibus relinquendus erat praefectus urbis, idque (ut dixi) religionis caussa potius, quam quod eo magistratu magnopere opus esset. Et quoniam feriis agi cum populo non licebat, idcirco planum est huic praefecto urbis, cui imperium erat nisi tempore Latinarum, jus non fuisse agendi cum populo, tametsi vocandi senatus (si quid interim accidisset, cur extra ordinem vocandus videretur) jus habebat, ut ex Gellio vidimus. Reliquo vero anni tempore quamquam abessent consules, nullus locus reliquus erat huic magistratui, sed summa potestas erat penes praetorem urbanum, ut tradit Cicero lib. X. epist. fam. his verbis: *Placuit nobis ut statim ad Cornutum praetorem urbis litteras deferremus, qui quod consules aberant, consulare munus sustinebat, more majorum.* Haec autem, quae dicit, intelligi debent de tempore, quo civitas libera fuit; nam sub imperatoribus jam inde ab Augusto, ut tradit Tacitus lib. V. coepit ordinaria & continua esse potestas praefecti urbis. Et Tranquillus in Augusto cap. XXXVI. ipsum scribit pleraque nova officia excogitasse, in queis praefecturam urbis. De praefecto urbis mentio est apud juris consultos in titulo de praefecto urbis. Hic (ut dixi) ab Augusto institutus usque ad nostra saecula perdurat. Tametsi praeter hunc urbis praefectum ordinarium & continuum, alius Latinarum causa praefectus urbis creari soleret, ut apparet ex libris IV. & V. Cornelii Taciti, qui Latinarum modo tempore consulare munus obibat. De hoc praefecto urbis frequentissima in omnibus lapidum, & librorum monumentis mentio est.

DEO . HERCVLI
INVICTO
C.IVL. POMPONIVS
PVDENS
SEVERIANVS
V.C. PRAEF. VRBI

item

HERCVLI . INVICTO
T. FLAVIVS. IVLIANVS
QVADRATIANVS. V. C
PR. VRBI. XV.VIR. S.F.
DONVM. DEDIT

item

D . N . VALENTI
MAXIM . PRINCIPI
SEMPER . AVGVST
L. VOCONTIVS. VICASIVS. V.C.
PRAEF. VRBI. ITER. PRAEF
LEG. VI. PRAEF. PR. PROV
GAL. PROC. XX. HER. EIVSDEM
I. S. C. D. N. M. Q. E. D. D

CAP. LVIII.

De curatoribus tribuum, & aliis quibusdam magistratibus ut & nonnullis minoribus extra ordinem.

DE curatoribus omnium tribuum sic scribit M. Varro lib. V. de lingua Latina: *Omnes Quirites pedites, armatos, privatosque, curatores omnium tribuum, si quis pro se, sive altero dari rationem volet, voca inlicium huc ad me.* Curatores tribuum erant perinde

ac in vicis vicorum magiſtri, qui tribuum commoda procurarent.

Multorum præterea magiſtratuum mentio eſt tam in vetuſtis inſcriptionibus, quam apud Tacitum, quos Romæ poſt Auguſti tempora creatos fuiſſe ab imperatoribus conſtat, ut procuratoris a rationibus, operum publicorum, Cæſaris, XX. hereditatium, præfecti alimentorum, frumenti, vehiculorum, curatorum annonæ, tabulariorum publicorum, muneris publici, & multorum præterea ſimilium, quos, quia haud multum ad rem faciunt, prætereo,

Extraordinarios magiſtratus urbanos, hoc eſt quibus etiam in urbe imperium eſſet, multos ac diverſi generis in hiſtoriis paſſim inveni. Nam ut quæque negotia occurrebant, quæ extraordinariam curationem requirere videbantur, ita alii atque alii magiſtratus creabantur. In hoc genere erant præfecti annonæ, qualem fuiſſe legimus L. Minucium apud Livium lib. IV. Pompejus quoque hunc magiſtratum geſſit creatus eo anno, quo Cicero revocatus eſt ab exilio, ut conſtat ex oratione pro domo. Hunc ordinarium Auguſtum feciſſe tradit Tranquillus, qui eum curatorem frumenti populo dividendi vocat, & in antiquis inſcriptionibus curator, & præfectus annonæ dicitur ſic.

CARPVS. AVG. LIB
PALLANTIANVS
ADIVTOR. CLAVDI
ATHENODORI. PRAEF
ANNONAE. FECIT. SIBI
ET. CLAVDIAE. CALE
CONIVGI. PIISSIMAE. ET
TI. CLAVDIO. ROMANO
VERNAE. ET. LIBERTIS
LIBERTABVS.POSTERISQVE
EOR

item

M. MAECIO. MEMMIO
FVRIO. BALBVRIO
CAECILIANO. PLACIDO.C.V
PRAEFECTO. ANNONAE
VRBI. SACRAE. CVM
IVRE. GLADII

item

T.FLAVIVS. INGENVVS
CVRATOR. ANNONAE
SVA. PECVNIA
COMPAR
SIBI. ET. POSTERISQVE
SVIS

Magiſtratus quoque extra ordinem fuerunt V. viri menſarii P. Valerio & C. Martio II cos. creati, ad liberandum ære alieno populum, de quibus Livius lib. VI. Item III. viri menſarii alii, tempore ſecundi belli Punici facti ſunt, de quibus idem Livius lib. XXIII. ita ſcribit. *Et Romæ quoque propter penuriam argenti triumviri menſarii rogatione Minutii trib. pl. facti ſunt.*

In hoc genere erant & II. viri navales, de quibus Livius lib. X. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia, unum, ut tribuni militum, &c. alterum ut* II. *viros claſſis ornandæ reficiendæque cauſſa idem populus juberet.* Lator hujus plebiſciti fuit M. Decius tribunus plebis. Hunc vero non fuiſſe ordinarium magiſtratum inde poteſt intelligi, quod Livius lib. XL. & XLI. quum rurſus hujus magiſtratus meminit, certam cauſſam creationis aſſignat, nec ſimul creari facit cum ordinariis magiſtratibus, ſed prout neceſſitas requierebat. Quum enim ita ſcribit: II. *viri navales creati C. Matienus, & C. Lucretius;* verba antecedentia oſtendunt ſubito eos creatos, poſtquam nuntiatum eſſet a Liguribus obſideri L. Æmilium. At ſi ordinarius magiſtratus eſſet, non ita pro neceſſitate ſubito creatus fuiſſet, ſed jam ſuperiore anno cum reliquis magiſtratibus ordinariis creatum oportuiſſet. Et lib. XLI. Quia fecerat mentionem C. Furii II. viri navalis, propterea ut cauſſam hujus magiſtratus redderet, ſtatim ſubjicit: *Adverſus Illyriorum claſſem creati* II. *viri navales erant, qui tuendam* XX. *navibus mari ſuperiore Anconam velut cardinem haberent.* Quia vero illic duumvirum navalem appellat L. Cornelium Dolabellam, qui biennio ante in eo magiſtratu etiamnum erat, hinc profecto clarum argumentum haberi poteſt, non fuiſſe eum ordinarium magiſtratum, cujus imperium eſſet pluſquam annuum.

His etiam addendi ſunt III. viri, qui juvenibus ad Militiam conquirendis tempore ſecundi belli Punici creati ſunt, de quibus ſcribit Livius lib. XXV. *Conſules quum ægre delectum conficerent, quod inopia juniorum non facile in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & ſupplementum veteribus ſcriberetur, ſufficiebat; Senatus abſiſtere eos inceepto vetuit, &* III. *viros binos creari juſſit, alteros qui citra, alteros qui ultra quinquageſimum lapidem, in plateis, foriſque, & in conciliabulis, omnem copiam ingenuorum inſpiceret: & ſi qui roboris ſatis ad ferenda arma habere viderentur, etiam ſi nondum militari ætate eſſent, milites facerent.*

Reperio etiam in horum numero fuiſſe V. viros muris, turribuſque reficiendis creatos, de quibus Livius libro XXV. *Comitia deinde* (inquit) *a prætore urbano de ſenatus ſententia, plebiſque ſcito ſunt habita, quibus creati ſunt* V. *viri turribus muriſque reficiendis.*

De X. viris, qui judicarent ſuper ſacramento & libertate, Cicero. De X. viris vero diſtribuendorum donativorum Livius. III. virorum legendi Senatus, & recognoſcendi turmas equitum Romanorum, quotieſcunque opus eſſet, Tranquillus in Auguſto (ut dixi) mentionem faciunt. Fuit præter hos, & judex quæſtionum, de quibus in antiqua inſcriptione mentio eſt. Atque hæc ſunt magiſtratuum minorum extra ordinem nomina, quæ adhuc ego extare viderim; qui omnes tributis comitiis quotieſcunque eos fieri opus eſſet, repub. ſtante, creabantur, nam poſtea imperatorum beneficia, ut alia omnia, eſſe cœperunt.

CAP. LIX.

De III. viris nocturnis, & præf. vigilum.

PAULUS jureconſultus lege I. de officio præfecti vigilum digeſt. lib. primo, de III. viris nocturnis ſic ſcribit: *Apud vetuſtiores incendiis arcendis* III. *viri præerant, qui ab eo, quod excubias agebant, etiam nocturni dicti ſunt.* Et Livius libro IX. ubi de Cn. Flavio loquitur, ita ſcribit: *Quem aliquando ante deſiiſſe ſcriptum facere, arguit Macer Licinius tribunatu ante geſto, triumviratibuſque, nocturno altero, altero coloniæ deducendæ.* Et Tacitus: *Triumviri nocturni, quod ad incendium in ſacra via ortum tarde venerant, a tribuno plebis die dicta damnati ſunt.* Ex quibus verbis apparet eum fuiſſe ordinarium magiſtratum, cujus eſſet annua poteſtas. Horum locum poſtea aliquot vigilum cohortes cum eorum præfecto ab Auguſto inſtitutæ tenuerunt, quæ prohibendis nocturnis incendiis per urbem excubabant. De præfecto vigilum meminit vetus hæc inſcriptio.

PAVLLINAE. VALERIANAE
RARISSIMAE. SANCTISSIMAE
FEMINAE. PATRONAE. F
L. PAVLLINVS. VOLVSIVS
V. C. PRAEF. VIGIL. ROM

item

LVNAE. AETER. SACR

PRO. SALVTE A
IMP. CAES. L. SEPTIMI
SEV. PII. INVIC. PRIN
PONT. MAX. P. P
IVLIVS. BALBILLVS
ANVLLINVS
PRAEF. VIGIL. V.S. L.M

CAP. LX.

De III. viris valetudinis.

HUJUS magistratus nulla apud veteres auctores, B quod sciam, mentio est, in antiquo vero argenteo nummo sic scriptum est: M. ACILIVS. III. VIR. VALETV. Hi nostra ætate pestis caussa creari solent, atque Domini sanitatis vocantur, quibus temporibus de morbo suspectis, magna potestas concedi solet. Nummi vero verba sic ego interpretor: *M. Acilius III. vir valetudinis tuendæ.*

CAP. LXI.

De III. viris monetalibus A. A. A. F. F. *III. viris capitalibus, V. viris cis & uls Tiberim, & de X. viris stlitibus judicandis.* C

POMPONIUS lege II. de origine juris: *Constituti sunt eodem tempore, & IV. viri qui curam viarum agerent, & III. viri monetales æris, argenti, auri flatores, & III. viri capitales, qui carceris custodiam haberent, ut quum animadverti oporteret interventu eorum fieret.* De III. viris monetalibus, & capitalibus mentio est apud Ciceronem epist. fam. lib. VII. & in antiquis nummis, lapideisque epigrammatibus sic.

L. ANNIO. FABIANO
III. VIRO. CAPITAL
TRIB. LEG. II. AVG

item

D. M
RELIQVIAE
CORPORIS. M
TARQVINII.CRISPI
FRONTONIS. C. L
III. VIRI. CAP

item

TI. PLAVTIO. M. F. M. N
SILVANO. AELIANO
PONTIF. SODALI. AVGVSTALI
III.VIR.A.A.A.F.F.Q.TI.CAESARIS
LEG. LEG. V. IN. GERMANIA

De V. viris cis, & uls Tiberim Pomponius leg. II. de origine juris: *Et quia*, inquit, *magistratibus vespertinis temporibus in publicum esse inconveniens erat, quinque viri constituti sunt cis Tiberim & uls Tiberim, qui possent pro magistratibus fungi.* De iisdem meminit Livius.

Decemvirorum stlitibus judicandis Cicero, & Plinius in epistolis meminerunt. In lapidibus quoque, & iis præsertim, quos passim in hoc libro citavi, frequentissima mentio est. Admonet Quintilianus verbum *stlitibus* idem significare *quod superlites.*

C. MAESIO. C. F
PLACATIANO
X. VIRO. STLITIB.IVD
TRIB. MIL. LEG.I.ITALIC
Q. PROV. AFRIC
ALLECT.INTER.TRIBVN
AB. IMPERATORE
HADRIANO. ANTONINO
AVG. PIO
PRAETORI. PATRONO
D. D

item

P. STATIO. P. F
FAB. PAVLLO
POSTVMIO. IVNIORI
X.VIRO.STLITIB.IVDIC
TRIB. MIL. LEG. VII
GEM. FELIC
VI.VIRO. EQVIT. ROMANOR
Q.PROVINC. AFRIC.TRIB.PLEB
PRAETOR. LEG. PR. PR
PONT. ET. BITHYN. PRO.COS
PROVINC. BAETICAE
TITVLO. VSVS
D. D

CAP. LXII.

De C. viris.

POMPONIUS, *deinde* (inquit) *quum esset necessarius magistratus, qui hastæ præesset, centumviri litibus judicandis constituti sunt.* Et Festus: *Centumviralia judicia a centumviris sunt dicta; nam quum essent Romæ XXXV. tribus, terni ex singulis tribubus sunt electi ad judicandum, qui centumviri appellati sunt: Et licet quinque amplius, quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur centumviri sunt dicti.* De centumviris primo de oratore meminit Cicero. Ad quorum munus intelligendum illud est animadversione dignum: Judicia omnia, quæ ad cives Romanos pertinebant, aut privata, aut publica fuisse. Privatis judiciis præerant duo prætores, urbanus, qui inter cives jus dicebat, & peregrinus, qui inter peregrinos. Si autem actio privata hujusmodi esset, ut de jure potius, quam de facto quærendum esset, prætor ad centumviros suum velut consilium remittebat; sin de facto quærendum esset, prætor judices dabat; si nihil esset cur de jure, aut facto quærendum esset, prætor ipse decretum interponebat. Publicis quæstionibus, post institutas quæstiones perpetuas præerant reliqui prætores quattuor.

CAP. LXIII.

De quæstoribus, præfectis, & VIII. viris ærari Saturni, & aliquot officiis publicis ab Augusto excogitatis.

QUÆSTORUM, & præfectorum ærari sæpissime mentio est apud Tacitum, & in vetustis epigrammatibus. Hi ærari populi Romani, quod in templo Saturni erat, cum VIII. viris curam habebant, atque tabularum relati & expensi custodes erant, de quibus in antiquis his inscriptionibus ita mentionem extare vidi:

P. CORNELIO. LENTVLO
SCIPIONI. COS. PRAEFECTO
AERARI. LEGATO. &c.

item

L. CALPVRNIVS. PISO

M. SALVIVS
PR. AERARI &c.

item

C. POPILIO. C. F. QVIR. CARO
PEDONI. COS. VII. VIRO
EPVLONI. PRAEF. AERARI
SATVRNI &c.

item

T. PETIDIO. T. F
FABIA. CASSINO
VIII. VIRO. III.. AERARI. &c.

item

M. PVBLICIO
M.F. FAB. SEXTIO
CALPVRNIANO
QVAESTOR. AERAR

Hæc autem epigrammata idcirco hic mutila exaravi, quod supra integra descripserim. Erant & curatores pecuniæ publicæ, item sacræ pecuniæ, quorum inscriptiones supra attuli; quos municipales potius quam urbanos fuisse crediderim.

De aliquot officiis publicis ab Augusto excogitatis.

Tranquillus in Augusto cap. XXXVII. *Quoque plures* (inquit) *partem administrandæ reip. caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, & aquarum, alvei Tiberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis, triumviratum legendi senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum, quotiescunque opus esset.* Hos quoque magistratus memorant hæ vetustæ inscriptiones.

C. PONTIO. C. F. FAB
PELIGNO. TRIB. MIL
LEG. X. GEM. Q. CVRAT
LOCORVM. PVBLIC
ITERVM. AEDILI. CVRVL
LEGATO. PRO. PR. ITERVM
EX. S. C. ET. EX. AVCTORI
TATE. CAESARIS. D. D

item

C. CALPETANVS. STATIVS
SEX. METRORIVS
M. PERPENNA. LVRCO
T. SARTIVS. DECIANVS
CVRATORES. TABVLARIOR
PVBLICORVM. FAC. CVR

item

C. POPILLIO. C. F. QVIR
CARO. PEDONI
COS. VII. VIRO. EPVLON
CVRATORI. OPERVM
PVBLICOR. PRAEF
AERARI. SATVRNI
CVRATORI. VIARVM. &c.

item

C. CALPETANVS. RANTIVS
QVIRINALIS. VAL. CESTIVS
CVRATOR. RIPARVM. ET
ALVEI. TIBERIS. TERMINAVIT

item

TI. IVLIVS. FEROX. CVRATOR
ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS
ET. CLOACARVM. VRBIS. TERMI
NAVIT. RIPAM. R. P. PROXIMO
CIPPO. P. CCCLXXXI. S

A

item

C. VIBIVS. C. F. RVFVS
SEX. SOTIDIVS. SEX. F
STRABO. LIBVSCID
C. CALPETANVS. C. F
STATIVS. RVFVS
M. CLAVDIVS. M. F. MARCELLVS
L. VISELLIVS. C. F. VARRO
CVRATOR. RIPARVM. ET
ALVEI. TIBERIS
EX. S. C. TERMIN

B

CAP. LXIV.

De præfecto prætorio, & advocato fisci.

EUNDEM dignitatis gradum, quem apud reges tribuni celerum, apud dictatores magistri equitum, habuerunt apud Imperatores præfecti prætorio: cujus munus ab Augusto excogitatum, a Tiberio Cæsare stabilitum est. Hi cohortibus prætorianis in urbe ad corporis Romanorum principum custodiam ab Augusto Cæsare institutis præerant, atque ex equitibus Romanis legebantur; diu enim senatorem præfectum prætorio fieri non posse mos fuit. C Postea quum ex præfectis prætorio imperatores quoque creari cœpti sunt, quorum primus Macrinus fuit, nec dum senatoribus postea, sed etiam consularibus ea dignitas patuit. Horum maxima auctoritas semper fuit, quippe qui valentissimis & fortissimis cohortibus præerant. Legebantur autem ex mero principis arbitrio. Sæpe etiam duo, interdum tres præfectos prætorio una creatos fuisse legi, idque pro principum voluntate; sed frequentior usus erat, ut unus tantum esset prætorio præfectus. Perduravit autem Romæ hic magistratus usque ad Constantini imperium, in quo quum prætoriani pro Maxentio con- D tra Constantinum stetissent, post victum & occisum tyrannum, castro prætorio diruto a Constantino, cohortes prætorianæ exauctoratæ sunt, atque ita præfectorum prætorio dignitas hac ratione sublata est. In quorum locum quum ipse imperator novam quandam orbis Romani divisionem commentus esset, ut um in quattuor præcipuas partes, sive diœceses di- ideret, quattuor quoque præcipuos viros creavit, qui singulis præessent. Quorum unus præfectus prætorio Galliarum dicebatur: is Galliis, Hispaniæ, Britanniæ, & Germaniæ præerat. Alter præfectus prætorio Italiæ, cujus administrationi & Africa ad- E dita erat. Tertius porro præfectus prætorio Illyrici fuit, cui Græcia omnis, Thracia, Noricum, Pannoniæ, Mœsia, Dalmatia, & reliquæ ejus tractus provinciæ adjudicatæ. Quartus vero præfectus prætorio orientis erat: is Orientem, id est, omnes transmarinas provincias, suprema potestate regebat. ita Zosimus. De utrisque præfectis prætorio tam ante, quam post Constantini imperium mentio est in vetustis his inscriptionibus.

L. FVRIO. L. F
PAL. VICTORI
PRAEF. PRAET
IMPERAT. OMNIVM. &c.

F

item

SEX. PETRONIO. PROBO. V. C
ANICIANAE. DOMVS. CVLMINI
PROCONSVLI. AFRICAE
PRAEFECTO. PRAETORIO
QVATER. ITALIAE. ILLYRICI
AFRICAE. GALLIARVM
CONSVLI. ORDINARIO
PATRI. CONSVLVM &c.

A Advocatum fisci Hadrianus imperator instituit (ni fallor) de quo Capitolinus in Macrino, & vetus hæc inscriptio meminerunt.

Q. HORTENSIO
Q. F. COL
FAVSTINO
ADVOCATO. FIS
CI.PRAEF.FABR &c.

CAP. LXV.

B *De magistratibus populi Romani provincialibus, præfecto Ægypti, præfectis præfecturarum, & Consularibus Italiæ.*

PROVINCIALES dicuntur omnes magistratus, quibus erat imperium curatiove extra urbem tantum: in hoc numero erant proconsules, proprætores, legati proconsulum, & proprætorum, quæstores provinciales & pro quæstoribus cum jure prætorio, de quibus in Fastorum commentariis abunde scripsi: item præfectus Ægypti, juridicus Alexandriæ, præfecti præfecturarum, consulares, & juridici Italiæ, censitores civium Romanorum colonorum; C item III. V. VII. X. viri coloniæ deducendæ, V. VII. XX. viri agris dandis attribuendis; item V. & XV. viri agris metiendis dividendisque; & postremo III. vel V. viri ad inspiciendos fines, litesque dirimendas, de quibus nunc brevissime verba faciam; nam magistratus extra urbem militares, ut legatos consulares, vel pro prætoribus, provinciarum Cæsaris, procuratores provinciarum Augusti, legatos consulares legionum, præfectos castrorum, tribunos militum, præfectos fabrum, præfectos alarum, ducennarios, centuriones, cornicularios, tesserarios, & alia ejusmodi militaria munera tertio libro describam.

D Antonio & Cleopatra victis, quum Augustus Cæsar Ægyptum in provinciæ formam redegisset, eam equitibus Romanis administrandam reliquit, veritus ne, si violentiores senatores præsides nacta esset, occasionem rerum novandarum afferret: primus igitur qui ei præfuit præfecti sub nomine Cornelius Gallus fuit, a quo deinceps omnes, qui ei provinciæ præfuerunt, præfecti nomine appellati sunt. Is etiam Ægypti juridicus appellabatur. De utrisque mentio est in hisce vetustis inscriptionibus:

PRO. SALVTE
TI. CLAVDI. CAESARIS
E AVG. GERMANICI
EX. VOTO. SVSCEPTO
D. IVLIVS. SEX. F. COR
POSTVMVS
PRAEF. AEGYPTI
EX. AVRI. P. XVI

Item:

L. BAEBIVS. L. F
GAL. IVNIANVS
IVRIDICVS. AEGYPTI

F De præfectis præfecturarum Sex. Pompeius: *Præfecturæ* (inquit) *hæ appellantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erant quædam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant: in quas legibus præfecti mittebantur quotannis, qui jus dicerent. quarum genera fuere duo, alterum, in quas solebant ire præfecti populi suffragio creati, ut in hæc oppida, Capuam, Cumas, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteolos, Acerras, Fesulas, Atellam, Calatiam. Alterum, in quas prætor urbanus quotannis præfectos mittebat, ut Fundos, Formias, Cære, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagniam, Frusinonem, Reate, Saturniam, Nursiam, Arpinum, aliaque complura,* &c.

De quattuor consularibus, qui per Italiam jus dicerent, ab Hadriano institutis, Appianus libro I. bellorum civilium, & Julius Capitolinus in Marco: de juridicis vero Italiæ idem Capitolinus in Pio mentionem faciunt; de quibus latius sequente libro disputabo.

De III. V. VII. X. XV. & XX. viris, aut quotquot omnino creari placuerat, coloniarum deducendarum, agris dandis, attribuendis, metiendisque, ad inspiciendos fines, litesque dirimendas, tam frequens in omnibus historiis mentio est, ut de iis aliquid scribere supervacaneum esse arbitror, quum omnia, quæ de iis dici possent, aperta sint & manifesta. De dignitatibus vero, & officiis extra urbem militaribus sequente lib. disputabo, ubi legiones populi Romani describam.

CAP. XLVI.

De ministris magistratuum.

DE ministris vero magistratuum quamquam satis supra dixerim, ubi ipsorum seriem digessi, non alienum tamen erit breviter ex instituto etiam hoc loco aliquid scribere. Inter quos primum locum obtinebant scribæ, quorum munus erat litteras vel acta, aliudve cujusvis magistratus scribere. Erant autem, ut ex antiquis lapidibus didici, scribæ consulum, prætorum, ædilium, quæstorum, & aliorum magistratuum, ut sic:

L. TARQVITIO
L. F. POM
ETRVSCO
SVLPICIANO
SCRIBAE.QVAESTORI
EX. TESTAMENTO
DE. H-S. XX

De accenso sic scribit M. Varro lib. V. de lingua Latina: *Deinde consul loquitur ad exercitum: Impero, quia convenit ad comitia centuriata. Quare hic accenso, ille præconi dicit: Hæc est caussa. In aliquot rebus idem ut præco accensus acciebat, a quo accensus quoque dictus. Accensum solitum ciere Bœotia ostendit, quam comœdiam Allii esse dicunt hoc versu:*

Ubi primum accensus clamarit meridiem.

Hoc idem Cosconius in actionibus scribit, prætorem accensum solitum tum esse jubere, ubi ei videbatur horam esse tertiam, inclamare horam esse tertiam, itemque meridiem, & horam nonam. Marcellus vero scribit accensos genus militiæ esse administrantibus proximum, dictos quod ad necessarias res sæpius accirentur, veluti accersiti. Sex. vero Pompeius: *Accensi* (inquit) *dicebantur, qui in locum mortuorum militum subrogabantur, & ad censum adjiciebantur.* Idem libro I. *Adscriptitii veluti quidam scripti dicebantur, qui supplendis legionibus adscribebantur, hos & accensos dicebant.* Sed Varro rectius, qui docet accensos administratores fuisse magistratuum ab acciendo dictos, id est vocando; nam accensus instar præconis acciebat jussu consulis Quirites ad concionem. Plinius libro VII. *Adjectus est & meridies accenso consulum id pronuntiante.* Erant singulis præsidibus provinciarum accensi, quod munus nemini nisi libertis deferebatur, ut scribit Cic. ad Q. Fratrem. Asconius autem sic: *Accensus est nomen ordinis & promotionis in militia, & nunc dicitur princeps, vel commentariensis, aut cornicularius.* De accensibus mentio est in vetustis epigrammatibus sic:

SECVRITATI
COGNATIONIS. SVAE
FORTVNATVS. AVG. L
VERNA. PATRONIS
AB. EPISTVLIS
ACCENSVS. PATRON
DIVO. AVG. VESPASIANO
LICTOR. CVRIAT
VIAT. HONOR. DEC. COS. ET. PR
ET. SIBI. ET
EPAPHRODITO. AVG. L
AB. EPISTVLIS. FRATRI. SVO

Item:

L. VARRONIO. L. F
PAL. CAPITONI
SCRIBAE. AEDILIC
ACCENSO. VELATO
II. VIRO. QVINQVENN
CVRATORI. VIARVM
PATRONO. COLONIAE
ORDO. REGALIVM
QVORVM. HONORE
CONTENTVS. SVA. PECVN
POSVIT. L. D. D. D

Item:

T. TETTIENVS. FELIXAVGVSTALIS
SCRIBA. LIBROR. AEDIL. CVRVL
VIATOR. AEDIL. PLEBIS. ACCENSVS
CONSVLI. HS. L. M. N. LEGAVIT
AD.EXORNANDAM.AEDEM.POMONIS
EX.QVA.SVMMA.FACTVM.EST. FASTIGIVM
INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA
MARMOREA. OPVS. TECTORIVM.

Præcones quoque inter magiſtratuum miniſtros erant. Hi in judiciis erant, ſenatuſconſulta prædicabant, poſteaquam decreta erant, judices, candidatos, tribuum & curiarum ſuffragia ſuis nominibus appellabant, ſcribis ſubjicientibus edicta populo pronuntiabant, litteras in ſenatu, & ad populum publice legebant, bona quæ proſcribebantur publicæ auctioni proponebant, ac proclamabant, & pretia (ut inquit Cicero) conficiebant. De his Plautus in Poenulo: *Exurge præco, fac populo audientiam*. Præconum tam apud omnes auctores, & præſertim Ciceronem, quam in antiquis inſcriptionibus frequens mentio eſt.

C. MATIENI. C. F. OVF
OVICVLAE
ANNORVM XXVII
PRAECO. IDEM. DISSIGNATOR

Lictores miniſtri erant regum primo, deinde conſulum, proconſulum, prætorum, & proprætorum, & dictatorum; ſed dictatoris & conſulis duodeni lictores erant, ceterorum ſeni tantum. Hi virgarum faſciculos cum ſecuribus ligatos portabant, magiſtratibus præibant, ac quoties juſſi erant, faſciculos virgarum ſolventes, primo virgis cædebant damnatum, mox ſecuri feriebant. Livius: *Miſſique lictores ad ſumendum ſupplicium, nudatos virgis cædunt, ſecurique feriunt*. Hos primus inſtituit Romulus, ut Livius & Plutarchus auctores ſunt. Dicti autem lictores ſunt a ligando, eo quod magiſtratus populi Romani, priuſquam quempiam verberari juſſiſſet, manus a miniſtris illi jubebat ligari. Viatores porro dicebantur, qui magiſtratibus parebant, eo quod plerumque evocabantur ex agris homines ad magiſtratus, & frequens eorum ab agris ad urbem via erat. Columella in præfatione libri primi: *Illis temporibus proceres in agris morabantur, & quum conſilium publicum deſiderabatur, a villis arceſſebantur in ſenatum, ex quo qui eos arceſſebant, viatores nominati ſunt*. Poſtea viatorum nomen ad tribunorum & ædilium plebis miniſtros translatum eſt, qui illorum juſſu quemlibet prehendebant: nam conſulum, ut dixi, proconſulum, prætorum miniſtri lictores dicebantur. Livius lib. II. ab urbe condita: *Ardens itaque ira tribunus, viatorem miſit ad conſulem, conſul lictorem ad tribunum*. Gellius lib. XIII. cap. XII. ex libro XXI. rerum humanarum Varronis: *In magiſtratu* (inquit) *habent alii vocationem, alii prehenſionem, alii neutrum. Vocationem ut conſules, & alii qui habent imperium; prehenſionem ut tribuni plebis, & alii qui habent viatorem; neque prehenſionem, neque vocationem, ut quæſtores & ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem*. Hi omnes, ut ſcribæ, accenſi, præcones, lictores, viatores, uno nomine apparitores vocabantur ſive ſtatores, quod apparerent & præſto eſſent ad obſequium magiſtratuum: confundi tamen omnia hæc nomina ex his antiquis inſcriptionibus animadverti:

T. STABERIVS. EPIGONVS
VIATOR. CONSVLARIS
SIBI. ET. SVIS. ITEM
LIBERTABVS. POSTERISQVE. EORVM
VIXIT. ANNIS. LXXXII.
MENS. II. DIEBVS. XX

Item:

M. SVTORIVS. M. L
PAMPHILVS
LICTOR. CVRIATVS
QVI. SACRIS. PVBLICIS
P. R. QVIRITIVM
VIATOR. QVI. COS. ET. PR
APPARET
DECVRIO. COLLEGI. FABRVM
FERRARIVM

Item:

M. SVTORIVS. M. L
BARNAES
CONLIB. PAMPHILI
VIATOR. QVI. COS
ET. PR. APPARET

Item:

T. STABERIO
SECVNDO. COACTORI
ARGENTARIO
VIATOR. CONSVLARI
ET. PRAET. SIBI. ET
CLAVDIAE. STRATONICAE
VXORI

Item:

Q. LVCRETIO. Q. L. GEMELLO
VIATORI. QVAESTOR. AB. AERAR
Q. LVCRETIVS. Q. L. CHRESTVS
VIATOR. QVAESTOR. AB. AERAR
PATRONO. FECIT

Item:

M. SERVILIVS. M. L. RVFVS
LICTOR. SE. VIVO. FECIT
SIBI. ET. PETIAE. C. L. PRIMAE
VXORI

Item :

D . M
TI . CLAVDIO
ONESIMO
VIATORI
COLLEGI . MAGNI
CLAVDIA . ZMIRNA
COIVX

Item :

DEO . SOLI. MITHRAE
C. IVNIVS. C.F. TROM
NENINIANVS
VIR. CLAR
VIATOR . QVAESTOR

Item :

D . M
M. ANTONIVS
HEVTVCAS
ANTONIO. FOR
TVNATO . STA
TORI.AVGVSTO
RVM. ALVMNO
BENEMERENTI
FECIT

Item :

M . COELIO
DIONYSIO . LICTORI
PATRI . OPTIMO
C. COELIVS. SECVNDVS

Item :

D . M
L. POMPEIO. AVG. LIB.
FORTVNATO
NOMENCLATORI
ACCENSVI . LICTORI
AVG. III. DECVRIAR
POMPEIA . PIA
VXOR. VIRO
KARISSIMO . FECIT

Item :

M. VALERIVS
ACHILLEVS. LI
CTOR . PROXIMVS
LAVRENS . LAVINAS
AGENS. ANNVM. AETA
TIS. LXV. VIVVS. MIHI
COMPARAVI.ET.POSVI

Carnificis mentionem facit Tacitus lib. V. ubi supplicium Sejani filiorumque enarrat; item Plinius in epistolis in describenda pœna virginis Vestalis maximæ Corneliæ.

Diribitorum, rogatorum, custodum, nomenclatorum, & divisorum, qui potius privatorum quam magistratuum ministri erant, supra mentionem feci, quum de comitiis centuriatis verba feci. De quibus Cicero in oratione post reditum in senatu ita scribit; *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?* Cicero pro Muræna: *Quid quod habes nomenclatorem? In eo quidem fallis, & decipis*. Et oratione secunda in Verrem. *Divisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos*, &c. De nomenclatoribus, quos magistratuum ministros etiam fuisse apparet, sic mentionem faciunt hæ vetustæ inscriptiones.

M . AEMILIO
LEPIDI. LIB
FELICI
NOMENCLATORI
VIRO. PRIORI
DECIMIA. L. L
LIBERALIS

Item :

L. VOLVSIO
VRBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Item :

DIIS. MANIBVS
TI . CLAVDI. AVG. LIB
THALETIS . VINICIANI
NOMENCLATORIS
A . CENSIBVS
THALLVS. ET. IANVARIA
LIB. DE. SVO. POSVERVNT
LOCO . LEGATO . AB
IVLIO. ALCIDE. COLL. EIVS
CVIVS. HERES. FVIT

Item :

IOVI. OPTVMO. MAX
L. VRBANVS. V. C
NOMENCLATOR
CENSORIVS
D. D. D

De magistris curiarum satis alibi disputavi. Fuerunt & ministri magistratuum militarium, ut Beneficiarii, Cornicularii, Tesserarii, Buccinatores, de quibus lib. sequente verba faciam.

CAP. LXVII.

Quæ libertate parta civitatis conditio fuerit.

EXACTIS (ut dixi) Tarquiniis regibus, Brutoque & Collatino consulibus creatis, ut primum magistratum inierunt, statim Brutus plures ad populum utilissimasque leges tulit, quo reipub. statum confirmaret, regiam vero tyrannidem omnino convelleret ac labefactaret; inter quas concione vocata, jurejurando universum populum Romanum adegit, neminem Romæ se regnare passuros. Non longe post filios suos Titum Tiberiumque, M. quoque, & M. Vitellios uxoris suæ fratres, sororisque Collatini collegæ duos alios filios L. & M. Aquillios, compluresque alios adolescentes nobiles, qui de recipiendo in urbe rege Tarquinio, cæsis consulibus, conjuraverant, virgis cæsos securi coram omnibus percussit. Tarquinium Collatinum collegam suum, magistratu abdicare coactum, urbe ejecit, quod sontium pœnam impedire voluisset, eique P. Valerium Volusi F. Volusum, qui postea Poplicola appellatus est, suffecit. Cujus præcipue opera in expellendis regibus usus fuerat. Bona deinde regum diripi jussit, agrum eorum Marti consecravit, qui postea campus Martius nominatus est. Patriciorum ac senatorum ordines, cædibus regis diminutos, supplevit, & ex equestri ordine ad CCC. numerum senatum restituit. Quum adversus reges, qui contractis Veientium & Tarquiniensium copiis bellum urbi intulerant, exercitum eduxisset, in acie cum Arunte Superbi

perbi filio commortuus est : quem matronæ annum luxerunt. P. Valerius alter consul in urbem reversus, comitiis centuriatis Sp. Lucretium Bruto, & eidem paulo post mortuo M. Horatium sufficit. Quum autem post reges exactos universa respub. in paucorum patriciorum potestate atque imperio esset, plebs omni prorsus reip. munere exclusa erat. Patricii enim soli consulatum, id est, regium imperium, sacra omnia, comitia, atque omnem postremo in plebem & vitæ & necis potestatem habebant. Plebs vero non modo omnis expers honoris optimatibus obediebat, sed diremptis connubiis vitæ etiam ipsius prope communione privata, maxima cum indignitate serviebat. Quam rem tanquam indignam quum Valerius consul animadvertisset, ut aliqua, quæ nulla in ea repub. tunc erant, moderatio induceretur, atque tenuiores cum principibus æquarentur, & plebs pari cum patriciis in civitate jure uteretur, libertatis plebis Romanæ ille primus initia jecit, ut collega Brutus universæ reip. jecerat. Duas enim eas leges humanissimas, & maxime populares tulit, de imperio a populo accipiendo, & de provocationibus a magistratibus ad populum, & ne cuiquam injussu populi, civem Romanum aut verberare aut necare fas esset. Quum etiam in concionem ascenderet, fasces in populi concionem submittebat. Quare in hoc magistratu Poplicola primo vocatus est, quod plebis studiosus, populum nimis coluisset, ut auctor est Dionysius. Atque hic anno primo partæ libertatis urbis status erat.

CAP. LXVIII.

De tribunis plebis primum creatis.

QUARTO decimo anno post reges exactos, Ap. Claudio, P. Servilio cos. prima seditio plebis ex nobilium fœneratorum impotentia, qui plebem ære alieno obstrictam in vinculis habebant, exarsit. Quæ per Servilium consulem sedata est, quum edixisset, ne quis civem Romanum vinctum, aut clausum teneret, quominus ei nominis edendi apud consules, qui tum in Volscos bellum parabant, potestas fieret.

Anno sequenti A. Virginio, & T. Veturio cos. quum Æqui, Volsci, & Sabini una omnes movissent, ac plebs ad bellum nomina profiteri nollet, jamque seditio anno priore nexorum caussa commota vehementius in dies glisceret, visum est patribus ad dictatorem confugere, cujus metu plebs sine dubio quietura esset; itaque M. Valerius Volusus Poplicolæ frater dictator dictus, is Q. Servilium sibi magistrum equitum cooptavit. Hic plebem convocata concione, gratissima oratione repressit, pollicitus ubi primum confecto bello domum rediisset, sibi curæ fore, ut ad senatum de nexis referretur. Eam autem promissis mitigatam in hostes eduxit, ac quum victoria parta per senatum promissa præstare non posset, dictatura se abdicavit. Paulo post, quum plebs per caussam renovati ab Æquis belli ex urbe educta esset, auctore Sicinio quodam patribus irata a consulibus discessit, & trans Anienem amnem collem quendam occupavit, qui sacer est appellatus, neque eo anno revocari in urbem potuit. Anno sequenti, qui erat urbis conditæ CCCLXII. Sp. Cassio II. Postumo Cominio II. Cos. legatis decem a senatu ad plebem de conciliatione missis, unius Agrippæ Menenii oratione commota, decreta a senatu levatione debitorum, & nexorum propter æs alienum rediit. Ceterum verita ne soluto cœtu, vel promissis non staretur, vel ut digressi essent, alius ob alias caussas comprehensi, pœnas darent, hac lege, quæ sacratæ nomen accepit, cum patribus in gratiam rediit, ut magistratum & ipsa sibi ex suo corpore

A contra patriciorum potentiam, ac vim creare posset, quoque auxilii latio adversus cos. esset. Ii tribuni plebis dicti sunt, qui primo duo, vel, ut aliis placet, quinque, postremo decem facti sunt. Hujus rei sic Cicero pro Cornelio meminit : *Tanta igitur in illis virtus fuit, ut anno* XVI. *post reges exactos, propter nimiam dominationem potentium, leges sacratas ipsi sibi constituerent, duos tribunos crearent, montem illum trans Anienem, qui hodie mons sacer nominatur, in quo armati consederant, æternæ memoriæ caussa consecrarent.* Hæc ille. Lex autem sacrata ea fuisse videtur, quam in sacro monte plebs tulit, ut liceret magistrum ex suo corpore creare, qui plebem

B ab omni injuria prohiberet, ut nemini patricio hunc magistrum capere liceret, ut hic magistratus sacrosanctus esset, id est, ne quis tribunum plebis, aut manu, aut verbo violaret : qui secus fecisset, ipsum impune posse occidi, ac sacrum esse videri. Hoc igitur sacrosancto magistratu plebi a patribus concesso, ipsa tanquam acerrimo quodam telo, non solum contra optimatum potentiam atque libidinem, se, libertatem ac pudicitiam suam tutata est atque defendit, verum etiam quum tantum principio tribunis auxilii latio concessa fuisset, ne patricii adversus plebem insolentius, aut arrogantius agerent; tum

C jure sacrosancti magistratus, quum inviolabiles essent, longe majora moliti, magnas in republica turbas & seditiones sæpe concitarunt : neque enim gravioris pœnæ metu iis, qui eos lædebant, irrogatæ, quisquam eis repugnare, aut vi adversari audebat. Ceteros enim omnes magistratus sacrosancta potestate superabant : primo enim quemvis, a quo imploratum eorum auxilium esset, asserebant, supplicem tuebantur, non contra privatos duntaxat, sed etiam adversus ipsos magistratus, dictatoribus tantum exceptis. Quod si quis ad eos, vel etiam absentes provocasset, is statim liberatus ab eo, a quo comprehensus fuerat, vel in concionem adducebatur, vel absolvebatur. Ad hæc

D si quod eis decretum, sive a magistratu, sive a privato, sive a plebe, sive a senatu factum displicebat, intercedere poterant. Quod si senatus aliquid agere, vel decernere instituisset, atque unus tribunus plebis intercessisset, id decretum promulgari non poterat. Processu temporis illa etiam sibi vendicarunt, ut & senatum congregarent, dicto non audientes punirent, haruspicesque & augures consulerent. Multa demum, quæ non licebant, invictis illis intercessionibus consequebantur, rogationes ferebant, quibus lege Hortensia omnes Quirites obstringebantur. Quum enim legum sciscendarum populus dominus esset, plebsque non minima pars populi haberetur, quia eis

E cum populo agere jus non erat, sed tantum cum plebe, effecerunt, ut plebiscita omnes Quirites tenerent. Postremo eorum audacia, & potestas ita crevit, ut aliquando consules in carcerem conjecerint, & quosdam indicta caussa necarint, neque enim quisquam eis adversari audebat, alioqui ipse sacer & devotus erat. Hac igitur sacrosancta potestate comitia tributa in primis invenerunt, quibus minores magistratus creari voluerunt, qui ad eam diem curiatis facti fuerant, tribunorum plebis numerum auxerunt, connubiorum communionem, quæstores, tribunos militum consulari potestate, & decem viros sacris faciundis, ex plebe creari obtinuerunt, qui hactenus

F ex patriciis tantum fieri solebant. Post hæc quum plebs ad summos honores aspirare cœpisset, tribunorum plebis auctoritate consulatum etiam, quæ firmissima semper prope arx potentiæ patriciorum fuerat, præterea dictaturam, censuram, imperium, sacra, sacerdotia, quæ unius ante nobilitatis fuerant, non sine magnis reipub. motibus, intestinisque seditionibus sibi vendicavit. Jamque nihil aliud deerat, ad jus totius reip. plebemque patriciis adæquandam, quam ut plebiscita quibus tum sola plebs tenebatur, omnes Quirites adstringerent; tum denique

hoc etiam secessione in Janiculum facta, lege Hortensia consequuta est. Post quæ tempora, quæ civitatis Romanæ leges, instituta, & conditio fuerit, post exponam. Nunc illud accurate demonstrandum est, quanam ratione, & quo tempore tribunorum plebis auctoritate plebs singula adepta sit, quæ supra singillatim commemoravi. Quorum primum post eam potestatem creatam fuit tributorum comitiorum institutio, quæ ob ejusmodi caussam instituta a Dionysio traduntur.

CAP. LXIX.

De comitiis tributis.

TRIBUNIS plebis primum creatis nihil aliud a senatu concessum esse videbatur, præterquam auxilii latio plebeiis, si quis vim inferret, atque ob eam rem sacrosancti erant. Ceterum neque agere cum populo, neque aliud quid pro ea potestate facere jus ullum erat. Quapropter ut hæc libertatis Romanæ plebis jacta fundamenta stabilirent, illud primum tribuni procurarunt, ut jus illis cum populo agere esset, occasione hujus rei quæsita, quod Sp. Sicinius unus ex primis tribunis plebis concionari ad populum de commodis plebis a consulibus prohibitus esset. Quare sequenti die, summo mane plebeiorum non parva manu comparata, descendit in forum tribunus, & occupata æde Volcani, ubi concionari tribuni solebant, plebem ad concionem vocat, atque repleto foro Sicinius legem ad plebem tulit ejusmodi: *Concionanti ad populum tribuno, nemo aliquid in contrarium dicito, nec dicentem interpellato; si quis contra hæc fecerit, datis vadibus pœnam solvat, quantam tribunis visum erit. Qui vades non dederit necetur: bonaque ejus sacra sunto, contentionumque de pœnis ipsis judicia penes populum sunto.* Hac lege promulgata, & a plebe scita, magna incredibilisque, quamquam non statim cognita, tribunorum potestas facta est. Atque ejus legis subsidio omnia postea obtinuerunt, de quibus supra disserui. Hoc autem factum est, auctore Dionysio, anno sequenti posteaquam tribunorum plebis magistratus institutus erat, T. Geganio, & P. Minucio cos. Anno vero sequenti A. Sempronio & M. Minucio cos. qui erat urbis conditæ CCLXIII. comitia tributa ob hanc caussam a tribunis plebis primum inventa sunt. Quum in summa annonæ caritate, ne frumentum ex Sicilia advectum plebi divideretur, C. Marcius Coriolanus summa ope contendisset, ab iratis tribunis plebis dies illi ad populum dicta est, ut violatæ plebis Romanæ libertatis caussam diceret. Die igitur judicii in trinundinum edicto, quum dies instaret, plebs ex agris quanta nunquam antea in urbem venit, forumque prima luce complevit. Tum tribuni advocata concione, non curiatim quidem, ut vetus mos erat, sed per tribus distinctam suffragium ferre voluerunt. Eam enim in foro ipso tributim diviserunt, ut unusquisque in tribu, in qua censebatur, suffragium ferret; atque hoc anno primum comitia tributa facta sunt judicio Coriolani, acriter adversantibus patriciis, centuriataque fieri more majorum postulantibus. Quum enim de aliqua re ex S.C. comitia haberi essent solita, ea centuriata in campo Marcio habebantur. Si enim centuriata comitia habita essent, quæ in ditiorum (ut dixi) manibus & opulentiorum erant, octo & nonaginta primis centuriis, quæ dimidio plus erant distributorum, proculdubio absolvi Marcius poterat: tribuni vero hoc ipsum timentes, tributa ea fieri voluerunt, ne pauperes fierent ditioribus inferiores, ubi de re ad publicam salutem pertinente agendum esset, atque paupere plebe in novissimas centurias abjecta, suffragiis, quæ æqua esse deberent, excluderetur. Sed æqua sorte ferendis suffragiis omnes facti, per tribus distincti sententias suas afferrent, judicaturi de eo, qui rem comunem violasse videbatur. Quod ubi illis a patribus concessum est, suffragia per tribus populum ferre jusserunt, pœnam præscribentes ei exilii perpetui. Ubi omnes tribus suffragatæ sunt, quum una & viginti tunc esset, tredecim damnaverunt, novem vero eum absolverunt; atque hac ratione tributorum comitiorum origo fuit, ut libro VII. abunde enarrat Dionysius. De quibus tractaturus ab earundem finitione initium sumam. *Tributa igitur comitia erant*, ut ex Gellio lib. XV. cap. XXVI. intelligitur, *quum ex regionibus & locis suffragium ferebatur*. Quibus verbis nihil aliud intelligi voluit, quam quum per tribus suffragium ferebatur, ut quod tribus plures jussissent, id ratum haberetur. Erant enim tribus populi Romani partes distinctæ locis in urbe diversis, & regionibus undique circum urbem per Latium, Tuscos, & Sabinos dispersis, quarum nomina supra accurate retuli, quum de iis disputarem. Ab iis tributa comitia dicta, ut a curiis curiata, & centuriis centuriata, quod scilicet non modo tributim divisus populus suffragium ferret, sed etiam quid plures tribus juberent, aut vetarent, spectaretur. Hæc comitia post Coriolani judicium, eorumque primam institutionem Romæ frequentari cœpta sunt, & præsertim post legem Publiliam, qua minores magistratus hisce comitiis creari jubebantur, quum ante curiatis fierent. Atque deinceps caussæ habendorum horum comitiorum generales quattuor factæ sunt. Prima ad creandos minores magistratus; altera ad sacerdotes cooptandos; tertia ad leges ferendas; quarta judiciorum caussa. Magistratus autem, qui his comitiis creabantur, partim provinciales, partim urbani, partim ordinarii, partim extra ordinem erant. Erant autem urbani ordinarii magistratus, qui iis comitiis creabantur, omnes minores magistratus, qui singulis annis ad suum ordinarium in urbe munus obeundum a populo creabantur. In quo genere erant ædiles curules, ut M. Messalla apud Gellium libro XIII. cap. XIV. & L. Piso in tertio annali, apud eundem libro sexto, cap. nono, & Cicero libro quarto epist. ad Atticum; tribuni, & ædiles plebis, ut Dionysius libro nono, & Livius libro secundo; quæstores, ut Livius lib. IV. & Tacitus libro secundo; III. viri capitales, ut Cic. pro Cluentio; III. viri nocturni, ut Livius libro nono; tribuni militum comitiales, ut Livius lib. septimo & nono; III. viri monetales auro argento, ære flando feriundo, ut iidem omnes auctores sunt. Ex quibus magistratibus quæstores, ædiles, & tribuni plebis ante legem Publiliam curiatis comitiis creabantur. Post eam, & annum urbis CCXXCII. tributis creari cœpti. Magistratus vero minores urbani extraordinarii tributis comitiis fieri soliti, erant præfecti annonæ, ut Livius libro quarto tradit; duumviri navales, alias classis ornandæ, reficiendæque, de quibus idem Livius libris decimo, quadragesimo, & quadragesimo primo mentionem facit; quæstores parricidii, qui & quæsitores, & II. viri perduellionis dicebantur, de quibus Asconius; IV. viri viarum, de quibus Pomponius; II. viri, vel plures, sacrarum ædium locandarum, ædificandarum, consecrandarum, vel restituendarum, quos populus ex lege Papiria designare solebat, de quibus Cicero pro domo sua, & sæpissime Livius; III. viri reficiendis ædibus sacris, de quibus Livius, Q. Catulus ad dedicandum Capitolium a populo præfectus, ut Plutarchus; V. viri turribus murisque reficiendis, de quibus libro vigesimo quinto Livius; III. viri, & V. viri mensarii, de quibus idem Livius libro sexto, & vigesimo tertio; III. viri sacris conquirendis, & III. viri donis persequendis, de quibus idem Livius libro vigesimo quinto; & postremo omnes sive curatores, sive magistratus extraordinarii, id est, qui non

ut ordinarii annuam potestatem continuatam habebant, sed tandiu in ea erant, dum curationem, cui præfecti erant, absolvissent, comitiis tributis creabantur. Provinciales vero magistratus (provinciales autem voco, quibus erat imperium curatiove ire tantum extra urbem) qui hisce comitiis creabantur, erant III. viri, V. viri. VII. viri, X. viri, XV. viri. XX. viri, aut quotquot omnino creari placuerat, ad colonias deducendas, aut redigendos colonos in suas quemque colonias, aut agros dividendos, de quibus frequentissima est in omni historia mentio, curatores viarum extra urbem, de quibus Cicero: III. viri juvenibus ad militiam conquirendis, de quibus Livius libro XXIII. Item proconsules omnes, proprætores, & proquæstores iisdem comitiis in provincias mittebantur, ut Livius libro tertio, & alibi sæpe in historia sua, & sæpissime Cicero commemorant, quamquam unum P. Cornelium Scipionem proconsulem Hispaniæ centuriatis comitiis semel tantum creatum fuisse tradat Livius. Tributorum porro comitiorum secunda caussa fuit ad sacerdotes creandos, ex quibus ante legem Domitiam unus tantum fuit pontifex maximus, ut ex Livio sæpe intelligi potest; post legem vero Domitiam, qua sacerdotum subrogandorum jus a collegiis ad populum translatum est, pontifices, augures, fetiales, VII. viri epulonum, XV. viri sacris faciundis, tributis comitiis creati sunt, ut satis supra dixi; ex reliquis enim sacerdotibus, rex sacrificulus centuriatis, flamines, & curio maximus curiatis, Vestales a pontifice maximo, salii a magistro collegii, luperci, fratres arvales, sodales Titii, sacerdotes Galli, & reliqui a suis collegiis vel magistris cooptati sunt. Ceterum ea tributa comitia, quibus tam pontifex maximus primum, quam deinde reliqui sacerdotes creabantur, non omnium tribuum erant, sicut magistratuum, sed tantum septemdecim tribuum, quibus id sorte obtigisset. Quod cur factum fuerit, his verbis docet Cicero in Rullum, quum ait: *Item eodemque modo ut comitiis pontificis maximi: ne hoc quidem vidit, majores nostros tam fuisse populares, ut quod per populum creari fas non erat propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotii voluerint populo supplicari, atque hoc idem de ceteris sacerdotiis Cn. Domitius tribunus plebis vir clarissimus tulit, quod populus per religionem sacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur, ab ea parte qui esset factus, is a collegio cooptaretur.* Tertia vero tributorum comitiorum habendorum caussa legum ferendarum erat. Hæc autem erant plebiscita omnia. Quo verbo legis etiam comprehendo rogationes, quibus de pace ad populum ferebatur. Bellum enim lege centuriata indici solebat, pax autem tributis comitiis iniri consueverat, ut libro XXX. docet Livius. Hic etiam eas rogationes comprehendo, quibus legibus aliquis quavis caussa solvebatur. Huc postremo illas etiam rogationes rejicio, quibus a populo imperium triumphaturis ducibus, vel quacunque id ratione fieret, intra urbem haberi permittebatur. His comitiis publicæ quæstiones constitutæ, & civitas data sæpe a Livio refertur. Quarta porro horum comitiorum caussa judiciorum exercendorum erat. In qua illud animadversione dignum, judicia quidem capitis a populo comitiis centuriatis perfici: at si magistratus aliquem reum ad populum faceret, nec capitis eum accerseret, sed mulctam indiceret, tum omnia hæc judicia, quæ de mulcta dicebantur, tributis comitiis fiebant. Hoc autem summatim dici potest, judicia omnia populi, quæ de mulcta erant a magistratu, aut pontifice indicta, his comitiis perfici solita. Hoc vero ex omni historia Liviana liquet. Exilium præterea tributis comitiis decerni solebat, si quis capitis condemnatus, ad populi judicium venire recusaret, ut tradit Livius. Atque hæ comitiorum tributorum præcipuæ caussæ sunt. Jus autem tributorum comitiorum habendorum penes majores & minores magistratus erat. Ex majoribus dictator, consules, & tribuni militum cons. potestate; ex minoribus tribuni plebis erant. Consules enim omnes minores magistratus creabant, tribunis plebis, & ædilibus plebis exceptis, quos tribuni plebis his comitiis renuntiabant; tribunos enim & ædiles plebis tribuni ipsi creabant, ut ex Livio, & Dionysio constat. Reliquos (ut dixi) minores magistratus consules, aut dictatores, si quando comitiorum habendorum caussa creabantur, aut tribuni militum consulari potestate creabant. Ab his enim quæstores, & ædiles curules, & ceteri minores ordinarii magistratus, Livio auctore, fiebant. Ad creandos vero minores extraordinarios magistratus, jus fuit consulibus, prætoribus, & tribunis plebis. Sacerdotum vero comitia tributa consules tantum habere solebant, ut ex Cicerone in epistola ad M. Brutum liquet. Sacerdotes autem erant post legem Domitiam pontifices, augures, XV. viri S. F. VII. viri epulonum, & fetiales: ante legem vero Domitiam solus his comitiis pontifex maximus creabatur, isque Livio auctore ab uno pontificum subrogabatur; nam post legem Domitiam eum cum reliquis quoque sacerdotibus a consulibus factum fuisse existimo. De legum vero judiciorumque comitiis tributis facile est intelligere, iis magistratibus licuisse habere ea comitia, quibus jus erat cum populo agendi. In historiis autem legimus interdum consules, interdum prætores, sæpe tribunos plebis ad populum de his rebus rogationes tulisse. Plebeios porro magistratus petendi jus erat plebeiis tantum hominibus, binosque ex singulis classibus tribunos esse oportebat. Reliquos magistratus his comitiis fieri solitos, omnibus servatis legibus, petere jus erat. Ex sacerdotibus, qui his comitiis creabantur, pontificum collegium dimidium ex patribus, dimidium ex plebe creari oportebat. Duo ex eadem gente sacerdotes ejus collegii esse non poterant, absentium ratio haberi solebat. Adolescentes admodum post XVII. annum inaugurari poterant, pontifex maximus non nisi ex numero pontificum fiebat. Iis omnibus quibus in centuriatis, in tributis quoque comitiis jus erat, id est civibus Romanis, quibus cum suffragio civitas a populo data esset, ipsique in tribus a censoribus relati fuissent. Nam quod Latinos aliquando suffragatos fuisse legimus apud Livium, non repugnat iis, quæ dixi; quum id non jure civitatis, aut tribus adeptæ facerent, quam non habebant, sed iis datum sit antiquo Cassiano fœdere, atque a magistratibus & accersiri, & prohiberi possent, ut latius paulo post exponam. Jure igitur non nisi civibus Rom. pleno jure comitiis suffragium ferre jus erat, ex magistratuum vero indulgentia Latinis etiam. Commune autem omnibus comitiis erat, ut Jove fulgente, aut tonante, ea haberi non possent. Quare hoc & tributis comitiis conveniebat, ut auspicia hactenus servanda essent, ne haberentur quo die servatum esset de cœlo. Unde sequitur his etiam comitiis obnuntiationi parendum fuisse. Quamquam autem tributa comitia hactenus auspicato haberi debebant, in reliquo tamen genere auspiciorum nulla fere religione astringebantur; quod Dionysius lib. IX. ostendit sic: *Hoc erat discriminis inter tributa comitia & curiata, quod curiata oportebat ex senatus auctoritate haberi, & populus curiatim suffragium diceret, & ut auspicato fierent. Tributa vero non consulto senatu, non adhibitis sacerdotibus, auguribusque, & diviso per tribus populo perficiebantur; plebeii enim magistratus auspicia non habebant.* Ante comitiorum tributorum diem trinundino opus erat, quemadmodum de centuriatis dixi. Die comitiorum, antequam haberentur, concionem is, qui ea habebat, populo facere solebat; sortitiones aliquot fiebant, ut de prærogativa tribu, in qua tribu Latini suffragium ferrent, si adfuissent. In sacerdotum quoque creatione XVII. tribuum sortitio fiebat; quos

non nisi a populi parte creari jus erat. In iisdem comitiis erant diribitores, custodes, & præcones. Nam rogatorum munere is, qui comitia habebat, fungebatur. Unius autem tribus, ut unius centuriæ, unum suffragium erat, nam singulorum hominum vota, puncta dicebantur. In creandis autem magistratibus tot dabantur tabellæ, quot candidati essent, quorum nomen receptum esset: & quoniam XXXV. tribus erant, oportebat XVIII. tribus ferre quemque candidatum, ut a majore populi parte creatus diceretur, ut autem quisque prior eum numerum tribuum tulerat, ita prior renuntiabatur. Quumque tot creati erant, quot ex lege in eo magistratu esse oportebat, tum comitiis finis fiebat. Eadem propemodum ratio erat judiciorum, & legum, quæ etiam in comitiis centuriatis servabatur. Tributis autem comitiis non unus erat destinatus locus, quemadmodum centuriatis, quia religio non erat, extra ne, an intra pomerium haberentur. Ac magistratuum quidem comitia tributa fere in campo Martio habebantur; aliquando etiam in foro, & Capitolio habita fuisse legi. Legum vero & judiciorum comitia plurimum in comitio haberi solita, aliquando etiam in Capitolio habita apud Livium legimus. Horum comitiorum tempus erat, quotiescunque dies comitialis esset, nisi nominatim, ut aliis etiam diebus cum populo agere sibi liceret, quisquam legem tulisset, quod fecisse P. Clodium in tribunatu suo docet Cic. pro Sextio. Ante primam quoque diei horam cum populo agere non licebat. Sacerdotum comitia eo tempore quo quis moriebatur habebantur, minorum vero & ordinariorum magistratuum circa Kal. Augusti, ut prima ad Atticum docet Cicero. Tribuni & ædiles plebis magistratum inire solebant ad IV. Idus Decembris, quo die primi tribuni plebis creati sunt. Quomodo autem, & quando hæc comitia fieri desierint, superius exposui, quum de centuriatis verba feci; eadem enim utrorumque comitiorum ratio est. Atque hactenus de comitiis tributis.

CAP. LXX.

Quot reipub. mutationum caussa fuerit tribunorum plebis sacrosanctus magistratus.

PLEBS Romana sacrosancto tribunatus plebis magistratu e patrum manibus extorto, longe majora adversus senatus & optimatum potentiam moliri cœpit. Nam post legem latam, ut tribuno plebis jus cum populo agere esset, itemque post tributa comitia occasione judicii C. Marcii Coriolani instituta, aliquot annis post multas ob agrariam legem seditiones excitavit, quum agrum publicum, vel de hostibus captum sibi ipsi patribus repugnantibus dividere vellet. Ea enim lex nunquam sine maximis rerum motibus agitata est. Ap. vero Claudio Ap. F. & T. Quinctio Capitolino Cos. Volero Publilius tribunus plebis, auctore M. Lætorio altero tribuno rogationem ad populum tulit, ut plebeii magistratus tributis comitiis fierent, qui hactenus curiatis creati erant. Haud parva res sub titulo prima specie minime feroci ferebatur, sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi quos vellent tribunos auferret. Huic actioni plebi gratissimæ, quum summa vi patres restitissent, postremo victis patribus, lex lata est. Tuncque primum tributis comitiis tribuni, & ædiles plebis creari cœpti an. urbis CCXXCIII. Res post hæc in urbe quietæ, usque ad annum urbis CCXCII. In quo victis, & ad internecionem fere Volscis cæsis, secundæ belli res urbanos motus, qui mutationi reipub. caussam attulere, excitarunt. C. enim Terentius Arsa tribunus plebis legem ad populum tulit, de quinque viris creandis, qui leges de imperio consulari scriberent, quod populus in se jus dederit eo consules usuros, non ipsos libidinem, ac licentiam suam pro lege habituros. Querebatur enim plebs, nimium esse consulare imperium, atque intolerabile liberæ civitati, idque imminui, & moderatius fieri postulabat. Quæ lex quum sex annos a tribunis frustra jactata, tandem pro concessa sibi duplicandorum tribunorum potestate penitus refrixisset, tamen Romilio, Veturioque consulibus, in plebem militiam detrectantem impotentius se gerentibus, acrius etiam quam ante relata est; igitur incertis quid agerent patribus, placuit ea sententia, cujus princeps T. Romilius fuisse scribitur, ut legum latores crearentur, qui jura patribus plebique scriberent, quæque ab iis essent decreta, ea plebem & patres tenerent. Plebe autem assentiente mittuntur legati tres in Græciam, qui Atheniensium, & aliarum Græciæ civitatum instituta, mores, & jura noscerent, eaque Romam deferrent Sp. Posthumius Albus, A. Manlius Vulso, Ser. Sulpicius Camerinus. Missi autem Tarpeio, Aterioque Cos. tertio anno post, quo Menenius & Sestius consulatum gerebant, cum legibus reversi sunt. Quum autem instarent tribuni, ut tandem legum scribendarum initium fieret, jamque in annum sequentem designati consules essent Ap. Claudius, & T. Genucius, tum in Ap. Claudii sententiam S. C. factum est, ut reliquis abrogatis magistratibus decemviri crearentur, cum imperio consulari, ac regio sine provocatione, qui ex patriis moribus, & peregrinis legibus optima seligentes, & reipublicæ maxime utilia jura populi Romani constituerent, quæque ii scripsissent, si S. P. Q. R. probassent, ea in perpetuum populum ipsum Romanum tenerent. Quo S. C. a plebe comprobato Cos. abdicarunt, in eorum locum decemviri consulares facti sunt, Ap. Claudius, T. Genucius, Sp. Postumius, Ser. Sulpicius, A. Manlius, T. Romilius, C. Julius, P. Sestius, P. Curiatius, & Sp. Veturius. Anno igitur CCCIII. quam condita urbs erat, iterum mutata est forma civitatis a consulibus ad decemviros, quemadmodum a regibus ante ad consules venerat. Hi decimo die jus populo singuli reddebant, eo die penes præfectum juris fasces duodecim erant, collegis vero reliquis singuli accensi apparebant. Ceterum propositis decem legum tabulis a decemviris, rumor deinde vulgatur, duas deesse tabulas, quibus adjectis absolvi possit velut corpus totius Romani juris. Ea expectatio, quum dies comitiorum instaret, desiderium decemviros iterum creandi fecit. Plebs etiam præterquam quod consulum nomen haud secus, quam regum perosa erat, ne tribunicium quidem auxilium cedentibus invicem appellatione decemviris, quærebat. Creati igitur in alterum annum magno patrum plebisque studio iterum decemviri sunt Ap. Claudius II. M. Cornelius, M. Sergius, L. Minucius, Q. Fabius, T. Antonius, M. Rabuleius, Q. Pœtilius, K. Duilius, & Sp. Oppius. Quum igitur major pars hujus anni processisset, & duabus tabulis ad decem adjectis nihil superesset, si hæ quoque tabulæ centuriatis comitiis perlatæ essent, cur decemviris reipublicæ opus esset, expectaretque populus quam mox consulibus creandis comitia indicerentur. Tum decemviros nulla comitiorum mentione facta, juvenum catervis stipatos superbius, atque impotentius se in unumquemque gessisse, & Idibus Maiis advenientibus, qui dies tum solemnis ineundo consulatui erat, nullis magistratibus subrogatis, eosdem qui priore anno fuerant, decemviratum cum magna totius populi indignatione continuasse, Livius & Dionysius auctores sunt. Eos tamen haud multo post abdicasse hanc ob caussam præcipue constat. Ap. Claudius, quum alii collegæ in Æquos, alii in Sabinos exercitum duxissent, urbis præsidio relictus, Virginiam plebeiam virginem, quam amabat,

pretio pellicere adortus, quum frustra se laborare animadvertiffet, in servitutem per clientem suum M. Claudium afferere eam conatus, patrem ejus eo compulit, ut ipfam filiam manu fua fibi potius occidendam putarit, quam Ap. Claudii libidini dederetur. Ea res, ut erat atrox, in utraque castra perlata feditionem maximam plebis excitavit. Quæ relictis castris quum primum in Aventinum, post in montem facrum fecessisset, paulo post placata, se redituram esse professa est, si tribuni plebis fibi ipsi restituerentur, & decemviris abdicatis, consularis potestas revocaretur. Quibus conditionibus a fenatu acceptis, ipfa in urbem rediit. Tum abdicantibus decemviris comitia tribunorum a M. Papirio pont. max. facta funt, quibus decem creati. Tribunatu inito L. Icilius extemplo plebem rogavit, & plebs fcivit ne cui fraudi esset fecessio ab decemviris facta. Confestim de consulibus creandis cum provocatione M. Duilius rogationem pertulit. Per interregem deinde consules creati, qui extemplo magistratum occeperunt, L. Valerius, & M. Horatius. Hi libertatis plebis Romanæ studiosi, quemadmodum & parentes avique eorum fuerant, omnium primum quum veluti in controverso jure esset, tenerentur ne patres plebiscitis, legem centuriatis comitiis habuere, ut quod tributim plebs jussisset populum teneret, qua lege tribuniciis rogationibus telum acerrimum datum est. Aliam deinde consularem legem de provocatione unicum præsidium libertatis, decemvirali potestate eversam non restituerunt modo, fed etiam in posterum munierunt, fanciendo nova lege, ne quis ullum magistratum fine provocatione crearet; qui creasset eum jus fasque esset occidi, neve ea cædes capitalis noxæ haberetur. Et quum plebem hinc provocatione, hinc tribunicio auxilio fatis firmassent, ipfis quoque tribunis, ut facrofancti viderentur, cujus rei prope jam memoria aboleverat, relatis quibufdam ex magno intervallo cærimoniis, renovarunt, & quum religione inviolatos eos, tum lege etiam fecerunt, fanciendo ut qui tribunis plebis, ædilibus, judicibus nocuisset, ejus caput Jovi facrum esset, familia venum iret. Institutum etiam ab iisdem cos. ut S.C. in ædem Cereris ad ædiles plebis deferrentur, quæ ante arbitrio consulum fupprimebantur vitiabanturque. M. Duilius deinde tribunus plebis legem tulit, qui plebem fine tribunis reliquisset, quique magistratum fine provocatione creasset, tergo ac capite puniretur. Atque hac ratione fundata & stabilita tribunicia potestate, ac plebis libertate, tribuni longe majora aggressi funt. Nam quum mos fuisset aliquot tantum tribunos plebis creari, ii vero qui creati essent, cooptatione fibi collegas ad numerum decem fubstituerent, altero anno L. Trebonius tribunus plebis infestus patribus, quod fe ab iis in cooptandis tribunis fraude captum, proditumque a collegis aiebat, rogationem tulit, ut qui plebem Romanam tribunus plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum X. tribunos plebis faceret. Post aliquot annis res quietæ domi fuere, usque ad annum urbis CCCIX. In quo M. Genucio & C. Curtio cos. domi forisque res infestæ fuere. Anni enim principio C. Canuleius tribunus plebis, rogationem promulgavit de communicandis plebi patriciorum connubiis, quæ decemviri ante diremerant, qua contaminari fanguinem fuum patres confundique jura gentium rebantur. Lex multis contentionibus agitata est, nec ante finis controversiarum fuit, quum & tribunum acerrimum auctorem plebs nacta esset, & ipfa cum eo pertinacia certaret, quam victi tandem patres, ut de connubio ferretur, concessere. Eodem anno ab eodem Canuleio tribuno plebis primo mentio fenfim illata, ut alterum ex plebe consulem liceret fieri, eo processit deinde, ut rogationem novam reliqui tribuni promulgarent, ut po-

A pulo potestas esset, feu de plebe, feu de patribus vellet, consules faciendi. Id vero si fieret, non vulgari modo cum infimis, fed prorfus auferri a primoribus ad plebem fummum imperium credebant. Quum res multis contentionibus acta esset, tribunique in propofito persisterent, veriti patres, ne lex fe invitis perferretur, in eam fententiam ierunt, cujus auctor fuisse C. Claudius dicitur, ut pro consulibus crearentur tres tribuni militum ex patriciis, totidemque ex plebe, iique consulari potestate remp. regerent. Eorum autem finito imperio rurfus fenatus & plebs consuleretur, consulesne an tribunos mallent; qui vero placuissent, fierent: quod etiam multo tempore observatum est. His rebus decretis in magno plebeiorum, & patriciorum petentium studio, tres ex patriciis tantum creati funt, A. Sempronius, L. Atilius, & T. Clœlius: plebs eo contenta fuit, quod fui ratio in comitiis habita fuisset; ita Livius, & Dionysius. Adjicit Livius, Fuisse qui propter adjunctum Æquorum, Volfcorumque bello, & Ardeatium defectioni, Veiens bellum, quia consules obire tot fimul bella nequirent, tribunos militum tres creatos dicerent, fine mentione promulgatæ legis de consulibus ex plebe creandis, & imperio & infignibus consularibus esse ufos. Ut ut illud fuerit, fatis inter omnes convenit, anno CCCX. quam urbs condita erat, primum tribunos militum pro consulibus magistratum iniisse. Hi postea fæpe creati præfentaneum remedium multis annis fuerunt tribunitiis feditionibus mitigandis, quæ de consule e plebe creando fæpe deinde exortæ funt: verum multo tempore post, quum plebs postremo obtinuisset, ut consul alter e plebe, alter e patribus fieret, creari desierunt. Sed hæc omnia latius fuo loco enarrabo. Anno autem fequenti, urbis vero conditæ CCCXI. Censuræ initium fuit, rei a parva origine ortæ, quæ deinde tanto incremento aucta est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eam regimen, fenatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen, fub ditione ejus magistratus publicorum ius, privatorumque locorum, & vectigalia populi Romani fub nutu atque arbitrio essent. De censura plura dixi in commentariis Fastorum. Post hæc tempora res quietæ domi multis annis fuere, donec anno urbis CCCXXXIII. N. Fabio Vibulano T. Quinctio Capitolino cos. difcordiæ inter patres plebemque de publicando quæstorum numero, iisque tam de plebe quam de patribus creandis, exortæ funt. Nam quum ut præter duos urbanos quæstores, duo consulibus ad ministeria belli præsto essent a consulibus relatum esset, patresque fumma ope approbassent, consulibus tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars quæstorum (nam ad id tempus patricii creati erant) ex plebe fieret: adverfus quam actionem primo consules & patres fumma ope annixi funt, concedendo deinde, ut quemadmodum in tribunis militum consulari potestate creandis usi funt, adæque in quæstoribus liberum esset arbitrium populi, quum parum proficerent, totam rem de augendo quæstorum numero omittunt, excipiunt omissam tribuni, & postremo res eo devenit, ut nihil prohiberet quo minus quattuor quæstores promifcue de plebe, ac patribus, libero fuffragio populi fierent. Qui tamen non nisi decimo anno post primum e plebe creari cœpti funt. CN. enim Cornelio Cosso, & L. Furio Medullino II. cos. cum N. Fabio Ambusto Patricio tres e plebe primum quæstores facti funt Q. Silius, P. Ælius, P. Pipius. Atque hac ratione patefactus ad consulatum, & triumphos locus novis hominibus visus est. Nam nunquam quieverunt, donec aliquot annis post, non fine magnis reip. perturbationibus, etiam consulatum hac ratione adepti funt. C. Licinius & L. Sextius tribuni plebis anno urbis CCCLXXVII. creati, quum tres leges auctore M. Fabio Ambusto patricio,

& primario homine, adversus patriciorum opes pro commodis plebis promulgassent, unam de ære alieno minuendo, alteram de modo agrorum, ne quis plus quam quingenta jugera agri haberet, tertiam ne tribunorum militum amplius comitia fierent, sed consulum, utique alter ex plebe crearetur; neque eas ferre per collegarum intercessiones, quos de industria patres comparaverant, potuissent; tum irati comitia nulla haberi præter ædilium tribunorumque plebis, nullos curules magistratus creari passi sunt: eaque magistratuum solitudo, & plebe reficiente duos tribunos, & his perpetua intercessione comitia tribunorum militum tollentibus, per quinquennium urbem tenuit: ita Livius. Atque ita quintum mutata est reipub. Romanæ species, quum a tribunis militum consulari potestate, ad tribunos plebis administratio reip. reciderit. Quinquennio exacto, tribunisque plebis iisdem intercessionem remittentibus, per tres annos tribuni militum creati sunt. Principio anni noni ad ultimam dimicationem de legibus a Licinio, & Sextio promulgatis ventum est. Et quum tribus vocarentur, nec intercessio collegarum latoribus obstaret, trepidi patres ad duo ultima auxilia summum imperium, summumque virum decurrerunt; Dictatorque dictus est M. Furius Camillus, qui L. Æmilium magistrum equitum sibi cooptavit. Quum vero plebis duces acrius contra Camillum de legibus ferendis agerent, percitus ira Camillus lictores, qui de medio plebem amoverent, misit, & addidit minas sacramento omnes adacturum, exercitumque extemplo ex urbe deducturum. Re autem neutro inclinata, se abdicavit, seu quia vitio creatus erat, ut tradidere quidam, seu quia tribuni plebis tulerunt ad plebem, plebsque scivit, ut si M. Furius pro dictatore quid egisset, quingentum millium æris ei mulcta esset. Camillus vero quum exilium, secundamque damnationem senex timeret, plebemque se superaturum diffideret, domum se contulit, ac simulata valetudine, dictatura se abdicavit. Cui extemplo P. Manlius suffectus est. Qui rem in caussam plebis inclinavit, C. Licinio, qui tribunus militum fuerat, magistro equitum de plebe dicto. Id ægre passos patres constat. Dictatorem propinqua cognatione Licinii se apud patres excusare solitum, simul negantis magistri equitum majus, quam tribuni consularis imperium esse. Anno sequenti iidem tribuni refecti pro aucto II. virum S. F. numero, atque quinque ex his de plebe creatis, tribunorum militum consulari potestate comitia fieri permiserunt: postremo anno urbis CCCXXCVIII. quum iidem tribuni decimum refecti acrius de legibus ferendis pugnarent, dictatorem tandem & senatum vicerunt, ac comitia consulum adversa nobilitate, ut fierent obtinuerunt, quibus L. Sextius de plebe primus consul factus est. Quum autem patricii se auctores futuros negarent, ac prope ad secessionem plebis res spectaret, per dictatorem Camillum sedatæ discordiæ sunt. Concessum a nobilitate plebi, de consule plebeio, a plebe nobilitati de prætore uno, qui jus in urbe diceret de patribus creando. Iidem etiam ædiles curules duos ex patribus, ut fierent, obtinuerunt. Plebs L. Sextio consulatum, cujus lege partus erat, dedit; ei collega ex patribus datus est L. Æmilius.

CAP. LXXI.

Quæ civitatis conditio fuerit communicato plebi altero consulatu.

PLEBS igitur consulatum adepta, quæ firmissima ad eam diem arx potentiæ patriciorum fuerat, paulo post nullo negocio imperium, dictaturam, censuram, proconsulatum, præturam, sacra, sacerdotia, quæ tantum patriciorum fuerant, postremo obtinuit. Ex quibus anno CCCXCIIX. C. Marcius Rutilius dictator, idem anno CDIII. censor, Q. Publilius Philo an. CCCCXVII. prætor, idem an. CDXXIIX. proconsul, primi de plebe creati sunt. C. etiam Pœtelius Libo Visolus primus plebeius consul triumphavit anno CCCXCIV. Demum anno CDLIV. quum plebis honoribus nihil præter sacerdotia, quæ nondum promiscua erant, deesset, rogationibus Ogulniis, & sacerdotum numerus auctus est, & pontifices, auguresque de plebe facti sunt. Aliquot postremo annis post, etiam pontifex maximus de plebe factus est primus Ti. Coruncanius. Nihil igitur ad jus totius reip. adæquandum deerat, nisi ut plebiscita, quibus tum sola plebs tenebatur, omnes Quirites astringerent. Tum denique hoc etiam secessione in Janiculum facta lege Hortensia consequuta est. Ita æquissimis legibus repub. temperata, atque plebe omnium rerum in societate adscita, eodem fere tempore omnis Italia, Pyrrho rege superato, atque fugato, in deditionem accepta est. Ex quo tempore præclara, atque ad omnis posteritatis memoriam illustria abstinentiæ, modestiæ, justitiæ, fortitudinis, civilis denique concordiæ, usque ad tertium bellum Punicum exempla edita sunt. Tum enim Curii, Fabricii, Coruncanii, Metelli, Fabii, Scipiones, Paulli, Lepidi, Flaminii, Nobiliores floruerunt. Quorum quum eximiam in bello animi magnitudinem, constantiam, & prudentiam, tum incredibilem in pace justitiam, gravitatem, probitatem, fidem, ac moderationem merito admirareris & coleres. Nulla certe ætas virtutibus edendis feracior fuit, quam centum annorum intervallum, a primo ad tertium bellum Punicum, quo tempore rei militaris gloria, in qua cum virtute multum, tum disciplina plurimum valuerunt, magnam orbis terrarum partem suo imperio adjunxerunt.

De caussis excidii reipub. Romanæ.

Post bellum Punicum tertium, remoto Carthaginis metu, sublataque imperii æmula, non gradu, sed præcipiti cursu a virtute descitum, ad vitia transcursum, vetus disciplina deserta, nova inducta, in somnum ab vigiliis, ab armis ad voluptates, a negotiis ad otium conversa civitas. Tum vetere labante disciplina, quum totius civitatis mores inclinare, & ad levitatem jam nimiam, atque ambitionem incumbere cœpissent, præsertim vero luxuria per Asiaticas delitias, in civitatem invecta; atque exterarum gentium metu amoto, a quibus Pœnis duobus asperrimis bellis devictis, tertio etiam funditus deletis, Philippo, Perse, Antiocho, regibus potentissimis superatis, Sicilia, Sardinia, Hispania, Illyrico, Macedonia, Græcia, provinciis in ditionem populi Romani redactis, justam principatus orbis terrarum, atque imperii confessionem extorserant, qui usque eo vere optimus reipublicæ status fuerat, is primum sensim ac leviter tentatus, deinde aperte translata jam ad injustum populi dominatum repub. funditus labefactatus atque eversus est. Neglectaque civili disciplina, populus Romanus relictam a majoribus libertatem, atque imperium amisit. Hunc vero pessimum reip. statum duo Gracchi, Drusus, Saturninus, tribuni pleb. furiosi, atque amentes specie quidem plebis tuendæ, re autem dominationem sibi quærentes partim agrariis, & judiciariis legibus ferendis, & lege Licinia, quæ vetabat quemquam civem plus quingentis jugeribus habere, restituenda, quib. rebus optimatum potentiam frangerent, plebis confirmarent; quum aut eorum agros plebi inopi divisissent, aut antiquam judiciorum auctoritatem a senatoribus ad equites transtulissent, partim civitate sociis, & Italiæ omni danda, eaque usque ad Alpes extendenda, ut suffragiorum plebeiorum

multitudine, facilius nobilitatis opes in comitiis A comminuerent, partim frumento largiendo, quo ad omnia, quæ in remp. molirentur, plebem eo devinctam munere paratiorem haberent, summa imis miscentes intulerunt, ac præstantissimum illum optimæ reip. consensum, tot annorum spatio, tot laboribus majorum partum, brevi tempore perturbarunt, ac penitus convulserunt. Inerat omnibus species æquitatis. Quid enim tam justum quam recipere plebem jus suum a patribus? ne populus gentium victor, orbisque possessor extorris aris, ac focis ageret. Quid tam æquum, quam inopem populum vivere ex ærario suo? Quid ad jus libertatis æquandæ B magis efficax, quam ut senatu regente provincias, ordinis equestris auctoritas saltem judiciorum regno niteretur. Sed hæc ipsa in perniciem redibant, & misera resp. in exitium suum marcesserat, & a senatu in equites translata judiciorum potestas, vectigalia, id est, imperii patrimonium supprimebat, & emptio frumenti ipsos reip. nervos exhauriebat ærarium. Reduci plebs in agros unde poterat, sine possidentium eversione, qui sibi pars populi erant, & tamen relictas sibi a majoribus sedes ætate, quasi jure hæreditario possidebant. Ab Gracchorum igitur tempore majores in republica plebis, quam optimatum opes extitere, quippe quæ omnium jam hono- C rum, quos soli ante patricii obtinuerant, particeps facta, præterea tribunatum, ac tributa comitia, quibus omnino patriciis interdictum erat, adepta, ad hæc agris, judiciis, frumento, sociorum suffragiis aucta, atque locupletata, universam remp. ut in potestate haberet, sic ex libidine administraret, nobilissimi optimatum oppressi, veteres cives agris spoliati, civitatis honor parce ante dari solitus integris provinciis concessus. Hunc injustum iniquumque plebis dominatum, quum is terminos impotentiæ suæ non faceret, L. Sulla dictator postea sustulit, qui imperio quod a senatu acceperat lege tribunicia Sulpicii a C. Mario spoliatus, extorta armis ex D inimicorum manibus republica, tribunorum plebis potestate admodum imminuta (quum tribuno alios honores interdixerit, eumque concionari vetuerit) plebe agris pulsa, ac ad internecionem fere cæsa, judiciis senatui redditis, rursus optimatum remp. stabilivit, popularemque convellit. At hic status non admodum diuturnus fuit. Nam paucis annis post Cn. Pompeius in primo consulatu, antiqua tribunis plebis potestate, ac dignitate restituta, plebe ad judicia cum senatoribus & equitibus lege Aurelia advocata, vetus aliud optimæ reipub. quæsiisse temperamentum visus est, quod mutatis, immo cor- E ruptis penitus totius civitatis moribus, atque avaritia jam & ambitione latissime grassante, assequi nulla ratione potuit. Ita perturbato sæpe reipub. statu, crebro a paucis de universa occupanda repub. cogitatum est: tum enim Piso, tum Crassus, tum Catilina, cum aliis ejusdem furoris sociis, adversus remp. conspirarunt. Tum Cæsar, denuo Crassus, & ipse forte mutata mente Pompeius inita societate, extraordinarias opes, quæ liberæ civitati jure formidabiles essent, sibi quæsierunt. Qua brevi dirempta civilis repente discordia, ac totius reipub. perturbatio consequuta est, quum Cæsaris potentiam senatus, Pompeii (nam Crassus paulo ante occide- F rat) populus ferre non posset. Victo autem fatali reipub. Pharsalico prœlio Pompeio, atque optimatum factione afflicta, rursus ad injustum unius Cæsaris dominatum respublica recidit, atque aliquot annis oppressa fuit. Quo, ab iis qui libertati studebant interfecto, quum reviviscere prisca patrum gravitas, atque ad spem auctoritatis pristinæ quodammodo respirare videretur, haud ita multo post in ipsomet recuperandæ reipub. apparatu, a populo, cui Antonius, ac post etiam Octavius, qui Cæsaris partes ambo susceperant vindicandas, servie-

runt, sublata funditus, atque oppressa est, quum inauditum ante triumviratum in remp. intulissent, ac nefariam optimatum, atque inimicorum suorum proscriptionem fecissent. Bruto porro & Cassio adversæ factionis ducibus cæsis, oppresso in Sicilia Sex. Pompeio, Lepido potestate exuto, & M. Antonio occiso, quum nulla amplius essent publica arma, & Julianarum partium dux solus Octavius reliquus fuisset, cunctis discordiis civilibus fessis, tanquam bellorum civilium, quæ ipse confecerat, præmium, totius reip. jus, potestatem, atque imperium, quod ab initio regum, post magistratuum, senatus, ac populi fuerat, in perpetuum principis sub nomine transtulit. Qui posito triumviri nomine, consulem se ferens, & ad tuendam plebem tribunicio jure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus, magistratuum, legum in se trahere, nullo adversante; quum ferocissimi per acies, aut proscriptione cecidissent, ceteris nobilior quanto quis servitio promptior, opibus & honoribus extollerentur, ac novis & rebus aucti, tuta & præsentia, quam vetera & periculosa mallent. Neque provinciæ illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus populique imperio ob certamina potentium, & avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, postremo pecunia turbabantur. Tribuniciam vero potestatem accepit, quod summi fastigii vocabulum, ne regis, aut dictatoris nomen assumeret, ac tamen appellatione aliqua cetera imperia præemineret, invenit. M. deinde Agrippam socium ejus potestatis, quo defuncto Ti. Neronem delegit, ne successor in incerto foret: sic cohiberi pravas aliorum spes rebatur, simul modestiæ Neronis, & suæ magnitudini fidens. Ita Tacitus. Ceterum quomodo Cæsar Augustus imperium singulare confirmaverit, &, ordinaverit, & de titulis, quibus legitima imperatorum potestas expressa est, satis disputavi in commentariis libri II. Fastorum. Qua ratione vero Cæsar Augustus imperii heredem reliquerit Ti. Cæsarem, & is C. Caligulam, sequentiumque imperatorum seriem, usque ad Constantinum, & quomodo is primus Romano imperio diviso urbem Constantinopolim condiderit, accurate exaravi in libro quem de comitiis imperii scripsi. Nunc quantum ad hoc argumentum attinet, breviter disseram. Augustus igitur ad unius arbitrium constitutam remp. decedens Ti. Cæsari reliquit, is nepoti C. Caligulæ; a quo tempore usque ad Neronis mortem hic populi Romani status fuit: sub Augusto, quamquam omnia ad ejus arbitrium fierent, in eis tamen studiorum populi, & senatus auctoritatis rationem semper habuit; nihil enim unquam egit, quod non alterutrius auctoritate fieri vellet, quemadmodum supra, quum de comitiis dissererem dixi. Tiberius populum plebemque omni reipub. administratione exclusit, senatum maxime veneratus est. Caius & Nero quamvis tyrannice imperium egerint, senatus tamen auctoritatem non neglexerunt. Claudius eam magnifecit. Sub Galba bello civili inter Othonem & Vitellium, & hunc & Vespasianum senatus potestas ita corruit, ut eum annum reip. supremum vocet Cornel. Tacit. Nam deinceps Romani principes diuturnitate potestatis insolentiores facti, omnia ad arbitrium, senatus potestate neglecta, agere cœperunt. Verum in his quidam meliores & temperatiores, ut Trajanus, Hadrianus, Pius, Marcus, & Alexander; quidam insolentiores magisque impotentes fuerunt, ut Domitianus, Commodus, Severus, Caracallus, & reliqui fere omnes qui imperium Rom. in regni formam verterunt, usque ad Constantinum, qui, ut sæpe alibi dixi, imperium adeptus tamquam patrimonium esset, illud divisit, mutavit, omnia miscuit, antiquam superstitionem abolevit, alteram imperii formam, lon-

ge a priore constituit. Atque inter cetera urbem Constantinopolim condidit, cujus descriptionem, quemadmodum de urbe Roma feci, hoc loco subjicere, finemque cum ea huic libro facere commodum visum est. Quæ enim de urbe Roma, vel imperio Romano, post Constantini tempora dicenda sunt, ea libro tertio aperiam.

Descriptio urbis Constantinopolis.

Regio Prima.

Regio prima, continet in se domum Placidiæ Augustæ. Domum nobilissimæ Marinæ. Thermas Arcadianas. Vicos, sive angiportus viginti novem. Domos centum decem & octo. Porticus perpetuas duas. Balneas privatas quindecim. Pistrina publica quattuor. Pistrina privata quindecim. Gradus IV. Curatorem unum, qui totius regionis sollicitudinem gerat. Vernaculum unum, velut servum in omnibus & internuntium regionis. Collegiatos XXV. qui e diversis corporibus ordinati, incendiorum solent casibus subvenire. Vicomagistros V. quibus per noctem tuendæ urbis cura mandata est.

Regio secunda, ab initio theatri minoris per æqualitatem sui latenter molli sublevata clivo, mox ad mare præcipitiis abrupta descendit. Continet in se Ecclesiam magnam, Ecclesiam antiquam. Senatum. Tribunal purpureis gradibus extructum. Thermas Xeusippi. Theatrum. Amphitheatrum. Vicos, sive Angiportus triginta quattuor. Domos XCVIII. Porticus magnas IV. Balneas privatas XIII. Pistrina privata IV. Gradus IV. Curatorem I. Vernaculum unum. Collegiatos XXXV. Vicomagistros V.

Regio tertia, plana quidem in superiore parte, utpote in ea Circi spatio largius explicato, sed ab ejus extrema parte nimis prono clivo, mare usque descendit. Continet in se eundem Circum maximum. Domum Pulcheriæ Augustæ. Portum novum. Porticum semirotundam, quæ ex similitudine fabricæ Sigma Græco vocabulo nuncupatur. Tribunal fori Constantini. Vicos VII. Domos XCIV. Porticus magnas V. Balneas privatas XI. Pistrina privata IX. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos XXI. Vicomagistros quinque.

Regio quarta, a Miliario aureo collibus dextra lævaque surgentibus, ad planiciem usque valle ducente perducitur. Continet in se idem Miliarium aureum Augusteum. Basilicam. Nymphæum. Porticum Fanionis. Liburnam marmoream, navalis victoriæ monimentum. Ecclesiam, sive martyrium sancti Mennæ. Stadium. Scalam Timasii. Vicos XXXII. Domus CCCLXXV. Porticus magnas IV. Balneas privatas VII. Pistrina privata V. Gradus VII. Curatorem unum. Vernaculum I. Collegiatos XL. Vicomagistros V.

Regio quinta. Regionis quintæ non modica pars, in obliquioribus posita locis, planicie excipiente producitur, in qua necessaria civitatis ædificia continentur. Continet in se Thermas Honorianas. Cisternam Theodosianam. Prytaneum. Thermas Eudocianas. Strategium, in quo est forum Theodosiacum, & Obeliscus Thebeus quadrus. Horrea holearia. Nymphæum. Horrea Troadensia. Horrea Valentiana. Horrea Constantiaca. Portum habet prosforianum. Scalam Chalcedonensem. Vicos viginti tres. Domos centum octoginta quattuor. Porticus magnas VII. Balneas privatas XI. Pistrina publica VII. Pistrina privata II. Gradus IX. Macellos II. Curatorem I. Vernaculum I. Collegiatos XL. Vicomagistros V.

Regio sexta, brevi peracta planicie, reliqua in devexo consistit, a foro namque Constantini Scalam usque, sive trajectum Sycænum, porrigitur spatiis suis. Continet in se Columnam purpuream Constantini. Senatum ejusdem loci. Neorium portum. Scalam Sycænam. Vicos XXII. Domos quadringentas octoginta quattuor. Porticum magnam I. Balneas privatas IX. Pistrinum publicum I. Pistrina privata XVII. Gradus XVII. Curatorem unum. Vernaculum I. Collegiatos XLIX. Vicomagistros V.

Regio septima, in comparationem superioris planior, quamvis & ipsa circa lateris sui extremitatem habeatur in mare declivior. Hæc a parte dextera Columnæ Constantini, usque ad forum Theodosii, continuis extensa porticibus, & de latere aliis quoque pari ratione porrectis, usque ad mare velut se ipsam inclinat, & ita deducitur. Habet autem in se Ecclesias tres, hoc est, Irenen, Anastasiam, & S. Paulli. Columnam Theodosii, intrinsecus usque ad summitatem gradibus perviam. Equites magnos duos. Partem ejusdem fori. Thermas Carosianas. Vicos octoginta quinque. Domos septingentas undecim. Porticus magnas VI. Balneas privatas XII. Gradus XVI. Curatorem unum. Vernaculum I. Collegiatos LXXX. Vicomagistros V.

Regio Octava, ex parte Tauri, nulla maris vicinitate contermina, angustior magis quam lata, spatia sua in longitudinem producta compensat. Continet in se partem fori Constantini. Porticum sinistram Taurum, usque Basilicam Theodosianam. Capitolium. Vicos XXI. Domus centum octo. Porticus majores quinque. Balneas privatas decem. Pistrina privata quinque. Gradus V. Macellos duos. Curatorem unum. Vernaculum I. Collegiatos XVII. Vicomagistros V.

Regio nona, prona omnis, & in Notum deflexa, extensi maris littoribus terminatur. Continet in se Ecclesias duas. Cœnopolim, & Homonœam. Horrea Alexandrina. Domum nobilissimæ Arcadiæ. Thermas Anastasianas. Horreum Theodosianum. Vicos XVI. Domos CXVI. Porticus majores duas. Balneas privatas XV. Pistrina privata XV. Pistrina publica quattuor. Gradus quattuor. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos triginta octo. Vicomagistros V.

Regio decima, in aliud civitatis latus a nona regione, platea magna velut fluvio interveniente dividitur. Est vero tractu planior, nec usquam præter maritima loca inæqualis, longitudini ejus latitudine non cedente. Continet in se Ecclesiam sive Martyrium sancti Acacii. Thermas Constantinianas. Domum Augustæ Placidiæ. Domum Augustæ Eudociæ. Domum nobilissimæ Arcadiæ. Nymphæum majus. Vicos viginti. Domos sexcentas XXXVI. Porticus majores sex. Balneas privatas. Pistrina publica duo. Pistrina privata sexdecim. Gradus duodecim. Curatorem unum. Vernaculum unum. Collegiatos nonaginta. Vicomagistros quinque.

Regio undecima, spatio diffusa liberior, nulla parte mari sociata est. Verum ejus extensio, tam plana, quam etiam collibus inæqualis. Continet in se Martyrium Apostolorum. Palatium Faccillianum. Domum Augustæ Pulcheriæ. Bovem æreum. Cisternam Arcadiacam. Cisternam Modestiacam. Vicos octo. Domos quingentas tres. Porticus majores quattuor. Balneas privatas quattuordecim. Pistrinum publicum unum. Pistrina privata tria. Gradus VII. Curatorem I. Vernaculum unum. Collegiatos triginta septem. Vicomagistros V.

Regio duodecima, Portam a civitate petentibus in longum plana omnis consistit, sed latere sinistro mollioribus clivis deducta maris confinio terminatur, quam mœnium sublimior decorat ornatus. Continet in se portam auream. Porticus Troadenses. Forum Theodosiacum. Columnam itidem intra se gradibus perviam. Monetam. Portum Theodosiacum. Vicos undecim. Domos trecentas sexaginta tres. Porticus majores tres. Balneas privatas quinque. Pistrina privata quinque. Gradus IX. Curatorem unum. Vernaculum I. Collegiatos XVII. Vicomagistros V.

Re-

Regio XIII. Tertiadecima regio, Sycæna est, quæ A sinu maris angusto divisa, societatem urbis navigiis frequentibus promeretur, tota lateri montis affixa, præter unius plateæ tractum, quam subjacentium eidem monti littorum tantum præstat æqualitas. Continet in se Ecclesiam. Thermas Honorianas. Forum Honorianum. Theatrum. Navalia. Domos quadringentas XXXI. Porticum majorem unam. Balneas privatas quinque. Pistrinum publicum unum. Pistrina privata quatuor. Gradus octo. Curatorem I. Vernaculum I. B Collegiatos XXXIV. Vicomagistros V.

Regio XIV. Regio sane licet in urbis quartadecima numeretur parte, tamen quia spacio interjecto divisum est muro proprio vallatum, alterius quodammodo speciem civitatis ostendit. Est vero progressis a porta modicum, situ planum, dextero autem latere in clivum surgente usque ad medium fere plateæ spacium, nimis pronum: unde mare usque mediocris, hæcque civitatis continet partem, explicatur æqualitas. Continet in se Ecclesiam. Palatium. Nymphæum. Thermas. Theatrum Lusorium. Pontem sublicium C sive ligneum. Vicos XI. Domos centum sexaginta septem. Porticus majores II. Balneas privatas V. Pistrinum publicum I. Pistrinum privatum I. Gradus V.

Collectio Civitatis.

COGNITA urbe per partes, fas est etiam situm conclusæ jam universitatis aperire, ut magnificentiæ unicum decus non solum videatur opere & manu confectum, sed etiam conspirantibus elementis, naturæ felicitate munitum. Providentia ergo divina tot futurorum hominum domiciliis consulente longo tractu, in promontorii qualitatem spatiosior terra faucibus Pontici maris opposita, sinuosis portuosa lateribus, angustior latitudine, circumflui maris tutela vallatur. Hoc quoque spacium, quod solum apertum maris circulus derelinquit, duplici muro acies turrium extensa custodit: intra quas septa civitas continet in se omnia singillatim memorata, quæ nunc ad firmioris memoriæ qualitatem summatim collecta referemus. Habet ergo urbs Constantinopolitana, Palatia quinque. Ecclesias quatuordecim. Domos Augustarum VI. Domos nobilissimas III. Thermas VIII. Basilicas duas. Fora quattuor. Senatus II. Horrea V. Theatra II. Lusoria II. Portus IIII. Circum I. Cisternas IIII. Nymphæa IIII. Vicos CCCXXII. Domus IIII. ∞ CCCXXCVIII. Porticus LII. Balneas privatas CLIII. Pistrina publica XX. Pistrina privata CXX. Gradus CXVII. Macellos V. Curatores XIIII. Vernaculos XIV. Collegiatos DLX. Vicomagistros LXV. Columnam purpuream. Columnas intra se pervias duas. Colossum unum. Tetrapylum aureum unum Augusteum. Capitolium. Monetam. Scalas maritimas III. Habet sane longitudo urbis, a porta aurea usque ad littus maris directa linea, pedum XIV. ∞ LXXV. Latitudo autem, pedum VI. ∞ CL.



ONUPHRII PANVINII IMPERIUM ROMANUM.

IMP. CÆSARI FERDINANDO

AUSTRIO, PIO, FELICI, PERPETUO AUGUSTO

ONUPHRIUS PANVINIUS

Veronenſis, Frater Eremita Auguſtinianus

S. P. D.



ANTA fuit Romani imperii, Cæſar Auguſte, majeſtas, & magnitudo, rerumque geſtarum populi Rom. gloria, ut quamquam prope infiniti præclaris ingeniis præditi viri, tam noſtra & avorum, quam priſca illa ætate fuerint, qui vel omnes ejus res geſtas, vel earum partem monumentis litterarum conſignare ſtuduerint; pleraque tamen leviter perſtrinxerint, aut omnino prætererint. Unde mirari omnes deſinant, ſi hoc ſæculo, quo poſt antiquorum memoriam nullum bonis artibus edendis feracius fuit, multi in omni doctrinarum genere excellentes, de iis ipſis rebus ſibi ſcribendum proponant. Quare & ego, quem cum his, vel propter rerum ignorationem, vel exiguam in dicendo facultatem, nulla ratione comparandum eſſe exiſtimo, eorum ipſorum hominum exemplo, ejuſque imperii præclaris inſtitutis accenſus, mihi ipſi conſtitui commentarii more, breviſſime totum ejus reipub. corpus perſtringere: & quibus ego diſcendis quattuordecim annos inſudavi, aliis nullo negocio intelligenda aperire. Atque quum in priore libro civitatem tuis auſpiciis jam evulgaverim, poſteriore hoc libro populi Romani imperium, hoc eſt, ejus extra urbem per Italiam, & reliquas provincias geſta deſcribere decrevi. In quo quanta brevitate fieri poſſe intelligam, Romanum illud imperium toto terrarum orbe celebratum exponam, quo tempore, quibus ducibus, & bellis, quibuſque bellorum cauſſis Italia omnis primum, deinde reliquæ orbis terrarum provinciæ, & regna in ejus ditionem venerint, & unum quaſi corpus conſtituerint; quibus magiſtratibus adminiſtrarentur, quot municipia, quot coloniæ, quæ præcipua ejus imperii præſidia fuere, quæ tam intra quam extra Italiam deductæ ſunt; quo tempore, & quibus occaſionibus Italia omnis, & reliquus orbis Romanus civitate donatus ſit, atque ex orbe urbs una facta fuerit, ut Rutilius his verſibus elegantiſſime ſcribit:

Feciſti patriam diverſis gentibus unam,
  Profuit injuſtis te dominante capi.
Dumque offers victis proprii conſortia juris,
  Urbem feciſti, quod prius orbis erat.

Poſtremo, quo etiam tempore, a quibus barbaris, & quas ob cauſſas præſtantiſſimus ille orbis terrarum conſenſus, in unum quaſi corpus diu ante coalitus, iterum in plura membra, tanto imperio exciſo redactus fuerit, aperiam. Quæ omnia non minus his, quæ ſupra dixi, cognitu digna ſunt. Hunc vero librum ceterorum exemplo, in cujus potiſſimum nomine dignius publicare poſſem, quam Majeſtatis tuæ, neminem inveni, quæ Cæſaris, & Auguſti tanti imperii auctorum ſucceſſor eſt, & probitate, doctrina, animi magnitudine, excellentique in omni genere virtute reliquos omnes Romanos principes longe poſt ſe reliquit. Venetiis, Kalend. Auguſtis, ∞ DLVIII.


Romani Imperii
qua ORIENS est
DESCRIPTIO GEOGRAPHICA
Auct. N. Sanson Abbavillæo Christia:
niss. Gall.rum Regis Math. et Geographo
LIBIAE
SP
QR
SARMATIA
SARMATIA
EUROPÆA
ASIATICA
SCYTHIÆ
PARS
QUÆ INTRA
VENEDI
PEUCINI
BASTARNE
DACIA
LAXARTÆ
IMAUM
PONTUS EUXINUS
MÆOTIS PALUS
SCYTHICUS SINUS
CASPIUM
MARE ET HYRCANUM
CASPIUS
HYRCANUS
SINUS
ALBANIA
ARMENIA
ASIA
PONTUS
MARE
ÆGÆUM
MEDIA
ASSYRIA
MESOPOTAMIA
BABYLONIA
SUSIANA
PERSIS
MEDITERRANEUM
MARE LIBYCUM
MARE ÆGYPTIUM
MARE SYRIACUM
ARABIA DESERTA
ARABIÆ FŒLICIS PARS
ARABICUS SINUS
SINUS PERSICUS
LIBYA
PARS


ROMANI IMPERII
Qua OCCIDENS est
DESCRIPTIO GEOGRAPHICA
N. Sanson Abbavilleo Christianiss. Galliæ Regis Mathematico et Geographo Autore
OCCIDENTALIS
OCEANUS
QUI ET
ATLANTICUS
GERMANICUS
OCEANUS
SCANDINAVIA quæ et SCANDIA
SUEUICUM MARE
VENEDICUS SINUS
ÆSTII
GERMANIA
HISPANIA
MARE
INTERNUM
AFRICUM
MARE INFE
MARE SUPERUM sive ADRIATICUM
BALEARIDES INSULÆ
MAURI
TANIA
CÆSARIENSIS
NUMIDIA
AFRICA
AFRICÆ
TRIPOLI
QUOD ET
MARE
MARE SICULUM
Sicilia Ins.
Sardinia
Corsica
Atlas major M.
Aprositos
Ombrios
Junonia Ins.
Junonia Minor
Junonia Major
Nivaria Pintuaria
Capraria
Canaria

CAPUT I.

Qua ratione imperium Romanum ab exilibus principiis ortum, omnium maximum evaserit.



DIONYSIUS Halicarnasseus gravis in primis, certissimusque historiæ Romanæ scriptor, inter reliqua præclara Romuli instituta, quibus Romana resp. fundata, ei ad certissimum exterarum omnium gentium, ac populorum bello, paceque principatum pervenire non difficile fuit, omnium præstantissimum, & optimum esse existimavit: Quod nec bello captas urbes funditus exciderit, vel eis in servitutem redactis, earum agrum pecori pascua reliquerit, sed deductis colonis eas colonias Romanas fecerit, atque quasdam etiam civitate donatas, reip. participes admiserit. Quibus institutis brevi tempore magnam urbem ex parva reddidit. Nam qui quum urbem condidit, vix tria peditum millia trecentosque equites habuit, idem moriens peditum sex & quadraginta millia, & mille equites reliquisse traditur. Cujus exemplum ceteri reges primum, deinde Cos. sequuti, Romanum imperium omnium maximum ac potentissimum effecerunt. Quod lib. II. his verbis ipse exponit: *His accessit tertium Romuli institutum, quod maxime Græci generis hominibus exerceri decuit, ut omnium longe præstantissimum, &, ut mea fert opinio, libertatis Romanæ fundamentum firmissimum, atque ad futurum imperium momentum non minimum; quo videlicet puberes omnes in bello captis urbibus necari vetuit, aut sub hasta venundari, sicut nec agros earum relinqui voluit compascuos, sed in partem agri sorte dividendi colonos Romanos mitti, nonnullas vero admitti in jus civitatis etiam. His ille atque ejusmodi aliis institutis urbem ex parva magnam reddidit, id quod res ipsa indicat: qui enim una cum illo urbem habitare cœperunt, non multo plures erant ter mille peditibus, & pauciores trecentis equites; quando autem ex mortalium numero sublatus est, peditum reliquit* XLVI. *millia, & mille ferme equites. Atque hæc ipsius instituta, quum regni successores servaverunt, tum post illos magistratus annui, addentes & alia quædam, ita ut Romana civitas nulli genti vel populosissimæ, numero hominum cederet. Quibus si Græcorum mores conferam, non possum laudare Thebanos, & Lacedæmonios, Atheniensesve opinione sapientiæ celebres, qui ob retinendam nobilitatem generis, vel nullos, vel raros in jus civitatis admittebant: ut interim taceam morem pellendi hospites, nec ipsorum jactantiæ convenientem, & damnosum etiam in rebus plerisque. Spartani certe post acceptam ad Leuctra cladem, amissosque* ∞ DCC. *viros, nunquam postea potuerunt civitatem suam in integrum restituere, sed turpiter amiserunt imperium. Itidem Thebani, atque Athenienses unico prœlio victi ad Chæroneam a Macedonibus, mulctati sunt libertate simul, & principatu Græciæ. At Romani Hispanicis atque Italicis bellis impliciti, & Siciliam cum Sardinia sub suam ditionem retrahentes, nec immunes interim a bellis Græcorum, ac Macedonum, Carthagine rursus affectante imperium, Italia non solum deficiente ad hostem, sed accersente bellum, quod Hannibalis ductu gestum est, uno eodemque tempore tot periculis expositi, adeo non succubuerunt adversis in eo bello casibus, ut vires illorum auctæ sint etiam, militum numero sufficiente ad excipiendos impetus omnium, non ut quidam opinantur, fortunæ indulgentia. Nam quod ad hanc quidem attinet, vel una Cannensis clades civitatem eorum opprimere poterat, quando e sex millibus equitum* CCCLXX. *tantum superfuerunt reliqui, & ex* LXXX. ∞ *copiis paulo plures quam ter mille manserunt*

A *incolumes. Hæc sunt quæ in hoc viro admiror, atque insuper quæ mox dicturus sum,* &c. Eadem propemodum refert Ti. Claudius Cæsar Romanus princeps in oratione, quam, quum censuram gereret, in senatu habuit, de admittendis ad honores urbanos Gallis transalpinis, quæ a Tacito lib. XI. historiæ Augustæ refertur. Qui ita scribit: *A. Vitellio, L. Vipsanio cos. quum de supplendo senatu agitaretur, primoresque Galliæ, quæ Comata appellatur, fœdera & civitatem Romanam pridem assequuti, jus adipiscendorum in urbe honorum expectarent, multus ea super re variusque rumor, & studiis diversis apud principem certabatur, asseverantium:* B *Non adeo ægram Italiam, ut senatum suppeditare urbi suæ nequiret: suffecisse olim indigenas consanguineis populis, nec pœnitere veteris reip. Quin adhuc memorari exempla, quæ priscis moribus ad virtutem & gloriam Romana indoles prodiderit. An parum quod Veneti, & Insubres curiam inruperint, nisi cœtus alienigenarum velut captivitas inferatur? Quem ultra honorem residuis nobilium, aut si quis paupere Latio senator foret? oppleturos omnia divites illos, quorum avi proavique hostilium nationum duces exercitus nostros ferro ignique ceciderint, divum Julium apud Alexiam obsederint. Recentia hæc, quid si memoria eorum inoriretur, qui Capitolio & ara Romana, manibus eorumdem prostratis,* C *fruerentur sane vocabulo civitatis: insignia patrum, decora magistratuum ne vulgarent. His atque talibus haud permotus princeps, etiam statim contra disseruit, & vocato senatu ita exorsus est: Majores mei, quorum antiquissimus Clausus origine Sabina simul in civitatem Romanam, & in familias patriciorum adscitus est, hortantur uti paribus consiliis remp. capessam, transferendo huc quod usquam egregium fuerit. Neque enim ignoro Julios Alba, Coruncanios Camerio, Porcios Tusculo, & ne vetera scrutemur, Etruria Lucaniaque, & omni Italia in senatum accitos, postremo ipsam ad Alpes promotam,* D *ut non modo singuli viritim, sed terræ gentesque in nomen nostrum coalescerent. Tunc solida domi quies, & adversus externa floruimus, quum Transpadani in civitatem recepti, quum specie deductarum per orbem terræ legionum, additis provincialium validissimis, fesso imperio subventum est. Num pœnitet Balbos ex Hispania, nec minus insignes viros ex Gallia Narbonensi transisse? Manent posteri eorum, nec amore in hanc patriam nobis concedunt. Quid aliud exitio Lacedæmoniis, & Atheniensibus fuit, quamquam armis pollerent, nisi quod victos pro alienigenis arcebant?* E *At conditor nostri Romulus tantum sapientia valuit, ut plerosque populos eodem die hostes, dein cives habuerit. Advenæ in nos regnaverunt, libertinorum filiis magistratus mandati, non, ut plerique falluntur, recens, sed priori populo factitatum est. At cum Senonibus pugnavimus. Scilicet Volsci & Æqui nunquam adversam nobis aciem instruxere. Capti a Gallis sumus, sed & Tuscis obsides dedimus, & Samnitium jugum subivimus. Attamen si cuncta bella recenseas, nullum breviore spatio, quam adversus Gallos confectum. Continua inde ac fida pax. Jam moribus, artibus, affinitatibus nostris mixti, aurum & opes suas in-* F *ferunt potius, quam separati habeant. Omnia P.C. quæ nunc vetustissima creduntur, nova fuere: plebei magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiæ gentium post Latinos. Inveterascet hoc quoque, & quod hodie exemplis tuemur, inter exempla erit. Orationem principis sequuto patrum consulto, primi Ædui senatorum in urbe jus adepti sunt: datum id fœderi antiquo, & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Romano usurpant. Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar vetustissimum quemque e senatu, aut quibus clari parentes fuerant, paucis*

jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant, exhaustis etiam, quas dictator Cæsar lege Cassia, & princeps Augustus lege Sænia sublegere, &c. Ex his igitur Dionysii & Taciti testimoniis reip. Romanæ consuetudo, & qualia ejus instituta fuerint intelligere possimus, quibus nixa totius orbis terrarum imperio potita est. Quod quemadmodum acciderit singillatim demonstraturus, ante omnia qua ratione Italiam omnem quingentorum annorum intervallo nimium admodum reluctantem imperata facere coegerit aperiam, deinde quot colonias, municipia, & præfecturas, & quo tempore in ea fecerit, quæ singulorum jura, & leges fuerint; ad hæc quomodo ceteras provincias bello acquisierit, atque quot in eas colonias deduxerit, legionesque constituerit; postremo quo tempore, & a quibus barbaris tantum imperium excisum fuerit ostendam: ita enim hunc librum recte constitui posse judicavi.

CAP. II.

Quod Romanum imperium sub VII. *regibus fuerit. Romulus rex.*

Cujus rei initium a Romulo rege primo, & tanti imperii auctore sumendum est. Is enim urbe condita, parum agri Albani in Latio ab avo Numitore rege, qui primo populo Romano sufficeret, impetravit. Transtiberim enim in Tuscia, secundum Tiberim a monte Vaticano usque ad mare omnia sub Tuscorum Vejentium ditione erant. Romuli ager in Latio, ut Strabo lib. V. docet, vix sex millibus passuum ab urbe, qua longissime aberat, se extendebat. Nam ab occidente Tiberi terminabatur, a septemtrione Aniene amne, urbibusque Fidenis, Crustumeria, Antemnis, & Cænina; ab Oriente Pedano, Tiburtino, Gabino, & Prænestino agris; a meridie mare versus Tellenis, Politorio, Ficanaque, earumque agris finem habebat. Cujus rei ita Strabo meminit: *Intra quinctum igitur & sextum lapidem*, (sic enim milliaria designabantur,) *locus erat Festi appellatus, ubi Romani tunc terminus monstrabatur agri. Sacerdotes & hic, & aliis in locis perinde ac in finibus eadem die sacrificium absolvunt, quod Ambarvale vocant*. Ficanam in Latio via Ostiensi ad lapidem XI. olim fuisse sic tradit Sex. Pompeius: *Rudia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim, ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana, via Ostiensi ad lapidem undecimum*. Romulum vero agrum Vaticanum usque ad mare de Veientibus cepisse paulo post ex Dionysio ostendam. Is igitur primus fuit Romuli ager. Quem bello primo Sabino, Cænina, Antemnis, & Crustumeria, & post bello Latino Cameria, & Fidenis captis, atque in colonias Romanas deductis, agrique parte mulctatis, quam suis divisit, in Latio auxit, ut Dionysius tradit. *Ceterum quum Veientes, nobilissimi hi erant & potentissimi Etruriæ populi, tertium bellum contra Romanos pro Fidenatium clade vindicanda præpararent, legatis missis, postulabant, ut Romani Fidenis præsidium abducerent, & agrum ademptum restituerent antiquis dominis: quo non impetrato validum in agrum Romanum educunt exercitum. Qui a Romulo victi & fugati & magna clade affecti, pacem a Romulo petierunt. Qui illam eis his conditionibus concessit: Ut agrum Tiberi contiguum, qui vocatur Septem pagi, Romanis traderent, utque salinis abstinerent, quæ sunt circa fluminis ostia. Et ad tollendam renovandi belli suspicionem, quinquaginta obsides adducerent. Quas cum accepissent, in columnam inscripsit conditiones icti cum eis fœderis*, &c. Ex Dionysii itaque auctoritate Romulum cognovimus veterem agrum Romanum Transtiberim, Anienem

A prope, & in Latio Cameriam versus propagasse. Illud scitu dignum, fere semper, ubi triumphos actos reperimus, ab eo quoque duce imperium auctum. Nam Romulum ter triumphasse constat, de Sabinis, Fidenatibus, & Veientibus. Quos omnes populos agri parte spoliatos didicimus.

Tullus Hostilius rex.

Sic Tullus Hostilius Alba eversa, Albanisque in civitatem adscitis Albanum agrum Romano adjecit. Fidenates & Sabinos iterum rebellantes domuit, atque de iis triumphavit. Idem rex bellum cum omnibus Latinis suscepit, qui XXX. urbium conventu

B regebantur, in cujus apparatu moriens Ancum regni & belli Latini heredem reliquit.

Ancus Marcius rex.

Hic Politorium, Tellenas, Ficanam priscorum Latinorum urbes cepit, & diruit, homines Romam transduxit, eorum agros Romano adjecit; Medullium, quæ a Romulo capta Romana colonia facta fuerat, atque ad Latinos defecerat, denuo cepit. Fidenates, & Sabinos, qui rebellaverant, bis vicit, de iisque triumphavit. Nec urbs tantum sub Marcio rege crevit, sed etiam ager finesque, silva Mæsia Veientibus, qui bellum moverant, victis adempta, tam in Tuscia, quam in Latio, Ficana diruta, imperium prolatum, & in ore Tiberis Ostia urbs condita, & salinæ

C circa factæ. Bellum Volscis Veliternis primo indictum.

L. Tarquinius Priscus rex.

L. Tarquinius Priscus bellum primum cum Latinis gessit, & oppidum ibi Appiolas vi cepit, diruit, & incendit, ejus agrum Romano adjunxit. Crustumeriam, Medulliam, Fidenas & Cameriam Romanas colonias a Romulo factas, quæ rebellaverant; Nomentum, Collatiam, Ficulneam veterem, Corniculum, Scaptiam, a qua tribus nomen accepit, Pitulum, Tifata, Ameriolam Latinorum, & Sabinorum urbes vicit, agrum Collatinum Sabinis ademit, universum postremo Latium ingentibus prœliis

D superatum domuit, urbibusque omnibus nominis Latini in deditionem acceptis, fœdereque cum iis facto, eas suis legibus vivere permisit. Sabinos, & Etruscos, qui Latinis auxilio venerant, prœliis aliquot victos fugavit, deque iis duos triumphos egit. Cum plerisque Tuscis civitatibus fœdus fecit.

Ser. Tullius rex.

Ser. Tullius regnum adeptus bellum viginti annorum cum Etruscis, qui Veientibus, Tarquiniensibus, & Cæretanis auctoribus arma Romanis intulerant, gessit, ter de iis triumphavit. Novissime cum XII. Etruriæ populis pace facta belli auctores Veientes, Tarquinienses, & Cæretanos agri parte mulctavit,

E iisque, qui Romam ad habitandum venerant, distribuit. Hic universum agrum Romanum, qui a Romulo usque ad sua tempora a ceteris regibus, Sabinis, Latinis, & Tuscis ademptus fuerat, in XVII. partes, quas tribus appellavit, divisit; is ager Romanus postea appellatus est, de quo satis supra disputavi.

L. Tarquinius Superbus rex.

L. Tarquinius Superbus post Tullium rex Sabinos vicit, de iis triumphavit. Cum Latinis fœdus renovavit. Justum bellum primus Volscis intulit. Suessamque Pometiam de iis vi cepit, ac diruit. Gabios dolo Sexti filii in deditionem accepit. In agro Volsco-

F rum, quos deviceratt, colonias deduxit Signiam & Circeios. Ardeam obsedit, in cujus obsidione regno Bruti opera, cum filiis exactus est. Sub regibus igitur VII. annorum CCXLIV. intervallo ita Romanum propagatum imperium est, quod primorum consulum anno non amplius quam ad XVIII. ab urbe lapidem, ut auctor est Sex. Rufus, quum finitimæ circum civitates premerent, se extendit. Cujus termini ab oriente quidem Tibur, Præneste, agerque Albanus erat; a meridie Ostia & mare, ob occidente ager Vaticanus Transtiberim, qui olim Veientum fuerat, Septempagi appellatus; a septemtrione vero Fidenæ, Crustu-

meria, & Anio amnis. Nam reliquæ Latii, Tusciæ, & Sabinorum urbes, quas a Romanis regibus victas animadvertimus, vel intra hujus agri terminos fuerunt, vel liberæ suis legibus amicitia tantum & fœderibus populo Romano conjunctæ vivebant, præter Signiam Circeiosque Romanas colonias, quæ longissime ab urbe aberant. Atque hoc erat Romanorum, quando reges pulsi sunt, imperium. Nunc reliquum est ut disseram quo tempore post reges exactos libertateque parta, & quibus bellis, ducibusque urbes primo, deinde integræ provinciæ, & populi, & postremo Italia omnis in populi Romani ditionem redacta sint.

CAP. III.

Qua ratione Italia omnis in populi Romani potestatem venerit.

POST reges exactos sub consulibus, inter quos nonnunquam & dictatores fuerunt, per trecentos propemodum annos populus Romanus cum finitimis, Sabinis primum, Latinis, Volsceis, Herniceis, Tuscis, deinde Campanis, Gallis, Samnitibus, Umbris, Tarentineis, Lucaneis, Bruttiis, Sallentineis, Messapieis, Picentibus, & reliquis Italiæ populis bella continua gessit. Quibus victis centum posterioribus annis cum Siculis, Pœnis, Sardis, Corsis, Gallis cispadanis, & transpadanis, Boiis scilicet & Cœnomaneis, Insubribus, Liguribus quoque, Istris, & Japudibus, & Salassis, gentibusque Alpinis bellatum est. Qui omnes populi postea Italiæ sub nomine redacti sunt: quum Italia primo amnibus Arno & Rubicone terminaretur. Post reliquo terrarum orbi arma illata, ut singillatim exponam. Quorum bellorum tempora, & caussas nunc brevissime aperiam.

Aurunci, & Fidenates domiti.

Primi post reges exactos Aurunci bello domiti in ditionem populi Romani venerunt anno urbis CCLII. a Sp. Cassio & Opitre Virginio cos. Livio libro II. auctore, Pometia eorum urbe capta, & funditus excisa, debellati. Hi autem vetustissimi Latii populi erant, ut Plinius lib. III. cap. V. tradit.

Fidenates Romanam coloniam a Romulo deductam sæpe victos, postremo Mam. Æmilius Mamercinus dictator III. anno urbis CCCXXVIII. delevit. De qua re ita scribit Livius: *Uni Fidenatium populo rebellare placuit, & tanquam nisi ab scelere bellum ordiri nefas esset, sicut legatorum antea, ita tunc novorum colonorum cæde imbutis armis, Veientibus sese conjungunt.* Quum ergo Fidenates iterum rebellassent, seque Veientibus qui in armis erant conjunxissent, Fidenæ sedes belli capta est, in eos dictator exercitu abducto, castra urbemque eorum cepit, atque diripuit, quumque exercitum victorem opulentumque præda triumphans Romam reduxisset, die XV. se abdicavit.

Veientes victi.

Post diuturnum, varium, & multiplex inter Romanos Veientesque bellum, Mam. Æmilius Mamercinus dictator III. anno CCCXXVIII. Veientium opes ita afflixerat, ut postero anno inducias in XX. annos petierint. Anno autem CCCXLVII. quum (ut inquit Livius) induciarum tempus exiisset, Veientes a senatu impetrarunt, quia ipsi discordia intestina laborarent, ne res ab se repeterentur. In sequenti ergo anno bellum Veiens motum ob superbum responsum Veientis senatus, legatis Romanis res repetentibus datum. Id patres ægre passi, decrevere ut primo quoque tempore tribuni militum de bello Veientibus indicendo ad populum ferrent. Ac cum primum stipendio de publico militibus decreto, latum est. Ita in sequenti anno qui fuit urbis conditæ CCCXLIX. circumsessi primum Veii sunt, atque inde per novem annos vario eventu a tribunis militum res cum Veientibus gesta est, donec anno CCCLVIII. Furius Camillus dictator dictus, magistrum equitum P. Scipionem cooptavit. Is Faliscis primum, ac Capenatibus fusis, & castris exutis, ad Veios profectus, cuniculo in arcem hostium acto, urbem ipsam decimo ejus belli anno cepit, ac maxima præda potitus, Junonis etiam signum, Romam delatum in Aventino, extructo ibi templo, locavit; quum clarissimum de Veientibus in urbem triumphum equis albis vecto curru, invexisset. Atque ita urbs Veii, quæ CCCL. annis Romanis negotium fecerat, capta est. Livius, Plutarchus, Diodorus, Valerius, & alii plerique auctores.

Latini, & Campani in deditionem accepti.

Quum Prænestini Latini populi bellum Romanis intulissent, T. Quinctius Cincinnatus dictator, & A. Sempronius Atratinus magister equitum adversus eos creati, ipsis ad Alliam fusis fugatisque, & Præneste capta, triumphum de iis dictator nobilissimum egit. Oppidum fœderatum fuit, & ei suis legibus vivere concessum anno urbis CCCLXXIV.

Galli Senones qui urbem incenderant, postquam a Camillo cæsi sunt, reparatis viribus multa cum Romanis vario eventu bella gessere. Ceterum quum Tiburtes Gallis se conjunxissent, aliquoties victi, & triumphati sunt. Postremo anno urbis CD. cum Tiburtibus a M. Fabio Ambusto III. cos. ad deditionem pugnatum, Sassula ex his urbs capta, & gens universa positis armis in fidem consulis venit, qui etiam de his, auctore Livio, triumphavit. Tiburtes ut Prænestini suis legibus vivere permissi, fœdusque cum his ictum. Porro autem quum XV. anno post, adjunctis Pedanis a Romanis rebellassent, L. Furius Camillus cos. ad Pedum cum iisdem maxime valido exercitu, majore mole, quamquam æque prospero eventu pugnavit. Præsidiis inde dispositis per recepta oppida, Romam ad destinatum omnium consensu triumphum decessit. Ita Livius.

Anno urbis CDXI. M. Valerio Corvo III. & A. Cornelio Cosso cos. Quum Campani bello a Samnitibus urgerentur, auxilio adversus eos a senatu petito, quum id non impetrarent, urbem atque agros populo Romano dediderunt, ob quam caussam ea quæ populi Romani facta essent, defendi bello adversus Samnites placuit. Campani post rebellionem Latinorum, de qua mox dicam, diu in fide populi Romani permanserunt. Bello vero Punico secundo post acceptam cladem Cannensem, quum ad Hannibalem defecissent, quinquennio post a Q. Fulvio proconsule Capua recepta est, atque in Campanos acriter sævitum. Servitia deinde Romanorum fuere Campani.

Anno urbis CDXIV. T. Manlio Torquato & P. Decio Mure cos. omne Latinum nomen hac ratione domitum est. Latini post L. Tarquinii Superbi regnum, a quo ingentibus prœliis afflicti pacis conditiones, & fœdera Romana petere coacti fuerant, in fide Romana usque ad annum urbis CCLXIII. permanserunt. (Præsertim quum a Tarquinio Superbo arctioribus amicitiæ vinculis, sanctioribusque fœderibus populo Romano conjuncti fuissent.) Quo anno Octavio Mamilio Tusculano Tarquinii Superbi regno Romano exacti genero duce, arma Romanis intulerunt. Quibus ab A. Postumio Albo dictatore ad lacum Regillum victis, fœdus & societas antiqua a Romanis reddita est. Qui in amicitia, & fide populi Romani annos amplius CL. permanserunt. Verum quum Campanis, Sidicineis, & Aurunceis adjunctis bellum Samnitibus fœderatis populi Romani movissent, atque a senatu Romam evocati, arma ponere juberentur, feroci responso, quo alterum consulem e Latio fieri petierunt, bellum Romanum in se convertere. Quos prœlio ad Veserim fluvium commisso victos T. Manlius consul in deditionem accepit, atque de Latinis,

Campaneis, Sidicineis, Aurunceisque triumphavit. Nam ejus collega P. Decius eo prœlio se pro legionibus Romanis devoverat. Post hoc bellum Latium omne biennii intervallo a Q. Publilio Philone dictatore, L. Furio Camillo, & C. Mænio cos. domitum, deinceps perpetua atque egregia in Romanos fide semper fuit. In quo aliquot coloniæ deductæ, aliquot municipia etiam partim cum suffragii jure, partim sine suffragio facta sunt, ut infra aperiam. Paulo post bellum Latinum, & Campanum confectum, Ausones, qui adhuc in armis erant, Calibus eorum urbe a M. Valerio Corvo capta, domiti, in populi Romani ditionem venerunt. Livius.

Volsci, Opici, Hernici, & Aequi subacti.

Volsci, qui bellum cum Romanis sub L. Tarquinio Superbo inchoatum per ducentos prope annos incredibili pertinacia & continuis motibus protraxerant, de quibus supra XII. triumphi acti fuerunt, postremo anno urbis CDXXV. diuturno bello fessi, Priverno capto, a consulibus L. Æmilio Mamercino II. & C. Plautio Deciano domiti, & subacti in ditionem populi Romani venerunt. Livius.

Q. Publilius Philo primus proconsul anno urbis CDXXVIII. Palæpoli capta, Opicos subegit. Hi populi loca, ubi Cumæ, Baiæ, Puteoli, & Neapolis sunt, coluerunt. Livius.

Hernicos, cum quibus populus Romanus T. Sicinio, & C. Aquillio cos. bellare cœpit, variaque cum iis fortuna pugnavit, tandem anno urbis CDXLVIII. Q. Marcius Tremulus cos. Anagnia capta, debellavit. Livius.

Æqui quoque, qui adjunctis Volscis multa bella cum populo Romano post reges exactos gesserunt, anno urbis CDLII. a C. Junio Bubulco Bruto dictatore non solum victi & subacti sunt, sed eorum etiam nomen ad internecionem usque prope deletum est. Livius.

Sabini victi.

Imperio populi Romani Campaniam versus prorogato, Sabini, & Tusci finitimi in deditionem redigendi supererant, quum huic rei sors occasionem præbuit. Nam P. Cornelio Rufino, & M. Curio Dentato cos. anno urbis CDLXIII. Populus Romanus post Latinos, gentem Sabinorum aggressus est; qui immemores factæ sub T. Tatio affinitatis, populum Romanum sub regibus, deinde eis exactis sæpe lacesserant, triumphatique potius quam victi fuerant, & postremo quodam contagio belli se Latinis adjunxerant. Eos M. Curius Dentatus cos. intra eum tractum qua Nar ambit, fontesque Velini Hadriatico tenus mari igne ferroque vastavit. Qua victoria tantum hominum, tantum agrorum redactum in potestatem, ut in utro plus esset ne ipse posset existimare qui vicerat. Et Orosius: *Cum Sabinis Curio Cons. bellum gestum est, ubi quot millia hominum interfecta, quot capta sint, ipse consul ostendit, qui quum in senatu magnitudinem acquisiti agri Sabini, & multitudinem capti populi referre vellet, numerum explicare non potuit.* Et Frontinus libro I. *M. Curius adversus Sabinos, qui ingenti exercitu conscripto relictis finibus suis nostros occupaverant, occultis itineribus manum misit, quæ desolatos agros eorum, vicosque per diversa incendit. Sabini ad arcendam domesticam vastitatem recesserunt: Curio contigit, & vacuos infestare hostium fines, & exercitum sine prælio avertere, sparsumque cædere.* Ex quibus verbis intelligimus Sabinos hoc anno omnino debellatos fuisse. Quod innuere videtur Paterculus, qui hoc anno Sabinis civitatem datam sine suffragio scribit. Quare hoc anno in magistratu M. Curium ter triumphasse omnes auctores sunt, de Samnitibus, Sabinis, & de Lucanis: iis aliquot annis post civitatem cum suffragio datam scribit Velleius.

Galli Senones, & Picenum in deditionem accepti.

Multas Gallorum manus, ut Insubres, Cænomanos, Boios, Gessatas, & novissime Senonas, dulcedine frugum, maximeque vini nova tum voluptate captos, Alpes transiisse, agrosque ab Etruscis ante cultos possedisse, & eam Italiæ partem tenuisse, quæ postea Gallia Cisalpina appellata est, accurate a Livio lib. primo refertur. Ex quibus Insubres & Cænomani Transpadum; Boii, Gessatæ, & Senones Cispadum loca obtinuerunt. In his Senones advenarum recentissimi eam partem Italiæ Tuscis & Umbris antiquis incolis eripuerunt, quæ inter amnes Rubiconem, & Æsim sita est, quorum præcipua civitas Sena fuit. Hi & urbem Romam captam incenderunt, & multa post id tempus adjunctis Tuscis, Umbris, Latinis, & Samnitibus bella vario Marte, & periculosa gesserunt. De his victis post Camillum dictatorem T. Quinctius, C. Sulpicius, C. Pœtelius, M. Popillius, Q. Fabius consules, & plerique alii Romanorum duces triumpharunt. Postremo anno urbis CDLXXI. omnes eorum reliquias in Etruria ad lacum Vadimonis P. Cornelius Dolabella delevit (quem ob eam potissimum caussam Maximi cognomen invenisse opinor) ne quis extaret in ea gente, qui incensam a se Romam urbem gloriaretur. Ita ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. Hæc Florus. Senonibus cæsis eorum provincia in ditionem Romanam venit, quæ mari, Tuscia & Umbria, amnibusque Rubicone & Æsi includebatur. Quo tempore etiam Italia quæ Æsim fluvium non excedebat, ad Rubiconem usque extensa est, Senonumque regio, ut inquit Strabo, Umbris attributa.

Tusci debellati.

Post Senones Tusci, cum quibus jam inde a Romuli tempore populus Romanus bellum gerere cœperat, perpetuoque temporum tractu gesserat, anno urbis CDLXXIV. Vulsiniensibus & Vulcientibus Etruscorum florentissimis populis victis, per Ti. Coruncanium consulem Romano imperio adjecti sunt, atque ea parte imperium ad Arnum usque propagatum. Neque enim post id tempus cum Tuscis justum bellum ullum gestum fuisse memoratur. Nam Vulsinii a servis oppressi XV. anno post a M. Fulvio Flacco cos. in libertatem vendicati sunt. Justum enim id bellum dici non potest, quod cum servis, & non pro acquirendo, sed recuperando imperio gestum est.

Samnites, Tarentini, Bruttii, & Lucani subacti.

Cum Samnitibus Campanorum caussa populus Romanus primo bellum suscepit, quod triumphorum amplius XXX. materies annis LXX. perduravit. Samnitico bello vigente, iis contra Romanos Tarentini se conjunxerunt: unde bellum Tarentinum dictum. Quod unum quidem titulo & nomine, sed victoria multiplex fuit. Hoc enim Lucanos, Apulos, Bruttios, Picentes, Sallentinos, & caput belli Tarentinos, idem totam Italiam, & cum istis omnibus Pyrrhum clarissimum Græciæ regem una veluti ruina pariter involuit, ut uno tempore & Italiam consummaret, & transmarinos triumphos auspicaretur. Hoc bellum paucis verbis refert Florus in epitoma lib. XII. Quum a Tarentinis classis Romana direpta esset, II. viro qui præerat classi occiso, legati ad eos a senatu, ut de iis injuriis quererentur, missi, pulsati sunt; ob id bellum iis indictum est. Samnites defecerunt. Adversus eos & Lucanos, & Bruttios aliquot præliis a C. Fabricio, Q. Marcio, Ti. Coruncanio, & L. Æmilio, C. Junio, Q. Gurgite, M. Curio, L. Cornelio, & C. Canina bene pugnatum est. Pyrrhus Epirotarum rex, ut auxilium ferret Tarentinis, in Italiam venit. Curius Dentatus cos. Pyrrhum vicit, & Italia expulit. Postremo Tarentinis, Lucanis, Samnitibus, Bruttiisque a L. Papirio Cursore II. & Sp. Carvilio Maximo II. cos. victis, pax data est. Quo anno bellum Samniticum & Tarentinum confectum est. Scribit

enim Livius lib. XXIV. Papirium & Carvilium consules adversus Samnites, Bruttiosque & Lucanum cum Tarentino populum declaratos esse. De Tarento a Papirio Cursore capto mentionem facit Frontinus lib. III. Papirium & Carvilium consulem de iis populis triumphasse fragmenta triumphalia Capitolina docent. Hac victoria omnis fere Italia in populi Romani potestatem redacta est, victis præsertim Tarentinis, Samnitibus, Bruttiis, Lucanis, & paulo ante quoque Etruscis, & Senonibus. Soli tantum Picentes, Sallentini, & Umbri subigendi supererant. De triumpho M: Curii de Pyrrho bello Tarentino acto sic scribit Florus: *Nec enim ullus pulchrior in urbem, aut speciosior triumphus intravit, quum ante hunc diem, nihil nisi pecora Volscorum, greges Sabinorum, carpenta Gallorum, fracta Samnitium arma vidisset. Tum si captivos aspiceres, Molossi, Thessali, Macedones, Bruttius, Apulus, atque Lucanus. Si pompas, aurum, signa, tabulæ, Tarentinæque deliciæ. Sed nihil libentius populus Romanus aspexit, quam illas belluas, quas timuerat cum turribus suis, quæ non sine sensu captivitatis submissis cervicibus victores equos sequebantur.*

Picentes, Sallentini, & Umbri domiti.

Omnis Italia pacem habebat; quis enim domitis Tarentinis quid moliri ausus esset? nisi quod ultro persequi socios hostium placuit. Domiti deinde Picentes, qui cum reliquis Italicis rebellaverant, & caput gentis Asculum a consulibus P. Sempronio, & Ap. Claudio.

Sallentini Picentibus additi caputque regionis Brundusium inclyto portu celebre a M. Atilio & L. Julio cos. vexatum. Quos anno sequenti D. Junius, & N. Fabius in potestatem redegerunt.

Soli omnium Italicorum Umbri relicti fuerunt, ad quos arma Romana non pertinuerant: qui quum rebellassent, ab iisdem consulibus, a quibus Sallentini, Sassina capta, domiti sunt. Atque demum anno urbis CDXXCVIII. Italia omnis a freto Siculo ad Rubiconem, & Arnum, Tuscosque extremos Liguribus confines, in populi Romani ditionem devenit. Quæ omnis fere fœderata sine magistratu Romano suis legibus libere vivere permissa est. Quæ quamquam omnis fœderata esset, variis tamen conditionibus fœdera adepti sunt. Quidam enim municipia cum suffragii jure facti, quibusdam civitas sine suffragio data, Latinis jus quoddam quod civitati proximum fuit permissum, in aliquibus coloniæ Latinæ, vel civium Romanorum deductæ, quidam stipendiarii, quidam vectigales, quidam omnino liberi relicti fuerunt. Quæ omnia accuratius paulo infra aperiam.

Ceterum quum a Rubicone amne Polam Istriæ usque, item a flumine Arno ad Varum amnem Italia postea per alpium radices prolata fuerit, quæ ante provinciæ Ligures, Gallia, Veneti, Carni, Japudes, & Istri fuerant, & omnes quæ in ea, quæ postea Italia appellata fuit, colonias, municipia, & præfecturas enumerare constituerim, conveniens esse existimavi ante singillatim demonstrare, quanam ratione in potestatem populi Romani hæ gentes venerint, atque in provinciarum formam redactæ, postea Italiæ attributæ fuerint, deinde eas, quæ in singulis coloniæ fuerunt, digerere.

CAP. IV.

Quo tempore Gallia Cisalpina provincia facta fuerit.

BELLUM igitur Gallicum Cisalpinum initum est anno urbis DXXIX. C. Atilio, & L. Æmilio cos. Hoc lex C. Flaminii tribuni plebis excitavit, quam ille vel octavo, ut ait Polybius, ante anno M. A Lepido, & M. Poblicio cos. vel quinto, ut Cicero, Q. Fabio Maximo II. & Sp. Carvilio cos. de agro Piceno, & Gallico, unde pulsi Senones a Dolabella fuerant, viritim dividendo tulit. Nam quum reliqui Galli, ac maxime finitimi Boii Senonum casu perculsi rebus suis timerent, inita cum Insubribus societate, Gallos eos, qui trans Alpes ad Rhodanum accolunt, atque a mercede, qua ducti militant, Gessatæ dicuntur, advocarunt. Itaque quum reges eorum Congolitanus, & Anerœstus magnis inducti pecuniis cum ingentibus copiis, alpes in Italiam trajecissent, ac se cum Boiis & Insubribus conjunxissent, (Veneti enim ac Cænomani a Romanis per legatos solicitati quieve- B rant) peditum ad quinquaginta millia, equitum ad viginti adducentes in Etruriam irruperunt, octavo, ut scribit Polybius, post agri Piceni divisionem anno, L. Æmillio, C. Atilio cos. in quem etiam annum bellum Gallicum Cisalpinum a M. Verrio Flacco in tabulis Capitolinis collatum est. Romani autem Gallorum tumultu nuntiato maximas, si quando unquam alias, copias compararunt. Tota etiam tum Italia enixe pro imperio Romano laboravit. Summa peditum Romanorum, ac sociorum fuit supra quingenta millia, equitum supra sexaginta, auctore Polybio. Itaque Plinius libro tertio L. Æmilio Paulo & C. C Atilio Regulo cos. inquit: *Italia nuntiato Gallico tumultu sola sine externis ullis auxiliis, atque etiam tunc sine Transpadanis equitum* LXXX. *millia, peditum* DCC. *armavit*. Cænomanos autem & Venetos transpadanos intelligit, qui ex Gallis soli pro Romanis stabant. Cum harum igitur copiarum parte L. Æmilius consul Ariminum, ut Gallorum transitum impediret, contendit, alteram prætor in Etruriam, quod C. Atilius cos. alter jam in Sardiniam navigaret, adduxit. Jam Clusium Galli pervenerant, prætor ad Fesulas collatis signis fugatus in collem editum se receperat; cujus quum obsidionem Galli pararent, Æmilius consul Apennino superato improviso advenit. Is D igitur Gallos cum præda abeuntes ab una parte, ab altera Atilius jam ex Sardinia revocatus adorti, ita pugnarunt, ut Gallorum quadraginta millia cæciderint, decem millia ceperint. Atilius in prœlio, & rex Congolitanus occisus est. Anerœstus semetipsum in fuga occidit. Æmilius vastato Boiorum agro Romam triumphans rediit, ac Capitolium armis & torquibus Gallorum exornavit. Ita Polybius, Florus, & Eutropius. Anno sequenti ex re bene gesta Romani in spem adducti Gallos Italia expellendi non quieverunt. Q. enim Fulvium & T. Manlium consules in Galliam cum legionibus miserunt, qui provinciam ingressi Boiorum gente devicta, quum ad reliquos Gallos bel- E lum transferrent, imbrium vi, ac pestilentiæ magnitudine deterriti sunt. Ita Polybius. Hos primum transpadum legiones Romanas duxisse tradit Orosius. Altero anno C. Flaminius & P. Furius consules Insubres transpadum insigni victoria devicerunt. Quarto ejus belli anno Insubres accisis opibus suis pacem petentes M. Claudius Marcellus, & Cn. Cornelius consules eductis repente adversus eos copiis, ad arma capienda invitos compulerunt. Marcellus Gallorum Gessatarum exercitum rege illorum Virdumaro interfecto fudit, fugavit, & cepit, Acerras Gallorum oppidum occupavit. Ambo consules Mediolanum, quod Insubrum caput erat, Gallis supremo prœlio victis, ex- F pugnarunt: quo facto Insubres, desperatis rebus suis, se Romanis dediderunt, atque ita bellum confectum est. Marcellus in urbem reversus de Gallis Insubribus triumphavit, spolia opima regis interfecti tertius retulit. Ita Polybius, Plutarchus, & Eutropius. Hoc bello confecto Cisalpinam Galliam provinciam primum factam fuisse a Marcello ex eo liquet, quod coloniæ plures annis proximis eo deductæ sint, & Romanis consulibus Gallia deinceps provincia in annum decerni solita. Hoc ipso tempore Veneti, & Cænomani a legatis per Romanos solicitati quieverunt;

eisque sociis, & fœderatis Galli oppressi sunt. Bello Punico secundo confecto cum Insubribus, Comensibus, & Boiis rebellantes Cœnomanos, aliquot duces Romani magnis cladibus affectos eos tandem in deditionem acceperunt, Galliamque omnem cisalpinam quietam habuerunt. Insubres Cænomanos, & Comenses Gallos transpadanos cum cispadanis sæpe rebellantes L. Furius Purpureo prætor, & C. Cornelius Cethegus cos. vicerunt, & postremo M. Marcellus cos. ejus, qui primo Galliam provinciam fecerat filius, castellis duodetriginta in deditionem acceptis, eos debellavit anno urbis DLVIII. Boios, hi Galli cispadani sunt, qui sæpissime cum transpadanis jam victis rebellaverant, iidem duces ceciderunt, eosque demum magnis cladibus afflictos P. Cornelius Scipio Nasica cos. domuit, anno DLXIII. deque iis in magistratu triumphavit. Veneti diu in fide populi Romani permanserunt. Cum Carnis, Japudibus, & Istris C. Claudius Pulcher consul anno urbis DLXXVII. bellum primo suscepit, quod Ætolis contra Romanos subsidia tulerant. Cum iis vario Marte pugnatum, eos postremo domuit & in populi Romani ditionem C. Sempronius Tuditanus cos. ut auctor est Plinius, redegit, anno DCXXV. de iisque triumphavit.

Quo tempore Ligures domiti fuerint.

Bello Punico primo vix finito, statim Ligures, Galli, & Illyrii ad exercendam Romanam virtutem novi hostes surrexere. L. Cornelio, & Q. Fulvio, anno urbis DXVII. Liguribus primum arma illata sunt; quod bellum intra Italiam latrocinia Ligurum excitarunt. De quibus sic scribit Florus: *Ligures imis alpium jugis adhærentes inter Varum & Macram flumen implicitos dumis silvestribus, major aliquando labor erat invenire, quam vincere. Tutum locis & fuga durum atque velox genus, ex occasione magis latrocinia quam bella faciebat, itaque quum diu multumque eluderent saltu, viis, latebris Salyes, Deceates, Oxybii transalpini, citra vero Vagienni, Statyelli, Casmonates, Eburiates, Veleates, Jagauni, tandem Fulvius latebras eorum igni sepsit.* Significat autem Florus victoriam, quam Q. Fulvius Flaccus ex his retulit. Victi autem hoc primum anno a consulibus sunt, eorumque XXIV. millia interfecta, V. millia capta, & de iis triumphatum. Eos deinde sæpissime rebellantes plures Romani duces magnis cladibus per XXC. annos, ut Strabo, vel ut ego observavi per CXXII. affecerunt, triumphi de iis & finitimis populis Vocontiis, Contrubeis, & Gatiscis supra XVIII. acti. Quos demum M. Æmilius Scaurus cos. anno DCXXXIX. in deditionem accepit, latrocinia eorum coercuit, effecitque postremo ut publice permeantibus via ad stadiorum XII. latitudinem laxaretur. Ac ut Strabo scribit, universis fractis, terrore incusso gubernandi formulas iis Scaurus imposuit. Hic est ille Scaurus, qui consul, censor, & princeps senatus fuit, atque de Liguribus & Gatisceis postremus omnium triumphavit, quique per Pisas & Lunam usque Sabatios, domitis Liguribus, viam stravit Æmiliam, & hinc per Derthonam. Salassos & gentes alpinas Ap. Claudius Pulcher cos. anno DCXI. bello vicit. Augustus postea Cæsar ipsos non quiescentes delevit.

Italia ad Alpes producta & in XI. regiones divisa.

Atque hac ratione universa quæ nunc appellatur Italia sexcentorum annorum intervallo Romanum jugum suscepit. Quæ quum ante a supero mari Æsi ab infero vero Macra fluminibus terminaretur, victis & deletis Gallis Senonibus, usque ad Rubiconem processit; is enim posterior terminus Italiæ fuit. Postremo triumviri R. P. C. ne proconsul ullus cum exercitu intra alpes esset, Galliam omnem Cisalpinam Italiæ adjunxerunt, eamque usque ad alpium radices protulere. Ejusque termini a mari supero Istri, oppidum Pola, fluviusque Arsia, ab infero, omnis Varus, qui a Liguribus Galliam Narbonensem dividit, facti. In mediterraneis vero alpium radices ejus fines esse voluerunt. Quam Cæsar Augustus rerum potitus, Romani imperii novam formam constitueret, in undecim regiones, ut libro tertio tradit Plinius, distribuit. Quarum prima Latium vetus novumque, & Campania fuit, II. Picentes, III. Lucani, Bruttii, Sallentini, Apuli, IV. Frentani, Marrucini, Peligni, Marsi, Vestini, Samnites, & Sabini. V. Picenum. VI. Umbri. VII. Etruria. VIII. Gallia cispadana. IX. Ligures. X. Venetia, Carni, Japudes, Istrique. XI. Gallia transpadana. In quibus regionibus quot coloniæ, municipia, & præfecturæ fuerint explicaturus, ut apertius singularum jura, leges, & discrimina cognoscantur, ex antiquitatis observatione pauca ante subjicere placet de civitatis Romanæ, Latii, & Italiæ jure.

CAP. V.

De jure civitatis Romanæ.

PRÆSTANTISSIMUM Romuli institutum, omnes, ut principio vidimus, auctores fuisse referunt, quod victas gentes, non ut Athenienses olim & Lacedæmones pro alienigenis arcuisset, sed eas in populi Romani amicitiam, & civitatem ipsam etiam adsciverit, vel Colonias Romanas deduxerit. Quod a sequentibus regibus, & consulibus studiosissime observatum, tanti imperii præcipua caussa fuit. Porro autem quemadmodum externæ gentes vel victæ, vel sponte in Romani populi amicitiam, aut fœdera, & ditionem admissæ, varii generis, ac conditionis pro earundem erga remp. meritis, vel demeritis erant, ut aliæ omnino liberæ, aliæ fœderatæ, aliæ stipendiariæ, aliæ fundi populi, aliæ Latinæ, aliæ civitatem Romanam adeptæ fuisse repeRiuntur, ita varii generis fuisse cives Romanos observavi; ita ut alii essent cives Romani pleno jure, id est, cum jure suffragii, alii sine suffragio, alii municipes, alii coloni, alii ex præfecturis, alii vero sine civitatis jure nonnulla habuerint civitatis Romanæ privilegia.

De quibus omnibus verba facturus a primo civis Romani perfecto jure exordium sumam. Nam qui ex nullo municipio, ex nulla colonia, præfecturave, vel ex alia fœderata civitate erant, sed vel in urbe, agrove urbi suburbano nati, vel ex servis Romanorum libertate, aut ex aliis gentibus externis speciali privilegio in urbem vocati, & civitate donati essent, primum genus civis Romani constituebant. Ex his fuerunt, primi urbis cultores, eorum filii, & nepotes, post eos Sabini, qui sub T. Tatio, Tusci & Latini, qui sub Romulo, Albani & reliqui Latini, qui sub ceteris regibus, gens Claudia, & plerique alii populi, qui quum sub consulibus Romam commigrassent, & postremo omnium eorum servi, qui quum manumissi essent, civitatem Romanam cum suffragii jure adepti sunt. Hic autem civis Romanus, qui perfecto jure civis Romanus dicebatur, erat homo liber, servi enim cives esse non poterant, qui comitiis curiatis in curia, centuriatis in centuria, & tributis in una XXXV. tribuum suffragium ferre posset. Inter multa enim horum civium Romanorum privilegia illud supremum erat, ut essent in tribu, & centuria a censoribus relati, in qua & suffragium ferrent, & iisdem suffragiis ad magistratus publicasque ceteras administrationes ac dignitates pervenirent; quod in Verrinas docet Asconius. Ceterum quum jus civitatis non una quadam in re consisteret, sed multis ac diversis velut prærogativis constaret, non omnibus omnia jura concedebantur, unde efficiebantur variæ conditionis cives Romani. Ex his qui suffragii jus habebant, omnia etiam cetera privilegia quæ hæc erant, habebant. Ac pri-

primum quidem civibus Romanis post suffragii lationem, jus erat per leges Porciam & Semproniam, ut nec virgis cædi, nec vinculis coerceri, nec omnino capite plecti, nisi populi ipsius judicio possent. Idcirco Cicero in Verrem, qui P. Gavium municipem Consanum virgis ceciderat, exclamat, quum ait: *Cædebatur virgis in medio foro Messanæ civis Romanus: o lex Porcia, legesque Semproniæ*, &c. De iis enim qui cives non essent nihil horum cautum erat, poterantque a magistratibus non solum peregrini sed Latini etiam ipsi, quorum privilegia maxime ad civitatem Romanam accedebant, non consulto populo servili supplicio affici. Nam Salustius in Jugurthino, quemdam T. Turpilium Silanum commemorat, qui quum socium præfectus esset, tribunosque, & centuriones sub se haberet, condemnatus tamen, verberatusque capite pœnas solvit. *Nam is* (inquit) *civis ex Latio erat*. Ceterum hoc privilegium civibus omnibus Romanis, tam his qui cum suffragio civitatem habebant, quam his qui sine eo erant, commune fuisse ex eo mihi persuadeo, quod & municipes sine suffragio in legione, ut tradit Festus, merebant; qui autem in legione militabant, virgis cædi non poterant. Tertium civium Romanorum privilegium erat, quod solis civibus Romanis in legione Romana militare jus erat. Ideoque soli cives ad ærarium in beneficiis deferri ab Imperatoribus, & beneficiarii milites fieri poterant. Nam hoc fuisse proprium civium Romanorum eodem illo loco Cicero pro Archia ostendit. Horum beneficiorum meminit etiam in epist. XX. lib. VI. epist. fam. Liberos porro in potestate habere proprium erat jus civis Romani, ut ait Justinianus I. Inst. tit. de patria potestate. Erat postremo jus adoptionum, gentilitatis, & togæ ferendæ, quod proprium civium Romanorum erat. Atque hæc omnia privilegia non nisi civibus Romanis communia erant, tam iis qui urbem incolerent, quam municipibus, & coloniis civium Romanorum. Municipia vero quibus sine suffragio data civitas fuisset, illo uno suffragii jure privabantur, in reliquis conveniebant. Sextum autem jus quod omnibus Romanis civibus commune fuit, erat ut soli testamento civis Romani hereditatem capere possent; neque enim ullus peregrinus poterat hereditatem civis Romani adire, & testamenta fiebant Romanis civibus præsentibus. Quod Cicero ostendit pro Archia poeta, ubi probat Archiam se pro cive gessisse hoc argumento, quod sæpe adiisset hereditates civium Romanorum. Et pro Cæcinna, Æbutius Cæcinnæ adversarius negat posse heredem Cesenniæ esse Cæcinnam Volaterranum, quod civitas Volaterranis adempta esset a L. Sylla dictatore, ideoque civis Romanus non esset Cæcinna. Quum pro argumento accipiat Archiam se pro cive gessisse, quia sæpe testamenta legibus Romanis fecisset. Hujus juris partem Romani cives cum Latinis communicabant. Nam quamquam Latini omnino heredes esse non possent, legati tamen institui ex hereditate poterant, ut paulo post ostendam. Jus etiam alienandi per nexum proprium fuisse civium Romanorum ex eo intelligi potest, quod omnes, inter quos juris hujus solemnitas transigebatur, cives esse oportebat, ut ait Boetius in commentariis Topicorum. Hoc privilegium etiam Latinis cum civibus Romanis commune erat. Utranque rem Cicero pro Cæcinna refert. Nam quum Æbutius Cæcinnæ adversarius negaret Cæcinnam Volaterranum, civitate iis adempta a L. Sulla, civem Romanum esse, & propterea hereditatem Cesenniæ capere non potuisse, ei ita respondet Cicero: *Sulla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa, atque hereditates. Jubet enim eodem jure esse quo fuerint Ariminenses, quos quis ignorat* XII. *coloniarum fuisse, atque* (non a populo Romano, ut in vulgatis codicibus, sed a C. R. ut in antiquis manuscriptis, id est,) *a civibus Romanis*

A *hereditates capere potuisse?* Quum autem ex XXX. coloniis quædam Latinæ, quædam civium Romanorum vocentur, Livius lib. XXIX. XII. colonias inobedientes Latinas appellat. Ex quibus verbis illud intelligi potest, Latinos aliqua ratione civium Romanorum heredes esse potuisse, & commercia cum civibus Romanis per nexum habuisse. Quod idem referre videtur Ulpianus titulo XIX. Inst. quum ait: *Mancipatio locum habet inter cives Romanos, & Latinos colonianos, Latinosque Junianos, eosque peregrinos, quibus commercium datum est*. Commercium est emendi vendendique invicem jus. Sub hoc privilegio continentur omnia commerciorum genera, ut nexa, stipulationes,
B mancipationes, sacramenti contentiones, in jure cessiones & alia, quibus perfecto jure possessio rei acquirebatur, vel quibus jure civium Romanorum dominus fiebat. Jus igitur commercii, quod olim inter cives Romanos tantum erat, Latinis quoque communicatum erat. Unde Livius lib. VIII. *Ceteris Latinis populis connubia commerciaque & consilia inter se adempta*. Erat postremo jus connubiorum olim civibus Romanis proprium, quia tantum cives cum civibus matrimonium contrahere poterant, ita ut si pater aut mater peregrini essent, non legitimæ erant nuptiæ. Lex enim erat ut nuptiæ tantum essent inter cives Romanos, inter
C quos solos connubii jus erat. Filii ex eo matrimonio nati soli justi sunt, & in potestate parentum, & hi succedunt parentibus. Hoc jus Latinis, & Campanis communicatum olim fuisse refert Livius. Atque hæc erant omnia civibus Romanis qui urbem, agrumve colebant privilegia, quorum quædam iis tantum erant propria, quædam cum municipiis & Latinis communia, ut abunde demonstravi.

CAP. VI.

De jure municipum cum suffragio.

D PArum vel nihil ab iis civibus Romanis, qui urbem agrumve incolerent, differebat civium Romanorum alterum genus, qui in municipiis, quibus cum suffragii latione civitas data erat, commorabantur. Hi enim omnibus civium Romanorum privilegiis potiebantur, uno, ut existimo, excepto, quod in curias Romanas descripti non erant, atque ob eam caussam Curiatis comitiis, in quibus tamen parum momenti erat, excludebantur. Curiæ enim tantum eorum, qui urbem incolerent, erant. Nam qui in muncipiis vel coloniis cives Romani habitabant, sua quædam in suis urbibus sacra habebant, quæ municipalia dicebantur, erantque iis perinde ac Romanis curiæ. Quod vel inde
E apparet, quod Milo legitur ad prodendum flaminem Lanuvium profectus fuisse, pridie quam Clodium occidit. Nec erat necesse sua sacra eos relinquere, qui civitate donabantur, nisi in urbem migrarent. Nam quos sub regibus migrasse Romam reperimus, ut Sabinos, Tuscos, Catinos, & Albanos, eos simul per curias Romanas descriptos fuisse ex Dionysio aperte intelligitur. Qui vero ad urbem non migrabant, suis sacris vacare opus erat, quæ (ut dixi) municipalia vocantur. De quibus sic scribit Festus: *Municipalia sacra vocantur, quæ ab initio habuerunt ante civitatem Romanam acceptam, quæ observare eos voluerunt pontifices, & eo more facere quo fecissent antiquitus*. Cete-
F rum quum civium Romanorum, qui extra urbem habitarent, duo genera fuerint, id est, municipes, & coloni, quid utrunque fuerit, ex Gellio demonstrare non alienum ab hoc instituto erit. Is enim, libro XVI. cap. XIII. sic ait: *Municipes sunt cives Romani ex municipiis suo jure, & legibus suis utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur, nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, quum nunquam populus eorum fundus factus esset. Sed coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec suis radicibus nitun-*

tur, ut municipia, ſed ex civitate quaſi propagatæ ſunt, & jura inſtitutaque omnia populi Romani, non ſui arbitrii habent. Hæc Gellius. Ita ut municipia cum civitatis quidem Romanæ privilegiis & jure, ſuas leges, ſuos magiſtratus, & ſua tam publica quam privata inſtituta retinerent, ut cuique municipio antiquitus mos erat. Coloniæ vero alia ratione, ut poſt oſtendam, remp. gerebant.

CAP. VII.

De municipiis ſine ſuffragio.

MUNICIPIORUM autem duo erant genera, quædam quæ omnia civitatis privilegia habebant præter ſuffragii lationem, quædam quæ civitatem ipſam cum ſuffragio obtinuerant. Primi omnium qui municipes facti ſunt, ſine ſuffragii latione fuerunt. Hi fuerunt Cærites. *Hoc illis* (inquit Gellius) *conceſſum, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, ſed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro ſacris bello Gallico receptis, cuſtoditiſque. Hinc tabulæ Cærites appellatæ verſa vice, in quas cenſores referri jubebant, quos notæ cauſſa ſuffragio privabant.* Idem tradit Aſconius. De his municipiis loquens Sex. Pompeius ita ſcribit: *Municipes erant, qui quum ex aliis civitatibus Romam veniſſent* (hoc eſt, ut ego interpretor, civitate donati eſſent) *eis non licebat magiſtratum capere, ſed tantum muneris partem.* At Servius ajebat initio fuiſſe qui ea conditione cives Romani fuiſſent, ut ſemper remp. ſeparatim a populo Romano haberent, qui æque cives Romani erant, & in legione merebant, ſed dignitates non capiebant. *Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam veniſſent, neque cives Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo.* Quæ autem ejuſmodi municipia fuerint, paulo poſt exponam. Hi omnia civitatis privilegia præter ſuffragii lationem, & magiſtratus capeſſendi poteſtatem habebant. Municipes vero cum ſuffragii jure omnia privilegia civium Romanorum urbem incolentium habebant præter curias, in quas, quemadmodum qui Romæ habitabant, diſtributi non erant, ac per hoc curiatis comitiis excluſi. De municipibus ſic ſcribit Ulpianus libro II. *Municipes aut nativitas facit, aut manumiſſio, aut adoptio, & proprie quidem municipes appellantur muneris participes, recepti in civitatem, ut munera nobiſcum facerent.* Ceterum omnium municipiorum cum jure ſuffragii primum fuit Tuſculum. Quæ reliqua fuerint poſt aperiam.

CAP. VIII.

De jure coloniarum.

QUÆ autem coloniæ fuerint ex Gellio vidimus, *quarum*, ut idem inquit, *conditio, quum magis quam municipiorum obnoxia, & minus libera eſſet, potior tamen & præſtabilior exiſtimabatur, propter amplitudinem majeſtatemque populi Romani, cujus coloniæ quaſi effigies parvæ erant; & ſimul quia obſcura oblitterataque erant municipiorum jura, quibus uti per ignorantiam nequibant.* Deducendarum vero coloniarum mos a Romulo inſtitutus frequentiſſimus apud Romanos fuit. Nam hoſtibus laceſſentibus victis, agrique & regionis parte mulctatis, in agris de eis captis, quo imperium Romanum ſtabilirent, vel novas urbes condebant, vel in antiquitus conditas, veteribus incolis ex iis pulſis, novos ex urbe cives per III. viros ad id creatos eo deducebant, quotquot agro capto colendo ſufficere poſſent, quem novis colonis dividebant. Hi ſtatim in coloniam deducti novam adminiſtrandæ reip. rationem Romano more conſtituebant. Nam ut Romæ erat populus & ſenatus, ſic hi novos colonos in decuriones & plebem dividebant; decuriones ſenatus, plebs populi Romani imaginem referebant: ex decurionibus ſingulis annis duo vel quattuor viri creabantur juxta coloniæ magnitudinem vel parvitatem, qui II. viri vel IV. I.D. id eſt, juri dicundo vocabantur. Hi conſulum Romanorum ſpeciem repræſentabant. Creabantur inſuper Ædiles, qui viarum, ædificiorum publicorum, annonæ, & locandorum reddituum publicorum, item quæſtor, qui ærarii publici curam habebat, atque hi erant præcipui coloniæ magiſtratus: in ceteris omnibus more, legibus, & inſtitutis Romanis vivebant. Quarum coloniarum duo genera erant ut tradit Aſconius, quædam civium Romanorum, & quædam Latinæ. Coloniæ civium Romanorum præter ſacra omnia jura habebant quæ cives Romani obtinebant, quemadmodum & municipes cum ſuffragii jure. Coloniæ vero Latinæ erant quæ jus Latii haberent. Quid autem jus Latii fuerit nunc exponam.

CAP. IX.

De jure Latii.

POPULUS Romanus ſociis nominis Latini, quod a Tiberis oſtiis Circeios uſque ſe extendebat, antiquæ cognationis jure multa tribuit privilegia, quibus jus Latii continebatur: quorum antiquiſſimum fuit ut eo jure quod Latini a populo Romano habuiſſent, coloniæ omnes uterentur, quæ idcirco Latinæ dictæ ſunt, quum colonias civium Romanorum deducere adhuc mos non eſſet; ad quarum poſtea diſcrimen quæ deduci cœptæ ſunt, reliquæ tam antiquæ quam recentiores coloniæ, quæ civium Romanorum non eſſent, Latinæ dictæ ſunt. Latii enim jus proxime ad civitatem Romanam accedebat; quod ut dixi multiplex fuit. Primo enim ſolis Latinis poſt cives Romanos in comitiis, ferendis ſuffragiis ſi ab uno magiſtratuum invitati eſſent, nec ab alio prohibiti, poteſtas erat. Qui quum in nulla tribu eſſent, ſortitione opus erat, ut appareret in qua tribu ſuffragium ferrent. Hoc illis conceſſum fuiſſe in fœdere, quod cum iis ictum fuiſſe Cicero pro Balbo ſcribit Sp. Caſſio & Poſtumo Cominio cos. anno urbis CCLXI. liquet. De quo fœdere Dionyſius libro VIII. ita loquentem Sp. Caſſium introducit: *Latinos Romanorum conſanguineos, urbis tamen Romæ dominationem & gloriam iniquo ſemper animo ferentes in amicitiam adduxi, conceſſa eis civitatis adminiſtrandæ parte, ut jam non adverſam ſibi Romam vocent ſed patriam.* Et paulo poſt: *Sp. Caſſius quam plurimos potuit Latinorum & Hernicorum evocavit ad ſuffragium ferendum, qui frequentes convenerunt, ut propemodum plena peregrinis eſſet civitas; quo a Virginio animadverſo, juſſit per compita proclamari, ut omnes peregrini Roma exirent, dato ad id perexiguo tempore. Tum Caſſius contra edicto juſſit eos omnes in urbe manere, quibus conceſſa erat civitatis adminiſtrandæ pars, id eſt, ſuffragii ferendi jus, donec lex perlata eſſet.* Ex quibus Dionyſii verbis intelligi poteſt, fœdere conceſſam Latinis communem & parem cum Romanis reip. gerendæ curam. Ex Dionyſii, & Livii libro XXV. verbis: *Teſtulis datis tribuni populum ſummoverunt; ſitellaque allata eſt, ut ſortirentur ubi Latini ſuffragium ferrent*: primum colligo, Latinos cum Romanis ferendi ſuffragii poteſtatem habuiſſe; neque enim ſortiendum eſſet, ubi Latini ſuffragium ferrent, ſi omnino ſuffragio excluſi fuiſſent. Deinde id illis beneficio tantum, permiſſu & liberalitate eorum magiſtratuum qui haberent comitia, licuiſſe. Quod ex C. Gracchi hiſtoria confirmatur, in qua legimus ſocios Latinos, urbe exire juſſos, ne tum Romæ eſſent, quando legibus Gracchi ferendis tribus in ſuffragium vocarentur. Quo pertinet illud Ciceronis pro Sextio: *Nihil acerbius ſocii Latini ferre ſoliti ſunt, quam id*

quod perraro accidit, ex urbe exire a consulibus juberi. A Neque enim edicto consules tollere poterant, quod legibus contra cautum esset. Itaque si per leges Latini jus habuissent suffragii, nec consules suis edictis illos suffragio privare potuissent, nec Latinos legum præsidio munitos suo jure cedere passus esset C. Gracchus, ut contra quam legibus licitum esset suffragio privarentur socii, quos ipse evocasset. Si ergo id contra leges factum non est, a C. Fannio consule ut edicto juberet Latinos urbe exire, ne legibus Gracchi ferendis adessent, necessario efficitur Latinos in comitiis non habuisse jus suffragii, qui tamen Romanorum magistratuum benignitate admitti solebant, B id tribuentium societati antiquæ, & consanguinitati Latinorum, qui tum forte Romæ essent, quum haberentur comitia. Eos autem omnibus comitiorum generibus admitti solere, quum beneficii hoc esset, non juris, quod Latini admitterentur ad suffragium, nulla videtur caussa, cur ceteris comitiis ea benignitas adstricta esset, præsertim quum Latinorum suffragium hoc modo in unam quandam tribum forte contractum nullius prope momenti futurum esset, quum interim magno honori id ducerent, quod suffragium cum civibus dicerent. Quamquam vero non censerentur Romæ Latini, sed in suis civitatibus, poterant tamen ad centurias se adjungere C unius cujusdam tribus cui forte obtigissent, ut Latini in ea suffragium dicerent, ut cum primæ classis centuriis hi suffragium ferrent, qui erant primi census apud Latinos, cum centuriis secundæ classis, qui erant apud eos secundi census, & ita deinceps, aut vero in unam centuriam forte ductam omnes Latini nulla habita ratione census conjici, quomodo in tributis comitiis in unam tribum conjiciebantur. Sed quoniam hæ probabiles potius conjecturæ sunt, quam necessariæ rationes, de his finem scribendi faciam. Antiquissimum igitur Latinorum jus erat, ut cum civibus Romanis ad suffragium ferendum admitterentur; qui quoniam in nulla certa tribu erant, D antequam ad suffragium tribus vocarentur sortitio fiebat, in qua tribu suffragium dicturi essent. Alterum porro Latinorum jus erat, quod cives Romani viritim etiam fieri poterant; civitas enim eo jure aliis populis non patebat. Eam autem multis rationibus consequi poterant. Prima est cujus meminit Appianus libro II. bellorum civilium, ubi ait, Latinitatis jus hoc fuisse, ut cives Romani fierent, qui in Latinis coloniis magistratum gessissent. Quamquam ergo Romani cives amitterent civitatem, si in Latinam coloniam nomina dedissent, ut docet Cicero pro Cæcinna, & pro domo sua, hoc tamen jure po- E terant in civitatem redire, si magistratum in ea colonia Latina gessissent. Adjicit Cicero ibidem, quod qui cives Romani in colonias Latinas proficiscebantur fieri non poterant Latini, qui non erant auctores facti, nomenque dederant. Alia ratio erat de qua mentionem facit Livius lib. XLI. Lex sociis nominis Latini qui stirpem ex se domi reliquissent, ac Romam ad habitandum venissent, dabat ut cives Romani fierent. Verba Livii sunt hæc: *Moverunt senatum & legationes socium nominis Latini, quæ & censores & priores consules fatigaverant, tandem in senatum introductæ. Summa querelarum erat, cives suos Romæ censos plerosque Romam commigrasse, quod* F *si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta oppida, deserti agri, nullum militem dare possent. Genera autem fraudis duo mutandæ viritim civitatis inducta erant. Lex sociis nominis Latini qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat ut cives Romani fierent. Ea lege male utendo, alii sociis, alii populo Romano injuriam faciebant. Nam & ne stirpem domi relinquerent, liberos suos aliquibus Romanis in eam conditionem ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent; & quibus stirps deesset, quam relinquerent, cives Romani fiebant. Postea his quoque imaginibus juris spretis promiscue sine lege, sine stirpe in civitatem Romanam per migrationem, & censum transibant. Hæc ne postea fierent petebant legati, & ut redire in civitates juberent socios. Deinde ut lege caverent, ne quis quem civitatis mutandæ caussa servum faceret, neve alienaret, & si quis ita civis Romanus factus esset, civis non esset: hæc impetrata a senatu.* Tertia item ratio fuit per legem Serviliam, qua Latinis jus erat civitatem assequi in locum ejus quem accusando damnassent repetundarum. Hanc legem tulerat C. Servilius Glaucia ut docet Asconius pro Scauro. Hac lege duo Latini Tiburtes apud Ciceronem pro Balbo civitatem adepti sunt, quum duos senatores Cœlium, & Masonem accusassent, & damnassent repetundarum. Quod vero ea lege Latini assequerentur civitatem his verbis eo loco ostendit Cicero: *An accusatori majores nostri majora præmia, quam bellatori esse voluerunt? Quod si acerbissima lege Servilia principes viri ac gravissimi & sapientissimi cives hanc Latinis id est fœderatis viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt* &c. Alias vero etiam leges fuisse, quibus Latinis præmii loco civitas proposita esset, paulo post idem Cicero indicat iis verbis: *Num fundos igitur factos populos arbitramur, aut Servilia lege, aut ceteris quibus Latinis hominibus erat propositum aliqua ex re præmium civitatis?*

Refertur ab Ulpiano in titulo III. quoddam libertorum genus, qui Latini Juniani appellabantur Latii jus lege Junia Norbana sub Augusto adepti, quos civitatem Romanam, & jus Quiritium multis modis adipisci posse scribit. In his erant, beneficio principis, liberis, iteratione, militia, nave, ædificio, pistrino, & si ter mulier enixa fuerit. Hi dum viverent, quamquam se quasi pro civibus gererent, tamen jus testamenti faciendi non habebant, & dominus eorum morientium hæreditatem capiebat, nisi prius jus civitatis vel Quiritium adepti essent. Jus autem Quiritium idem fere quod jus civium Romanorum esse existimo, ab Augusto excogitatum, quo antiquos cives Romanos & nobiles a novis civibus libertinis & peregrinis discerneret, qui civitate donati, jus quidem civitatis Romanæ habebant, sed non jus Quiritium, quod erat paulo excellentius; puta, tanto tributo non gravari, eadem privilegia habere, quæ vetustissimi cives urbem incolentes haberent. Nam post legem Juliam qua Italiæ omni civitas data est, & omnibus æquata suffragia, ut cives Romani novi & inferioris gradus a vetustissimis privilegiis, & dignitate discernerentur, his vocibus jure Quiritium, & civitate Romana, ab aliquo imperatorum distincti sunt. Jus ergo Quiritium erat aliquid dignius quam civitas Romana; nam quibusdam libertis civitatem Romanam apud Plinium in epistolis, a Trajano concedi legimus, jus vero Quiritium non. Item quibusdam civibus Romanis jam factis jus Quiritium addi. Quæ tamen differentia ante Cæsaris dictaturam non inveniri opinor, quum civis Romanus cum sufragio factus perfecto & optimo jure civis esset. Ceterum post Augusti tempora de his rebus verba facere haud operæ pretium esse existimo, quum ea omnia, ut reliqua urbis Romæ instituta corrupta fuerint, & deformata. Atque hæc sunt quæ de jure Latii, populis & coloniis Latinis qui eodem jure utebantur inveni.

CAP. X.

De Præfecturis.

ERAT & aliud civium genus, qui in Italiæ præfecturis manebant, deteriori quam municipia & coloniæ jure utentium, quorum discrimen a reliquis intelligetur, si quid essent præfecturæ explicavero. Erant igitur præfecturæ, oppida Italiæ, in quibus qui habitabant, nec suis legibus, ut municipes vivebant, nec ullos de suo corpore magistratus creare poterant, ut coloni, sed a magistratibus Roma missis regebantur,

iis legibus quas Romanus magistratus dixisset, qui quoniam præfectus vocabatur, idcirco præfecturæ dicebantur. Hujus generis erat Capua post bellum Punicum secundum, ante coloniam eo a Cæsare deductam, ut constat ex II. oratione in Rullum, & ex Livio lib. XXVI. ubi ita de Capua scribit: *De urbe agroque reliqua consultatio fuit, quibusdam delendam censentibus urbem prævalidam, propinquam, inimicam. Ceterum præsens utilitas vicit. Nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes. Urbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumque, & institorum opificumque retenta. Ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Ceterum habitari tantum, tanquam urbem Capuam, frequentarique placuit, nullum corpus civitatis, nec senatus, nec plebis concilium, nec magistratus esse. Sine consilio publico, sine imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore. Præfectum ad jura reddenda Roma quotannis missuros.* Quibus igitur oppidis Italiæ hujus generis præfecti Roma missi jus reddebant, præfecturæ dicebantur. De præfecturis sic scribit Sex. Pompejus: *Præfecturæ hæ appellantur in Italia, in quibus & jus dicebatur, & nundinæ agebantur, & erat quædam earum respublica, neque tamen magistratus suos habebant. In quas legibus præfecti mittebantur quotannis qui jus dicerent. Quarum genera fuere duo, alterum in quas solebant ire præfecti decem populi suffragio creati, & erant hæc oppida: Capua, Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, Acerræ, Suessula, Atella, Calatia. Alterum in quas prætor urbanus quotannis in eas præfectos ex legibus mittebat, ut Fundi, Formiæ, Ceræ, Venafrum, Allifas, Privernum, Anagnia, Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, Arpinum, & alia complura.* Præfecturæ igitur deteriore quam coloniæ conditione erant. Quæ vero neque municipia, neque coloniæ, neque præfecturæ erant oppida, hæ fœderatæ civitates vocabantur, ut Tibur, & Præneste in Latio, Neapolis, & pleræque aliæ, quæ suis legibus, & magistratibus vivebant, diversisque fœderibus aut sponsione, aut pactione vario jure amicitiam cum populo Romano contraxerant. Aliquæ enim erant omnino liberæ, aliquæ vectigales, aliquæ stipendiariæ, aut plus vel minus gravatæ, ut populo Romano visum fuisset. Atque Italia omnis in horum civium & oppidorum genera ante legem Juliam, & bellum Marsicum divisa fuit, nullum enim præterea supererat civium vel oppidorum genus, quorum quædam dicebantur fundi populi. Quod quidem nomen discriminis non est, quemadmodum liberorum & stipendiariorum, sed hi fundi populi dicebantur, auctore Cicerone, qui quotiescunque Romæ lex aliqua fieret, quæ de jure publico non esset, sed de rebus privatis, ut de testamentis, vel de mancipiis, eam suscepissent tanquam propriam, tuncque ejus legis fundus populus dicebatur, perinde ac si diceretur: Is populus eam legem tanquam propriam suscepit; hoc idem de municipiis dicit Gellius. Adjicit Cicero pro Balbo, quod qui fundi populi facti non essent, civitatem non haberent, in qua re magna contentio Heracliensium, & Metapontinorum fuit. Hæc igitur omnia quæ de Italiæ municipiis, coloniis, præfecturis, & oppidis fœderatis, itemque varii generis & Juris civibus Romanis dixi, tantum ante bellum Marsicum, & legem Juliam locum habent, qua quum Italiæ omni civitas data fuisset, omnes pari jure in civitatem accepti sunt. Hoc autem ex eo liquet, quod omnes in comitiis centuriatis jus tempore Ciceronis haberent. Quod ipse ostendit in oratione post reditum ad Quirites, ubi de comitiis centuriatis quibus ab exilio revocatus est loquens, ita scribit: *Nullus in eorum reditu motus municipiorum, & coloniarum factus, at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit.* Et pro Sextio: *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas, nullum collegium, aut concilium, aut aliquod omnino commune consilium, quod tum non honorificentissime de mea salute decrevisset.* Quod idem ex multis aliis ejus locis pro Muræna, pro Sulla, & pro Plancio intelligi potest. Nam quod Tranquillus in Cæsare scribit, ipsum quæstura finita colonias Latinas de civitate petenda agitantes adiisse, de Transpadanis intelligi debet, quibus bello Marsico, quum Italiæ omni usque ad Rubiconem &. Arnum, item Galliæ Cispadanæ civitas lege Julia data esset, a Pompeio Strabone, ut in officio continerentur, jus Latii datum fuerat. Quibus postea Cæsar dictator factus additis, ut existimo, Insubribus, Liguribus, Venetis & Carnis, id est, universæ Galliæ Transpadanæ civitatem Romanam dedit. Quum vero a III. viris Italia ad Varum, & Arsiam fluvios Liguriæ & Istriæ promota fuisset, iis omnibus jus civitatis etiam datum est. Quamquam porro municipia, coloniæ, & præfecturæ omnes æquo jure civitatem adeptæ essent, sæpeque deinde omnia hæc nomina confundantur, quum quæ fuerant coloniæ, & præfecturæ a Cicerone præsertim, & aliis illorum temporum scriptoribus municipia appellentur, retinuerunt tamen vetustatis memoria antiqua nomina, & veterem reip. rationem non mutarunt. Hæc itaque sunt, quæ brevissime de jure civitatis Romanæ in vetustis auctoribus collegi.

CAP. XI.

De coloniis.

QUUM abunde supra, quot coloniarum genera, quæ earumdem jura, atque quod inter eas, municipia, & præfecturas discrimen fuerit demonstraverim, nunc quo imperium Romanum, quod hoc libro describendum suscepi, illustrius quantum in me est & clarius reddam, res ipsa postulare videtur, ut coloniarum omnium seriem, quæ a Romulo rege usque ad Imperatorem Cæsarem Vespasianum Augustum intra Italiam, ex S. C. vel populi jussu deductæ fuerint digeram: ita enim quod mihi ipsi constitui facile consequi potero.

I. Colonia Cænina Aboriginum.

Prima omnium colonia a Romulo facta est bello primo Sabino Cænina Græci generis non ignobilis urbs. Trecenti eo deducti cives coloni fuerunt, anno ab urbe condita IIII. Dionysius lib. II.

II. Colonia Antemnæ Aboriginum.

Hæc eodem anno quo Cænina bello primo Sabino finito colonia a Romulo deducta fuit. Urbs fuerat Græcorum Aboriginum, qui Siculos expulerant, quemadmodum Cænina. Trecenti eo etiam cives coloni deducti anno urbis conditæ IIII. Dionysius lib. II.

III. Colonia Crustumerium Albanorum.

Crustumerium, quæ antea colonia Albanorum fuerat eodem bello victa a Romulo Romana colonia facta fuit anno urbis IIII. Dionysius lib. II. & III.

IIII. Colonia Medullia Latinorum.

Medullia aliæque urbes Latinæ audita Romuli virtute se ipsæ ei tradidere, suntque hæ coloniæ Romanæ factæ anno urbis V. Dionysius lib. II. & lib. III. Medullia olim colonia a Romulo deducta ad suos defecit sub Tullo Hostilio rege.

V. Colonia.

Ex Dionysio. Cum Medullia deducta anno urbis V.

VI. Colonia Cameria Albanorum.

Romulus & Tatius reges quum bello Camerinos vicissent, Cameriam, quæ colonia Albanorum fuerat, coloniam Romanam deduxerunt, anno urbis conditæ V.

VII. Colonia Fidenæ Albanorum.

Romulus Fidenatibus insigni prœlio superatis, urbeque eorum capta, Fidenas coloniam Romanam fecit Idibus Aprilis anno urbis XIII. duobus millibus & quingentis colonis eo deductis. Hæc urbs olim Albanorum colonia fuerat, deducta a maximo natu ex tribus fratribus Albanis, quorum alter Crustumeriam, alter Nomentum colonias fecerant. Dionysius lib. II. & Plutarchus. Livius vero lib. IIII. *A. Cornelio Cosso, T. Quinctio Penno cos. anno urbis* CCCXXVI. *Fidenis colonorum additus numerus, agerque iis bello interemptorum assignatus*. Biennio vero post, novi coloni a Fidenatibus occisi urbi excidium attulerunt.

VIII. Colonia Ostia.

Anco Marcio rege silva Mensia Veientibus adempta, usque ad mare imperium prolatum, & in ore Tiberis Ostia colonia condita, Dionysius libris I. & III. Livius libro I. Item lib. XXVII. *Ea die hi populi in senatum venerunt, Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & a supero mari Senensis. Quum vacationes suas quisque populus recitaret, nullius, quum in Italia hostis esset, præter Antiatem Ostiensemque vacatio observata est. Et earum Coloniarum juniores jure jurando adacti, supra quadraginta non pernoctaturos se esse extra mœnia suæ coloniæ, donec hostis in Italia esset*. Idem libro XXXVI. *Senatus decrevit vacationem rei navalis his colonis non esse. Ostia & Fregenæ, & Castrum novum, & Pyrgi, Antium, Tarracinæ, Minturnæ, & Sinvessa fuerunt*. Florus ex Livio LXXIX. *Ostiam coloniam Marius expugnavit, & crudeliter diripuit*. De hac quoque colonia mentionem faciunt Eutropius lib. I. Plinius libro III. cap. V. & antiquus lapis ita.

DECVRIONI. SPLENDIDISSIMAE
COLONIAE. OST

IX. Colonia Latina Signia.

Superbus Tarquinius colonias deduxit Signiam, & Circeios. Illam casu, dum milites castris hybernis retinet; Circeios ductus loci opportunitate. In qua Titum, in illa Sextum filios præfecit. Dionysius libro IIII. Et Livius libro I. *Tarquinius Superbus rex Signiam, Circeiosque colonos misit præsidia urbi futura, terra marique*. Et libro II. *Ap. Claudio, & P. Servilio cos. anno urbis* CCLVIIII. *Signia colonia, quam rex Tarquinius deduxerat, suppleto numero colonorum iterum deducta est*. Sex. Julius Frontinus in libro de coloniis: *Signia muro ducta colonia a militibus & III. viris munita. Iter populo non debetur. Ager ejus militibus Augusteis in nominibus est adsignatus*. Hæc una ex XIIX. coloniis bello Punico secundo populo Romano fidelibus fuit. Quum enim XXX. tum essent coloniæ populi Romani, XII. ex his negaverunt esse, unde milites pecuniamque darent. XIIX. vero coloniæ milites ex formula paratos esse, & si pluribus opus esset plures daturos, & quicquid aliud imperaret velletque populus Romanus, enixe facturos pollicitæ sunt. Ne nunc quidem post tot secula sileantur, fraudenturve laude sua, Signini fuere, & Norbani, Saticulani, Brundusini, Fregellani, Lucerini, Venusini, Adriani, Firmani, & Ariminenses; & ab altero mari Pontiani, Pæstani, & Cossani; & mediterranei Beneventani, Æsernini, Spoletani, Placentini, & Cremonenses. Harum coloniarum subsidio tum imperium populi Romani stetit: ita Livius lib. XXVII. De hac colonia Strabo lib. V. & vetus hæc inscriptio meminerunt.

L. VOLVMNIO. L. F. POMP. IVLIANO
SEVERO. IIII VIRO. COL. SIGN
PATRONO. COLONIAE. SVAE
SENATVS. POPVLVSQ. SIGNINVS

X. Colonia Latina Circei.

Hujus coloniæ præter supra citata auctorum loca meminerunt Cicero libro III. de natura deorum: *Circei (inquit) coloni nostri Circejenses religione colunt*. Dionysius lib. VIII. ubi Coriolani exulis Romani facta contra Romanos describit. item Livius libris II. XXVII. & XXIX. & Plutarchus in Coriolano. Hæ autem sunt sub regibus deductæ coloniæ.

XI. Colonia Ecetræ.

Ap. Claudio & P. Servilio cos. anno urbis CCLIX. Volscis a Servilio victis in agrum de iis captum Ecetras colonos missos fuisse tradit lib. VI. Dionysius, quos quum Aurunci pellere voluissent, bellum Romanum in se converterunt.

XII. Colonia Velitræ.

Bello Volsco anno sequenti, postquam Ecetræ colonia facta fuerat, A. Virginio, T. Vetulio cos. Volscis devictis Veliternus ager est ademptus, Velitras coloni ab urbe missi, & colonia deducta. Ita Livius libro II. Idem: *T. Geganio & P. Minucio cos. Velitris auxere numerum colonorum Romani*. Et Dionysius lib. VII. *Iisdem cos. iterum coloni missi III. viris creatis Velitras Volscorum urbem*. Frontinus de coloniis. *Velitræ oppidum lege Sempronia fuerat deductum, postea Claudius Cæsar agrum ejus limitibus Augusteis censitum militibus adsignari jussit*.

XIII. Colonia Norba.

T. Geganio P. Minucio cos. anno urbis CCLXII. Norbam in montes novam coloniam, quæ arx in Pomptino esset, miserunt. Dionysius lib. VII. *Norbam deducta colonia Latinorum urbem non incelebrem*. & Livius lib. VII. *Privernates etiam Norbam atque Setiam finitimas colonias Romanas incursione subita depopulati sunt*. Idem de ea lib. XXVII. scribit.

XIIII. Colonia civium Romanorum Antium.

Livius lib. III. *Ti. Æmilio* II. *& Q. Fabio cos. anno urbis* CCXXCVI. *Antium coloniam deduxere* III. *viri T. Quinctius, A. Virginius, & P. Furius*. Idem: *A.* CCXC. *A. Postumio Albo, Sp. Furio cos. colonia Antium suspecta ad Æquos transiisse*. Et libro VIII. *L. Furio Camillo, C. Mænio cos. anno* CDXVI. *Antium nova colonia missa, cum eo ut Antiatibus permitteretur, si & ipsi adscribi coloni vellent. Naves inde longe abactæ, interdictumque mari Antiati populo est, & civitas data. Hæc omnium prima ex Latina, civium Romanorum colonia facta est*. Frontinus: *Antium populus deduxit, iter populo non debetur. Ager ejus in lacineis est adsignatus*. Tranquillus in Nerone cap. IX. *Antium coloniam deduxit adscriptis veteranis e prætorio, additisque per domicilii translationem ditissimis primipilarium, ubi & portum operis sumptuosissimi fecit*. Hoc anno urbis DCCCIIII. Nerone IIII. & Cosso Cornelio cos. factum fuisse tradit libro XV. Tacitus, ubi ita eo anno ait: *Veterani Terentum, & Antium adscripti*. Plinius lib. III. cap. IIII. *In Latio (inquit) quondam Aphrodisium, nunc Antium colonia*. Florus ex Livio in epitoma libri XXC. *C. Marius Antium, Ariciam, & Lavinium colonias devastavit*. De ipsa colonia Livius libris XXVI. & XXXVI. meminit.

Colonia XV. Vitellia.

Quo potissimum anno colonia in Æquos deducta fuerit Vitellia ab auctoribus non traditur. Ego eam domitis Æquis præsidii caussa circa annum urbis CCXCV. factam fuisse opinor, quo tempore, aliquot de victis Æquis triumphi primum acti sunt. Hujus coloniæ Livius libro V. L. Lucretio Flavio, & Ser. Sulpicio Camerino anno urbis CCCLXI. ita meminit: *Vitelliam coloniam Romanam in suo agro Æqui expugnant*. Vitelliam etiam coloniam Tranquillus in Vitellio capite primo commemorat.

Colonia XVI. Latina Ardea.

M. Fabio Vibulano, Postumo Æbutio Cornicine cos. anno urbis CCCXII. S. C. factum, ut quoniam civitas Ardeatium intestino tumultu redacta ad paucos esset, coloni eo præsidii caussa adversus Volscos scriberentur. Hoc palam relatum in tabulas, ut plebem tribunosque falleret, judicii rescindendi consilium initum. Consenserant autem, ut multo majore parte Rutulorum colonorum, quam Romanorum scripta, nec ager ullus divideretur, nisi is qui interceptus judicio infami erat, nec ulli prius Romano ibi, quam omnibus Rutulis divisus esset, gleba ulla agri assignaretur. Sic ager ad Ardeates rediit. Triumviri ad coloniam Ardeam deducendam creati Agrippa Menenius, T. Clœlius Siculus, M. Æbutius Elva. ita Livius lib. IIII. Frontinus de coloniis: *Ardea oppidum Imp. Hadrianus censuit. Iter populo non debetur, ager ejus in lacineis est adsignatus.* Livius libro XXVII. *Q. Fabio Maximo V. Q. Fulvio Flacco* IIII. *cos.* XXX. (inquit) *tum coloniæ populi Romani erant. Ex his* XII. *quum omnium legationes Romæ essent, negaverunt consulibus esse unde milites pecuniamque darent. Hæ fuere Ardea, Nepet, Sutrium, Circeii, Alba, Carseoli, Suessa, Sora, Setia, Cales, Narnia, Interamna.* Easdem lib. XXX. Livius colonias Latinas vocat, quas ob id punitas refert acerbiore delectu, & censu, tributoque stipendii nomine indicto.

Colonia XVII. Lavici.

Livius lib. IV. *Anno urbis* CCCXXXVI. *senatus frequens censuit, coloniam Lavicos deducendam, coloni ab urbe mille & quingenti missi, bina jugera acceperunt.* Lavici oppidum in Latio Præneste versus erat, a quo via Lavicana, quod Cicero pro Planco municipium vocat. Hæ vero sunt coloniæ omnes populi Romani deductæ post reges exactos ante urbem a Gallis Senonibus captam CXX. annorum intervallo, quas, ut opinor, Sex. Pompeius priscas Latinas colonias vocat, ut distinguerentur a novis, quæ postea a populo deductæ sunt.

Colonia XVIII. Satricum. C. R.

Livius libro VI. *Anno urbis* CCCLXX. *Largitor voluntarius repente senatus factus Satricum coloniam duo millia civium Romanorum deduci jussit, bina jugera, & semisses agri adsignati.* Hæc colonia in Latio fuit, ut idem Livius tradit.

Colonia XIX. Latina Sutrium, alias Julia Sutrina.

Paterculus libro I. *Post septem annos quam Galli urbem ceperunt* (is fuit annus urbis CCCLXXI.) *Sutrium deducta colonia est, & post annum Setia.* Festus *Sutrium municipium sui juris* vocat. Frontinus: *Colonia Sutrium ab oppidanis est deducta ante limites*, &c. Plinius libro III. cap. V. *in regione* VII. *Tuscia coloniæ Rusellana, Senensis, Sutrina.* De hac colonia Livius libris XVII. & XXIX. & vetusta hæc epigrammata meminerunt.

PONTIFICES. A. COLONIA
CONIVNC. IVLIA. SVTRINA
item
Q. FLAVIVS. Q. F. POLLINVS
PONT. COL. SVTRINAE

Colonia XX. Latina Setia, alias Setina.

Hæc Vellejo auctore anno post Sutrium colonia facta est. Frontinus: *Setia muro ducta colonia, triumvirali lege est munita, iter populo debetur P.* XXXV. *Ager ejus in absoluto ex occupatione a militibus tenebatur.* De hac Livius libris VII. XXVII. & XXIX. mentionem facit.

Colonia XXI. Latina Nepet.

Paterculus lib. I. *Post septem annos quam Galli urbem ceperunt, Sutrium deducta colonia est, & post annum Setina, novemque interjectis annis Nepet; is igitur fuit annus urbis* CCCXXCI. Frontinus de coloniis: *Colonia Nepensis, alias Nepis, eadem lege servatur, qua & ager Faliscorum.* Nepet autem legendum esse ex Prisciano liquet. Hanc coloniam Livius libris XXV. & XXIX. commemorat, & Festus municipium sui juris fuisse refert.

Colonia XXII. Latina Cales Ausonum.

Livius lib. VII. *M. Valerio Corvo* IV. *& M. Atilio Regulo cos. anno urbis* CDXX. *Ti. Veturius, Sp. Postumius cos. designati, retulerunt de colonia Cales deducenda. Factoque S. C. ut duo millia quingenti homines eo scriberentur* III. *viros coloniæ deducendæ, agroque dividundo creaverunt K. Duilium, T. Quinctium, & M. Fabium.* Paterculus lib. I. *Sp. Postumio, Veturio Calvino cos. Cales deducta colonia.* De ea Livius libris XXVII. & XXIX. scribit. Hanc coloniam Cicero in Rullum municipium vocat.

Colonia XXIII. Anxur Tarracinæ.

Livius lib. VIII. *L. Æmilio Mamercino, C. Plautio Deciano cos. anno urbis conditæ* CDXXV. *Anxur trecenti in coloniam missi sunt, bina jugera agri acceperunt.* Paterculus libro I. *Insequentibus consulibus Sp. Postumio, & Philone Publilio censoribus Acerranis data civitas: & post triennium Tarracinas deducta colonia.* De eadem Livius libris XXVII. & XXXVI. & vetustæ hæ inscriptiones mentionem faciunt.

ROMAE. ET. AVGVSTO. CAESARI
DIVI. F. COLONIA. ANXVR
Item
TI. IVLIO. TI. F. STEL. PAETINO
BASSIANO. PATRONO. COLON

Colonia XXIV. Fregellæ Volscorum.

Livius libro VIII. *P. Plautio Proculo, P. Cornelio Scapula cos. anno urbis* CDXXVI. *Fregellas, Signiorum is ager, deinde Volscorum fuerat, colonia deducta.* De eadem libris XXVII. & XXIX. meminit.

Colonia XXV. Luceria Samnitium.

Livius lib. IX. *M. Pœtelio Libone, C. Sulpicio Longo* III. *cos. Luceriam colonia deducta, duo millia & quingenti coloni missi;* erat annus urbis is CCCCXL. Paterculus lib. I. eam decennio ante deductam fuisse scribit sic: *Post triennium Tarracinas deducta colonia, interposito quadriennio Luceria;* fuit is annus urbis CDXXIX. Plinius lib. III. cap. II. *Dauniorum præter supradicta coloniæ Luceria, Venusia.* Polybius lib. III. *Bello Punico secundo Hannibal Dauniam populatur, & in ea coloniam Romanam Luceriam.* De eadem Livius libris XXVII. & XXIX.

Colonia XXVI. Latina Suessa Aurunca.

Livius libro IX. L. *Papirio Cursore* V. *C. Junio Bubulco* II. *Cos. anno* CDXLI. *Suessa & Pontia coloniæ deductæ sunt. Suessa Auruncorum fuerat.* Paterculus libro I. *Ac deinde interjecto triennio Suessa Aurunca, & Saticula.* Frontinus. *Suessa, quæ & Aurunca dicitur, muro ducta, lege Sempronia est deducta. Iter populo non debetur, ager ejus pro parte limitibus intercessivis, & in lacineis est adsignatus.* Plinius lib. III. cap. I. *In regione prima Italiæ ex descriptione Augusti coloniæ Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum.* Hanc coloniam Cicero in Rullum municipium vocat. De hac Livius libris XXVII. & XXIX. & vetusta hæc epigrammata meminerunt.

IN. COLONIA. SVESSA
ET. ORDO. DECVRIONVM
ET. AVGVSTALIVM. ET
PLEBS. VNIVERSA

Colonia XXVII. Saticula.

Paterculus lib. I. *Interposito quadriennio Luceria, ac deinde interjecto triennio Suessa Aurunca, & Saticula.* Anno urbis DDXLI. Sex. Pompejus; .... in Sati....

in Samnio captum est, quo (postea coloniam) eam deduxerunt III. viri M. Valerius Corvus, Junius Scæva, P. Fulvius Longus ex S. C. Kal. Januariis L. Papirio Cursore, C. Junio II. cos. De eadem Livius lib. XXVII. & XXIX.

Colonia XXVIII. Pontia.

Hæc eodem anno, quo Suessa, auctore Livio, colonia deducta est. Qui ita ait: *Suessa & Pontia coloniæ deductæ sunt. Volsci Pontias insulam sitam in conspectu littoris sui incoluerant.* De eadem meminit libro XXVII.

Colonia XXIX. Latina Interamna.

Paterculus lib. I. *Interjecto triennio, Suessa Aurunca, & Saticula, Interamnaque post biennium.* Livius libro X. *Interamnam & Cassinum, ut deducerentur coloniæ S. C. factum est. Sed triumviros creavere, ac misere colonorum quattuor millia insequentes consules M. Valerius, P. Decius*: anno urbis CDXLII. Idem libro X. *L. Postumio Megello, M. Atilio Regulo cos. Samnites Interamnam coloniam Romanam, quæ via Latina est, occupare conati.* Fuit enim & aliud oppidum Interamna *in Umbria*. De eadem Livius libris XXVII. & XXIX. & vetus hæc inscriptio meminerunt.

P. TVRCIO. P. F. STEL. SEVERO
II. VIRO. CVRAT. REIP. INTERAMNAT
LIRIN. EORVMDEM. PATRONO. COL
CASSINATES

Colonia XXX. Cassinum.

Eodem anno, quo Interamna, deducta colonia fuit Cassinum, ut tradit Livius; quam Cicero pro Planco municipium vocat. De qua in vetustis hisce inscriptionibus mentio est.

CVRATORI. REIPVBL
COL. CASSINATIVM

item

L. LVCCEIO. L. F. PAL. VMMIDIO
SECVNDO. DECVR. PATRONO. COL

Colonia XXXI. L. Sora.

Livius libro X. *L. Genucio, Ser. Cornelio cos. anno urbis* CDLI. *Soram atque Albam coloniæ deductæ. Sora agri Volsci fuerat, sed possederant Samnites: eo quattuor millia hominum missa.* Paterculus lib. I. *Decem deinde hoc munere anni vacaverunt. Tunc Sora atque Alba deductæ coloniæ.* Frontinus de coloniis: *Sora muro ducta colonia, deducta jussu Cæsaris Augusti, iter populo debetur pedum* XV. *Ager ejus limitibus Augusteis veteranis est adsignatus.* Plinius lib. III. cap. V. *Regio ea a Tiberi prima Italiæ servatur ex inscriptione Augusti. Intus coloniæ, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, Theanum.* De eadem Livius libris XXVII. & XXIX. Soram Cicero pro Planco municipium nominat.

Colonia XXXII. L. Alba.

Livius libro X. *Soram & Albam coloniæ deductæ. Albæ in Aequos sex millia colonorum scripta.* Florus ex Livio in epitoma libri LXXII. *Æsernia & Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt.* De eadem Livius libris XXVII. & XXIX.

Colonia XXXIII. L. Carseoli.

Livius lib. X. *M. Livio Dentre, C. Aemilio cos. anno urbis* CDLII. *Marsorum agrum vi tueri, in quem colonia Carseoli deducta erat, quattuor millibus hominum scriptis.* Velleius libro I. *Sora atque Alba deductæ coloniæ, & Carseoli post biennium.* De eadem Livius libris XXVII. & XXIX.

Colonia XXXIV. L. Narnia Nequinum.

Livius lib. X. *M. Fulvio Pætino, T. Manlio Torquato cos. anno urbis* CDLV. *Nequinum in deditionem populi Romani venit, colonia eo adversus Umbros missa, a flumine Narnia appellata.* Plutarchus in T. Quinctio: *Colonias deduxit ante consulatum Narniam, & Consam.* De eadem libris XXVII. & XXIX.

Colonia XXXV. Sinuessa.

Livius lib. X. *Tum de præsidio regionis depopulatæ a Samnitibus agitari cœptum. Itaque placuit, ut duæ coloniæ circa Vestinum, & Falernum agrum deducerentur. Una ad ostium Liris fluvii, quæ Minturnæ appellata, altera in saltu Vestino, Falernum contingente agrum, ubi Synope dicitur Græca urbs fuisse; Sinuessa deinde ab colonis Romanis appellata. Tribunis plebis negocium datum est, ut plebiscito juberetur P. Sempronius prætor triumviros in ea loca colonis deducendis creare. Nec qui nomina darent facile inveniebantur, quia in stationem se prope perpetuam infestæ regionis non in agros mitti rebantur.* Hoc autem Ap. Claudio II. & L. Volumnio II. cos. factum est anno urbis CDLVIII. Eas vero non nisi anno sequenti deductas his verbis refert Velleius. *At Fabio V. & Decio Mure IV. cos. quo anno Pyrrhus regnare cœpit Sinuessam, Minturnasque missi coloni.* De colonia Sinuessa Livius lib. XXVII. & XXXVI.

Colonia XXXVI. Minturnæ.

Hæc, Livio & Velleio auctoribus, eodem anno quo Sinuessa colonia deducta est. De qua sic scribit Frontinus: *Minturnæ muro ducta colonia, deducta a C. Cæsare. Iter populo non debetur, ejus ager pro parte in jugeribus est designatus, ceterum in absoluto est relictus.* Plinius lib. III. *Colonia Minturnæ Liri amne divisa, Glanico appellato, Oppidum Sinuessa extremum in adjecto Latio.* De hac colonia Cicero pro Planco. Dionysius lib. I. Livius libris XXVII. & XXXVI. & Ptolomæus mentionem faciunt.

Colonia XXXVII. Venusia.

Paterculus lib. I. *Sinuessam Minturnasque coloni missi. Post quadriennium Venusiam.* Anno urbis CDLXIII. Livius lib. XXXI. *P. Sulpicio Galba II. C. Aurelio Cotta cos. Anno urbis* DLIV.) III. *Viri creati ad supplendum Venusinis colonorum numerum, quod bello Hannibalis attenuatæ vires ejus coloniæ essent; C. Terentius Varro, T. Quinctius Flaminius, P. Cornelius Cn. F. Scipio. Hi colonos Venusiam adscripserunt.* Plinius lib. III. cap. XI. *Dauniorum præter supradictas colonia Venusia.* De eadem Livius lib. XXVII.

Colonia XXXVIII. Sena.

Florus ex Livio: *Coloniæ deductæ sunt Castrum, Sena, Hadria anno* CDLXV. Hoc ego magis factum fuisse puto anno urbis CDLXXI. quo Senonibus a P. Dolabella ad internecionem cæsis, hæ in eorundem agris coloniæ deductæ sunt. Hanc autem in Senonum agro supero mari adjacente deductam fuisse, sic ex Livio lib. XXVII. intelligitur: *C. Claudio Nerone, M. Livio Salinatore II. cos. Colonos maritimos, qui sacrosanctam vacationem dicebantur habere, dare milites cogebant nullius observata. Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & a supero mari Senensis.* De colonia Senensi mentionem facit Tacitus lib. XXI.

Colonia XXXIX. Hadria.

Hæc eodem anno quo Sena deducta colonia fuit, auctore Livio, de qua idem etiam meminit libro XXVII.

Colonia XL. Cossa, alias Consa.

Paterculus lib. I. *Cossam & Pæstum Fabio Dorsone, & Claudio Canina anno urbis* CDXXCI. *coloniæ deductæ.* Florus ex Livio in epitoma libri XIV. *coloniæ deductæ sunt Possidonia & Consa.* Plinius

libro III. cap. V. *In regione* VII. *Etruriæ ab eo tractu Umbria, portusque Telamon, Cossa Volcientium a populo Romano deducta.* Victi enim aliquot annis antea fuerant Volcientes & Vulsinienses a Ti. Coruncanio, de quibus etiam triumphavit. Livius lib. XXXIII. *L. Furio Purpureone, M. Claudio Marcello cos. Cossanis postulantibus ut sibi colonorum numerus augeretur, mille adscribi jussi, dum ne quis in eorum numero esset, qui post L. Cornelium, & Ti. Sempronium cos. hostis fuisset.* Plutarchus in T. Quinctio refert, eum adulescentem & Narniam & Cossam colonias deduxisse. Cossam Cicero in Verrem municipium vocat. De eadem Livius lib. XXVII. Hæc nostra ætate Orbetellum dicitur.

Colonia XLI. Pæstus, alias Possidonia.

Pæstus, quæ & Possidonia dicta est, eodem anno quo Cossa colonia deducta fuit, ut ex Velleio & Livio vidimus. De ea etiam ita scribit Livius lib. XXVII. *Et ab altero mari Pontiani, Pæstani, & Cossani.* Strabo lib. V. *Picentes ex Hadria Romani colonos in Possidoniatem sinum deduxere. Urbs Possidonia Pæstus dicta est, in medio sinu collocata ab Sybaritis, quos Lucani, Lucanos Romani expulere. Insalubris urbs ob amnem in paludes diffusum.*

Colonia XLII. Ariminum.

Florus ex Livio libro XV. *Coloniæ deductæ Ariminum in Piceno, Beneventum in Samnio.* Paterculus lib. I. *P. Sempronio Sopho & Appio Cæci F. cos. anno* CDXXCI. *Ariminum & Beneventum coloni missi.* Strabo lib. V. *Ariminum Umbrorum colonia, ut Ravenna, utraque Romanos habet inquilinos.* Plinius lib. III. cap. XV. *Octava regio determinatur Arimino, Pado, Apennino. In ora fluvius Crustumium, Ariminum colonia, cum amnibus Arimino, & Aprusa. Fluvius hinc Rubicon quondam finis Italiæ.* Eutropius lib. II. *P. Sempronio Sopho, & Ap. Claudio cos. conditæ a Romanis civitates, Ariminum in Gallia, Beneventum in Samnio.* De eadem colonia Cicero pro Cæcinna, Livius libro XXVII. & XXIX. & vetus hæc inscriptio meminerunt:

PATRONO. COL. AVG. ARIMIN

Colonia XLIII. Beneventum Concordia.

Hæc colonia eo anno quo Ariminum, Livio, Velleio, & Eutropio auctoribus, deducta est. De qua sic scribit Frontinus in libro de coloniis: *Beneventum muro ducta colonia, Concordia dicta, deduxit Nero Claudius Cæsar, iter populo non debetur, ager ejus lege* III. *virali veteranis est adsignatus. Caudinum alias Caudium oppidum muro ductum, iter populo debetur pedum L. a Cæsare Augusto coloniæ Beneventanæ, cum territorio suo est adjudicatum. Ager ejus veteranis fuerat adsignatus, postea mensuratus limitibus, & censitus.* Sex. Pompeius: *Beneventum* (inquit) *colonia quum deduceretur, appellari cœptum est melioris ominis caussa, namque eam urbem antea Græci incolentes, Maleventum appellarunt.* Et Plinius libro tertio, cap. XI. *Cetera intus in secunda regione Hirpinorum: colonia una Beneventum auspicatius mutato nomine, quæ quondam appellata Maleventum.* Polybius libro tertio: *Hannibal Beneventum coloniam diripuit.* De eadem Livius libro XXVII. & vetusta hæc epigrammata meminerunt:

IMP. CAESARI. AVGVSTO
ET. COLONIAI. BENEVENTANAI

Item:

PATRONO. COLONIAE. BENEVENTANE

Colonia XLIV. Firmum.

Hoc eodem anno quo Castrum, Velleio auctore, initio primi belli Punici deducta colonia est. De qua Livius libro vigesimo septimo, & vetus hæc inscriptio meminerunt:

T. APPATIO. T. F. VEL. ALFINIO
PATRONO. COLONIAE

Colonia XLV. Castrum novum.

Florus ex Livio in epitoma libri XI. *Coloniæ deductæ sunt Castrum, Sena, Hadria.* Hoc autem factum est anno urbis CDLXV. Paterculus libro primo longe post deductam scribit; ait enim: *Initio primi belli Punici Firmum & Castrum colonis occupata.* Is annus urbis fuit CDXXCIX. Livius libro tricesimo sexto, *Senatus decrevit vacationem rei navalis non esse colonis maritimis. Ostia, Fregenæ, Castrum novum, Pyrgi.* Velleii ut approbem sententiam potius quam Livii, facit quod Tusci nondum victi erant, ut in his coloniæ adhuc deducerentur.

Colonia XLVI. Æsernia.

Velleius libro primo: *Initio primi belli Punici Firmum & Castrum colonis occupata, & post annum Aesernia.* ergo anno urbis CDXCI. Florus ex Livio libro decimo sexto: *Colonia Aesernia deducta est.* Frontinus de coloniis: *Aesernia colonia deducta lege Julia. Iter populo debetur pedum decem, ager ejus limitibus Augusteis est adsignatus.* Florus in epitoma libri septuagesimi secundi: *Aesernia, & Alba coloniæ ab Italicis obsessæ sunt.* Idem libro septuagesimo tertio: *Æsernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit.* De eadem Livius libro XXVII.

Colonia XLVII. Alsium.

Paterculus libro I. *Post* XXII. *annos Æsulum, & Alsium colonis occupata sunt.* Livius libro vigesimo septimo: *Colonis maritimis vacatio observata non est. Ostiensis, Alsiensis, Antias, Anxuras, Minturnensis, Sinuessanus, & Senensis.*

Colonia XLVIII. Æsulum.

Hæc, auctore Velleio, eodem anno quo Alsium colonia deducta est. Fuit is annus urbis cond. DVII.

Colonia XLIX. Fregenæ.

Florus ex Livio in epitoma libri decimi noni: *Coloniæ deductæ sunt Fregenæ in argo Sallentino Brundusium.* Paterculus libro primo: *Fregenas post biennium colonia deducta est.* Livius libro XXXVI. *Senatus decrevit colonias maritimas vacationem rei navalis non habere. Ostia, Fregenæ, Castrum novum, Pyrgi, &c.*

Colonia L. Brundusium.

Paterculus: *Fregenæ post biennium, proximoque anno Torquato Semproniоque cos. Brundusium.* Anno urbis DX. Florus: *Coloniæ deductæ sunt Fregenæ, & in agro Sallentino Brundusium.* De eadem Livius libris XXVII. & XXIX.

Colonia LI. Latina Spoletium.

Florus in epitoma libri XX. *Umbris victis, Spoletium colonia deducta est.* Paterculus lib. I. *Brundusium, & post triennium Spoletium coloniæ deductæ sunt. Quo anno Floralium ludorum factum est initium.* Livius lib. XXII. *Hannibal interim recto itinere per Umbriam, usque ad Spoletium venit, inde repulsus, conjectans ex unius coloniæ viribus, quanta moles Romanæ urbis esset.* Et Cic. pro Balbo: *Spoletinus T. Macrinus unus ex his, quos C. Marius civitate donasset, dixit caussam ex colonia Latina, in primis firma & illustri.* Et paulo post: *Sed quum lege Apuleia coloniæ non essent deductæ, qua lege Saturninus C. Mario tulerat, ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere possit.* De eadem Livius lib. XXVII. & hæc inscriptio meminerunt:

M. IVNIVS. M. F. HOR. FLAVOS
PATRONO. COL. L. D. D. D

Colonia LII. Vibo Valentia.

Paterc. *Torquato, Semproniоque cos. Brundusium, & post triennium Spoletium, postque biennium deducta Valentia.*

lentia. Anno urbis DXV. Livius libro XXXV. de ejusdem coloniæ restitutione (ut puto) loquens ita ait: *L. Quinctio, Cn. Domitio cos. anno urbis* DLVII. *Vibonem colonia deducta est ex S. C. plebisque scito, tria millia & septingenti pedites ierunt*, CCC. *equites*, III. *viri deduxerunt eos Q. Nævius, M. Minucius, M. Furius Crassipes, quinadena jugera agri data in singulos pedites sunt, duplex equitibus. Bruttiorum proxime fuerat ager, Bruttii ceperant de Græcis*. Strabo libro VI. *Post Cosentiam Hipponium est Locrorum ædificium, quod Bruttiis eripuere Romani, & Vibonem Valentiam appellavere*.

Colonia LIII. Latina Placentia.

Q. Asconius Pedianus in Pisonianam: *In annalibus eorum, qui Punicum bellum secundum scripserunt, tradi video Placentiam coloniam deductam prid. Kal. Januarii, Ti. Sempronio Longo, & P. Cornelio Scipione patre Africani cos. primo anno ejus belli, urbis* DXXXVI. *Sex millia hominum novi coloni deducti sunt, in quibus equites; deducendi fuit caussa; ut opponeretur Gallis, qui eam partem Italiæ tenebant. Deduxerunt triumviri P. Cornelius Asina, P. Papirius Maso, & Cn. Pompeius, alias Cn. Cornelius Scipio. EAMQVE COLONIAM LIII. DEDVCTAM ESSE INVENIMVS. Deducta est autem LATINA*. Florus libro vigesimo in epitoma: *Coloniæ deductæ sunt in agro de Gallis capto Placentia, & Cremona*. Paterculus lib.I. *Sub adventu in Italiam Hannibalis Cremona atque Placentia deductæ coloniæ*. Polybius lib.III. sic scribit: *P. Scipione, Ti. Sempronio cos. Cremonam trans Padum, & Placentiam citra Padum deduxere C. Lutatius vir consularis, aliique duo prætorii* III. *viri, quos Boii fugarunt, & Mutinam compulere: deducta sunt sex millia civium intra trigesimum diem adesse jussa*. Plutar. in Hannibale: *Romani Placentiam Cremonamque colonos deduxere*. Plinius lib. tertio, cap.XV. *In octava regione Italiæ, coloniæ Parma & Placentia*. De eadem Livius libro XXXI. & Tacitus lib.XVIII. mentionem faciunt. Hanc Cicero in Pisonem municipium, & Festus municipium sui juris vocant.

Colonia LIV. Latina Cremona.

Hæc eodem anno quo Placentia, Polybio, Livio, Velleio, & Plutarcho auctoribus, deducta est. De qua sic scribit Cornelius Tacitus libro XIX. *Hic exitus Cremonam habuit anno* CCXXCVI. *a primordio sui. Condita erat Ti. Sempronio & Cornelio cos. ingruente in Italiam Hannibale, propugnaculum adversus Gallos Transpadum agentes, & si qua alia vis per alpes irrueret. Igitur numero colonorum, opportunitate fluminum, ubere agri annexu, connubiisque gentium adolevit, floruitque; bellis externis intacta, civilibus infelix*. Livius lib. XXXI. *Galli Placentiam invaserant, & direpta urbe, trajecto Pado ad Cremonam diripiendam pergunt. Vicinæ urbis audita clades spatium colonis dedit ad claudendas portas. Duarum coloniarum alteram captam, alteram oppugnari*. Idem lib. XXXIII. *Cremonensium, & Placentinorum colonorum turba, qui pileati sequebantur Cornelium Cethegum consulem triumphantem de Gallis Insubribus, & Cœnomaneis*. Et lib.XXXVII. *Cremona & Placentia colonis auctæ*. Plinius lib.III. cap.XIX. *In mediterraneo regionis* X. *coloniæ Cremona, Brixia Cœnomanorum agro, Venetorum Ateste*. Ptolemæus libro 3. C. I. *Cœnomanorum qui sub Venetia sunt, civitates Cremona colonia*.

Colonia LV. Puteoli civium Romanorum.

Livius libro XXXIV. *P. Africano majore* II. *& Ti. Sempronio cos. anno* DLX. *coloniæ civium Romanorum deductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Linternum. Triceni homines in singulas*. Paterculus libro primo. *Eodem temporum tractu, quamquam apud quosdam ambigitur, Puteolos, Salernumque, atque Buxentum missi coloni*. Rursum Livius libro XXXIV. *Puteolos, Salernumque, & Buxentum adscripti coloni, qui nomina dederant, quum ob id se pro civibus Romanis ferrent, senatus judicavit, non esse eos cives Romanos*. Frontinus: *Puteoli colonia Augusta, Augustus deduxit, iter uno latere populo debetur* P. XXX. *Ager ejus in jugeribus veteranis, & tribunis legionariis est adsignatus*. Festus Puteolos unam ex his præfecturis aliquando fuisse dicit, in quas præfecti populi Romani suffragiis creati mittebantur. Tacitus lib. XIV. *Vetus oppidum Puteoli jus coloniæ, & cognomentum a Nerone adipiscitur*. Strabo lib.V. *Puteoli Cumanorum emporium bello Hannibalis a Romanis incolis auctum, nomen accepit a puteis vel a putore, antea Dycæarchia dicebatur*. Hujus coloniæ hæc vetusta epigrammata meminerunt:

AB. COLONIA. DEDVCTA. ANNO. XC
N. FVFIDIO. N. F. M. PVLLIO. DVO. VIR
P. RVTILIO. CN. MALLIO. COS
OPERVM. LEX. II

Item:

AEDIL. COLON. PVTEOLANORVM

Item:

DEO. MAGNO. GENIO. COLONIAE
PVTEOLANORVM

Colonia LVI. Salernum civium Romanorum.

Livius lib.XXXIV. *P. Cornelio Scipione Africano II. Ti. Sempronio Longo cos. anno* DLX. *Coloniæ civium Romanorum deductæ sunt Puteolos, Vulturnum, Linternum, triceni homines in singulas. Item Salernum, Buxentumque coloniæ civium Romanorum deductæ sunt: deduxere triumviri Ti. Sempronius Longus, qui tum cos. erat, M. Servilius, C. Minucius Thermus; ager divisus est, qui Campanorum fuerat*. Eadem Paterculus libro primo. Strabo libro V. *Romani Salernum custodiæ gratia munierunt*. De ea & Appianus libro primo bellorum civilium.

Colonia LVII. Buxentum C. R.

Eodem anno quo Puteolos Salernumque, & Buxentum colonia deducta, ut Livius, & Paterculus tradunt. De eadem Livius libro tricesimo nono, Sp. Postumio Albino, Q. Marcio Philippo cos. anno urbis DLXVIII. *Triumviri ad colonos scribendos Sipontum mari supero, Buxentum infero desertas colonias ab T. Mænio Pr. urbis creati sunt L. Scribonius, M. Tuccius, Cn. Bæbius Tamphilus*.

Colonia LVIII. Vulturnum C. R.

Hæc cum tribus supra scriptis colonia deducta est. De qua Frontinus sic scribit: *Vulturnum muro ducta colonia, jussu imp. Cæsaris est deducta, iter populo debetur pedum* XX. *ager ejus in nominibus villarum, & possessorum est adsignatus*. Varro lib.IV. de lingua Latina: *Nam & colonia nostra Vulturnum, & deus Tiberinus*. Hæc colonia inter eas præfecturas a Festo refertur, in quas præfecti a populo Rom. creati mittebantur.

Colonia LIX. Linternum C. R.

Et hæc cum Vulturno & tribus reliquis eodem anno colonia facta. De qua ita scribit Frontinus: *Linternum muro ductum, colonia ab Augusto deducta, iter populo debetur* P.CXX. *Ager ejus in jugeribus veteranis est adsignatus*. Hæc eodem jure præfectura aliquando fuisse a Festo refertur, quo Vulturnum.

Colonia LX. Sipontum C. R.

Livius libro XXXIV. *Scipione Africanno II. & Sempronio Longo cos. Sipontum in agrum, qui Hirpinorum fuerat, coloniam civium Rom.*III. *viri D. Junius Brutus, M. Bæbius Tamphilus, & M. Helvius deduxerunt*. Hæc, eodem Livio auctore, deserta colonia cum Buxento restituta est.

Colonia LXI. Tempsa C. R.

Livius: *Eodem anno quo Sipontum, Tempsam, item Crotonem civium Romanorum coloniæ deductæ sunt*. Tempsanus ager de Bruttiis captus erat. Bruttii Græcos ex-

pulerant. Tempsam L. Cornelius Merula, & C. Salonius deduxerunt.

Colonia LXII. Croton C. R.

Livius libro XXXIV. *Africano II. & Longo cos.* anno DLX. *Tempsam & Crotonem civium Romanorum coloniæ deductæ. Crotonem Græci habebant triumviri Cn. Octavius, L. Æmilius Paullus, C. Plætorius Crotonem deduxerunt.*

Colonia LXIII. Pyrgi.

Hæc eodem anno colonia deducta est quo superiores, de qua sic scribit lib.XXXVI. Livius: *P. Scipione Nasica, M. Acilio Glabrione cos. senatus decrevit colonias maritimas vacationem rei navalis non habere. Ostia, Fregenæ, Castrum novum, Pyrgi, Antium, Tarracinæ, Minturnæ, Sinuessaque.*

Colonia LXIV. Latina Bononia.

Livius libro XXXVII. *M. Fulvio Nobiliore, & Cn. Manlio Vulsone cos. anno* DLXV. *ante diem* III. *Kalend. Januarias, Bononiam Latina colonia, ex S. C. L. Valerius Flaccus, M. Attilius Serranus, L. Valerius Tappo, triumviri deduxerunt. Tria millia hominum sunt deducta, equitibus septuagena jugera, ceteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Boiis fuerat; Galli Tuscos expulerant.* Paterculus lib.I. *Cn. Manlio Vulsone, M.Fulvio Nobiliore cos. Bononia deducta colonia.* Festus Bononiam municipium sui juris appellat. Plinius lib.III. cap.XV. *In regione* VIII. *quæ determinatur Arimino, Pado, Apennino; intus coloniæ, Bononia Felsina vocitata, quum princeps Etruriæ esset, Brixillum, Mutina, Parma, Placentia.* Pomponius Mela lib.II. cap.II. *Urbium, quæ procul a mari habitantur, opulentissimæ sunt, ad sinistram Patavium Antenoris, Mutina, & Bononia Romanæ coloniæ.*

Colonia LXV. Pisaurum.

Livius libro XXXIX. *P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino cos. anno* DLXX. *coloniæ duæ Pollentia in Picenum, Pisaurum in Gallicum agrum deductæ sunt: sena jugera in singulos data, diviserunt agros, colonosque deduxerunt iidem triumviri: Q. Fabius Labeo, M. & Q. Fulvii Flaccus, & Nobilior.* Paterculus lib. primo: *Quadriennium post Bononiam Pisaurum, ac Potentia coloniæ deductæ.* Plutarchus in Antonio: *Prodigia ante bellum Actiacum fuere. Pisaurum urbem non longe ab Hadria, in qua Antonius colonos deduxerat, hiatu terræ absorptum periisse.*

Colonia LXVI. Potentia alias Pollentia.

Hoc eodem anno cum Pisauro colonia deducta est, ut Livius & Velleius tradunt.

Colonia LXVII. Mutina C. R.

Livius libro XXXIX. *Q. Fabio Labeone, M. Claudio Marcello cos. anno* DLXXI. *Mutina & Parma coloniæ Romanorum civium sunt deductæ. Bina millia hominum in agro, qui proxime Boiorum, ante Tuscorum fuerat. Octogena jugera Parmæ, quina Mutinæ acceperunt. Deduxerunt triumviri M. Æmilius Lepidus, T. Æbutius Caius, L. Quinctius Crispinus.* De hac colonia Polybius lib.III. Cicero Philip. VII. Plinius lib.III. cap.XV. & Pomponius Mela libro II. cap.II. mentionem faciunt.

Colonia LXVIII. Parma C. R.

Hæc eodem anno quo Mutina colonia facta est, ut paulo ante vidimus.

Colonia LXIX. Saturnia C. R.

Livius libro XXXIX. *Q. Labeone, & M. Marcello cos. Saturnia colonia civium Romanorum in agrum Caletranum est deducta: deduxerunt triumviri Q. Fabius Labeo, C. Afranius Stellio, Ti. Sempronius Gracchus.* Ptolemæus libro III. cap.I. *Tuscorum mediterraneæ Saturnia colonia.* Hanc coloniam inter eas præfecturas Festus enumerat, in quas præfecti quotannis a prætore urbis mitti solebant.

Colonia LXX. Latina Aquileia.

Livius libro XXXIX. *Q. Labeone, & M. Marcello cos. illud agitabant in senatu, uti colonia Aquileia deduceretur; nec satis constabat, utrum Latinam an civium Romanorum deduci placeret. Postremo Latinam potius coloniam deducendam patres censuerunt. Triumviri creati sunt P. Scipio Nasica, C. Flaminius, L. Manlius Acidinus.* Et lib.XL. *P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo cos. anno urbis* DLXXIII. *Aquileia colonia Latina in agro Gallorum est deducta. Tria millia peditum, quinquagena jugera, Centuriones centena, centena quadragena equites acceperunt. Triumviri deduxerunt, qui supra.* Velleius: *Interjectoque triennio Aquileia, & Graviscæ.* Plinius libro III. cap.XVIII. *In* X. *regione Italiæ Venetia Natiso cum Turro præfluentes Aquileiam coloniam,* XII. *millia passuum a mari sitam: Carnorum hæc regio.* Strabo lib.V. & Ptolemæus lib.III. cap.I. ejus coloniæ meminerunt.

Colonia LXXI. Graviscæ.

Livius libro XL. *P. Cornelio Cethego, M. Bæbio Tamphilo cos. Colonia Graviscæ deducta est in agrum Etruscum de Tarquiniensibus quondam captum: quina jugera agri data.* III. *viri deduxerunt C. Calpurnius Piso, P. Claudius Pulcher, & C. Terentius Ister.* Ejusdem meminit Velleius, & Frontinus sic: *Colonia Graviscæ ab Augusto deduci jussa est, nam ager in absoluto tenebatur, postea Imperator Ti. Cæsar jugerationis modum servandi caussa lapidibus immensis reip. loca adsignavit.*

Colonia LXXII. Latina Pisæ.

Livius libro XL. *A. Postumio Albino, C. Calpurnio Pisone cos. anno* DLXXIV. *Pisanis agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiæ ab senatu actæ.* III. *viri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, M. & P. Popillii Lænates.* Ptolemæus lib. III. ejus coloniæ meminit. Festus Pisas municipium sui juris fuisse scribit.

Colonia LXXIII. Luca C. R.

Livius lib.XLI. *C. Claudio Pulchro, Ti. Sempronio Graccho cos. anno urbis* DLXXVII. *Lucam colonia, ∞∞ civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt P. Aelius, L. Aegilius, Cn. Sicinius. Quinquagena & singula jugera & semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat, Etruscorum antequam Ligurum fuerat.* Paterculus: *Et post quadriennium Luca colonia deducta.* Plinius libro tertio, cap.V. *In regione septima, primum Etruriæ oppidum Luna portu nobile, colonia Luca a mari recedens.* Hanc Festus municipium sui juris vocat.

Colonia LXXIV. Auximum.

Paterculus lib.I. *Auximum missi coloni in Picenum ante triennium, quam Cassius censor a Lupercali in Palatium versus Theatrum facere instituit, cui in demoliendo eximia civitatis severitas, & cos. cæpio restitere.* Fuit is annus urbis DXCVII. Sex. Julio Cæsare, L. Aurelio Oreste cos. Hujus coloniæ multæ antiquæ inscriptiones meminere sic:

III. VIR. IN. COL. AVXIM. BIS

Item:

M. OPPIO. CAPITONI
PATRONO. COL. AVXIM

Colonia LXXV. Fabrateria.

Paterculus lib.I. *Cassio Longino, & Sextio Calvino cos.* anno urbis DCXXX. *Fabrateria colonia deducta est.* Frontinus de coloniis: *Fabrateria muro deducta. Iter populo non debetur. Ager ejus jure ordinario est divisus.*

Colonia LXXVI. Scylatium.

Paterculus libro I. *Cassio Longino & Sextio Calvino cos.* (*anno* DCXXX.) *Frabateria deducta colonia est. Et post annum Scylatium, Minervium, Tarentum, Neptunia, Carthagoque in Africa prima extra Italiam colonia condita est. De Dertona ambigitur.*

Colonia LXXVII. Minervium.

Eodem anno quo Scylatium, auctore Velleio, deducta colonia anno urbis DCXXXI. Q. Cæcilio Metello Balearico, T. Quinctio Flaminino cos.

Colonia LXXVIII. Tarentum.

Et hæc cum Scylatio, & Minervio colonia, ut tradit Velleius, deducta est, de qua Plutarchus in Gracchis ita scribit: *C. Gracchus tribunus pleb. legem promulgavit ut Tarentum, & Capua coloniæ deducerentur: Drusus vero ejus collega ut* XII. *fierent, quod senatus probavit*. Tacitus libro IV. *Nerone* IV. *& Cosso Cornelio cos. veterani Tarentum, & Antium adscripti. Non enim ut olim universæ legiones deducebantur cum tribunis & centurionibus, & suis cujusque ordinis militibus*. Strabo lib.VI. *Tarentum* (*inquit*) *Romanorum colonia*.

Colonia LXXIX. Neptunia.

Cum Scylatio, Minervio, & Tarento colonia, auctore Velleio, deducta, anno urbis DCXXXI.

Colonia LXXX. Julia Dertona.

Et hæc circa hæc tempora, ut tradit Paterculus, colonia facta est, de qua Plinius lib.III. cap.V. *Ab altero Apennini latere, ad Padum amnem Italiæ ditissimum, omnia nobilibus oppidis nitent. Liburna, Dertona colonia, Iria. Hæc regio ex descriptione Augusti* IX. *est*. Vetus lapis.

ORIVNDO. EX. ITALIA. IVL. DERTONA.

Colonia LXXXI. Nola.

Anno urbis DCXXXI. Q. Balearico & T. Quinctio Flaminino cos. quo C. Gracchus primum tribunatum gessit, XII. ut ait Plutarchus, vel X. ut Appianus, lege Drusi tribuni plebis coloniæ factæ, in quarum singulas tria millia civium deducta, quibus deducendis ipse præesse noluit, sed alios præfecit. Adjicit Florus ex Livio in epitoma libri LX. *C. Gracchus tribunus plebis, continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniæ in Italia deducerentur, & una in solo dirutæ Carthaginis, quo idem ipse triumvir creatus coloniam deduxit*. Idem refert Appianus lib.I. bellorum civilium. Quæ autem fuerint, ab auctoribus non produntur. Ego has fuisse opinor Scylatium, Minervium, Tarentum, Neptuniam, Dertonam, quas Velleius scribit hoc anno deductas fuisse: item Nolam, Ariciam, Lavinium, Abellinum, Ferentinum, Tarquinios, & extra Italiam Carthaginem. Nam has omnes urbes paulo post colonias fuisse legimus, nec quando deductæ fuerint apparet. Quæ quum ante hæc tempora factæ non sint, reliquum est ut eas hoc anno legibus Sempronia, & Livia deductas dicamus, quarum una fuit Nola, de qua scribit ex Livio Florus in epitoma libri LXXIII. *L. Cæsar consul male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium cum L. Postumio pr. venit, qui interemptus est*. Festus Nolam municipium sui juris fuisse tradit. Frontinus de coloniis: *Nola muro ducta colonia Augusta, Vespasianus Augustus deduxit, iter populo debetur P.* CXX. *ager ejus militibus Sullanis fuerat adsignatus, postea intercisivis mensuris colonis ut familiæ est adsignatus*. Plinius lib.III. cap.V. *Regio ea a Tiberi prima Italiæ servatur ex descriptione Augusti: intus coloniæ Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, Theanum, Nola*. Antiquus lapis:

A T. TETTIENVS. T. F. FELIX
PATRON. COL. NOLANAE

Item:

L. SICINIO. L. F. SER. VALENTI
PATRONO. MVNICIPI. CVRAT
REIP. NOLANORVM. S. P. Q. NOLANVS
D. P.

Colonia LXXXII. Aricia C. R.

Florus ex Livio in epitoma libri tricesimi: *Marius Antium, Ariciam, Lavinium colonias devastavit. Aricia autem ex antiquo municipio colonia facta*
B *fuerat.*

Colonia LXXXIII. Lavinium.

Hæc (ut puto) una ex XII. coloniis hoc anno deductis fuit, de qua bello Marsico meminit ex Livio Florus libro XXX.

Colonia LXXXIV. Abellinum.

Abellinum (inquit Frontinus) *muro ducta colonia lege Sempronia. Iter populo non debetur, ager ejus veteranis est adsignatus*. Velleius libro II. de C. Sempronio Graccho loquens: *C. Gracchus tribunatum in-*
C *gressus longe majora & acriora repetens, dabat civitatem omnibus Italis, extendebat eam pene usque ad alpes, dividebat agros, vetabat quemquam civem plus quingentis jugeribus habere, nova constituebat portoria, novis coloniis replebat provincias, judicia a senatu transferebat ad equites, frumentum dare instituerat*. Ex quibus verbis intelligo Abellinum & reliquas colonias, quas Frontinus lege Sempronia deductas scribit, ex his XII. fuisse, quæ hoc anno ab ipso, & Druso tribunis plebis deductæ sunt.

Colonia LXXXV. Ferentinum.

Frontinus in libro de coloniis: *Ferentinensis colo-*
D *nia lege Sempronia est adsignata, sed quod ante limitibus centuriatis fuerat adsignata, postea deficientibus veteranis juxta fidem possessionis est recensita; numeris uncialibus termini sunt constituti*. Livius libro XXXIV. *Novum jus eo anno a Ferentinatibus tentatum, ut Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Rom. essent*. Sed hic de populis loquitur, non de hac colonia.

Colonia LXXXVI. Tarquinii.

Tarquinii colonia lege Sempronia est adsignata, cujus agri mensuram in trigono, variis locis est contecta; ita Frontinus de coloniis. Hanc coloniam Cicero pro Cæcinna municipium appellat.

E *Colonia LXXXVII. Eporædia.*

Paterculus libro I. *Narbo Marcius in Gallia M. Porcio, & Q. Marcio cos.* (anno urbis DCXXXVI.) *deducta colonia est. Post* XXIII. *annos in Baciennis Eporædia Mario* VI. *Valerioque Flacco cos.* (anno urbis DCLIV.) *Neque facile memoriæ mandaverim, quæ nisi militaris colonia post hoc tempus deducta sit*. Plinius libro III. cap.XVII. *in regione* XI. *Transpadana Augusta Prætoria juxta geminas Alpium fauces Graias & Pœninas, his Pœnos, Graiis Herculem transisse memorant. Oppidum Eporædia Sibyllinis li-*
F *bris a populo Rom. condi jussum. Eporædias Galli bonorum equorum domitores vocant.*

Colonia LXXXVIII. Alba Pompeia.

Anno ab urbe condita DCLXIV. L. Julio Cæsare, P. Rutilio cos. qui primus belli Marsici fuit, quum lege Julia Latinis, Tuscis, & Umbris primum eo ipso anno, deinde anno sequenti Cn. Pompeio Strabone, & L. Porcio Catone cos. Gallis Cispadanis civitas data fuisset, Transpadani indignati eorum rationem in jure civitatis Romanæ habitam non fuisse, tumultuari cœperunt. Quibus tumultibus sedandis a senatu cura data est Pompeio consuli. Is Gallis quidem Cispadanis civitate

donata, ut Transpadanos quietaret, eos jure Latii honoravit, aliquotque tam citra, quam ultra Padum colonias deduxit. Citra Padum quidem colonias Romanas, ultra vero Latinas eas fecit. In his quæ cis Padum fuerunt, Alba Pompeia ut opinor colonia fuit ab ipso vocata, ut Laus Pompeia uls Padum; neque enim ullus præterea Pompeius in hisce regionibus quid gessisse legitur. An colonias vero cis Padum deduxerit, ut verisimile, ita obscurum est.

Colonia LXXXIX. Augusta Verona.

Pedianus in Pisonianam ita scribit, ubi de Placentia loquitur: *Neque illud dici potest sic eam coloniam esse deductam, quemadmodum post plures ætates Cn. Pompeius Strabo, pater Cn. Pompeii magni Transpadanas colonias deduxerat. Pompeius enim non novis colonis eas constituit, sed veteribus incolis manentibus jus dedit Latii, ut possent habere jus, quod ceteræ Latinæ coloniæ, id est, ut gerendi magistratus gratia civitatem Romanam adipiscerentur. Porro duo genera earum coloniarum, quæ a populo Rom. deductæ sunt, fuerunt * itaque aliæ Latinorum essent * de se autem, &c.* Hic locus mutilus est, ut apparet, quem ego sic restituerem: *ut aliæ civium Romanorum, aliæ Latinorum essent.* Ex his Pediani verbis illud, quod dixi, colligimus, deductis aliquot coloniis, ipsum Transpadanis jus Latii civitati Romanæ proximum dedisse, postquam civitas reliquis Italicis populis (quos enumeravi) data esset a superioribus consulibus Julio, & Rutilio. Porro autem inter Transpadanas Latinas colonias a Pompeio deductas fuisse opinor (nullus enim de his aperte quod sciam scriptor tradit) Veronam & a Ateste Venetorum, Brixiam, & Comum Cœnomanorum, Laudem Pompeii Insubrum. Nam Veneti, quamquam eos nunquam legamus a Romanis victos, vel subactos, aut triumphatos; ex quo enim in amicitiam & fœdus Romanum, bello Gallico Cisalpino, auctore Strabone, venerunt, diu in populi Rom. amicitia libere egere, postea tamen in consuetudinem parendi Romanis clementer provocantibus, & ipsi venerunt, omnibus præsertim circum finitimis nationibus, & gentibus, ut Insubribus, Cœnomanis, Carnis, Iapudibus, Istris, & Boiis multis prœliis bello superatis, ac in ditionem populi Romani redactis. De his coloniis Transpadanis meminit Tranquillus in Cæsare, ubi eas colonias Latinas vocat sic: *Decedens ergo ante tempus colonias Latinas de petenda civitate agitantes adiit. Et ad audendum aliquid concitasset, nisi consules conscriptas in Ciliciam legiones paulisper ob id ipsum retinuissent.* Veronam vero unam ex his coloniis Latinis Transpadanis, a Pompeio Strabone deductis fuisse refert incertus auctor in Panegyrico ad Constantinum Imperatorem sic: *Pugnacissimo præfecto, ut quam coloniam Cn. Pompeius aliquando deduxerat, Pompeianus everteret, o miserabilem Veronensium calamitatem, &c.* Tacitus libro XIX. *Quæsitum inde quæ sedes bello legeretur, Verona potior visa patentibus circum campis ad pugnam equestrem, qua prævalebant, simul coloniam copiis validam auferre Vitellio in rem famamque videbatur.* Antiqua hæc inscriptio Veronæ eam coloniam Augustam vocat ita:

COLONIA. AVGVSTA. VERONA. NOVA. GAL LIENIANA. VALERIANO. II. ET. LVCILLO COS. MVRI. VERONENSIVM. FABRICATI EX. DIE. III. NONARVM. APRILIVM. DEDI CATI. PRID. NON. DECEMBRIS. IVBENTE SANCTISSIMO. GALLIENO. AVGVSTO. N. IN SISTENTE. AVRELIO. MARCELLINO. V. P DVC. DVC. CVRANTE. IVLIO. MARCELLINO

Deducta igitur fuit Latina colonia Verona cum reliquis Transpadanis Cn. Pompeio Strabone, & M. Porcio Catone cos. anno urbis cond. DCLXV. Cui

A postea, & reliquis coloniis Transpadanis C. Cæsar dictator creatus, civitatem Romanam donavit. Non piguit autem in patriæ descriptione diutius immorari.

Colonia XC. Ateste Venetorum.

Hæc proculdubio una ex Transpadanis coloniis fuit a Cn. Pompeio cum Verona & reliquis deducta, de qua scribit Plinius libro III. cap. XIX. *In mediterraneo regionis X. coloniæ, Cremona, Brixia Cœnomanorum agro, Venetorum autem Ateste.*

Colonia XCI. Brixia Cœnomanorum.

B Hæc & ipsa ab eodem Cn. Pompeio Strabone Latina colonia deducta est, atque postea cum reliquis coloniis Transpadanis a C. Cæsare dictatore civitate donata. De cujus magistratibus Quæstore, Ædili, IV. viris juri dicundo, IV. viris quinquennalibus, VI. viris augustalibus multa mentio est in antiquis ejus urbis epigrammatibus, haud multo tempore ante effossis.

Colonia XCII. Comum alias Novocomum.

Strabo lib. V. *Comum mediocris colonia erat, sed Pompeius Strabo Magni pater colonos restituit; eam Rheti vastaverant. C. Scipio tria millia hominum addidit, Cæsar quinque millia, ex quibus quingenti Græ-* C *ci civitate donati. Hi novum Comum vocavere.* Appianus lib. II. *Bellorum civilium Cæsar novum Comum condidit in Alpibus, & qui illic magistratum gessissent, cives Rom. esse voluit.*

Colonia XCIII. Laus Pompeia.

Hujus coloniæ, quamquam nullus quod sciam vetustus auctor mentionem faciat, proculdubio tamen a Cn. Strabone Latina colonia & ipsa trans Padum deducta est, a quo & cognomen accepit.

Colonia XCIV. Arretium.

Hæc colonia ante Ciceronis tempora, & forte a Sulla militaris deducta fuit, de qua idem Cicero pro D L. Muræna sic scribit: *Catilinam circumfluente colonorum Arretinorum & Fesulanorum exercitu alacrem incedere.* L. Florus libro LXXVII. *L. Sulla civitatis statum ordinavit: exinde colonias deduxit.* Frontinus. *Arretium muro ducta colonia lege III. virali iter populo non debetur, ager ejus limitibus est adsignatus.* Et alibi: *Colonia Arretina lege Augusta censita limitibus Gracchanis, qui recturas maritimas & montanas spectabant, postea per cardines decimano & duodecimano est adsignata, & numerus centuriarum manet, &c.* Hæc colonia in veteri inscriptione municipium dicitur sic:

E L. AVSIMVS. L. F. PVB. FARRIANVS
C. C. MVNICIP. ARRETIN

Colonia XCV. Fesulæ.

Et hæc ut existimo a L. Sulla dictatore colonia deducta est, de qua Cicero pro Muræna meminit. Quandoquidem ex Livio Florus eum in consulatu colonias deduxisse scribit.

Colonia XCVI. Bovilla.

Bovilla oppidum lege Sullana est circumdatum. Iter populo non debetur, agrum ejus ex occupatione milites veterani tenuerunt in sortem. Frontinus. Hanc Cicero Philip. II. appellat municipium.

Colonia XCVII. Suessula.

F *Oppidum muro ductum, lege Sullana est deducta. Iter populo non debetur, ager ejus veteranis militibus Sullanis in jugeribus est adsignatus.* Frontinus. Hæc vetus præfectura, & municipium sine suffragii jure fuit.

Colonia XCVIII. Pompeii.

De hac colonia Cicero pro Sulla sic mentionem facit: *Disjunxit Pompeianos a colonis, ut hoc dissidio ac discessione facta, oppidum in sua potestate esset, & Pompeianos haberet, quum ab hoc illa colonia deducta sit, & quum commoda colonorum a fortunis Pompeianorum P. R. fortuna diviserit, ita carus utrisque est.* Has

autem quinque colonias a Sulla deductas fuisse opinor, quod is multas colonias militares fecisse traditur, atque hæ ante Ciceronis ætatem jam coloniæ factæ fuerint. Florus libro LXXVII. *L. Sulla Cos. colonias deduxit*. Et libro XXCIX. *Sulla Nolam in Samnio recepit. XLVII. legiones in agros captos deduxit, & eos iis divisit*, multisque municipiis, ut tradit Cicero pro Cæcinna, civitatem ademit.

Colonia XCIIX. Capua Julia Felix.

Paterculus: *Cæsar in consulatu* (is eum gessit anno urbis DCXCV. cum M. Bibulo) *legem tulit, ut ager Campanus plebi divideretur, suasore legis Pompeio. Ita circiter viginti millia civium eo deducta, & jus his restitutum post annos circiter* CLII. *quam bello Punico a Romanis Capua in formam præfecturæ redacta erat*. Frontinus de coloniis. *Capua muro ducta colonia Julia Felix jussu imper. Cæsaris a XX. viris est deducta. Iter populo debetur P. C. Ager ejus lege Sullana fuerat adsignatus, postea Cæsar Augustus in jugeribus militi pro merito dividi jussit. Calatia oppidum muro ducta, iter populo debetur P. LX. Coloniæ Capuensi cum territorio suo a Sulla Felice adjudicata olim ob hostium pugnam*. Cicero in Rullum II. *Neque te P. Rulle omnia illa M. Bruti auspicia a simili furore deterrent; nam & ipse qui deduxit, & qui magistratum Capuæ ceperunt, & qui aliquam partem illius deductionis, honoris, muneris attigerunt, omnes acerbissimas impiorum pœnas pertulerunt*. Idem: *Quum venissem Capuam coloniam deductam L. Considio, & Sex. Saltio, quemadmodum ipsi loquebantur, prætoribus, nam quum ceteris in coloniis duumviri appellentur, hi se prætores appellari volebant*. Et paulo post: *Huc isti decemviri quum numerum colonorum ex lege Rulli deduxerunt, centum decuriones, decem augures, sex pontifices constituerunt: quos illorum animos, quos impetus, quam ferociam esse putatis?* Idem Philip. II. *Consuluisti me per literas de Capua tu quidem, sed idem de Casilino respondissem, possesne ubi colonia esset, eo coloniam novam inde ducere? negavi in ea coloniam, quæ esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam jure deduci, colonos novos adscribi posse rescripsi*. Plinius lib. III. cap. V. *Regio ea a Tiberi prima Italiæ servatur ex descriptione Augusti. Intus coloniæ Capua, a Capi dicta, Aquinum, &c.*

Colonia Bovianum vetus.

Et hæc a Cæsare, ut puto, jam dictatore deducta est (nullus enim deinceps ita in eis digerendis temporis ordo accuratus servari poterit.) De qua sic scribit Frontinus: *Bovianum oppidum lege Julia milites deduxerunt sine colonis, iter populo amplius non debetur quam P. X. Ager ejus per centurias & scamna est adsignatus*. Plinius lib. III. cap. XII. *In regione* IV. *Italiæ Samnitium, quos Sabellos, & Græci Saunitas dixere, colonia Bovianum vetus, & alterum cognomine Undecumanorum.*

Colonia Veii.

Veii colonia priusquam oppugnaretur, ager ejus militibus est adsignatus ex lege Julia. Postea deficientibus his ad urbanam civitatem adsociandos censuerat divus Augustus, nam variis temporibus, & a divis Imperatoribus agri sunt adsignati. Frontinus in lib. de coloniis.

Colonia Aufidena.

Aufidena muro ducta colonia, iter populo debetur P. X. *milites eam lege Julia sine colonis deduxerunt*. Idem.

Colonia Casilinum.

Cicero Philippica secunda in M. Antonium. *Deduxisti coloniam Casilinum, quod Cæsar ante deduxerat, omni auspiciorum jure turbato, Casilinum coloniam deduxisti, quo erat paucis annis ante deducta, ut vexillum videres, & aratrum circumduceres, cujus quidem nomine portam Capuæ pene perstrinxisti, ut Florentis coloniæ territorium minueretur*. Hæc auctore Festo vetus præfectura fuit.

Colonia Calatia.

Et hæc a C. Cæsare deducta fuit, ut ex his Velleii verbis intelligitur libro II. ubi de Augusto loquitur sic: *Primumque a Calatia, mox Casilino veteranos excivit paternos, quorum exemplum sequuti alii brevi in formam justi coiere exercitus.*

Colonia Lanuvium.

Lanuvium colonia ex municipio vetere facta est a C. Cæsare dictatore, ut tradit Frontinus sic: *Lanuvium muro ductum, colonia deducta a divo Julio. Ager ejus in limitibus Augusteis pro parte est adsignatus militibus veteranis, & pro parte virginum Vestalium lege Augustana fuit adsignatus. Sed postea Imp. Hadrianus colonis suis agrum adsignari jussit.*

Colonia Forum Julii.

Hæc, ut existimo, a Cæsare etiam deducta fuit, quod nomen ipsum declarat, de qua Ptolomeus lib. tertio, cap. I. sic meminit: *Carnorum mediterraneæ coloniæ, Forum Julii, &c.*

Colonia Julia Hispella.

Hanc quoque a Cæsare deductam nomen ipsum indicat. Cujus vetus hæc inscriptio meminit:

C. ALFIVS. C. F. LEM. RVFVS
II. VIR. QVIN. COL. IVL. HISPELL

Hæc etiam municipium dicitur, ut hic:

GENIO. MVNICIPI. HISPEL. SACR.

Colonia Pola, alias Pietas Julia.

Et hanc ex nomine a Cæsare deductam opinor; de qua sic scribit Plinius libro tertio, cap. XIX. *In decima regione oppida Istriæ civium Romanorum Ægida, Parentium, colonia Pola, quæ nunc Pietas Julia, quondam a Colchis condita, abest a Tergeste centum millia passuum, mox oppidum Nesactium*. Hæ autem sunt omnes coloniæ militares, quas a Cæsare dictatore deductas, vel invenerim, vel conjectura consequi potuerim.

Colonia Aquinum.

Nunc eas colonias adjiciam, quas a triumviris R. P. C. Lepido, Antonio, & Cæsare deductas fuisse invenerim. Quarum prima ordine alphabetico est Aquinum, de qua ita scribit Frontinus: *Aquinum muro ducta Colonia, lege triumvirali deducta, iter populo debetur* P. XXC. *Ager ejus perennis militibus est adsignatus*. Plinius libro tertio cap. quinto: *In regione prima Italiæ coloniæ Capua, Aquinum, Suessa, &c.* Tacitus libro decimoseptimo: *Sub Othone sepositus per eos dies Cornelius Dolabella in coloniam Aquinatem.* Hæc colonia municipium vocatur a Cicerone in oratione pro Plancio; nam ante coloniam a triumviris deductam, municipium lege (ut opinor) Julia factum fuerat.

Colonia Junonia Falisca Etruscorum.

Frontinus: *Colonia Junonia, quæ appellatur Falisca, a triumviris est adsignata, & modus jugerationis est datus, in qua limites intercisivi sunt, directi lege agraria*. Plinius libro tertio cap. quinto: *In regione septima Tuscia, intus coloniæ Falisca Argis orta, ut auctor est Cato, quæ cognominatur Etruscorum, Lucus Feroniæ, &c.*

A

Colonia Florentia.

Frontinus : *Florentina colonia deducta a triumviris ; adsignata lege Julia centuriis Cæsariana jugera CC. per cardines, & decumanos*. Hujus coloniæ meminit Tacitus.

Colonia Fœdaturæ.

Colonia Fœdaturæ, ea lege qua ager Florentinus, in centuriis singulis jugera CC. termini lapidei, alii sextales, alii molares. Frontinus.

Colonia Formiæ.

B

Frontinus : *Formias oppidum triumviri sine colonis deduxerunt. Iter populo non debetur. Ager ejus in absoluto resedit, pro parte in lacineis est adsignatus. Finitur terminis siliceis, & Tiburtinis*. Hæc ante vetus municipium, & præfectura fuit.

Colonia Telesia.

Telesia muro ducta colonia, a triumviris deducta. Iter populo debetur P. triginta. Ager ejus limitibus Augusteis in nominibus est adsignatus. Frontinus.

Colonia Tuder Fida.

C

Tuder Fida colonia ea lege, qua & ager Florentinus in centuriis singulis jugera CC. *Termini lapidei, alias saxei, alias molares*. Frontinus. Et vetus lapis:

PRO. SALVTE. COLONIAE
ET. ORDINIS. DECVRIONVM
ET. POPVLI. TVDERTIS

Colonia Venafrum.

Frontinus : *Venafrum* (inquit) *oppidum triumviri deduxerunt sine colonis. Iter populo debetur P.* XX. *Ager ejus in lacineis limitibus intercessivis est adsignatus, sed summa montium jure templi deæ ab Augusto sunt concessa*. Plinius libro tertio cap. V. *In regione prima Italiæ, intus coloniæ, Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, &c.* Venafrum vero una ex his antiquis præfecturis a Festo fuisse refertur, in quas præfectos quotannis prætor mittere solebat.

D

Colonia Volaterræ.

Volaterræ colonia lege III. *virali est adsignata in centurias singulas jugera ducenta, decimanis cardinibus est adsignata, quam omnes veterani, in porcionibus divisam pro parte habuerunt*. Frontinus.

Colonia Ulubra.

E

Ulubra oppidum a triumviris erat deductum, postea a Druso Cæsare extructum, ager ejus in omnibus est adsignatus. Iter populo non debetur. Frontinus.

Colonia Rhegium.

Nunc colonias quas Augustus Cæsar deduxit exponam, quarum forte prima fuit Rhegium, de qua Strabo libro quinto sic scribit : *Cæsar Augustus, fugato ex Sicilia Sex. Pompeio, quum desertam urbem Rhegium reperiisset, permultos ex classe ejus ibidem fecit colonos*. Hæc in vetusta hac inscriptione municipium appellatur:

F

TI.EFRVENVS.TI.F.SABINVS.TESTAMENTO
LEGAVIT. MVNICIPIBVS. RHEGINIS

Colonia Acerræ.

Acerræ muro ducta colonia ; divus Augustus deduci jussit. Iter populo debetur P. LXXX. *Ager ejus in jugeribus est adsignatus*; Frontinus. Hæc colonia vetus municipium, & præfectura fuit.

Colonia Alatrum.

Alatrum muro ducta colonia, Augustus deduxit, iter populo non debetur, ager ejus per centurias & strigas est adsignatus; Frontinus. Hæc etiam municipium in antiquis inscriptionibus appellatur sic:

C. IVLIO. AVG. L. HELENO. EX. DECRETO
DECVR. MVNICIPI. ALETRINATIS. ET
POLLICITATIONE. SEVIR. ET. MVNICIPVM
ET. INCOL. OB. MERITA. EIVS

Colonia Atella.

Frontinus : *Atella muro ducta colonia, deducta ab Augusto. Iter populo debetur P.* CXX. *Ager ejus in jugeribus est adsignatus*. Atella vetus ante tum municipium, tum præfectura fuit.

Colonia Augusta Taurinorum.

Hanc cum Augusta prætoria Salassorum ab Augusto Cæsare deductam existimo, quando ipse, auctore Strabone, egregia contra Salassos victoria potitus eorum prope nomen deleverit ; de quibus sic lib. III. cap. XVII. scribit Plinius: *In Transpadana regione* XI. *coloniæ ab Alpium radicibus Augusta Taurinorum antiqua Ligurum stirpe, inde navigabili Pado, dein Salassorum Augusta prætoria, juxta geminas Alpium fauces Graias, atque Pœninas.*

Colonia Augusta Prætoria Salassorum.

De hac præter Plinium meminit Ptolom. lib. III. cap. I. sic : *Salassorum qui sub Insubribus sunt civitates, Augusta prætoria colonia.*

Colonia Bovianum Undecumanorum.

Huc undecimam legionem post bella civilia, ab Augusto deductam coloniam fuisse innuere videtur Plinius lib. III. cap. III.

Colonia Copiæ, alias Thurii.

Strabo libro VI. *Thurios Tarentini everfere, Romani colonos paucos deduxere, Copiasque coloniam appellaverunt*. Hanc ab Augusto deductam opinor post bellum Siculum.

Colonia Cortona.

Dionysius, qui sub Augusto vixit : *Croton colonia Romanorum, Cortona nuper appellata est*. Hæc in Tuscia erat.

Colonia Cumæ.

Cumæ muro ducta colonia, ab Augusto deducta, iter populo debetur pedes LXXX. *Ager ejus in jugeribus veteranis pro merito est adsignatus, jussu Claudii Cæsaris*; Frontinus. Vetus aliquando municipium, aliquando præfectura, hæc colonia fuit, Festo & Livio auctoribus.

Colonia Fanum Fortunæ, alias Julia Fanestris.

Hanc ab Augusto deductam nomen declarat, quando is, Tranquillo auctore, duodetriginta colonias deduxerit. Plinius lib. III. cap. XIV. *In regione* VI. *colonia Fanum Fortunæ, Pisaurum*. Pomponius Mela libro II. cap. II. *A Pado ad Anconam transitur Ravennam, Ariminum, Pisaurum, Fanestris colonia, flumen Metaurus, atque Æsis*. Vetus lapis:

L. OPPIVS. SEX. F. L. N. BARBATVS
PROC. COL. FAN
Item:
II. VIR. Q. Q. CORP. DENDROPHOROR
COLON. FANESTRIS. D. D
Item:
Q. DIVINIVS. Q. F. APPIO
TABVLARIVS. CORPOR. DENDROPHOR
COL. IVL. FANESTRIS

Colonia Nuceria.

Frontinus: *Nuceria Constantina muro ducta colonia. Deducta jussu imp. Augusti. Iter populo debetur P. LX. Ager ejus limitibus Julianis lege Augustana militibus est adsignatus, & alibi in absoluto resedit.* Livius libro XXVII. *Nucerinos quærentes ubi habitarent Nuceria deleta, Atellam, quia id maluerant, Atellanis Calatiam migrare jussis, transducti M. Marcello, & M. Lævino cos.* Ptolomæus lib. III. cap. I. *Umbrorum qui sunt supra Tuscos Nuceria colonia, postea Picentinorum Nuceria colonia.*

Colonia Orientium.

Orientium colonia lege Augusti censita est limitibus Græchanis, qui recturas maritimas, & montanas spectant, postea per cardines decumanos, & duodecumanos adsignata est. Frontinus.

Colonia Privernum.

Privernum oppidum muro ductum coloniam militibus deduxit imp. Cæsar sine colonis. Iter populo debetur P. XXX. Ager ejus pro parte cultus jugeribus est adsignatus. Ceterum in lacineis vel in absoluto remansit. Frontinus. Privernum vetus municipium & præfectura ante fuit, auctore Festo.

Colonia Ravenna.

Strabo lib. V. *Ariminum Umbrorum colonia, ut Ravenna, sed utraque Romanos habet inquilinos.* Hæc ab Augusto instituta est, quum classem in ejus portu instruxit, quæ Hadriatico sinu tuendo excubaret.

Colonia Tergeste.

Hæc, ut ex hac antiqua Tergestina inscriptione liquet:

IMP. CAESAR. COS. DESIG. TERT. III. VIR R.P.C. ITER. MVRVM. TVRRESQVE. FECIT

ab Augusto deducta est. De qua Plinius lib. III. cap. XVIII. *In X regione Italiæ Tergestinus sinus, colonia Tergeste XXXIII. mille passuum ab Aquileia.* Ptolomæus libro tertio, cap. primo: *Istriæ post flexum intimi Hadriatici sinus Tergeste colonia.*

Colonia Theanum Sidicinum.

Frontinus: *Theanum, quod & Sidicinum, colonia deducta a Cæsare Augusto. Iter populo debetur P. XXCV. Ager ejus limitibus metricis omnibus est adsignatus.* Plinius lib. III. cap. V. *In regione prima Italiæ coloniæ Capua, Aquinum, Suessa, Venafrum, Sora, Theanum Sidicinum, & Nola.* Hæ autem sunt coloniæ, quas pro constanti Augustum Cæsarem deduxisse inveni. Sequuntur hæ tres præterea coloniæ a Nerone Claudio fratre, & Druso Cæsare filio Tiberii Imperatoris factæ, de quibus scribit Frontinus.

Colonia Atina.

Atina muro ducta colonia, deduxit Nero Claudius, iter populo non debetur; ager ejus pro parte in lacineis & strigis est adsignatus. Frontinus.

Colonia Anagnia.

Hæc ex municipio a Druso Cæsare deducta colonia est. De qua ita scribit Frontinus: *Anagnia muro ducta colonia Drusi Cæsaris, populus dederat. Iter populo non debetur, ager ejus per strigas est adsignatus.* Hæc colonia municipium vetus, & præfectura ante fuerat.

Colonia Calagna.

Calagna muro ducta colonia jussu Drusi Cæsaris populus deduxit. Iter populo non debetur, ager ejus veteranis est adsignatus. Frontinus de coloniis.

Coloniæ incerto tempore deductæ.

Colonia Abella.

Abella municipium coloniæ, vel familiæ imp. Cæsaris Vespasiani jussu acceperunt, postea in lacineis ager ejus in jugeribus militi est adsignatus. Iter populo debetur. Frontinus.

Colonia Æsis.

Hujus coloniæ non nisi in vetustis his epigrammatibus mentionem extare didici sic:

PATRONO. COL. AESIS

Item:

PATRONO. COL. AVXIM
ET. COL. AESIS
ET. MVNIC. NVMANAT

Item:

PLEBS. COLON. AESIS

Colonia Ancon, alias Ancona.

Plinius lib. III. cap. XIII. *Quarta regione Piceni Numana a Siculis condita. Ab eisdem colonia Ancon apposita, promontorio Cumero in ipso flectentis se ore cubito.* Vetus inscriptio:

DECVRIONES. ET. PLEBS
COLONIAE. ANCONITANORVM

Colonia Apulesium.

Hujus coloniæ tantum vetus hic lapis meminit:

P. AELIO. P. F. PAPIR. MARCELLO
PATRONO. ET. DECVRIONI
COLONIAE. APVLESIVM

Colonia Asculum.

Plinius lib. XIII. cap. XIII. *In quinta regione Piceni Cupra oppidum, castellum Firmanorum, & supra id colonia, Asculum Piceni nobilissima.* Asculum Cicero pro Sulla municipium vocat. Vetus epigramma:

DECVRIONES. ET. PLEBS
COLONIAE. ASCVLANORVM

Colonia Asta.

Ptolomeus lib. III. cap. I. *In Liguria Asta colonia.*

Colonia Brixillum.

Plinius libro XIII. cap. XV. *In octava regione coloniæ Bononia, Brixillum, Mutina.* De hoc oppido plura scribit Tacitus libris Hist. II. & III. clade Othonis insigne.

Colonia Cædicia.

Vetus epigramma tantum, quod sciam, hanc coloniam commemorat ita:

DVOVIR. MVLSVM. ET. CRVSTVM
COLONIS. SENVISSANIS. ET. CAEDICIANIS

Colonia Capis.

Capis coloniæ pro æstimo ubertatis, & naturæ locorum sunt agri adsignati, nam termini in variis locis sunt positi. Frontinus.

Colonia Concordia.

Plinius libro tertio, cap. XIIX. *In decima regione Venetia, colonia concordia.* Ptolomeus lib. III. cap. I. *Carnorum mediterraneæ coloniæ, Forum Julii, Concordia, Aquileia.*

Colonia Gabii.

Lapis vetus extat Zagaroli, quod oppidum olim Gabios fuisse creditur sic exaratus; Hanc Cic. Philip. II. municipium vocat.

CN. ARRIO. CN. F. PVB. AXIMIO
PATRONO. ORDIN. ET. COLON

Colonia Istonium.

Hujus coloniæ mentio est in vetusta quadam, quam supra retuli, inscriptione.

Colonia Laurolavinium.

Laurolavinium lege & consecratione veteri manet. Ager ejus ab Imperatoribus, Vespasiano, Trajano, & Hadriano in lacineis est adsignatus, iter populo non debetur. Frontinus de coloniis.

Colonia Lucus Feroniæ.

Plinius lib. III. cap. V. *In regione* VII. *intus coloniæ Falisca Etruscorum, Lucus Feroniæ, Rusellana, Senensis, Sutrina.*

Colonia Lupia.

Vetus inscriptio:

PATRONO. COL. LVPIENSIVM
PATRONO. MVNICIPI

Colonia Neapolis.

Vetusta epigrammata:

PATRONO. COLONIAE. NEAPOLITANAE

item:

GENIO. COLONIAE. NEAP

item:

ORDO. ET. POPVLVS. NEAPOLITANVS
S. P. Q. NEAPOLITANVS. D D
L. BAEBIO. L. F. GAL. COMINIO
PATRONO. COLONIAE

Colonia Pampia.

Vetus inscriptio:

CENAM. COLONIS
SENVISSANIS. ET. PAMPIIS

Colonia Præneste.

A. Gellius libro XVI. cap. XIII. *D. Hadrianus in oratione, quam de Italicensibus, unde ipse ortus fuit, in senatu habuit, Prænestinos refert maximopere a Tiberio Imp. petiisse, orasseque ut ex colonia in municipii statum redigerentur, idque illis Tiberium pro referenda gratia tribuisse, quod in eorum finibus sub ipso oppido, ex capitali m rbo revaluisset.* Festus Præneste municipium sui juris vocat. Vetus inscriptio:

PATRONO. COLONIAE
PRAENESTINORVM

Colonia Regium Lepidi.

Ptolemæus lib. III. cap. I. *In Gallia Togata Regium Lepidi colonia.*

Colonia Rusellana.

Plinius lib. III. cap. V. hujus coloniæ in Tuscia mentionem facit.

Colonia Sæpinum.

Sæpinum oppidum muro ductum, colonia ab imp. Nerone Claudio est deducta, iter populo debetur P. L. ager ejus in Augusteis centuriis est adsignatus. Frontinus.

Colonia Salpis.

Hujus coloniæ meminit Frontinus in libro de coloniis: *Salpis muro ducta colonia, &c.*

Colonia Sena.

Plinius lib. III. cap. V. *In regione* VII. *Etruriæ colonia Falisca, lucus Feroniæ, Rusellana, Senensis, Sutrina.*

Colonia Senuisa.

Antiqua inscriptio:

DVOVIR. MVLSVM. ET. CRVSTVM
COLONIS. SENVISSANIS.
ET. CAEDICIANIS

Item:

CAENAM. COLONIS
SENVISSANIS. ET. PAMPIIS

Colonia Tolentinum.

Tolentini vetus inscriptio hæc adhuc extat:

MAVORTI. ET. GENIO. COLONIAE

Item:

T. FLAMINIO
PONTIFICI. TOLENTIN

Tolentinatium in Piceno meminit Plinius lib. III.

Colonia Verulæ.

Verulæ oppidum muro ductum, ager ejus limitibus Gracchanis in nominibus est adsignatus: ab Imper. Nerva colonis est redditus. Frontinus in libro de coloniis.

Atque hæc sunt omnium coloniarum civium Romanorum, Latinarum, & militarium nomina, quas a Romulo usque ad imperii excidium deductas fuisse intra Italiam apud veteres auctores, vel inscriptiones invenerim. Quarum pars major, ordine temporum servato, digesta est. Has vero posteriores, quarum tempora invenire non potui, una ordine alphabetico subjunxi. Nunc quæ antiqua municipia, vel præfecturæ fuerint ante legem Juliam, exponam.

CAP. XII.

De Municipiis.

MUNICIPIORUM (ut dixi) duo genera fuerunt, alterum quod jus civitatis sine suffragio habebat, alterum vero, cui cum suffragii latione civitas data est. Primi omnium municipes, & sine suffragii jure facti fuerunt Cærites, quibus pro sacris Romanis bello Gallico receptis custoditisque concessum est, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negociis tamen atque oneribus vacarent, ut tradit Gellius lib. XVI. cap. XIII. Hinc tabulæ Cærites appellatæ, in quas censores referri jubebant, quos notæ caussa suffragiis privabant, ut Asconius in Verrinis prodidit. Cære autem municipium haud longe post urbem a Gallis captam, annumque urbis CCCLXIII. factum est.

Municipium Cære.

Cærites primos municipes & eos sine suffragii jure fuisse, supra ex Asconio & Gellio demonstravi. Hoc municipium inter eas præfecturas refert Festus, in quas prætor urbanus præfectos creare solebat. Huic municipio ante legem Juliam civitatem cum suffragio datam fuisse Festus aperte innuere videtur, quum illud eo jure, quo Aricini fuerunt, donatum scribat, & Aricinos ex Livio cives Romanos fuisse constet cum suffragii latione. Vetus lapis:

IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO
PONTIF. MAXIM. S. P. Q. CAERES

Item:

L. VILLONIO. ASELLO. AVGVRI
CENS. MVNICIPES. ET. INCOL

Item:

SOLI. SANCTISSIMO. C. AEMILIVS
C. F. SCAPT. PROCVLEIANVS
SECVNDVS. DECVRIO. MVNICIP. CAER

Munici-

Municipium Tusculum.

Primum omnium municipium cum suffragii latione fuit Tusculum, cui quum (ut inquit Sex. Pompeius) primo sine suffragio civitas data esset, post aliquot annos pleno jure cives Romani Tusculani facti sunt. Ejus rei ita meminit lib. VI. Livius: *Tantum fere verborum a Tusculanis in senatu factum. Pacem in præsentia, nec ita multo post, civitatem impetraverunt. Ab Tusculo legiones deductæ.* Hoc autem factum est anno urbis CCCLXXIII. Civitatem vero Romanam (ut opinor) sine suffragii jure eos adeptos fuisse quadriennio post refert idem Livius. *Incensos Latinos ea rabie impetus Tusculum tulit, ob iram quod deserto communi concilio Latinorum, non in societatem modo Romanam, sed etiam in civitatem se dedissent.* Hoc factum est anno urbis CCCLXXVII. Tusculanos vero suffragii jus haud longe post primum consulem e plebe creatum, ex his Imp. Claudii verbis apud Tacitum intelligo. *Plebeii* (inquit) *magistratus post patricios, Latini post plebeios, ceterarum Italiæ gentium post Latinos. Neque enim æquum videbatur plebem Romanam magistratibus capiendis exclusam, alienigenas vero admissos fuisse.* Eos vero suffragii jure a populo donatos, in tribum Papiriam, ut Livius lib. VIII. vel Popilliam, ut Valerius libro IX. cap. X. tradunt, a censoribus relatos fuisse constat. Adjicit libro octavo Livius post bellum Latinum, quo Latium omne domitum est, anno urbis CDXVI. L. Furio, C. Mænio cos. *Tusculanis civitas servata quam habebant, crimenque rebellionis a publica fraude in paucos auctores versum.* Ex Tusculo celebres familiæ, quæ Romæ summos honores adeptæ sunt, prodierunt, Porcii, & Coruncanii, ut Cicero & Tacitus tradunt; quamquam Tacitus Coruncanios non Tusculo, sed Cameria oriundos scribat. De municipio Tusculo meminit Cic. pro Plancio.

Municipium Lanuvium.

Anno urbis conditæ CDXVI. L. Furio Camillo, C. Mænio cos. reliquiis omnibus belli Latini extinctis, Latioque omni ab his cos. in deditionem populi Romani accepto, Camillus de Latinis populis ad senatum retulit, patresque hortatus est, ut hostes victos more majorum pro civibus haberent, eosque in civitatem, quo illos in perpetuum fideles haberent, acciperent. *Principes senatus* (inquit Livius) *relationem consulis de summa rerum laudare, sed quum aliorum alia caussa esset, ita expediri posse consilium dicere, ut pro merito cujusque statueretur, si de singulis nominatim referrent populis. Relatum igitur de singulis, decretumque. Lanuvinis civitas data, sacraque sua reddita, cum eo ut ædes lucusque Sospitæ Junonis communis Lanuvinis municipibus cum populo Rom. esset.* Sex. Pompeius: *Servius filius ajebat, Municipes initio fuisse, qui ea conditione cives Romani fuissent, ut semper remp. separatim a populo Rom. haberent (id est qui suis legibus viverent) Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui æque cives Rom. erant, & in legione merebant. Municipium id genus hominum dicitur, qui quum Romam venissent, neque cives Romani essent, participes tamen fuerunt omnium rerum ad munus fungendum una cum Romanis civibus, præterquam de suffragio ferendo, aut magistratu capiendo, sicut fuerunt quondam Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuvini, Tusculani, qui post aliquot annos cives Rom. effecti sunt.* De Lanuvino municipio mentionem facit Cic. pro Muræna, quod postea a Cæsare dictatore ex municipio colonia facta est.

Municipium Aricia.

Suggerit Livius lib. VIII. *Aricini, Nomentanique, & Pedani, eodem jure quo Lanuvini in civitatem accepti.* Et Velleius libro I. *Deinde interpositis duobus & triginta annis Aricini in civitatem recepti.*

A Sex. Pompeius: *Alio modo municipium dicitur, quum id genus hominum definitur, quorum civitas universa in civitatem Romanam venerit, ut Aricini, Cærites, Anagnini.* Aricia postmodum ex municipio colonia facta est exolescentibus (ut scribit Gellius) municipiorum juribus, & privilegiis. Eam enim Florus ex Livio in epitoma libri LXXX. coloniam vocat. Ceterum quum tam de municipiorum numero, quam de iis qui cum suffragio civitatem adepti sunt, inter Livium, Velleium, & Festum controversia sit, ego hic Livium sequi decrevi, qui, mea sententia, accuratius hanc rem tractavit. Ne vero Velleius & Festus, a Livio dissentiant, quantum
B a me fieri poterit, operam dabo, atque eorum repugnantiam, si quæ ulla tamen sit, tollere curabo. Quanquam non ignorem Festi locum, ubi de municipiis loquitur, corruptum esse, aliquotque verba Festi ipsius, aliquot vero Epitomistæ esse, quæ invicem inserta rem ipsam valde obscuram reddunt. Ego tamen ex Festo non nisi municipiorum nomina excipere volui; nam triplicem, quam eorum distinctionem facit, me satis non intelligere fateor. Ex Livio enim & Gellio aperte colligitur, duo potissimum municipiorum genera, quemadmodum ego initio dixi, tantum fuisse.

C *Municipium Nomentum.*

Aricini (inquit Liv. lib. VIII.) *Nomentani, Pedani eodem jure quo Lanuvini in civitatem accepti*, anno urbis CDXVI. L. Furio, C. Mænio cos.

Municipium Pedum.

Pedani cum Nomentanis, & Aricinis, eodem jure quo Lanuvini, cives Romani facti. Pedum autem Latii oppidum haud procul a Tibure fuit. Ceterum Lanuvinos, Aricinos, Nomentanos, & Pedanos municipes hoc anno cum colonis Antiatibus civitate a populo Rom. ex S. C. donatos, censores,
D qui proxime creati sunt, Q. Publilius Philo, & Sp. Postumius in duas novas tribus propter eos additas censuerunt Mæciam & Scaptiam. Quarum Mæcia a castro Latii Mæcio dicta est, de quo sic scribit lib. VI. Livius: *Tertiam partem dictator Camillus ad Volscos duxit, nec procul ab Lanuvio, ad Mæcium (is locus dicitur) castra oppugnare est adortus.* Scaptia vero a Latii urbe Scaptia dicta est, de qua Plinius libro III. cap. quinto meminit.

Municipium Fundi.

Eodem anno post bellum Latinum, L. Furio, & C. Mænio cos. *Fundanis Formianisque, quod per fines eorum tuta pacataque fuisset via, civitas sine*
E *suffragio data.* Ita libro VIII. Livius. Paterculus vero: *Interjecto triennio Fundani & Formiani in civitatem recepti, eo ipso anno quo Alexandria condita est.* Addit idem Livius libro XXXIIX. M. Valerio Messalla, & C. Livio Salinatore cos. anno urbis DLXV. *De Fundanis Formianisque municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappo tribunus plebis promulgavit, ut iis suffragii latio, (nam antea sine suffragio habuerant civitatem) esset. Huic rogationi quattuor tribuni plebis, quia non ex auctoritate senatus ferretur, quum intercederent, edocti populi esse, non senatus jus, suffragium quibus vellet impartiri,*
F *destiterunt incœpto. Rogatio perlata est ut in Æmilia tribu Fundani, & Formiani, in Cornelia Arpinates ferrent; atque in his tribubus tum primum ex Valerii plebiscito, a censoribus qui eo anno erant, T. Quinctio Flaminino, & M. Claudio Marcello, censi sunt.*

Municipium Formiæ.

Idem jus, quod municipes Fundani, habuerunt etiam iis vicini Formiani. Longo tempore post Formiæ a triumviris ex municipio colonia facta est. Municipia Fundos & Formias inter præfecturas eas refert Festus, in quas prætor urbanus singulis annis præfectos ab urbe mittebat.

Municipium Cumæ.

Livius libro VIII. L. Furio, C. Mænio cos. *Campanis equitibus honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent, civitas sine suffragio data, Cumanos Suessulanosque ejusdem juris conditionisque, cujus Capuam esse placuit.* Et libro XXIII. *De CCC. equitib. Campanis, qui in Sicilia cum fide stipendiis emeritis Romam venerant, delatum ad populum, ut cives Rom. essent, item uti municipes Cumani essent pridie, quam populus Campanus a populo Rom. defecisset.* Idem lib. XL. *Cumanis petentibus permissum, ut publice Latine loquerentur, & præconibus Latine vendendi jus esset.* Hoc municipium a Festo inter ea refertur, quibus postea civitas cum suffragio data est. Inter eas quoque præfecturas illud enumerat, in quas præfecti a populo mittebantur, quod postea Augustus Cæsar coloniam militarem fecit. Cumis vetus lapis:

PILVMNO . SANCTISSIMO
GENIO, MVNICIPI. SACRVM
P. IVBENTIVS. ANCHARIVS. II. VIR

Municipium Acerræ.

Livius libro VIII. Anno urbis CDXXII. A. Cornelio II. & Cn. Domitio cos. *Census actus, novique cives censi: tribus propter eos additæ Mæcia, & Scaptia.* addiderunt censores *Q. Publilius Philo, Sp. Postumius. Romani facti Acerrani, lege ab L. Papirio prætore lata, qua civitas sine suffragio data.* Et Velleius: *Insequentibusque consulibus a Sp. Postumio, & Philone Publilio censoribus, Acerranis data civitas.* Hoc municipium a Festo inter ea refertur, quibus primo sine suffragio, post cum suffragii jure civitas data est. De qua re nihil Livius scribit. Hanc Festus inter eas præfecturas etiam enumerat, in quas a populo præfecti mittebantur. Quam vel ex præfectura, vel ex antiquo municipio Augustus postea coloniam deduxit.

Municipium Privernum.

Victis Privernatibus, ex auctoritate patrum latum ad populum est, ut Privernatibus civitas daretur. Hoc factum est auctore Livio lib. VIII. ann. urbis CDXXV. L. Æmilio Mamercino II. C. Plautio Deciano cos. Hoc municipium inter eas præfecturas refert Festus, in quas prætor urbanus quotannis præfectos mittebat. Hæc postea colonia facta est:

Vetus lapis.

C. ARRIO. C. F. COR. CLEMENTI
CVRATORI. MVNIC. PRIVERNATIS

Item:

PATRONO. MVNICIPI. CVRATORI
REIP. DECVRIONES. ET. VI. VIRI. AVG
MVNICIP. PRIVERN. D D

Municipium Anagnia.

Livius libro IX. anno urbis conditæ CDXLVIII. Q. Marcio Tremulo, P. Cornelio Arvina cos. *Hernicorum tribus populis, Alatrinati, Verulano, Ferentinati, quia maluerunt, quam civitatem, suæ leges redditæ, connubiumque inter ipsos quod aliquandiu soli Hernicorum habuerunt, permissum. Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data, concilia connubiaque adempta, & magistratibus, præterquam sacrorum curatione, interdictum.* De municipio Anagnino meminit Cicero pro domo. An vero huic municipio civitas cum suffragio unquam data fuerit, ante legem Juliam, incompertum. Festus quum inquit: *Alio modo municipium definitur id genus hominum esse, quorum civitas universa in civitatem Romanam venit, ut Aricini, Cærites, Anagnini,* aperte significare videtur, Cære, & Anagniam suffragii jus quemadmodum Aricinos habuisse. Qui etiam Anagniam inter præfecturas enumerat, in quas prætoris urbani auctoritate præfecti ibant. Frontinus vero eam a Druso Cæsare coloniam deductam fuisse tradit. Vetus lapis:

M. RVBRIO. L. F. PROCVLO
PR. AED. Q. PONT. SALIO
MVNIC. ET. IN. COL

Municipium Arpinum.

Livius libro X. L. Genucio, Ser. Cornelio cos. anno urbis CDLI. *Arpinatibus Trebulanisque civitas data.* Ut autem sine suffragio intelligi debeat, idem facit, qui libro XXXVIII. refert Arpinatibus civitatem cum suffragio datam fuisse. De municipio Arpino meminit Cicero pro Plancio, & de claris oratoribus. Festus Arpinum inter eas præfecturas enumerat, in quas prætor urbanus singulis annis præfectos mittebat. Itemque inter ea municipia, quæ sui juris erant. Atque hæc sunt omnia municipia, quibus civitatem cum suffragio datam fuisse apud Livium inveni. Adjicit Velleius libro I. *M. Curio, & Cornelio Rufino cos.* (anno urbis CDLXIV.) *Sabinis sine suffragio data civitas. Sempronio vero Sopho & Appio Cæci filio cos.* (anno urbis CDXXCVI.) *suffragii ferendi jus Sabinis datum.* Quod si hoc verum est, Sabini primi fuerunt, quibus integræ provinciæ civitas data sit, quod tamen creditu difficile est. Nam iis post legem Juliam cum Latinis, Umbris, Tuscis, & Gallis Cispadanis datam fuisse existimo.

Municipium Atella.

Hoc municipium etiam a Festo refertur inter ea, quibus civitas postea cum suffragii jure data est. Et in libro XIV. id unum ex his præfecturis scribit, in quæ præfecti, populi suffragiis creati, mittebantur. Utrumque enim esse potest, ut primo municipium, post bello Punico secundo, cum reliquis, quas supra enumeravi, præfectura facta sit. Illud Augustus, ut pleraque alia, coloniam deduxit.

Equites Campani.

Livius libro VIII. *Equitibus Campanis honoris caussa, quia cum Latinis rebellare noluissent, civitas sine suffragio data. Monumentoque ut esset, æneam tabulam in æde Castoris Romam fixerunt.* Velleius: *Sp. Postumio, Veturio Calvino cos. Campanis data est civitas, partique Samnitium sine suffragio.*

Municipium Suessula.

Suessulam & Trebulam, quanquam vetusta municipia, post omnia tamen collocavi, quod iis ante legem Juliam civitatem cum suffragio datam fuisse non invenerim: quod eo honore illa, quæ supra retuli, affecta, vel aperte intelligatur, vel ex scriptorum verbis eliciatur. De municipio porro Suessula Livius lib. VIII. Bello Latino finito, *Cumanos Suessulanosque ejusdem juris, conditionisque cujus Capuam esse placuit.* Hanc præfecturam refert Festus ex his, in quas populus Romanus præfectos quotannis mittebat. Quod Sulla coloniam, ut supra vidimus, militarem deduxit.

Municipium Trebula.

L. Genucio, Ser. Cornelio cos. *Arpinatibus, Trebulanisque civitas data,* ita Livius libro X. Eam autem sine suffragio iis concessam fuisse, ex eo patet, quod multo tempore post Livius refert Arpinates cum suffragio civitatem adeptos fuisse: de Trebulanis vero nullam mentionem facit.

Alia quædam municipia.

Festus libro XI. *Tertio municipium definitur, quum*

id genus hominum, qui ad civitatem Romanam ita venerunt, ut municipia essent, ut sua cujusque civitatis, & coloniæ jura essent, ut Tiburtes, Prænestini, Pisani, Arpinates, Nolani, Bononienses, Placentini, Nepesini, Sutrini, Lucenses. Ex his Tibur & Præneste, quæ civitates fœderatæ Latinæ erant, & Arpinum municipium suis legibus relictæ sunt, Pisæ, Nola, Bononia, Placentia, Nepet, Sutrium, Luca coloniæ deductæ.

Memorantur a Cicerone municipia aliquot præter ea, quæ dixi, quæ haud dubie post legem Juliam facta sunt, ut Asculum in orat. pro Sulla; Aquinum, Labici, Gabii, Bovillæ, in II. Philip. Larinum in orat. pro Cluentio; Ameria, pro Sex. Roscio; Tarquinii pro Cæcinna, & quædam alia.

Tacitus quoque lib. XVII. municipia Transpadana, Mediolanum, Novariam, Vercellas, & Eporœdiam nominat.

In vetustis epigrammatibus municipiorum Italicorum Segusini, Interamnatis, Nabartis, Casuentinorum, Vindenatium, Ocricolani, Surrentini, Rhegini, Tiburtis, Hidruntini, Sæpinatis, Suessani, Fori Sempronii, Corani, Nolani, Aletrinatis, Allifani, Amerini, Blerani, Arretini, Clusini, Tifernatis, Mævaniæ, & Mævaniolæ, Capænatis, Urbini, Sassinatis, Cassinatis, Hispelli, Fori Flaminii, Numanatis, Asisinatis, & aliorum multorumque frequens mentio est. Atque hactenus de municipiis.

CAP. XIII.

De Præfecturis.

Quæ & quot genera præfecturarum essent, supra docui. Illud tantum scitu dignum ex præfecturis quasdam fuisse, quæ jus civitatis, & ferendi suffragii haberent, quasdam non; quemadmodum de municipiis, & coloniis dixi. Sex. Pompeius libro XIV. duas & viginti præfecturas enumerat, in his decem fuisse scribit, in quas præfecti populi suffragiis creati mittebantur, ut hæ, Capua, Cumæ, Casilinum, Vulturnum, Liternum, Puteoli, Acerræ, Suessula, Atellæ, & Calatia; duodecim vero, in quas urbanus prætor pro suo arbitrio præfectos mittebat. Hæ fuerunt Fundi, Formiæ, Cære, Venafrum, Allife, Privernum, Anagnia, Frusino, Reate, Saturnia, Nursia, & Arpinum. Quæ fere omnes, aut ex coloniis, & municipiis præfecturæ factæ sunt, aut ex præfecturis in colonias, & municipia redactæ. Ex his Capua præfectura fuit a bello Punico secundo ad consulatum C. Cæsaris, a quo colonia deducta est. Cumæ, Acerræ, Suessula, Atella, Formiæ, Privernum, & Anagnia, tum municipia, tum coloniæ: Fundi vero, Cære, & Arpinum municipia tantum aliquando fuere; Casilinum, Vulturnum, Linternum, Puteoli, & Saturnia coloniæ. Calatia vero, Venafrum, Allife, Frusino, Reate, & Nursia præfecturæ, dum libertas populi Romani stetit, semper fuere. Nam quum post legem Juliam æquatis omnium suffragiis civitas Italiæ omni data fuisset, municipiorum, coloniarum, & præfecturarum jura oblitterata sunt, nominaque hæc confundi cœpta, ut & colonia pro municipio, & municipium pro colonia, & præfectura, aliquando accepta sunt. Cicero enim Placentiam in L. Pisonem: Soram, & Cassinum pro Plancio: Calenum in Rullum: Suessam in epist. ad Atticum: Cossam in Verrem municipia vocat, quas colonias deductas fuisse ostendi. Ad hæc præfecturæ ipsæ, & municipia, itemque veteres coloniæ, deductis militibus, coloniæ omnes denuo a Sulla primum, deinde Cæsare, triumviris, & Augusto factæ sunt, ut latius supra demonstravi. Præter eas præfecturas, quas ex Festo digessi, Coræ præfecturæ Strabo libro quinto, Claudiæ Plinius libro tertio, cap. quinto. Atinatis Cicero pro Plancio, Reatinæ idem de natura deorum mentionem faciunt.

Cetera omnia (ut dixi) Italiæ oppida, quæ coloniæ, municipia, & præfecturæ non erant, fœderatæ civitates vocabantur, ut Tibur, Præneste, Neapolis, & pleraque alia; hoc autem ante legem Juliam, & bellum Marsicum intelligo: nam post ea tempora omnes Italiæ civitates, quibus jus suffragii datum erat, municipia appellari poterant. Atque hactenus de præfecturis.

CAP. XIV.

Provinciæ populi Romani extra Italiam.

Italia omni accurate descripta, atque ejusdem coloniis, municipiis & præfecturis enumeratis, nunc idem de aliis provinciis faciundum esse videtur, quas populus Rom. post Italiam in fidem acceptam, ejus præcipue auxilio subjugavit. Quarum omnium Sicilia prima provincia populi Rom. statim post confectum bellum Punicum primum, hac ratione facta est.

Provincia Sicilia.

Pro defensione Siculorum primum cum Pœnis bellum susceptum est anno urbis CDXC. Ap. Claudio, & Q. Fulvio cos. Quod vario eventu per annos tres & viginti perductum est. Postremo A. Postumio, C. Lutatio cos. anno urbis DXII. Romani reparata classe, quam aliquot annis ante naufragio amiserant, C. Lutatium consulem adversus Pœnos miserunt. Qui cum classe CCC. navium in Siciliam transvectus est. Huic, quum jam Drepani portum, ceterasque, quæ circa Lilybæum sunt, stationes in potestatem redegisset, Hanno classis præfectus ad Hamilcarem Pœnorum ducem navigans, cum CCC. & ipse navibus occurrit, summo commisso prœlio ad Ægates insulam, res Romana superior fuit. Hanno victus navem avertit, & dux fugæ primus fuit. Aliquanta cum eo pars exercitus sui Africam petunt, alii Lilybæum confugere. Naves Pœnorum submersæ quinquaginta, captæ LXX. reliquæ Hieroñesum refugerunt. Viri capti amplius decem millia hominum. Vel (ut Orosius tradit) Punicæ naves captæ sunt LXIII. CXXV. demersæ, XXII. millia hominum capta, cæsa tredecim millia, Romanorum autem tredecim naves demersæ sunt. Lutatius deinde ad Erycinam civitatem, quam Pœni tenebant, venit, ibique duo millia Carthaginensium conserta pugna interfecit. Ita Polybius, Livius, Florus, Eutropius, & Orosius. Anno vero sequenti Q. Lutatio, & A. Manlio cos. victis ad Ægates insulam Carthaginensibus, pax his conditionibus data est: Pœni Sicilia, & omnibus insulis, quæ inter Italiam & Africam sunt, excedunto. Duo millia, & CC. talenta in annos XX. pendunto, in præsens mille. Captivos Romanos sine pretio reddunto. Utriusque populi socii apud utrumque populum tuti sunto. Alterius socios neuter in amicitiam recipito. Neuter in alieno imperio imperato, neve milites conducito. Graves has leges impositas Carthaginensibus Hamilcar Pœnorum imperator mœrens accepit. Quare Pœni Sicilia & Sardinia excessere, & se vectigales ac stipendiarios fieri passi sunt, anno ejus belli vigesimo quarto, in quo C. Lutatius pro consule, & Q. Valerius Falto pro prætore celeberrimos de Pœnis egerunt triumphos. Eodemque anno bello Punico primo confecto, Siciliam primam provinciam populi Romani, regno Hieronis Syracusani excepto, fecit magna ex parte C. Catulus. Quod Cicero IV. in Verrem refert, qui Siciliam, quod omnium exterarum nationum principem se ad amicitiam, fidemque populi Romani applicuisset, eam primam

omnium provinciam appellatam esse prodit. Aliquot vero annis post captis Syracusis universam in populi Romani potestatem redactam M. Claudius Marcellus bello Punico secundo, aut certe qui ei successit M. Valerius Lævinus provinciam fecit. Nam de Marcello Velleius ita tradit: *Primus in Siciliam trajecit exercitum cos. Claudius, & provinciam eam post annos ferme* LII. *captis Syracusis fecit Claudius Marcellus*. Quamobrem is Papirii Masonis exemplum sequutus, in monte Albano triumphum de Siculis egit, urbemque ovans ingressus est, anno urbis DXLIII. Debellatum vero in Sicilia a Lævino consule potius, quam a Marcello, & Cicero in Verrem, & Livius significant. Is anno urbis DXLIV. cum M. Marcello cos. creatus, occupatis in Sicilia Agrigento, & aliis Siciliæ oppidis, Pœnisque expulsis, omnino Siciliam debellavit. Itaque Cicero in Verrem, trium Siculorum bellorum confectores nominans ait: *Qui M. Lævino, aut P. Rupilio, aut M. Aquillio prætoribus in eam provinciam successerunt*. Unde Sex. Rufus, *prima provinciarum* (inquit) *facta est Sicilia*. Hæc a prætoribus primo recta est, quorum primus fuit C. Flaminius creatus anno urbis DXXVII. P. Valerio, M. Atilio cos. ut scribit Solinus. Postea ab Augusto (ut opinor) est commissa præsidibus, demum a consularibus administrata est, quos Constantinus Imperator constituit. Sæpe enim in antiquis monumentis consularis Siciliæ mentio est. Siculis jus Latii Cæsar dictator, civitatem vero M. Antonius consul donavit, ut auctor est Cicero libro decimo quarto epistol. ad Atticum. Hæc in Imperatoris occidentalis primum, deinde Gothorum regum, post Imperatoris orientalis possessione, usque ad Caroli magni tempora perduravit, in quibus a Sarracenis occupata est. Quod qua ratione factum fuerit post exponam.

Provinciæ Sardinia & Corsica.

T. Manlio Torquato, C. Atilio Bulbo cos. anno urbis DXIX. bellum cum Sardis initum. Carthaginenses enim, quum bellum reparare tentarent, Sardos qui ex conditione pacis Romanis parere debebant, ad bellum impulerunt. Quare quum auctoribus Pœnis rebellassent, missus contra eos T. Manlius cos. ipsos devicit, de iisque triumphavit: ita Eutropius & Orosius. Quod Livius libro vigesimo primo sic commemorat: *Sardinia inter motum Africæ fraude Romanorum stipendio etiam superimposito intercepta*. Et Velleius: *Sardinia inter primum & secundum bellum Punicum ductu T. Manlii cos. certum recepit imperii jugum*. Eam tamen non omnino a T. Manlio subactam fuisse indicant sequentes triumphi. Nam anno sequenti Sp. Carvilius Maximus, & biennio post M. Pomponius Matho consules de Sardis triumpharunt, ut ex tabulis Capitolinis constat. Quum autem M. Pomponii ultimus actus sit de Sardis hoc tempore triumphus, profecto Sardi ipsi a Pomponio consule pacati videntur anno urbis DXXI. Hanc vero primam populi Rom. provinciam hoc tempore factam esse missis ad eam componendam decem legatis, quod in faciendis provinciis postea observatum est, quidam opinantur; nam Sicilia quamquam ante victa fuerit, tamen non nisi Syracusis a Marcello captis in provinciæ formam tota redacta est. Biennio post C. Papirio, & M. Pomponio cos. bellum cum Corsis gestum est, ut ex verbis epitomæ libri XX. & triumpho C. Papirii Masonis consulis apparet, quem de Corsis primus in monte Albano, Verrio Flacco, Plinio, Valerio, & Festo auctoribus egit. Corsicam igitur vicit, & provinciam fecit C. Papirius Maso consul, qui quum bene gesta rep. in Corsica, triumphum a senatu non impetrasset, ipse de sua sententia in monte Albano triumphavit primus anno urbis DXXIII. Hujus provinciæ & Sardiniæ administratio primum juncta fuit. Utrasque enim insulas semper unus rexit prætor, quorum primus fuit M. Valerius. Nam Florus & Pomponius auctores sunt, anno urbis DXXVII. quattuor primum prætores factos fuisse, ut duo ex his urbanus & peregrinus in urbe manerent, duos vero, ut in Siciliam, Sardiniamque novas provincias mitterentur. Hos vero fuisse M. Valerium, & C. Flaminium ostendit Solinus capite de Sicilia, quum inquit: *Sardinia & Sicilia utraque insula in Romanam potestatem redacta, iisdem temporibus provincia facta est: cum eodem anno Sardiniam M. Valerius, alteram C. Flaminius prætores sortiti sunt*. Sardiniæ porro & Corsicæ administrationem junctam, atque eidem prætori traditam fuisse ex Rufo ostendi. Post Augusti tempora earundem administratione divisa singulæ a præsidibus rectæ sunt. Sardi quum rebellassent a Ti. Graccho perdomiti sunt, totque captivorum ab eo ducti, ut proverbium fuerit celebratum, Sardi venales. Quum iterum Sardi rebellassent, postremo a M. Metello domiti sunt, atque ab eo de eis triumphatum. Corsi quoque quum rebellassent a C. Cicereio prætore subacti sunt. Qui quum triumphum non impetrasset, in monte Albano triumphavit anno urbis DXXCII. Eas Sarraceni Romanis Imperatoribus eripuerunt, ab Hispanis nunc possidentur.

Hispaniæ duæ Provinciæ citerior & ulterior.

In Hispaniam primi omnium duxere exercitus contra Afros Cn. & P. Scipiones belli Punici secundi initio, qui octavo ejus belli anno a Pœnis cæsi sunt. Post eos eo P. Cornelius Scipio Africanus major missus, multa prospere gessit, primusque ibidem provinciam fecit, L. Veturio, Q. Cæcilio cos. an. urbis DXLVIII. Qui Asdrubale & Magone acie ad Bætulam urbem fugatis, atque inde ex tota Hispania pulsis, vindicatisque armis Hispaniis, in Africam profectus, amicitiam cum Syphace Massylorum rege icto fœdere firmavit. Paulo post rebellantes Hispaniæ populos ad deditionem compulit, fœdereque cum Masinissa Masæsulorum rege, & Gaditanis facto, provincia L. Lentulo, & L. Manlio Acidino tradita, Romam reversus est. Hinc Marcellinus libro XXV. Hispaniam primam continentis provinciam factam esse scribit. Factam autem hac victoria Scipionis Livius, & Rufus, & alii prodiderunt. Quæ tamen non hoc anno, sed anno DLVII. ordinata postea fuit, tum quum prætores duo, qui in eam quotannis mitterentur, primum creati, atque ipsæ terminatæ Hispaniæ sunt, auctore Livio. Post Scipionem eam L. Cornelius Lentulus pro cos. obtinuit, qui rebus fortiter feliciterque gestis, ovans urbem ingressus est, anno urbis DLIV. Triennio post, C. Cornelio Cethego, Q. Minucio cos. Hispaniæ tum primum terminatæ sunt, atque in eas primum duo novi prætores, qui ad quattuor additi fuerant, missi, C. Sempronius Tuditanus in citeriorem, & M. Helvius Blasio in ulteriorem. Blasio provincia decedens ob res bene in Hispania cum Celtiberis gestas urbem ovans inivit. Verum quum tantum glisceret in Hispania bellum, ut jam consulari, & duce, & exercitu opus esset, placuit patribus consules Hispaniam citeriorem sortiri. M. Cato consul sortitus est, qui bello, quod ab Emporiis orsus est, totam citeriorem Hispaniam, quæ rebellaverat, pacavit, atque pro consule ex ea triumphavit anno DLX. Post Catonis victoriam Hispaniæ varie possessæ, &, ut ait Velleius, sæpe amissæ partibus, ita ut supra XXX. triumphi postea ex his relati memorentur. Certa ac stabilis esse populi Romani possessio, stipendiumque pendere non prius quam Augusto principe cœperunt. Qui quum Hispaniam omnem pacasset, eam constituit, atque in tres provincias, Bæticam, Lusitaniam, & Tarraconensem, ut post ostendam, divisit. Unde ita scribit Sex. Rufus: *Hispanis primum auxilium*

adversus Afros per Scipionem tulimus. Rebellantes Lusitanos in Hispania per D. Brutum, qui Callaicus appellatus est, obtinuimus, & usque ad Gades & Oceanum pervenimus. De his Brutus anno urbis DCXVIII. pro cos. triumphavit. Post ad Hispanos tumultuantes D. Silanus missus, eos vicit anno urbis DCLIV. Celtiberi in Hispania sæpe rebellabant, sed misso minore Scipione cum excidio Numantiæ subacti sunt. Omnes pene Hispaniæ occasione belli Sertoriani per Q. Metellum Pium, & Cn. Pompejum in deditionem acceptæ sunt, de iisque hi duces triumpharunt; postea prorogato imperio in quinquennium a Pompeio perdomitæ sunt. Ad extremum quoque a Cæsare Augusto Cantabri, & Astures, qui freti montibus resistebant, deleti sunt. Livius libro XXVIII. de Hispania loquens: *Itaque* (inquit) *Romanis prima inita provinciarum, quæ quidem continentis sunt, postrema omnium nostra demum ætate, ductu auspicioque Cæsaris Augusti perdomita est*. Et Velleius libro secundo: *Hispaniæ nunc ipsius Augusti provincia, nunc Agrippæ, quem usque in tertium consulatum, & mox collegium tribuniciæ potestatis amicitia principis evexerat, multo varioque Marte pacatæ. In quas provincias, quum initio Scipione & Sempronio Longo cos. primo anno secundi belli Punici, Romani exercitus missi essent, ducibus P. & Cn. Scipionibus Africani patre & patruo, per annos CC. in his multo, mutuoque ita certatum est sanguine, ut amissis prætoriis, imperatoriisque exercitibus, sæpe contumelia etiam nonnunquam periculum Romano inferretur imperio. Illæ enim provinciæ Scipiones consumpserunt, illæ contumelioso viginti annorum bello duce Viriato majores nostros exercuerunt, illæ terrore Numantini belli populum Romanum concusserunt. In illis turpe Q. Pompeii fœdus, turpiusque Mancini senatus cum ignominia dediti Imperatoris rescidit. Illa tot consulares, tot prætorios absumpsit duces, patrumque ætate in tantum Sertorium armis extulit, ut per quinquennium dijudicari non potuerit, Hispanis Romanis ne in armis plus esset roboris, & uter populus alteri pariturus foret. Has igitur provincias tam diffusas, tam frequentes, tam feras ad eam pacem perduxit Cæsar Augustus, ut quæ maximis bellis nunquam vacaverunt, eæ sub C. Antistio, ac deinde P. Silio legato, ceterisque postea etiam latrociniis vacarent, &c.* Quum eam omnem (ut tradit Plutarchus in Scipione) Augustus in provinciæ formam redegisset. *Universæ Hispaniæ* (ut refert Plinius libro tertio, cap. tertio) *Imperator Vespasianus Augustus jactatus procellis reipub. Latii jus tribuit, civitatem vero Antoninus Caracallus Severi Augusti filius dedit*.

Provincia Asia.

L. Quinctio, & Cn. Domitio cos. anno urbis DLXII. Antiochus magnus Syriæ rex bellum Romanis intulit: regem movere partim Thoas Ætoliæ princeps, qui Ætolos populi Romani socios haud satis dignis præmiis bello Macedonico confecto a Romanis affectos querebatur, partim Hannibal Pœnus, qui in Africa victus, & profugus, & pacis impatiens hostem populo Romano toto orbe quærebat. Intulit autem nimia opum suarum fiducia adductus, specie Lysimachiæ repetendæ, quam a majoribus suis in Thracia conditam Romani possidebant, statimque Græciam ac insulas ejus occupavit. Primus adversus eum missus est M. Acilius Glabrio cos. Duravit hoc bellum annos tres. Primo anno M. Glabrio cos. Antiochum bello victum apud Thermopylas Græcia expulit, atque Ætolos devicit. Altero anno L. Scipio Africani frater, quum in consulatu Asiam & bellum contra Antiochum regem obtinuisset, eo cum Africano fratre legato profectus, regem ipsum, Eumene Pergami rege adjuvante, apud Sipylum montem ad Magnesiam acie vicit, ac bellum confecit, Asiaticusque appellatus est. Antiocho pacem petenti his conditionibus data est, ut Europa abstineret, Asiaque omni, quæ cis Taurum est, decederet, pro impensis in bellum factis XV. millia talentorum Euboicorum traderet, mille talentum per XII. annos penderet, Eumeni CCCC. talenta redderet. Cum Asiaticis autem ita pactum, ut cis Taurum montem, quæ intra regni Antiochi fines fuissent, Eumeni attribuerentur præter Lyciam Cariamque usque ad Mæandrum amnem, ea Rhodiorum essent. Liberæ omnes civitates, quæ Attali stipendiariæ fuissent, eædem Eumeni vectigal penderent, quæ vectigales Antiochi fuissent, eæ liberæ atque imunes essent, Eumeni Phrygia utraque, & Mysia restituta. Triumphavit L. Scipio ex Asia, & rege Antiocho, an. urbis DLXV. Post Eumenem, eam beneficio S. P. Q. R. possedit Attalus ejus filius. Is anno urbis DCXXI. sine liberis moriens, populum Romanum regni reliquit heredem. Verum Aristonicus Eumenis filius non justo matrimonio ex pellice natus, post mortem Attali velut paternum regnum invasit Asiam, Crassum Mucianum consulem adversus se missum cepit, & occidit. Quam rem ita tradit Florus in epitoma libri LIX. *Aristonicus regis Eumenis filius Asiam occupavit, quum testamento Attali regis legata populo Romano libera esse deberet, adversus eum P. Licinius Crassus cos. profectus, prœlio victus, & interemptus est*. Crasso in Asiam consul Perperna successit. Qui Aristonico acie victo, captoque bellum confecit. Ante tamen mortuus quam Romam rediret, triumphare non potuit. Perpernæ M. Aquillius consul successor fuit, qui Asiatici belli reliquias finivit. Cujus belli occasione Lydiam sedem antiquam regnorum, Cariam, Joniam, Mysiam, Hellespontum, ac Phrygiæ partem in potestatem populi Rom. deditione venisse, Rufus & Jornandes produnt. Phrygiam vero ab Aquillio Mithradati regi Pontico pecunia accepta concessam, ipsum eo nomine Romæ postulatum, senatum Phrygiam liberam esse jussisse tradit Appian. lib. I. bellorum civilium. Justinus adjicit libro XXXVII. Phrygiam Mithradati patri, Ariarathis Cappadociæ regis, qui in hoc bello ceciderat, filiis, Lycaoniam & Ciliciam datas. Ceterum more majorum in constituenda Asia, eaque in provinciæ formam redigenda, cum M. Aquillio cos. decem legati missi sunt. Ita Strabo. Triumphavit post ex Asia M. Aquillius anno urbis DCXXVIII. Hanc rem brevissime ita tradit Velleius: *Asiam L. Scipio Africani frater eripuit Antiocho, sed beneficio S. P. Q. R. mox ab Attalis possessam regibus M. Perperna capto Aristonico fecit tributariam*. Et Sex. Rufus: *Asia societate Attali regis nota Romanis est. Eamque Attali testamento relictam hereditario jure possidemus. Ne quid tamen populus Rom. non viribus partum haberet, armis per nos ab Antiocho rege Syrorum maxime est vendicata. Eademque occasione, Lydia sedes antiqua regnorum, Caria, Hellespontus, ac Phrygia in potestatem populi Romani juncta deditione venerunt*. Et Plinius libro XXXII. *Asia* (inquit) *primum devicta, luxuriam misit in Italiam. Siquidem L. Scipio transtulit in triumpho argenti cælati pondo millia* CCCCL. *vasorum aureorum pondo millia centum, anno urbis* DLXV. *Eadem Asia domita multo etiam gravius afflixit mores, inutiliorque victoria illa hereditas Attalo rege mortuo fuit. Tum enim hæc emendi Romæ in auctionibus regiis verecundia exempta est, urbis an.* DCXXVI. *mediis* LVI. *annis erudita civitate amare etiam, non solum admirari opulentiam externam, immenso & Achaicæ victoriæ momento ad interpellendos mores, quæ & ipsa hoc intervallo anno urbis* DCVIII. *Parthica signa, & tabulas pictas invexit*. Quam vero Asiæ dispositionem fecerit Augustus, quum im-

perium constitueret, infra aperiam. Hæc provincia modo a pro consulibus, modo a pro prætoribus administrata est.

Provincia Aetolia.

Quum Ætoli ab amicitia populi Romani defecissent, se Antiocho regi Syriæ conjunxerunt, qui bello Græciæ illato plures urbes occupaverat. Itaque adversus eum M. Acilius Glabrio consul, rege Philippo Macedonum adjuvante, apud Thermopylas prospere pugnavit, eumque victum Græcia expulit, atque Ætolos devicit. Eos postremo non quiescentes M. Fulvius Nobilior consul, Ambracia Ætolorum urbe nobilissima capta, ad pacis conditiones petendas compulit. Pacis conditiones fuerunt hæ teste Livio: *Imperium majestatemque populi Romani gens Aetolorum sine dolo malo conservato. Ne quem exercitum, qui adversus socios amicosque eorum ducetur, per fines suos transire finito, neve ulla ope juvato. Hostes eosdem habeto, quos populus Romanus, armaque in eos ferto, bellumque pariter gerito, obsides* XL. *arbitratu consulis Romani dato, Cephalenia extra pacis leges esto. De pecuniæ summa, quam penderent, pensionibusque ejus nihil ex eo, quod cum consule convenerat, mutatum.* Fulvius postea Cephaleniam transgressus, omnes civitates in deditionem sine prœlio ullo accepit. Samii soli obsidione in potestatem venerunt. Romam Nobilior reversus, nobilissimum de Ætolis & Cephalenia triumphum egit ano DLXVII.

Galli Asiatici victi.

Eodem anno Cn. Manlius M. Nobilioris collega, ad ordinandam Scipionis Asiatici provinciam, & fœdus cum Antiocho scribendum missus, quum Ephesum in Asiam trajecisset, bellum Gallis Asiaticis, quod eos Antiochum auxiliis juvisse diceret, movit: atque ad singula eorum oppida, Attalo rege ducente, arma circumtulit, Pisidasque, Gallogræcos, Tolistobogios, Tectosagas, & Trocinos, qui Breno duce in Asiam transierant, quum soli citra Taurum montem non parerent, adortus, bello sine S. C. aut jussu populi suscepto, in potestatem adduxit, & de iis triumphavit. Rufus: *Gallogræciam* (inquit) *id est, Galatiam, sunt enim, ut nomen resonat, ex Gallis Galatæ, quod Antiocho contra Romanos auxilium præbuissent, Cn. Manlius invasit. Mummius pro consule Galatas persequutus est, & confugientes partim in Olympum, partim in Megaram, de arduis eos in plana detrusit, & victos in perpetuam pacem redegit.* Postea Galatiam Deiotarus tetrarches Romanis permittentibus tenuit: ad extremum sub Cæsare Augusto, Galatia in formam provinciæ redacta est, eam primus M. Lollius pro prætore administravit.

Macedonia Provincia.

P. Sulpicio Galba, C. Aurelio Cotta cos. paucis post secundam pacem Carthaginensibus datam mensibus, cum Philippo Macedonum rege bellum initum, quod Philippicum sive Macedonicum primum dictum est. Vacuos enim pace Punica jam Romanos, & infensos Philippo, quum ob infidam adversus Ætolos, aliosque regionis ejusdem socios pacem, tum ob auxilia cum pecunia nuper in Africam missa, Hannibali Pœnisque preces Atheniensium, quos agro pervastato in urbem Philippus compulerat, excitaverunt ad renovandum Philippo bellum, quod decem ferme ante annis incœptum, triennio prius depositum erat, quum Ætoli & belli, & pacis caussæ fuissent. Ut ergo cum Pœnis pro Mamertinis sociis primum, deinde pro Saguntinis secundum bellum susceptum est, sic cum Philippo pro Atheniensibus. Hoc bellum a P. Sulpicio cos. inchoatum annos quattuor perduravit. Nam T. Quinctius Flamininus consul adversus Philippum missus, cum eo ad Cinoscephalas acie victo debellavit. Quo tempore L. Quinctius frater ejus Acarnanes, Leucade urbe, quæ

A caput est Acarnaniæ, expugnata, in deditionem accepit. Legati a rege Philippo interim venerunt, qui quæcunque senatus censuisset, id regem facturum esse dixerunt. Decem legati more majorum, quorum ex consilio T. Quinctius imperator leges pacis Philippo daret, decreti. Qui anno urbis conditæ DLVIII. ex decem legatorum sententia pacem Philippo, Græciæ omni libertatem dedit. Atque ita primum Macedonicum bellum confectum est. Porro autem quum Philippus ægre ferens se jussu Romanorum fœdus ac pacem habere, Bastarnas sedibus suis excivisset, eorum auxiliis fretus, secundum bellum Romanis clam comparaverat, in cujus belli apparatu mortuus est. Id a patre jam meditatum, ac comparatum Perses ejus filius suscepit, quod Persicum & Macedonicum secundum vocatum est. Perses enim quum regnum suscepisset, quasi hereditario sibi a patre relicto adversus Romanos bello, ingenti pecunia comparata, multa præter fœdera gessit. Quare bellum ei a S. P. Q. R. indictum est, quod adversus fœdus cum Philippo patre ictum, & secum post mortem ejus renovatum, sociis populi Romani arma intulisset, quodque belli parandi adversus populum Romanum consilia iniisset, & arma, milites, classemque ejus rei caussa comparasset. Hoc bellum P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino inchoatum, quadriennio post L. Æmilius Paulus II. consul creatus III. Nonas Septemb. collatis apud Pindam signis confecit. Persem enim XX. millibus peditum occisis, equitatu cum ipso rege integro fugiente, vicit, castris exuit, atque omnes Macedoniæ urbes in deditionem XL. diebus accepit. Rex ab amicis desertus, postea apud templum Samothracum a Cn. Octavio classis præfecto captus est. Paullus Macedoniam tunc provinciam non fecit, sed tum ex sententia X. legatorum, quos ad componendam Macedoniam senatus de more misit, Macedonas omnes liberos esse jussit, &, ut suis legibus viverent, suas urbes & agros haberent, magistratus annuos crearent, permisit; veteris etiam stipendii, quod regibus pependerant, dimidia parte relevavit, alteram dimidiam populo Romano pendere jussit; leges Macedoniæ dedit tanta cum cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis dare videretur. Inde in Epirum cum trajecisset, oppidorum, quæ Persen juverant, circa LXX. muros diruit, prædam vendidit, atque de ea summa militi numeravit. Inde Romam veniens, per triduum ex Macedonia de rege Perse triumphavit, anno urbis conditæ DXXCVII. Ceterum postremo hanc ob caussam Q. Metellus Macedonicus Macedoniam anno urbis DCVII. provinciam fecit. L. Marcio & M. Manilio cos. Andriscus, qui Philippi nomine sumpto se Persis Macedoniæ regis filium ingenti asseveratione mentiebatur, contracto exercitu totam Macedoniam, aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Thessalia, quum & illam invadere armis atque occupare vellet, per Romanos legatos auxiliis Achæorum defensa est. Adversus eum Q. Cæcilius Metellus prætor missus, XXV. millibus hominum occisis eum vicit, & in potestatem redegit, Macedoniam recepit, unde & Macedonicus dictus est. Hoc bellum Macedonicum tertium vocatum est, quo confecto Macedonia in provinciæ formam redacta est, ut tradit Florus.

Illyricum & Dalmatia.

Illyrii & Liburni, qui sub extremis Alpium radicibus inter Arsiam Lycumque flumina agunt, longissimeque per totum maris Hadriatici littus effusi sunt, muliere Teuta regnante, populationibus non contenti & rapinis, quas in mari agebant, alterum quoque ex legatis Romanis, qui missi fuerant de acceptis injuriis conquestum, occiderunt. Quare bellum iis, L. Postumio, & Cn. Fulvio cos. primum indictum est. Quos brevi cos. Apollonia capta debellarunt. Atque cum

regina Teuta his conditionibus pax facta est, ut A Teuta quotannis tributum penderet, ac omni fere Illyrio excederet, neque ei extra Lissum, nisi cum duobus iisque inermibus lembis navigare liceret. Quieverunt Illyrii usque ad bellum Persicum, vel Macedonicum secundum. In quo quum Perseus ultimo belli discrimine a Romanis urgeretur, gentium Illyriorum regem ad belli societatem magnæ pactione pecuniæ per legatos attraxit. Adversus quem L. Anicius Gallus prætor a Romanis missus, Illyricum omne, gentis capite Scodra capta, intra triginta dies subegit, ac Gentium ipsum regem cepit; Illyriumque, & Dalmatiam eodem anno, quo Macedoniam Paullus, idem L. Anicius debellavit, & unam provin- B ciam fecit: triumphavitque post Paullum aliquot diebus, rege Illyriorum Gentio, cum fratre, conjuge, & liberis ante currum ducto. Quod bellum (ut inquit Florus) ante finitum est, quam geri Romæ nuntiaretur. Adversus Dalmatas aliquot annis post rebellantes C. Marcius cos. primum parum prospere, postea feliciter pugnavit. Eandem vero gentem P. Scipio Nasica Corculum cos. anno DXCIX. Delminio urbe expugnata domuit, & de iis triumphavit. Postremo eos etiam tumultuantes L. Cæcilius Metellus Dalmaticus omnino subegit.

Africa Provincia.

C In Africam pro defensione Siculorum Mamertinorum Romana primum transmissa sunt signa, primumque Punicum bellum XXIV. annorum intervallo gestum. Iterum cum Pœnis pro Saguntinorum defensione bellum XVIII. annorum susceptum, quod a Pœnis Hannibalis ductu gestum; eo victo a Scipione Africano confectum est, paxque a P. Scipione his conditionibus Carthaginensibus concessa est. *Ut liberi suis legibus viverent, quas urbes, quosque agros, quibusque finibus ante bellum tenuissent, tenerent. Perfugas, & fugitivos, & captivos omnes, & naves rostratas præter decem triremes traderent, elephan-* D *tosque quos haberent domitos, neque domarent alios. Bellum neque in Africa, neque extra Africam injussu populi Rom. gererent. Massinissæ res redderent, fœdusque cum eo faceret. Decem millia talentum argenti descripta, pensionibus æquis in annos L. solverent, obsides centum arbitratu Scipionis darent.* Ita Livius, Appianus, & alii. Atque hac ratione secunda pax Punica fuit. Quæ annis prope quinquaginta duobus perduravit. Nam anno urbis DCV. L. Marcio, & M. Manilio cos. bellum tertium non solum Pœnis indictum, sed etiam initum est, quod post intra quadriennium Carthaginis ipsius excidio a P. Scipione Africano minore est terminatum. E Belli caussæ erant, quod contra fœdus naves haberent, & extra fines exercitum duxissent, quodque socio populi Romani & amico Massinissæ arma intulissent, & quod filium ejus Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent. Bellum per quadriennium gestum est. Quod postremo Carthagine a P. Scipione expugnata DCC. anno quam erat condita, confectum est; urbem per decem & septem dies arsisse omnes commemorant. Carthagine excisa Scipio victoriæ nuntium Romam misit, sacrificia & ludos fecit, transfugas omnes bestiis objecit, & prædam militibus omnem, præter F aurum, argentumque, & insignes statuas, dispertivit. Romæ Scipionis victoria cognita gaudium ingens ortum, sacrificia, supplicationes, & ludi diis facti. Decem legati ex more in Africam missi, qui cum Scipione Africam provinciam constituerent. His mandatum est, ut si quid superesset urbis disturbarent, quæ civitates rebus Pœnorum studuissent, eorum oppida diruerent, quæ pro Romanis stetissent, præmiis agrisque donarent. Quibus rebus perfectis, Scipio Romam rediens, nobilissimum triumphum egit, argenti quater millia quadringenta, & septuaginta millia pondo tulisse, tradit Plinius libro tricesimo tertio. Ita Carthagine, Africaque in potestatem redacta, Africani cognomen sibi, ut avus ejus etiam fecerat, vendicavit. Hac victoria Africæ tributum impositum, & ut quotannis eo prætor mitteretur, tradit Appianus. Vellejus etiam, & Strabo ultimo Carthaginensium regionem tum in provinciæ formam redactam tradunt. Rufus: *Ter Africa rebellavit, ad extremum deleta per Africanum Scipionem Carthagine, provincia facta est.* Africam autem provinciam intelligo regionem universam, quam Carthaginenses possederant. Nam Numidia, & ipsa pars Africæ non nisi Jugurtha victo, item Mauritania mortuo Ptolemæo a C. Caligula, & Cyrenaica, quæ liberæ gentes in Africa erant, ab Augusto provinciæ factæ sunt. Africa provincia a prætoribus primum, deinde anno DCXXXVI. a consulibus, post Augusti tempora a proconsulibus, postremo a consularibus administrata est.

Provinciæ Achaia & Græcia.

Scipione Africano minore, C. Livio Druso cos. anno urbis DCI. bellum in Achaia excitatum est: caussam hujus belli tradit in epitoma Florus, *quod legati populi Romani ab Achæis pulsati sunt. Corinthum missi erant, ut eas civitates, quæ sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.* Qua de re plenius Justinus libro XXXIV. sic tradit: *Quærentibus* (inquit) *Romanis caussas belli adversus Achæos, tunc solos ex universa Græcia nimis potentes, tempestive fortuna querelas Spartanorum obtulit, quorum agros Achæi propter mutuum odium populabantur. Spartanis a senatu responsum est, legatos se ad inspiciendas res sociorum, & ad injuriam demendam in Græciam missuros; sed legatis occulta mandata data sunt, ut corpus Achæorum dissolverent, singulasque urbes proprii juris facerent. Igitur legatis omnibus civitatis principibus evocatis Corinthum, decretum senatus recitant, quid consilii habeant aperiunt: expedire omnibus dicunt, ut singulæ civitates leges suas, & sua jura habeant, quod ubi omnibus innotuit, veluti in furorem versi, universum peregrinum populum trucidant; legatos quoque ipsos Romanos violassent, nisi audito tumultu trepidi fugissent.* Florus Critolaum Achæorum ducem, dubium an manu, oratione certe legatos Romanos violasse ait. Pausanias Critolaum ducem ab is lectum, bellum contra Romanos suasisse scribit. Pythiam item, qui Thebis magistratum gerebat, Bœotos ad arma, quod a Metello prætore Macedoniæ magna pecunia mulctati fuerant, concitasse. Quibus rebus Romam nuntiatis, Romanos Achæis bellum indixisse. Quod a Q. Metello Macedoniæ prætore inchoatum, anno sequenti L. Mummius consul, qui Metello successerat, cum Corinthi excidio confecit. Florus: *Cum Achæis, qui in auxilium Bœotos & Chalcidenses habebant, Q. Cæcilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit. Quibus victis eorum dux Critolaus veneno sibi mortem conscivit. In cujus locum Diæus Achaici motus primus auctor, ab Achæis dux creatus, a L. Mummio consule victus est, qui omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex S. C. diruit, quia ibi Romani legati violati essent. Thebæ quoque & Chalcis dirutæ. Ipse abstinentissimum egit triumphum.* Ita Florus. Corintho excisa, L. Mummius omnibus Græcis arma ademit, & ex decem legatorum, quos senatus miserat, sententia provincia constituta est, tributum Græciæ impositum, concilia sublata, institutumque, ut eo quotannis prætor mitteretur, qui non Græciæ, sed Achaiæ præfectus appellaretur, quod Græciam Romani per Achæos tum Græciæ principes subegerunt. Hoc etiam bello Epirotas cum Achivis, & Thessalis, & Macedonibus, in provinciæ formam redactos produnt Jornandes, & Rufus ita: *Græcis in nostram fidem confugientibus, ad Achaiam accessimus. Athenienses adversus Philippum*

Macedonum regem auxilium nostrum petierunt. Libera diu sub amicis nostris Achaia fuit, ad extremum legatis Romanorum apud Corinthum violatis, per L. Mummium consulem capta Corintho, Achaia omnis obtenta est. Epirotæ, qui aliquando cum rege Pyrrho in Italiam venire præsumpserant, victi, atque Thessali simul cum Achivorum, & Macedonum regionibus nobis accesserunt. Atque ita eodem anno Macedonia, Africa, & Achaia tres provinciæ factæ. Provinciam tamen Macedoniam postea cum Achaia conjunxit, eque duabus unam fecit rogatione perlata P. Clodius tribunus plebis, & utramque L. Pisoni, quasi præmium, quod in Cicerone ejiciendo consensisset, dedit administrandam.

Provincia Gallia Narbonensis.

M. Plautio Hypsæo, & M. Fulvio Flacco cos. anno urbis DCXXVIII. primum cum Gallis trans Alpes dimicatum est. Salyes populi hujus auctores belli fuerunt, quum Massiliensium sociorum populi Romani fines invasissent. Salybus accesserunt Arverni, Ruteni, & Allobroges, quibus quadriennii spatio subactis bellum finitum est, quod ab iis Allobrogicum est appellatum. Res adversus eos prospere imperatores Romani gesserunt, M. Fulvius Flaccus anno urbis DCXXIX. C. Sextius Calvinus anno DCXXX. & DCXXXI. Cn. Domitius Ahenobarbus anno DCXXXII. & Q. Fabius Maximus Aimiliani filius, qui postea Allobrogicus dictus est, anno DCXXXIII. Florus: *Prima trans Alpes arma nostra sensere Salyes, quum de incursionibus eorum fidissima atque amicissima civitas quereretur Massilia. Allobroges deinde, & Arveni, quum adversus eos similes Aeduorum querelæ, opem & auxilium nostri flagitarent.* Et in epitoma LX. *Fulvius Flaccus primus omnium transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salyos Gallos, qui fines Massiliensium populabantur.* Marcellinus libro decimo quinto: *Gallorum regiones præcipuæ, quæ Italicis confines, primo tentatæ per Fulvium, quassatæ per Sextium, ad ultimum per Fabium Maximum domitæ.* Fulvio igitur Sextius, qui Salyos delevit, successit. Sextio Ahenobarbus, qui Allobroges, & Arvernos vicit, & de iis triumphavit. Huic Q. Fabius Allobrogicus, qui, Gallis Arvernis, Rutenis & Allobrogibus ingenti prœlio superatis, & hostium rege Bituito capto, bellum confecit, ut his verbis tradit Florus: *Q. Fabius Maximus consul Paulli nepos adversus Allobroges & Bituitum Arvernorum regem feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu cæsa millia hominum* CXX. *Allobroges in deditionem accepti.* Eadem referunt Strabo libro quarto, Orosius, Plinius libro septimo, Appianus, Velleius, & Marcellinus. Addit Cæsar libro de bello Gallico: *Arvernos, & Rutenos a Fabio maximo superatos, iisque P. R. ignovisse, neque in provinciam redegisse, neque stipendium imposuisse.* Galliam vero Narbonensem hoc bello in provinciæ formam redactam, atque, ut quotannis in eam prætores mitterentur, institutum, & Pomponius de origine juris referre videtur, & ex sequentium annorum historia patet, tum maxime ex Critognati Arverni apud Cæsarem orat. lib. VII. quum ait: *Quod si ea, quæ in longinquis regionibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in provinciam redacta, jure, & legibus commutatis, securibus subjecta, perpetua premitur servitute.* Post Allobrogicum aliquot Romani duces de iisdem Gallis, & præsertim Alpinis tumultuantibus, & victis triumpharunt. Postremo eam C. Marius ab impetu Cimbrorum egregie defendit, atque Cimbris cæsis, pacem & quietem ejus conservavit. C. Pontinius Allobroges tumultuantes compescuit. Quam postremo provinciam quum C. Cæsar obtinuisset, universam Galliam novem annorum intervallo in P. R. ditionem redegit.

Insulæ Baleares victæ.

Q. Cæcilio, & T. Quinctio cos. dum res cum Allobrogibus geruntur, bellum Balearicum exortum est. Cujus hanc causam exponit Florus; *Baleares* (inquit)
A *insulæ piratica rabie corruperant maria, ascendere etiam inconditas rates, & prænavigantes subinde inopinato metu terruere. Sed quum venientem ab alto Romanam classem prospexissent, prædam putantes ausi etiam occurrere, & primo impetu ingenti lapidum saxorumque nimbo classem operuere, sed non diu: nam postquam cominus ventum est, expertique rostra & pila venientia, pecudum in morem clamore sublato petierunt littora fuga, dilapsique in proximos tumulos quærendi fuerunt, ut vincerentur.* Metelli Macedonici filii auspicio res gesta, Balearici ei cognomen imposuit. Strabo libro tertiodecimo. *Quum ex Balearibus pauci quidam improbi, cum maris prædonibus conspirassent, universos criminatus Metellus cognomento Balearicus invasit,*
B *idemque colonias condidit.* De his victis & subactis triumphavit.

Provincia Thracia.

M. Acilio Balbo, C. Catone cos. anno urbis DCXL. bellum cum Thracibus Macedoniæ finitimis gestum est, quod non in proximam modo provinciam Macedoniam incurrerent, sed Thessaliam, atque Dalmatiam, usque ad Hadriaticum mare prædando pervenissent. Contra quos primus consul missus est C. Cato cum prætore T. Didio. Consul male adversus Thracas, prætor be-
C ne pugnavit, & de iis triumphavit. Hoc bellum multis annis continuatum est, de quo sic scribit Rufus: *In Thracias Macedonici belli occasione transcursum est: sævissimi omnium gentium Thraces fuerunt. In Thracum regionibus Scordisci habitaverunt pariter crudele & callidum genus. Sæpe per eos cæsus est Romanus exercitus. T. Didius vagantes Thracas repressit, M. Livius Drusus intra fines proprios continuit, M. Minucius Rufus in Hebri fluminis glacie vastavit, L. Sulla dictator Dardanos, atque alios Thracum populos Macedoniam incursantes prœlio profligavit. Cn. Dolabella post Sullam contra Thraces res prospere gessit. Per Ap. Claudium proconsulem hi, qui Rhodopen & Caucasum*
D *incolunt, victi sunt. Europæ maritimas urbes ante Romana classis obtinuit. Dardanos & Mœsos Curio proconsul subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit. M. Lucullus per Thracias cum Bessis primus pugnavit, ipsamque caput gentium Thraciam vicit. Hemimontanos vicinos subegit, Olympiadam, quæ nunc Philippopolis, & Muscadoniam, quæ modo Hadrianopolis dicitur, in ditionem nostram redegit, Caubilem cepit, supra Pontum positas civitates occupavit, Apolloniam, Galatiam, Parthenopolim, Tomos, Istrum, ad Danubium usque perveniens Romana Scythis arma monstravit. Triumphavit vero procos. de*
E *Thracibus, Dardanis, & Bessis ex Macedonia.*

Provincia Numidia.

Anno urbis DCXLIII. P. Scipione, L. Bestia cos. bellum contra Jugurtham Numidarum regem a populo Romano susceptum est, quod fratres Hiempsalem & Adherbalem, agitatus regni cupiditate, contra senatus denuntiationem occidisset. Primus in Numidiam cum exercitu missus L. Calpurnius Bestia, qui captus regis pecunia, pacem cum eo flagitiosam fecit, quæ a senatu improbata est: post Bestiam Sp. Postumius res in Africa male gessit. Deinde Q. Metellus consul adversus Jugurtham missus, exercitu ad pristinam disciplinam redacto, duobus prœliis
F Jugurtham fudit, Thalam oppidum diripuit, universam Numidiam vastavit, ac regem ipsum per Mauros & Getulos fugientem insequutus, re pene confecta, successorem accepit C. Marium consulem. Ipse Romam triumphans ingressus est, Numidici cognomine auctus. C. Marius consul transportatis in Africam copiis, Jugurtham, qui bellum reparaverat, aliquot levibus prœliis primo fudit, fugavit, & armis exuit. Eum postremo cum Boccho Mauritaniæ rege, quem bello socium adsciverat, vicit. Bocchus in desperationem versus Jugurtham vivum Romanis prodidit. A quibus captus, & in triumphum a C.

a C. Mario ductus, occisus est. Numidia, quæ ejus A regnum fuerat, a C. Mario pro cos. anno DCXLIX. ex decem legatorum sententia provinciæ formam accepit, atque in Africa duæ provinciæ factæ sunt, Africa, ubi erat Carthago, & Numidia. Hanc rem Sex. Rufus ita tradit: *Numidia ab amicis regibus tenebatur, sed Jugurthæ ob necatos Adherbalem & Hiempsalem, Micipsæ regis filios, bellum indictum est. Quo per Metellum consulem attrito, perque C. Marium capto, in potestatem populi Romani Numidia venit.*

Provincia Cyreneica.

Anno urbis DCLX. C. Cœlio & L. Domitio cos. Ptolemæus Cyrenarum rex, cui cognomen Appioni B fuit, mortuus heredem populum Romanum reliquit, & ejus regni civitates senatus liberas esse jussit. Cyrene autem Africæ regio est Ægypto contermina. De hac re ita scribit Rufus: *Cyrenas cum ceteris civitatibus Libyæ Pentapolis Ptolemæi antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Appionis regis arbitrio sumus assequuti.* Libera hæc regio diu fuit; postremo eam in provinciæ formam redegit Augustus, Cretæque administrationi conjunxit, ut Dio & Strabo auctores sunt.

Provincia Cilicia.

Adversus Cilices & Isauros, qui se piratis & maritimis prædonibus junxerant, mareque omne, quod C inter Cretam, atque Cyrenas, Piræum, & Achaiam, sinumque Maliacum est, latrociniis vexabant, P. Servilius Vatia proconsul missus, eos Phaselide, Coryco, Olympo, Isauroque ipsa Ciliciæ arce captis, subegit, atque Isauricus appellatus est. Hoc bello P. Servilius Pamphyliam, Lyciam, Icariam, Isauriam, Phrygiæ, & Ciliciæ partem in provinciæ formam redegit, (nam Cilicia post Mithridatico bello tota fere a Pompeio in potestatem redacta est) primusque omnium Romanorum ducum, per Taurum duxit exercitum, ac limitem itineris fecit. Unde Rufus ita scribit: *Cilices, & Isauros, qui se piratis & prædonibus maritimis junxerant, Servilius pro-* D *consul ad prædonum bellum missus subegit, & viam per Taurum montem primus instituit. Pamphyliam, Phrygiam, Icariam idem obtinuit, isque de Cilicibus & Isauris triumphavit, atque Isauricus cognominatus est.* Triumphavit autem anno urbis DCXXC. De hoc bello multa Eutropius, Orosius, Florus ex Livio, & Marcellinus libro XIV. qui sic loquitur: *Cilicia & Isauria provinciæ bello quondam piratico catervis mixtæ prædonum, a Servilio procos. sub jugum missæ, factæ sunt vectigales.* Justinus libro XL. *Creta Ciliciaque piratico bello perdomitæ in formam provinciæ rediguntur.* Et Jornandes: *Servilius proconsul bello pi-* E *ratico obtinuit Pamphyliam, Ciliciam; Pisidiam devicit, fecitque provincias.*

Provincia Bithynia.

Bithyniæ rex Eumenes Romanorum socius, qui bello Macedonico secundo Romanis contra regem Persen subsidia tulit, filium Prusiam reliquit. Hic filium Nicomedem successorem regni habuit. Post quem alius Nicomedes Bithyniæ rex fuit, amicitia Cæsaris dictatoris notus, cognomine Philopator. Hic eodem tempore, quo P. Servilius Isauros & Cilices domuit, sine liberis moriens, ut antea Attalus Asiam, sic ipse Bithyniam populo Romano testa- F mento reliquit. Cujus regnum in provinciæ formam redactum est, quæ paulo post una cum Ponti parte, in qua Mithridates regnavit, eo mortuo, una provincia facta est, Bithyniæque nomine appellata: utramque vero in provinciæ formam redegit Cn. Pompeius Magnus pro consule, Ponti rege Mithridate victo, atque occiso. Altera porro Ponti pars Bosporum versus Pharnaci Mithridatis filio regi cessit. Bithynis & Ponticis Pompeius leges, & jura constituit; de quibus Plinius meminit ad Traianum.

Provincia Creta.

Primus in Cretam insulam bello Antiocheno Romanum exercitum deportavit Q. Fabius Labeo prætor, rebusque in ea prospere gestis navalem triumphum egit. Longo tempore post, quum Cretenses prædonibus piratisque se adjunxissent, atque Mithridari studuisse a P. R. insimulati essent, adversus eos primo missus est M. Antonius III. viri pater, qui Creta, ubi parum prospere pugnaverat, mortuus est. Post quem iterum adversus Cretenses missus est Q. Metellus consul, qui totam insulam igni ferroque vastavit. Gnossum, Lyctum, Eleuthram, Lappam & Cydoniam urbes cepit, sæve in captivos animadvertit, postremo victis Lasthene, & Panare Cydoniæ ducibus victor rediit, nec quidquam amplius de tam famosa victoria quam Cretici cognomen reportavit. Domitis igitur Crerensibus, liberæ in id tempus insulæ leges dedit. Nam anno sequenti decem legatis a senatu missis, Creta in provinciæ formam redacta est. Unde Velleius: *Creta Metelli ductu longissimæ libertatis fine mulctata est.* Et Rufus: *Creta post Metellum consulem provincia facta est.* Justinus quoque libro XL. *Creta & Cilicia bello piratico perdomitæ in provinciæ formam redactæ sunt.* Cretam postea cum Cyreneica unam provinciam fecit Augustus.

Provincia Pontus.

Ponti pars major per Pompeium Magnum, victo Mithridate rege Ponti, provinciæ formam accepit. Nam altera pars sub Nerone, Polemone Ponti rege mortuo, eandem fortunam est consequuta. Paphlagoniam Ponto finitimam provinciam Pylæmenes rex amicus populi Romani vi tenuit; sæpe a Mithridate pulsus ex regno, a Romanis est restitutus: quo mortuo postea Paphlagones provincia facta. Bello hoc Mithridatis ea Ciliciæ pars, quæ nondum imperio Rom. subjecta erat, item Asia quæ ad Pergamum est, Pontus, Bithynia, Phrygia, finitima Mysia, Lycaonia, Pamphylia, Galatia, Lydia, Caria, Jonia, Hellespontus, Lycia, Icaria, Pisidia, Armenia minor, atque ipsa Græcia partim recuperatæ, partim tunc primum in potestatem populi Romani redactæ, ut tradit Appianus. Quarum provinciarum dispositionem paulo post referam.

Provincia Syria.

Syria Pompeii Magni virtute ultimo bello Mithridatico victa leges accepit, provinciarumque populi Romani numerum auxit. Cn. enim Pompeius adversus Mithridatem Ponti regem, qui diuturno bello populum Romanum Sulla & Lucullo ducibus fatigaverat, quamquam ante a Lucullo fractum, missus ipsum sæpe vicit, & in ultimas & incognitas terras fugavit. Aliquot prœliis Tigranem Armeniorum regem, quod Mithridati auxilia contra Romanos præstitisset, victum in deditionem accepit, eique Cappadociam, Ciliciæ partem, Armeniam minorem, & Mesopotamiam, ac Syriam cum Phœnice & Sophene, quas, regum Syriæ stirpe deficiente, vi interceperat, usque ad Euphratem ademit, pecuniam ingentem imperavit, regnumque Armeniæ majoris ei tantum concessit. Albanorum, Colchorum, & Iberiæ reges prœlio victos, obsidibus acceptis, dimisit liberos. Novissime Mithridatem sæpe devictum veneno sibi mortem asciscere coegit. Qui deinde in Syriam transgressus, Aretam Arabum regem, qui Syros populatus erat, in deditionem accepit: in Palæstinam profectus Judæos debellavit, urbem Hierosolymam cepit, atque Hyrcano rege constituto, in Pontum reversus est: ubi urbibus in fidem acceptis, in Asiam trajecit, quum Orientem omnem usque ad Euphratem debellasset. Ex regionibus victis Pontum,

Bithyniam, & Phrygiam: Asiam cum Lydia, Caria, Ionia, Hellesponto, & Mysia: item Ciliciam; Syriam quoque ac Mesopotamiam, provincias populi Rom. quattuor, vel de novo fecit, vel restituit. Regibus amicis & fœderatis, ut Tigrani Armeniam majorem, Pharnaci Mithridatis filio Bosphorum, Ariobarzani Cappadociam, Antiocho Comageno Seleuciam, Deiotaro atque aliis tetrarchis cum Armenia minore Galatiam, & Lycaoniam, Pylæmeni Paphlagoniam, Aristarcho Colchidem, Palæstinam Hyrcano permisit: Rhodios, Pisidiam, & Lyciam suis legibus liberas reliquit. Deinde in urbem reversus, ex Asia, Ponto, Cilicia, Paphlagonia, Cappadocia, Syria, Scythis, Judæa, Albanis, Iberia, insula Creta, Basternis, Armenia, pirateis, & regibus Mithridate atque Tigrane nobilissimum triumphum per biduum III. & prid. Kal. Octob. egit, anno urbis DCXCIII. cujus triumphi titulus hic fuit: *Cn. Pompeius Magnus bello triginta annorum confecto, fusis, fugatis, occisis, in deditionem acceptis hominum vicies semel centenis, LXXXIII. ∞. depressis aut captis navibus DCCCLXVI. oppidis, castellis ∞ DXXXVIII. in fidem acceptis, terris a Mæoti lacu ad Rubrum mare subactis, votum merito Minervæ.*

Provincia Cyprus.

Insula Cyprus ultima stante rep. in provinciæ formam more majorum est redacta, misso in eam M. Catone quæstore, cum jure prætorio, lege P. Clodii tribuni plebis, Cn. Lentulo & L. Philippo cos. ut rege Ptolemæo pulso, insulam provinciam faceret, ac bona regis publicaret. Is in insulam quum navigasset, per Canidium quem præmiserat regi, qui sibi vim inferri non est passus, persuadit, ut sponte Cypro cederet: cujus morte percepta, quam rex veneno hausto ipse sibi Rhodi consciverat, in Cyprum profectus, insula constituta regiam supellectilem omnem, quæ preciosissima erat, Romam cum magna senatus ac magistratuum occurrentium voluptate ac plausu, per Tiberim devexit. Qua de caussa senatus ei præturam citra comitia decrevit, quem ille honorem repudiavit. Hanc rem ita memorat Rufus: *Cyprus famosa divitiis, paupertatem populi Rom. ut occuparet, sollicitavit. Eam rex fœderatus Ptolemæus regebat, sed tanta fuit penuria ærarii Romani, & tam ingens fama opum Cypriarum, ut lege lata per P. Clodium, tribunum plebis, Cyprus confiscari juberetur, quo accepto nuntio rex Cyprius venenum sumpsit, quo vitam potius quam divitias amitteret. Cato Cyprias opes navibus devexit, ita ut jus ejus insulæ avarius magis quam justius Romani sint assequuti.* Et Velleius: *Cyprus S. C. ministerio Catonis, regis morte facta provincia est.* Hæc postea simul cum Cilicia tanquam una provincia S. C. tradita est P. Lentulo proconsuli; quod hæc verba Ciceronis ad ipsum significant: *Te posse perspicere, qui Ciliciam Cyprumque teneas, quid efficere, quid consequi possis.* Postea quæstores in eam missi cum jure prætorio, quod ab eodem Cicerone didicimus, qui ad C. Sextilium Rufum sic scribit: *Tuæ laudi conducere arbitror, quum primus in eam insulam quæstor veneris, ea instruere quæ sequantur alii.*

Provincia Gallia Transalpina.

Bellum Gallicum Transalpinum, quod Cæsar per novem annos gessit L. Pisone, A. Gabinio cos. susceptum est, non Gallorum magis culpa quam Cæsaris, qui gloriæ cupidus omnem belli occasionem arripuit. Is enim in consulatu, quem anno ante gesserat, Crasso & Pompeio & L. Pisone cos. suffragantibus, Illyricum, ac Galliam citeriorem cum tribus legionibus a populo, ulteriorem cum legione una in quinquennium a senatu obtinuerat. Qui in provinciam profectus, efferis & fortissimis gentibus lacessitis, novem annis, quibus in imperio fuit, omnem Galliam quæ a saltu Pyrenæo Alpibusque, & in monte Gebenna, fluminibus Rheno, ac Rhodano continetur, patetque circuitu ad bis & tricies centum millia passuum, præter socias, ac benemeritas civitates in provinciæ formam redegit, eique in singulos annos stipendii nomen imposuit. Germanos qui trans Rhenum incolunt, primus Romanorum fabricato ponte aggressus, maximis affecit cladibus. Aggressus est Britannos, ignotos antea, superatisque pecunias, & obsides imperavit. Velleius: *Gallias primum Domitio, & Fabio nepote Paulli, qui Allobrogicus appellatus est, intratas cum exercitu, magna mox clade nostra sæpe & adfectavimus, & amisimus: sed fulgentissimum C. Cæsaris opus in his conspicitur, quippe ejus ductu auspiciisque infractæ pene, idem quod totus terrarum orbis ignavum conferunt stipendium.* Et Rufus: *Ceterum Cæsar cum X. legionibus Gallias per annos IX. subegit, cum Gallis ultra Rhenum positis conflixit, ab Alpibus Britanniam usque transivit, decimo anno Gallias, & Britannias tributarias fecit.*

Hæ itaque sunt regiones omnes, populi, regna, & gentes, quæ ab urbe condita usque ad annum ejusdem urbis DCCV. consulatumque L. Lentuli, & M. Marcelli, in quo Cæsar dictator primum creatus libertatem oppressit, in ditionem populi Romani venerunt. Quarum triplex conditio fuit. Etenim aut liberi populi suis legibus vivere permissi; aut regna amicis & fœderatis regibus concessa; aut provinciæ populi Romani fuerunt, in quas quotannis vel proconsules, vel proprætores mitterentur. Provinciarum enim quædam consulares, quædam prætoriæ erant, id est, quædam a proconsulibus, quædam a proprætoribus regebantur. Verum, ne quis erret, neutrum perpetuum fuit: non enim hæc aut illa provincia semper aut consularis, aut prætoria; sed ita nomen mutabat, ut varie modo a consularibus, modo a prætoriis administrabatur. Quam potestatem non populus sed senatus habebat, ut quos vellet, in quas vellet, mitteret administratione annua: quod lege Sempronia a C. Graccho tribuno plebis sancitum erat. Quam legem C. Cæsar non observavit, cui provinciæ per quinquennium decretæ sunt. Erat igitur eadem provincia ex voluntate senatus modo consularis, modo prætoria. Ut (exempli gratia) Macedonia, quam Cn. Dolabella, C. Curio, M. Lucullus, L. Torquatus, C. Antonius, omnes consulares administrarunt, tum C. Octavius prætorius Augusti naturalis pater, rursus consularis L. Piso, & Pisone revocato Q. Ancharius prætorius, idemque patet in ceteris. Novissimis autem reipublicæ temporibus, paulo ante Pharsalicam pugnam, qua libertas populi Romani concidit, provinciarum populi Romani administratio in quindecim diœceses divisa erat, septem consulares, & octo prætorias; quod ex Cœlii epistola ad Ciceronem eo tempore scripta apparet, ubi sic scribit: *Senatui placere in Ciliciam provinciam, inque octo reliquas prætorias mitti.* Regebantur porro octo provinciæ, quæ in eo S. C. prætoriæ vocantur, a magistratibus octo prætoriis, Cypro excepta, quam quæstor, ut supra ostendi, cum jure prætorio administrabat. Verum postea inter prætorias numerata fuit. Provinciæ autem populi Romani, quas quindecim fuisse ex ea Cœlii epistola liquet, tum consulares, tum prætoriæ, hæ erant.

Sardinia & Corsica provinciæ factæ inter primum & secundum bellum Punicum a T. Manlio Torquato, & C. Papirio Masone.

Sicilia, cujus partem provinciam fecit bello Punico primo C. Lutatius Catulus, totam vero bello Punico secundo M. Valerius Lævinus.

Gallia Cisalpina provincia facta a M. Claudio Marcello V. consule.

Gallia Transalpina a Q. Fabio Maximo Allobrogico.

Hispania citerior } Scipionis Africani victoria provinciæ factæ.
Hispania ulterior }

Illyricum, Dalmatia, Istri, & Liburni in provinciæ formam redacti victoria L. Anicii Galli.

Africa & Numidia provinciæ factæ a Scipione Africano minore, & C. Mario VII. cos.

Macedonia, Achaia, Thracia, Græcia, Ætolia, Thessalia, Bœotia, Acarnania, Epirus provinciæ factæ Q. Metelli Macedonici, L. Mummii Achaici, M. Terentii Luculli, & M. Fulvii Nobilioris victoriis; omnes enim hæ provinciæ lege P. Clodii ab eo, qui Macedoniæ præerat, regebantur.

Asia, Lydia, Ionia, Caria, Hellespontus, Mysia, & Phrygiæ pars, provinciæ factæ M. Perpernæ & M. Aquilii victoriis.

Pontus, & Bithynia, & Propontidis pars, a Cn. Pompeio Magno provinciæ factæ.

Cilicia, Pamphyliæ, Lycaoniæ, & Phrygiæ pars, victoriis P. Servilii Isaurici, & Cn. Pompeii Magni. Phrygiam in duas jurisdictiones dispertitam fuisse, ut una pars Ciliciæ, altera tribueretur Asiæ, itemque Pamphyliæ, & Lycaoniæ partem sub regibus, partem sub Ciliciæ pro cos. fuisse, Cicero & Dio auctores sunt.

Suria omnis usque ad Euphratem, & Mesopotamiæ pars in provinciam a Cn. Pompeio Magno redactæ.

Creta insula Q. Metelli Cretici victoria provincia facta.

Cyprus insula a M. Catone in provinciæ formam composita.

Quod autem esset annuum vectigal, quod populus Romanus ex his omnibus provinciis, tam ante, quam post bellum Mithridaticum capiebat, quantumque id Cn. Pompeius primum, deinde libertate sublata sequentes Romani imperatores auxerint, usque ad Trajani Augusti principatum, sub quo imperium Romanum, ad summum quod pervenire potuerit, auctum, sensim deinceps labare cœpit, haud multo post commodius ex instituto exponam.

Harum Provinciarum hæ consulares hoc tempore erant.

Hispania citerior, Hispania ulterior } a Cn. Pompeio pro cos. per legatos administratæ.
Gallia Cisalpina, Gallia Transalpina, Illyricum & Dalmatia } quas unus Cæsar pro cos. obtinebat.
Cilicia &c. a M. Cicerone pro cos., Suria &c. a M. Bibulo pro cos. } administratæ.

Hæ vero VIII. prætoriæ provinciæ erant.

Sicilia
Sardinia, & Corsica
Africa, & Numidia
Macedonia, Achaia, Græcia, &c.
Asia, Lydia, Caria, Ionia, Mysia, &c.
Pontus, & Bithynia
Creta insula
Cyprus insula.

Hoc tempore socii, vel fœderati reges erant.

Ptolemæus Ægypti
Juba Mauritaniæ
Pharnaces Bosphori, & Ponti
Ariobarzanes Cappadociæ
Tigranes Armeniæ majoris
Antiochus Comagenæ
Deiotarus, & tres alii Armeniæ minoris, Galatiæ, & Pamphyliæ
Pylæmenes Paphlagoniæ
Aristarchus Colchidis
Hircanus Judææ Palestinæ
} Ex Dione Cicerone, Rufo, & Strabone.

Liberi vero populi erant.

Rhodii. Tranquillus in Vespasiano.
Cyreneici in Africa. Livius, & Dio.
Pisidæ & Lycii } in Asia. Cicero in epistolis ad Atticum.

Hæc porro est Romanæ ditionis provinciarum ab

A Hispania ulteriore extrema ad occidentem provincia, usque ad Euphratem, qui terminus ad orientem imperii fuit, descriptio. Quod populi Romani extremo libertatis tempore imperium erat. In quas omnes provincias ibant, vel consulares cum duodecim fascibus, vel prætorii cum sex, totidem utrique quot in urbe habebant: interdum etiam prætorios cum jure consulari, & duodecim fascibus senatus in provincias mittebat, ut Q. Ciceronem in Asiam. De quo Tranquillus in Augusto: *Extant* (inquit) *Ciceronis epistolæ, quibus Quinctum fratrem parum secunda fama proconsulatum Asiæ administrantem hortatur & monet, imitetur in promerendis sociis vicinum suum*
B *Octavium*, ubi proconsulatum vocat hominis prætorii administrationem. Eadem ratione titulus est Q. Metello Celeri pro cos. in duabus epistolis; qui tamen consulatum non gesserat, sed ex prætura in Galliam Cisalpinam profectus erat. Item alibi: *Cum provinciam Asiam proconsulari imperio obtineres, &c.* de homine prætorio loquitur. Primis temporibus quum provinciæ tuendæ armis essent, & in discrimine versarentur, exibant in eas inito statim magistratu consules, & prætores; vel ut quæque cuique sorte obtigerat, vel etiam quandoque consulibus inter ipsos comparantibus: sic enim loquebantur,
C quum inter eos de duabus consularibus provinciis convenisset; nam inter prætores comparandi consuetudinem non fuisse opinor, quod si bellum produceretur, imperium in iisdem provinciis proconsulibus, aut proprætoribus a senatu prorogabatur in annum, & aliquando in biennium. Donec C. Gracchus tribunus plebis Tiberii frater legem tulit, ut consulares provinciæ quotannis per senatum decernerentur, & imperium consulare, non nisi annuum esset. Post constitutas vero quæstiones perpetuas, quod Cicero anno urbis DCV. factum fuisse tradit L. Marcio Censorino, M. Manilio cos. præturæ jurisdictionis forma paulo etiam mutata est. Nam
D quum sex prætores essent, duo tantum urbanus & peregrinus in urbe manebant, reliqui quattuor inito magistratu statim in provincias, quas singulis sors dederat, ibant, in quibus annum præturæ explerent; post constitutas vero quæstiones perpetuas omnes deinceps sex prætores toto magistratus sui tempore in urbe retenti. Ex his duo more veteri jus dicebant urbanus, & peregrinus, reliqui quattuor publica judicia exercebant, de quibus non videbatur extra ordinem quærendum esse, ut repetundarum, ambitus, majestatis, & peculatus. Postremo L. Sulla dictator aucto perpetuarum quæstionum
E numero, ut de falso, de perjurio, & de injuriis, & quattuor tantum prætores publicis judiciis præessent, duos alios prætores adjecit, ut ex Cicerone intelligitur, atque ita cœperunt octo prætores Romæ esse, quorum duo urbanus & peregrinus privatis potissimum judiciis, reliqui publicis quæstionibus præerant; annua præturæ in urbe administratione finita, tum pro prætoribus in provincias, quas senatus prætorias esse decreverat, exibant. Quorum administratio Cornelia lege tantum annua erat. L. enim Sulla dictator lege cavit, ne quis plus anno provinciæ præesset, qui viderat, opinor, in rep. diuturnis imperiis assuescere tutum non esse. Itaque Galliarum
F decennis illa Cæsaris administratio libertatis exitium fuit. Hujus legis meminit Cicero in epistola ad Appium. Post Sullam Cæsar dictator legem tulit, ne prætoriæ provinciæ plusquam annum, nec plusquam biennium consulares obtinerentur; tulit autem hanc legem victo Pompeio, quum ipse jam per decem annos Galliam contra C. Gracchi, & L. Sullæ leges obtinuisset, consequutus id quod nemo ante, & S.C. & lege. Leges vero, quæ rectoribus provinciarum imperium dabant, duæ fuerunt. Curiata dabat imperium populus, ut Livius indicat libro nono, Cornelia senatus. Nam quum S. C. factum esset, ut provin-

cias magistratus sortirentur, aut compararent inter se, tum si ii vel sine lege curiata in provincias proficiscerentur, imperium habere dicebantur, donec in urbem revertissent; quod in epistola Ciceronis ad Lentulum intelligi potest. Quod autem in agraria II. scriptum est, rem militarem sine curiata lege attingere non licere, id intelligi debet de iis magistratibus, qui sumptu publico ibant in provincias, quibus publica pecunia opus esset alendis militibus, belloque gerendo; his enim imperium dabatur lege curiata, quo rem militarem attingere possent: verum quum bellum gerendum non esset, neque milites in provinciam jam pacatam educendi, id solo S. C. fieri, & sine lege curiata in provinciam ire poterant. Hic autem status reip. & administrandarum provinciarum ratio libertatis tempore, ante remp. a Cæsare occupatam fuit. Nam ab Augusto Cæsare post bella civilia confecta, reip. longe diversa forma, ut mox referam, constituta est.

CAP. XV.

Provinciæ a Cæsare dictatore factæ.

BELLO civili ad Pharsalum gesto, in quo cæsa optimatum factione, Cæsar qui victoriam obtinuerat, rerum potitus est, ipse postea fugientem Pompeium Alexandriam est persequutus. Quem ut occisum deprehendit, cum Ptolemæo Ægypti rege, a quo sibi quoque insidias tendi videbat, bellum difficillimum gessit. Regnum Ægypti victor Cleopatræ fratrique ejus minori permisit, veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem præsidem nacta, novarum rerum materia esset. Ab Alexandria in Syriam, & inde in Pontum transiit, urgentibus de Pharnace nuntiis. Hic enim Mithridatis magni filius, quum a Pompeio bello Mithridatico Bospori Cimmerii rex constitutus esset, captato tempore quo Romani inter se armis contendebant, patrii recuperandi regni cupidus, Colchida & Armeniam, Cappadociæ, & Ponti partem occupavit, Cn. Domitium Calvinum a Cæsare ad ejus opprimendos conatus missum, profligavit; qua victoria ferox expugnata Amiso reliquam Ponti partem invasit. Hunc Cæsar intra quintum quam adfuerat diem, quattuor quibus in conspectum venit horis, ad Zeliam una profligavit acie; qui cum in Bosporum profugeret, ab Asandro Bosporani tumultus auctore occisus est: quo factum est, ut merito Cæsar gloriatus sit, se ita cum Pharnace pugnasse, ut eadem hora venerit, viderit, & vicerit. Atque hac victoria Bosporus, Ponti & Bithyniæ provinciis adjunctus est.

Mauritania Provincia.

Mauritanias duas Sitifensem & Cæsariensem Bocchus rex & populi Romani amicus, quo auctore Jugurtha Numidarum rex in potestatem Romanam venerat, diu obtinuit. Boccho successit Juba, qui bello civili quum se Pompeianis partibus addixisset, prælio a Cæsare in Africa victus, se ipse interfecit. Itaque subacta omni Africa, Mauritaniæ quoque a Cæsare provinciæ factæ sunt. Jubæ filius Juba alter admodum puer Romam a Cæsare in triumphum est ductus. Is fuit qui postea scripsit historiam, quam sæpe Plinius citat, singulari ingenio & doctrina præditus, & Augusti liberalitate demum ad regnum paternum remissus. Is successorem Ptolemæum ex Antonii & Cleopatræ filia natum habuit, quo a Caligula interfecto, Mauritania in duas est provincias redacta, ut infra aperiam.

Provinciæ Pannonia, Mœsia & cet.

L. Sempronio & L. Scribonio cos. anno urbis DCCXX. victo in Sicilia Sex. Pompeio, Lepido III. viA rali potestate exuto, quum M. Antonius in Ægypto cum Cleopatra luxuriaretur, Cæsar Octavianus, qui occidentem tenebat, bellum in Illyrico, quod Dalmaticum a Tranquillo, Illyricum in Fastis municipalibus Petri Appiani appellatur, adhuc adulescens gerere cœpit, quod multis annis cum Noricis, Pannoniis, Rhætis, Illyriis, Dalmatis, Japygibus, Liburnis, Tauriscis, Mœsis, Thracibus, Vindelicis, Getis, Bastarnis, Germanis, & ceteris, quæ ad Danubium & Rhenum erant gentibus, partim suo, partim Agrippæ, Vibii, Asinii Pollionis, M. Crassi, L. Pisonis, L. Lentuli, Neronis, Drusi, & Ti. Cæsaris ductu gessit. Harum gentium pleræque bel- B lorum civilium tempore in Romanas provincias incursiones fecerant. Quo bello domuit partim ductu, partim auspiciis suis Pannoniam, Dalmatiam, cum Illyrico omni, item Rhætias, & Vindelicos, Mœsos, ac Thracas. Coercuit Dacorum & Sarmatarum incursiones, tribus eorum ducibus cum magnis copiis cæsis, Germanos citra Albim fluvium submovit, ex quibus Ubios & Sicambros dedentes se transduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocavit. Alias item nationes male quietas ad obsequium redegit, nec ulli genti sine justis & necessariis caussis bellum intulit: Ita Tranquillus. Florus C libro CXXXII. *C. Cæsar in Illyrico Dalmatas domuit.* Rufus vero: *Alpes Rhætiæ, Noricum, Pannoniæ, Mœsiæ, & omnis ora Danubii, Pontus omnis, Armenia minor ab Augusto in provinciam redactæ sunt.* Item alibi: *Dardanos & Mœsos Curio pro cos. subegit, & primus Romanorum ducum ad Danubium usque pervenit: sub Julio & Octaviano Cæsaribus per Alpes Julias iter factum est. Alpinis omnibus victis, Noricorum provinciæ accesserunt. Bathone Pannoniorum rege subacto, in ditionem Romanorum Pannoniæ venerunt. Amantinis inter Savum & Dravum prostratis, regio Savensis, ac secundorum loca Pannoniorum obtenta sunt. Marcomani & Quadi de locis* D *Valeriæ, quæ sunt inter Danubium & Dravum, pulsi sunt, & limes inter barbaros & Romanos ab Augusto per Vindelicium, Noricum, Pannoniam & Mœsiam est constitutus.*

Provincia Ægyptus.

Antonio & Cleopatra Ægyptiorum regina ad Actium prœlio victis & interemptis, Ægyptum, quam ad id tempus socii & fœderati reges tenuerant, Cæsar Augustus in provinciæ formam redegit, *quam ut feraciorem habilioremque annonæ urbicæ redderet,* Svetonio auctore, *fossas omnes in quas Nilus exæstuat oblimatas longa vetustate, militari opera deter-* E *sit.* & Velleius: *Augustus præter Hispanias aliasque gentes, quarum titulis forum ejus prænitet, pene idem, Ægypto stipendiaria facta, quantum pater ejus ex Gallia in ærarium reditus contulit.* Et Rufus: *Ægyptus omnis sub amicis regibus fuerat, sed victa cum Antonio Cleopatra provinciæ formam Cæsaris Augusti temporibus accepit, & primus apud Alexandrinos Cornelius Gallus administravit. Eam Cæsar equitibus Romanis non senatoribus regendam tradidit, cujus præses præfectus, & Juridicus Ægypti appellabatur.*

Provinciæ Hispaniæ, & Alpes.

Post bellum Actiacum Antonio devicto, Cæsar Augustus Cantabricum bellum gessit, in quo partim F ductu, partim auspiciis suis Cantabriam, Asturiam, Aquitaniam, Salassos gentem Alpinam, Alpes maritimas a Liguribus Comatis cultas, multis ferisque nationibus frequentes domuit, & provincias Romanas fecit; unde Rufus: *In Hispania ad extremum a Cæsare Augusto Cantabri & Astures, qui freti montibus imperii immunes adhuc resistebant, deleti sunt. Quo tempore quum ille conventum Narbonæ ageret, census a tribus Galliis, Aquitania, Lugdunensi, & Belgica, quas pater Cæsar dictator subegerat, actus.* Velleius: *Post bella civilia Dalmatia rebellis ad certam confessionem pacata est imperii, Alpes*

multis ferisque nationibus celebres perdomitæ, Hispaniæ nunc ipsius præsentia, nunc Agrippæ multo varioque Marte pacatæ.

Africa domita.

Hæc in Europa a Cæsare gesta. *In Africa autem tumultuatum magis quam bellatum. Cæsar enim Musulamios, atque Getulas accolas Syrtium, Cosso duce compescuit, unde illi Getulici cognomen. Marmaridas atque Garamantas Furnio subigendos dedit:* Ita Florus. Bellatum autem diu hoc tempore in Africa fuisse, indicant T. Statilii Tauri, L. Autronii, L. Sempronii Atratini, L. Cornelii Balbi ex Africa triumphi in tabulis Capitolinis exarati.

Provinciæ in Oriente factæ.

Tanta virtutis & moderationis Augusti Cæsaris fama fuit, ut is Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos pellexerit ad amicitiam suam, populique Romani ultro per legatos petendam. Parthi quoque & Armeniam vendicanti facile cesserunt, & signa militaria, quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt, obsidesque insuper obtulerunt, denique pluribus quondam de regno concertantibus non nisi ab ipso electum comprobaverunt. Velleius: *Divus Augustus præter Hispanias, aliasque gentes, quarum titulis forum ejus prænitet, pœne idem, facta Ægypto stipendiaria, quantum pater ejus ex Gallia in ærarium reditus contulit. At Cæsar, quam certam Hispanis parendi confessionem extorserat, tam parem Illyriis, Dalmatisque extorsit: Rhetiam autem, ac Vindelicos, & Noricos, Pannoniamque, & Scordiscos novas imperio Romano subjunxit provincias, & ut has armis, ita auctoritate Cappadociam fecit stipendiariam, &c.* Idem Augustus Pylæmene rege Paphlagoniam, item Aminta rege mortuis Galatiam, & Lycaoniam, Pamphiliamque ditionis regiæ ad id tempus, item Pisidas quoque & Lycios liberas gentes in provinciæ formam redegit, ut auctor est Dio. Cyrenem, quæ antea libera fuerat, cum Creta provincia conjunxit. His tot tantisque rebus gestis, imperio constituto, pace terra marique parta, Janum geminum bis ante clausum ipse tertius clausit. Rebus itaque sic compositis, omnibusque provinciis in certam formam redactis, Augustus cognominatus est, & mensis Sextilis in honorem ejus Augustus etiam est appellatus.

Provinciæ ab Augusto additæ.

Astures, & Cantabri in Hispania provinciæ Hispaniæ additi.
Aquitania Galliis provincia addita.
Pannonia, Noricum, Vindelicia, Rhetia provincia una.
Mœsia, Thracia, & Dardani provincia una.
Pamphilia, Lycaonia, Galatia, Pisidia, Lycia provincia una.
Armenia minor usque ad Euphratem Suriæ addita.
Ægyptus, & Arabiæ pars provincia una.
Cyreneica Cretæ provinciæ addita.
Paphlagonia Bithyniæ addita.
Illyrici, & Dalmatiæ pars Danubium versus una provincia facta.
Getuli, & Garamantes Africæ additi.
Salassi, Alpes Maritimæ, & gentes Alpinæ provincia una.

Hæ autem sunt gentes, quæ ab Augusto victæ, vel regibus mortuis, populi Romani provinciæ factæ fuerunt, quibus ceteris, quæ reip. tempore factæ fuerant, additis, in duas partes eas omnes divisit, ut aliæ essent senatus populique Romani, aliæ Cæsaris: quod cur fecerit, & quæ senatus, vel Cæsaris provinciæ fuerint, nunc exponam.

Provinciæ S. P. Q. R. & Imp. Cæsaris Aug.

Anno urbis conditæ DCCXXVII. imp. Cæsare Augusto VII. & M. Agrippa III. Cos. quum Cæsar Augustus ex S. P. Q. R. voluntate imperium singulare, quod minus ante legitimum videbatur, sibi uni stabilisset, ut ipse popularis videretur, tyrannidisque suspicionem a se amoveret, nequaquam totius imperii curam sibi uni depoposcit, sed provinciarum omnium populi Romani, quas supra retuli, administrationem una cum senatu & populo communicavit. Quæ enim pacatæ erant & imbelles, atque a terminis Romani imperii longe aberant, militumque præsidiis non indigebant, populo tradidit. Eas vero provincias, quæ militaribus copiis instructæ essent, ut exercitus omnes in potestate sua haberet, sibi retinuit administrandas, tanquam eas quoque pacaturus, pacatasque populo redditurus. Provinciæ autem, quas senatui populoque Romano tradidit administrandas, hæ fuerunt, sic nova divisione, & administratione in XII. diœceses ab ipso distinctæ.

Africa, Numidia, & Lybia proconsularis.
Asia cis Halim & montem Taurum, in qua Lydia, Jonia, Caria, Mysia, Phrygia, & Hellespontus proconsularis.
Hispania Bætica prætoria.
Gallia Narbonensis prætoria.
Sicilia prætoria.
Sardinia & Corsica prætoria.
Illyricum, & Epiri pars prætoria.
Macedonia, & Græciæ pars prætoria.
Achaia, Thessalia, Bœotia, Acarnania, Epeirique pars prætoria.
Creta, Cyreneica, & Lybiæ pars prætoria.
Cyprus prætoria.
Bithynia, Paphlagonia, Propontidis, & Ponti pars prætoria.

Hæ porro fuerunt XII. provinciæ, in quas S. P. Q. R. more veteri suos rectores mittebat, quorum qui Africæ & Asiæ præerant, hi semper proconsules appellati sunt, quamquam consulatum non gessissent; qui reliquis decem, prætores. Cæsar vero suas provincias ita divisit, ut in quasdam mitteret legatos pro prætoribus, hi proconsulum locum obtinebant, atque legionibus præerant, in quasdam vero procuratores, qui pro prætoria dignitate eas provincias, in quibus tantum momenti non erat, administrarent. Ceterum omnes uno communi vocabulo rectores appellabantur. Cæsaris autem provinciæ in XIV. diœceses distinctæ fuerunt hæ.

Hispania Lusitania.
Hispania Tarraconensis.
Gallia Aquitania.
Gallia Lugdunensis, alias Celtica.
Gallia Belgica, & Germania.
Pannonia, Noricum, Vindelicia, & Rhetia.
Mœsia, in qua Dardani, Thraces, & Daci.
Dalmatia, & Illyrici pars.
Alpes Maritimæ.
Cilicia, Isauria, & Lycaonia.
Galatia, Pamphylia, & Pisidia, Lycios enim liberos reliquit.
Suria, Armenia minor, Mesopotamia, & oriens omnis usque ad Euphratem.
Ægyptus, & Arabiæ pars.
Italia omnis a freto Siculo ad Alpes.

Reges omnes socii & fœderati, in his erant præcipui.

Juba Mauritaniæ.
...... Iberiæ.
...... Albanorum. Reges.
Rhæmetalces Thracum.
Herodes Palestinæ.
Aretas Arabum.

Antiochus Comagenæ.
Archelaus Cappadociæ.
Philopator Cilicum, & alii multi.

Has omnes provincias validiſſimis legionibus, quarum ſeriem mox enumerabo, munivit, atque in eas legatos ſuos, procuratoreſque mittebat. Ut autem omnem de ſe monarchiæ ſuſpicionem eximeret, poteſtatem reip. conſtituendæ, & harum provinciarum ordinandarum in decennium tantum aſſumpſit: hoc enim temporis ſpatio ſe remp. conſtituturum affirmavit, addens, ſi citius res compoſuiſſet, citius etiam imperium redditurum. Decennio tranſacto, quum adhuc res compoſitæ non eſſent, tum in quinquennium, ac deinde in alterum quinquennium, poſt in decennium, poſt etiam in tertium decennium, & petiit & impetravit. Ita ut ſucceſſione quinquenniorum & decenniorum perpetuo imperium adminiſtraverit.

CAP. XVI.

De legionibus populi Romani.

QUAMDIU libera urbs Roma egit, atque a Senatu P. Q. R. belli duces eligebantur, fuere in armis ſemper Italiæ populi, quibus, Græcis & barbaris ſubactis, terræ ſibi mariſque imperium pepererunt. Neque enim ulla orbis terrarum pars, aut cœli tractus fuit, quo non vires ſuas Romanorum arma protulerint. Poſtea vero quam Cæſar Auguſtus bellis civilibus confectis, rerum potitus eſt, & laborem Italicis omnibus ademit, & arma detraxit. Militum vero legiones multas legit, eaſque certis auctoramentis habuit mercenarias, quæ Romanum a barbaris tuerentur imperium: tum fluviorum magnitudine atque foſſarum, montibuſque aſperrimis, deſertiſque locis atque imperviis circumſeptos imperii limites communivit. Ex his præcipuum robur Rhenum juxta commune in Germanos, Galloſque ſubſidium octo legiones erant, in duos exercitus ſuperiorem inferioremque diſtinctæ. Hiſpaniæ recens perdomitæ tribus habebantur, Africa per unam legionem, Ægyptus per duas tenebantur. Dehinc initio a Suria, uſque ad flumen Euphratem, quantum ingenti terrarum ſinu ambitur, quattuor legionibus coercitum. Thraciam, ripamque Danubii legiones ſeptem, tres in Panonia, duæ in Mœſia, totidemque in Dalmatia locatæ tuebantur: quæ poſitu regionis a tergo illis, ac ſi repentinum auxilium Italia poſceret, haud procul accirentur, quamquam inſideret urbem proprius miles; tres urbanæ, tres vigilum, novem prætoriæ cohortes, Etruria ferme, Umbriaque delectæ, aut vetere Latio, & colonis antiquitus Romanis. Italiam utroque mari duæ claſſes Miſenum apud & Ravennam, proximumque Galliæ littus roſtratæ naves præſidebant, quas Actiaca victoria captas Auguſtus in oppidum Forojulienſe miſerat valido cum remige. At apud idonea provinciarum ſociæ triremes, alæque & auxilia cohortum, ita Tacitus libro quarto. Quibus verbis, quæ fuerit imperii Romani forma ab Auguſto conſtituta intelligi poteſt. Porro autem quum Romanas legiones, quæ imperio tuendo ab Auguſto, & ceteris imperatoribus inſtitutæ ſunt, earundemque ſtationes enumerare decreverim, non alienum ab hac tractatione erit, pauca quædam de legione, ejus partibus, inſtitutione, & varietate diſputare. Legio igitur erat certorum militum manus, in quas populi Romani exercitus dividi ſolebant, Varrone libro quarto de lingua Latina auctore, a delectu militum dicta, quod legerentur milites in delectu, id eſt, milites legionis viritim eligi ſolerent. Nonius Marcellus: *Legionum*, inquit, *proprietatem a delectis militum*, *Varro de vita populi Romani libro tertio dictam interpretatur*. A *Tum appellatus eſt delectus*, *& ab electione legio*. Hanc primus omnium trium millium militum fecit Romulus, quod ſingulæ tribus Tatienſium, Ramnium, & Lucerum millia ſingula militum mittebant. Qui omnibus præerat, rex; qui ſingulis millibus, militum tribuni. Varro enim: *Tribuni* (inquit) *militum dicti, quod terni ex tribus tribubus olim ad exercitum mittebantur*. Legioni addita eſt trecentorum equitum turma, quæ olim terma dicebatur, verum E in V abiit, quod ter centum equites ex tribus tribubus fiebant: Turmæ decuriones præerant, ut legioni tribuni. Hæc etiam ala dicebatur, quod equites alarum vice pedites tegerent: nam in equitum ordinibus circum B legiones, dextra, ſiniſtraque tanquam alæ in avium corporibus locabantur, dicebatur is, qui alæ præerat, præfectus. Romuli igitur prima legio non niſi trecentorum equitum, & trium millium peditum fuit. Adjicit Plutarchus, ipſum poſt Sabinos in civitatem acceptos legionem duplicaſſe, atque eam ſex mille peditum, & ſexcentorum equitum feciſſe. In qua re ipſum lapſum fuiſſe opinor; longo enim tempore poſt Romulum, C. Marius primus omnium legionem fecit ſex millium peditum: ante enim non niſi quattuor, vel quinque millium fieri ſolere tradit Polybius. Romulum crediderim ego legionem ad quat- C tuor millium hominum numerum auxiſſe, unde & quadrata dicta eſt, cujus uſus fere ſemper uſque ad C. Marium Romæ fuit, auctore Sex. Pompeio. Ceterum quum Romulus ipſe, deinde ceteri reges, poſtremo conſules legionum numerum auxiſſent, poſterioribus tamen temporibus non plures quam quattuor legiones fieri ſolebant, quarum binas ſinguli conſules, ad bellum profecturi ſortiebantur. Hæ ſingulæ modo quatternum millium, & ducentorum peditum, modo quinque millium, ſi quando majus aliquod videbatur periculum imminere, trecentique equites in ſingulas legiones deſcribebantur. Unde Livius libro triceſimo ſeptimo: *Romana acies unius* D *prope formæ fuit, & hominum, & armorum genere. Duæ legiones Romanæ, duæ ſocium, & Latini nominis erant, quina millia, & quadragenos ſingula habebant, &c.* Merere autem in legione nemo poterat, qui civis Romanus non eſſet, atque in unam quinque claſſium a cenſoribus relatus: nam ſocii nominis Latini extra legionem militabant, quorum ſubſidia auxilia vocabantur, capite cenſi vero, & reliqui tenuioris fortunæ homines, militia immunes erant. Singulis legionibus ſex tribuni militum præerant populi ſuffragiis creati. Quod quando acciderit, nunc aperiam. Quum enim ab initio exercitus populi Romani non niſi tria millia peditum habe- E ret, tres tantum tribuni militum ſufficiebant; poſt auctis Romani imperii opibus, tribuni ſex primum, & poſtea plures quam ſex, & diverſi generis eſſe cœperunt. Nam (ut tradit Pedianus actione II. in Verrem:) *Tribunorum militum duo erant genera, primum eorum, qui Rufuli dicebantur, hi in exercitu creari ſolebant; & comitiatorum, qui Romæ comitiis deſignabantur*. De utriſque Livius libro ſeptimo ſic ſcribit: *Et quum eo anno primum placuiſſet tribunos militum ad legiones ſuffragio fieri, (nam & antea, ſicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores ipſi faciebant) T. Manlius, qui poſtea Torquatus appellatus eſt, ſecundum in ſex locis tenuit*. Ex quibus ver- F bis apparet Q. Servilio II. & L. Genucio II. Coſ. anno urbis CCCXCII. tribunos militum, qui ad ſex aucti fuerant, populi ſuffragiis creari ad legiones cœptos. Deinde plura tribunorum militum genera fuiſſe, & eos non omnes populi ſuffragiis creatos, & hi qui creabantur, eo primum anno fieri cœptos. Poſt tribunorum militum numerus auctus, XVI que facti, C. Junio Bubulco III. Q. Æmilio Barbula II. Coſ. Quam rem Livius libro nono ita tradit: *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia; unum, ut tribuni mili-*

A *tum* XVI. *in quattuor legiones a populo crearentur, quæ antea, perquam paucis ſuffragio populi relictis locis, dictatorum & conſulum ferme fuerant beneficia; tulere eam rogationem tribuni L. Atilius & C. Marcius: alterum, ut duumviros navales idem populus juberet*. Tribuni autem militum populi ſuffragiis creati ſinguli mille viris præerant, quum tum exercitus Romanus ex quattuor tantum legionibus, legio vero non niſi quattuor millium peditum eſſet. Poſt quum legiones ipſæ ad quinque millia, & amplius militum augeri cœpiſſent, viginti quattuor tribuni a populo creari cœpti, ſexque per ſingulas legiones diſtributi. Ex quibus quattuordecim annua
B ſtipendia ad minus quinque; reliqui decem ſaltem decem feciſſent. Hic tribunorum militum numerus uſque ad C. Marii tempus permanſit. Legiones porro ipſæ (ut dixi) non niſi ex civibus Romanis legebantur, qui ætate militari eſſent: ea erat a XVII. ad XLVII. annum. Hi XX. annua ſtipendia merere ſolebant, equites vero decem. Omnibus autem, qui ad honores evehi volebant, militare ante opus erat. Urbanum namque magiſtratum nemini capere fas erat, priuſquam decem annua ſtipendia perfeciſſet. Militum porro legionariorum quattuor genera erant. Juniores enim vel tenuioris fortunæ homines, pilanos; his adultiores haſtatos; ætate vero ac robore præſtan-
C tes, principes; natu maximos triarios vocabant. De quibus Varro libro IV. ſic ſcribit: *Haſtati dicti, qui primi haſtis pugnabant; pilani, qui pilis; principes, qui a principio gladiis; triarii, quod in acie tertio ordine extremis ſubſidio deponebantur*. In unaquaque autem legione triarii DC. principes ∞ CC. totidem haſtati, reliqui pilani veliteſve erant numero mille. Quod ſi majore numero conſtaret legio, proportione diviſionem faciebant, triariis exceptis, quorum idem ſemper erat numerus. Horum, ut varii ordinis erant, ita etiam varia armorum genera. In ipſis porro legionibus ſingula militum genera velitibus exceptis in tot centurias diviſa erant, ſingulis vero centuriis
D primarii centuriones præerant. Hæ in triariis appellabantur primum pilum, ſecundum pilum, tertium pilum, & ſic deinceps. In principibus primus princeps, ſecundus princeps, &c. in haſtatis primus haſtatus, ſecundus haſtatus, ut in aliis. Duces vero centuriarum appellabantur primi pili centurio, primi principis centurio, & primi haſtati centurio. Velites vero in has centurias pro rata parte diſtribuebantur. Hæ centuriæ erant plus, vel minus, quantus erat legionis numerus. Hinc in antiquis lapidibus ſæpe centurionum primi pili mentio eſt.
E Item Cicero ad Brutum: *Naſennius* (inquit) *octavum principem*, (id eſt, octavam centuriam principum) *duxit*, *Metello Imperatore*. Signa legionum erant, auctore Plinio, aquilæ, lupi, minotauri, equi, aprique, quorum ſimulachra longis haſtis a ſigniferis portata ſingulos ordines anteibant. Paucis ante C. Marium annis ſola aquila in aciem portari cœpta erat, reliqua in caſtris relinquebantur: C. Marius ſecundo conſulatu ſuo, reliquis ſignis in totum abdicatis, aquilam legionibus proprie dicavit. Idem Marius (ut tradit Sex. Pompeius) ſex millium & ducentorum hominum primus conſcripſit legionem, quum ante quattuor millium fuiſſet, unde etiam
F appellabatur quadrata. Quo tempore tunc primum novam legionum diviſionem, quæ poſtea in uſu fuit, factam fuiſſe exiſtimo, quam tradit Vegetius. Legio enim in decem cohortes diviſa eſt: cohors autem erat proprie peditum manus, ut turma equitum, a cohortando dicta, quod tribunus eam, ut ſequatur, cohortari ſoleret, ſeu quod ipſa ſe mutuo frequenter ad pugnam hortaretur. Varro libro quarto de lingua Latina: *Cohors dicta, quod ut in villa ex pluribus tectis conjungitur, ac quiddam fit unum, ſic hæc ex manipulis copulatur cohors, quæ in villa dicta, quod circa ea loca pecus coerceretur*. Legio vero in decem cohortes diviſa eſt a C. Mario primum, ut opinor; neque enim ante Marii tempora ulla cohortium in legione, neque apud Polybium, neque apud alios mentio eſt. Harum prima reliquas & numero militum & dignitate antecedebat. Viros requirebat genere, litteris, animi magnitudine præſtantes; huic tribunus præerat robore, moribus, & rei militaris ſcientia præditus. Nam & reliquæ cohortes, prout imperatori placebat, a tribunis, ſive præfectis regebantur. Prima cohors mille centum quinque peditibus, & equitibus loricatis centum quadraginta duobus conſtabat, ideoque cohors milliaria appellabatur. A prima cohorte auſpicari aciem mos erat. Hæc aquilam præcipuum legionis ſignum, imperatorumque imagines cuſtodiebat. Secunda cohors DLV. pedites, equites vero LXVI. Tertia pedites, & equites totidem. Quarta cohors eundem peditum, & equitum numerum habebat, ſed in tertia cohorte validiores milites conſtituebantur, quia in media acie conſiſtebat. Quinta eodem numero ſtrenuos milites deſiderabat, quia ſicut prima in dextro, ita quinta in ſiniſtro cornu conſtituebatur. Quippe cohortes quinque primam aciem inſtruebant. Reliquæ quinque cohortes eundem militum numerum habebant, quem ſecunda; ſed robuſtiores etiam in ſexta collocabantur, quia in ſecunda acie poſt aquilam locum ſortiebatur. Octava in ſecunda acie medium locum tenebat, decima in ſiniſtro cornu conſiſtebat: ſic legio decem cohortibus firmabatur, habebatque peditum ſex millia ducentos, & equitum ſeptingentos triginta. Ut autem legio in decem cohortes, ſic cohors in quinquaginta manipulos, & manipulus rurſum in vigintiquinque milites dividebatur. Hunc autem fuiſſe ordinem earum legionum, quæ ad tutelam Romani imperii ab Auguſto inſtitutæ ſunt, ex Tacito aperte intelligitur. Quo tempore is, qui pluribus legionibus præerat, legatus conſularis ſæpiſſime a Tacito, in antiquis vero epigrammatibus legatus proprætore ejus provinciæ, in qua legiones erant, exempli cauſſa, Mœſiæ, Dalmatiæ, vel Germaniæ, appellatur. Qui ſingulis legionibus præerant, legati legionis; qui cohorti tribunus, vel præfectus; qui centum militibus centurio; qui ducentis ducenarius, qui manipulis manipularius vocabantur. Univerſi exercitus ſignum, vel vexillum ante Hadriani tempora imago Cæſaris, vel Auguſti dicebatur, poſtea vero Labarum vocitari cœptum eſt, legionis aquila, cohortium ſigna ſpeciali quodam ſignificato, manipulorum vexillum. Is, qui locandis caſtris curam habebat, præfectus caſtrorum vocabatur, hi vero, qui cædendorum lignorum ad palos faciendos & ferramentorum curam habebant, præfecti dendrophororum, & fabrum talis legionis dicebantur. Erant in unaquaque legione præter hos, tubicines, evocatores, medici, & alii ejuſmodi miniſtri, quorum vocabulorum frequentiſſima mentio eſt in antiquis epigrammatibus, & in omni Taciti hiſtoria. Inſtituendi, exauctorandi, locandi, mutandique legiones, arbitrium, ſummumque jus penes Romanum principem tantum erat. Is eas ex una provincia in aliam, prout neceſſitas exigebat, migrare jubebat, exauctorabat, ex duobus unam conjungebat, earumdem rectores ipſe unus conſtituebat. Hæ legiones & nomina, & plura cognomina a variis eventibus indita habuerunt. Ab ordine, quo unaquæque earum in aliquo loco primo conſtituta fuerat, nomina ſumebant, ut prima, ſecunda, tertia, decima, & viceſima; ſic milites primani, ſecundani, terriani, decimani, & viceſimani appellabantur. Et quoniam plerunque uſu venit, ut duæ vel tres variis in locis conſtitutæ omnes primæ, vel ſecundæ, vel tertiæ appellatæ fuerint, (una quidem prima in Germania, ex octo, quas ſupra dixi, altera vero prima ex ſeptem in Pannonia, alia autem prima ex quattuor in Suria erat) cognomini-

A bus inter sese distingui cœperunt, ut una quidem esset prima Adjutrix, alia prima Minervia, alia vero prima Parthica: nam hæc cognomina ad imperatorum arbitrium plerunque sumere solebant; vel ab eorumdem nominibus, qui eas instituerunt, ut Augusta, Claudiana, Galbiana, Flavia, Ulpia, Traiana, Antoniniana; vel a provinciis devictis, ut Parthica, Scythica, Gallica, Arabica, Macedonica, Hispaniensis; vel a locis, in quibus primo institutæ manserunt, ut Italica, Fretensis, Cyreneica; aut a nominibus Deorum, quibus imperatores earundem auctores addicti erant, ut Minervia, Apollinaris, Veneria; aut postremo ab aliis eventibus, ut Gemina, Adjutrix, Marcia, Victrix, Ferrata, Fulminatrix, Alauda, Rapax, Primigenia, & alia ejusmodi. B Illud vero animadversione dignum, propter crebras & frequentes legionum mutationes sæpe earundem nomina confusa videri, atque in eodem imperii limite aliquando duas, vel tres legiones esse, quæ primæ, aut secundæ vocentur. Nam quum primum institutæ fuerunt, non nisi una prima, vel secunda, vel tertia, eodem in loco erat; ut vero eodem in loco plures primæ, vel secundæ legiones essent, frequens earundem migratio caussa fuit. Primus autem omnium (ut dixi) Augustus Cæsar, C pace populo Romano terra marique parta, imperii limites versus barbaras nationes statuit flumina, aut montes, quæ validissimis legionibus, quibus incursiones barbarorum in Romanas provincias prohiberet, munivit. Horum præcipui amnes Rhenus, Danubius, & prærupti asperrimique montes a Septentrione, Euphrates ab oriente, Arabum & Africæ solitudines ab occidente, & meridie fuerunt. Quæ autem, aut quot legiones, & quibus limitibus, ab Augusto primum factæ, deinde aucto imperio a ceteris Romanis principibus additæ fuerint, atque quibus nominibus cognominibusque ornatæ essent, ex Tacito potissimum, & Dione, multisque antiquis D epigrammatibus exceptas exponam. Ab Augusto autem, qui primus ejusmodi legiones instituit, initium sumam.

Legiones XXV. a Cæsare Augusto per Romanum orbem constitutæ.

In Hispania legiones III.
Legio III. Gallica.
Legio VI. Ferrata R. F. C.
Legio X. Fretensis.
In Germania inferiore legiones IV.
Legio prima.....
Legio V. Macedonica.
Legio XIX.......
Legio XX. Valeria victrix.
In Germania superiore legiones IV.
Legio II. Augusta.
Legio XIII. Gemina pia fidelis.
Legio XIV. Gemina Martia victrix.
Legio XVI......
In Dalmatia legiones II.
Legio II. Adjutrix pia fidelis.
Legio VII. Gemina pia felix.
In Pannonia legiones III.
Legio VIII. Augusta.
Legio IX. Hispaniensis.
Legio XV. Apollinaris.
In Mœsia legiones II.
Legio VII.....
Legio XI........
In Suria legiones IV.
Legio IV. Scythica.
Legio VI. Victrix.
Legio X. Gemina pia fidelis.
Legio XII. Fulminatrix.
In Ægypto legiones II.
Legio III. Cyreneica.
Legio XXII. Primigenia pia fidelis.
In Africa legio una.
Legio III. Augusta.
Mari supero.
Classis Ravennas.
Mari infero.
Classis Misenas.
Classis Actiaca in Gallia Narbonensi, apud Forum Julii.
Romæ.
Cohortes urbanæ III.
Cohortes vigilum III.
Cohortes prætoriæ IX.

CAP. XVII.

Provincia Cappadocia.

DUÆ tantum sub Ti. Cæsare provinciæ Romanæ factæ sunt, Cappadocia Archelao in urbe, & Comagene Antiocho regibus mortuis. De Cappadocia sic scribit Tranquillus cap. XXXVII. *Reges infestos suspectosque comminationibus magis & querelis, quam vi repressit. Quosdam per blanditias atque per promissa extractos ad se non remisit, ut Marabodum Germanum, Rhascypolim Thracem, & Archelaum Cappadocem, cujus etiam regnum in provinciæ formam redegit.* Rufus: *Cappadoces primo societatem nostram sub Ariarathe rege per legatos petierunt, cujus deficiente stirpe lectus Ariobarzanes rex Cappadocum, qui a Mithridate pulsus Romanorum armis est restitutus. Semper in auxilium Romanum fuere Cappadoces. Postremo iterum tertia deficiente prole sub imp. Cæsare Augusto Archelaus favente Antonio rex factus est, quem Tiberius imperio potitus Romam blande quum evocasset, non remisit, ibique diu detentus occubuit. Cujus regnum in provinciæ formam redactum est.* Tacitus libro II. C. Cœlio, L. Pomponio Cos. *Rex Archelaus quinquagesimum annum Cappadocia potiebatur invisus Tiberio, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset. Nec id Archelaus per superbiam omiserat, sed ab intimis Augusti monitus, quia florente C. Cæsare, missoque ad res orientis, intuta Tiberii amicitia credebatur. Ut versa Cæsarum sobole imperium adeptus est, elicit Archelaum matris litteris, quæ non dissimulatis filii offensionibus clementiam offerebat, si ad precandum veniret. Ille ignarus doli, vel si intelligere cre-* E *deretur, vim metuens, in urbem properat, exceptusque immiti a principe, & mox accusatus in senatu, non ob crimina, quæ fingebantur, sed angore, simul fessus senio, & quia regibus æqua, ne dum infima insolita sunt, finem vitæ sponte an fato implevit. Regnum in provinciam redactum est, fructibusque ejus levari posse centesimæ vectigal professus Cæsar, ducentesimam in posterum statuit.* Idem paulo post: Ti. Cæsare III. Germanico II. Cos. *Cappadoces in formam provinciæ redacti, Q. Veranium legatum accepere, & quædam ex regiis tributis diminuta, quo mitius Romanum imperium speraretur.* Postea Vespasianus imperio potitus Cappadociæ propter assi- F duos barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano. Tranquillus.

Provincia Comagene.

C. Cœlio, L. Pomponio Cos. *Antiocho Comagenorum, & Philopatore Cilicum regibus defunctis, turbabantur nationes, plerisque Romanum, aliis imperium regium cupientibus,* ut Tacitus auctor est. Idem paulo post: Tiberio III. Germanico Cæsare II. cos. *Comagenis Q. Servæus præponitur tum primum ad jus*

jus prætoris translatis. Comagenem autem non A omnem provinciam a Tiberio factam, vel a sequentium aliquo principum ditioni regiæ restitutam indicat Tranquillus in Vespasiano, quum ait: *Tracheam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ usque ad id tempus, in provinciarum formam redegit.*

Provinciæ Mauritaniæ duæ, Tingintana & Cæsariensis.

Quum C. Caligula Ptolemæum regis Jubæ filium consobrinum suum (erat enim & is M. Antonii e Selene filia nepos) interfecisset, Mauritaniam, quæ regnum ejus fuerat, in provinciæ formam redegit, atque in duas provincias divisit, Tingintanam, & Cæsariensem, ut auctores sunt Tacitus, Plinius libro V. cap. I. Dio libro LVIII. & in Caligula Tranquillus. B Claudius postea imp. primus Romanorum principum Mauritanis per Svetonium Paullinum bellum intulit, omnibusque iis regionibus usque ad Africæ solitudines subactis, multas in iis colonias, quas mox referam, deduxit.

Provincia Britannia.

Ti. Claudius Cæsar Augustus rerum potitus, quum expeditionem unam, eamque modicam in Mauritanos suscepisset, decretis sibi a senatu ornamentis triumphalibus, leviorem majestate principis titulum ratus, velletque justi triumphi decus, unde acquireret Britanniam potissimum elegit, neque tentatam ulli post Julium Cæsarem, C *& tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Pedestri vero itinere Gessoriacum usque confecto, inde transmisit, ac sine ullo prœlio, aut sanguine, inter paucissimos dies parte insulæ in deditionem accepta, sexto quam profectus erat mense, Romam rediit, triumphavitque magno apparatu.* Tranquillus. In qua, quum eam in provinciæ formam redegisset, aliquotque eo colonias militares deduxisset, tres legiones addidit propter barbarorum in extrema insulæ parte commorantium incursiones. Ex Plinio, & Dione libro LVIII. Tacitus vero in vita Julii Agricolæ: *Primus omnium Romanorum* (inquit) D *D. Julius cum exercitu Britanniam ingressus, quamquam prospera pugna terruerit incolas, ac littore potitus sit, potest videri ostendisse posteris, non tradidisse. Claudius auctor operis, transvectis legionibus auxiliisque, & assumpto in partem rerum Vespasiano, domitæ gentes, capti reges, & monstratus fatis Vespasianus. Consularium primus A. Plantius præpositus, ac subinde Ostorius Scapula, uterque bello egregius, redactaque paulatim in formam provinciæ proxima pars Britanniæ, additæ insuper veteranorum coloniæ. Quædam civitates Cogiduno regi donatæ. Is ad nostram usque memoriam fidissimus mansit, vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, ut* E *haberet instrumenta servitutis & reges.*

Provincia Pontus.

Nero Imperator, augendi propagandique imperii neque voluntate ulla, neque spe motus unquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit, nec nisi verecundia, ne obtrectare parentis gloriæ videretur, destitit. Ponti modo regnum concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio, in provinciæ formam redegit. Tranquillus.

Provincia Alpes Cottiæ.

Eutropius libro VII. cap. VI. *Duo tantum regna sub Nerone provinciæ facta sunt, Pontus Polemoniacus concedente rege Polemone, & Alpes Cottiæ rege defuncto.* F Idem in Aureliani vita tradit Fl. Vopiscus. Alpibus iis & maritimis jus Latii dedit idem Nero, ut tradit Tacitus lib. XIII.

Hæ sunt provinciæ additæ inter Augusti & Vespasiani principatum. Quibus explicatis, nunc quæ aut quot legiones Ser. Galba Augusto II. & T. Vinio cos. primo imperii Vespasiani anno erant, exponam, multæ enim & frequentes legionum mutationes: post Augusti excessum ad hæc usque tempora in Romano imperio factæ fuerant. Quas brevissime ante ex Tacito potissimum exceptas aperiam.

CAP. XVIII.

Mutationes legionum ab excessu Augusti ad initium imperii Imperatoris Cæsaris Vespasiani Augusti.

LEGIONIS I..... quæ in Germania inferiore erat, pars in Italiam venit bello civili Vitelliano contra Othonem primum, deinde Vespasianum; a quo quum victa esset, per Illyricum dispersa est. Reliqua ejus pars sub legionis I..... nomine ex Galliis a Vitellio suppleta remansit in Germania, in castris apud Bonam. Ex Cornelio Tacito libris I. XVII. & sequentibus.

Legio II. Adjutrix, quæ in Germania erat, in Suriam a Nerone (ut opinor) translata est. De hac meminit Spartianus in Hadriano ita: *Quare a Trajano abductus a patria, & pro filio habitus, nec multo post decemvir stlitibus judicandis datus, atque inde tribunus secundæ Adjutricis legionis creatus.*

Vetus inscriptio Romæ ad S. Sebastianum.

D . M
P. AELIO. MVCIANO
SPEC. LEG. II
ADIVT
VITALIANVS. ET. VITALIS
AVVNCVLI

Legio II. Augusta, quæ in Germania superiore ab Augusto constituta fuerat, in Britanniam a Claudio translata est. Ejus vexillarii bello civili Vitellio adhæserunt. Qui a Vespasiano victi, per Illyricum dispersi sunt. Hujus Dio meminit lib. LV. ubi legiones ab Augusto institutas commemorat. Cujus, & multarum præterea, quas enumerabo, legionum mentio est in vetustis marmoreis inscriptionibus ita:

L. ANNIO. FABIANO. III. VIRO. CAPITALI
TRIB. MIL. LEG. II. AVG. QVAEST. VRBAN

Legio III. Augusta in Africa Numidia ab Augusto collocata, exauctorata a Galba, a Vitellio restituta. De hac Dio libro LV. & Claudianus de bello Gildonico ita meminit.

Dictaque ab Augusto legio &c.

Romæ in musæo Carpensi vetus inscriptio.

C. SALLIO. MATERN. BVCINATORI. LEG. V
ALAVDAE. C. SALLIO. ARCINIO. CAESAR. N
TVBIC
C. SALLIO. SVESSVLA. N. PARIMION
CORNICVLAR
LEG. III. AVG. C. SALLIO. CAPONIO. CORNIC

Legio III. Cyreneica in Ægypto, quæ est Arabiam versus, ab Augusto addita, post in Judæam bello Judaico a Vespasiano primo principatus anno transducta. De hac Dio mentionem facit.

Tibure ad S. Paullum vetus lapis.

C. POPILLIO. C. F. QVIR. CARO. PEDONI
COS. VII. VIRO. EPVLON. SODALI. HADRIANALI
TRIB. LATICLAVIO. LEG. III. CYRENEICAE

Legio III. Gallica, quæ sub M. Antonio Parthos debellaverat, in Hispania ab Augusto locata est, post in Germaniam sub Claudio, deinde in Syriam a Nerone, postea in Armeniam ab eodem traducta, quo tempore Armenos duce Corbulone vicit; item in Suriam ab eodem, postea in Mœsiam a Galba migrare jussa, quo tempore Sarmatas contudit; postremo in

Italiam contra Vitellium pro Vespasiano bello civili venit, quo victo Capuæ hyemandi gratia locata, Vespasiano II. & Tito cos. ineunte vere sequentis anni in Suriam remissa. De hac Dio lib. LV.

Romæ in hortis Carpensibus vetus inscriptio.

DIS . MANIB
C. FICTORIO. VASCVLARIO
FICTORIA. EPITVSA. MATRI
C. FICTORIO. C. F. ATTICO
Σ. LEG. III. GALLICAE
FRATRI. VIX. ANN. XXV
FICTORIA. C. F. ATTICILLA
PARENTIBVS. SVIS. FECIT

Legio IV. Scythica, alias Macedonica ab Augusto in Syria lecta, in Germaniam superiorem a Claudio transportata, cujus pars quum in Italiam bello civili pro Vitellio contra Othonem, & Vespasianum venisset, eandem fortunam habuit, quam prima.... Reliqua porro pars ex Galliis suppleta in eadem Germania superiori relicta fuit. Hanc Spartianus in vita Severi imp. commemorat.

Vetus epigramma Tiferni in Tuscia.

C. ANNIVS. C. F. POM. GALLVS
DOMO. ARRETIO. Σ. LEG. IIII. SCYTH
MILITAVIT. IN. PR. ANN. XVII
EVOC. AN. II.
Σ. IN.LEG.IIII. SCYTH.AN.XVIIII
VIXIT.AN.LX.MERV.AN. XXXVIII
H.S.P.ATIMETVS. L.EX. TEST. F. C.

Legio quinta Macedonica in Germania inferiore in castris apud Vetera ab Augusto instituta, quæ bello civili Vitelliano I..... & IV. Scythicæ fortunam sequuta est. Ex Gallis suppleta, in iisdem Veteribus remansit. Tacitus, & Dio libro LV.

Firmi in Piceno vetus inscriptio.

L. VOLCATIO. Q. F. VEL. PRIMO
TRIB. MIL. LEG. V. MACEDONICAE
IN.MOESIA.PRAEF.ALAE.I.PANNONIOR

Legio VI. Ferrata R. F. C. in Hispania Galbam contra Neronem imperatorem fecit. Ex Hispania a Domitiano Cæsare, & Muciano primo imperii Vespasiani anno contra Germanos rebellantes in Germaniam traducta. Tacitus, & Dio. De legione Ferrata aliquando veterem inscriptionem vidi, quæ ad manus modo non est, in qua ita exaratum erat.

TRIB. MIL. LEG. VI. FER. R. F. C

Legio VI. Victrix in Syria primum ab Augusto locata, hæc sub Nerone in Armeniam, deinde iterum in Syriam, demum bello civili Vitelliano a Muciano in Italiam contra Vitellium ducta, quo cæso in Germaniam missa, Batavos & Germanos, qui rebellaverant, oppressit duce Domitiano.

Auximi vetus inscriptio.

Q. PLOTIO.MAXIMO.COL.TREBELLIO
PELIDIANO.EQVO.P.TRIB.LEG.II.TRAIAN
FORT. TRIB. COH. XXXII. VOLVNT
TRIB. LEG. VI. VICTRICIS. PROC. AVG
PRO. MAGISTRO. XX. HEREDITATIVM
PRAEF. VEHICVLOR. QQ ET. SVO. PONT
COLLEG. CENT. AVXIMAT. OB. EXIMIVM
IN. MVNICIPES. SVOS. AMOREM. L. D.D.D

Legio VII..... postea a Claudio imp. Claudiana pia felix & fidelis vocata ex Mœsia, ubi eam Augustus locaverat, a Vespasiani ducibus contra Vitellium adducta, eo occiso ad sua hyberna remissa. Dio lib. LV.

Via Ardeatina in antiqua basi.

DIS. MANIBVS
C. ANTONI. C. F. OVF. AEGRILLI. MIL. LEG
VII. CLAVDIAE. PIAE. FELIC. ET. FIDELIS
VIX. ANN. XXXIIX. M. VII. D. VIII
M.AEGRILLIVS.FRATRI.DVLCISSIMO. F.C.

Legio VII. Gemina pia felix, ex Dalmatia a Nerone in Syriam traducta. Tacitus.

Vetus inscriptio Brixiæ.

P. STATIO. P. F. FAB. PAVLLO. POSTVMIO
IVNIORI. X. VIRO. STLITIB. IVDIC. TRIB
MILIT. LEG.VII.GEM.FELIC.VI. VIRO. EQVIT
ROMANOR. Q. PROVINC. AFRIC. TRIB. PLEB
PRAETOR. LEG. PRO. PR. PONT. ET. BITHYN
PRO. COS. PROVINC. BAETICAE. TITVL. VSVS. D. D.

Item Fulginei vetus lapis.

P. AELIO. P. F. PAPIR. MARCELLO. CENT
FRVM. SVB. PRINCIPE. PEREGRINOR
ADSTATO. ET. PRINCIPI.ET. PRIMIPILO
LEG. VII. GEM. PIAE. FEL. ADLECTO &c.

Legio VIII. Augusta ex Pannonia in Mœsiam a Claudio, deinde in Italiam bello civili contra Vitellium ducta, quo victo ad sua hyberna remissa. De hac Dio, & Sæpini in Samnio vetus inscriptio sic meminit:

L. NERATIO. C. F. VOL. PROCVLO. X. VIR
STLITIBVS. IVDICAN. TRIB. MILITVM. LEGION
VII. GEMINAE. FELIC. ET. LEG. VIII. AVG
QVAEST. AEDIL. PLEB. CEREAL. PRAEF. LEG
LEG. XVI. FLAVIAE. FIDEL. ITEM. MISSO. AB
IMP. ANTONINO. AVGVSTO. PIO. AD
DEDVCENDAS. VEXILLATIONES. IN
SYRIAM. OB. BELLVM. PARTHICVM. PRAEF
AERARI. MILITARIS. COS. MVNICIPES
SAEPINATES

Legio IX. Hispaniensis ex Pannonia, ubi eam Augustus locaverat, a Tiberio in Africam bello Numidico migrari jussa, quo confecto ad sua castra remissa, a Claudio vero in Britanniam transportata. Cujus vexillarii bello civili Vitelliano a Vespasiani ducibus victi, per Illyricum dispersi sunt. Tacitus. Hujus legionis mentionem fieri in vetusto epigrammate sic vidi.

P. CORNELIO. LENTVLO
SCIPIONI. COS. PRAEF
AERARI. LEGATO. TI
CAESARIS. AVG. LEG. LEG
VIIII. HISPAN. PONTIFICI
FETIALI. D. D

Legio X. Fretensis ex Hispania primo imperii Vespasiani anno in Germaniam contra rebelles Batavos traducta. Hujus meminit Marcellinus in fine libri XVIII.

Romæ in vinea Carpensi vetus lapis.

A. ATINIO. A. F. PAL. PATERNO
SCRIB. AEDIL. CVR. HON. VSVS. AB
IMP.EQVO.PVBL.HONOR.PRAEF.COH
II. BRACAR. AVGVSTAN. TRIB. MIL
LEG. X. FRETENS. A. DIVO. TRAIANO
IN. EXPEDITION. PARTHICA. DONIS
DONAT. PRAEF. ALAE. VII. PHRYG.
CVR. KAL. FABRATERNOR. NOVOR
ATINIA. A. F. FAVSTINA. PATRI
OPTIMO. FECIT

Legio X. Gemina pia fidelis ex Syria sub Nerone in Armeniam, iterumque in Syriam transportata, demum bello Judaico in Judæam. Hanc Dio ideo Geminam appellatam scribit, quod ex duabus legionibus una facta fuerit.

Vetus lapis Brixiæ.

C. PONTIO. C. F. FAB. PELIGNO. TRIB. MIL
LEG. X. GEM. Q. CVRAT. LOCORVM. PVBLIC
ITERVM. AEDILI. CVRVL. LEGATO. PRO. PR
ITERVM. EX. S. C. ET. AVCTORITATE
CAESARIS. D. D

Item in antiquæ inſcriptionis fragmento Romæ apud Gentilem Delphinium.

TRIB. MIL. LEG. I. ADIVTR. P. F
ET. LEG. X. GEM. P. :::::::::::

Item Piſauri alia vetus inſcriptio.

C. LVXILIO. C. F. POMPT. SABINO. EGNATIO
PROCVLO. CVR. RER. PISAVR. ET. FANESTR
LEG. LEG. X. GEM. GORDIAN. CVR. REG
TRANSPAD. CVR. &c.

Legio XI. poſtea Claudiana pia fidelis dicta, ex Mœſia in Dalmatiam ſub Claudio, & ex Dalmatia bello civili Vitelliano pro Othone in Italiam contra Vitellium tranſducta. Othone victo ſuis caſtris reddita, occiſo Vitellio iterum in Italiam venit, & paulo poſt ad ſua hyberna remiſſa. Hujus legionis meminit vetus hic lapis ſic.

GENIO. CENT
A. SERGIVS. A. F
SVLPICIVS. MIL. LEG
XI. CLAVD. PIAE. FIDEL

Hæc, auctore Dione, una cum VII. legione Claudia ideo appellata eſt, quod Camillum Scribonianum, qui bellum civile Claudio Imperatori intulerat, primæ deſeruerint.

Legio XII. Fulminatrix ab Auguſto in Syria lecta, poſt bello Judaico in Judæam a Veſpaſiano principe traducta. Dio.

Romæ ad S. Alexium in Aventino.

C. VETTIO. C. F. COL. NIGRO
DOMO. ANTIOCHIA. SYRIA
VETERANO. LEG. XII. FVLMINAT
MILIT. ANN. XXVI. VIX. AN. LVII

Legio XIII. Gemina pia fidelis ex Germania ſuperiore in Pannoniam, exinde bello civili Vitelliano in Italiam pro Othone contra Vitellium profecta, Othone victo, quum ſuis hybernis reddita eſſet, iterum pro Veſpaſiano contra ipſum Vitellium in Italiam venit, quo occiſo Poetovionem ad ſua caſtra remiſſa. De hac Dio mentionem facit libro LV.

In vetuſto fragmento Romæ apud Gentilem Delphinium.

LEG. LEG. XIII. G. P. F. LEG. LEG....

Item Romæ:

HERCVLI. CONSERVATORI. PRO. SALVTE
L. RAGONII. L. F. PAP. VRINATII. LARTI
QVINTIAN. VIRI. CONS. SODAL. HADRIAN
LEG. LEG. XIII. GEM. DONAT. DONIS. MILIT

Legio XIV. Gemina Martia victrix ex Germania ſuperiore a Claudio in Britanniam traducta (quum is Britanniam provinciam fecit) cujus præcipue opera Britanniam in poteſtatem populi Romani redegerat. Quæ quum a Nerone in Dalmatiam adducta eſſet, pro Othone in Italiam venit, quo occiſo a Vitellio in Britanniam remiſſa eſt. Poſtremo a Domitiano & Muciano ex Britannia evocata, Batavos & Germanos rebelles domuit, quibus victis in Germania ſuperiori locata. Tacitus, & Dio.

A *In eodem fragmento apud Gentilem Delphinium.*

LEG. LEG. XIIII. GEM
MARTIAE. VICTRICIS
SACERDOTI. TITIALI

Legio XV. Apollinaris ex Pannonia a Nerone in Syriam traducta, haud multo poſt ad bellum Judaicum miſſa. Tacitus, Joſephus, & Dio.

Vetus inſcriptio Foro Sempronii.

L. MAESIO. L. F. POL. RVFO. PROC. AVG
B TRIB. MIL. LEG. XV. APOLLINARIS
TRIB. COH. MIL. ITAL. VOLVNT
QVAEST. IN. SYRIA. PRAEF. FABRVM

Legio XVI..... ex Germania ſuperiore in inferiorem a Claudio traducta, bello civili pro Vitellio contra Othonem & Veſpaſianum ſtetit. Vitellio occiſo primæ:::: IV. Scythicæ, & V. Macedonicæ fortunam ſequuta eſt, ut Tacitus libris XIIX. & XIX. tradit.

Legio XIX...... ex Germania inferiore in ſuperiorem a Claudio migrare juſſa, iterum paulo poſt in inferiorem rediens caſtris veteribus locata eſt. Videtur & ipſa in Italiam pro Vitellio veniſſe, atque
C ſuperioris legionis fortunam ſequuta eſſe, ut refert Tacitus ibidem.

Legio XX. Valeria victrix ex Germania inferiore a Claudio in Britanniam tranſportata, cujus vexillarii bello civili victi, a Veſpaſiano per Illyricum diſperſi ſunt. Tacitus.

Romæ in domo Cæſia vetus inſcriptio.

M. POMPEIO. M. F. ANI. ASPRO. 7. LEG
XV. APOLLINAR. . COH. III. PR
PRIMOP. LEG. III. CYR. PRAEF. CASTR
LEG. XX. VICTR. ATIMETVS. LIBERTVS
D PVLLARIVS. FECIT. SIBI. ET. &c.

Item in civitate Caſtellana vetus lapis.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
7. LEG. XX. V. V
CORNICVLARIO. PR. PR
DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVGVSTO
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO

Legio XXII. Primigenia Auguſta pia fidelis in Æ-
E gypto ab Auguſto conſtituta, quam poſtea Auguſtus Veſpaſianus in Judæam bello Judaico migrare juſſit. De hac Spartianus in Juliano, & Tacitus mentionem faciunt.

In Æquicolis vetus epigramma.

C. VIBIO. Q. F. AIMILIA. VETENIO. EQVO
SEVERO. TRIB. SEMPR. PR. LEG
XXII. PRIM. AVG. P. F. SEMPRON

Item Romæ in domo Cæſia.

P. COELIO. P. F. BALBINO. VIBVLLIO. PIO
X. VIRO. STLITIBVS. IVDIC. VI. VIRO. EQVIT
F ROMAN. TVRM. QVINT. TR. MIL. LEG
XXII. PRIMIG. P. F. ADLECTO &c.

Legiones inter Auguſti obitum & Veſpaſiani principatum ab imperatoribus additæ, & earundem migrationes.

Legiones IV. *additæ a Claudio imp.*

Primus omnium poſt Auguſtum Claudius imp. Britannia victa, eaque in provinciæ formam redacta, IV. novas legiones veteribus addidit, quum ob barbarorum incurſiones Britanniam Romanam provinciam trium legionum præſidio muniri neceſſe fuiſſet.

Harum prima fuit legio V. Claudia, quam in Mœsia locavit, hæc postea a Nerone in Syriam, demum bello Judaico in Judæam traducta est.

Fulginei vetus inscriptio.

CN. DOMITIO. SEX. F. AFRO. TITIO
MARCELLO. CVRINO. LVCANO
MIL. LEG. V. CLAVD. IIII. VIR. VIARVM
CVRANDARVM. PATRONO

Legionem quoque XV. .... in Germania Claudius imp. constituit: quæ quum in Italiam contra Othonem & Vespasianum pro Vitellio venisset, occiso Vitellio primæ ...... conditionem sequuta est. Pars enim per Illyricum dispersa, pars in Germania remansit, ex Gallis suppleta. Tacitus.

Legio XIIX. Victrix in Germania superiore a Claudio lecta, quum & ipsa contra Vespasianum pro Vitellio bello civili pugnasset, necato imperatore suo, victa suis hybernis ob tumultuantes Batavos reddita est. Tacitus.

Legio XXI. Rapax. Hæc in Germania superiore ab eodem Claudio instituta est, quæ bello civili Vitelliano, in Italiam quum venisset, post Vitellii cædem a Muciano, & Domitiano ob Batavorum rebellionem ad sua castra remissa est. Ex Tacito libris XVII. XVIII. & XIX. Hujus legionis mentionem extare vidi in vetusto epigrammate, quod modo ad manus non est.

Legiones III. additæ a Nerone imp.

Legio I. Italica a Nerone imp. Dione auctore, facta est, atque in Galliis prope Lugdunum locata. Quæ bello civili a Vitellio in Italiam ducta, quum victa fuisset a Vespasiano, per Illyricum dispersa est; videtur tamen a posterioribus principibus Romanis restituta.

Vetus elogium Brixiæ.

C. MAESIO. C. F. PLACATIANO
X. VIRO. STLITIB. IVDIC
TRIB. MIL. LEG. I. ITALIC
Q. PROV. AFRIC. ALLECT. INTER
TRIBVN. AB. IMPERATORE
HADRIANO. ANTONINO. AVG. P
PRAETORI. PATRONO. D. D

Legio I. Classica Romæ a Nerone instituta, bello civili ab Othone in Galliam Narbonensem missa, postea victo Vitellio in urbem revocata, Vespasiani legionibus se conjunxit. Tacitus lib. XVII. Hist. & vetus inscriptio.

Legio Hispana a Nerone Romæ facta, & a Galba exauctorata. Tacitus libro decimoseptimo.

Legiones a Galba imp. factæ.

Legio I. Adjutrix victrix pia fidelis a Galba, Tacito & Dione auctoribus, instituta, Romæ pro Othone contra Vitellium stetit, Othone victo a Vitellio in Hispaniam missa, inde bello Germanico contra Batavos in Germaniam a Domitiano & Muciano accita.

Romæ apud Gentilem Delphinium in fragmento.

TRIB. MIL. LEG. I. ADIVTR. P. F.

Item Fulginei in vetere elogio.

P. AELIO. P. F. PAPIR. MARCELLO
ADLECTO. AD. MVNERA. PRAEF
LEG. VII. CLAVD. ET. PRIMAE
ADIVTRICIS. V. F. FLAMINI

Legio septima Galbiana in Pannonia a Galba constituta, quæ quum in Italiam bello civili pro Othone venisset, eo mortuo suis hybernis a Vitellio est reddita; iterum contra Vitellium in Italia pro Vespasiano pugnavit, & eo occiso iterum in Pannoniam est remissa. De hac præter Tacitum libris XVII. XIIX. & XIX. meminit vetus inscriptio.

Vespasianus etiam imperator primo imperii anno legionem unam fecit, quam II. (ut opinor) Flaviam vocavit, eamque in Germaniam contra Batavos rebelles misit. Tacitus libro XX.

Legiones XXXIII. populi Romani per orbem Romanum Ser. Galba imp. Cæsare Aug. II., & T. Vinio cos. locatæ.

In Hispania legiones duæ.

Legio VI. Ferrata R. F. C.
Legio X. Fretensis.

In Germania inferiore legiones IIII.

Legio prima .....
Legio V. Claudiana.
Legio XV. ....
Legio XVI. ....

In Germania superiore legiones IIII.

Legio IV. Scythica, alias Macedonica.
Legio XIIX. Victrix.
Legio XIX.
Legio XXI. Rapax.

In Dalmatia legiones duæ.

Legio XI. Claudiana pia fidelis.
Legio XIV. Gemina Martia victrix.

In Pannonia legiones duæ.

Legio VII. Galbiana.
Legio XIII. Gemina pia fidelis.

In Mœsia legiones tres.

Legio III. Gallica.
Legio VII. Claudiana pia fidelis.
Legio VIII. Augusta.

In Suria legiones quattuor.

Legio II. Adjutrix pia fidelis.
Legio VI. Victrix.
Legio VII. Gemina pia fidelis.
Legio XII. Fulminatrix.

In Judæa legiones tres.

Legio V. Macedonica.
Legio X. Gemina pia fidelis.
Legio XV. Apollinaris.

In Ægypto legiones duæ.

Legio III. Cyreneica, alias Cureneica.
Legio XXII. Primigenia pia fidelis.

In Africa legio una.

Legio III. Augusta.

In Britannia legiones tres.

Legio II. Augusta.
Legio IX. Hispaniensis.
Legio XX. Valeria victrix.

In Gallia legio una.

Legio I. Italica.

In urbe legiones duæ.

Legio I. Classica.
Legio I. Adjutrix pia fidelis.

Quibus a Vespasiano addita est.

Legio II. Flavia in Germania.

In urbe.

Cohortes vigilum tres.
Cohortes urbanæ IV.
Cohortes prætoriæ XII.

CAP. XVIII.

Provinciæ factæ ab imp. Cæs. Vespasiano Augusto.

IMP. Vespasianus principatum adeptus, bello Judaico confecto, more præcedentium Cæsarum, imperii Romani jura augere studens, Achaiam, Lyciam, Rhodum insulam, Byzantium civitatem nobilissimam in angusto Propondits freto in Europa sitam, insulam Samum, quæ ad hæc usque tempora legibus suis vixerant, libertate adempta; item Tracheam, Ciliciam, & Comagenem ditionis regiæ usque ad id tempus in provinciarum formam redegit. Ita Tranquillus cap. octavo. Comagenem autem a Ti. Cæsare provinciam factam regi Antiocho reddiderat C. Cæsar Caligula imp. auctore Svetonio. De Rhodo ita scribit Sex. Rufus: *Rhodiis, & insularum populis, primum infestissimis, post fidelissimis Romani usi sunt. Ita Rhodus & insulæ primum libere agebant, postea in consuetudinem parendi Romanis clementer provocantibus pervenerunt. Et sub Vespasiano imperatore provincia facta est.*

Legiones in Cappadocia additæ.

Imp. Vespasianus propter assiduos barbarorum incursus Cappadociæ castra, & legiones duas addidit XII. Fulminatricem, & XV. Apollinarem, ut tradit Dio, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano. Tranquillus ita. Atque hac ratione limitum Romani imperii numerus auctus, decemque facti, id est, Germaniæ superioris & inferioris super Rhenum; Dalmatiæ, Pannoniæ, & Mœsiæ super Danubium; Britanniæ, Cappadociæ, Suriæ, Ægypti, & Africæ.

CAP. XIX.

Provinciæ factæ a Trajano Imperatore.

NULLUS Romanorum principum post Augustum, imperii Romani terminos magis propagavit quam Trajanus, sub quo ingentia terrarum spatia imperio addita, maximæ provinciæ factæ, imperii veteres limites prolati, novæ legiones constitutæ, populi Romani vectigal auctum. Quum enim veteres Romani imperii limites ab Augusto instituti, neque a reliquis imperatoribus mutati, a Septentrione quidem essent Danubius, ab oriente vero Euphrates, ipse trans Danubium Daciam, trans Euphratem vero Armeniam, Mesopotamiam, & Assyriam provincias Romanas fecit, Tigridem Romani imperii & Persarum limitem esse voluit: quæ omnia quo tempore, & ordine fecerit nunc exponam.

Provincia Transdanubiana Dacia.

Daci, qui trans Istrum sunt, ingentibus cladibus populum Romanum sub eorum rege Decebalo Domitiani principatu affecerant, Oppio Sabino consulari, & Cornelio Fusco præfecto cohortium prætorianarum, quibus belli summam Domitianus commiserat, oppressis. Quare Decebalus rex metu & ignominia Domitiani ferocior factus, Romanas provincias finitimas Mœsiam & Pannoniam Istro trajecto acriter vexare cœpit. Interim occiso Domitiano, Trajanus rei militaris peritissimus dux, imperii successor a sene Nerva, qui Domitiano successerat, Cæsarque appellatus est. Is post patris mortem imperium adeptus, Dacicæ ignominiæ abolendæ cupidus, bellum ex S. C. Dacis & regi Decebalo indixit. Quos multis prœliis attritos ad extremum rege Decebalo occiso omnino debellavit, Daciamque ejus A regnum trans Danubium in solo barbarico primus omnium Romanorum provinciam fecit, quæ in circuitu habuit decies centena millia passuum. Daci autem Getis contermini populi sunt montani, qui Daciam Pannoniæ vicinam, quam hodie Valachiam appellamus, incolunt. De his Florus libro IIII. *Daci* (inquit) *montibus inhærent, Cotisonis regis imperio, quoties concretus in gelu Danubius junxerat ripas, in Pannoniam & Mœsiam decurrere solebant, & vicina populari. Visum est Cæsari Augusto gentem aditu difficillimam submovere. Misso igitur Cornelio Lentulo tres eorum duces cum magnis copiis delevit, ultra ulteriorem repulit ripam, citra præsidia constituit, sa-* B *tis victoriæ putans posse illos prohibere; sic hinc Dacia non victa, sed summota, atque dilata est.* Trajanus inde Decebalum vicit, ejus legatis servilem in modum introductis pax duris conditionibus data. Iterum eum rebellantem oppressit, quo occiso Daciam provinciam fecit, thesauros regios subter vada Sargetiæ fluminis invenit; pontem lapideum viginti pilarum super Danubium miri operis maximeque memorabilis fecit, legiones duas novæ provinciæ præsidio addidit, colonias aliquot in ea deduxit, imperii limites abrupta montium Sarmatas versus constituit. Hæc omnia accurate referuntur a Dione in vi- C ta Trajani imperatoris, qui ita concludit: *At Decebalus, quum capta regia, vicina omnis regio in potestatem populi Romani venisset, usque ad captivitatem periclitatus mortem sibi conscivit, cujus caput deinde Romam delatum est: ita Dacia juris & ditionis Romanæ facta est. Quam mox Trajanus in provinciam redegit, urbes condidit, & colonos deduxit.* Legiones autem duæ in Dacia provincialium præsidio additæ sunt V. Macedonica & XIII. Gemina. Victoriæ Trajani Dacicæ mentio est in ejusdem nummis ita: DACIA. CAPTA. item: PROVINCIA. DACIA. AVGVSTI. item: GERMANIA. VICTA. item: GERMANIA. SVBACTA. item trophæa quæ- D dam cum inscriptione. DE SARMATIS. ET. DE GERMANIS.

Provinciæ trans Euphratem.

Provinciæ Armeniæ duæ, Mesopotamia, & Assyria.

Per confinia Armeniarum primum sub L. Lucullo Romana trans Taurum signa transmissa sunt. Idem Lucullus Mithridatem regno Ponti exutum ad Armeniam persequutus est, Tigranem Armeniorum regem cum septem millibus clypeatorum, & centum viginti millibus sagittariorum, ipse cum decem E & octo millibus Romanorum vicit, Tigranocertam maximam Armeniæ civitatem expugnavit, Madenam optimam Armeniorum regionem obtinuit. Per Melethenam ad Mesopotamiam descendit. Nisibin cum fratre regis cepit: tendere in Parthos paratus successorem accepit Cn. Pompeium. Qui ad Mithridaticum bellum missus, Mithridatem in Armenia minore nocte aggressus prœlio superavit, cæsis duobus & quadraginta millibus hostium, castra ejus invasit. Mithridates in Bosporum fugiens summa rerum desperatione se ipse interfecit. Pompejus auxiliatorem Mithridatis Tigranem Armeniorum regem persequutus est, ille se oblato diademate apud Artaxata F dedit, receptæ sunt ab eo Mesopotamia, Syriæ, & aliquanta pars Phœnicis, atque intra Armeniam regnare permissus est. Idem Pompeius Bosporanis, & Colchis Aristarchum regem imposuit, cum Albanis conflixit, Orchodo Albanorum regi ter victo pacem dedit; Hiberiam cum Arsace rege in deditionem accepit, Sarracenos, & Arabes vicit, Judæa capta Hierosolyma obtinuit, cum Parthis fœdus fecit. Post Tigranem diu sub regibus Armenia fuit, ex quibus Tigranis successor Artavasdes ab Antonio occisus est. Post quem Artaxias, Tigranes alius, Artavasdes alius, Ariobarzanes, Vono Parthus, & Ze-

no Ponticus ab Augusto & Tiberio Cæsaribus reges Armeniis impositi sunt; Armeniaque diu sub amicis regibus in Romanorum fide permansit. Nero, quem turpissimum imperatorem Romana resp. passa est, amisit Armenias duas, rege iis Tyridate a Parthis imposito. Ac sub regibus iterum Armenia usque ad Trajani tempora fuit. Qui Dacia victa expeditionem in Armenios, Parthos, Orientemque paravit, belli prætextum faciens, quod Armeniorum rex diadema & cetera regni insignia, atque jura non ab se, sed a Parthorum rege, velut illi obnoxius sumpsisset, re autem vera cupidine magis gloriæ impulsus est. Qui simul ac Armeniæ fines ingressus est, Armeniæ regem & satrapas regionis obvios habuit, cum muneribus equum ducentes ita edoctum, ut Trajanum, anterioribus pedibus in modum supplicantis flexis, adoraret. Tum caussa cognita Parthamasiri Armeniæ regi sublato diademate regnum ademit. Quam imposito legato consulari Romanam provinciam fecit: limitem orientalis imperii ab Euphrate ad Tigrim amnem transtulit. Hiberos post hæc, Sauromatas, Bosphoranos, & Colchos in fidem Romanæ ditionis accepit, Osroenorum loca occupavit, Carduenos, & Marcomedos obtinuit, Albanis regem dedit; omni deinceps belli mole in Parthos versa, Nisibin & Ecbatanas cepit, Parthicusque ob id a senatu appellatus est. Euphrate trajecto Adiabenos subegit, Arbela & Gaugamela, in quorum campis olim Alexander debellaverat Darium, vi cepit; Antemusium opimam Persidis regionem, Seleuciamque, & Ctesiphontem, Edessam ac Babylonem occupavit, & tenuit. Usque ad Indiæ fines primus post Alexandrum accessit, in mari rubro classem instituit, qua Indiæ fines vastaret. Armeniam omnem, Mesopotamiam, & Assyriam, quæ inter Tigridem & Euphratem sitæ irriguis amnibus instar Ægypti fœcundantur, cum his gentibus quæ Madenam attingunt, tres Romanas provincias fecit. Atque inter Romanos & Parthos imperii limitem fluvium Tigrim esse voluit. Parthis jam victis defectionemque molientibus, apud Ctesiphontem patentibus campis, coram Romanorum & Parthorum procerum multitudine, regem diademate imposito designavit Parthenaspatem, atque ita rebus orientalibus compositis in Arabiam profectus est. Ex Dione, Rufo, Eutropio, & Orosio. Harum omnium rerum mentionem in Trajani nummis aureis, argenteis, æneisque mentionem fieri animadverti. Nam de Armenia & Mesopotamia provinciis factis extat nummus sic inscriptus: ARMENIAE. ET. MESOPOTAMIA. IN. P. P. R. REDACTAE. item in alio: ARMENIA. SVBACTA. IMP. VI. COS. VI. De regibus a Trajano variis nationibus datis alius nummus sic meminit: REGNA. ADSIGNATA. De rege vero Parthis dato, & triumpho Parthico hos præterea nummos Trajani sic inscriptos vidi: REX. PARTHIS. DATVS. item: TRIVMPHVS. PARTHICVS. Quæ autem regiones, aut quo in loco hæ fuerint, quas Trajanus provincias Romanas fecit, aperte libro I. de bello Persico indicat Procopius: *Regio* (inquit) *quæ est Samosatis, juxta Euphratem est, jam dudum Comagene, nunc autem ex fluvii nomine Euphrantia vocata est. Quæ autem intra utrumque fluvium existit, Mesopotamia ex argumento nominis dicitur. Cujus pars non solum hac appellatione, sed aliis quibusdam dicitur nominibus, ut ea quæ ad Autidam pertinet civitatem, Armenia a nonnullis vocatur, Edessa vero cum ipsius circa locis Osroene.* Mesopotamia igitur ea regio est, quæ inter Euphratem & Tigrim amnes est sita, cujus præsidio cum eam in provinciæ formam Trajanus primus redegisset, duas legiones addidit, duosque novos imperii limites fecit Dacicum, & super Tigrim.

Provincia Arabia.

Bello Parthico confecto, Trajanus in Arabiam re- A gressus, Agarenos rebellantes obtrivit, quumque magnam ejus regionis partem occupasset, eam provinciam Romanam, ut tradit Sex. Rufus, fecit. Ita enim ait: *Sub imperatoribus Romano imperio accesserunt Pontus omnis, Armenia minor, oriens totus cum Mesopotamia; Assyriaque, & Arabia, cum Ægypto sub Romani imperii jura transivit.* Item alibi: *Agareni, & Judæi in Palæstina a Cn. Pompeio victi sunt. Ad extremum sub Trajano principe regi majoris Armeniæ diadema sublatum est, & per Trajanum Armenia, Mesopotamia, Assyria, & Arabia provinciæ factæ sunt, ac limes orientalis supra ripam Tigridis fluminis institutus.* Arabiæ provinciæ a Trajano fa- B ctæ mentio est in ejusdem vetusto nummo sic: ARABIA ADQVISITA. Eutropius vero: *Arabiam* (inquit) *Trajanus in provinciæ formam redegit.* Eam provinciam postea novis gentibus victis, & imperio Romano adjunctis novam provinciam fecit Severus imperator, bello Parthico confecto, quo Parthos, & Adiabenos, Arabesque interiores gravibus prœliis, & cladibus afflixit, ut tradunt Eutropius & Rufus.

De provinciis orientalibus a Trajano imp. adquisitis.

Hadrianus, qui post Trajanum imperium Romanum adeptus est, quum ut aliis multis, ita gloriæ Trajani invideret, tres illas nobilissimas provincias C Armeniam, Mesopotamiam & Assyriam, illico nulla ductus necessitate, sed sponte sua Persis reddidit, quas Romano imperio, ut ostendi, Trajanus adjunxerat, revocatisque legionibus, inter Romanos & Persas veterem imperii limitem Euphratem amnem esse voluit. Idem de Dacia facere conatum amici deterruerunt, ne multi cives Romani barbaris traderentur, propterea quod Trajanus victa Dacia ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat ad agros & urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali fuerat exhausta. Quidam hujus rei hanc potissimum caussam fuisse suspicati sunt, quod antiquis vatum responsis ferebatur, infaustum D fore, ac infelix imperatori populi Romani, qui exercitus armatos trans Euphratem amnem urbemque Ctesiphontem promovisset: exitium hoc fuisse M. Licinio Crasso, ipsumque Trajanum proxime in Italiam cum Parthica victoria non rediisse, Valerianum captum, Carum ictu fulminis absumptum, Julianum postremo occisum. Ex quibus provinciis Assyria & Armenia recuperatæ sunt a L. Vero, Seleucia urbe nobilissima cum D. millibus hominum, & Artaxatis harum provinciarum primariis urbibus captis, Capitolino, Eutropio, Rufo, & Iornande auctoribus. Mesopotamia vero quatter amissa est, & quat- E ter recuperata, ut ait Rufus. Eam enim primo ab Hadriano relictam recepit cum Assyria, & Armenia L. Verus. Commodus iterum perdidit, recuperavit Severus; tertio a Persis Valeriano imperatore capto cum Armenia occupatam, tertius Romano imperio restituit Odenatus decurio Palmyrenus, Gallieni auspiciis. Quarto sub Caro deperditam, Diocletiani temporibus victis prima congressione Romanis, secundo vero conflictu profligatis Persis superatoque rege Narseo, & uxore ejus, ac filiabus captis, pace facta, Galerius Maximianus imperio restituit, Armeniaque omni etiam recepta, super ripam Tigris imperii limes olim a Trajano constitutus, & ab F Hadriano translatus, iterum est reformatus. Ad hæc quinque trans Tigrim a Galerio Romanæ provinciæ factæ Azarsavena, Mozena, Zabdicena, Rhenumena, & Carduena. Quas provincias postea ignominioso quidem sed necessario fœdere, adjuncta Singarena, Nisibi, & Mesopotamiæ superioris parte, Jovianus Persis reddidit, ut paulo post exponam, & ita termini imperii occidentem versus quarto mutati sunt.

Hæc autem sunt omnium provinciarum nomina, quæ a populo Romano ab urbe condita usque ad imperii excidium in potestatem redactæ sunt. Quas

quanta potui diligentia ex antiquis scriptoribus collegi, quibus accurate digestis, nunc reliquum est ut earum legionum seriem, institutionem, & mutationes ex vetustis lapidibus, & Dione lib. LV. potissimum referam, quæ post Vespasiani imperium, vel institutæ sunt, vel in imperii limitibus locatæ, atque ab ipso Vespasiano imperatore incipiens, quæ ab aliis quoque Augustis additæ sunt, persequar.

CAP. XX.

Legiones populi Romani inter Vespasiani & Alexandri Augustorum imperia additæ.

Legiones additæ ab imp. Cæsare Vespasiano Augusto.

LEGIO II... in Germania. Tacitus lib. IV. & V. Hist.

Legio IV. Flavia felix fidelis in Suria.

Hujus legionis mentio est in hisce vetustis inscriptionibus. Romæ in hortis Carpensibus.

D . M
C. ANNIO. VALENTI
VET. EX. NVM. FRVM
LEG. IIII. FL.
C. ANNIVS. HERACLA
FECIT. PATRONO. B. M.

Item Pisauri.

C. LVXILIO. C. F. POMPT. SABINO
EGNATIO. PROCVLO. CVR. RER
PISAVR. ET. FANESTR. TRIB
LATICL. LEG. IIII. FLAV. PATRONO
COLONIARVM. PISAVR. ET. FANESTR

Paulo extra urbem Reatinam.

SEX. TADIVS. SEX. F. VOL. LVSIVS
NEPOS. PAVLLINVS. TR. MIL. LEG
IIII. F. F. X. VIR. STLIT. IVDIC

Item Auximi in Piceno.

C. OPPIO. C. F. VEL. BASSO. P. P. P. C
PR. I. D. AVX. 7. LEG. IIII. FL. FEL
ET. LEG. II. TR. FORT. EVOK. AVG.

Hanc legionem Dio libro LV. commemorat.

Legio XVI. Flavia fidelis in.....

De hac legione mentionem extare vidi in hac vetusta inscriptione, Sæpini in Samnio.

L. NERATIO. C. F. VOL. PROCVLO
X. VIRO. STLITIBVS. IVDICANDIS
TRIB. MILIT. LEGION. VII. GEMINAE
FELIC. ET. LEG. VIII. AVG. QVAEST. AEDIL
PLEB. CEREAL. PRAEF. LEG. LEG. XVI
FLAVIAE. FIDEL. ITEM. MISSO. AB. IMP
ANTONINO. AVG. PIO. AD. DEDVCEN
DAS. VEXILLATIONES. IN. SYRIAM. OB
BELLVM. PARTHICVM. PRAEF. AERARI
MILITARIS. COS. MVNICIPES. SAEPINATES

Legio I. Minervia pia fidelis in Germania inferiore, addita a Domitiano Augusto.

Hanc legionem Spartianus in Hadriano, & vetus hæc Beneventana inscriptio commemorat:

M. MARIO. M. F. STEL. TITIO
RVFINO. COS. LEG. LEG. I
MINER. P. F. CVR. COL
CLAVD. AVG. ARIPPINENSIVM
PRO. COS. PROV. SICILIAE. CVR
AMITERNOR. PRAEF. TR. PL. Q.
PROV. MACED. SEVIR. TVRMAR
EQ. ROM. TRIB. LATICL. LEG. I
ADI. P. F. IIII. VIRO. STLITIB. IVDIC

Legiones additæ a Trajano Imperatore.

Legio II. Trajana fortis in Ægypto.

Hujus legionis Dio libro LV. & vetustæ hæ inscriptiones Auximates meminerunt.

Q. PLOTIO. MAXIMO. COLLIN
TREBELLIO. PELLIDIAN. EQ. PVB
TRIB. LEG. II. TRAIAN. FORT
TRIB. COHORT. XXXII. VOLVNT
TRIB. LEG. VI. VICTRIC. &c

Item ibidem:

C. OPPIO. C. F. VEL. BASSO
OMNIBVS. OFFICIIS. IN. CALIGA
FVNCTO. CENTVRIONES. LEG
II. TRAIANAE. FORTIS. OPTIMO
ET. DIGNISSIMO

Legio XXX. Ulpia victrix in Germania.

Hujus legionis Marcellinus libro XIIX. Dio libro LV. & vetustæ hæ inscriptiones mentionem faciunt Romæ in vinea Reverendiss. Card. Carpensis.

D . M
T. FL. IOCVNDO. ER. LEG
XXX VLP. FLAVI. FRVCT.
S. ET. VIC. ER. LEG. EIVSDEM
HERED. F. C.

Romæ apud Gentilem Delphinium.

M. AEMILIO. M. F. NIGRO
ARA. MIL. FRVM. LEG. XXX. V. V.

Legiones additæ a M. Antonino Augusto.

Legio II. Italica Divit. in Norico.

De hac legione Dio libro LV. & vetusta hæc epigrammata meminerunt.

D . M
FLORIO. BAVDIONI. VIRO. DVCENARIO
PROTECTORI. EX. ORDINARIO. LEG. II
ITAL. DIVIT. VIX. AN. XL. MIL. AN. XXV. VAL
VARIO. OPTIO. LEG. II. ITALICAE. DIVIT
PARENTI. KARISSIMO. M. F. C

Romæ in ædibus Colotianis.

AVR. SATVRNINO. EQ. COH. VIII. P. 7
VERISSIMI. QVI. MILITAVIT. IN. LEG. SE
CVNDA. ITALICA. TESSERARIVS. AN. VI
QVI. VIXIT. AN. XXVIII. AVR. OPTATIANVS
EQ. FRATRI. BENEMERENTI. POSVIT

Legio III. Italica in Rhetia.

Hujus meminerunt Dio, & vetustum hoc epigramma:

CN. LAVDIVS. CN. F. FAL. THALLVS
MIL. COH. X. PR. 7. LIMI
ITEM. TESSERARIVS. IN. LEG. III
ITALICA. AN. VI. TRAIECTVS. IN
COH. XI. PR. 7. P. SATRI. Q. MIL
ANN. IIX. VIX. AN. LXII. H. F. S. C. A

Legiones additæ a Severo imperatore.

Legio I. Parthica in Mesopotamia.

Hanc Dio libro LV. & Marcellinus libro XX. commemorant.

Legio II. Parthica in Italia.

Hanc præter Dionem libro LV. vetus quoque hæc Prænestina inscriptio profitetur:

DIIS . MANIBVS
L. IVNIVS. L. F. PONTINA. OCVLNIVS
MIL. LEG. II. PARTH. ANN. IIX
VIX. AN. XXXXVI. H. F. C

Legio III. Parthica in Mesopotamia.

Ut tradit libro LV. *Dio, de qua vetus etiam hic lapis Romæ via Ardeatina mentionem facit.*

L. AVRELIO. L. F. PAP. FAVORI
VETERAN. LEG. III. PARTHIC. P. F.
ET. A. LOCIS. AEGRIS. CVST
LEG. EIVSDEM.

Nomina legionum, quæ ex superioribus desunt, vel sunt eædem cum his, mutatis nominibus, inter Vespasianum, & Alexandrum Impp.

Legio I. . . . . . ab Augusto
Legio I. Classica a Nerone
Legio II. . . . . a Vespasiano
Legio V. Claudiana a Claudio
Legio VII. Galbiana a Galba
Legio IX. Hispaniensis ab Aug.
Legio XV. . . . . a Claudio
Legio XVI. . . . ab Augusto
Legio XVIII. Victrix a Claudio
Legio XIX. . . . ab Augusto
Legio XXI. Rapax a Claudio
} additæ.

Nomina XXXIII. *legionum populi Rom. sub imp. Cæsare M. Aurelio Alexandro Augusto* XIII. *limitibus dispositarum.*

In Italia legio I.
Legio II. Parthica.

In Britannia legiones III.

Legio II. Augusta in Britannia superiore.
Legio VI. Victrix in Britannia inferiore.
Legio XX. Valeria victrix in Britannia superiore.

In Germania inferiore legiones IV.

Legio I. Minervia pia fidelis.
Legio II. Adjutrix pia fidelis.
Legio VII. Gemina pia fidelis.
Legio XVI. Flavia fidelis.
In Germania superiore legiones IV.
Legio X. Frentesis.
Legio VIII. Augusta.
Legio XXII. Primigenia pia fidelis.
Legio XXX. Ulpia victrix.
In Rhetia legio I.
Legio III. Italica.
In Norico legio I.
Legio II. Italica.
In Pannonia legiones III.
Legio I. Adjutrix pia fidelis in Pannonia inferiore.
Legio X. Gemina Gordiana pia fidelis in Pannon. super.
Legio XIV. Gemina Martia victrix.
In Mœsia legiones III.
Legio I. Italica in Mœsia inferiore.
Legio VII. Claudiana pia fidelis in Mœsia super.
Legio XI. Claudiana pia fidelis in Mœsia inferiore.
In Dacia legiones II.
Legio V. Macedonica.
Legio XIII. Gemina pia fidelis.
In Cappadocia legiones II.
Legio XII. Fulminatrix.
Legio XV. Apollinaris.
In Mesopotamia legiones II.
Legio I. Parthica.
Legio III. Parthica.
In Suria legiones IV.
Legio III. Gallica in Phœnice.
Legio IV. Scythica.
Legio IV. Flavia felix fidelis.
Legio VI. Ferrata R. F. C. in Judæa.
In Ægypto legiones II.
Legio II. Trajana fortis.
Legio III. Cyreneica in Arabia.
In Africa legio I.
Legio III. Augusta in Numidia.
In urbe.
Cohortes vigilum VII.
Cohortes urbanæ XIV.
Cohortes prætoriæ XII.

Cohortium vigilum primæ, secundæ, &c. usque ad VII. Item prætorianarum usque ad XII. & urbanarum usque ad XIV. in his antiquis epigrammatibus mentionem sic fieri animadverti:

In musæo Carpensi Romæ.

L. AVFVSTI. L. F. SVBVRA. RVFINI
CEN. COH. VII. VIGIL. ROM. &c.

Item Romæ in æde D. Pudentianæ.

C. ACILIO. C. F. VOL. MARTIALI
VASIONE. VETER. EX. COH. XII. PR.
MILITAVIT. ANNIS. XVII. VIXIT
ANNIS. LV. M. I. Q. DOMITIVS
ADIVTOR. HERES. CONSORTI. SVO
BENE. MER. FECIT. ET. SIBI

Romæ in ædibus Bubalorum.

M. ANTONI. M. F. FAB. PHOEBI
MIL. COH. XIV. VRBANAE. 7. PERENNI
STIPENDIORVM. IIII. SECVTOR. TRIB
VIX. ANN. XX. M. V. D. XX. H. III
EPICTETVS. ET. PHOEBE. PARENTES
INFELICISSIMI. FECERVNT

Classis Prætoria Misenas.
Classis Prætoria Ravennas.
In his classibus aliquot cohortes conscriptæ erant, de quibus etiam vetustæ inscriptiones mentionem faciunt:

Romæ in Quirinali in hortis Reverendissimi Carpensis.

D. M
MAGIA. IANVARIA. TATAE. SVO
BENEMERENTI . FECIT
C. ANTONIO. ANTARINO
MILITI. EX. CLASSE. PRAE
TORIA. MISENATIVM. VIX
AN. XL. MIL. XXIV

Item Romæ in ædibus Laur. Velleii.

T. FLAVI. VALENTIS. MIL
CLASS . PR . MISENIESIS
AGRADIESIS. VIX. ANN. XXVII.
MIL . ANN . VI

De classe vero prætoria Ravennate Firmi in Piceno ejusmodi extat inscriptio:

T. APPAEIO. T. F. VEL. ALFINIO
SECVNDO. PROC. AVG. XX. HERED
PROC. ALP. ATRECTIANAR. PRAEF
VEHICVL . SVB . PRAEF. CLASS
PRAET . RAVENN . PR . ALAE. I
AVG. THRAC. TRIB. COH. I. AELIAE
BRITTON. PRAEF. COH. IIII. GALLOR.
PATRONO . COL

Hæ erant omnes populi Romani legiones & cohortes suis limitibus imperio tuendo, ita ut exposui, sub Alexandro imp. distinctæ, ut ex Dione, & vetustis epigrammatibus accurate examinatis collegi. Quarum omnium nomina eo ordine quem subjiciam, in fragmento columnæ sub Palatii radicibus, versus templum

plum Pacis aliquot annis ante repertæ, ita exarata erant. A

NOMINA. LEG

II. AVG	II. ADIVT	IIII. SCYTH
VI. VICTR	IIII. FLAV	XVI. FLAV
XX. VICTR	VII. CLAVD	VI. FERRA
VIII. AVG	I. ITALIC	X. FRETE
XXII. PRIM	V. MACED	III. CYREN
I. MINER	XI. CLAVD	II. TRAIAN
XXX. VLP	XIII. GEM	III. AVG
I. ADIVT	XII. FVLM	VII. GEM
X. GEM	XV. APOL	II. ITALIC
XIV. GEM	III. GALLIC	III. ITALIC
I. PARTHIC	II. PARTHIC	III. PARTHIC

B

Dio, qui sub Alexandro Imp. vixit, lib. LV. historiarum, omnium fere harum populi Romani legionum, quæ etiam suo tempore erant, nomina, auctores, limitesque, in quibus commorabantur, accurate enumerat. Ex quo præcipue eas ego quoque concinnavi. Is quum neget post Severum imperatorem, qui tres ultimas legiones Parthicas instituit, alias additas usque ad sua tempora fuisse, in eam ego deveni sententiam, ut hæ omnes legiones sub Alexandri potissimum imperio, sub quo ipse historiam suam conscripsit, fuerint. Post cujus tempora, C plerasque harum vel exauctoratas, vel nomina mutasse, plerasque etiam vetera nomina retinuisse, quasdam in plures legiones distinctas fuisse, atque omnino harum seriem immutatam fuisse, satis ex eo libro patet, cui notitia utriusque imperii nomen inditum est. In quo diligenter inter cetera omnes illæ legiones enumerantur, quæ post Alexandri tempora institutæ a sequentibus imperatoribus fuerunt, de quibus ob eam potissimum caussam amplius disserere supervacaneum esse existimavi. Nam in eo libro ita accurate omnes traduntur, ut nihil diligentius fieri posse existimem. Ego porro, ne quid eorum, quæ hujus libri constituendi caussa collegi, D omittam, earum omnium legionum nomina hic suggeram, quas ex vetustis tantum inscriptionibus collegi; quarum nulla præterea aut ab auctoribus, aut a me supra facta mentio fuit, quum earum auctores, tempora, & limites ignorarim. Sunt autem hæ:

Legio II . . . . .
Legio III. Felix . . . . .
Legio III. . . . . .
Legio IV. Gallica.

Hujus legionis mentio est in vetusto fragmento Romæ apud Gentilem Delphinium. E

. . . T. LEG. IIII. GALLICAE
PRAEF. COH. IIII. LINGONVM

Legio IV. Italica.

Alia etiam vetus inscriptio hanc legionem sic commemorat:

TI. CLAVDIO. QVIR. FRONTINO
NICERATO. CL. FRONTINI. COS. F
X. VIR. STLIT. IVD. TRIB. LATICLAVIO
LEG. IIII. ITALICAE. QVAESTORI. PRO. PR
PROVINCIAE. ACHAIAE

F

Legio V . . . .
Legio V. B. . . .
Legio V. Alauda pia felix. Hæc a Cæsare dictatore instituta est, auctore Tranquillo, de qua vetustum hoc epigramma Romæ via Cassia situm meminit:

DIIS. MANIBVS. SACRVM
VLPIAE. PYRALLIDI. CONIVGI
ET. SIBI. HILARVS. AVG. LIB
TIBICIN. LEG. V. ALAVD
P. FEL. VIVVS. FECIT

Legio V. Augusta.
Et hujus legionis meminit hic lapis:

ISIDI. SACRVM
SEX. POMPEIVS. SEX. L. SYRVS
MIL. LEG. V. AVG. V. S. L. M

Legio VII . . . .
Legio VIII . . . . .
Legio VIII. Antoniniana.
Et de hac legione in antiqua hac inscriptione mentionem extare vidi:

GENIO. SANCTO
M. AVR. CL. POMPEIANVS
MIL. LEG. VIII. ANTONINIANAE
AVG. B. F. COS. K. IANVAR

Legio X. Augusta.
De hac legione mentionem facit vetus hic lapis:

IOVI. VICTORI
K. AIMILIVS. K. F. QVIR
ARRINVS. MIL. LEG. X. AVG
S. P. P. D. D

Legio X. Vener.
Legio XI . . . . .
Legio XIII . . . . .
Legio XIV . . . . .
Legio XVI . . . . .
Legio XVII. Mil . . . .
Legio XIIX . . . . .
Legio XX. Hered.
Legio XXII. Deiotariana.
Hanc etiam legionem vetusta inscriptio sic profitetur.

L. BAEBIVS. L. F. GAL. IVNIANVS
PRAEF. FABR. PRAEF. COH. IIII
RHETORVM. TRIB. MIL. LEG
XXII. DEIOTARIANAE
PRAEF. ALAE. ASTYRVM
PRAEF. VEHICVLORVM
IVRIDICVS. AEGYPTI

De quibusdam præterea aliis, & cohortibus, quarum in vetustis inscriptionibus mentio est.

Post legiones, multæ præterea militum cohortes ab imperatoribus institutæ sunt ex variis gentibus, quæ vel una cum legionibus limitibus Romani imperii tuendis incubabant, vel variis in locis collocatæ in præsidiis erant. Harum præcipuæ, ex antiquis inscriptionibus a me collectæ, hæ erant:

Cohors I. Ælia Brittonum.
Cohors I. Aquitanorum.
Cohors I. Noricorum.
Cohors II. Africanorum.
Cohors II. Aquitanorum.
Cohors II. Bracar.
Cohors II. Class.
Cohors II. Pannoniorum.
Cohors II. Thracum.
Cohors II. Thracum Syriaca Claudiana pia fidelis.
Cohors III. Alpin.
Cohors III. Aug. Thracum.
Cohors III. Illyriorum.
Cohors IV. Gallorum.
Cohors IV. Lingonum.
Cohors IV. Rhetorum.
Cohors VI. Thracum.
Cohors VII. Thracum.
Cohors VIII. Voluntariorum.
Cohors XV. Voluntariorum.

Cohors XXXII. Voluntariorum.
Erat & præfectus ripæ Danubii.

Alarum quoque in vetustis monumentis multa mentio est. Alæ autem equitum manus erant legionum præsidio constitutæ, ut supra ostendi; in his præcipuas fuisse animadverti:

Ala Astyrum.
Ala I. Aug. Thracum.
Ala Flaviana.
Ala Indiana.
Ala I. Pannoniorum.
Ala VII. Phrygum.

CAP. XXI.

De Coloniis extra Italiam.

PROVINCIIS omnibus populi Romani, legionibusque per eas constitutis expositis, nunc superest, ut quo liber omni ex parte perfectus sit, eas etiam colonias brevissime referam, quæ per omnes orbis Romani provincias extra Italiam deductæ sunt. Quarum seriem commodius tradere posse existimavi provinciarum ordine servato. Nam quum multæ ex iis incertos habuerint deductores, temporis rationem, quemadmodum supra feci in his, quæ intra Italiam factæ fuerant, habere non potui. Provinciarum igitur ordinem sequar, quarum in hac mea digestione Britanniam primam statui.

Coloniæ populi Romani extra Italiam.

In Britannia coloniæ V.

Colonia Camalodunum, de qua meminit Tacitus lib. XII.
Colonia Divana legio XX. Victrix, cujus meminit Ptolemæus.
Colonia Eboracum legio VI. Victrix, de qua Ptolemæus.
Colonia Londinum, de qua Tacitus libro XIV.
Colonia Victricensis; cujus mentio est in vetusta inscriptione.

In Hispania Lusitania coloniæ V.

Colonia Augusta Emerita, hodie appellatur Merida, cujus & quattuor sequentium meminit Plinius libro IV. cap. XXII. De ea vero tantum Tacitus libro XVII. & Paullus in digestis mentionem faciunt.
Colonia Metallinensis, hodie Medellin. Plinius ibidem
Colonia Norbensis Cæsariana, alias Norba Cæsarea, hodie Alcantara. Plinius ibidem.
Colonia Pacensis, alias Pax Julia, hodie Badaioz. Paullus in digest. L. XV. VIII.
Colonia Scalabis, sive Præsidium Julium, hodie Trugillo. Plinius, Ptolemæus. In eadem provincia erat municipium.
Olissipo, alias Felicitas Julia. Plinius ibid.

In Hispania Bætica coloniæ VIII.

Colonia Asta regia, cujus & septem sequentium meminit Plinius libro historiæ naturalis III. cap. I.
Colonia Astigitana, sive Augusta firma, hodie Eziia.
Colonia Atubi, sive claritas Julia. Plinius ibid.
Colonia Corduba Patricia, hodie Cordova.
Colonia Hispalis Romulensis, hodie Seviglia. Tacitus libro XVIII.
Colonia immunis Ituci, sive Virtus Julia. Plinius.
Colonia immunis Tucci, sive Augusta Gemella.
Colonia immunis Urso, sive Gemina urbanorum. Plinius. In eadem provincia erant municipia octo. Plinius ibid.

In Hispania Tarraconensi coloniæ XII.

Colonia Acci, sive Accitana, hodie Guadix, cujus & XI. sequentium meminit Plinius hist. nat. libro III. cap. III.

A Colonia Asturia, hodie Astorga.
Colonia Barcino, olim Faventia, hodie Barcellona. Paullus.
Colonia Cæsarea Augusta immunis, olim Salduba, hodie Sarragozza. Plinius ibidem.
Colonia Carthago nova, hodie Cartagena.
Colonia Celsa, hodie Xelsa.
Colonia Clunia, hodie Cruna. Ptolemæus.
Colonia immunis Ilce, hodie Elche. Paullus.
Colonia Julia Obrica Flavia. Plinius.
Colonia Salariensis. Plinius ibid.
Colonia Tarraco, hodie Tarragona. Tacitus lib. I.
Colonia Valentia, hodie Valenza. Paulus, Florus lib. LV.
B In eadem provincia erant municipia XIII. Plinius.

Coloniæ in Hispania extra harum numerum.

Colonia Emporiæ, hodie Empurias. Ex Livio.
Colonia Gracchuris. Ex Livio.
Colonia Italica. Ex Gellio libro XVI. cap. XIII.
Colonia Marcia, hodie Marchena. Ex antiqua basi.

In Aquitania coloniæ II.

Colonia Lugdunum sub Pyrænao. Ptolemæus.
Colonia Ruscino sub Pyrænao. Tacitus.

In Gallia Belgica coloniæ VII.

C Colonia Agrippina Ubiorum. Vetus lapis. Plinius libro IV. cap. XVII. Tacitus libro XII. Paullus libro d'gestorum quinquagesimo. XV. VIII. Antoninus Pius in Itinerario.
Colonia Augusta Rauracorum, hodie Basilea. Vetus lapis. Plinius ibid.
Colonia Augusta Trevirorum. Vetus lapis.
Colonia Augusta Ulpia Trajana. Ptolemæus, & Antoninus.
Colonia Equestris. Plinius lib. IV. cap. XVII.
Colonia Juhonum. Vetus lapis. Tacitus libro XIII.
Colonia Lutarburgium Tarbelliorum. Vetus lapis.

D *In Gallia Lugdunensi coloniæ* II.

Colonia Lugdunum. Vetus lapis. Plinius lib. IV. cap. XVIII. Tacitus.
Colonia Vienna. Tacitus. Paullus L. XV. XVIII.

In Gallia Narbonensi coloniæ XIV.

Colonia Acusianorum. Ptolemæus.
Colonia Aquæ Sextiæ Salyorum. Paterculus. Plinius lib. III. cap. IV. Florus libro LXI. Ptolemæus.
Colonia Arausio Secundanorum. Plinius ibid.
Colonia Arelate Sextanorum. Plinius ibid. Ptolemæus.
Colonia maritima Avanticorum. Ptolemæus.
E Colonia Avenio. Ptolemæus.
Colonia Biteræ Septumanorum. Plinius lib. III. cap. IV.
Colonia Cabellio. Ptolemæus.
Colonia Narbo Martius Decumanorum. Cicero pro Fonteio. Idem in Bruto. Cæsar in commentariis. Paterculus libro secundo. Plinius libro III. cap. IV. Ptolemæus.
Colonia Nemausium Arecomicorum. Strabo libro quarto. Ptolemæus. antiquus Nummus.
Colonia Pacensis classica Forum Julii Octavanorum. Plinius libro III. cap. IV. Tacitus libris II. & IV. Hist.
F Colonia Tolosa. Ptolemæus.
Colonia Valentia. Ptolemæus,
Colonia Vienna Allobrogum. Tacitus.

In Corsica, quæ & Cyrnus, insula coloniæ II.

Colonia Mariana deducta a C. Mario. Plinius lib. 3. cap. VI.
Colonia Aleria deducta a Sulla dictatore. ibid.

In Sardinia insula coloniæ II.

Colonia Turres Libysonis. Plinius lib. tertio, cap. septimo.
Colonia Vestipolis. Ptolemæus.

In Sicilia insula coloniæ V.

A Colonia Catina. Hujus & quattuor sequentium meminit Plinius lib. III. cap. VIII. De ea vero item Ptolemæus.
Colonia Syracusæ. Plinius, Ptolemæus.
Colonia Taurominium, ante Naxos dicta. Ptolemæus.
Colonia Thermæ. Plinius.
Colonia Tyndaris. Plinius ibid.

In Rhetia coloniæ V.

Colonia Augusta Quinctanorum. Vetus lapis.
Colonia Augusta Tiberii, hodie Reginob. Vetus lapis.
B Colonia Augusta Rhetorum. Vetus lapis.
Colonia Constantia. Vetus lapis.
Colonia Curia. Vetus lapis.

In Vindelicia colonia I.

Colonia Augusta Vindelicorum. Vetus lapis.

In Norico coloniæ VI.

Colonia Aureliana Laureacensis.
Colonia Carnutum.
Colonia Celeia.
C Colonia Ovilabis Aurelia Antoniana.
Colonia Sabaria deducta a Claudio imp. Plinius.
Colonia Soluensis. Plinius libro tertio, cap. XXIV.
(Vetusta epigrammata.)

In Pannonia coloniæ V.

Colonia Æmona. Plinius libro III. cap. XXV.
Colonia Mursia. Ptolemæus.
Colonia Pœtovio. Tacitus lib. III. Hist. Vetus lapis.
Colonia Siscia. Plinius lib. III. cap. XXV.
Colonia Sirmium. Vetus lapis.

In Dacia coloniæ IV.

D Colonia Apulum, hodie Alba Julia. Vetus lapis.
Colonia Aquæ vivæ. Vetus lapis.
Colonia Perendanesiorum. Ptolemæus.
Colonia Ulpia Trajana Augusta Dacica Zarmis. Dio in Trajano, Vetus lapis.

In Thracia coloniæ IV.

Colonia Apros. Plinius libro III. cap. XI. Ptolemæus.
Colonia Develtus. Ptolemæus.
Colonia Flaviopolis. Plinius lib. IV. cap. XI.
E Colonia Philippi. Plinius ibid. Ulpianus, Celsus Digest. lib. L. XV. VI.

In Illyrico colonia I.

Colonia Jadera. Ptolemæus.

In Liburnis coloniæ quattuor.

Colonia Æquum. Ptolemæus.
Colonia Epidaurum. Plinius lib. IV. cap. IX.
Colonia Narona. ibid. Plinius.
Colonia Salona deducta a Claudio imp. Ptolemæus.

In Epeiro coloniæ duæ.

Colonia Buthrotum. Plinius lib. IV. cap. I.
F Colonia Nicopolis ad Actium ab Augusto deducta. Plinius lib. IV. cap. I. Tacitus & nummus argenteus.

In Macedonia provincia coloniæ sex.

Colonia Bullis. Ptolemæus.
Colonia Cassandria. Plinius lib. IV. cap. X. Ulpianus.
Colonia Epidamnum, alias Dyrrhachium. Plinius lib. III. cap. XXIII. Ulpianus.
Colonia Orestias. Plinius lib. IV. cap. X.
Colonia Pella. Plinius ibid.

In Græcia coloniæ duæ.

Colonia Marcilaida. Antoninus Pius in Itinerario.
Colonia Megara in Attica. Plinius lib. IV. cap. VII.

In Achaia coloniæ tres.

Colonia Julia Corinthus deductæ ab Augusto, Festus, Nummus, Plinius libro IV. cap. IV.
Colonia Dyme. Plinius lib. IV. cap. V.
Colonia Augusta Patrensis, deducta ab Augusto. Nummus, Plinius ibid.
Colonia Epiropia insula in mari Ægeo. Plinius lib. IV. cap. XII.

In Asia coloniæ Romanæ XI.

Colonia Sinope in Ponto. Plinius lib. VI. cap. II. Ulpianus.
Colonia Apamena in Bithynia. Plinius lib. V. cap. XXXII. Ulpianus.
Colonia Ancyra in Galatia. Plinius lib. V. cap. XXXII.
Colonia Germa. Ptolemæus.
Colonia Cæsarea Antiochia in Pisidia. Plinius lib. V. cap. XXVII. Ulpianus.
Colonia Gremna in Pamphylia. Ptolemæus.
Colonia Troas Antigonia Alexandria in Phrygia. Plinius libro quinto, cap. XXX. Ulpianus.
Colonia Parium, alias Pariana in Asia. Plinius lib. V. cap. XXXII. Ulpianus.
Colonia Adramyttium Æolum in Asia. Plinius lib. V. cap. XXX.
Colonia Selinus, alias Trajanopolis in Cilicia. Ulpianus.
Colonia Archelais Cæsarea in Cappadocia, deducta a Claudio imp. Plinius lib. sexto, cap. III.

In Suria coloniæ XX.

Colonia Antiochia ad Orontem Suriæ Metropolis deducta ab Antonino Caracalla imp. Ulpianus Digest. lib. L. tit. XV.
Colonia Emesena in Phœnice ded. a Caracalla. Ulpianus.
Colonia Ælia Capitolina in Judæa Palæstina deducta ab Hadriano imperatore. Ulpianus ibid.
Colonia Apulensis. Ulpianus ibid.
Colonia Augusta Berythus Felix Julia in Cœlesuria. Plinius lib. V. cap. XX. Ulpianus L. XV. I. Nummus argenteus.
Colonia Turris Stratonis, alias Felix Augusta Cæsarea Flavia prima deducta a Vespasiano imp. Plinius lib. V. cap. XIII. Ulpianus.
Colonia Capitulum deducta a Tito Cæsare imp. Ulpianus.
Colonia Damascus Metropolis. Nummus argenteus.
Colonia Hel..... Nummus argenteus.
Colonia Jul. Sert. Sac. Aug. Felix. Nummus.
Colonia Julia Germanicia sacra Augusta Felix. Nummus.
Colonia Laodicia. Ulpianus.
Colonia Misena ab Antonino Caracalla deducta. Ulpianus.
Colonia Naconensis. Ulpianus.
Colonia Palmyra a Caracalla imp. deducta. Ulpianus.
Colonia Paranisensis deducta a Severo imp. Ulpianus.
Colonia Ptolemais Phœnica in Palestina deducta ab imp. Claudio. Plinius lib. V. cap. XIX. Ulpianus.
Colonia Sebastena deducta a Severo imp. Ulpianus.
Colonia Sidon in Phœnice deducta a Caracalla. Ulpianus.
Colonia Tyrus in Phœnice deducta a Severo. Ulpianus.
Colonia Zarme Tigetusa. Ulpianus L. XV. I.
Colonia Melitene in Armenia majore. Ptolemæus.
Colonia Nisibis juxta Euphratem. Marcellin. lib. XXV.
Colonia Sinis juxta Euphratem. Ptolemæus.
Colonia Heliopolis in Ægypto a Severo deducta. Ulpianus.
Colonia Pharus Cæsaris dictatoris in Ægypto. Plinius.
Colonia Bostra in Arabia. Nummus.
Colonia Indicia Cyrenensium deducta a Trajano. Ulpianus.

In Africa coloniæ LVII.

In provincia Cæsarienſi coloniæ IX.

Colonia Abilis. Ptolemæus.
Colonia Babba Auguſta Julia campeſtris. Plinius libro quinto, cap. primo, & Antoninus.
Colonia Banaſa Valentia. Plinius ibid.
Colonia Lixos a Claudio imp. deducta. Plinius ibid.
Colonia Ruſardir. Antoninus in Itinerario.
Colonia Silda. Ptolemæus.
Colonia Tingi, alias traducta Julia, deducta a Claudio imp. Plinius ibid.
Colonia Volubilis Antoninus, & Ptolemæus.
Colonia Tubil, alias Zili Auguſta Conſtantia. Plinius ibidem, Antoninus & Ptolemæus.

In Mauritiana Cæſarienſi coloniæ XIX.

Colonia aquæ calidæ. Ptolemæus.
Colonia Arſenaria. Ptolemæus.
Colonia Bida. Ptolemæus.
Colonia Carcenna Auguſta legio II. Plinius libro V. cap. II. Antoninus & Ptolemæus.
Colonia Gilua. Antoninus in Itinerario.
Colonia Gunugi Auguſti cohors prætoria. Plinius ibid.
Colonia Icoſio deducta a Veſpaſiano. Antoninus, Ptolemæus.
Colonia Igilgi. Antoninus. Ptolemæus.
Colonia Jol Cæſarea, Jubæ regia a Claudio imp. deducta. Plinius ibidem, & Antoninus.
Colonia Oppidoneum. Ptolemæus.
Colonia Quiza appellatur a Ptolemæo, ab Antonino vero municipium.
Colonia Ruſazus Auguſti. Plinius ibid. Antoninus.
Colonia Ruſconiæ Auguſti. Plinius lib. IV. cap. ſecundo. Antoninus in Itinerario, Ptolemæus.
Colonia Ruſcurium deducta a Claudio imperatore, Plinius ibidem, Antoninus & Ptolemæus.
Colonia Saldis Auguſti, Plinius ibid. Antoninus, & Ptolemæus.
Colonia Siga appellatur a Ptolemæo, ab Antonino vero municipium.
Colonia Sitifi. Ptolemæus, & Antoninus.
Colonia Succabar Auguſta. Plinius ibid.
Colonia Tipaſa. Antoninus, Ptolemæus.

In eadem provincia municipia VII. *ex Antonino*.

Munic. Bidil.	Munic. Ciſi.	Munic. Coba.
Munic. Jonium.	Munic. Ruſaxis.	Munic. Sava.
Municipium Tegauda.		

In Numidia coloniæ VII.

Colonia Afrodiſium. Ptolemæus.
Colonia Cyrtha Sittianorum, Plinius libro V. cap. III. Antoninus in Itinerario.
Colonia Hipporegius. Antoninus in Itinerario.
Colonia Ruſicade. Ptolemæus.
Colonia Sica. Plinius ibidem.
Colonia Simitu. Antoninus.
Colonia Tabracha. Ptolemæus.
Municipium Culli. Antoninus in Itinerario.

In provincia Valeria Byzacena coloniæ IX.

Colonia Cuina. Ptolemæus.
Colonia Hadrumetum. Ptolemæus, Antoninus.
Colonia Lares. Antoninus, & Ptolemæus.
Colonia Ocea. Antoninus.
Colonia Sabrata. Ptolemæus, Antoninus.
Colonia Tacape. Ptolemæus, Antoninus.
Colonia Ælia Auguſta Mercurialis Thænitis, alias Thænae. Antoninus. Vetus inſcriptio.
Colonia Thebeſte. Ptolemæus.
Colonia Ælia Hadriana Auguſta Zama regia. Plinius libro V. cap. IV. Ptolemæus. Vetus tabula ænea.
Municipia Giti, & Pontezita. Antoninus.

In Africa veteri coloniæ V.

Colonia Admedera. Antoninus.
Colonia Carthago prima extra Italiam deducta. Plinius lib. V. cap. V. Ulpianus, Paterculus, Florus, Appianus, & alii.
Colonia Maxula. Plinius ibid.
Colonia Neapolis. Plinius ibid. Ptolemæus.
Colonia Utica. Gellius lib. XVI. cap. XIII.

In Africa nova coloniæ VIII.

Colonia Culcua. Ptolemæus.
Colonia Leptis magna. Ptolemæus, Antoninus, Ulpianus.
Colonia Thuſdrum. Antoninus.
Colonia Tiba. Ptolemæus.
Colonia Tuburnica. Ptolemæus.
Colonia Tuburbis. Ptolemæus.
Colonia Tynidrumum. Ptolemæus.
Colonia Utina. Ptolemæus.

CAP. XXII.

De Vectigalibus populi Romani

PROVINCIIS, coloniis, & legionibus omnibus populi Rom. expeditis, locus hic me admonet, ut quod paulo ante de vectigalibus imperii Romani me ſcripturum pollicitus ſum, nunc afferam. Ante bellum igitur Mithridaticum, quod Cn. Pompejus geſſit, in quo Romano imperio tres novas provincias, Bithyniam, Ciliciam omnem, & Syriam adjunxit, tributis & vectigalibus populum Romanum ex annuis earum quas commemoravi provinciarum, quinque millia myriades drachmarum Atticarum cepiſſe, in Pompeii vita auctor eſt Plutarchus. Nam ante ea tempora quod annuum vectigal reip. Romanæ fuerit, incompertum eſt. Poſt bellum vero Mithridaticum iis provinciis per Cn. Pompeium Romano imperio adjunctis, annui reditus aucti tribus millibus & quingentis myriadibus, atque omnino factæ octo millia & quingentæ myriades drachmarum Atticarum. Quam ſummam quo ad noſtri temporis pecuniæ uſum facilius redigam, pauca quædam de antiquorum tam apud Romanos, quam apud Græcos nummorum ratione diſputabo, eaque in hac re tradenda afferam, quæ ego Romæ apud Gentilem Delphinium & ipſe vidi, & manibus attrectavi. Ac primum quidem de Romanorum pecunia, poſt Græcorum, quantum ad rem propoſitam explicandam attinet, diſſeram. Apud Romanos tria erant præcipua nummorum argenteorum genera, id eſt, denarius, quinarius, & ſeſtertius. Denarius ab uno latere urbis Romæ galeatum caput cum numeri nota X. habebat: Ita dictus, quod pro decem aſſibus in ſolutionem cedebat, quoad perpetuis bellis exhauſto ærario, placuit denarium ſexdecim aſſibus permutari, quod contigit quum Hannibal perpetuos ſexdecim annos totam Italiam crudeliſſime vexabat. Qui quamquam ex decem in ſexdecim aſſes permutatus eſſet, antiquum tamen denarii nomen & notam X. retinuit. Qui quod ab alio latere bigas & quadrigas circenſium excuſas haberet, bigatus & quadrigatus dictus eſt. Pendebat autem argenti ſiliquas XXII. ſex denarii unciam conficiebant, ut tradit Priſcianus, & ego ipſe expertus ſum. Denarii dimidium quinarium appellabant, nota V. inſignitum, qui quum victoriæ, quæ in circo erat, ſignum excuſum haberet, etiam victoriatus appellatus. Quinarii autem dimidium ſeſtertium vocabant; valebat enim ſeſtertius quartam denarii partem, qui alio nomine nummus dicebatur. Interdum utrumque conjungentes nummum ſeſtertium dicebant; dictus eſt autem ſeſtertius, quaſi ſemis tertius, eo quod in ſe continebat aſſes duos, & tertium

dimidiatum: notabaturque apud veteres per geminum II. & litteram S. quæ prima est in dictione semis, interveniente linea transversa, qua tres hæ litteræ conjungerentur ad hunc modum H-S. Veteris consuetudinis fuit, ut semis in compositione ante poneretur, ut semis quartus, semis quinctus, semis tertius, unde sublatis duabus litteris dictus est sestertius. Ut autem sestertium nummum ad nostratis pecuniæ æstimationem reducam, dicam quod ego ipse mensurando veteres sestertios, quinarios, & denarios observavi. Diligentissime itaque collegi sestertium tantundem valere, quantum apud Venetos valet id nummi genus, quod grossum appellant, id est, quadrantes XII. monetæ Venetæ, ita ut quinarius ejusdem monetæ XXIV. quadrantibus, denarius vero octo & quadraginta æstimabitur. Monetæ vero Romanæ haud ita facile æquari potest, sed quum res ad paulo grandiorem summam redigitur, pecunia Romana cum Veneta omnino convenit. Romæ sestertium tantundem valere ego diligentissima trutina examinavi, quantum quadrantes fere quattuordecim, id est, ut vocant, baiocos tres & semis, ita ut quattuordecim fere baiocis denarius antiquus æstimari possit. Ideo autem fere dixi, quia non omnino ad XIV. baiocorum summam denarius ascendit, sed unus quadrans, vel paulo plus eximendum esset. Quod tamen quum ad paulo grandiorem summam perveneris, parum officit: quæ omnia ut facilius ab omnibus intelligantur, totius rei brevem hanc descriptionem subjiciam.

Monetæ Romanæ.

Sestertii quattuor	valent	baioc. XIV.
H-S octo	valent	baioc. XXVIII.
H-S decem	valent	baioc. XXXIII.
H-S viginti	valent	baioc. LXVI.
H-S triginta	valent	baioc. centum.
H-SXXXIIIS	valent	baioc. CX.
Sestertii C.	valent	scutos aureos coronatos 3
H-S 200	Δ	6
H-S 300	Δ	9
H-S 400	Δ	12
H-S 500	Δ	15
H-S 600	Δ	18
H-S 700	Δ	21
H-S 800	Δ	24
H-S 900	valent Δ	27
H-S mille	valent Δ	30
2000		60
3000		90
4000		120
5000		150
H-S decem millia	valent Δ	300
20 millia		600
30 millia		900
40 millia		1200
H-S 50 millia	valent Δ	1500
H-S 100 millia	valent Δ	3000
H-S 200 millia	valent Δ	6000
300 millia		9000
400 millia		12 millia
500 millia		15 millia
H-S decies centena millia	Δ	30 millia
H-S vicies		60 millia
H-S tricies		90 millia
quadragies		120 millia
quinquagies		150 millia
H-S centies decies centena mil.	Δ	300 millia
ducenties		600 millia
tricies		900 millia
quadringenties		12 centena millia
H-S quingenties	Δ	15 centena millia
H-S millies decies centena millia,	valent	tricies centena millia scutorum aureorum, id est, ut nunc dicitur, tres auri milliones.
H-S bis millies	6	milliones
H-S ter millies	9	milliones
H-S millies decies centena millia	30	milliones
H-S vicies millies	60	milliones
H-S tricies millies	90	milliones
H-S quinquagies millies	150	milliones.

Sestertiis igitur in masculino genere omnem, quamquam magnam, summam veteres expediebant. Erat enim & sestertium in neutro genere, & in plurali numero sestertia, quæ singula valebant mille nummos sestertios. Habetque sestertium in neutro genere eandem proportionem ad libram Romanam, quæ & mina, & pondo dicitur, quam habet nummus sestertius ad assem, hoc est, ad libram æris gravis: continent enim singula sestertia in se libram Romanam, & semissem; singulæ autem libræ drachmas, vel denarios centum, hoc est, sestertios quadringentos, id est, duodecim aureos nostratis monetæ. Duæ itaque libræ, & dimidia, ut clarum est, valebant sestertios nummos mille, idque uno nomine sestertium dicebant in neutro genere; decem ergo sestertia valebant decem millia nummorum sestertiorum: quod si hunc numerum per adverbium extuleris ad hunc modum decies sestertium, jam reddideris hanc summam centuplo majorem: idem enim est dicere decies sestertium, quod decies centena millia nummorum sestertiorum, ut in exemplo a me relato intelligi potest, ex quo tanquam fonte omnes veterum nummorum summæ hauriri possunt, eæque nostrati pecuniæ commodari.

De drachma vero illud est ante omnia animadversione dignum, Græcos scriptores, quotiescunque drachmarum mentionem faciunt, semper drachmas Atticas intelligere, quas quidem quum de rebus Romanis loquuntur, denariorum loco accipere solent, non quod drachma Attica tantum idem omnino valeret quod denarius, sed quia nullum nummi genus Græci habuere, quod denario Romano magis convenire posset. Nam quum denarius Romanus penderet argenti siliquas XXIV. duodeviginti siliquæ drachmam conficiebant: tres itaque denarii pendebant drachmas quattuor, octo drachmæ unciam conficiebant, uncia sex denariis constat, auctore Prisciano. Si igitur denarius Romanus valebat, ut dixi, XLVIII. quadrantes Venetos, drachma Attica non nisi XLII. æstimabitur. Budæus vero in libro de Asse ostendit drachmam Atticam, & denarium Romanum ejusdem fuisse ponderis, & pretii. Quod & ipsum non obscure indicare videtur Plinius libro XXI. cap. ultimo: *Drachma* (inquit) *Attica denarii argentei habet pondus, eademque sex obolos pendere efficit, &c.* Ut ut autem id sit, illud satis manifestum est, Græcos scriptores & præsertim Plutarchum, ubi de rebus Romanis loquuntur, pro drachma Attica Romanum denarium intelligere. Si Romanus vero denarius tantundem valet ac XLVIII. quadrantes Veneti, vel quattuordecim baioci Romanæ monetæ, una drachmarum, id est, denariorum myrias, colliget quadraginta millia nummum, hoc est, ut ex mea summa intelligi potest, mille ducentos aureos coronatos. Decem vero myriades valebunt duodecim millia coronatos aureos. Centum myriades CXX. millia aureos: mille myriades duodecies centena millia aureorum, id est, ut vocant, auri millionem unum, & ducenta millia aureorum. Quinque igitur millia myriades, quæ summa vectigalium Romanorum erat ante bellum Mithridaticum a Cn. Pompeio confectum, ut auctor est Plutar. sex auri milliones erant. Bello Mithridatico confecto, vectigalia populi Romani tribus millibus & quingentis myriadibus, ut idem Plutarchus refert, Cn. Pompeius auxit, id est, quattuor auri millionibus, &

ducentis millibus aureorum. Quæ summa priori addita A decem milliones & ducenta millia aureorum reddet. Hæc summa erat vectigalium & redituum populi Romani ante tres Gallias a Cæsare domitas, & prœlium Pharsalicum, hoc est, extremo libertatis tempore; quo vectigalia ipsa non nisi quinque ex centum reddebant. Novissima igitur redituum & vectigalium populi Romani annua summa ante libertatem oppressam, ex XV. quas supra commemoravi, provinciis excepta, erat decem millionum & ducentorum millium aureorum ad computationem nostratis monetæ redacta.

Ceterum post bella civilia, Ægypto stipendiaria facta, B censu a tribus Galliis exacto, multis provinciis, ut supra exposui, Romano imperio ab Augusto additis, aliquot populis liberis vectigalibus factis, ad XV. ut opinor, auri milliones annui populi Romani reditus aucti: quod quamquam nusquam, quod sciam, aperte intelligatur, id tamen aliquot conjecturis ex scriptorum verbis elicui. Scribit Paterculus tantundem pene redituum redegisse Augustum ex Ægypto capta, quantum Cæsar dictator ex tribus Galliis. Ex Ægypto autem duos auri milliones eum saltem exegisse, ex eo existimo, quod tantundem Syriæ impositum est. Ex his omnibus Ti. Cæsar principatus sui tempore H-S vicies septies millies, C id est, XXCI. auri milliones præter ordinarios sumptus collectos, moriens reliquit; cujus rei ita meminit Tranquillus in Caligula: *Ac ne singula enumerem, immensas opes, totumque illud Ti. Cæsaris vicies septies millies sestertium non toto vertente anno absumpsit*. Vespasianus quoque, ut idem Tranquillus tradit, quum non contentus omissa sub Galba vectigalia revocasse, nova & gravia addidisse, auxisse tributa provinciis, nonnullis autem duplicasse, negotiationes quoque vel privato pudendas exerceret, professus est initio statim principatus, quadringenties millies H-S opus esse, ut resp. stare posset, id est, millionum auri centum viginti. Appianus D quoque in prœmio libri primi bellorum civilium Romani imperii, quæ suo tempore erant, (vixit autem Romæ sub Hadriano imperatore) potentiam & copias describens ita ait: *Nostris autem temporibus, & quidem solis Romanis copiæ ingentes adsunt, peditum ducenta, equitum quadraginta millia, elephantorum bellicorum trecentorum numerus. Curruum præterea ad prœlia instructorum duo millia, ac armorum in supplementum trecenta millia. Et hæc quidem terrestribus copiis. Maritimis vero minorum navium duo millia, triremium a sexcuplis in quinqueremes mille quingentarum classis, instrumentorum quoque navalium numerus bis totidem. Ad hæc naves* E *partim auro proras, partim puppes exornatæ, quas thalamegos appellant, ad belli pompam, quibus iidem imperatores vehi consuevere, octuaginta. Pecuniarum præterea in thesauris Ægyptiorum talentorum quattuor & septuaginta millia. Tanti apparatus ac rei militaris summam ab ipsis in unum cumulatam atque relictam, ex ipsis imperii breviariis cognosci facile potest*. Ita Appianus Alexandrinus. In quibus verbis cum omnia clara & manifesta sint, præter talentorum Ægyptiorum summam, eam nunc explicabo, & ad nostratis pecuniæ rationem redigam. Sex. Pompeius: *Talentorum non unum genus*; (inquit) F *Atticum est sex millium denarium. Rhodium & cistophorum quattuor millium quingentorum. Alexandrinum (quod idem cum Ægyptio est) XII. millium. Neapolitanum sex millium, Syracusanum trium millium denarium. Rheginum victoriati*. Si igitur talentum Ægyptium est XII. millium denarium Romanorum, octo & quadraginta millia nummum sestertiorum, id est, nostratis pecuniæ mille quadringentis quadraginta aureis, talentum Ægyptium æstimabitur, ita ut quinque talenta Ægyptia, septem millibus, & ducentis; decem, quattuordecim millibus, & quadringentis; centum talenta, centum quadraginta quattuor millibus aureorum: mille vero, unum auri millionem, quadringentos, & quadraginta millia aureos valebunt. Septuaginta autem quattuor millia talenta Ægyptia erunt unus & nonaginta auri milliones, centum & sexaginta millia aurei coronati: qui thesaurus erat imperii tempore Hadriani imp. sub quo Appianus ipse Alexandrinus historiam Romanam conscripsit.

CAP. XXIII.

Romani imperii divisio ab Hadriano imperatore facta.

QUATTUOR omnino in universo Romano imperio fuere novæ reip. formæ auctores. Quorum primus Romulus, secundus Augustus, tertius Hadrianus, & quartus Constantinus imperator fuit. Quam porro rempublicam Romulus & Augustus constituerint, satis supra demonstravi. Hadrianus primus post Augustum novam reip. formam fecit. Quod brevissime his verbis Sex. Aurelius Victor tetigit: *Officia sane publica, & Palatina, nec non militiæ, in eam formam Hadrianus statuit, quæ paucis per Constantinum immutatis hodie perseverant*. Eam autem demonstraturus, operæ pretium visum est ante totius imperii Romani brevissimam descriptionem suggerere, quam in prœmio librorum bellorum civilium Appianus Alexandrinus, qui sub eo vixit, affert. Ita enim ait: *Romanam historiam scribere instituens, necessarium mihi in primis existimavi terminos ponere, quibus nationibus imperent Romani. Ab Herculis igitur columnis in id mare, quod ad illas denuo circumque navigatur, insulæ, littora, populi omnes Romano parent imperio. Horum primi in dextra Maurusii quicunque circa mare, omnisque altera Lybicorum natio usque ad Carthaginem. His superiores Nomadæ, quos Romani Numidas appellant, & regionem Numidiam. Altera autem Lybica natio, quæ Syrtes ac Cyrenem usque incolit, & Cyrene ipsa, & Marmaridæ, Hammoniique, & qui paludem Mariam tenent: Alexandria, Ægyptus universa ad Æthiopes orientales usque a Romanis reguntur. Per Nilum autem naviganti ad Pelusium usque per mare, vertentique navigationem, & collustranti littora Syriaca, occurrit Palæstina, & supra ipsam pars Arabum, finitimique Palæstinis Phœnices supra mare, & Phœnicibus ulteriores Cœlesyrii ad Euphratem usque fluvium pertinentes. A mari superius Palmyreni sunt, eorumque harenæ supra Euphratem. Cilices Syris propinqui, & Cappadoces Cilicum finitimi, Armeniorumque pars, quam Armeniam minorem vocant. Apud Euxinum Pontum omnia maritima Romanis parent. Syri quidem & Cilices ad mare prospectant; Armeni autem & Cappadoces inter Ponticas gentes habitant. Per mediterranea vero ad Armeniam majorem Romani non imperant ex tributo admodum, verum ipsorum regum auctores sunt. A Cappadocia & Cilicia in Joniam descendenti, magna adest Cherronnesus, cujus a dextra Euxinus Pontus, Propontis, & Hellespontus, Ægeumque mare, a læva Pamphylium & Ægyptium pelagus. Ambo enim maria Cherronnesum faciunt. Insunt & Ægyptium mare prospectantes Pamphylii & Lycii, & post ipsos Cares usque ad Joniam. Qui autem super Euxinum Pontum, Propontidem, & Hellespontum, Galatæ, Bithyni, Mysi, Phrygesque, in mediterraneis Pisidæ, & Lycii, quibus omnibus imperant Romani. Ulterius vero transeuntes aliis circa pontum imperant gentibus, & Mœsis qui in Europa sunt, ac Thracibus quicunque circa Euxinum incolunt loca. Ab Jonia autem est maris Ægei & Jonii*

sinus, ac Siculum Tuscumque pelagus, usque ad Herculeas columnas. Hæc longitudo ab Jonia ad Oceanum. Et in hac iterum navigatione tot Romanis subactæ nationes, Græcia omnis, Thessalia, Macedones, Thraces, Illyrii, Pannonii, & ipsa Italia omnium gentium domina, quæ ab Jonio & Tusco mari circumdata ad Gallos usque extenditur. Omnis etiam Gallorum gens, quorum pars ad mare, pars ad Oceanum Septentrionalem respicit, & pars prope amnem Rhenum incolit. Hispania omnis super Hesperium & Borealem Oceanum ad Herculeas finiens columnas. Atque hæ sunt gentes, quæ mari alluuntur, a Romanis possessæ: nunc mediterraneas eorum juris regiones, imperiique terminos exponam. Maurusiorum pars est, quæ ad Æthiopes occidentales spectat, ac calidiorem ferisque horrentem Lybiam usque ad orientales Æthiopes pertinet, qui Romani imperii in Africa terminus est. In Asia autem Euphrates fluvius, & Caucasus mons, majorisque Armeniæ principium, Colchi ad Euxinum Pontum habitantes, hujusque maris reliqua fines sunt Romanæ ditionis. In Europa fluvii duo, Rhenus & Danubius, Romanis fines imponunt. Quorum Rhenus in Oceanum Germanicum septentrionalem, Danubius in Euxinum Pontum influit. Ultra progressi nonnullis Gallorum, qui supra Rhenum habitant, gentibus, & iis, qui trans Danubium sunt, quos Dacos vocant, Romani imperant. Omnes præterea insulæ, quæ in mediterraneo sunt, ut Cyprus, Creta, Rhodus, Lesbus, Eubœa, Sicilia, Sardinia, Corsica, & aliæ omnes Romanæ ditionis sunt. In Oceano præterea Septemtrionali Britanniæ insulæ maximam partem Romanam provinciam fecerunt; nam altera parte non indigent, quum nec utilis iis esse possit, & infrugifera sit. Harum tantarum innumerarumque nationum quum tanta sit magnitudo, Italiam tamen magno labore, ac vix quingentis annis stabilem sibi reddidere, quum medio interim tempore regibus usi, per reliquum his exactis, nullos deinceps reges admittere voluerunt, sed libertate sibi vendicata, præter quingentos illos quos dixi annos, ducentis præterea sub annuis imperiis fuerunt, quo tempore rerum principatum adepti externam omnem oppressere potentiam, quum universas sibi nationes subegissent. C. Cæsar optimatibus bello victis, imperio suscepto, reipub. quidem nomen servavit, re autem ipsa principem & rerum dominum se omnibus præstitit. Estque in hanc usque ætatem eadem potestas sub uno principe, quos imperatores non reges vocant, vetere jurejurando adstricti, se neminem Romæ regnare passuros, sed eos imperatores vetere ducum nomine vocaverunt, qui re ipsa vere reges sunt. A quo ad ætatem usque meam anni ducenti acti sunt, quo tempore potissimum Romana res floruit, progressusque ad majora videtur adaugeri, omnibus populis in pace constitutis, amplissima summaque felicitate. Ac nonnullas ex prioribus nationibus iidem imperatores in principatu subegere, deficientesque restituere, integritate consilii, terræ marique dominantes, potiusque augere dignitatem cupiunt, quam inter barbaros propagare imperium, gentem inopem, & minimæ utilitatis. Quorum ego nonnullos Romæ vidi ob id missos, quo se suaque Romanis dederent, neque imperatorem admittentem, quos ut inutiles sponte recusabat. Plurimis etiam nationibus, quarum infinita pene est multitudo, Romani reges statuunt, quum nihil iis ad imperium indigeant. Ex nonnullis præterea, qui eorum imperio parent, plus detrimenti capiunt quam utilitatis, Quos quamquam inutiles quum rejicere pudeat, imperium omne magnis legionum copiis præsidiisque circumquaque vallantes, tantum terræ, tantumque maris, quasi fundum quendam servant ac continent. Nullum quippe in præsentem diem tam parvo tempore in tantum crevit ac surrexit imperium. Nam neque Assyriorum, aut Medorum, neque Persarum, vel Macedonum, aut Græcorum imperia cum eo comparanda sunt. Eorum enim imperiorum magnitudo nec ad dimidium Romanæ potentiæ, ut opinor, attigit. Qui imperii terminos orientem occidentemque sibi fecerunt, marique imperant universo. Quorum magnitudo ac felicitas, maturitate consilii temporisque diuturnitate adauctæ, virtute, patientia, & tolerantia eos super omnes gentes extulere. Non enim prosperis rebus intumuerunt, quoad stabilem victoriam sunt adepti, nec adversis unquam animo fracti sunt, quum una die in prœlio militum aliquando XX. *aliquando* XL. *aliquando etiam* L. *millia amiserunt. Urbe etiam eodem tempore bello, peste, & fame, seditioneque intestina vexata, nunquam ab animi magnitudine constantiaque descivere, donec per* LXX. *annos variis bellis, periculis, & seditionibus conflictati, ad eam postremo imperii majestatem saluberrimis consiliis evecti sunt, quam nunc tenent.* Hæc autem Appiani propemodum verba sunt. Cujus imperii descriptio in Hadriani potissimum principatum incidit. Qui omnium, quas enumeravi, nationum ac provinciarum novam quandam divisionem fecit, imperiumque disposuit longe diversa ratione ab ea, quam Augustus constituerat. Quam provinciarum divisionem, novamque imperii constitutionem ex Sex. præcipue Rufo, hoc loco suggeram, atque ante omnia ab Italia rerum domina initium sumam. Quæ in XVII. diœceses, sive administrationes distincta est. Quibus qui præerant, aliqui consulares, aliqui correctores, aliqui præsides vocabantur. Consulares VIII. correctores II. præsides vero VII. fuerunt. Qui vero hi fuerint, paulo post exponam.

Nova imperii populi Romani divisio, Provinciarumque omnium in plures diœceses distinctio, ab Imp. Cæsare Hadriano Augusto facta.

Provinciæ vel diœceses in Italia, & tribus ejus insulis XVII.

I. Venetia & Histria
II. Æmilia
III. Liguria
IV. Flaminia, & Picenum
V. Tuscia, & Umbria
VI. Picenum suburbicarium
VII. Campania
VIII. Sicilia insula
} Hæ octo diœceses habebant consulares.

I. Apuleia, & Calabria
II. Samnium, & Bruttii
} Hæ duæ habebant correctores.

I. Alpes Cottiæ
II. Rhætia prima
III. Rhætia secunda
IV. Samnium
V. Valeria
VI. Insula Sardinia
VII. Insula Corsica
} Hæ septem diœceses habebant præsides.

In Hispania provinciæ VI.

I. Provincia Tarraconensis præsidialis.
II. Provincia Carthaginensis præsidialis.
III. Provincia Lusitania consularis.
IV. Provincia Callæcia præsidialis.
V. Provincia Bætica consularis.
VI. Provincia Transfretensis in Africa, quæ Tingintania Mauritana appellatur, præsidialis.

In Galliis, Aquitania, & Britannia provinciæ XVIII.

I. Provincia Alpes maritimæ.
II. Provincia Massiliensis, cujus metropolis est Massilia.
III. Provincia Ambianensis, cujus metropolis est Ambianum.

IV. Provincia Viennensis, cujus metropolis est Vienna.
V. Provincia Narbonensis, cujus metropolis est Narbo Martius.
VI. Provincia Novempopulonia.
VII. Provincia Aquitania prima, cujus metropolis est Biturigum.
VIII. Provincia Aquitania secunda, cujus metropolis est Burdegala.
IX. Provincia Alpes Cottiæ.
X. Provincia Maxima Sequanorum.
XI. Provincia Germania prima.
XII. Provincia Germania secunda.
XIII. Provincia Belgica prima, cujus metropolis est Treveris.
XIV. Provincia Belgica secunda, cujus metropolis est urbs Remorum.
XV. Provincia Lugdunensis prima, cujus metropolis est Lugdunum.
XVI. Provincia Lugdunensis secunda, cujus metropolis est Rothomagum.
XVII. Provincia Britannia prima maxima Cæsariensis.
XVIII. Provincia Britannia secunda.

In Illyrico provinciæ XVII.

I. Provincia Noricorum prima.
II. Provincia Noricorum secunda.
III. Provincia Pannonia prima.
IV. Provincia Pannonia secunda.
V. Provincia Valeria.
VI. Provincia Savia.
VII. Provincia Dalmatia.
VIII. Provincia Mœsia.
IX. Provincia Dacia prima.
X. Provincia Dacia secunda.
XI. Provincia Macedonia
XII. Provincia Thessalia
XIII. Provincia Achaia
XIV. Provincia Epeirus prima
XV. Provincia Epeirus secunda
XVI. Provincia Prævalitana
XVII. Provincia Creta insula

(XI–XVII: Provinciæ VII. in ditione Macedonica.)

In Thracia provinciæ VI.

I. Provincia Thracia.
II. Provincia Hæmimontium.
III. Provincia Mœsia inferior.
IV. Provincia Scythia.
V. Provincia Rhodope.
VI. Provincia Byzantium.

In Africa provinciæ VI.

Provincia Africa, cujus metropolis est Carthago proconsularis.
Provincia Numidia consularis.
Provincia Byzacium consularis.
Provincia Tripolitana præsidialis.
Provincia Mauritania Sitifensis præsidialis.
Provincia Mauritania Cæsariensis præsidialis.
Asiæ divisio deest.

CAP. XXIV.

Omnium recentissima Romani imperii divisio, ab imp. Cæsare Fl. Constantino Max. Augusto facta.

NOVISSIMUS omnium Romanorum principum imperii formam, administrandi rationem, jura, & statum mutavit imp. Constantinus, quod & Zosimus secundo historiarum libro tradit, & ex omni historia patet, egoque accurate in libro de comitiis imperii demonstravi. Totum enim orbem Romanum denuo divisit, novas diœceseum, vel provinciarum distinctiones fecit, novos magistratus excogitavit, novam urbem Romæ æmulam condidit Constantinopolim, quam orientalis imperii caput esse voluit, ut Romam occidentalis. Nam imperium omne Romanum suprema divisione in duas partes secuit, Orientale & Occidentale. Provinciæ omnes transmarinæ orientales ab angusto Propontidis freto ad Nili usque ostia & Ægyptum, qua Africæ continua est, Illyricus quoque Epeirus, Achaia, Græcia, Thessalia, Macedonia, Thracia, Creta, Cyprus, Dacia omnis, & Mœsia, ceteræque ejus tractus provinciæ imperio orientali, urbique Constantinopoli in plures diœceses distinctæ, attributæ. Hispania, Britannia, Galliæ, & Noricum, Pannoniæ, & ceteræ Germaniæ provinciæ, Dalmatia, Africa omnis, & Italia urbis Romæ, & occidentalis imperii ditioni relictæ. Ut autem urbem a se conditam in omnibus antiquæ Romæ æqualem redderet, duos ad minus imperatores esse procuravit, quorum alter in occidente, alter in oriente rerum potiretur; senatum quoque divisit. Quum enim universo orbi Romano civitas diu ante ab Antonino Caracalla imp. data fuisset, senatores omnes lecti ex occidentalis imperii provinciis Romæ remanserunt, ex orientalis vero Constantinopoli. Eadem etiam de consulibus ratio fuit, quorum alterum Constantinopoli designari mos erat. Urbis deinde præfectus ut Romæ, ita etiam Constantinopoli factus est. Nullum postremo privilegium, seu dignitas, aut immunitas Roma habuit, quæ non eadem ratione Constantinopoli etiam communicata non fuerint. Atque hæc de Constantinopoli, nunc de magistratibus novis dicamus. Post exauctoratos milites prætorianos, & castrum prætorium Romæ excisum, Constantinus imperator universum orbem Romanum in quattuor diœceses sive administrationes divisit, id est Italiam, Gallias, Illyricum, & Orientem; atque his omnibus provinciis quattuor rectores dedit, quos præfectos prætorio, vetere quidem & usitato vocabulo, sed nova administrandi ratione vocavit. Quorum primus præfectus prætorio Italiæ dicebatur, hic Italiam omnem, & Africam, cum Illyrici parte regebat: alter vero præfectus prætorio Galliarum appellatus, Hispaniam, Gallias, Britanniam, & Germaniam sub sui juris administratione habebat. Atque hi duo præfecti prætorio occidentalis imperii erant, atque imperatori occidentis, post quem primi erant, parebant. In orientali vero imperio præfectus prætorio Illyrici reliquas omnes Europæ provincias Romani juris administrabat: præfectus prætorio orientis Asiæ omni eadem auctoritate præerat. Atque hi duo primum post imperatorem in oriente locum obtinebant in suis unusquisque administrationibus. Sub his quattuor præfectis prætorio omnes magistratus Romani erant, variis nominibus appellati, dignitatibusque & administrationibus distincti, qui tam provinciis, quam rei militari præerant. Quæ omnia nunc accurate describam, initio ab occidentalis imperii magistratibus, dignitatibusque, tam civilibus quam militaribus facto.

Magistratuum & Provinciarum imperii occidentalis descriptio.

Imperator Cæsar Augustus.
Consul occidentalis.
Præfectus prætorio Italiæ.
Præfectus prætorio Galliarum.
Præfectus urbis Romæ.

Magister peditum in præsenti. Sub hujus dispositione erant sex comites rei militaris. Duces militum duodecim. Regiones Palatinæ XII. Auxilia Palatina LXV. Legiones comitatenses XVIII. omnes classes, id est Veneta, Ravennas, Comensis, Misenas, Viennensis, Bracaria, Massiliensis, Ararica, Anderetiana cum earum præfectis; tribuni omnes cohortium, & militum præfecti per occidentem.

Magister equitum in præsenti. Sub hujus dispositione

tione erant vexillationes Palatinæ, & comitatenses omnes in occidente.
Magister equitum per Gallias.
Præpositus sacri cubiculi.
Magister officiorum.
Quæstor sacri palatii.
Comes sacrarum largitionum.
Comes rerum privatarum.
Comes domesticorum equitum.
Comes domesticorum peditum.
Primicerius sacri cubiculi.
Primicerius notariorum.
Castrensis sacri palatii.
Magister scriniorum.
Magistri memoriæ, epistolarum, & libellorum.
Proconsul Africæ, cujus vicarii sex:
Vicarius urbis Romæ. Italiæ.
Africæ. Hispaniarum.
Septem provinciarum. Britanniarum.

Comites rei militaris sex.

Comes Italiæ. Africæ. Tingitaniæ.
Tractus Argentoratensis. Britanniarum.
Littoris Saxonici per Britannias.

Duces limitum duodecim.

Dux limitis Mauritaniæ Cæsariensis.
Dux limitis Tripolitani.
Pannoniæ primæ, & Norici ripensis.
Pannoniæ secundæ, & Valeriæ ripensis.
Rhætiæ primæ, & secundæ.
Dux Sequanicæ.
Dux Tractus Armoricani.
Dux Tractus Nervicani.
Dux Belgicæ secundæ.
Dux Germaniæ primæ.
Dux Britanniæ.
Dux Moguntiacensis.

Consulares XX.

Consularis Pannoniæ Consularis Venetiæ, & Histriæ. Consularis Æmiliæ Consularis Liguriæ Consularis Flaminiæ, & Piceni annonarii Consularis Tusciæ, & Umbriæ Consularis Piceni suburbicarii Consularis Campaniæ Consularis Siciliæ insulæ	In Italia octo.
Consularis Byzacii Consularis Numidiæ	In Africa II.
Consularis Bæticæ Consularis Lusitaniæ Consularis Callæciæ	In Hispania III.
Consularis Viennensis Consularis Lugdunensis primæ Consularis Germaniæ primæ Consularis Germaniæ secundæ Consularis Belgicæ primæ Consularis Belgicæ secundæ	In Gallia VI.

Correctores III.

Corrector Apuliæ, & Calabriæ.
Corrector Lucaniæ, & Bruttiorum.
Corrector Saviæ in Pannonia.

Præsides XXXI.

Præses Dalmatiarum Præses Pannoniæ primæ Præses Norici mediterranei Præses Norici ripensis	In Illyrico IV.
Præses Alpium Cottiarum Præses Rhætiæ primæ Præses Rhætiæ secundæ A Præses Samnii Præses Valeriæ Præses insulæ Sardiniæ Præses insulæ Corsicæ	In Italia VII.
Præses Mauritaniæ Sitifensis Præses Tripolitanæ	In Africa II.
Præses Tarraconensis Præses Carthaginensis Præses Tingitaniæ Præses insularum Balearium	In Hispania IV.
Præses Alpium maritimarum Præses Alpium Pœninarum, & Graiarum Præses Maximæ Sequanorum B Præses Aquitaniæ primæ Præses Aquitaniæ secundæ Præses Novempopulanæ Præses Narbonensis primæ Præses Narbonensis secundæ Præses Lugdunensis tertiæ Præses Lugdunensis Senonicæ	In Galliis XI.
Præses Britanniæ primæ Præses Britanniæ secundæ Præses Britanniæ Flaviæ Cæsariensis	In Britannia III.

C *Provinciæ, quæ erant sub dispositione præfecti prætorio Italiæ.*

Italia, Illyricum, Africa, & earundem tam civiles, quam militares magistratus.

In Italia provinciæ octo.

Provincia Venetia, & Histria Provincia Æmilia Provincia Liguria Provincia Flaminia, & Picenum annonarium.	Consulares sub Vicario Italiæ.
D Provincia Tuscia, & Umbria Provincia Picenum suburbicarium Provincia Campaniæ Provincia Siciliæ.	Consulares sub Vicario urbis Romæ.
Provincia Apuliæ & Calabriæ Provincia Lucaniæ, & Bruttiorum.	Correctoriales sub Vicario Urbis Romæ.
Provincia Alpium Cottiarum Provincia Rhætia prima Provincia Rhætia secunda	Præsidiales sub Vicario Italiæ.
Provincia Samnium Provincia Valeria Provincia Sardinia E Provincia Corsica	Præsidiales sub Vicario urbis.

In Illyrico provinciæ sex.

Provincia Pannoniæ secundæ consularis.
Provincia Saviæ correctorialis.
Provincia Dalmatiarum præsidialis.
Provincia Pannoniæ primæ præsidialis.
Provincia Norici mediterranei præsidialis.
Provincia Norici ripensis præsidialis.

In Africa provinciæ sex.

F Africa, ubi erat Carthago, proconsularis Provincia Byzacena consularis Provincia Mauritania Sitifensis præsid. Provincia Mauritania Cæsariensis præs. Provincia Tripolitana præsidialis	Sub Vicario Africæ.

Provinciæ, quæ erant sub dispositione præfecti prætorio Galliarum.

Hispania, Galliæ, Britannia, & ipsarum tam civiles, quam militares magistratus.

In Hispania provinciæ septem.

Provincia Bætica consularis Provincia Lusitania consularis Provincia Gallætia consularis Provincia Tarraconensis præsidialis Provincia Carthaginensis præsidialis Provincia Tingitania præsidialis Provincia Baleares insulæ præsidialis.	Sub Vicario.

In Gallis provinciæ XVII.

Provincia Viennensis consularis Provincia Lugdunensis prima consularis Provincia Germania prima consularis Provincia Germania secunda consularis Provincia Belgica prima consularis Provincia Belgica secunda consularis Provincia Alpes maritimæ	Sub dispositione Vicarii septem provinciarum.
Provincia Alpes Pœninæ & Graiæ Provincia Maxima Sequanorum Provincia Aquitania prima Provincia Aquitania secunda Provincia Novempopulana Provincia Narbonensis prima Provincia Narbonensis secunda Provincia Lugdunensis secunda Provincia Lugdunensis Turonica Provincia Lugdunensis Senonica	Reliquæ XI. præsidiales.

In Britannia provinciæ V.

Provincia Maxima Cæsariensis consularis Provincia Valentia consularis Provincia Britannia prima præsidialis Provincia Britannia secunda præsidialis Provincia Flavia Cæsariensis præsidialis	Sub Vicario Britanniarum.

Sub dispositione præfectis urbis Romæ erant

Præfectus annonæ.
Præfectus Vigilum.
Comes formarum.
Comes riparum alvei Tiberis, & cloacarum urbis.
Comes portus.
Magister census.
Rationalis vinorum.
Tribunus fori Suarii.
Consularis aquarum.
Curator operum maximorum.
Curator operum publicorum.
Curator statuarum.
Curator horreorum Galbianorum.
Centenarius Portus.
Tribunus rerum nitentium.
Tribunus voluptatum.

Magistratuum & provinciarum Imperii orientalis descriptio.

Imp. Cæsar Augustus.
Consul orientalis.
Præfectus prætorio orientis.
Præfectus prætorio Illyrici.
Præfectus urbis Constantinopolis.
Magister militum in præsenti. Sub cujus dispositione erant vexillationes Palatinæ v. Comitatenses vii. Legiones Palatinæ vi. Auxilia Palatina xviii.
Magister equitum in præsenti. Sub cujus dispositione erant vexillationes Palatinæ vi. Comitatenses vi. Legiones Palatinæ vi. Auxilia Palatina xvii.
Magister equitum & peditum per orientem. Sub quo erant vexillationes Comitatenses decem, Legiones Comitatense ix. & pseudocomitatense x.
Magister equitum & peditum per Thracias. Sub quo erant vexillationes Palatinæ tres, Comitatenses quattuor, & legiones Comitatenses xxi.
Magister equitum & peditum per Illyricum. Sub quo erant vexillationes Comitatenses ii. Legio Palatina i. Auxilia Palatina vi. Legiones Comitatenses octo, Pseudocomitatenses novem.

A Præpositus sacri cubiculi.
Magister officiorum.
Quæstor sacri palatii.
Comes sacrarum largitionum.
Comes rerum privatarum divinæ domus.
Comes domesticorum peditum.
Comes domesticorum equitum.
Primicerius sacri cubiculi.
Primicerius notariorum.
Castrensis sacri palatii.
Magistri scriniorum, memoriæ, epistolarum, & libellorum Græcorum.
Proconsul Asiæ.
B Proconsul Achaiæ.
Comes orientis.
Præfectus Augustalis.
Vicarius diœceseos Asianæ.
Vicarius diœceseos Ponticæ.
Vicarius diœceseos Thraciarum.
Vicarius diœceseos Macedoniæ.
Comes rei militaris Ægypti.
Comes rei militaris Isauriæ.

Duces limitum XIII.

C Dux Libyæ Dux Thebaidos	per Ægyptum.
Dux Phœnices Dux Euphratensis Dux Suriæ Palestinæ Dux Osrohenæ Dux Mesopotamiæ Dux Arabiæ Dux Armeniæ	per Orientem vi.
Dux Mœsiæ secundæ Dux Scythiæ	per Thracias.
Dux Daciæ ripensis Dux Mœsiæ primæ	per Illyricum.

D

Consulares XV.

Consularis Palæstinæ Consularis Phœnices Consularis Suriæ Consularis Ciliciæ Consularis Cypri	per Orientem v.
Consularis Pamphyliæ Consularis Hellesponti Consularis Lydiæ	per diœcesim Asianam iii.
Consularis Galatiæ Consularis Bithyniæ	per Ponticam ii.
E Consularis Europæ Consularis Thraciæ	per Thracias ii.
Consularis Cretæ Consularis Macedoniæ Consularis Daciæ mediterraneæ	per Illyricum iii.

Præsides provinciarum XL.

Præses Lybiæ superioris Præses Lybiæ inferioris Præses Thebaidos Præses Aegypti Præses Arcadicæ	per Ægyptum v.
F Præses Palæstinæ Salutaris Præses Palæstinæ secundæ Præses Phœnices Libani Præses Euphratensis Præses Syriæ Salutaris Præses Osrohenæ Præses Mesopotamianæ Præses Ciliciæ secundæ	per Orientem octo.
Præses Pisidiæ Præses Lycaoniæ Præses Phrygiæ Pacatianæ Præses Phrygiæ Salutaris	per Asianam diœcesim

Præses Lyciæ
Præses Cariæ
Præses insularum
} septem.

Præses Honoriados
Præses Cappadociæ primæ
Præses Cappadociæ secundæ
Præses Hellesponti
Præses Ponti Polemoniaci
Præses Armeniæ primæ
Præses Armeniæ secundæ
Præses Armeniæ Salutaris
} per Ponticam octo.

Præses Hæmi montis
Præses Rhodopes
Præses Mœsiæ secundæ
Præses Scythiæ
} per Thracias IV.

Præses Thessaliæ
Præses Epeiri veteris
Præses Epeiri novæ
Præses Daciæ ripensis
Præses Mœsiæ primæ
Præses Prævalitanæ
Præses Dardaniæ
Præses Macedoniæ Salutaris
} per Illyricum VIII.

Corrector Augustanicæ
Corrector Paphlagoniæ

Provinciæ, quæ erant sub dispositione præfecti prætorio orientis.

Diœceses Oriens, Ægyptus, Asiana, Pontica, Thracia cum suis magistratibus civilibus & militaribus.

In oriente provinciæ XV.

Provincia Palæstina consularis
Provincia Phœnice consularis
Provincia Syria consularis
Provincia Cilicia consularis
Provincia Cyprus consularis
Provincia Arabia sub duce
Provincia Isauria, & reliquæ præsidiales
} Sub comite Orientis.

Provincia Palæstina Salutaris
Provincia Palæstina secunda
Provincia Phœnix Libani
Provincia Euphratensis
Provincia Suria Salutaris
Provincia Osrohena
Provincia Mesopotamia
Provincia Cilicia secunda
} Sub comite Orientis.

In Ægypto provinciæ VI.

Provincia Lybia superior
Provincia Lybia inferior
Provincia Thebais
Provincia Ægyptus
Provincia Arcadia
Provincia Augustanica correctorialis
} quinque præsidiales sub præfecto Augustali.

In Asia provinciæ X.

Provincia Pamphylia consularis
Provincia Hellespontus cons. sub procos
Provincia Lydia consularis
Provincia Pisidia, & reliquæ præsidial.
Provincia Lycaonia
Provincia Phrygia Pacatiana
Provincia Phrygia Salutaris
Provincia Lycia
Provincia Caria
Provincia Rhodus, & insule sub procos.
} Sub proconsule duæ, Vicario vero Asiæ reliquæ octo.

In Ponto provinciæ XI.

Provincia Paphlagonia correctorialis
Provincia Galatia consularis
Provincia Bithynia consularis
Prov. Honorias, & reliquæ præsidiales
Provincia Cappadocia prima
A Provincia Cappadocia secunda
Provincia Pontus Polemoniacus
Provincia Hellenopontus
Provincia Armenia prima
Provincia Armenia secunda
Provincia Galatia Salutaris
} Sub Vicario Ponticæ.

In Thracia provinciæ VI.

Provincia Europa consularis
Provincia Thracia consularis
Provincia Hæmus mons, & reliquæ præsidiales
Provincia Rhodopes
B Provincia Mœsia secunda
Provincia Scythia
} Sub Vicario Thraciarum.

Provinciæ, quæ erant sub dispositione præfecti prætorio Illurici.

Diœceses Macedonia & Dacia, cum earumdem magistratibus, tam civilibus quam militaribus.

In Macedonia provinciæ VI.

Provincia Achaia proconsularis
Provincia Macedonia consularis
} Sub proconsule.

Provincia Creta consularis
C Provincia Thessalia & reliquæ præsidiales
Provincia Epeirus nova
Provincia Macedoniæ Salutaris pars
} Sub Vicario Macedoniæ reliquæ omnes V.

In Dacia provinciæ V.

Provincia Dacia mediterranea consularis
Provincia Dacia ripensis præsidialis
Provincia Mœsia prima præsidialis
Provincia Dardania præsidialis
} Sub Vicario Macedoniæ.

Provinciæ Prævalitana, & pars Macedoniæ Saluta-
D ris præsidialis.

Hæc est novissima imperii, & magistratuum Romanorum distinctio ab imp. Constantino facta. Cui postea quum sequentes principes aliquid addidissent, vel detraxissent, eam paulo variarunt, quamquam totius rei summa in hanc rationem conservata sit, usque ad obitum Theodosii imperatoris, & imperii excidium, quod qua ratione, quo tempore, & a quibus barbaris factum fuerit, paulo post accurate exponam.

CAP. XXV.

E *De Parthorum imperio.*

QUUM soli omnium orientalium Parthi Romanam vim non timuerint solum, sed sæpe fregerint etiam, undique ab omni Romanorum subjectione suum per multa sæcula imperium integrum conservarint, nunc Romani imperii rebus expeditis, quinam ipsi, vel quod eorum imperium fuerit, exponere potissimum constitui, quod iis reges aliquando a Romanis imperatoribus dati, inter præcipua imperii gesta celebrentur, qui aliquando intestinis discordiis & domesticis seditionibus attriti, a Romanis pæne debellati, parum absuit
F quin cum oriente toto in Romanorum venerint ditionem. Post Parthos Persarum, qui iis successerunt, imperium, & postremo Sarracenorum vim, qui Persarum imperio fracto, rerum in oriente potiti sunt, exponam: ita enim totius orbis terrarum gesta brevissime descripta cognosci poterunt, liberque omni ex parte absolutus in publicum prodibit. Parthi igitur, penes quos velut divisione orbis cum Romanis facta orientis imperium erat eo tempore, quo Romani toto occidente potiti cum iis de summa rerum decertabant, Scytharum exules fuere. Hoc etiam ipsorum vocabulo manifestatur; nam Scythico sermone

Parthi exules dicuntur. Hi Assyriorum & Medorum temporibus, qui primi Asiæ imperio potiti sunt, inter orientales populos obscurissimi fuere. Postea quoque cum imperium orientis a Medis ad Persas translatum est, veluti vulgus sine nomine præda victorum fuere. Postremo Macedonibus triumphato oriente servierunt, ut cuivis mirum videatur, ad tantam eos felicitatem per virtutem provectos, ut imperent gentibus, sub quarum imperio veluti servile vulgus fuere. Post mortem Alexandri magni, quum inter successores ejus orientis regna dividerentur, nullo Macedonum dignante Parthorum imperium Satagenori externo socio traditur. Hi postea seductis Macedonibus in bellum civile cum ceteris superioris Asiæ populis Eumenem sequuti sunt, quo victo ad Antigonum transiere, post hunc a Seleuco Nicanore, ac mox ab Antiocho & successoribus ejus possessi, ab Antiochi pronepote Seleuco primum defecere, primo Punico bello, C. Atilio Regulo II. L. Manlio Vulsone Longo II. cos. anno urbis conditæ DIV. Cujus defectionis impunitatem illis duorum fratrum regum Seleuci & Antiochi discordia dedit, qui dum sibi invicem eripere regnum volunt, persequi defectores omiserunt. Defectionis auctor fuit ARSACES quidam, vir sicut incertæ originis, ita virtutis expertæ: hic solitus latrociniis & rapto vivere, accepta opinione Seleucum in Asia victum, solutus regis metu cum prædonum manu Parthos ingressus, præfectum eorum Andragoram oppressit, sublatoque eo imperium gentis invasit. Non magno deinde tempore post Hyrcanorum etiam regnum occupavit, cum Theodoto mille urbium Bactrianorum rege fœdus ac pacem fecit, Seleucum regem contra defectores venientem prœlio vicit & fugavit. Quem diem Parthi veluti solemnem & initium libertatis observabant. Revocato in Asiam Seleuco, regnum Parthicum formavit, milites legit, castella munivit, civitates firmavit, urbemque maximam Claram nomine in monte Thabroteno condidit. Sic Arsaces, quæsito simul constitutoque regno, non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus, matura senectute decessit. Cujus memoriæ hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncuparent, sicut Romani Cæsares Augustosque principes suos cognominarunt. Hujus filius, & successor regni ARSACES & ipse nomine adversus Antiochum Seleuci filium, centum millibus peditum, & XX. millibus equitum instructum mira virtute pugnavit. Ad postremum in societatem ejus adsumptus est. Tertius Parthis rex PAMPACIUS fuit ARSACIS & ipse cognomine ornatus, qui quum XII. imperii anno decessisset, duos filios Mithridatem atque Pharnacem reliquit. Quorum major PHARNACES, more gentis heres regni, Mardos validam gentem bello domuit. Post quem quintus Parthorum rex fuit frater MITHRIDATES, testamento a Pharnace relictus. Hic Medos & Elimos subegit, imperiumque Parthorum a monte Caucaso, multis populis in ditionem redactis, usque ad flumen Euphratem protulit. Post cujus mortem sextus Parthorum rex PHRAHARTES ejus filius constitutus est. Hic primus regum Parthorum amicitiam Romanam per legatos a L. Sulla Felice pro cos. tum bellum Mithridaticum in Asia gerente, petiit, & impetravit. Quo in bello cum Scythis gesto occiso, ARTABANUS patruus ejus rex VII. substitutus est. Cui MITHRIDATES filius successit, a rerum gestarum magnitudine Magnus cognominatus. Multa enim bella cum finitimis magna virtute gessit, multosque populos Parthico regno addidit, sed & cum Scythis aliquoties prospere dimicavit, ultorque parentum injuriæ fuit. Bellum Armenis intulit; post quod propter crudelitatem a senatu Parthico regno pulsus, frater ejus ORODES imperio potitus est. Hic bella cum Romanis gessit, Crassumque imperatorem cum filio & omni fere Romano exercitu delevit. Hujus filius Pacorus missus ad persequendas Romani belli reliquias, magnis rebus in Syria gestis in patriam patri suspectus revocatus, quo absente exercitus Parthorum in Suria relictus, a C. Cassio quæstore Crassi cum omnibus ducibus cæsus est. Bellis civilibus Romanis Parthi Pompeio contra Cæsarem, item Bruto & Cassio adversus Augustum & Antonium auxilia misere. Post belli finem rursum Pacoro duce, & Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, & bello victus ad Parthos transfugerat, Syriam irruperunt, ac totam occupavere provinciam. Quos P. Ventidius Bassus Romanus dux prœlio commisso ad internicionem usque Pacoro & Labieno occisis cecidit, nec ullo bello Parthi majus unquam vulnus acceperunt. Illud cognitu dignum, Pacorum Orodis regis filium eo potissimum die interfectum fuisse, quo antea Crassus victus fuerat, ne aliquando Romani ducis mors inulta relinqueretur. Non longe post id prœlium, quo Parthorum vires concidere, Orodes rex a filio Phraharte per summum scelus occisus est, regnum ejus vi invasit PHRAHARTES. Huic M. Antonius III. vir propter auxilium adversus se & Cæsarem latum bellum cum XVI. validissimis legionibus intulit, sed graviter multis prœliis, fame, pestilentia, tempestatibusque vexatus, ex Parthia magna exercitus parte amissa refugit. Hac victoria Phrahartes insolentior factus, quum multa crudeliter ageret, in exilium a Parthis pellitur, regnumque ejus Tyridati cuidam traditur. Phrahartes Scytharum præsidio adjutus, Tyridate fugato regnum recuperavit. Cui quum Augustus Cæsar, bello Hispano confecto, metum injecisset, se bellum Parthis inferre velle, tunc tota Parthia captivi ex Crassiano, sive Antonii exercitu collecti, signaque cum his militaria erepta, Augusto remissa, sed & filii nepotesque Phrahartis obsides Augusto dati, plusque Cæsar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius imperator facere potuisset. Post Phrahartem XII. Parthorum rex fuit ejus filius PHRAHARTES appellatus, post quem ORODES rex fuit. Quo occiso, legati Parthorum in urbem properant, qui Vononem vetustissimum liberorum Phrahartis ad regnum paternum accirent, quem olim Phrahartes pater Augusto obsidem dederat. Is a Ti. Cæsare rerum potiente missus, haud multo post regno vi exactus, Artabanum successorem accepit. Vononi victo Armenia rege tunc vacua profugium fuit. ARTABANUS autem regno potitus multas popularium insidias passus est. Quum enim bellum cum Romanis suscepisset, his potissimum adjuvantibus, auctore Vitellio Suriæ legato a Tyridate regii Arsacidarum sanguinis bello petitus, regno pulsus est. TYRIDATES XVI. Parthorum rex factus, haud multo post ab Artabano Hyrcanorum & Caramanorum præsidiis adjuto, regno mulctatus, in Suriam ad Romanos fugit, Artabanus regnum Parthicum recepit; quod quum Sinnacis proditione iterum perdidisset, tertio etiam paulo post cæso Sinnace recuperavit. Ad extremum multis fortunæ procellis exagitatus, cum uxore & filio a fratre Gotharze interfectus est. GOTHARZES XVIII. Parthicum imperium tenuit. Hunc etiam more gentis fratris Bardanis insidiæ fatigaverunt, a quo regno exactus, paulo post Bardane interfecto restitutus est. Hic cum Meherdate a Claudio imp. ad Parthicum regnum obtinendum misso pugnavit, quem prœlio victum, captumque, auribus præcisis incolumem servavit. Quo deinde morbo decedente, in regnum accitus est XX. VONONES Medis tum præsidens. Nulla huic prospera aut adversa fuere, brevi & inglorio imperio perfunctus, regnum Parthorum filio VOLOGESI reliquit, qui rerum gestarum magnitudine in Romanis annalibus notissimus est. Hic enim diuturnum ad-

versus populum Romanum bellum gessit, & non solum par, verum etiam aliquando victor fuit. Ipse Armeniam Romanis Nerone imperante ademit, duas Romanas legiones sub jugum misit extremo Romani nominis dedecore. Ejus gesta Cornelius Tacitus libris XIII. XIV. & XV. accurate describit. Postremo rerum gestarum gloria illustris jam senex decessit, Vologese filio regni Parthici successore relicto. Cujus regis gesta apud omnes annalium memorias interciderunt. Post eum rex Parthorum XXI. CHOSROES fuit. Cui quum Trajanus imperator bellum intulisset, Armeniam primum, deinde Mesopotamiam omnem, & Assyriam ademit: ipsum vero prœlio victum fugavit, atque sine summo regis imperio Parthi aliquot annis fuerunt. Verum Parthis ad defectionem spectantibus, Trajanus regem XXV. constituit Parthenaspatem, quo pulso, Chosroes avitum recepit imperium. Post quem Vologeses filius regnum Parthicum diu tenuit. Cum hoc Marcus & L. Verus Romani principes multa bella gessere, eique Assyriam & Armeniam ab Hadriano relictas eripuere. Post Vologesem novissimus omnium Arsacidarum Parthorum imperium tenuit ARTABANUS, qui cum Romanis, Severo, Antonino Caracalla, & Macrino imperantibus, multa bella vario Marte gessit. Quem postremo Alexandro Romanis imperante Artaxerxes Persa triplici prœlio victum, non solum Parthorum regno, sed vita etiam privavit, imperiique orientis summam a Parthis iterum ad Persas transtulit, anno a primo Arsace CCCCLXXIII. Artaxerses orientis regno potitus, se regem Magnum primus appellavit, duplicique diademate utens, orientis imperium Persis restituit. Tunc Parthi Persarum, ut paulo ante Persæ Parthorum, mancipia fuere. Quare deinceps non amplius in antiquis historicis legimus, Romanos cum Parthis, sed cum Persis bella gessisse.

CAP. XXVI.

De imperio Persico.

PErsæ orientis populi nobilissimi fuere, Cyro & Cambyse regibus celebrati, qui a Macedonibus Alexandro rege orientis imperio dejecti, sub ejus successorum primum, deinde Parthorum imperio diu fuere. Postremo anno urbis C∞ LXXVII. Alexandro Romanis imperante, Artaxerses quidam Persa, quamquam obscuro loco inter ipsos natus, ingentis tamen animi & spiritus vir, veterem Persarum gloriam instauraturus, Persarum gentibus ad rebellionem sollicitatis, a magno Parthorum rege Artabano defecit. Artabanum ad seditionem sedandam ingentibus copiis, instructum venientem, triplici prœlio victum regno & vita exuit, Or entisque imperio Persas iterum imposuit. Quibus rerum successibus elatus, subigere vicinos barbaros, qui imperium ejus detrectabant, incredibili virtute & celeritate, ac sibi vectigales facere cœpit; omnibus orientis populis, qui sub Parthorum imperio quondam fuerant, in deditionem acceptis, neque jam amplius intra fluvium Tigrim tenere sese, sed superatis ripis ac Romani finibus imperii, excurrere per Mesopotamiam, Syriæque minitari, omnemque Europæ oppositam continentem, quæ mari Ægo fretoque Propontidis terminatur, Asiæque nomen habet, ceu veterem Persarum possessionem sibi vendicare: quod jam inde a Cyro, qui primus imperium a Medis in Persas transtulit, ad Darium usque extremum Persarum regem, a Persarum Satrapis Asia omnis gubernaretur. Quare sui muneris esse curare tunc jactitabat, ut vetus atque integrum imperium Persis restitueretur. Ut igitur Arsaces Parthorum, ita hic Persarum regnum instauravit. Qui multis rebus bello præclare gestis, initi regni anno XV. decedens, imperium pacatum filio Sapori reliquit. Hic Romanis pene exitialis fuit. Quibus in Mesopotamia ingenti prœlio profligatis, & Mesopotamiam eis eripuit, & imperatorem ipsorum Valerianum vivum cepit. Post Saporem Ormisda annum I. & Vararanes II. annos XVI. & Vararanes III. cognomine Seganesna menses quattuor Persarum imperium tenuere. Post hos annis octo Persarum rex VII. regnavit NARSES, quo a Galerio prœlio victo, Mesopotamia, Armenia, & quinque Transtigrim provinciæ bello receptæ sunt. Post Narsem Misdates annis VIII. & Sapores II. annis LXX. in Persis regnarunt. Cum hoc Sapore Constantinus Magnus, Constantius, & Julianus imperatores Romani continua bella gesserunt. Cum hoc, reddita Nisibi & Mesopotamiæ parte, turpe fœdus fecit Jovianus Augustus imperii quam gloriæ cupidior. Post longævum Saporem, Artaxerses II. annis IV. Sapor III. annis V. Vararanes IV. cognomento Cermasat annis undecim, Isdigerdes annis XXI. in Persis regnarunt. Isdigerdem Persarum regem moriens Arcadius imp. tutorem infantis filii Theodosii junioris testamento reliquit. Post eum XIV. Persarum rex fuit Vararanes V. qui annis viginti, item Vararanes VI. qui annis XVII. post Perozes, qui annis viginti tres, Valens deinde, qui annis quattuor, & Cavades Perozis filius, qui annis XLI regnavit. Hunc Cavadem quum Zambases quidam regno ejecisset, ipseque annos quattuor regnasset, a Cavade regno & vita privatus est. Cum Cavade Persarum rege ea bella auspiciis Justiniani imperatoris gessit Belisarius, quæ a Procopio in libris de bello Persico describuntur. Post Cavadem Persarum XX. rex fuit Chosroes, qui annos XLVIII. regnavit. Chosroi successit filius Ormisda, cui anno imperii decimo mortuo suffectus est filius Cavades junior. Hic regni initio Vararanis insidiis regno exactus, Tiberii Mauricii Romani imperatoris ope, cæso Tyranno Vararane, regnum paternum recuperavit, annisque XXXVIII. regnavit. Qui quum Mauricii imperatoris amicissimus esset, eo a Phoca occiso, bellum Romanis intulit, iisque Syriam omnem ademit. Phoca occiso Heraclius contra Persas profectus bello septem annorum eos vicit, Syriam recepit, veteres imperii limites super Euphratem restituit, Chosroen captum occidit, dominicæ crucis partem, quam Chosroes Hierosolymis expugnatis sustulerat, reportavit, unde exaltationis S. Crucis dies festus institutus est. Occiso Chosroe, & rebus Persicis compositis, ex auctoritate Heraclii Persarum XXIV. factus est filius ejus Syrrhoes, cum quo Romanus imperator pacem & fœdus fecit. Extincto intra annum Syrrhoi successit Adesir, qui regnavit mensibus VII. post quem Sarabarzas mensibus II. deinde XXVII. Vararanes mensibus VII. post quem novissimus Persarum rex fuit Ormisda, quo anno regni nono a Sarracenis duce Haomaro regno pulso, regnum Persarum in oriente defecit, anno a primo Artaxerse CCCCIV. Christiani vero natalis DCXXXIX. Quo tempore rerum orientalium summa penes Sarracenos esse cœpit. Quorum Mahometh Arabs primus rex & propheta fuit, secundus Eubocaras, tertius Haomar, quo rege Sarraceni Arabia egressi, Ægyptum, Syriam omnem usque ad Antiochiam, & Euphratem Romanis primum ademerunt; post bello in Persas converso, eos bello Romano attritos devicerunt, Persarumque toto oriente celebratum imperium sibi ipsis religione mutata vendicarunt. Quod ad nostra usque tempora insigni rerum gestarum gloria adhuc sub eorum rege Sophi possident.

Parthorum regum Epilogus.

I Arsaces primus Parthorum rex, creatus anno urbis conditæ DIV. regnavit annos XXXVIII.

II. Arsaces II. regnavit annos XXXVI.
III. Pampacius Arsaces regnavit annos XL.
IV. Phrahartes Arsaces regnavit annos XVII.
V. Mithridates Arsaces regnavit annos XXXII.
VI. Phrahartes II. regnavit annos XXVIII.
VII. Artabanus regnavit annum I.
VIII. Mithridates II. regnavit annos IV.
IX. Orodes regnavit annos XVIII.
X. Phrahartes III. regnavit annos XI.
XI. Tyridates regnavit annum I.
Phrahartes III. iterum regnavit annos XXX.
XII. Phrahartes IV. regnavit annos II.
XIII. Orodes II. regnavit annos II.
XIV. Vonones regnavit annos V.
XV. Artabanus regnavit annos XIX.
XVI. Tyridates II. regnavit annum I.
Artabanus iterum regnavit annos VIII.
XVII. Sinnaces regnavit annum I.
Artabanus tertio regnavit annum I.
XVIII. Gotarzes & Bardanes una regnarunt annum I.
XIX. Bardanes solus regnavit menses IV.
Gotarzes solus regnavit annos II.
XX. Vonones II. regnavit annum I.
XXI. Vologeses regnavit annos XXXIV.
XXII. Vologeses II. regnavit annos XXII.
XXIII. Chosroes regnavit annos V.
XXIV. Imp. Cæsar Trajanus Augustus regnavit annos III.
XXV. Parthenaspates regnavit annos IV.
Chosroes iterum regnavit annos XXXIV.
XXVI. Vologeses III. regnavit annos XL.
XXVII. Artabanus II. regnavit annos XXXIV.

Regum Persarum Epilogus.

Artabano ab Artaxerse Persa cæso, Parthorum regnum in oriente finitum est anno urbis conditæ C∞ LXXVIII. Christi vero CCXXVI. Quo anno primus in Persis regnare cœpit.

Anni Christi
226. I. Artaxerses magnus, qui regnavit annos XIII. menses X.
240. II. Sapores regnavit annos XXXI.
272. III. Ormisda regnavit annum I. dies X.
273. IV. Vararanes regnavit annos V.
278. V. Vararanes II. regnavit annos XVI.
294. VI. Vararanes III. Seganesna regnavit menses IV.
294. VII. Narses regnavit annos VII. menses IX.
302. VIII. Misdates regnavit annos VII. menses IX.
310. IX. Sapores II. regnavit annos LXX.
380. X. Artaxerses II. regnavit annos IV.
384. XI. Sapores III. regnavit annos V.
399. XII. Vararanes IV. Cermasat regnavit annos XI
400. XIII. Isdigerdes regnavit annos XXI.
421. XIV. Vararanes V. regnavit annos XX.
441. XV. Vararanes VI. regnavit annos XVII. menses IV.
458. XVI. Perozes regnavit annos XXIII.
428. XVII. Valens regnavit annos IV.
486. XVIII. Cavades Perozis F. regnavit annos XI.
497. XIX. Zambases regnavit annos IV.
501. Cavades iterum regnavit annos XXX.
531. XX. Chosroes Cavadis filius regnavit annos XLVIII.
579. XXI. Ormisda II. regnavit annos X.
589. XXII. Chosroes II. regnavit menses III.
589. XXIII. Vararanes VII. regnavit annum I.
590. Chosroes II. iterum regnavit annos XXXVIII.
628. XXIV. Syrrhoes regnavit annum I.
629. XXV. Adesir regnavit menses VII.

A 629. XXVI. Sarabarzas regnavit menses II.
630. XXVII. Vararanes VIII. regnavit menses VII.
631. XXVIII. Ormisda III. regnavit annos IX.

Anno Domini DCXXXIX. exacto Persarum rege Ormisda ab Haomaro tertio Sarracenorum Amyra, orientis regnum ad Sarracenos translatum est. Quorum primus fuit Mahometh.

Reges Sarracenorum Arabum.

Anno Domini DCXXI.

B 621. I. Mahomet Abdallæ F. Abdalmutalif nepos Arabs pseudopropheta Sarracenis leges dedit, a quo anni Arabum computantur. Is regnavit annos XI.
632. II. EuboKara Abdallæ F. Odmen N. regnavit annos II. menses VI. dies XIII.
634. III. Haomar Alhata F. Alphail N. regnavit annos XI. menses VI. Hic Ægyptum, Suriam, & Mesopotamiam cum Armenia Romanis ademit, Persarum regnum excidit, orientisque imperium ad Sarracenos transtulit, quorum ipse primus rex fuit.
C 646. IV. Huthman Alpnen filius, Alaci N. regnavit annos X.
Post Huthman schisma fuit in Arabum imperio; in Perside enim & Arabia regnavit.
656. V. Halim filius Abitalif, annos IV. menses IX.
656. VI. Moaxias vero Cephan F. regnavit in Ægypto & Suria an. XXIV.
660. VII. Alhatem Halim filius regnavit in Perside menses V. dies XXII.
661. Quo mortuo Moaxias omnia obtinuit, quem annum Sarraceni Alema, id est, congregationis vocant.
D 680. VIII. Hirid F. Moaxiæ regnavit annos III.
683. IX. Muthar regnavit annos VI. in Perside.
683. X. Abdellas regnavit in Ægypto & Arabia annos II.
683. XI. Murhuam F. Moaxiæ regnavit in Suria menses IX.
684. XII. Abimelech F. Murhuam regnavit in Suria annos XXI. menses VI.
690. Abimelech solus tyrannis occisis regnavit annos XV. menses VI.
705. XIII. Uhalid F. Abimelech regnavit annos IX.
714. XIV. Sulehimam F. Uhalid regnavit annos III.
717. XV. Ahomar II. F. Uhalid regnavit annos III.
E 720. XVI. Hirid II. F. Haomari regnavit annos IV.
724. XVII. Hisam F. Haomari regnavit annos XVIII.
743. XVIII. Uhalid II. F. Hisam regnavit annos II.
745. XIX. Murhuan II. F. Hisam regnavit annos VI.
750. XX. Mahometh II. Abubalas F. Echin regnavit annos V.
755. XXI. Abdellas F. Echin regnavit annos XXI.
776. XXII. Abdellas II. Mahometh Madi F. Abdellæ regnavit annos IX.
785. XXIII. Moses Madi F. regnavit annum I.
786. XXIV. Aaron Madi F. regnavit annos XXIII.
809. XXV. Mahometh III. Aaron filius regnavit annos IV.
F 813. XXVI. Abdellas III. filius Aaron regnavit annos VII.
820. Post Abdellam III. in quattuor tetrarchas imperium Arabum Sarracenorum divisum est: nam in Perside, Mesopotamia, Suria, & Aegypto quattuor reges per vim creati, eam monarchiam, quæ annos prope ducentos perduraverat, convulserunt. Ex Theophane Isauro, Anastasio Bibliothecario, & Sigeberto excepta.

CAP. XXVII.

Qua ratione Romanum imperium excisum sit Dacia provincia amissa.

ROMANAM potentiam usque ad Trajani principatum semper auctam, ejusque imperii terminos sub ipso principe longissime propagatos fuisse, supra demonstravi. Post quem imperii Romani limites ab Hadriano mutatos, a sequentibus vero Augustis restitutos etiam vidimus. Nec unquam provincia ulla vel vi, vel sponte amissa, quæ non magno etiam cum fœnore recuperata fuerit. Primum omnium sub Gallieno, quem ignavissimum & perditissimum imperatorem Romana respublica passa est, provinciæ non amplius receptæ, amissæ sunt. Nam eo imperante Dacia Transdanubiana a Scythis occupata est, Romanoque imperio erepta, quam quum pene recuperasset, qui ei successit Aurelianus, desperans teneri posse, omnem Daciam trans Danubium, sublato exercitu, provincialibus reliquit, abductosque ex ea populos in Mœsia collocavit, appellavitque suam Daciam, quæ duas Mœsias divideret: ita Vopiscus in Aureliano. Prima autem & secunda Dacia dictæ, quod a duobus præsidibus regerentur; qua ratione Mœsia, Armenia, Germania, Belgica, Lugdunensis, & omnes fere provinciæ divisæ erant. Unde Jornandes in annalibus: *Aurelianus* (inquit) *imperator, evocatis ex Dacia legionibus, in Mœsia collocavit, ibique aliquam partem Daciam mediterraneam Daciamque ripensem constituit, & Dardaniam junxit.* Et Rufus: *Sub Gallieno imperatore Dacia amissa est, & per Aurelianum, translatis exinde Romanis, duæ Daciæ in regionibus Mœsiæ, & Dardaniæ factæ sunt.*

Provinciæ trans Tigrim, Nisibis & Mesopotamia, amissæ.

Constantio imperatore Magni Constantini filio mortuo, Julianus, qui ex Cæsare Augustus in Galliis ab exercitu appellatus fuerat, redacta ad se unum orbis terrarum administratione, gloriæ nimis cupidus, in Persas expeditionem paravit. Persarum fines Euphrate trajecto ingressus, Assyriam populatus est, multa oppida partim vi, partim deditione cepit, apud Ctesiphontem castra stativa aliquandiu habuit. Hanc adeptus victoriam, a militibus de reditu admonitus, non obtemperavit, sed exustis navibus, a transfuga quodam in insidias deductus, quum eum hinc inde Persæ urgerent, e castris jam positis arrepto tantum clypeo, inconsultius procurrit. Ubi dum nititur ordines ad prœlium componere ab ignoto hostium equite conto per ilia trajectus est. Inter effusionem nimii sanguinis, quum suorum ordines, quamquam saucius instaurasset, labore & vulnere debilitatus, medio sequentis noctis deficit. Eo mortuo Jovianus primicerius domesticorum, genitus patre Varroniano, incola agri Singidoniensis, e provincia Pannonia, qui tunc modestius militabat, ad obtinendum imperium consensu exercitus, prælio quidem superioris, sed morte imperatoris confusi, electus est, commendatione patris quam sua notior. Quum commeatu deficiente exercitus inopia laboraret, & via in reditu prolixior immineret, res omnes turbatæ essent, Persæque crebris excursibus, nunc a fronte, nunc a tergo, mediorumque latera incursantes, agmina morarentur, consumptis aliquot diebus, & uno atque altero prælio victus, tanta reverentia Romani nominis fuit, ut a Persis jam victoribus de pace primus sermo haberetur, conditionibus (quod nunquam antea acciderat) Romano imperio duris impositis. Cupidior enim imperii, quam gloriæ Jovianus, & imperio adhuc rudis, pacem cum Sapore Persarum rege necessariam quidem, sed ignobilem in XXX. annos fecit, redditis quinque Transtigritanis provinciis, quas Galerius Persarum victor fecerat, cum castellis quindecim cis Tigrim, Nisibi & Singara urbibus, & parte Mesopotamiæ. Quod ante eum, ex quo Romanum imperium conditum erat, nunquam acciderat. Hanc rem ita tradit Agathias libro IV. *Nisibis civitas, quæ Romanorum fuit, in Persarum ditionem pervenit, Joviano imperatore eam tradente. Is namque in ipsis mediterraneis Persarum locis, eorumdem ditionis & juris Juliano repente deperdito, per milites imperator mox declaratus est. Et quoniam sibi nuper delatum imperium fuerat, perturbatis, ut par erat, jam rebus, & in hostili præcipue, haudquaquam in præsentia poterat lentius ut decuisset, res ipsas disponere, præsertim abscedere cupidus, ne in alienis moram diutius traheret, sed ad sua, imperii æmulum verens, quam primum rediret, ignominiose & turpiter cum Persis pacem fecit iis conditionibus, quibus in id tempus jacturam non mediocrem Romana respublica fecit; & novis quibusdam terminis Romanum retraxit imperium, idque, quum porrectius esset, & ultra fuisset antea propagatum, stolide nimis intercidit.* Hanc eandem rem Rufus, Eutropius, Orosius, Jornandes, & omnium accuratissime Marcellinus lib. XXV. qui ei bello interfuerat, referunt. Tunc autem imperii termini ab oriente super Euphratem iterum reformati sunt. Quos ipsos D. Augustinus lib. IV. de civitate Dei suo tempore fuisse, sexaginta pene annis post scriptum reliquit. Orientalis imperii limites, a Joviano ignominioso fœdere statuti, diu permanserunt; non enim ante Phocæ imperatoris tempora mutati sunt, quum egregie orientis imperatores Romani imperii Persas versus fines semper tutati sint. In occidente vero longe diversam, & acerbiorem fortunam Romanum imperium, quam nunc exponam, passum est.

CAP. XXVIII.

Occidentalis Imperii excidium.

SÆPE exposui præcipuam imperii casus caussam fuisse novam illam, quam Constantinus imperator fecit, imperii constitutionem, qua, auctore Zosimo, Rheni & Danubii ripas XV. legionum præsidio spoliavit, & quod unum firmissimum ac stabile erat, quum in duo divisisset, infirmum & imbecille reddidit. Quamvis non inficias eam, imperium ipsum malis institutis in præceps labens, eorum, qui post Theodosium fuerunt, imperatorum fatali ignavia & socordia omnino corruisse, ut non minus in eo perdendo laborasse videantur, quam veteres illi duces in ejus magnitudine asserenda. Quid enim Romano imperio perniciosius accidere potuit Honorio, & Valentiniano III. imperatoribus? Sub quorum principatibus vix quinquaginta annorum intervallo, id concidit & eversum est, in quo acquirendo mille fere annorum præstantissimorum ducum labores & vigiliæ consumptæ erant. Omnium malorum & ruinæ ab ejus regionis populis initium ortum est, qui Rheno, & Danubio Romani imperii claustris olim firmissimis claudebantur. Hi fuerunt Getæ, id est, Gothi in Visegothos & Ostrogothos distincti, Hunni, Alani, Vandali, Franci, Burgundiones, Heruli, Longobardi, & multi alii, qui regiones frigidas & incultas obtinentes in eam aliquando excrescebant multitudinem, ut natale solum sæpe relinquere coacti, ad novas quærendas sedes, flumina Danubium, & Rhenum transierint. Hinc Cimbri, Teutones, Ambrones, Daci, Getæ, Scythæ quum sæpe exiissent, Romanum imperium etiam ante Constantini tempora acriter vexaverunt. Quorum vim quum Augustus providentissimus princeps præsensisset, eam validissimis legionibus super amnium ripas collocatis reprimere posse existimavit.

Cujus institutis a sequentibus Romanis principibus A conservatis & auctis, imperium Romanum integrum atque a barbarorum furore illæsum custoditum est. Verum legionibus a fluminibus tanquam foribus a portis remotis, quum legionum timore amoto barbari in Romanas provincias irruere cœpissent, iis acriter Romani aliquot imperatores restiterunt. Quorum novissimus Theodosius imperator fuit. Hic barbaros Valentis imperatoris cæde, & magna Romano nomini clade illata audaciores factos, ingentibus præliis obtrivit, atque intra suos terminos coercuit. Quo mortuo quum filios Arcadium & Honorium pueros adhuc tanti imperii successores, tresque his tutores Gildonem, Rufinum, & Stiliconem B præstantissimos rei militaris duces reliquisset, haud ita multo post ob eas, quas referam, caussas imperium, quod ad ea tempora integrum perductum fuerat, corruere cœpit, barbaris non prohibitis solum, sed ultro etiam dolis, & proditione aut evocatis, aut in Romanas provincias irruentibus non compressis.

Urbs Roma a Gothis primum capta.

Septentrionalis regio quanto magis ab æstu solis remota est & magnis frigoribus vexata, tanto salubrior corporibus hominum, & propagandis conservandisque gentibus est commodior, perinde ac e con- C tra, meridies omnis, quo Solis est fervori propinquior, eo morbis & infirmitatibus est magis obnoxius, & hominibus educandis minus aptus. Hinc factum est, ut tot gentium manus iis in regionibus ortæ sint, quæ Rheno & Danubio fluminibus continentur. Ex quibus multæ & innumerabiles gentes sæpe egressæ, quæ non solum Asiam, sed Europam & Africam afflixere, præsertim quum terras asperas, incultas, & infrugiferas colerent; quare iis sæpe necesse erat divisione facta patrias regiones relinquere, & ad novas quærendas sedes commigrare. Hinc hi barbari egressi, qui Romanum imperium D exciderunt. Quorum præcipui fuere antiquis temporibus Scythæ & Getæ, recentioribus vero Gothi appellati, quorum qui orientales regiones tenebant Ostrogothi, qui occiduas Visegothi vocati. Præter eos fuerunt omnium sævissimi Hunni, Vandali, Alani, Franci, Burgundiones, Gepidæ, Heruli, & Longobardi. Primi omnium Gothi, quos cum aliis barbaris flumina transire ausos Constantinus imperator primum, dein Julianus Cæsar, tum Valentinianus magnis affecerant cladibus, atque intra suos fines continuerant. Sub Valente bellum cum Romanis diu intermissum hanc ob caussam repararunt. Haud multo tempore ante Valentis imperatoris obitum, E Gothi trans Istrum constituti, bello civili ob agrorum fines exorto, inter se conflictabantur. Eorum parti alteri Fritigernus Arrianæ religionis, alteri vero Athanaricus adhuc gentilis præerant. Quum Athanarici factio prævaluisset, Fritigernus auxilia ab imp. Valente petiit. Valens statim Thraciarum ducibus imperavit, ut Fritigerno contra Athanaricum præsto essent, qui a Romanis cum sua Gothorum factione victus, his postremo conditionibus ex Imperatoris Valentis auctoritate pacem cum Fritigerno fecit, ut uterque eas regiones obtinerent, ipseque orientalem partem, Fritigernus vero occiduam agrorum, quos trans Istrum habebant, possiderent: F hinc Ostrogothorum & Visegothorum, hoc est orientalium & occidentalium Gothorum nomen ortum. Visegothi post hæc a bello quieti, pacem cum Romanis habebant. Haud multo post civiles Gothorum seditiones sedatas, Hunni diu in propriis & inaccessis clausi montibus, repentina rabie & furore perciti, palude Mæotide egressi, relicto patrio solo, Gothis bellum intulerunt, in quo Ostrogothis vectigalibus factis, Visegothorum, quos aliquot prœliis vicerant, & patriis sedibus agrisque ejecerant, Transdanubianas regiones sibi ipsis vendicavere. Visegothi natali solo ab Hunnis pulsi, Danubio trajecto a Valente sine ulla fœderis pactione & armorum depositione intra imperii Romani limites suscepti sunt. Qui eis Thraciæ partem ad habitandum concessit, arbitratus se eorum opera in reliquis barbaris oppugnandis usurum. Gothi per avaritiam Maximi Thraciarum ducis fame ad rebellandum coacti, Thraciæ finibus non contenti, ut erant animo & moribus immites, vicinas sibi regiones & urbes populari cœperunt: qui a Valente admoniti, quum nec a rapinis quiescere vellent, nec de his, quæ contra imperatorem gesserant, satisfacere, bellum iis Valens indixit. Superatis autem prima congressione Romanis, Gothi per omnem Thraciam diffusi sunt. Imp. Valens exercitu adversus eos educto lacrymabile in Thracia bellum gessit, in quo ad primum Gothorum impetum perturbatis Romanorum equitum alis, Romanæ legiones, equitum præsidio denudatæ, & a Gothis cinctæ, usque ad internicionem cæsæ sunt. Valens imp. quum sagitta saucius fugeret, & ob dolorem nimium sæpe equo laberetur, ad cujusdam villulæ casam deportatus est. Ubi supervenientibus Gothis, domo incensa, vivus quoque crematus est anno imperii XIV. vitæ I. Contigit hæc clades, qua nulla post Cannensem Romano nomini exitiabilior fuit, VI. Idus Augusti, an. Christi CCCLXXVIII. Valente VI. & Valentiniano juniore II. Aug. coss. Occiso Valente Theodosius dux rei militaris peritissimus, a Gratiano occidentali imperatore Augustus appellatus, atque orientali imperio præpositus est. Gothi interim, Valentis cæde superbiores facti, omnem Thraciam igni ferroque vastarunt, Constantinopolim aggressi, eam aliquot mensibus obsederunt. Hunni quoque, qui Visegothos expulerant, & cum iis Ostrogothi, & Alani, audita Romanorum clade, trajecto Istro Pannoniam, Mœsiam, & Daciam devastabant. Theodosius imperio orientali suscepto, summa felicitate, multis atque ingentibus prœliis Gothos vicit, & e Thracia ejecit. Alanos & Hunnos bello aggressus fregit, eisque trans Istrum effugatis, Romanas provincias omnes liberavit. Postremo ne parvam Romani exercitus manum assiduis bellis consumeret, pacem cum Athanarico rege Visegothorum fecit, eumque Constantinopolim evocavit, ubi quum XV. die postquam advenerat obiisset, Gothorum universa gens, rege defuncto, Theodosio ipsi, Romanoque imperio se dediderunt, quorum opera duobus asperrimis bellis civilibus Maximi & Eugenii, item in multis externis usus est. Theodosio mortuo, cujus metu omnes Barbaræ nationes intra suos quæque fines quieverant, Visegothi, qui quindecim fere annis sine rege Romanis servierant, puerorum imperatorum ætatem negligentes, contra fœdus regem sibi elegerunt Alaricum, qui strenue sub Theodosio inter Gothos militaverat. Injuriam imperio factam dissimulare coactus est imperator Honorius, nam Hunni, & Alani, audita Theodosii morte, Istro iterum trajecto Pannoniam, Mœsiam, & finitimas regiones occupaverant. Pace enim cum Alarico rege facta, magister militiæ ab imperatore creatus est, atque contra Hunnos missus. Quibus a Gothis intra Pannoniæ fines compulsis, quum in Italiam victor reversus esset, sedes sibi agrosque ab imperatore petiit, tot pro Romani imperii dignitate tuenda laborum præmium. Honorius timore Gothorum perterritus Gallias his concessit, quas paulo ante Vandali, Suevi & Alani clam a Stilicone invitati, occupaverant. Qui quum in Gallias ire pergerent, & ad portanda itineris necessaria apud Pollentiam resedissent, Stilico in perniciem Romani nominis Gothis nihil suspicantibus, die sancto Paschali bellum intulit, non ut extingueret, quod in manu ejus erat, sed ut lacesseret, quibus tumultuantibus rerum novandarum materiam haberet. Sed antequam cœpta perficeret, Honorii jussu, quum ejus insidias cognovisset, occisus est. Gothi vero Stilico-

liconis perfidia exagitati, cœptum in Gallias iter deserentes, Romam citato gressu contendunt, urbem IX. Kal. Septem. capiunt, incendunt, & populantur, Varrone & Tertullo cos. Anno Christi CDXI. imperatorem per ludibrium Atallum quendam senatorem creant. Urbe egressi Campaniam, Lucanos, Bruttios, & magnam Græciam ferro, incendiis, & rapinis acerbe vexarunt. Mortuo vero apud Consentiam Alarico, Athaulphus rex in ejus locum constitutus, in urbem reversus, quæ superfuerant locustarum more Gothi abradunt, Gallam Placidiam sororem imp. Honorii urbe abductam Athaulphus uxorem duxit. Atque in Gallias Alarico olim destinatas ab Honorio sedes profectus est. Quæ vero bella in Galliis primum, deinde in Hispaniis Visegothi contra Vandalos, & Alanos gesserint, & quomodo postremo Franci & Burgundiones Gallias, Visegothi Hispanias, Vandali Africam, & Ostrogothi Italiam occupaverint, paulo post exponam.

Pannonia, Noricum, Rhætia, Mœsia, Thraciarum & Illyrici pars ab Hunnis occupatæ.

Theodosio imp. mortuo, ejusque virtutis metu amoto, Romanum imperium undique partim vi, partim ducum Romanorum perfidia vexatum, & attritum est. Tunc enim gens omnium sævissima Hunnorum, quam Theodosius per Pannoniam se diffundentem devicerat, & trans Danubium ejecerat, iterum Istro trajecto Pannoniam omnem, Daciam, Mœsiam, Noricum, Rhætias, Illyrici & Thraciæ partem eorum sub ejus rege Balamber occupavit, quas provincias diu ante a Cæsare Augusto Romano imperio adjunctas, quum eas Hunni invasissent, diu possederunt. Hujus gentis reges fuerunt Supthar, Rufila, Bleda, & gentium orbisque flagellum Atila, qui Romano imperio sub Valentiniano tertio ingentes intulit calamitates, urbes excidit, provincias devastavit, & omnia igni ferroque consumpsit, Thracias & Illyricum sævissima populatione vexavit, omnia præter Perinthum & Hadrianopolim cepit. Macedoniam post hæc, Mœsiam, Achaiam, Græciam omnem populatus est. Non contentus his provinciis, quas majores sui Romano imperio eripuerant, fortissimarum gentium, quas debellaverat, præsidio fretus, animum ad occupandum totum occidentis imperium intendit. In Gallias primo transgressus, memorabili prœlio in campis Catalaunicis ab Ætio patricio, adjuvantibus Meroveo Francorum & Theoderico Visegothorum regibus, victus, in Pannoniam redire coactus est: reparatis viribus, quum expeditionem in Italiam edixisset, & Aquileia capta & diruta Venetiam omnem devastasset, dum ultra progredi pararet, obvium habuit Leonem papam pro pace a Valentiniano imperatore missum, cujus precibus exoratus, relicta Italia in Pannoniam reversus est. Ubi, dum iterum in Italiam redire pararet, morte repentina decessit. Post cujus obitum Hunnorum imperium, quod toti orbi formidabile erat, paulatim labefactari cœpit, quum Ostrogothi, Gepidæ, Heruli, Marcomani, Toringi, Suevi, Quadi, Rugi, & Septentrionales alii populi ab eo defecissent. Quibus rerum tumultibus Hunni ab Ostrogothis victi Pannonia & finitimis regionibus, quas Romanis antiquitus ereptas longo tempore tenuerant, ejecti sunt, & in Scythiam fugati. Pannoniam & Hunnorum regiones Ostrogothi primum, mox Longobardi, deinde Hunni a Longobardis vocati, iterum usque ad Caroli magni tempora tenuerunt: quibus, quum ab Ungaris Septentrionalibus populis bello petiti essent, omnes fere ad nihilum redacti sunt, Pannoniaque & antiquæ Hunnorum sedes ab Ungaris sunt occupatæ. Qui rege sibi creato ad nostra usque tempora Pannoniam possedere, in quibus a Turcis ejus majori parte spoliati sunt.

Galliæ amissæ.

Theodosio imperatore vita functo, a quo tempore imperii Rom. exitium inchoatum, veluti rapidissimo torrente in præceps tractum est, quum ejus filii adhuc pueri essent, barbari a Theodosio domiti undique lacesserent, dissensiones civiles derepente ad omnium miseriarum cumulum exortæ sunt. Certamen enim inter tres tutores de rerum administratione ortum, eo tandem processit, ut Gildoni & Rufino proditionis & secretorum cum barbaris fœderum, quæ contra imperium inierant, reis occisis, solus superfuerit omnium pessimus, & callidissimus, Romanique imperii exitio natus Stilico. Qui contra affinitatis & amicitiæ jus (erat enim Honorii imp. socer) quum Honorio genero insidias struere, filioque suo imperium parare studeret, Romanis copiis & fidei diffidens, Hunnos ante omnes, Vandalos, Suevos, Alanos, Burgundiones, & alios immanes barbaros in Romanas provincias clam evocavit, evocatos fovit, & quum eos delere posset, conservavit: quorum beneficio & præsidio, Honorio occiso, imperium filio compararet. Ipse post Theodosii mortem Hunnos in Pannoniam evocavit, ipse Gothis rebellare, & ut Alaricum regem crearent persuasit, eum sæpe conclusum incolumem dimisit, illum ut contra Honorium insurgeret impulit, & postea nihil tale suspicantem, quum ad Gallias ab Honorio sibi destinatas pergeret, ultro lacessivit, unde irati barbari Romam populati sunt. Ipse Rhadagaisum Scytham cum ducentis millibus hominum in Italiam accivit, qui postea in montibus Fesulanis conclusus, victus & occisus est. Ipse postremo Vandalos, Suevos, Alanos, & Burgundiones immanissimos Barbaros ut Gallias invaderent, clam sollicitavit. Qui cum ingenti multitudine Arcadio VI. & Probo cos. anno Christi CCCCVI. Rheno trajecto prid. Kal. Januarias Gallias Crosco duce ingressi essent, omnia ferro, flammis, vi, & rapinis subverterunt, episcopos plurimos & alios sacerdotes occiderunt, & nihil relictum est, quod non impietate defœdarint. Dum hæc in Galliis geruntur, Alaricus Gothorum rex ab expeditione Hunnica reversus, Gallias Vandalorum furori expositas ab imperatore Honorio obtinuit; verum injuriis Stiliconis lacessitus, Galliarum expeditione omissa, Italiam omnem urbe capta vastavit. Hujus successor Athaulphus Gallicanam militiam aggressus, Vandalos & Suevos magnis præliis victos ex Galliis ejecit. Qui in Hispaniam migrantes, eam omnem obtinuerunt. Post Athaulphum Visegothorum rex in Galliis fuit Sigericus, post quem Vallia: hic pace cum Honorio imperatore facta, Galliam omnem Romanis restituit, Aquitania tantum, in qua Gothi habitarent, obtenta. Rebus Galliarum ita compositis, haud multo post Hunni Atila rege, qui occidentis imperium affectabat, Gallias hostiliter ingressi, omnia devastabant. Galliarum præsidio Ætius missus, adjuvante Theoderico Visegothorum, & Meroveo Francorum regibus, Atilam memorabili prœlio in campis Catalaunicis vicit, atque eo fugato Gallias omnes liberavit. Non longe post Ætius patricius, cujus virtute occidentis imperium hactenus conservatum fuerat, a Valentiniano imperatore occisus est, cum cujus morte etiam imperium concidit. Nam ejus cæde cognita barbari, qui ejus virtutem veriti intra suos fines quieverant, undique excitari cœperunt. Siquidem Hunni reparatis viribus Italiam invaserunt, Franci & Burgundiones Gallias, quæ Rhenum versus sunt, Gothi eas Galliarum partes, quæ Aquitaniæ propinquæ erant, occuparunt; atque ita Romanorum brevi in Galliis defecit imperium. Mortuo Valentiniano, quum Romani imperii dignitas ita defecisset, ut omnia in barbarorum potestate jam essent, Gothi & Franci cum Burgundionibus bello inter se decertare cœperunt. Gothi a Francis ex Gallia exacti Hispanias occuparunt. Vandali qui a Gothis ex Hispania ejecti in Africam transierant, Carthagine capta, Africam Romanis eripuere.

Franci & Burgundiones Gallias in deditionem redactas diviserunt, ut Burgundiones propinquas Rheno regiones tenerent, Franci vero interiorem Galliam, quam barbarorum novissimi ad nostra usque tempora possident. Obtinuerunt vero Gallias omnes pacifice Franci sub eorum regibus Childerico & Clodoveo, circa annum Christi CDLXXX.

Hispaniæ a Vandalis, Suevis, & Gothis occupatæ.

Vandali, Suevi, & Alani, a Stilicone in Gallias evocati, Rheno trajecto, eas pene omnes occuparunt; in quibus dum more immanium Barbarorum debaccharentur, a Gothis, Ataulpho & Vallia regibus ab Honorio imperatore ad liberandas Gallias missis, Galliis exacti, transito Pirenæo, Honorio VIII. & Theodosio III. Augg. cos. anno Christi CDX. Hispaniam Romanis ereptam multis annis obtinuerunt. Quum Gothi, qui Galliam incolebant, a Francis bello urgerentur, Gothi in Vandalos versa vice bellum movent, Franci Gothos ex Galliis, Gothi Vandalos, & Alanos ex Hispania ejecerunt, Suevos vero ad internicionem cecidere. Quo tempore Vandali, & Alani a Bonifacio, qui pro imperatore Africæ præerat, in Africam evocati, Hispanias Gothis possidendas reliquerunt; Gothi Hispaniam Romanis præsidiis omnino expulsis, quum sui juris fecissent, ea sub ipsorum regibus longo tempore potiti sunt. A Sarracenis Arabibus, qui Africam occupaverant, ingenti bello profligati, rege Roderico occiso, Hispaniam fere omnem, quam Arabes occuparunt, amiserunt. Gothi, qui bello superfuerant, quum in Asturum, Cantabrorum, & Gallæcorum montibus sese muniissent, paulatim amissas regiones, urbes, & castella recuperare cœperunt, & postremo quum Sarracenorum res in Bætica Hispania se contraxissent, omnemque Hispaniam Gothi recuperassent, iis etiam a Catholico Ferdinando rege victis atque omni Hispania expulsis, universa regio antiquis dominis est restituta.

Africa a Vandalis occupata.

Valentiniano imperante, Africam Bonifacius pro Romano imperatore obtinebat, qui inimicorum calumniis apud imperatorem exagitatus, quum ejus iram vereretur, vitæque suæ partim aperta vi, partim proditione insidiari cognovisset, Vandalos & Alanos, qui tunc in Hispaniis cum Gothis bello decertabant, uno aut altero prœlio victos, ex Hispaniis in Africam vocavit, ut eam provinciam pacifice & sine repugnantia obtinerent. Barbari a Bonifacio invitati sub eorum regibus Guntharico & Genserico mediterraneo freto trajecto, Hierio, & Ardaburio coss. anno Christi CDXXVII. Africæ partem primum, cum imperatoris consensu, deinde Carthagine capta, omnem invaserunt, atque Romano imperio eripuere. Africæ occupatione non contenti piraticam in mari exercentes, Siciliam, Sardiniam, Corsicam, & Italiam ipsam latrociniis & prædis vexarunt, urbemque ipsam captam omnibus ornamentis, quæ XIV. dierum intervallo auferre potuerunt, expoliavere. Africam Vandali annos plus minus LXXVII. obtinuerunt usque ad Justiniani imperatoris tempora, a quo quum Vandalis bellum illatum esset, capto rege eorum Gilimere, & Vandalis ad internicionem cæsis, Africa omnis imperio orientali restituta est, fuitque Africa sub imperatorum orientis jure usque ad Leontii imperium, quo tempore ab Arabibus Sarracenis Romano imperio erepta, ab eis ad nostra usque tempora in plures regulos distincta possessa est.

Britannia amissa.

Post Theodosii imperatoris mortem, quum occidens omnis bellis barbaricis quateretur, multi in Britannia ex Romana ipsa militia tyrannidem arripuerunt, atque bellis potius intestinis, quam externis insula conflictata est usque ad Ætii obitum, cujus præsidio Romano imperio adhuc conservata fuerat. Eo occiso, quum occidentis imperium a variis barbarorum gentibus hinc inde vexatum esset, communium malorum Britanni expertes esse non potuerunt. Nam ipsa Romana provincia, quæ in ea insula erat, a Pictis, Scotis, Anglis, & Saxonibus populis, qui littora Germanici Oceani incolebant, occupata est ipsius Valentiniani imperatoris principatu. Fuitque primo sub quattuor vel quinque regibus Britannia; quot enim gentes fuerunt, quæ eam diripuere, tot etiam reges erant. Processu temporis in duo redacta est regna insula omnis. Nam is, qui antiquæ Romanorum provinciæ præest, Anglorum rex; qui antiquis barbaris, Scotorum appellatur.

Italia a Barbaris Gothis occupata.

Valentiniano imperatore occiso, quum Alani & Vandali Africam, Visegothi Hispaniam, Franci & Burgundiones Gallias, Hunni reliquas occidentalis imperii provincias obtinerent, sola in Romanorum principum potestate reliqua erat Italia. In qua, in rerum confusione & tumultu intra XX. annorum intervallum, decem imperatores fuerunt, variis & ipsi bellis, & seditionibus conflictati, & a barbaris occisi. Quo tempore Hunnorum & Atilæ universæ Italiæ rabie imminente, Romani Scythas, Alanos, & Gothicas quasdam nationes in Italiam sui præsidio evocatas, in societatem adsciverant. Unde ab Alarico, Antalaque Gothorum tunc ducibus ingentia sunt mala perpessi, barbarorum præsertim florentibus in Italia rebus. Nam Romanorum adeo principum ea tempestate defecerat dignitas, ut sub decente societatis, & fœderis nomine, a peregrinis & barbaris vim passi, ita violarentur, ut impudenter ac nefarie ad pleraque cogerentur inviti, & non obtemperantes a barbaris necarentur, quum illi æquum jam ducerent omnibus Italiæ agris, ut sibi concederetur, quorum tertiam antea partem Augustuli tunc imperantis patrem Orestem jusserant impertiri. Nam Valentiniano imperatore occiso Maximus, Avitus, Majorianus, Severus, Anthemius, Olybrius, Glicerius, Nepos, & post hunc Augustus occidentis imperium tenuere. Augustum Romani idcirco Augustulum vocabant, quia puer admodum imperium susceperat, quod utique Orestes pater, vir quidem sapientissimus gubernabat. Quum Orestes tertiæ agrorum partis, quam Gothi poscebant, concessionem se facturum esse omnino negasset, a Gothis interfectus est. Quo tempore Odoacer quidam natione Herulus inter Italicos milites Orestis quondam armiger erat, qui Gothis omnia pro eorum arbitrio se executurum obtulit, si Romanorum principem se constituerent. Hac ratione quum sibi tyrannidem comparasset, Augustulo ipso imperatore sine offensione alia ulla permisso, in privati hominis morem vitam ut duceret, ac tertia Italici agri parte barbaris contributa, ad decimum annum tyrannidem stabilivit.

Per idem tempus Ostrogothi, qui paulo ante post Atilæ mortem, cui servierant, Istro trajecto imperatoris permissu Thraciam incolebant, adversus Romanos orientales Theoderico duce, viro tunc quidem Zenonis Byzantii imperantis beneficio patricio & consulari, arma sustulerant. Imperator Zeno, qui optime disponere præsentia percallebat, Theodericum potius ut Italiam peteret monet, & Odoacre tyranno ejecto, Italiæ principatum sibi Ostrogothisque pararet; illi id longe plurimum conducturum affirmans, præstanti ac senatorio viro, ut Tyranno devicto, Romanis & Italicis ceteris imperitaret, quam secum ut imperatore inconsideratius velit armis decernere, ac tantum inire dubiæ belli fortunæ discrimen. Theodericus impera-

toris persuasione, & consilio delectatus, e Thracia Italiam versus iter cum universo Ostrogothorum populo suscepit. Quum in Italiam venisset, Odoacrem triplici prœlio victum, postremo interfecit. Tum omnibus sibi conciliatis, Gothorum solus & Italicorum imperium tenuit, Romani tamen imperatoris nec insignia quidem, nec nomen sibi desumpsit, sed quoad vixit rex appellatus est. Qui quum XXXIV. annis regnasset, vitam finivit, Athalarico nepote regni Italici herede relicto. Quo mortuo res Gothorum in Italia ad Theodahatum redacta est. Qui regno potitus Amalasuntham Theoderici filiam, a qua rex factus fuerat, interfecit. Cum hoc bellum suscepit Justinianus Augustus, quod Gothicum Italicum vocatum est, annis XVIII. continuatum, a Belisario & Narse præstantissimis ducibus gestum. Bello confecto, & Gothis Italia omni exactis, ipsa cum insulis Sicilia, Sardinia, & Corsica imperio orientali attributa est, atque in victoriæ præmium Narsi ab imperatore administranda concessa. Qui Romanorum procerum invidia exagitatus, a quibus apud Justinum imperatorem accusatus fuerat, quum ex Italia revocatus esset, contumeliis Sophiæ Augustæ irritatus, Longobardos, qui tunc cum Hunnis Pannoniam incolebant, quorum præcipue auxilio Gothos Italia expulerat, in Italiam evocavit, & non longe post mortuus est. Longobardi Italiam ingressi, eam fere omnem occuparunt, Græci imperatoris præsidiis pulsis. Urbs sola supererat Roma in deditionem a Longobardis redigenda, quo toti Italiæ imperitarent, quam quum acriter urgerent, nec ab orientis imperatoribus præsidium aliquod speraretur, Romani pontifices ad Francorum longe lateque per totam Europam patentes opes confugere, qui Carolo Magno rege Italiam ingressi, Longobardis prœlio victis, & eorum rege Desiderio capto, Longobardorum regnum exciderunt, quo tempore Italia fere omnis in Francorum ditionem pervenit. Quæ vero post ea tempora Italiæ conditio fuerit, ex meo de comitiis imperii libro cognosci poterit. Sicilia, Sardinia, & Corsica insulæ, quæ adhuc in orientalis imperatoris ditione permanserant, haud multo post a Sarracenis totum orbem vexantibus, Africa omni ab iis in potestatem redacta, occupatæ sunt. Siciliam ex eorum manu Nortmanni: Sardiniam & Corsicam Hispani eripuerunt. Quæ omnia ex multis nostrorum temporum historiis facile intelligi possunt. Atque hoc est totius occidentalis imperii excidium: nunc idem de orientali demonstrare conabor.

CAP. XXIX.

Orientis imperii casus.

Mesopotamia, Armenia, Syria, & Ægyptus amissæ.

RES Romana in oriente usque ad Tiberii Mauricii imperium incolumis mansit. Is quum Chosroen Persarum regem seditionibus intestinis regno exactum restituisset, firmissimam cum Persis pacem fecit. Mauricio a Phoca occiso, Persarum rex ejus cædem ulturus, fracto fœdere in Romanas provincias excursiones fecit, Euphrateque transgresso Mesopotamiæ reliquum, Armeniam minorem, & Suriam Romanis ademit. Interim occiso tyranno Phoca, quum Heraclius, qui ei successerat, bellum adversus Persas suscepisset, illis multis prœliis bello VII. annorum victis, Romanas omnes provincias, quas Persæ invaserant, recepit. Persarum fines ingressus, multa oppida & urbes occupavit, Persas omnino attrivit, regeque Chosroe interfecto, filio ejus Adhesir regnum sub certis conditionibus concessit. Hoc bello ita Romanorum & Persarum vires attritæ sunt, ut utriusque imperii ruina

A haud longe post sequuta sit. Nam statim pace inter Romanos & Persas facta, Sarraceni Arabiæ populi duce Mahometh pseudo-propheta, quum tumultuari cœpissent, quidquid Romani in Arabia possidebant, eis ademerunt, Bostraque colonia devastata, in Syriam & Ægyptum prædas agere, & finitimas regiones, quæ Romanis parebant, vexare cœperunt. Post Mahometh EuboKaras, qui ei successit, brevitate imperii haud multa egisse memoratur, in ipso belli initio quod Romanis inferre paraverat, occisus est. Tertius Arabum princeps Haomar fuit, qui bellum ab EuboKara comparatum suscipiens, cum infinita Arabum multitudine Ægyptum primo intra-
B vit, quam Alexandria capta Romanis ademit; mox Syriam omnem & Palæstinam pervagatus Hierosolymis, Damasco, & magna Antiochia in potestatem redactis, Romanis aliquot prœliis fusis, omnes Romanas provincias in deditionem accepit, quæ ab Ægypto & Nili ostiis ad Antiochiam usque Syriæ, proximamque Ciliciam terminantur: in his Palæstina & Phœnice fuere. In interioribus vero regionibus ad Euphratem usque, ut Armeniam, Mesopotamiam, ceteraque omnia, quæ tunc eo Romani possidebant, Edessa metropoli capta, vi eis eripuit, quum Romanorum vires recentissimo Persico bello
C attenuatæ, Sarracenorum potentiæ impares essent. Romano imperio ita aliquot provinciis truncato, Sarraceni bellum Persis intulerunt, quorum tunc rex erat Ormisda, quo ab his aliquot prœliis victo, Persarum omne imperium occupavere, orientemque omnem, quem Assyrii primum, deinde Medi, post Persæ, ad hæc Macedones, mox Parthi, iterum Persæ occupaverant, novissime his imperio mulctatis Sarraceni duce Haomaro obtinuerunt. Memorabilis admodum apud Arabes Haomar fuit, ab iis non minus celebratus, quam a Romanis Cæsar, a Macedonibus Alexander, & a Persis Cyrus. Tanti enim imperii conditor fuit, infinitas gentes bello domuit,
D duo potentissima imperia lacessivit, alterum ex iis funditus excidit, alterum magna imperii parte privavit, quæ omnia hoc uno magis admirabilia redduntur, quod intra sex annorum spatium tot tantaque gessit, quæ cujusvis præterea præstantissimi ducum vitam omnem fatigare potuissent. Ægyptus autem & Suria a Sarracenis occupatæ sunt annis Christi DCXXXV. DCXXXVI. & DCXXXVIII. Heraclio Romanis imperante. Imperium orientis penes Sarracenos annos pene CCCCXX. fuit. Nam circa annum Christi ∞ LXX. a Turcis bello victi, his conditionibus ipsis imperii summam reliquerunt, ut Mahometh sectam relicta idololatria susciperent, Sarra-
E cenorumque sacris initiarentur: quod a gente barbara & dominandi avidissima haud difficulter impetratum est. Atque ita quum Turcæ Sarracenorum superstitionem suscepissent, eis cedentibus Orientis imperium ad se postremo transtulerunt.

Cyprus, Rhodus, & Creta Insulæ a Sarracenis occupatæ.

Post Haomarum dux Arabum fuit Othmen, quo rege Sarraceni Africæ Cyreneicæ partem, quæ Ægypto contermina est, invasere; mox ingenti classe comparata, duce Mahuia Cyprum insulam Ro-
F manis ademerunt anno Christi DCXLVIII. Ab iisdem haud multo tempore post Creta & Rhodus occupatæ. Ex quibus Cyprum ab imperatoribus Græcis recuperatam reges Hierosolymorum Latini a Salhadino Palæstina pulsi, sub regni nomine eam multis annis tenuerunt, donec mortuo sine mascula prole novissimo eorum rege, insula Venetis cessit. Cretam item a Basilio Græco imperatore receptam Veneti sorte obtinuerunt, quum ipsi cum Francis orientis imperium Comnenis imperatoribus exactis sibi vendicavere. Rhodum milites Hospitalarii ceperunt, multisque annis summa cum rerum gestarum gloria & felicitate obtinuerunt. Qui

quum Turcis infinita inferrent damna, a Solimano Turcarum imp. bello cum ingenti apparatu petiti, proditione magis quam vi imperio insulæ exacti sunt, eaque a Turcis hactenus possidetur.

Asia minor amissa.

Post Suriæ, Phœnicis, Palæstinæ, Ægypti, Mesopotamiæ, & Armeniæ amissionem, Sarraceni proximæ Ciliciæ, Cappadociæ, & reliquis minoris Asiæ provinciis inhiare cœperunt. Quamquam autem variis bellis multæ Græcorum civitates eorum provinciis finitimæ amissæ, multæ etiam recuperatæ, Arabum tamen vis superior semper visa est. Hi paulatim serpendo, latiusque eorum virus diffundendo, sensim Cappadociam, Ciliciam, & Galatiam Græcis imperatoribus longo tempore ademerunt. Eorum vero vis in dies semper aucta est, donec imperium orientis penes Arabes Sarracenos fuit. Quibus a Turcis bello superatis & in servitutem redactis, ut ad nova imperia fere semper usu venit, quæ qui obtinent, initio sibi famam, & gloriam comparare student, Turcæ sub eorum primo rege Selduch bellum Græcis intulerunt. Constantinopoli tum imperium obtinebat Romanus cognomine Diogenes. Qui ingenti comparato exercitu in Asia Turcis occurrit. Prœlio commisso Græcorum exercitus a Turcis ad internicionem fere cæsus est, Imperator captus, & tunc Asia omnis, id est, Pontus, & Bithynia, Phrygia, Lydia, Caria, Lycia, Pamphylia, Lycaonia, Pisidia, & reliquæ omnes transmarinæ provinciæ, quæ sub Græcorum imperio adhuc reliquæ fuerant, a Turcis occupatæ. Contigit Christiano nomini funestissima clades VIII. Kal. Octobris, anno Christi ∞ LXXXI. Asiæ majorem partem a Turcis possessam aliquot annis post sacra militia, quæ toto occidente collecta in Palæstinam profecta est, recuperavit, eamque ex fœdere usque ad Antiochiam Syriæ Constantinopolitano imperatori restituit, circa annum Christi ∞ C. Quam Græcis iterum Turcæ sub Othomano, Orcane, Amurate, Paizete, Mahomete, & ceteris Othomanicæ gentis regibus cum omni imperio orientis eripuerunt.

Reliquæ Europæ Provinciæ deperditæ.

Istriam, Dalmatiam, Illyricum, & Epeirum, quæ mari alluuntur, Veneti Græcis imperatoribus paulatim, harum vero regionum partem Venetis Turcæ postea ademerunt. Ipsarum autem regionum mediterranea versus Dravum & Savum Istrumque flumina Hunni primum, mox receptas Hungari invaserunt, Mœsiam & Thraciæ partem Pannoniam versus Bulgari & Turcæ sub imperatoribus Comnenis occupavere. Macedonia, Achaja, Græcia, & reliqua Thraciæ pars, in qua Constantinopolis sita est, cum orientis imperio concidere, quamquam eas provincias & sæpe amiserint, & sæpe etiam Græci imperatores recuperaverint. Orientis imperium, quod a magno Constantino Augusto fundatum, insigni rerum gestarum gloria mille & amplius annos perduraverat, Constantinopoli IV. Kal. Junii, anni ∞ CCCLIII. capta, occiso Constantino XV. Palæologo imperatore, Mahometes Turcarum rex vi occupavit. Hic præter Constantinopolim, Trapezuntem in Ponto cepit, XII. regna Christianis ademit, CC. urbes occupavit, Chalcim armis, Scodram deditione Venetis abstulit, bello maritimo Capham expugnavit, Italiæ Hidrunte capta arma intulit, Peloponnesum & alias orientalis imperii in Europa provincias obtinuit, & si quid veteris illius Romani imperii reliquum fuerat, omnino extinxit. Cujus vestigia successores ejus Bajazetes, Selymus, & Solimanus sequuti, maximas Christianis clades intulerunt. Ita igitur, quanta maxime brevitate potui, imperii Romani excidium, provinciarumque omnium amissionem singulatim exposui: quæ omnia quo facilius memoriæ mandentur, brevem omnium, quæ dixi, epilogum suggeram.

Imperii Romani Provinciæ quoque tempore amissæ.

Italia ab Ostrogothis occupata, iis exactis a Longobardis primum, deinde a Francis sub rege Carolo magno.
Sicilia, Sardinia, & Corsica ab Ostrogothis, ab imp. orientalibus receptæ, a Sarracenis obtentæ. Quibus Siciliam Nortmanni,
Corsicam & Sardiniam Hispani eripuerunt.
Britanniam Scoti, Picti, Angli, & Saxones invasere.
Hispaniam Vandali & Alani, iis pulsis Visegothi primum, deinde Sarraceni, mox Sarracenis exactis, iterum Visegothi obtinuerunt.
Gallias Vandali & Alani primum, iis ejectis Visegothi, post quos Franci & Burgundiones.
Dacia trans Danubium ab Aureliano imperatore relicta fuit.
Pannonia, Mœsia, Noricum, & Rhetia ab Hunnis, Ostrogothis, Longobardis, & Hungaris occupatæ.
Illyricum & Dalmatia ab Hunnis, receptæ ab imp. post a Venetis, Hungaris, & Turcis.
Thracia a Gothis, Hunnis, Bulgaribus, & Turcis.
Macedonia, Græcia, &c. a Turcis cum imperii excidio.
Africa ab Alanis & Vandalis, recuperata ab imperatore, a Sarracenis occupata.
Insula Cyprus a Sarracenis, recepta ab imp. a regibus, deinde a Venetis obtenta.
Insula Creta a Sarracenis, recuperata ab imp. a Venetis occupata.
Insula Rhodus a Sarracenis, recuperata a militibus Hospitalariis, a Turcis per vim occupata.
Provinciæ Transtigritanæ, & Mesopotamiæ pars a Persis.
Ægyptus, Syria, Phoenices, Palæstina, Armenia, Mesopotamiæ reliqua pars a Sarracenis primum, deinde a Turcis.
Asia minor omnis a Turcis obtenta, recuperata a Gallis, iterum a Turcis occupata.
Reliquæ maris mediterranei insulæ fere omnes a Sarracenis occupatæ fuerant, multæ ex his a Christianis receptæ, denuo a Turcis obtentæ sunt.

CAP. XXX.

Imperatores Romani.

Quum ego sæpe multorum Romanorum principum in hisce meis commentariis mentionem fecerim, qui vel novas provincias acquisierint, vel amiserint, aut amissas recuperaverint, res postremo desiderare videtur, ut quemadmodum de regibus Parthorum, Persarum, & Sarracenorum feci, ita etiam Romanorum principum seriem hic subjiciam, ut quo tempore unusquisque eorum, vel quo ordine res ab ipsis gestæ fuerint, facilius intelligatur.

Anni C. Julius Cæsar dictator imperavit annis IV.
Xpi Imp. Cæsar Augustus imperavit annis LVI.
15. Ti. Julius Cæsar Augustus imperavit annis XXIII.
38. C. Julius Cæsar Augustus Caligula annis IV.
42. Ti. Claudius Cæsar Augustus annis XIV.
55. Nero Claudius Cæsar Augustus annis XVI.
69. Ser. Sulpicius Galba imp. Cæs. Aug. mens. VII.
70. Imp. M. Salvius Otho Cæsar Aug. menses III.
70. A. Vitellius imp. Aug. imperavit menses VIII.
70. Imp. Cæs. Vespasianus Augustus annis X.
80. Imp. T. Cæsar Vespasianus Augustus annis II.
82. Imp. Cæsar Fl. Domitianus Augustus annis XV.
97. Imp. Nerva Cæsar Augustus annos II.
99. Imp. Cæsar Nerva Trajanus Augustus annos XX.
118. Imp. Cæsar Trajanus Hadrianus Aug. an. XXI.
139. Imp. Cæsar T. Ailius Hadrianus Antoninus Pius Aug. imperavit annos XXIII.


IMPERATORES
ROMANI
ET
CONSTANTINOPOLITANI
A C. JULIO CAESARE
USQUE AD
CONSTANTINUM
PORPHYROGENITUM.

162 Imp. Cæſar M. Aurelius Antoninus Aug. an. XIX.
162 Imp. Cæſar L. Aurelius Verus Auguſtus annos IX.
181 Imp. Cæſar M. Aurelius Commodus Aug. an. XIII.
194 Imp. Cæſar P. Helvius Pertinax Aug. menſ. III.
194 Imp. Cæſar M. Didius Julianus Aug. menſes II.
194 Imp. Cæſar L. Septimius Severus Aug. an. XVIII.
212 Imp. Cæſar M. Aurelius Antoninus Caracalla Auguſtus imperavit annos VI.
218 Imp. Cæſar M. Opelius Macrinus Aug. annum I.
219 Imp. Cæſar M. Aurelius Antoninus Alagabalus Auguſtus imperavit an. III.
223 Imp. Cæſar M. Aurelius Alexander Aug. an. XIII.
236 Imp. Cæſar C. Julius Maximinus Aug. an. III.
238 Imp. Cæſar D. Cœlius Balbinus Aug. annum I.
238 Imp. Cæſar M. Clodius Maximus Pupienus Auguſtus an. I.
239 Imp. Cæſar M. Antonius Gordianus Aug. an. VI.
245 Imp. Cæſar M. Julius Philippus Auguſtus an. V.
250 Imp. Cæſar Cn. Meſſius Decius Aug. an. II.
252 Imp. Cæſar A. Vibius Trebonianus Gallus Auguſtus an. II.
252 Imp. Cæſar A. Vibius Hoſtilianus Aug. an. II.
354 Imp. Cæſar P. Licinius Valerianus Aug. an. VI.
254 Imp. Cæſar P. Licinius Gallienus Aug. an. XV.
269 Imp. Cæſar Fl. Claudius Aug. an. II.
271 Imp. Cæſar L. Domitius Aurelianus Aug. an. V.
276 Imp. Cæſar M. Flavius Tacitus Aug. menſes VI.
277 Imp. Cæſar M. Aurelius Probus Aug. an. V.
282 Imp. Cæſar M. Aurelius Carus Aug. an. II.
283 Imp. Cæſar M. Aurelius Carinus Aug. an. II.
283 Imp. Cæſar M. Aurelius Numerianus Aug. an. I.
284 Imp. Cæſar C. Valerius Diocletianus Aug. an. XX.
286 Imp. Cæſar M. Aurelius Maximianus Aug. an. XVIII.
304 Imp. Cæſar Fl. Valerius Conſtantius Aug. an. II.
304 Imp. Cæſar C. Galerius Maximianus Aug. an. VIII.
306 Imp. Cæſar Fl. Valerius Conſtantinus Maximus Aug. imperavit an. XXXI.
337 Imp. Cæſar Fl. Julius Conſtantius Aug. an. XXV.
337 Imp. Cæſar Fl. Valerius Conſtans Aug. an. XIII.
361 Imp. Cæſar Fl. Claudius Julianus Aug. an. II.
362 Imp. Cæſar Fl. Jovianus Aug. menſes VIII.

Imp. Romani Occidentales.

364 Imp. Cæſar Fl. Valentinianus Aug. an. XII.
375 Imp. Cæſar Fl. Gratianus Aug. an. VIII.
383 Imp. Cæſar Fl. Valentinianus Junior Aug. an. IX.
392 Imp. Cæſar Fl. Theodoſius Aug. an. II.
395 Imp. Cæſar Fl. Honorius Aug. an. XXIX.
424 Imp. Cæſar Fl. Joannes Aug. an. I.
425 Imp. Cæſar Fl. Placidius Valentinianus Aug. an. XXX.
455 Imp. Cæſar Fl. Maximus Aug. menſes III.
456 Imp. Cæſar Fl. Avitus Aug. menſes X.
457 Imp. Cæſar Fl. Valerius Majorianus Aug. an. IV.
461 Imp. Cæſar Fl. Vibius Severus Aug. an. IV.
467 Imp. Cæſar Fl. Anthemius Aug. an. V.
473 Imp. Cæſar Fl. Anicius Olybrius Aug. menſes IV.
474 Imp. Cæſar Fl. Glycerius Aug. an. I.
474 Imp. Cæſar Fl. Julius Nepos Aug. an. I.
475 Imp. Cæſar Fl. Momyllus Aug. menſes X.
476 Hoc, quum ab Odoacre coactus eſſet, abdicante, imperium occidentale populi Romani defecit, Gothis Italiam & urbem ſub regio nomine obtinentibus. Fuitque in occidente interregnum annorum CCCXXV. uſque ad Caroli Magni Francorum regis imperium.

Poſt Auguſtum Momyllum cognomine Auguſtulum, Italiæ reges fuerunt Odoacer, Theodericus, Athalaricus, Theodahatus, Vitiges, Araricus, Hildebrandus, Totilas, & Theias. Quo bello victo, & Gothis pulſis, Italia imperio orientis attributa eſt. Quam quum Longobardi occupaſſent, Francorum armis ducenteſimo anno poſt in libertatem vendicata eſt.

Imp. Romani Orientales.

364 Imp. Cæſar Fl. Valens Aug. an. XIV.
379 Imp. Cæſar Fl. Theodoſius Aug. an. XVI.
395 Imp. Cæſar Fl. Arcadius Aug. an. XIII.
408 Imp. Cæſar Fl. Theodoſius Junior Aug. an. XLII.
450 Imp. Cæſar Fl. Marcianus Aug. an. VI.
457 Imp. Cæſar Fl. Leo Aug. an. XVII.
474 Imp. Cæſar Fl. Zeno Aug. an XVII.
491 Imp. Cæſar Fl. Anaſtaſius Aug. an. XXVII.
518 Imp. Cæſar Fl. Juſtinus Aug. an. IX.
527 Imp. Cæſar Fl. Juſtinianus Magnus Aug. an. XXXIX.
565 Imp. Cæſar Fl. Juſtinus Junior Aug. an. XI.
576 Imp. Cæſar Fl. Tiberius Conſtantinus Aug. an. VII.
583 Imp. Cæſar Fl. Mauricius Aug. an. XX.
603 Imp. Cæſar Fl. Phocas Aug. an. VIII.
611 Imp. Cæſar Fl. Heraclius Aug. an. XXX.
641 Imp. Cæſar Fl. Conſtans Junior Aug. an. XXVII.
669 Imp. Cæſar Fl. Conſtantinus Auguſtus an. XVII.
686 Imp. Cæſar Fl. Juſtinianus Junior Aug. an. X.
696 Imp. Cæſar Fl. Leontius Aug. an. III.
699 Imp. Cæſar Fl. Tiberius Abſimarus Aug. an. VII.
706 Imp. Cæſar Fl. Juſtinianus Junior Auguſtus iterum an. VI.
712 Imp. Cæſar Fl. Philippicus Bardanes Aug. an. III.
715 Imp. Cæſar Fl. Artemius Anaſtaſius Aug. an. I.
716 Imp. Cæſar Fl. Theodoſius Adramyttenus Auguſtus menſes VII.
717 Imp. Cæſar Fl. Leo Cono Aug. an. XXIV.
741 Imp. Cæſar Fl. Conſtantinus Copronymus Auguſtus an. XXXV.
775 Imp. Cæſar Fl. Leo IV. Aug. an. V.
780 Imp. Cæſar Fl. Conſtantinus Porphyrogenitus Auguſtus an. X.

Ceteros orientis imperatores ideo omiſſi, quod ad eorum quæ ſcripſi cognitionem hæc ipſorum ſeries ſufficiat: quod ſi quis reliquos cognoſcere voluerit, qui tam in oriente quam in occidente uſque ad noſtra tempora fuerunt, is faſtos noſtros, eorumque commentarium conſulat.

De iis, quorum præcipue opera in his commentariis ſcribendis uſus ſum.

NON ſum ignarus, quin hæc omnia, quæ his commentariorum libris complexus ſum, potuerint multo elegantiore dicendi ratione pro eorum dignitate tractari: ego enim exiguam meam in dicendo facultatem ſatis perſpicio, quippe qui nullum unquam in hac arte, quæ univerſam hominis ætatem occupare poteſt, me tempus poſuiſſe ſciam. Illud autem omnes intelligant velim, me in indaganda rerum veritate, eaque hominibus demonſtranda, quantum in me fuit, elaboraſſe; qua in re nulli me animi, aut corporis labori pepercisse profiteor, quod idcirco ſcripſi, quia intelligo nonnullos fortaſſe futuros, qui ea, quæ ego diuturno ſtudio undique conquiſivi, atque ſine ullis verborum ornamentis tradidi, ſibi ipſis meo nomine ſuppreſſo vendicabunt, cum ea pro ſua dicendi facultate ſe ornatius, aut illuſtrius tractaturos eſſe non diffidant: quod ſi unquam evenerit, diligentem Lectorem oratum velim, ut ab utro res, ab utro verba effluxerint, accuratius conſideret, atque meritas utrique ſui laboris gratias habeat. Antiquitatis enim & cæterarum diſciplinarum cognitio, non verborum ſplendore, ſed rerum geſtarum veritate continetur; quod ſi quis ad res ipſas a ſe inventas orationis etiam elegantiam adjicere poterit, is nimirum ſingularis, ac prope divinus homo judicandus erit. Ego quam potui in hoc opere fidem ac diligentiam præſtiti, in quo conficiendo multis antiquarum inſcriptionum, multis omnium veterum ſcriptorum teſtimoniis uſus ſum, quorum præcipui, præter Varronem, Ciceronem, Dionyſium, Livium, Valerium, Paterculum, Solinum, Strabonem, Plinium, Plutarchum, Tacitum, Tranquillum, Appianum, Dionem, Feſtum, Ovidium, Zoſimum, Eutropium, Proſperum, & Procopium, ob argumenti ſimilitudinem fuerunt L. Annæus Florus T. Livii abbreviator, Sex. Rufus, P. Victor, & incerti auctoris liber, cui utriuſque imperii notitia nomen eſt.

Ex recentioribus vero ANTONII AUGUSTINI EPISCOPI ALLIFANI in primis opera & conſilio cum in toto opere, tum præcipue in ſecundo & tertio libro, ubi de tribubus, coloniis, municipiis, & eorundem jure diſputavi, multum adjutus ſum: nihil enim pene de his rebus ſcripſi, quod non cum eo contulerim; qui incredibili humanitate de his omnibus rebus, de quibus dubitabam, & acutiſſime reſpondit, & graviſſime diſputavit, ita ut illi uni non minus quam mihi hunc laborem acceptum referre antiquitatis ſtudioſi debeant.

Poſt eum CAROLUS SIGONIUS MUTINENSIS, cujus de laudibus alio loco pluribus ſcripſi, maxima mihi ad ſecundum etiam & tertium librum adjumenta ſubminiſtravit; hunc enim unum ut ingenio ſingulari & in tota Romana antiquitate, ſcientia, ac judicio prope incredibili præditum, ſic eximia humanitate ornatum ex iis, qui non Romæ habitent, eſſe cognovi. Is igitur cum forte eodem tempore, quo ego hunc librum Venetiis excudebam, vetera civium Romanorum atque priſcorum Italicorum jura in iis libris, quos de antiquo civium Romanorum & Italiæ jure inſcripſit, literis ac memoriæ commendaret, præclara mihi ſæpe ſua conſilia communicavit, quibus ut nihil ad veterem illuſtrandam Italiam aptius eſſe judicavi, ſic ea ſæpe ad has inſtitutiones meas Romani imperii conſcribendas adhibui.

NICOLAI GRUCHII ROTOMAGENSIS GALLI, viri doctiſſimi & Romanæ antiquitatis peritiſſimi, libro quoque de comitiis uſus ſum; in quo univerſam veterum comitiorum rationem accuratiſſime explicuit. Ei multum Galliam, quæ eſt natale ſolum, ſed plus Italiam, & urbem Romam debere exiſtimo, a quo elegantibus & eruditione plenis commentariis, hoc noſtro tempore multum decoris & in rebus obſcuriſſimis ſplendoris acceperunt.

Quum ad propoſiti mihi operis finem tandem pervenerim, Cæſar Auguſte, quod, dum honeſtiſſimo ocio, ab optimo & graviſſimo viro ALEXANDRO FARNESIO Cardinale ampliſſimo patrono meo mihi liberaliſſime conceſſo fruor, abſolvi: nunc reliquum eſt, ut quod initio precatus ſum, iterum Majeſtati tuæ ſuggeram, ut laborem hunc meum Auguſto nomine ſuo comprobet, meque inter eorum numerum eſſe intelligat, qui eam, ejuſque incredibiles virtutes obſervant, colunt, & venerantur.

F I N I S.

PAULLUS MANUTIUS
DE
COMITIIS ROMANORUM.



T in plenis corporibus, in quibus ex magna copia distensio, & ex distensione corruptio generatur, facile exoriuntur morbi: sic in magnis civitatibus, ubi ex dispari fortuna dissimiles esse civium voluntates necesse est, graves discordiæ, periculosæque seditiones exsistunt. Qui sunt cum omnium pæne Rerumpublicarum communes morbi, tum ita difficiles, ut paucæ convalescant. Tunc enim periculose corpus ægrotat, cum sanari, nisi membrum amputes, non videtur posse. At corruptum membrum, unde corpus afficitur, ita sæpe vitale est, ita cum reliquis membris colligatum, ut, si amputes, vis reliqui corporis universa dissolvatur. Eadem est in civitatibus ratio. Cum ab optimatibus dissentit plebs, nihil mali non timetur, nisi plebem aut corrigas, aut tamquam vitiosum membrum a civitatis corpore semoveas. Corrigere multitudinem, cum semel a recto desciverit, non facile licet. Quia, quemadmodum mentis vitio peccat, sic eodem vitio peccare se non intelligit, & monere volentibus irascitur. Ergo adversus desipientem non habet, ut quidem videtur, ratio præsidii satis. Consideremus vim. Vi cum plebe si ages, sive vincaris, sive vincas, utrumque civitatis exitium est. Nam si vinceris, consequuntur iniquissima, optimatum bona diripiuntur, cædes committuntur, nihil jure geritur, nihil more, pro legibus libido, pro ratione temeritas dominatur. Quod si contigerit, ut vincas, cæsa plebe, aut ejecta, tu quidem otio & tranquillitati consulueris; sed civitas deinde languet, quasi corpus a sanguine destitutum. Vires enim in plebe, consilium in optimatibus est. Et quemadmodum sine consilio vires non modo non utiles, verum etiam perniciosæ sunt: sic sine viribus consilium, non illud quidem perniciosum, sed inutile tamen est. Quare, qui alterum ab altero sejungit, periculose facit. Utraque si coierint, & in Reip. salute consenserint, nihil firmius, nihil ad perpetuitatem præstabilius est. Sed mihi hoc toto de genere consideranti, & ea, quæ legi, aut accepi, memoria colligenti, vix ulla Civitas videtur in omnibus sæculis fuisse, quæ fortem ac pugnacem in bellis populum, eundemque in urbe sedatum, ac rerum novarum minime cupidum habuerit. Id adeo ex humani ingenii quadam intemperie fit. Nam fere omnes homines, ubi, quod habent, eo plus se posse consequi confidunt, avide appetunt atque exposcunt. Populus Romanus (hic est enim, quo nostra spectat oratio) perpetuas belli gerendi caussas partim habuit a fortuna, partim etiam ipse consulto quæsivit. Multos Reges perdomuit, innumerabiles populos debellavit, sua virtute effecit, ut Romanum Imperium iisdem fere, quibus orbis terrarum, terminis definiretur. Et hic ipse populus, qui foris utilissimus fuit, & Remp. ab externo metu plane tutam tranquillamque reddidit, idem domi quantas tempestates excitavit? Senatum primo superiorem non tulit, deinde ne parem quidem: donec omnia publica jura optimatibus erepta ad se transtulit. Utrum igitur præstet, strenuum esse populum in civitate, & bellica virtute præstantem, qualis Romæ fuit, eundemque seditiosum, & semper nova quærentem; an vero imbellem, qui legibus libenter pareat, qui otio gaudeat, qui tutam condicionem turbulentis conatibus anteponat; ego quidem non facile dijudicaverim. Summum enim utrimque discrimen occurrit. Bellicosus populus libertatem seditionibus perdet, imbellis oppugnatam ab hoste civitatem non tuebitur. Hic video, quam præclarum esset, quæ in utramque

partem in hoc genere disputari possunt, colligere. Sunt enim sane plurima: neque me revocat animus; qui etiam invitat: sed neque fert instituta narratio tam longi sermonis argumentum, & ad examinandam hujusmodi quæstionem, qua nescio an ulla gravior, difficiliorve sit, aptior, ut puto, locus erit in eo libro, quem de tribus Rebus publicis conscribere in animo est. Hic tantum illud dicam, quod ad susceptam rem attinet, plebi potestatem numquam tuto committi, sed in Regno minus periculose, quam in Rep. non enim ibi facile seditiones excitantur, ubi absolutum unius imperium timetur, & minor est plebis in unum invidia, quam in multos. Itaque, si prima Urbis Romæ repetamus initia, peccasse quidem in eo Romulus videtur, cum plebi Comitia commisit; sed multo magis Senatus, cum, ejectis Regibus, leges ad augendam plebis potestatem a Consulibus ferri passus est. Sed nihil magis publicam libertatem quam tribunicia potestas evertit. Illa civilium malorum tamquam fons & origo fuit. De quo quid sentiam, in libro de Senatu, quam brevissime potui, satis tamen, ut puto, significanter exposui. Nunc agemus de Comitiis, difficili & impedita materia: in qua colligenda atque examinanda cum studiose admodum & perattente sim versatus, factum tamen est, ut nulla mearum Antiquitatum in parte minus ipse mihi satisfecerim. Tentandum tamen duximus; neque committendum, ut, si minus ea, quæ summa sunt, quæ fortasse alii præstabunt, consequi non licet; ea, quæ posita sunt in nobis, quæ utinam mediocria sint, non exsequamur.

CAPUT I.

De populi Romani potestate.



MAGNAM in Comitiis atque adeo summam Populi Romani potestatem ab ipso fere Urbis initio fuisse inde constat, quod post interitum Romuli Senatus decrevit, ut is Romæ regnaret, quem Populus Romanus jussisset. Quod in Regibus creandis institutum, mox & in magistratibus servatum est. Omnes enim, præter Interregem, & Dictatorem, qui extra ordinem creabantur, Comitiis in Campo Martio Populus jubebat. Verum quia Populus, modo in Tribus, modo in Curias, modo in Centurias distributus, suffragium tulit, unde Tributa, Curiata, Centuriata comitia nomen acceperunt; operæ pretium videtur esse, priusquam ad ipsa Comitia veniamus, in Tribubus, Curiis, Centuriis paullisper consistere: ne, cum illa tractabimus, quæ satis ipsa sunt obscura, rei difficultatem etiam nominis augeat ignoratio.

CAP. II.

De Tribubus.

PRINCIPIO tres tantum Tribus fuisse, quas Romulus instituit, Ramnenses, quos & Ramnes Varro, Horatius, Festusque nominant; Titienses; Luceres; & Plutarchus in Romulo, & Pedianus in Verrinarum commentario, & Varro libro IV. & Livius etiam libro X. scriptum reliquit. Nam libro I. idem Livius, ubi mentionem de Tribubus ordo historiæ postulabat, silentio præteriit. Tantum ait, centurias tres equitum conscriptas, Ramnenses a Romulo; Tatienses a Tito Tatio Sabinorum Rege; Luceres, cujus nominis & originis incertam esse

A caussam dicit. Sed Pedianus hoc nomen a Lucumone, quem ex Etruria opem Romulo tulisse Sabinorum bello Dionysius scribit; sive a Lucretino, sive a luco, quem lucum asylum nominaverat Romulus, derivatum tradit. Junius Gracchus, quem sæpe Varro nominat, a Lucumone putat. Plutarchus a luco asyli. Cujus mihi ad veritatem propensior opinio videtur: ut ex tribus hominum generibus, Romanis, Sabinis, advenis, tres tribus factæ sint: sicuti & ad habitandum tria loca erant, Palatinus mons Romanis; Capitolium Sabinis; asylum ad-
B venis. Festus a Lucero, Ardeæ Rege, qui Romulo, adversus Tatium bellanti, auxilium tulit. De Lucretino, qui consentiat, invenio neminem, nisi quod eosdem & Lucrenses & Luceres appellatos in Festo legimus. Titiensem etiam potius, quam Tatiensem, idem Festus nominatum significat, a Tatii Regis prænomine: a quo & curiam Titiam dictam ait. Quod autem scribit Livius de centuriis, accipiendum est, ex tribus tribubus centurias esse delectas, & a sua quaque tribu denominatam. Cujus
C in sententiam eo libentius inclino, quod & eam tribum, quam a se ipso Romulus Ramnes nominavit, non a nomine, sed a prænomine deductam video. Nam Romulus prænomen fuit; nomen autem Silvius, a matre Silvia, cum ignoraretur pater. Sic & Amulius & Numitor, qui Albæ regnarunt, e gente Silvia: quos a prænominibus antiqui nominarunt. Ideo Numitoris filia, quæ Romulum & Remum peperit, Silvia dicta est. Quæ Romam trans-
D lata consuetudo viguit in feminarum nominibus; omnes enim a familia nuncupabantur. Prænomina igitur, Amulius, Numitor, Romulus, Remus, Numa, Ancus, Tullus, Lucumo, quæ tamen posterioribus temporibus omissa sunt, puto, quia Regis prænomine in Rep. nominari odiosum videretur. Quare quod Festus litteris tradidit, facile verum existimarim; a prænominibus duorum Regum Ramnes & Titienses esse dictos; cum & M. Varro modo Tatienses,

tienſes, modo Titienſes appellet. Crederem & Luceres a prænomine Lucumone: niſi me illa ratio, quam Plutarcho aſſentiens proxime expoſui, commoveret. De tempore, quo ſunt inſtitutæ, utrum Dionyſius vere ſcripſerit, dubitari poteſt. Ait enim, ab ipſo ſtatim Urbis initio factas eſſe. Cui ſententiæ ipſarum nomina repugnant. Nam, ſi Titienſes & Luceres dictæ duæ ſunt, certe non Urbis initio, ſed poſt receptos in Urbem Sabinos & Tuſcos inſtitutas eſſe, conſtat. Quod & Plutarchus aperte narrat. Quod ſi Dionyſium ab errore placet vindicare, tempora diſtinguemus, & diviſum quidem in tres partes a Romulo populum ſtatim poſt Urbem conditam fatebimur: ſed eas partes ante Sabinum bellum nomina ſumpſiſſe negabimus. Idque nec Dionyſium fortaſſe latuit: qui, cum de tribuum diviſione meminit, earum nomina non ponit: quaſi, cum inſtitutæ ſunt, nominatas continuo non eſſe ſignificet. Quod ſi cui veriſimilius videtur, eas partes eodem tempore & factas eſſe & nominatas: huic ego quoque opponam, veriſimilius videri, curias XXX. quæ de publicis rebus ſuffragium ferrent, ante receptos Sabinos, quam poſt, eſſe factas; alioqui nullam Romulus in Urbe inſtituenda publici juris adminiſtrandi rationem habuiſſet. Quod ſi de curiis concedimus, de tribubus negari non poterit: nihil enim aliud curiæ, quam diviſæ tribus ſunt. Si ergo curiæ ſimul & tribus ab Urbis initio fuerunt, ut & Dionyſius tradit, & ipſa ratio demonſtrat, nominari tribus eodem tempore, quo factæ ſunt, non potuiſſe, manifeſtum eſt: cum non Urbis initio Titienſis (ut Lucerum dubiam etymologiam omittam) nomen acceperit, ſed, confecto Sabino bello, ab ipſo Sabinorum Rege Tito Tatio: quod inter omnes conſtat. Tueamur igitur Dionyſium, diſtinctione temporum; Plutarchum autem, qui poſt receptos Sabinos tribus ait eſſe factas, opinione falli, eo minus miror, quod eundem aliis in locis non ſatis certum eſſe antiquitatis auctorem animadverti.

Hac de trium tribuum tempore dubitatione explicata, aut certe, ut ab aliis explicetur, plane demonſtrata, pergemus in re; & rurſus, tamquam ab alio principio ordientes, aggrediemur.

Tres Romanorum Reges populum univerſum diverſis temporibus in partes diſtribuerunt, Romulus, Tarquinius Priſcus, Ser. Tullius: Romulus in tres, quas propterea tribus nominavit, Ramnenſes, Titienſes, Luceres; Tarquinius in ſex, quas vocavit primos & ſecundos Ramnenſes, Titienſes, Luceres; Servius in triginta. De Romuli & Servii diviſione ſatis plane libri loquuntur. De Tarquinio qui ſcripſerit invenio neminem. Tantum conjecturis ducor ad ſuſpicandum; nam, cum Feſtus Pompeius ſex Veſtæ Sacerdotes ideo conſtitutas eſſe dicat, ut populus pro ſua quiſque parte haberet miniſtram ſacrorum, quia civitas Romana in ſex eſſet diſtributa partes, in primos ſecundoſque Titienſes, Ramnes, Luceres. Et cum in Dionyſio legam, Tarquinium ad quattuor Veſtales duas addidiſſe, ut omnino ſex eſſent, creſcentibus ſacrificiis pro Urbe faciendis, quibus Veſtæ Sacerdotes intereſſe opus erat: ex Feſti & Dionyſii verbis elici videtur hoc poſſe; & in ſex tribus civitatem a Tarquinio diſtributam, trium veterum tribuum nominibus non mutatis; & pro numero tribuum ſex item Veſtales eſſe factas. Quod eo magis exiſtimo, quia ſcriptum apud Livium animadverti, Tarquinium, cum centuriarum numerum, quas Romulus ſcripſerat, augere vellet, ut in bellis ab equitatu eſſet firmior, de nominibus nihil mutaſſe, numero tantum alterum adjeciſſe, ut mille & trecenti equites in tribus centuriis eſſent; eaſque deinde, quia geminatæ ſint, ſex centurias eſſe dictas. Eſt quidem Livius in hac parte, dum ad Auguſti tempora feſtinat, paullo negligentior. Nam ego ita ſtatuo; cum tres centurias,

A ſingulas ex ſingulis tribubus, Romulus ſcripſiſſet, Tarquinium primum Urbem in ſex partes ita diſtribuiſſe, ut tres tamen veteri nomine tribus appellarentur; deinde, ad Romuli exemplum, ex ſingulis partibus centuriæ quoque geminarentur: quæ tamen non ſex, ſed, ut antea, tres centuriæ dictæ ſint: ſicuti & ſex Urbis partes trium tribuum nomine ſunt appellatæ. Quod lib. X. Livius oſtendit, his verbis: *Inter augures conſtat, imparem numerum augurum debere eſſe; ut tres antiquæ tribus, Ramnenſes, Titienſes, Luceres, ſuum quæque augurem habeant; aut, ſi pluribus ſit opus, pari inter ſe numero ſacerdotes multiplicent; ſicut multiplicati ſunt,* B *cum ad quattuor adjecti quinque, ut terni in ſingulas eſſent, expleverunt.* Manifeſte veteres tribus, non modo poſt Ser. Tullii diviſionem, ſed etiam poſt triginta quinque tribus jam factas, tres dumtaxat fuiſſe dicit: non quod vetus illa Romuli, aut Tarquinii diviſio perpetua fuerit: totam enim Servius Rex mutavit, novis tribubus novo nomine conſtitutis: ſed quod ejus tamen in augurum creatione habita perpetuo ratio ſit; veneratione quadam antiquitatis, & vetuſti in numero Augurum inſtituti: ſicuti & triginta curiarum numerus manſit ad rationem trium veterum tribuum; quas in denas curias diſtributas eſſe a Romu- C lo, jam diximus. Poſt Romuli in tres & Tarquinii in ſex partes diviſionem, Ser. Tullius, aucta civium multitudine, urbanam & agreſtem multitudinem ita diſtribuit, ut Urbis incolæ in quattuor tribubus eſſent; quas a partibus Urbis, Exquilinam, Collinam, Palatinam, Suburanam, cognominavit; ſtatuitque; in unaquaque qui habitarent, & ut in ſua quiſque tribu, ſive in militiam, ſive in tributum, nomen daret: agreſtem autem multitudinem utrum in tribus viginti ſex, an in triginta & unam diviſerit, Dionyſius lib. IV. non declarat; tantum dicit, in hiſtoria Fabii Pictoris ſcriptum eſſe, viginti ſex tribus ex agreſti populo factas eſſe, ut omnino triginta fuerint: ſed D Q. Vennonium & ipſum in ſua hiſtoria tradere, ad quattuor urbanas tribus unam & triginta agreſtes eſſe adjectas: ut expletus ſit numerus XXXV. qui auctus poſtea non ſit.

Ego ſequor Fabii potius, quam Vennonii teſtimonium: & quattuor tribus ex Urbe, viginti ſex e regione, factas eſſe puto. In quo Livius etiam conſentit, qui libro II. tribus ait unam & triginta Romæ factas eſſe: & libro VI. quattuor tribus, quæ XXXV. numerum explevere, additas eſſe narrat, Tromentinam, Sabatinam, Stellatinam, Arnienſem. Nec diſſentire videtur ipſe Dionyſius libro V. qui, Claudiam tribum Reip. temporibus adjectam eſſe, teſtis eſt. Scribit enim ſic: E Ἀνθ᾽ ὧν ἡ βουλὴ καὶ ὁ δῆμος εἰς τε τοὺς πατρικίους αὐτὸν ἐνέγραψε, καὶ τῆς πόλεως μοῖραν εἴασεν ὅσην ἐβούλετο, εἰς κατασκευὴν οἰκιῶν: χῶραν τε αὐτῷ προσέθηκεν ἐκ τῆς δημοσίας τῆς μεταξὺ Φιδήνης, καὶ Πικεντίας, ὡς ἔχοι δανεῖμαι κλήρους ἅπασι τοῖς περὶ αὐτὸν, ἀφ᾽ ὧν καὶ φυλή τις ἐγένετο σὺν χρόνῳ, Κλαυδία καλουμένη, καὶ μέχρις ἐμοῦ διέμεινε τὸ αὐτὸ φυλάττουσα ὄνομα. Quod ipſum & in Livio legimus libro II. Quo perſpicuum fit, triginta ſolum fuiſſe Servio regnante, deinde, additis quinque, Claudia, Tromentina, Sabatina, Stellatina, Arnienſi, XXXV. factas eſſe. Illud explicare non poſſum, cur in Marcii Coriolani judicio XXI. tantum tribus affuiſſe Dionyſius libro F VII. dicat; cum idem libro IV. univerſam civium multitudinem in XXX. tribus (ut minimam diviſionem ponam) diſtributam eſſe dixerit; turpis hæc ſane eſſet inconſtantia, præſertim in re tanta. Sed librarii, qui librum deſcripſit, malo culpam eſſe, quam Dionyſii. Ego enim, quo tempore Coriolanus eſt accuſatus, tribus XXXI. fuiſſe puto, XXX. videlicet illas, in quas Urbem & regionem Servius Rex diviſit, & præterea Claudiam, quæ, poſt ejectos Reges, P. Valerio Poplicola quartum, T. Lucretio iterum conſulibus addita eſt; non enim, cum Coriolanus damnatus eſt, XXXV. tribuum numerus erat abſolutus, cum Tromentina, Sabatina,

Stellatina, Arniensis ad veteres tribus adjectæ nondum essent: sed, addita jam Claudia, XXXI. erant. Quod autem infert idem Dionysius, IX. tribus absolvisse Coriolanum; quibus duæ si accessissent, omnino esset absolutus: hanc supputationem cum mendoso illo XXI. tribuum numero convenire, manifestum est. Quæ si XXXI. fuerunt, absolutum esse Coriolanum non a IX. sed a XIV. tribubus, necesse est; ad quas duæ si accessissent, absolutus omnino reus esset, absolventium tribuum numero condemnantium numerum una tribu superante. Condemnatus autem est a tribus tribubus absolventium tribuum numerum superantibus: quod etiam Plutarchus in ejus vita scriptum reliquit. Quod si quis Dionysii librum vacare mendo contenderit, solasque XXI. tribus in eo judicio suffragium tulisse dixerit, non quia plures tribus Romæ tum non fuerint, sed quia non universus populus, verum major populi pars ad judicium illud citata sit, id est, de XXXI. tribubus (ut Fabii sententiam sequar) XXI. cum hoc non magnopere pugnabo; mirabor tamen, hoc de genere judicii, quod ita rarum fuit, ut exemplum ego quidem præterea nullum invenerim, nullam omnino in eo loco neque ab ipso Dionysio, neque a Plutarcho, mentionem esse factam; nec satis æquo animo laturam fuisse eam populi partem crediderim, quæ judicandi potestate privaretur, præsertim in eo judicio, in quo plebs, ira, & odio in Coriolanum accensa, ulcisci acceptas injurias magnopere vellet. Torquet me non leviter & illud in ejusdem Dionysii historiarum libro VII. quod curiata comitia non distinguit a tributis; nam in judicio Coriolani, de quo proxime mentionem fecimus, in quo tribus suffragium tulisse, & ipse, & Plutarchus tradunt; curias tamen, & curiatam concionem nominat: credo, quod, curias nihil aliud esse, quam tribus divisas, judicaret: cum tres tribus in XXX. curias Romulus ab initio divisisset; verum, cum in absolutione, & condemnatione reorum non curiarum, sed tribuum numerum nominari videam; cumque in eodem judicio suffragium a tribubus esse latum, idem Dionysius cum Plutarcho dicat: qua ratione curias admisceat, non intelligo; aliud enim esse populum curiatim, aliud tributim citare, tum ex Gellio, tum ex aliis, notum est. Quod si curias, & tribus easdem putavit esse, fœdus error: in quo tamen Festum Pompeium, bonum alioqui antiquitatis auctorem, socium videtur habuisse: qui XXX. curiis, in quas Romulus populum distribuit, quinque postea additas esse testatur; non enim curiæ, sed tribus XXXV. fuere. Curias vero numquam plures, quam XXX. fuisse, eo scilicet, qui a Romulo constitutus est, numero, cum, universa multitudine in tres tribus divisa, singulas tribus in denas curias distribuit; patet e Cicerone in Agraria II. & pro domo sua. Aut igitur erravit Festus, quod equidem de homine Romano, eoque antiquitatis perito, vix putarim: aut Paullus ille antistes, qui Festi volumina decurtavit, locum ipse per inscitiam corrupit. Equidem nec Florum satis recte sensisse existimaverim; cum in epitome libri XIX. duas tribus, multis post exactos Reges annis, adjectas esse dixit, Velinam, & Esquilinam; quod falsum esse patet; quia Esquilina ex quattuor tribubus una fuit, in quas Servius Rex Urbem diviserat: sed Florus fortasse excusandus; qui de historiæ veritate non judicat; tantum id agit, ut, quæ fusius a Livio dicta sunt, summatim collecta, facilius cognoscantur; at Livium, cui lex historiæ non permittit, ut a veritate discedat, velim equidem a culpa vindicare: sed, unde possim, minime video; scribit enim libro VI. sic: *Tribus quattuor ex novis civibus redditæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Arniensis, eæque XXXV. numerum explevere*. Libro autem VII. duas tribus ait additas esse, Pomptinam, & Publiliam; & duas libro IX. Ousentinam, & Falerinam; duasque item libro X. Aniensem, & Terentinam; ut videatur a se ipso dissentire: nam, si libro VI. absolutus expletusque est omnium tribuum numerus, qui fit, ut aliæ insuper addantur? Aut igitur Livius inconstanter locutus; aut, si talem virum omnino tueri placet, *additas*, sive *adjectas*, pro *auctas* accipiamus. Quod si ille ita sensit, quam proprie sit locutus, alii viderint.

Tres igitur (ut ea, quæ pluribus verbis jam exposuimus, nunc paucis colligamus) ab initio fuere tribus: quæ deinde a Ser. Tullio Rege XXX. factæ sunt, urbanæ quattuor, rusticæ viginti sex. Regibus ejectis, consulibus App. Claudio, P. Servilio, ut ait Livius lib. II. una & XXX. factæ, Claudia ad eas addita, quas, ut dixi, Servius Rex instituerat; postremo, quattuor adjectis, ad numerum XXXV. ut ait idem Livius lib. VI. quo plures numquam fuere, pervenerunt. Sed oritur dubitatio. Cum nomina tribuum plura, quam XXXV. reperiantur, utrum tribus quoque plures, quam XXXV. fuerint. Ego de nominibus assentior: de numero, id, quod dixi, confirmo, plures quam XXXV. numquam fuisse; nam neque obscurum est, postremis Reip. temporibus XXXV. tantum tribus Romæ fuisse, quæ statuam equestrem inauratam L. Antonio, M. Antonii fratri, cum hac inscriptione posuerunt: ut ait Cicero Phil. lib. VI. QVINQVE. ET. TRIGINTA. TRIBVS. PATRONO. POPVLI. R. Et imperante Trajano totidem fuisse constat; quod indicat antiqua columna, quæ Romæ inter præclara antiquitatis monumenta visitur, in qua incisæ leguntur hæ litteræ:

IMP. CAESARI
DIVI. NERVAE. F
NERVAE. TRAIANO
AVG. GERMANICO
DACICO. PONTIFICI
MAXIMO. TRIBVNIC.
POT. VII. IMP. IIII. COS. V
P. P.
TRIBVS. XXXV
QVOD. LIBERALITATE
OPTIMI. PRINCIPIS
COMMODA. EARVM. ETIAM
LOCORVM. ADIECTIONE
AMPLIATA. SINT

Cum igitur & Reipublicæ & Imperatorum tempora de XXXV. numero consentiant; neque de veteribus aut Latine quisquam, aut Græce contra scripserit, ratione victi XXXV. tribus fuisse concedamus necesse est; nomina vero quibusdam tribubus esse immutata, ex quo numerus earum in dubium venit, facile possumus existimare. Id autem Imperatorum ætate factum esse crediderim; nam Camillæ, Horatiæ, Votiniæ, Cluentiæ, Cluviæ, Dumiæ, Flaviæ, Juliæ, Minuciæ, Papiæ, Ocriculanæ, Ulpiæ, quarum nullam in Rep. fuisse quisquam scripsit, in antiquis lapidibus, Juliæ etiam in Dione mentionem invenimus. Nec dubito quin Juliæ Flaviæque nomina ab adulatione in C. Julium Cæsarem, & Flavium Vespasianum deducta sint, Scaptia tribu, e qua fuit Cæsar, in Juliam mutata; Suburana, e qua Vespasianus, in Flaviam; similisque, nobis ignota, ratio reliquis tribubus mutandi nominis caussam attulit; ut Ulpiæ, quam de Trajani nomine appellatam esse non dubito: cujus antiquum nomen invenire non licuit. Nec vero XXXV. tribuum antiqua nomina secernere a novis minimi negotii fuit: quod tamen conati aliquando sumus, utrum consecuti, alii judicabunt.

Earum nomina primi olim nos in Scholiis ad Epistolas Ciceronis ad Familiares scripsimus. Quæ si quis volet, inde petat.

A Nunc, unde nomen acceperint, exponamus. Dictæ sunt aliæ a familiis, ut, Æmilia, Claudia, Cornelia, Fabia, Papiria, Sergia, Poblilia, Pollia. Aliæ ab urbis partibus, ut urbanæ quattuor, Collina, Esquilina, Palatina, Suburana, & una rustica, Terentina. Aliæ ab urbibus, quæ vel bello victæ, vel ex fœdere, aut amicitia in civitatem receptæ sunt, ut a Crustumeria Clustumina, a Pontia Pomptina, a Curibus Quirina, a Scaptia Scaptia, a Faleriis Falerina, a Velia Velina, a Veiis Vejentina. Aliæ a fluviis, ut ab Aniene Aniensis, ab Oufente Oufentina, ab Arno Arniensis. Aliæ ab agris,
B ut a Stellate Stellatina, a Pupino Pupinia, (etsi a Roma potius dictam Varro putat, quod esset sub Roma) a campo Tromento Tromentina, a castro Mæcio Mæcia, a pago Lemonio Lemonia, a lacu Sabate Sabatina. Galeria, & Voltinia obscuram nominis originem habent. Sane, cur Pædiano venerit in mentem de nominibus Sabinarum plures tribus esse factas existimare, non equidem satis mirari possum: cum, non modo Romulo regnante, sed usque ad Ser. Tullii Regis tempora tres tantum tribus Romæ fuisse, satis constet; qui, si non tribus, sed curias, quæ XXX. fuere, a Sabinis mulieribus denominatas diceret, propius ad veritatem accede-
C ret, cumque Livio & Festo Pompeio consentiret, quamquam nec Livii hac in re, aut Festi, omnino probatur auctoritas; quibus etsi, ut debeo, multum sane tribuo; facit tamen Plutarchus, ut assensum sustineam: qui in Romulo contra Livium, & alios cum Livio sentientes, ita scribit: *Ἑκάστη δὲ φυλὴ δέκα φρατρίας εἶχεν, ἃς ἔνιοι, λέγουσιν ἐπωνύμους εἶναι ἐκείνων τῶν γυναικῶν. τοῦτο δὲ δοκεῖ ψεῦδος εἶναι. πολλαὶ γὰρ ἔχουσιν ἀπὸ χωρίων τὰς προσηγορὰς.*

Satis igitur, opinor, de temporibus, deque numero tribuum demonstratum est. De nominibus lectorem rejicimus ad commentarium nostrum in epistolas ad familiares. De locis ante omnia dicen-
D dum videbatur, si ordinis rationem paullo subtilius examinamus: sed, quia planius quiddam ad intelligentiam esse duxi, visum est, ut in hunc locum reservarem. Tribus primis tribubus locum Romulus assignavit, & in urbe, ut esset ubi quisque habitaret; & in agro, ut cultura victum quærerent. Locum in urbe omnibus in Palatio dedit, antequam cum Tatio Sabino regnum communicaret; hunc enim collem a principio Romulus unum habuit. Sabinis receptis, suum cuique tribui locum tradidit, palatium Ramnensibus, hoc est, Romanis; capitolium Titiensibus, hoc est, Sabinis; lucum asyli Lu-
E ceribus, hoc est, & Tuscis, qui cum Lucumone venerant, & omnibus præterea, qui, domo profugi, cujuscumque criminis affines essent, ad asylum, ubi tutam sedem Romulus fore promiserat, diversis e regionibus confluebant. Et quamquam de hac urbani spatii distributione nihil neque Dionysius, neque Livius, neque Varro, neque alii, quod scire potuerim, litteris tradiderunt: tamen veri mihi simile videtur, cum ager Romanus in tres partes divisus sit, eandem urbis quoque divisionem esse factam; nam si ager, ut separatim excolatur, tribus hominum generibus dividitur, Romanis, Sabinis, Tuscis, & advenis; quod Varro plane significat:
F cur non item urbs, ut separatim habitetur, iisdem hominum generibus trifariam dividatur? Neque vero mihi obstat illud, quod multitudinem hominum in tres tribus a Romulo discretam Dionysius ait, de urbe divisa verbum nullum facit; jam enim de illa divisione, quam ante bellum Sabinum Romulus fecit, significare Dionysium ostendimus; cum unus Palatinus collis habitabatur; Tribubus nondum neque generibus hominum, (soli enim adhuc erant ii, qui cum Romulo venerant) neque nomine distinctis: ego autem de tribus illis tribubus intelligo, quæ, receptis in Urbem cum Tatio Rege Sabinis, cum Lucumone duce Tuscis, e triplici hominum genere constabant; nam, nisi duas divisiones in tres partes a Romulo factas esse credamus, unam sine nomine, ante raptas Sabinas, alteram cum nomine, pace cum Sabinis facta, difficilem in nodum incidemus: si enim unam divisionem probabis; utrum eam ante receptos Sabinos, an post, esse factam velis, interrogabo; si ante dixeris, unde Titiensis nomen? sin post, controversia tibi erit non modo cum Dionysio, qui tribuum divisionem ante bellum Sabinum in ipso urbis primordio constituit; verum etiam cum ipsa ratione, quæ apud me haud paullo plus, quam Dionysius, habet ponderis. Cum enim Romulus, sive Numitoris avi consilio edoctus, sive ipse sublimi quadam atque excellenti mente præditus, optimis institutis ac legibus urbem sibi temperandam statuisset; quod sine certa ratione & ordine nihil satis esse firmum intelligeret: non usque ad illud tempus, quo cum Sabinis urbem communicavit, partiri populum in tribus, & tribus in curias, neglexisset; quarum suffragiis & leges essent rogatæ, ipso, ut opinor, Rege referente, & magistratus mandati, & bella jussa essent. Una primo urbis anno facta; quod Dionysius significat, & ratio confirmat: altera post Sabinum bellum; quod ipsa tribuum nomina declarant. Quo posito, sequitur illud, agrum quoque bis iisdem, quibus urbs & populus, temporibus in partes esse distributum, non modo in tres pro numero tribuum, sed etiam in triginta pro numero curiarum: ut quemadmodum singulæ tribus in denas curias, sic primo in tres partes ager, deinde singulæ partes in denas divisæ sint. Dionysius quidem, triginta curiis singulas agri partes esse distributas, aperte narrat: de tribus partibus mentionem nullam facit. At Varro tribus nominat, de triginta nihil scribit. Ita, quod alter omittit, ab altero sumimus: & ex utroque perfectæ notitiæ ratio colligitur; non enim in eo, quod omittunt, alter alteri repugnat: sed Varro de triginta partibus nihil prodidit, una generali divisione contentus; quandoquidem non de curiis, sed de tribubus, in eo loco loquebatur: & Dionysius trium agri partium divisionem tacuit; vel quod notius id esset, quam de triginta partibus; vel quod intelligeret, cum de triginta scripsisset, de tribus obscurum esse non posse; nam sicuti triginta curiæ tres tribus, unde factæ sunt, significant; sic triginta agri partes triginta curiis dispertitæ, sectionem trium partium, trium tribuum numero respondentem, demonstrant. Sed quæritur, cum tres agri partes, una Ramnensibus colonis, altera Titiensibus, tertia Luceribus, factæ sint; tres item urbis, ut singuli separatim habitarent, Ramnenses in Palatio, Titienses in Capitolio, Tusci in asyli luco; utrum in iis ipsis locis, ubi habitant, suas quoque denas curias singuli sacrorum caussa haberent. Quod consentaneum videtur; cur enim in aliena loca, ubi divinam rem facere vellent, distraherentur? verum, quod verisimile videtur falsum esse, Cornelii Taciti testimonio cognoscitur; is enim curias non denas tribus in locis, sed omnes triginta in Palatio, ubi solis Romanis domicilium fuit, fuisse demonstrat. Quæ res opinionem meam, quam proxime exposui de duabus divisionibus, confirmat. Nam cum in Palatio Romulus triginta sacella, quas curias nominavit, ab urbis initio fecisset; quo populus in triginta partes divisus, suam quisque ad curiam, rei divinæ caussa, coiret: mox, receptis Sabinis, & Tuscis, ratio postulabat, ut denæ cuique populo separatim curiæ darentur; sed religione deterritus, quia loca sacra profana rursus facere non licet, curiarum partem de Palatio tollere, aliove transferre ausus non est: sed omnes eodem in loco perpetuo manere, eoque cives universos, cujuscumque tribus essent, ad divinum cultum convenire voluit. Quod si post Sabinum bellum curias fecisset, non in eo Romanorum magis,

quam Sabinorum, & Tuscorum, rationem habuisset; neque omnes in Palatio, sed denas singulis in locis, ubi singulæ tribus habitabant, condidisset. Quod quia factum non esse ex Tacito constat, sequitur, ut ante bellum Sabinum curiæ fuerint; &, si curiæ, tribus quoque. Ergo & de prima divisione Dionysius vere scripsit; & de secunda, ne nos falso suspicari videamur, ipsum Titiensis maxime tribus nomen facit: quod a Sabinorum Rege declinatum esse inter omnes constat. Addam & illud, ipsum quoque Dionysium de secunda divisione non dissentire; nam cum libro II. tres tribus esse factas dicat; & de divisione, quæ Sabinum bellum antecessit, manifeste sentiat: idem libro IV. quattuor Ser. Tullii Regis urbanas tribus certa urbis fuisse spatia, tres vero illas veteres a generibus esse deductas tradit. Quod ego de tribus hominum generibus, Romanis, Sabinis, Tuscis, dictum esse non dubito; neque vero loquitur pugnantia; sed sicuti priorem legem abrogat posterior, sic divisionem divisio tollit; propterea non de prima divisione, cujus nulla ratio habebatur, (si tamen, ut proxime ostendi, curias excipias) sed de secunda, quæ primam sustulit, ipsaque usque ad Servium Regem permansit, videtur existimare.

Hæc ego de tribus antiquis tribubus, ut mea sententia ferebat, ita exposui. Sed quia, ut ajebat Democritus, veritas in fundo latet; diversa sentientes libenter audiam, & melioribus acquiescam.

Post Romulum, sextus Romanorum Rex Ser. Tullius nova ratione urbem divisit; non enim, ut Romulus, hominum genera segregavit, ne quid in una civitate discriminis inter cives esse videretur: sed, cum urbi Viminalem collem & Esquilias addidisset, quattuor totius urbani spatii partes fecit, vocavitque a locorum nominibus, primam Suburanam, secundam Esquilinam, tertiam Collinam, quartam Palatinam. Ab hoc ordine dissentit Dionysius: qui, opinor, ex partium vetustate primam omnium Palatinam facit, alteram Suburanam, tertiam Collinam, quartam Esquilinam. Sed ego in Romanis rebus, & Romanum hominem, & omnium diligentissimum, M. Varronem sequi malo, quam Dionysium; qui fuit ille quidem, ut homo Græcus, satis diligens; sed, quomodo ego existimo, nihil ad Varronem: ad quem unum, quasi certissimum ad oraculum, Ciceronem ipsum, Ser. Sulpicium, alios, si qui de antiquitate quid ambigerent, veritatis cognoscendæ caussa, convenisse proditum est. Nec ab eo in quattuor partium urbanarum dispositione dissentire Cicero videtur in agraria II. nam, cum omnium plane tribuum homines significare velit, ait: *A Suburana usque ad Arniensem nomina vestra proponat*. hoc est: Si quis vos omnes numerare velit, & a primæ tribus urbanæ tribulibus ad ultimæ rusticæ tribules nominando perveniet; ita multos esse cognoscet, ut non modo dena jugera singulis distribui, sed ne constipari quidem tantum hominum numerum posse in agrum Campanum intelligat. Hæc est, ut opinor, vera & germana ejus loci sententia: quam adhuc mendum obscuravit; habent enim omnes impressi libri, *Ab Ocriculana*, non, ut ex antiquis libris corrigendum est, *A Suburana*. quam correctionem vel ipsa sententia, si quis mentem Ciceronis accurate perpendat, potuit indicare. Esse autem primam urbanam tribum Suburanam, ex Varrone constat; esse ultimam rusticam Arniensem, ex Livio cognoscitur: qui quattuor tribuum, quæ postremo rusticis adscriptæ sunt, & numerum XXXV. expleverunt, hanc libro VI. ultimam nominat. Redeo ad Servium. Divisa urbe, agrum quoque divisit. Urbis partes, appellavit urbanas, quod omnes in urbe; agri, rusticas, a rure; omnes autem, etsi plures quam tres essent, vetere tamen nomine tribus dixit. In urbanas

A conscripsit eos, qui rura non haberent, & præterea libertinos omnes: in rusticas eos, qui rura haberent, si modo essent ingenui; nam si libertino rus esset, is perinde ac si agri nihil possideret, in urbana tribu censebatur; ut major naturæ, quam fortunæ ratio duceretur, quod ad urbis dignitatem pertinere videbatur. Ob has caussas urbanæ tribus semper ignobiliores rusticis habitæ sunt; & e rustica in urbanam transferri erat ignominiæ: rusticæ in agro Romano omnes erant, unicuique tribui regione divisa; homines ipsi, etsi rusticis in tribubus censerentur, tamen, utrobique mallent, vel in urbe, vel in agro, habitabant; suffragium enim in tribu Rustica non habita-

B tio, sed possessio, dabat; quod si quis, exempli gratia, de Romilia tribu fundum suum cum alio, qui in Sergia tribu censeretur, permutasset, possessionum permutationem tribuum permutatio non sequebatur; sed, qua in tribu antea censi fuerant, in eadem permanebant; neque vero, si quis ex aliquo oppido, extra Romani agri terminos constituto, Romæ in aliqua tribu suffragium ferebat, ad illud usque oppidum, in quo domicilium habebat, tribum pertinuisse, credendum est. Romanus enim ager, in sex & viginti partes a Servio Rege divisus, sex & viginti tribubus distributus est. Postea, cum civitas annuo

C consulum imperio regeretur, quinque tribus rusticis adjectis, agri terminos, ut hæ quoque tribus suas regiones haberent, paullum propagatos existimo; harum omnium, quæ XXXI. fuerunt, (de rusticis loquor) aucti quidem tribules numero sunt, jure suffragii multis oppidis ac municipiis concesso, ut Tusculanis in Popillia tribu; Arpinatibus in Cornelia; Formianis & Fundanis in Æmilia: ager tamen ipse, post expletas V. & XXX. tribus, auctus numquam est; sed iisdem, quibus olim fuerat, finibus mansit; non enim aut Arpinum, aut Tusculum, in agro Romano dicebantur esse, sed suum agrum, suosque terminos habebant; cum tamen essent in ditione

D populi Romani. Atque hoc in loco mihi venit in mentem ita cogitare. Homo Arpinas in agro Romano jus non habet: iccirco ne tribu Cornelia, quæ rustica est, extrudatur, & in aliquam urbanam adscribatur? quandoquidem rusticas tribus eorum fuisse, qui rura haberent, supra dictum est. Distinguo: ut dubitantibus hic omnino scrupulus eximatur: & aliam rationem fuisse dico eorum, qui domicilium Romæ haberent; aliam eorum, qui e municipiis ad comitia venirent. Qui Romæ domicilium habebant, in his, utrum rura possiderent, nec ne, spectabatur: & in rustica tribu, qui rus haberet; qui non

E haberet, in urbana censebatur; hi & cives Romani erant, & vere dicebantur; nam qui Romæ domicilium habebat, hic non modo suffragium ferebat, verum etiam & in tribu censebatur, & Romanis legibus vivebat. Municipiorum dissimilis erat caussa; ferebant enim suffragia, in tribu tamen non censebantur; neque Romanis legibus, sed suis, utebantur. Itaque sive aliquis e municipio rus in agro Romano haberet, sive non haberet; is, si Romæ non habitaret, & in suo municipio patriis legibus viveret, in ea tribu suffragium ferebat, in qua totum municipium a principio populi jussu suffragii lationem habuerat. Eademque fuit coloniarum con-

F dicio; nam, cum extra Romanum agrum rura possiderent, tamen siquis ex aliqua colonia Romam veniret, ferre suffragium poterat in ea tribu, in qua & ipse, antequam in coloniam emitteretur, & majores sui suffragium tulerant. Nam, si municipibus hoc licuit, hoc inquam, ut in rustica tribu suffragium ferrent, etiamsi nullam agri Romani partem tenerent: licuisse autem, Tusculanorum, Arpinatum, Formianorum, & Fundanorum exemplo jam ostendimus: cur non colonis idem liceat? cum præsertim eo melior colonorum esse debeat condicio, quam municipum; quia municipes,

cum suffragii jure fruantur, Romanis tamen legibus non utuntur: coloni autem, cum & ipsi suffragii jus habeant, in eo tamen municipibus nobiliores videntur, quia Romanis legibus vivunt: sicuti & colonis in eo cives Romani præstant, quia censentur in sua quisque tribu. Unam enim quasi partem urbis Romæ municipes habent, quia suffragium ferunt; duas coloni, quia & suffragium ferunt, & Romanis legibus utuntur; tres cives, quia non modo suffragium ferunt, Romanasque leges servant, in quo municipibus superiores, colonis pares sunt; verum etiam in tribubus censentur; non enim, ut quicumque censetur, is & suffragium fert; sic, quicumque suffragium fert, is eadem ratione censetur. Censentur, & suffragium ferunt omnes, qui Romæ domicilium habent; suffragium ferunt, nec tamen censentur, municipes; nisi si domicilium in urbe habeant, ut Cato ille Major, & Cicero noster: quorum alter, cum natus esset Tusculi, alter Arpini; quia tamen habitabant Romæ, in ea ipsa tribu, ut opinor, censebantur, in qua municipes eorum, Tusculani, & Arpinates suffragium ferebant; hoc est, Cato in Popillia, Cicero in Cornelia; illam enim Tusculanorum fuisse tribum, didicimus a Valerio Maximo; hanc Arpinatum, a Livio. Neque vero, civem esse, & jus civitatis habere, idem est. Nam municipes jus civitatis habent, cives tamen vere non sunt: cum omnes cives, ut dixi, & suffragii latio nem habeant; & ea, quæ Romæ legibus sancita sunt, observent; & in tribu censeantur: municipes autem suffragii quidem ferendi jus habeant, verumtamen neque censeantur, neque Romanis legibus pareant; quamquam ne hoc ipsum quidem, ut suffragium ferrent, commune omnium municipiorum fuit; quibusdam enim municipiis jus civitatis sine suffragio fuisse legimus, ut Cæritibus pro sacris bello Gallico receptis custoditisque; & Formianos, Fundanos, Arpinates, scribit Livius primo civitatem habuisse sine suffragio; deinde M. Valerium Tapponem, Tribunum plebis, rogationem promulgasse, & pertulisse, ut iis suffragii latio esset; suffragiumque postea tulisse Formianos, & Fundanos in Æmilia tribu, Arpinates in Cornelia, Coloniis vero numquam ferendi suffragii jus non fuit; non enim extrinsecus in civitatem veniebant, ut municipia; sed e civitate ipsa quasi propagatæ, jura, institutaque populi Romani omnia servabant: cum municipia honorum quidem & munerum cum populo Romano partem capere possent; interea tamen suo jure, suisque legibus uterentur: quare non quicumque jus habuit civitatis, pari condicione cum iis fuisse, qui cives Romani erant, existimandus; præstant igitur municipibus coloni, colonis cives, civibus ipsis cives, hoc est, iis, qui urbanam tribum habebant, ii, qui in rustica censebantur. Ecce alia de tribubus dubitatio. Civis ingenuus, quia rus non habet, in urbana tribu censetur: mutat fortunam, ditescit, vel mercatura, vel bello, vel etiam, quia non a rebus humanis excluditur casus, invento thesauro. Quid hoc homine faciemus? in vetere tribu, hoc est in urbana, an, quia rus habere cœpit, in rustica censebitur? in rustica, ut opinor; nam, si, ut in urbana censeretur, quod ignominiosum fuit, caussam habuit egestatem: cur, sublata caussa, permanet ignominia? suadet ratio, ut, hunc mutasse tribum, & ex urbana in rusticam transisse, existimemus. At in quam rusticam? vel in eam, in qua majores illius censi fuerant, si modo rus umquam habuerant; vel in eam, cujus in agro rus emisset; vel ubi censori, qui censum haberet, videretur, de civibus ingenuis ita sentio; de libertinis, ut jam dixi, aliter existimo. nam, donec essent libertini, hoc est donec patrem, avumque liberos citare non possent, sive aliquam agri Romani partem haberent, sive nullam, in urbana tribu censebantur; cum vero libertini esse desierant: tum, si rus haberent, non dubito, quin eorum census esset in ea tribu, in qua patroni eorum censi fuerant: si non haberent, in urbana, sicut antea: ut in ea, non tamquam libertini, sed tamquam inopes ingenui, permanerent; quod si majores eorum non a viro, sed a fœmina, libertatem acceperant, quod sæpe contigit; cum fœminæ tribum non haberent, verisimile mihi fit, eos pari cum ingenuis civibus condicione fuisse, hoc est, tribum habuisse rusticam, vel ratione loci, ubi emissent; vel arbitratu censoris ejus, cui, civitatem ut censeret sorte contigisset. Ex his XXXV. tribubus aliquam, quicumque civis Romanus erat, cujuscumque esset ordinis, obtinebat, in eaque quincto quoque anno a censore consebatur: nisi si quis ita turpiter vixisset, ut nota dignus videretur: hunc enim, si senator erat, e senatu censor ejiciebat; si eques, equo publico privabat; si plebeius, vel tribu movebat, hoc est, e rustica nobili in aliam rusticam minus nobilem, aut e rustica in urbanam referebat; quod erat ignominiæ: vel ærarium faciebat; hoc est omnium in rep. munerum atque honorum expertem jubebat esse; cum hoc tantum ei relinqueret, ut æs pro suo capite tributi nomine conferret; habebant igitur, qui ærarii fiebant, id, quod erat odiosum & grave, ut tributum æque atque alii cives penderent: quod autem jucundum & honorificum, ut honores eos, quorum cives reliqui participes erant, capere possent, eo carebant; quo in statu quia Cærites a principio fuerant; quibus civitatem sine suffragio datam esse, paullo ante diximus: propterea qui ærarii fiebant, in Cæritum tabulas referebantur. Animadverti etiam, non una illa senatores ignominia notatos, ut senatu ejicerentur, sed interdum, si simul equestri loco essent, equo publico privatos, atque etiam ærarios esse factos. Quo de genere exemplum habemus apud Livium; nam lib. IV. ita scriptum reliquit: *Mamercum Æmilium, quod in Dictatura Censuræ tempus, lege lata, minuisset, a Censoribus, Furio, & Geganio, tribu motum, octiplicatoque censu ærarium esse factum*: lib. autem XXIX. Salinatorem, & Neronem censores alterum alteri publicum equum ademisse, vicissimque se ærarios fecisse; subscripta de more caussa, cur id uterque censeret. Nec dubium est, & Mamercum, & quos nominavi censores ordinis senatorii fuisse. Mutandæ vero tribus duæ caussæ erant altera cum ignominia; altera cum honore: cum ignominia, ut in iis, quos, ut dixi, ob vitæ flagitia censores notabant; cum honore, ut si quis alterum certis quibusdam criminibus accusasset, & condemnasset. Tribum enim damnati, si ea nobilior esset quam sua, consequebatur accusator, Neque vero unum hoc optabile erat, ex urbana tribu in rusticam transire; quia rusticæ urbanis honore præstarent; sed illud etiam, rusticam cum rustica permutare; quod inter has ipsas in nobilitate dissimile quiddam esse videbatur; credo, propter eorum, qui suffragia ferrent, vel frequentiam, vel dignitatem. Cujus rei conjecturam facio e Ciceronis verbis in oratione pro Balbo. Ait enim, Balbo, quod in Crustuminam tribum pervenisset, objectum esse: idque illi præmium lege de ambitu datum esse, defendit. Ex quo, damnatum esse aliquem crimine ambitus, accusante Cornelio, satis plane significat; necesse igitur est, ut, si Crustuminam in tribum legis beneficio pervenit Balbus, antea videlicet in aliqua tribu, vel urbana, vel rustica, fuerit. In urbana esse non potuit: quia nemo, nisi qui aut libertinus erat, aut rus non habebat, in urbana tribu censebatur. Quo in genere, certe non est, ut Balbum numeremus: qui neque libertinus fuit; quem, anteaquam civitate Romana donaretur, civem Gaditanum fuisse, constat: & ab egestate tantum abfuit, ut etiam divitiis usque ad invidiam abundaverit. Fuit igitur

A in tribu rustica, e qua cum in aliam rusticam transierit: (erat enim rustica Crustumina) sequitur, ut ea, quam omisit, Crustuminæ, quam appetiit, de dignitate concesserit. Mutabant igitur tribum & volentes, & inviti: volentes, qui legis præmio ex aliqua accusatione nobilem consequebantur; inviti, qui, ob aliquod insigne vitium, censoria pœna in ignobilem trudebantur; qui vero antea in tribu aliqua urbana suffragium tulerant, hos, cum a censore notarentur, ærarios puto omnes esse factos: cum enim ad ignobiliores tribus descendere non possent; restabat, ut eam ipsam, quam habebant, amitterent, nullamque in ulla tribu ferendi suffragii facultatem B haberent; qua condicione qui erant, ærarii dicebantur. Quod si quis putat, ærarium fieri & tribu moveri, idem esse: quosdam enim ita sentire in sermone sensi: hic, non dubito, quin opinione fallatur. Primum locum habeo Ciceronis, meæ sententiæ quasi subscribentem, in Oratione pro Cluentio, his verbis: *Ipsi inter se censores sua judicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius judicium non modo reprehendat, sed etiam rescindat; ut alter de senatu movere velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignissimum judicet, ut alter in ærarios referri, aut tribu moveri jubeat, alter vetet*: Manifeste ab ærariis tribu motos distinxit. Deinde, *moveri tribu*, C idem esse, quod *mutare tribum*, Livius lib. XLV. declarat. Ait enim sic: *Negabat Claudius suffragii lationem injussu populi, censorem cuiquam homini, ne dum ordini universo, adimere posse. Neque enim, si tribu movere posset, quod sit nihil aliud, quam mutare jubere tribum, ideo omnibus V. & XXX. tribubus emovere posse, id est, civitatem, libertatemque eripere; non ubi censeatur finire, sed censu excludere*. Poterant igitur ii, qui neque senatores, neque equites essent, tribu moveri, nec tamen in ærarios referri; poterant rursus in ærarios referri, tum scilicet, cum vel in urbana tribu suffragium ferre soliti essent, unde ad ignobiliorem tribum transitus non D dabatur; vel a superiore vita invidiosi ac turpes usque adeo essent, ut non a tribu in tribum transferendi, sed omni plane tribu excludendi viderentur. Patere jam existimo, & quibus temporibus constitutæ tribus sint, & quo numero, & quibus nominibus, & quibus in locis. Quiddam etiam, ad earum distinctionem, de nobilitate diximus; eandemque non fuisse dignitatem non modo omnium, sed nec rusticarum ipsarum inter ipsas, demonstravimus. Unum illud addam, pari condicione aliquando rusticas & urbanas fuisse, tum scilicet cum libertini homines, quos Servius Rex, serva natus, publicæ rei participes esse voluerat, & in quattuor urbanas tribus digesse- E rat, multis post annis contra vetus institutum a censore Ap. Claudio Cæco rusticis omnibus tribubus admisti sunt. Quo factum est, *ut in duas partes civitas discesserit: cum aliud integer populus, fautor, & cultor bonorum*, (recitabo enim ipsa Livii verba) *aliud forensis factio teneret: donec Q. Fabius Rullianus, & P. Decius censores facti sunt: & Fabius simul concordiæ caussa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam*, hoc est, libertos, & libertinos, *excretam in quattuor urbanas tribus conjecit: adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod* F *tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret*. Aliquot deinde post annis, cum rusticas tribus rursus occupassent, a Ti. Sempronio Graccho Censore, Tiberii, Caiique patre, in quattuor urbanas esse redactos, legimus in Plinio Novocomensi. Quod & Cicero lib. I. de Oratore narrat. *Tiberius*, inquit, *Sempronius homo prudens & gravis haudquaquam eloquens, & sæpe alias, & maxime Censor, saluti Reipublicæ fuit; atque is non accurata quadam orationis copia, sed nutu atque verbo, libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, Remp. quam nunc vix tenemus, jamdiu nullam haberemus*. Ipsius autem Ciceronis ætate eandem ordinum & comitiorum permistionem a duobus tribunis plebis esse tentatam, primum a P. Sulpicio, deinde a Cn. Manilio, tradit Pædianus in Cornelianæ, & Milonianæ commentariis. Idemque mox a P. Clodio cogitatum, significant illa verba in oratione pro Milone: *Incidebantur jam domi leges, quæ nos nostris servis addicerent*. Quem locum sic interpretatur Pædianus: *Fuit inter leges P. Clodii, quas ferre proposuerat, ea quoque, ut Libertini, qui non plus, quam in Urbanis tribubus, suffragium ferebant, possent in rusticis quoque, quæ propriæ ingenuorum sunt, ferre*. Hactenus de tribubus.

CAP. III.

De Curiis.

DE curiis autem minus multa. Jam enim, ex Romuli divisione XXX. fuisse, diximus: cum ille populum universum in tres tribus, & singulas tribus in denas curias, distribuit; neque postea pro numero tribuum, quæ XXXV. factæ sunt, multiplicatas invenio. Atque etiam, ut in vetere numero permansisse, hoc est, numquam plus, quam XXX. fuisse, existimem, adducor his Ciceronis verbis, quæ sunt Oratione II. in Rullum. *Sunt igitur decem viri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem atque usurpationem vetustatis per XXX. lictores auspiciorum caussa adumbratis constituti*. Nam XXX. lictores intelligit, qui comitiis curiatis, ut curias XXX. referrent, apparebant. Quo de numero & in oratione pro domo sua aperte scriptum legimus. Quare, cum de XXX. curiis constet, locum Sex. Pompeii, ubi de curiis XXXV. scribit, de quo supra locuti sumus, mendosum esse necesse erit: non quod ipsum Pompeium errasse dicam; quem etiam in aliorum erratis animadvertendis diligentem video fuisse: sed fuit, ut indicat epistola quædam, Paullus nescio quis, qui illius scripta mutilavit: qui quam male & de ipso Pompeio & de nobis meritus sit, significavit pater meus in epistola illa, quæ ante Pompeii libros impressa legitur: in qua vir probus & religiosus abstinere minime potuit, quin ipsum in mutilatorem, & hujusmodi homines, antiquitatis inimicos, gravissima, & tamen justissima, maledicta conjiceret. Curias duorum generum ponit M. Varro; nam, & ubi curarent sacerdotes res divinas, curiæ veteres dicebantur; & ubi senatus humanas, ut curia Hostilia; quam primus ædificavit Hostilius Rex sub veteribus; nobis autem, non de his, in quibus senatus habebatur, sermo est, sed de illis, quæ sacrarum rerum caussa sunt institutæ, ut in sua quisque curia sacra publica faceret, feriasque observaret: quas in Palatino colle fuisse, Tacitus significat. Unde nomen acceperint, non satis mihi constat: & inter scriptores controversia est; cum Livius & Festus a nominibus Sabinarum mulierum, quibus deprecantibus inter Sabinos & Romanos ictum fœdus est, appellatas dicant; Plutarchus autem hanc opinionem ut inanem & falsam rejiciat.

CAP. IV.

De Centuriis.

CENTURIÆ supersunt, quarum duplex est consideratio; nam & centuriæ tres equitum ab initio fuere, quas Romulus instituit, Priscus Tarquinius geminavit, trium tamen vetere numero servato: & centuriæ CXXCIII. quas deinde Ser. Tullius, inducto censu, fecit. De utrisque igitur separatim agemus. Tres centurias equitum, militiæ caussa,

A Romulus fecit, ut pedeſtrem exercitum equeſtri robore firmaret; has de nominibus tribuum, Ramnenſes, Titienſes, Luceres, vocavit. Nec dubito, quin ab initio ſingulis in centuriis centeni tantum equites fuerint: ut ipſum centuriæ nomen ſignificat; ſed, aucto civium numero, auctus ſimul eſt eorum numerus, qui equo militarent: quos in centurias receptos eſſe, ne cum peditibus equites admiſcerentur, certum eſt; inde factum, ut trium dumtaxat centuriarum numerus maneret, cum tamen equites, ut in Dionyſio legimus, quo tempore Romulus e vita exceſſit, haud fere pauciores, quam mille, fuerint: qui, cum urbs condita eſt, B nec trecenti fuerant. Id probatur & Livii teſtimonio: qui, Tarquinii Priſci ætate, tres dumtaxat centurias nominat, eas ſcilicet, quas Romulus inſtituit; & tamen in iis centuriis mille equitum ſignificat. Cujus verba, quia non ſatis apertam ſententiam habent, explanare non alienum eſt. Sunt autem hæc lib. I. *Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit: numero tantum alterum adjecit; ut mille & trecenti equites in tribus centuriis eſſet.* Nihil mutavit, inquit; quia, cum ad eas, quas Romulus ſcripſerat, alias addere centurias conſtituiſſet, eaſque ſuo inſignes nomine relinquere, ut ipſe Livius paullo ante poſuit, miraculo cotis, ab C Attio Augure diſciſſæ, commotus, neque numerum centuriarum auxit, cum tamen equites adderet, neque nomina mutavit: ſed omnium equitum tres dumtaxat centurias, eaſque iiſdem, quibus antea, nominibus eſſe voluit, ut Ramnenſes, Titienſes, Luceres, perpetuo vocarentur. Cum vero dixit Livius, *numero tantum alterum adjecit*, quid ſignificat? non ad tres Romuli centurias tres item a Tarquinio eſſe adjectas, ſed ad trecentos trium veterum centuriarum equites totidem eſſe additos; reſpexit enim non ad centuriarum, ſed ad equitum numerum: quod indicant proxima illa verba: *ut mille & trecenti equites in tribus centuriis eſſent.* D At ſi ad trecentos trium veterum centuriarum equites item trecentos addidit Tarquinius: cur non dixit Livius, ut ſexcenti equites in tribus centuriis eſſent? quo modo, cum ad trecentos trecenti addantur, fiunt mille trecenti? quia numerum quidem equitum duplicavit Tarquinius, cum reſpiceret non ad omnes equites, qui tum in centuriis militabant, qui mille erant, ſed ad trecentos illos, quos primum in tres centurias Romulus ſcripſit: verum, cum in tribus veteribus centuriis auctus jam ita numerus equitum eſſet, ut omnino mille eſſent, trecentis a Tarquinio adjectis facti ſunt mille trecenti, cum tamen centu- E riæ non plures, quam tres, fuerint, quas ætate ſua Livius ſex appellatas eſſe ſignificat, his verbis: *Quas nunc, quia geminatæ ſunt, ſex vocant centurias.* Quod ego ita interpretor: non, cum Livius Romanam hiſtoriam ſcripſit, habitam eſſe rationem ullam veterum Romuli, aut Tarquinii, centuriarum: tunc enim equites multis partibus plures ad bellum exibant; & poſt Tarquinium Servius Rex, populo in claſſes deſcripto, univerſam veteris militiæ rationem mutavit; ut abſurdum ſit credere, ſex centurias, ſervato Romuli & Tarquinii inſtituto, tot ſæculis interjectis, ad bellum exiſſe. Dixit igitur potius ad hanc ſententiam, ſex vocant centurias; cum earum men- F tio fit; cum de iis inter homines ſermo incidit; &, quia tribubus a Tarquinio geminatis, ut ſupra oſtendimus; primi, ſecundique Ramnenſes, Titienſes, Luceres, dicebantur: licet opinori & centurias Livii ætate, cum ſex vocarentur, primos, ſecundoſque Ramnenſes, Titienſes, Luceres, eſſe nominatas: quandoquidem Romuli centuriis eadem, quæ tribubus, nomina fuiſſe, ex Livio patet; nam Dionyſius non modo harum centuriarum, ſed nec tribuum nomina non ponit: quin de ipſis centuriis nullam omnino mentionem facit: tantum ait, trecentos a Romulo ad cuſtodiam corporis robuſtiſſimos juvenes eſſe delectos, qui pedeſtrem, equeſtremque militiam, ubi res ferret, pariter exercerent. Sed ego ab his diverſas fuiſſe centurias puto, quod ex Livio quoque ſatis patet: qui ſeparatim de tribus centuriis, & de trecentis ſatellitibus meminit, quos non in bello ſolum, ſed etiam in pace, Romulus habuit. Præterea, non iiſdem temporibus & trecenti illi cuſtodes lecti ſunt, & centuriæ inſtitutæ. Nam in ipſo Dionyſio video, ante raptum Sabinarum, trecentos ad cuſtodiam corporis a Romulo eſſe delectos; at in Livio, tres equitum centurias tum eſſe factas, animadverto, cum, Sabinis & Romanis jam conciliatis, regnoque conſociato, ex duabus civitatibus una facta eſſet; quam ob cauſſam & uni centuriæ a Tito Tatio, Sabinorum Rege, nomen Titienſi eſt inditum. Sequuntur Servii Regis centuriæ, tum comitiorum, tum militiæ cauſſa, ex equitibus peditibuſque conſtitutæ: quarum numerus ex Dionyſio facile colligitur. Nam, cum Ser. Tullius Rex univerſum populum in ſex claſſes diſtribuiſſet, in prima claſſe centurias IIC. quæ ſuffragium ferrent, delegit, peditum XXC. equitum XIIX. quorum res cenſa C. minis, aut ſupra, erat: In ſecunda XXII. quorum cenſus erat LXXV. minis, & ſupra: In tertia XX. cenſu non minus L. minarum: In quarta XXII. cenſu XXV. minarum, & ſupra: In quincta XXX. cenſu intra XXV. minas ad XII. & ſemis: In ſexta unam tantum, hominum minimo cenſu, id eſt, minarum infra XII. & ſemis: qui vacationem habebant militiæ, erantque omnium tributorum immunes, ideoque in comitiis minime omnium honorati. Atque hic univerſus eſt numerus CXCIII. cum Livius una centuria minorem numerum faciat. Sed Dionyſii ſumma probabilior eſt. Nam ſi, ut in Livio ſcriptum eſt, pari numero centuriæ ad comitia conveniſſent, evenire poterat, ut æqualitate ſuffragiorum nihil omnino tranſigeretur, cum centuriis IVC. probantibus totidem improbantes centuriæ reſiſterent; & ideo, totum numerum centuriarum CXCIII. fuiſſe, credibile eſt; ut omnino major numerus ex altera parte, cum quid ſtatueretur, eſſet; raro autem in comitiis ad ſextam claſſem, id eſt, ultimam, in qua erat una centuria, deventum eſt: cum raro contingere ſoleret, ut ex utraque parte ſuffragiorum contra pugnatium numerus eſſet XCVI. Quod ſi quando acciderat; tum unum extremum ſuffragium ſextæ claſſis, in alterutram partem inclinans, victoriam dabat. Differt etiam in hoc a Livio Dionyſius: quod etſi parvi refert, notandum tamen duximus; nam Dionyſius duas fabrum centurias, & opificum, quas Livius in prima claſſe numerat, quartæ claſſi adſcribit; itemque tibicinum, cornicinum, accenſorum, duas centurias Dionyſius quartæ claſſi, Livius quinctæ attribuit: & eas idem Livius tres, Dionyſius duas facit. Illud addo centurias non ita accipiendas, ut ex centenis civibus unaquæque conſtaret. Nam cum omnes centuriæ ſint CXCIII. ſi ad ipſas centurias ſpectaremus, totus univerſorum civium numerus eſſet $\overline{\text{XIX}}$. & CCC. quod falſum eſſe, inde conſtat, quia Livius lib. I. cenſa fuiſſe ait a Ser. Tullio civium capita XXC. Quam ſummam, ut idem ſcribit, aliquot hiſtorici tradidere fuiſſe eorum tantum, qui arma ferre poſſent. Hic objicitur, ſi prima claſſis, exempli cauſſa, centurias habet IIC. & tamen cives in ea cenſentur plures, quam ex his centuriis confici videntur: qua ratione in IIC. centurias diſtribuentur? Reſpondendum: quamlibet magnum civium numerum ad centuriarum numerum eſſe redigendum, ut, etiam ſi in prima claſſe fuerint, puta XX. millia hominum, non tamen CC. centuriæ pro ratione hominum fuerint, ſed tantum IIC. ut ſive pauciores, ſive plures, quam centum, in ſingulis centuriis ad comitia coirent, integra tamen, & una, utrolibet numero, haberetur

centuria. Rursus, si in una centuria quingenti cives ad comitia coirent; in alia autem quinquaginta: æque tamen in suffragio valet ea, quæ est infrequentior, atque ea, quæ plenior: & utriusque vis eadem est. Quid autem caussæ fuerint, ut in una centuria plures, in alia rauciores, fuerint, ex veterum libris cognoscere non licet. Sed ego, quod excogitare per me potui, id, quale quale est, libere exponam. Cum centuriæ primæ classis ex iis hominibus constarent, quorum census esset centum millibus assium, eove amplius: non omnium idem erat census in eadem classe: & cum censu differrent, centuriis quoque distinguebantur: ut, qui centum millibus assium censerentur, in una centuria suffragium ferrent; qui centum decem, in alia; qui centum viginti, item in alia; inde fiebat, ut non eodem numero centuriæ omnes essent. Est autem verisimile, eo fuisse infrequentiores centurias, quo ditiores in iis suffragium ferrent; eo pleniores, quo tenuiores; nam in civitate, quo minor est census, eo major civium numerus est; quo major, eo minor. Præerat autem singulis centuriis civis unus, dignitate præstans: qui, ne quid per fraudem committeretur, curaret; cumque ab ipsa centuria viritim suffragia lata essent, suffragiorum numerum in utramque partem dignosceret, quod diribere vocabant; & ex majore numero voluntatem centuriæ pronunciaret. Exemplum habemus in II. de Oratore, cum M. Scipio Maluginensis e centuria sua consulem L. Manlium renunciavit. Et, quemadmodum is, qui centuriæ præerat, ex majore suffragiorum numero sententiam centuriæ significabat: sic is, qui comitiis præerat, ex majore numero judicium populi pronunciabat; hunc autem comitiorum ordinem ideo Servius Rex instituit, ut eam potestatem, quam in comitiis pauperes habebant, ad divites transferret; ante enim in pauperum manu comitia erant: ipsi magistratus dabant, leges sciscebant, bella decernebant: non quod divites comitiis excluderentur: sed quod pauperes numero præstarent; cum e Romuli, aliorumque Regum, instituto suffragia viritim populus ferret universus: quod Servius Rex non sustulit: sed callido consilio effecit, ut neque suffragio exclusus aliquis videretur, neque suffragium tamen, nisi rarissime, omnes ferrent. Nam, cum universa civium multitudo in sex classes distributa, pro suo quisque censu; classes vero in certum centuriarum numerum; cumque, quod a pluribus centuriis juberetur, id ratum esset: plerumque usu veniebat, ut non ad sextam classem deveniretur, sed priores classes ad rem conficiendam satis essent: cum in una prima classe ita multæ centuriæ essent, ut, si in suffragio ferendo consentirent, ad inferiores classes descendere necesse non esset. Divites igitur auxit potestate rerum maximarum: quos comitiorum dominos constituit, si centuriarum numerum spectemus, quæ plures erant non modo in quinque primis, quam in una reliqua, in qua plebs egena censebatur, sed etiam in una prima, quam in quinque reliquis omnibus. Pauperes autem, id est, sextam classem, ne suffragiorum amissionem acerbius ferrent, militiæ, tributorumque vacatione lenivit. Sed est inter veteres de censu primæ classis controversia. Nam Dionysius fuisse tradit, centum minis; Livius, centum millibus assium; Plinius, centum & decem millibus assium; Pædianus, centum millibus sestertium. Centum minæ, ad nostratis pecuniæ rationem redactæ, scutati sunt aurei mille, & quinquaginta; centum millia assium uncialium, (unciales enim Livii ætate fuerunt; cum, qui primi a Ser. Tullio Rege percussi sunt, librales fuissent; deinde, primo Punico bello, sextantarii) scutati aurei septingenti quinquaginta; centum & decem millia assium, scutati octingenti viginti quinque; centum millia sestertium, scutatorum tria millia. In hac sententiarum varietate, etiamsi mihi de veritate non satis liquet, quiddam tamen afferam de meo sensu, non ut affirmem, sed ut aliorum opiniones eliciam; quod enim ego explicare unus minime possum; in eo si versentur multi, facilius expediri posse, certum est. Ser. Tullius, ut e censu universam civitatem in sex classes distribueret, cujusque civis rem assibus æstimavit, quod is nummus perfectam ponderis rationem haberet; libralis enim erat: ut ex Varrone & Plinio cognovimus. Et quemadmodum bona civium nummo perfecti ponderis æstimavit, id est, asse: sic eam æstimationem perfecto nummorum numero definivit, hoc est, centum millibus assium; ut, si quis hoc tempore aliquam civitatem in partes distribueret, & cives censu distingueret Servii Regis exemplo nimirum & cujusque bona scutatis aureis æstimaret, & censum illius partis, in qua ditiores futuri essent, ad absolutam numeri rationem redigeret, puta ad mille scutatorum: aut, si maximum censum infra mille vellet descendere, certe centenarium, ut ita dicam, numerum sequeretur, ut in maximum censum eos potius referret, quorum res quingentis (exempli gratia ita pono) censeretur, quam eos, quorum bona non plane centenario scutatorum numero, sed minore æstimarentur, puta quadringentis quadraginta, aut quinquaginta. Cum igitur verisimile sit, maximum censum absoluto assium numero fuisse, ut in prima classe censerentur ii, quorum res non minoris esset, quam absolutus ille numerus definiret: utrum a vero aberrasse credibilius est, Dionysium, an Livium? Ego Dionysium puto. Nam Livio nullam video fuisse caussam, cur in maximo censu explicando non plane id ipsum expresserit, quod a Servio institutum in antiquis annalibus legebat. Assibus, ut dixi, Servius bona civium æstimaverat: & assium mentionem faciebant ii, qui ante Livium scripserant: itaque nihil immutare Livio necesse fuit, cum eodem vocabulo, & eodem numero, ad maximi census significationem, uti posset; tantidem enim ætate Livii fuit assis, quanti Ser. Tullio regnante; tametsi pondere non idem, ut ex Plinio cognoscitur. Ergo, ut in antiquis monumentis traditum Livius videbat, ita in suas historias transtulit, assesque, & centum millia, veterum fidem secutus, nominavit. Dionysius autem, qui Græce scriberet, non Romani nummi vocabulo, sed minis, Græca consuetudine, maximum censum explicavit. Satis de curiis, centuriis, & tribubus.

CAP. V.

De Comitiis.

NUNC aggrediemur ad ipsa comitia: &, ut eum, quem instituimus, ordinem servemus, a curiatis primum ordiemur. Sed quoniam M. Varro, ille Romanorum omnium doctissimus, in libris suis de rebus humanis, & item in iis, quos de rebus divinis conscripsit, hunc ordinem instituit, ut sex primis libris de hominibus ageret; secundis sex de locis; sex tertiis de temporibus; sex quartis, iisdemque postremis, de rebus; unum singularem, qui communiter de omnibus narraret, ante omnes locaret: hunc ordinem ipsi quoque in hoc de comitiis libro statuimus imitari. Itaque primum generalia quædam de comitiis præponemus; deinde quattuor illa capita, de hominibus, de locis, de temporibus, de rebus, in singulis comitiorum generibus accurate persequemur; ut, a quibus habita sint comitia, quibus locis, quibus temporibus, quibus de caussis, intelligatur. Sed ut a generibus ordiamur, sicuti & Varronem fecisse diximus: si & a quibus habita sunt comitia, & ubi, & quando, & cur, considerabimus, in magna differentia communia tamen omnium comitiorum multa reperiemus.

CAP.

CAP. VI.

Comitia a quibus habita.

PRIMUM numquam nisi a magistratu habita sunt, aut certe ab eo, qui honore ceteros cives anteiret, ut a Pontifice Maximo. Deinde, si magistratus crearentur, numquam, nisi in campo Martio: tum, non nisi comitialibus diebus: postremo, legum & magistratuum caussa. Hæc omnium comitiorum communia fuerunt. Quæ etiam singula perpendemus. Comitia dicebantur, cum vel ad creandum Magistratum, vel ad sciscendam legem, vel quovis alio nomine, modo plebs, modo populus coibat. Plebis nomine non omnes omnino cives, sed omnes, exceptis patriciis, intelliguntur. Populus universam civitatem significat. Sive igitur plebs, sive populus, in unum locum ad ferenda suffragia convocaretur; magistratus jussu, aut, si magistratus nullus esset, Interregis, vel etiam, quod semel accidisse legimus, Pontificis Maximi edicto citabatur. Etsi quando hic ea, quæ generaliter ad omnia comitia pertinent, exponimus, Interregem, aut Pontificem nominare, hujus loci non est. Neque enim omnibus comitiis præfuisse Interregem, aut Pontificem legimus, sed centuriatis tantum, Interregem; Pontificem, tributis, & curiatis. Recte igitur inter generalia ponemus, habita esse a magistratu comitia: siquidem neque ab Interrege, aut a Pontifice, omnia habebantur: &, ut ab iis aliqua haberentur, extraordinarium fuit. Utrum autem ab uno magistratu, an a pluribus simul haberentur comitia, si quæratur; ab uno, dicam; de quo exempla in Livio, atque in aliis, multa notavi; sed in Livio duo satis perspicua, lib. III. alterum, de M. Duillio, Tribuno pl. alterum de Ap. Claudio, Decemviro: quorum ille tribuniciis comitiis, hic decemviralibus præfuit. Munere omnino fungebatur honorifico, siquis comitiis præerat: habebatque & accipiendi, & rejiciendi petentium nomina potestatem, sed ipse se creare non poterat. Quod ante Ap. Claudium Decemvirum nemo umquam præter tribunos pl. fecit: ut a Livio traditum lib. III. legimus. Quod si etiam quæretur, utrum is, qui comitiis præerat, sorte præesset, an consensu sine sorte: modo sorte dicam, modo consensu, ut ab historia didici. De sorte exemplum habemus in Livio lib. III. his verbis: *Sorte quadam utili ad tempus ut comitiis præesset potissimum, M. Duillio forte evenit, viro prudenti*: Loquitur de tribuniciis comitiis, hoc est, tributis. At lib. XXXV. de consularibus, & ut opinor, prætoriis, quæ utraque centuriata erant, ita scripsit: *Eodem fere tempore duorum consulum litteræ allatæ sunt, L. Cornelii, ad Mutinam de prœlio cum Boiis facto; & Q. Minucii a Pisis: comitia suæ sortis esse, ceterum adeo suspensa omnia in Liguribus se habere, ut abscedi inde sine pernicie sociorum & damno Reip. non possit: si ita videretur patribus, mitterent ad collegam, ut is, qui profligatum bellum haberet, ad comitia Romam rediret: si id facere gravaretur, quod non suæ sortis id negotium esset, se quidem facturum, quod senatus censuisset.* Loquitur, ut puto, non tam de consularibus, quam de prætoriis comitiis: non modo, quia subjungit paullo post, *nunciarent senatum, ni is ad magistratus subrogandos Romam veniret, potius quam Q. Minucius a bello integro avocaretur, Interregnum iniri passurum*: (non enim dixisset, *ad magistratus subrogandos*, si de solis consulibus significaret) & infra, *post consularia comitia, die proximo habita esse prætoria*, dixit: verum etiam, quia libro XXXIX. cum de prætore in locum C. Decimii mortui subrogando ageretur, iis comitiis L. Porcium Consulem præesse significat: postremo, quia prætorem a prætore creari non posse, lib. I. de auspiciis M. Messalla augur aperte narrat. Redeo ad sortem. Est aliud exemplum apud eundem Livium lib. XXXIX. his verbis: *Jam consularium comitiorum appetebat tempus; quibus quia M. Æmilius, cujus sortis ea cura erat, occurrere non poterat, C. Flaminius Romam venit.* Nec desunt ejusdem alia de sorte exempla. Nunc de consensu agamus. Lib. 3. sic ait idem: *Comitiorum illi habendorum, quando minimus natu sit, consensu injungunt.* Ars ea hæc erat, ne semetipse creare posset; quod præter tribunos pl. & id ipsum pessimo exemplo nemo umquam fecisset. Loquimur de decemvirum comitiis, hoc est, centuriatis: quando summus magistratus, atque etiam solus, & sine provocatione, erant decemviri. Libro etiam XXXV. curam comitiorum consensu mandari solitam significat. Ait enim sic: *Consulibus ambobus Italia provincia decreta est; ita ut inter se compararent, sortirenturve, uter comitiis ejus anni præesset.* Utitur enim Livius verbo *comparare*, pro pacisci. Ut lib. quoque XL. *Inter se*, inquit, *consules compararunt, ut Cn. Bæbius ad comitia iret, quia M. Bæbius frater ejus consulatum petebat.* Et libro XLI. *sedato tandem Istrico tumultu, senatusconsultum factum est, ut consules inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret.* Et alibi. Hæc de eo, quod primum proposui, a quibus haberentur comitia, satis sint. Ostendi enim habita esse a magistratu, ab uno, sorte, consensu.

CAP. VII.

Comitia quibus locis habita sint.

QUOD autem secundo loco posui, omnia comitia, si magistratuum caussa haberentur, in campo Martio esse habita: necessario distinxi, quia legum caussa non in campo, sed in foro tributa habita esse constat: cum centuriata, & legum & magistratuum caussa, in campo semper habita sint. Quare, quoniam id, quod omnium comitiorum generale sit, quærimus: omnia comitia, quæ magistratuum caussa haberentur, in campo Martio esse habita, recte diximus.

CAP. VIII.

Comitia quibus temporibus habita sint.

TERTIUS locus est de diebus comitialibus. In eo non est necessaria distinctio; numquam enim, nisi comitialibus diebus, agere cum populo licebat. Comitiales autem non dico fuisse omnes dies, præter festos; sed ita dico, diem nullum fuisse comitialem, qui festus esset. Festi vero erant ii, ut Macrobius docet, quibus inerant sacrificia, epulæ, ludi, feriæ. Profesti dicebantur omnes, præter festos: qui dividebantur in dies fastos, comitiales, comperendinos, statos, prœliares; quorum non eadem ratio fuit. Non enim, quicumque fasti dies erant, aut comperendini, aut stati, aut prœliares, iidem erant comitiales; sed qui comitiales erant, eos aut fastos, aut comperendinos, aut statos, aut prœliares esse, nihil vetabat. Et quemadmodum non omnes fasti comitiales erant; sed omnes comitiales erant fasti: quod ex Macrobii verbis elici videtur; qui ait, *Fastis diebus lege agere licuisse; Comitialibus & lege agi & cum populo agi potuisse*: sic non omnes fasti erant comperendini, aut stati, aut prœliares; sed ut ego judico, omnes, aut comperendini, aut stati, aut prœliares, iidem erant fasti. Hic in memoriam incurro cujusdam loci in oratione pro Sextio, quem puto minus emendatum esse. Nam ubi scriptum est, latam esse legem, *ut omnibus festis diebus legem ferri liceret*; non dubito quin *fastis* pro festis, reponendum sit. Nam cum fasti dies non comitiales essent omnes, sed aliquot dumtaxat: lege sanxit P. Clodius, ut omnibus fastis diebus legem ferri liceret. Id & in Oratione de provinciis cons.

A Cicero declarat his verbis: *Aut vobis statuendum est, legem Æliam manere, legem Fusiam non esse abrogatam, non omnibus fastis legem ferri licere, &c.* festi vero nulli comitiales erant; & omnes festos lege Clodia factos esse comitiales, absurdum est credere. Sed, ut reliqua persequamur, notat Gellius, & Macrobius, Gellium secutus; omnes dies, postridie Kalendas, Nonas, Idus, neque prœliares, neque puros, neque comitiales fuisse; &, ut nonnulli putarunt, IV. Kalendas, Nonas, Idus, nundinas fuisse inter ferias, & feriis haberi comitia non licuisse, Macrobius narrat. Quod autem Rutilium scripsisse idem Macrobius ait, *Romanos instituisse nundinas,*
B *ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure, ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent*; quod ipsum & Dionysius lib. XI. significat: id falsum esse, ipse Macrobius ostendit, cum inter ferias, Cæsaris & Labeonis auctoritate commotus, nundinas numeravit. Nam, si nundinæ feriæ fuerunt, leges ferri nundinis non licuit; quia feriis, ut in augurum libris Varro tradidit, viros vocare non oportuit: si vocavit, piaculum fuit. Ferias autem nundinas fuisse, præter Cæsarem & Labeonem, etiam Festus Pompeius significat, his verbis: *Ferias antiqui festas vocabant; & aliæ erant sine die festo, ut nundinæ; aliæ*
C *cum festo, ut Saturnalia.* Qui vero nundinas ferias fuisse negarant, eam rationem secuti sunt, quia feriis jus dicere prætori non licebat; nundinis autem lege Hortensia licebat. Sanxit enim lege Hortensius, is, opinor, qui & alias pro plebe leges dictator tulit, non ut nundinæ, feriæ-ve essent, sed ut a ceteris feriis una re differrent, hac inquam, ut per eas jus diceretur; uti rustici, qui nundinandi caussa in urbem veniebant, lites componerent. Quod cum apud Granium Licinianum, tum apud Trebatium scriptum esse Macrobius significat. Erant igitur inter ferias nundinæ, non modo quia Jovi aries omnibus nundinis immolabatur, ex quo Jovis ferias fuisse constat: verum etiam
D quia neque concionem advocari, neque haberi comitia licebat. Quod cum C. Julius Cæsar lib. Auspiciorum XVI. scripsit, ut Macrobii testimonio cognoscitur: tum Cicero libro ad Atticum IV. idem videtur significare. Ait enim, *per biduum, quo nundinæ fuerunt, id est,* X. *&* IX. *Kal. Decemb., neque concionem fuisse ullam, neque de habendis ædilium cur. comitiis actum esse: nundinis conspectis,* IIX. *Kal. Decemb. Milonem in Campum ivisse, ut consuli Metello, ædilicia comitia habere cupienti, obnunciaret.* Qua in sententia videtur & Plinius fuisse, libro Naturalis Historiæ XIIX. cap. 3. Scripsit enim hæc de rusticis tribubus:
E *Nundinis urbem revisitabant; & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Etsi Hermolaus Barbarus, homo eruditus & diligens, in scripto libro aliter legi testis est, sic videlicet: *Comitia, nisi nundinis, haberi non licebat.* Nec tamen, utra verior sit lectio, dijudicat. Sed Gulielmus Budæus, vir Græce Latineque doctissimus, quod Hermolaus se non dispicere significat, id se videre & scire profitetur; ait enim sic in altera editione in Pandectas: *Quamquam Hermolaus de ea lectione statuere nihil ausus sit, nos tamen eam confirmare ex Macrobio non magnopere verebimur, qui lib.* I. *Saturn. sic inquit:*
F *Rutilius scribit, Romanos instituisse nundinas, ut octo diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure, ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent, & ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur; quæ, trinundino die proposita, a singulis atque universis facile noscebantur.* Hæc recitat Budæus. Quæ fere & Dionysius, cujus libros non admodum Budæo familiares video fuisse, lib. VII. tradidit. Ego tamen non idem, quod Budæus, existimo. Rusticos enim venisse quidem ad urbem puto, ut suffragium ferrent, quod cum Rutilio Dionysius significat, non tamen, ut ipso nundinarum die, sed ut perfectis nundinis comitiis interessent. Vix enim verisimile videtur, his tribus rebus eodem die rusticam plebem occupatam fuisse; primum, ut nundinarentur; deinde, ut lites componerent; quod eis lege Hortensia permissum, in Granii lib. II. Macrobius notavit; postremo, ut comitiis suffragium ferrent. Præterea (ut omittam Cæsaris & Labeonis auctoritatem, qui nundinas inter ferias, teste Macrobio, referunt) si tantum nundinis, id est, nono quoque die, comitia fierent, ut Budæus censet: cur, ut apud Ciceronem scriptum esse jam diximus, & XII. & XI. & IIX. Kalendas aut Metellus consul ædilicia comitia habere conatus est, aut Milo Tribunus pl. obnunciatione prohibuit. Cur prohiberet Milo, quod, prohibente nemine, fieri non liceret? cur autem (ut ὕςερον πρότερον, ὁμηρικῶς, agamus) de comitiis Metellus cogitaret iis diebus, quibus nundinæ non essent, quæ fuerunt X. IX. Kalendas? Huc addamus & Festi verba, quæ nostram sententiam confirmant, & ab Hermolai scripto libro dissentiunt. *Nundinas*, inquit, *feriarum diem esse voluerunt antiqui, quo rustici mercandi vendendique caussa, in urbem convenirent; eumque nefastum; ne, si liceret cum populo agi, interpellarentur nundinatores.* In quo non de omnibus nundinis, sed, ut opinor, de iis significavit, quæ fuerunt ante legem Hortensiam. Nam post legem Hortensiam nundinas non inter nefastos dies, sed inter fastos fuisse, jam ostendimus. Illud non dubio Festus significat, nundinis haberi comitia non licuisse; nimirum igitur non, quæcumque sunt in scriptis libris, vera omnia sunt: sicuti in nostris conjecturis falsa quamplurima. Itaque ego, neque illos, neque has, temere soleo sequi; cum sæpe me res ipsa docuerit, quam & illi mendosi, & hæ fallaces incertæ-ve sint. Correctio tum placet, primum, cum neque a veterum librorum scriptura recedit; deinde, cum aliqua simili sententia, aliquo-ve antiquitatis exemplo confirmatur. Quæ, nisi utraque conveniunt, non aggredior ad corrigendum; sed aut, quod in præsenti non successit, in aliud tempus denuo considerandum rejicio; aut, mihi ipse meoque ingenio prorsus diffidens, aliis, quorum sit felicior industria, remitto. Erant præter eos, quos posui, dies, etiam ii, a comitiis alieni, quibus mundus patebat. Quam rotundam in comitio fossam fuisse, qua rerum omnium primitiæ & ejus soli, unde quisque profectus erat, particulæ conjectæ sunt, Plutarchus in Romulo tradit. Hæc ubi patuit, magna fuit per eos dies in urbe religio. De quo Varro sic: *Mundus cum patet, deorum tristium atque inferum quasi janua patet. Propterea, non modo prœlium committi, verum etiam delectum rei militaris caussa habere, ac militem proficisci, navem solvere, uxorem liberum quærendorum caussa ducere, religiosum est.* Omisit Varro, de comitiis: sed, quod hic omisit, invenimus apud Festum. Is de Mundo sic: *Mundum gentiles* (dictio, *gentiles*, non Festi Pompeii, sed, ut opinor, antistitis illius fuit, qui Festi libros mutilavit, qui Romanos vocavit gentiles, quia nostram religionem nondum nossent, quo modo & alii scriptores sacri locuti sunt:) *Mundum*, inquit, *gentiles ter in anno patere putabant, his diebus, postridie Vulcanalia, ante diem* III. *Nonas Octobris, ante diem* VI. *Idus; quos dies etiam religiosos judicaverunt. Itaque per hos dies non cum hoste manus conserebatur, non exercitus scribebatur, non comitia habebantur, non aliud quidquam in rep. nisi quod ultima exegisset necessitas, administrabatur.* Nec vero alienum est, ea, quæ in libro de Senatu exposuimus, huc afferre, ut, qui non comitiales dies, qui item comitiales fuerint, cognoscamus. Non enim, quia non omnes comitiales scire licet, ideo, quos licet, scire nolle debemus. Erant igitur, ut in eo libro docuimus, non comitiales, Kalendæ, Nonæ, Idus,

IV. Nonas Januarii, IIX. Idus Januarii, VII. Idus Januarii, XIX. & XIIX. Kalendas Februarii, omnes IV. Kalendas, Nonas, Idus: comitiales autem, III. Nonas Januarii, II. Nonas Januarii, omnes dies post XIIX. Kalendas Februarii: Item non comitiales, V. Idus Januarii, XVI. & IX. Kal. Februarii: quia, cum primæ anni nundinæ fuerint primo Januarii die, apparet, in diem V. Idus Januarii secundas incidisse; tertias in XVI. Kalendas; quartas in IX. Kalendas. De quo in libro de legibus plura verba fecimus. Quibus autem diebus essent nundinæ, per eos haberi comitia non licuisse, proxime ostendimus. Ergo non comitiales, V. Idus Januarii, XVI. & IX. Kal. Februarii: at Comitialis IIX. Kal. Februarii: quia, Q. Fabricium eo die ad ferendam rogationem venisse, in ea pro Sextio Cicero significat. Livius, cum de Numa rege sic ait; *Idem nefastos dies fastosque fecit; quia aliquando nihil cum populo agi* utile futurum erat; videtur significare, fastis diebus agi cum populo licuisse. Nam si nefastos fecit, ut aliquando cum populo nihil agi posset, sequi videtur, iis, qui fasti essent, semper licuisse. Quod tamen secus est. Nam etsi nefastis diebus numquam agi cum populo licuit; & fasti nefastis opponuntur, sed tantum ad eam partem, quæ ad jus dicendum pertinet: quia, sicuti fasti dicebantur omnes dies, per quos legitima illa fari verba prætori licebat, *do*, *dico*, *addico*; sic omnes nefasti, per quos fari prætori non licebat. Ergo ad hanc partem fasti & nefasti omnino contrarie opponuntur. Quod autem ad populi rationem attinet, opponuntur quidem, sed non omnino opponuntur; quia fastis diebus agere cum populo licuit; nefastis non licuit: Non opponuntur, quia nefastis numquam licuit; fastis autem neque semper licuit, neque numquam non licuit. Licuit iis fastis, qui comitiales erant; non licuit iis, qui non erant. Nam neque omnes fasti comitiales erant, neque nulli. Quod & Macrobius lib. I. Sat. & Cicero in ea de provinciis, cujus paullo ante verba recitavi, plane significat. Quod autem ibi Macrobius *profestos dies*, ait, *in fastos*, *comitiales*, *comperendinos*, *statos*, *prœliares dividi*: in eo mihi non admodum satisfacit. Nam quemadmodum omnes festi dicuntur nefasti, ut & ipse confirmat: sic omnes profestos, qui festis opponuntur, fastos esse vocandos ratio demonstrat, præsertim cum nefastos fastis esse contrarios, & ipse dicat, & Livius significet, cum ait de Numa: *Idem nefastos dies fastosque fecit*. Nam fasti nefasti sunt, qui festi & profesti dicuntur. Itaque & Macrobius, cum Livio de Numa consentiens, sic ait: *Numa dies omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos, vocavit*. Quos enim Livius nefastos, hic festos, nominavit; quos ille fastos, hic profestos. Cum igitur profesti & fasti iidem sint: considerandum est, satisne recte Macrobius fecerit, qui profestos divisit in fastos, comitiales, comperendinos, statos, prœliares: cum fastos & profestos primum eosdem facere debuerit, sicuti re vera iidem sunt; deinde eos in comitiales, comperendinos, statos, prœliares distribuere. Nam, si comitiales, comperendini, stati, prœliares, ut inter se differunt, ita profesti omnes sunt: necessario sequitur, ut iidem omnes fasti sint: quando fastos & profestos eosdem esse jam ostendimus. Quod si sunt omnes fasti, cur, tamquam non sint, in quinque partes distribuuntur profesti, & pro una parte fasti ponuntur, alii pro reliquis? Verum de scriptoribus antiquis timide & verecunde loquimur. Non enim, si quid in eorum libris deprehendimus, quod ipsi minime probemus, statim erumpendum est ad illud, Macrobius errat, Quinctilianus ignorat, male sentit Cicero. Illos ego fateor in litteris fuisse viros, & excellentes viros. Nos pueri sumus, & juvenili quodam impetu prolabimur; ambitione peccamus; & videri malumus, quam esse. Itaque si quis aliquam antiquæ notitiæ partem primis tantum, quod ajunt, labris degustaverit, statim, quasi omnem scientiam exhauserit, ita cupit effundere. Quo mirari minus licet, si, cum ea, quæ a nostris ingeniis immature atque ante diem eduntur, æternam vitam vivere cupiamus; contra tamen fit, ut, nobis viventibus, exstincta lugeamus.

Diximus, agi cum populo, nisi comitialibus diebus, non licuisse. Non satis est hominibus curiosis. Quæritur, ipsis comitialibus agi-ne semper cum populo liceret. Aliud enim est, nullis diebus, nisi comitialibus, agi cum populo licere; aliud comitialibus agi semper licere. Certum est, comitiales dies a comitiis esse dictos; quod iis tantum haberi comitia liceret. Verum, quod licet, non idem etiam necesse est. Potest enim fieri, ut, quod licet, non tamen fieri necesse sit; quod autem necesse est, id ut ne fiat, fieri non potest. Licuit igitur, comitialibus diebus cum populo agi: sed, quia non simul necesse fuit, ideo sæpe actum non est. Quid igitur obstitit, cur, agi cum liceret, non ageretur? Religio: cujus Romani maximam semper rationem habuerunt: non tam, credo, ut pietatem colerent; (tametsi hoc ego illis primum fuisse non negaverim) quam quod intelligebant, optimum id esse, atque arctissimum in Rep. vinculum incolumitatis. Nisi enim deorum metu civium animi contineantur, ad contemptum religionis paullatim sequitur etiam contemptus legum. Leges porro ubi contemnuntur, nihil cujusquam proprium, nihil in rep. diuturnum esse potest. Fuit igitur Populus Romanus, & jure fuit, in colenda religione plurimus: nec a rebus divinis ob humanas, sed ab humanis ob divinas cessavit. Itaque festis diebus numquam habita comitia sunt: at comitialibus honor sæpe diis immortalibus habitus est, & comitia dilata. Cum enim aut supplicationes, aut conceptivæ feriæ, aut imperativæ indicerentur; tunc, si in dies comitiales inciderent, agi cum populo non licebat. Itaque Consul Cn. Cornelius Lentulus Marcellinus, cum impedire vellet, quo minus a tribunis pl. leges iniquissimæ ferrentur, indixit, ut Latinæ feriæ, quæ inter conceptivas a Macrobio numerantur, instaurarentur, & supplicationes haberentur. De quo sic ad Q. Fratrem Cicero lib. II. epistola, *Placiturum. Consul est egregius Lentulus, non impediente collega, sic inquam bonus, ut meliorem non viderim; dies comitiales exemit omnes; nam etiam Latinæ instaurantur; nec tamen deerant supplicationes; sic legibus perniciosissimis obsistitur, maxime Catonis*. Et apud Dionem lib. XXXIIX. legimus, Bibulum Consulem, ne ullam omnino legem ejus collega Cæsar ferre posset, supplicationes in reliquos omnes anni dies indixisse. Et M. Varro, non licuisse comitialibus diebus cum populo agi propter ferias conceptas, libro V. de lingua Latina significat, his verbis: *Comitiales dicti, quod tum, ut esset populus ad suffragium ferendum, constitutum est, nisi si quæ feriæ conceptæ essent, propter quas non liceret, ut Compitalia, Latinæ.* Idem puto de feriis imperativis: quas, ut ait Macrobius, Consules, vel Prætores, arbitrio imperativæ feriæ pendebant: quis dubitet, sæpe ab iis, vel hanc unam ob caussam, esse imperatas, ut comitiales tollerentur, hoc est, ut improbis ac seditiosis tribunis agere cum populo non liceret? non enim puto a Consule, aut Prætore conceptas imperatasve ferias esse, ut comitia magistratuum, sed ut comitia legum impedirent: at quarum legum? non omnium, sed earum, quas tribuni pl. ferre conarentur; quas Reip. perniciosas sæpe fuisse, constat. Consul autem, ut Consuli leges ferenti, esset impedimento, raro, ut opinor, contigit. Unum fere Cæsaris & Bibuli exemplum historiæ produnt: quorum consulatus perpetuis contentionibus transductus est. Tollebantur igitur comitiales dies supplicationibus & feriis, aut conceptis, aut imperatis. Erant aliæ quoque caussæ, quibus agi cum populo diebus comitialibus non liceret; ut, cum

de cœlo ſervabatur ; cum obnunciabatur ; cum Juppiter tonabat ; cum eo morbo, qui inſputatur, aliquis corruebat ; cum Senatus conſultum vetabat . Sed primæ duæ cauſſæ hoc habent differentiæ : quod ad impedienda comitia ſatis erat ſervare de cœlo , etiamſi non obnunciaretur ; at obnunciare nemo poterat , niſi prius de cœlo ſervaſſet . Quid enim obnunciaretur ? nempe adverſum aliquod ſignum, quod ſervanti de cœlo apparuiſſet. Hanc differentiam, ex Pædiani verbis , quæ ſunt in commentario orationis in Piſonem, licet cognoſcere. Sunt enim hæc: *Legem P. Clodius tulit, ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret*. Ex his verbis conſtat, opinor, ei, qui ſervaret de cœlo, non neceſſe fuiſſe, ut etiam obnunciaret ; At vero, neminem obnunciaſſe, niſi jam de cœlo ſervaſſet, inde patet, quod, ſublato Clodii lege vetuſto more ſervandi de cœlo, ſimul obnunciandi mos ejuſdem legis ſententia ſublatus eſt. Id ejuſdem Pædiani , eodem in loco, proxima verba declarant. Nam cum dixiſſet, *Legem tulit Clodius , ne quis per eos dies, quibus cum populo agi liceret, de cœlo ſervaret* ; intulit : *Propter quam rogationem Legem Fuſiam & Æliam, propugnacula & muros tranquillitatis atque otii , everſam eſſe*. Obnunciatio enim , qua perniciosis legibus obſiſtebatur, quam Ælia lex confirmaverat, erat ſublata. Utra igitur, inquit aliquis , erat certior ac validior impediendi ratio; cum ſervaretur de cœlo , nec obnunciaretur ; an cum obnunciaretur , poſtquam de cœlo ſervatum eſſet ? Dicam quod ſentio. Utraque ratio ſatis valuit ad impediendum. Sed , cum prior ſimplex ſit ; hoc enim unum conſideramus, ſervare de cœlo : poſterior autem duplex; non eſt enim obnunciare , niſi prius fuit, ſervare de cœlo : plus in poſteriore fuiſſe ponderis exiſtimaverim . Non enim dubito , quin majore ſe religione obſtringi populus Romanus putaret, ſi malum ſignum ab eo, qui de cœlo ſervaſſet, nunciaretur, quam ſi ſervaret quidem aliquis de cœlo, nihil tamen nunciaret. Poteſt enim aliquis ſervare de cœlo; nec tamen, quod mali ominis ſit, ſignum ullum videre. Quod ſi ſervare de cœlo tantum ſuiſſet , quantum obnunciare, quorſum obnunciaretur ? quod ſæpiſſime factum eſſe legimus. Cur non id unum , quod ſatis eſſet , ageretur ? cur , quod neceſſarium non eſſet, adderetur ? Age, quoniam hæc, quia ſunt a conjectura , fortaſſe paullo minus putantur certa : videamus , an conjecturam confirmare liceat exemplo. *Q. Metellus Nepos, Conſul, cum habere comitia cuperet ædilibus cur. creandis ; & Marcellinus , qui erat augur & conſul deſignatus, proſcripſiſſet, ſe per omnes dies comitiales de cœlo ſervaturum ; comitia tamen habere conatus eſt ; & habuiſſet, niſi T. Annius Milo tribunus pl. obnunciaſſet . Servante igitur de cœlo Marcellino, Metellus comitiis non abſtinuit ; obnunciante Milone , abſtinuit*. Hoc enim libro IV. ad Atticum, Epiſtola, *Avere*, ſcriptum eſt. Quo in loco jure aliquis dubitaverit, cur Marcellinus, cum impediendis comitiis de cœlo ſervaret, non idem obnunciarit : quam eſſe certiorem impediendi rationem non ignorabat. Cur ipſe de cœlo ſervavit, Milo autem obnunciavit ? Non unus Marcellinus utrumque potuit ? Reſpondetur dubitanti. Servavit de cœlo Marcellinus ; quia licebat , ut auguri ; non obnunciavit, quia magiſtratum non gerebat. Nam auguri ſervare de cœlo licuit ; obnunciare non licuit; magiſtratibus utrumque licuit. Alterum igitur Marcellinus fecit, quia erat augur ; alterum non fecit, quia magiſtratum non gerebat. Milo autem , cum eſſet in magiſtratu, (erat enim , ut dixi, tribunus pl.) & ſervavit de cœlo, & obnunciavit. Sed exempla requiruntur , ut ea, quæ dicimus, librorum teſtimonio confirmentur. Satisfaciam. Primum igitur Feſti Pompeii verba recitabo: quæ auguribus ſpectionem fuiſſe ſine nunciatione ſignificant. *Specere* enim, unde *ſpectio* eſt , antiqui dicebant , pro ſervare de cœlo. Sic igitur Feſtus : *auguribus ſpectio dumtaxat, quorum conſilio rem gererent magiſtratus, non ut poſſent impedire nunciando, quæ tum vidiſſent : ſed iis ſpectio ſine nunciatione data eſt, ut ipſi auſpicio rem gererent, non ut alios impedirent nunciando*. Auguribus igitur hoc unum licuit, ſpecere, hoc eſt, ſervare de cœlo ; Magiſtratibus autem, ut plus, quam auguribus, fuiſſe conſtet , hoc eſt, & ſervare de cœlo , & obnunciare ; Ciceronis verba recitemus in II. Philippica. *Hic*, inquit, *bonus augur eo ſe ſacerdotio præditum eſſe dixit, ut comitia auſpiciis vel impedire, vel vitiare poſſet : idque ſe facturum eſſe aſſeveravit . In quo primum incredibilem ſtupiditatem hominis cognoſcite. Quid enim ? iſtuc, quod te ſacerdotii jure facere poſſe dixiſti , ſi augur non eſſes , & conſul eſſes, minus facere potuiſſes ? vide , ne etiam facilius*. Diſputat cum Antonio augure, & conſule: & ait , facilius eum , jure conſulatus , quam jure auguratus , impedire, aut vitiare comitia potuiſſe . Cur facilius ? nimirum, quia, cum eſſet conſul, & ſervare de cœlo poſſet, & obnunciare, vel ſi augur non eſſet : quod ſi augur tantum eſſet, ſervare quidem ei de cœlo liceret ; obnunciare autem non liceret. Stupidum igitur vocat, qui hoc non intellexerit. Proxima vero, quæ ſequuntur, Ciceronis verba, non dubito, quin præpoſtero ſint ordine collocata. Nam cum ſit in omnibus, quos viderim, impreſſis libris, *Nos enim nunciationem ſolum habemus, conſules, & reliqui magiſtratus etiam ſpectionem* : poſtulare videtur ſententia, ut , duabus dictionibus loco motis , & altera in alterius locum tranſlata , ita legatur : *Nos enim ſpectionem ſolum habemus, conſules, & reliqui magiſtratus etiam nunciationem*. Nos enim, dixit, pro augures : quia Cicero erat augur; quod nemo, qui ejus ſcripta legerit, ignorat. Quoniam igitur augures ſpectionem ſolum ; conſules, & reliqui magiſtratus etiam nunciationem habebant, ideo facilius Antonius, quia conſul, quam quia augur, impedire comitia potuiſſet. Sequitur de Jove Tonante. *Tonare enim Jovem*, antiqui dicebant, cum tonitrua exaudiebantur . Quod ſi , dum populus in comitiis erat, contigerat ; ſtatim, quaſi Juppiter adverſa minaretur , comitia diſſolvebantur . Hinc illud , Philippica V. *Jove Tonante, cum populo agi non eſſe fas, quis ignorat* ? Et apud Plutarchum in Catone Uticenſe legimus, Magnum Pompeium, cum a prima tribu prætorem Catonem eſſe factum videret ; nec dubitaret, quin prærogativæ judicium reliquæ tribus ſequerentur ; tonitrua ſe audiviſſe mentitus, comitia diſſolvit. His de cauſſis, præſertim duabus poſtremis, ſæpe factum eſt, ut, ſuffragiis omnibus jam perlatis, nihil tamen ſtatueretur, ſed in alium diem tota res aliaque comitia rejicerentur . Quod in prætoriis Ciceronis comitiis accidiſſe legimus in oratione pro lege Manilia. Sic enim in ea ſcriptum eſt : *Cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus ſum , facile intellexi, Quirites , & quid de me judicaretis ; & quid aliis præſcriberetis*. De *morbo*, qui inſputaretur, qui eſt idem ; & *major* ; &, quia comitia prohibebat, comitialis dictus ; exemplum habemus in Feſto Pompeio , qui etiam Catonis ex oratione locum recitat : *Prohibere, inquit, comitia, dicitur vitiare diem morbo, qui vulgo quidem major, ceterum ob id ipſum comitialis appellatur . Cato in Oratione , quam ſcripſit de ſacrilegio commiſſo : Domi cum auſpicamus, honorem me deum immortalium velim habuiſſe . Servi, ancillæ, ſi quis eorum ſub centone crepuit, quod ego non ſenſi, nullum mihi vitium facit. Si cui ibidem ſervo, aut ancillæ dormienti evenit, quod comitia prohibere ſolet, ne id quidem mihi vitium facit*. Animadverti & ſenatus conſulto factum eſſe, ne die comitiali comitia jam indicta haberentur , ut Cicerone , Antonio Conſulibus. Nam cum L. Sergium Catilinam nova moliri , &

perniciosa Reipubl. cogitare percrebuisset: Consul Cicero ad senatum retulit, senatusque decrevit, ne postero die comitia, quibus consulatum Catilina petiturus erat, haberentur; ut iis de rebus, quæ in Catilinam conferebantur, in senatu posset agi. Credo, ob eam caussam; quia speraret Cicero, senatum esse decreturum, ut ne petentis Consulatum Catilinæ proximis comitiis ratio haberetur. Quod tamen decretum non esse, in ea pro Murena significat, his verbis: *Congemuit senatus frequens; neque tamen satis severe, pro rei indignitate, decrevit*. Octo caussas, quibus agi cum populo comitialibus diebus non liceret, exposuimus, supplicationes, ferias conceptivas, ferias imperativas, spectionem, obnunciationem, tonitrua, morbum comitialem, senatus consultum. Omnes, postrema excepta, ad religionem referuntur; diversa tamen ratione. Nam ut supplicationibus & feriis omitterentur comitia, honorque diis immortalibus haberetur, pietatis erat: spectionis autem, obnunciationis, tonitruum, morbi comitialis, caussa, ut a comitiis abstineretur, metu magis, quam pietate, fiebat. Nihil enim e Rep. fieri putabatur, nisi prius, id a diis probari, signis intelligeretur. Senatus consultum non a religione, sed a Reip. periculo pendebat. Satis de diebus comitialibus.

CAP. IX.

Comitia quibus de caussis habita sint.

POSTREMUM illud fuit, legum & magistratuum caussa comitia esse facta; non enim tantummodo lex ea dicitur, quæ aut de jure civili, aut de criminibus fertur: sed cum aut de bello indicendo, aut de provincia mandanda, aut de imperio abrogando, aut de cive judicando, aut aliis de rebus, (sunt enim hujus generis multæ) populus consulitur, tum quoque lex ferri dicitur. Quæ cum liceat exemplis singula confirmare; supersedebo tamen: non ut hanc partem omnino omittam, sed ut in eum locum reservem, ubi de tributorum comitiorum caussis agetur. Quemadmodum igitur, cum dicimus legum magistratuumque caussa comitia esse facta, communiter omnibus de comitiis loquimur: sic omnium comitiorum communis videtur condicio fuisse; ut, antequam suffragium populus iniret, in incertum comitiorum eventum patres auctores fierent; hoc est, quod populus jussurus esset, id patres ante comprobarent; ait enim Livius lib. I. sic: *Decreverunt, ut, cum populus Regem jussisset, id sic ratum esset, si patres auctores fierent. Hodie quoque in legibus magistratibusque rogandis usurpatur idem jus, vi ademptum: priusquam populus suffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt*. His verbis, ut dixi, videtur hoc significari, omnibus comitiis patres auctores fieri; siquidem omnibus comitiis & leges & magistratus rogantur: verum aliter res habet; non enim iis comitiis, quæ plebeius magistratus habebat, quæ tributa dicebantur; sed iis, quæ patricius, hoc est, centuriatis & curiatis, patres auctores fiebant. Qui enim credibile est, auctoritate patrum comitia tributa confirmari oportuisse; cum patres, ut lib.II. Livius docet, iis comitiis, quibus plebeii magistratus crearentur, Voleronis Tribuni plebis lege summoti sint? Vero igitur similius est, non de omnibus comitiis, sed tantum de centuriatis & curiatis, quibus adesse patriciis licebat, Livium intellexisse. Sed, quoniam potest esse aliquid verisimile, nec tamen verum, recitabo Livii verba lib.VI. ut hoc, de centuriatis & curiatis comitiis, verum esse potius, quam verisimile, videatur. Sic igitur lib. VI. *Non leges auspicio ferantur; non Magistratus creentur; nec centuriatis, nec curia-*

A *tis comitiis patres auctores fiant*. Quod si quis uno Livii exemplo contentus non est, audiat Ciceronis vocem, in oratione pro domo sua. *Populus*, inquit, *Romanus brevi tempore neque Regem sacrorum, neque Flamines, neque Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes, neque auctores centuriatorum & curiatorum comitiorum*. Patet igitur, opinor, quibus de comitiis lib.I. Livius intellexerit. Illud animadvertendum, quam valde sit imminuta senatus potestas: qui, cum in creandis Regibus populi judicium infirmare posset, (quod enim populus jusserat, id ratum non erat, nisi deinde patres auctores fierent) mutata consuetudine, factum est, ut B non post lata suffragia, sicuti per multos annos servatum erat, sed priusquam suffragium iniretur, patres auctores fierent, &, quidquid omnino populus jussurus esset, ante confirmaret. Quod ætate sua fieri Livius ait: quanto autem ante fieri cœperit, non indicat. Sed Cicero, non paucis ante annis institutum esse, in oratione pro Plancio significat, his verbis: *Nam, si ita esset, quod patres apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum; id haberent judices, vel quod multo etiam minus est faciendum; tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant fa-* C *cti: nunc postulatur a vobis, ut ejus exsulio, qui creatus sit, judicium populi Romani reprehendatis*. Non significat, patres desiisse prorsus auctores fieri; ut neque ante inita suffragia, neque post aut approbarent, aut improbarent comitia: sed desiisse auctores fieri post habita jam comitia: quod Livii verba declarant. Ita quod Livio deest, a Cicerone sumitur; quod in Cicerone paullo obscurius est, ex Livio patefit. Est-ne aliquid præterea, quod omnium comitiorum commune fuerit? est. Nam post legem Hortensiam, de qua in libro de legibus mentio facta est, quibuscumque comitiis lex ferretur, omnes Quirites tenebantur: cum antea rogationibus, quæ tributis D comitiis latæ essent, patricii non tenerentur. Centuriatis igitur, quorum summa semper fuit potestas, Q. Hortensii Dictatoris lege tributa comitia sunt æquata. Opinor & illud inter comitiorum generalia fuisse, ne cujus absentis in petitione Magistratus ratio haberetur. Quod tamen non per omnia Reip. tempora servatum; (nam, multis absentibus, atque etiam non petentibus consulatum esse delatum, historiæ loquuntur) sed postremis annis usitatum atque legitimum video fuisse; quia, ut absenti Cæsari consulatum petere liceret, Pompeio consule ferente, populus jussit. Sic enim a Cicerone & ab aliis E traditum est. Quod si, ut Cæsari liceret, populus jussit: certe, antequam juberet, non licebat; non enim jussisset, si licuisset. Quod autem in petitione consulatus non licuisse, Cæsaris exemplum demonstrat: id nec in ceteris magistratibus, qui aut centuriatis, aut tributis comitiis peterentur, licuisse, credendum est. Dicerem & illud omnibus comitiis convenisse, ut nihil, nisi auspicato, ageretur: de quo Livius lib.III. sic: *Augures jussos adesse ad Regillum lacum fama exierat; locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo posset agi; ut, quidquid Romæ vi tribunicia rogatum esset, id comitiis ibi abrogaretur*. Verum, ne hoc ita existimem, facit Dionysius lib.IX. F qui inter centuriata & tributa comitia cum alia quædam diversa scribit fuisse, tum hoc maxime, ut centuriata semper auspicato, tributa sine auspiciis sineque omni religione fierent. Quod cum ita sit, aut de comitiis centuriatis intellexit Livius lib.III. cum dixit, *ubi auspicato cum populo posset agi; quibus leges tribunicias Consul L. Quinctius Cincinnatus abrogare velle videretur*: aut distingue, & dic, tributa comitia, si a plebeiis magistratibus, hoc est, a tribuno plebis & ædile plebis facta sint, sine auspiciis, ut ait Dionysius, esse facta; sin a patriciis magistratibus, cum auspiciis. Erant enim auspicia pa-

triciorum; ut ex Cicerone & Livio est videre. Potuit igitur auspicato tributis comitiis Consul Cincinnatus cum populo agere, quia consulatus patricius erat magistratus; Tribunus autem plebis aut ædilis plebis auspicato agere nemo potuit; de quibus tantum & ipse Dionysius videtur significare; nam, cum illam centuriatorum & tributorum comitiorum differentiam posuisset, eodem libro, non ita multo post, subjunxit, ab eo tempore usque ad hanc diem, ad tribunorum ædiliumque comitia sine auspiciis sineque omni religione tribules conciones suffragia ferunt. Patricios autem magistratus auspicato creatos esse, minime dubitaverim: quia lib. II. de Natura Deorum, & in ea pro Murena, consules significat. Quare sic fortasse vere statueretur, omnia comitia, sive tributa, sive centuriata, tum auspicato esse habita, cum a patricio magistratu haberentur. Fuit etiam omnium comitiorum commune, cum quidem legum caussa haberentur; ut primum privati, deinde magistratus eam legem, quæ rogabatur, suaderent, aut dissuaderent. De quo quia pluribus verbis egimus in libro de legibus, ubi de iis, qui legem suaderent, aut dissuaderent, mentio fit, hic monere tantum satis fuit, reliqua inde petantur.

CAP. X.

Comitiorum curiatorum origo.

CURIATA comitia centuriatis antiquiora fuisse, ea, quæ supra diximus, declarant. Nam a Romulo ad Ser. Tullium, qui Romæ sextus regnavit, populum curiatim ad suffragia coiisse, ex Dionysio cognoscitur. Ita, sive roganda lex esset, sive magistratus aliquis, aut etiam Rex ipse creandus, aut omnino aliquid, quod alicujus esset ponderis, statuendum, curiatis comitiis peragebatur; &, ut scripsit Lælius Felix, cujus verba Gellius recitat, quemadmodum qui ejusdem erant census & ætatis, in suis centuriis, separati ab aliis, suffragium ferebant; qui ejusdem regionis & loci, in sua quisque tribu: sic, cum curiata comitia haberentur, pro generibus omnium curiæ distinguebantur: ut, qui essent e genere senatorum, in decem senatoriis curiis suffragium ferrent; qui e genere equitum, in equestribus; qui peditum, in pedestribus. Numerum autem curiarum in unoquoque genere neque apud Gellium, neque omnino apud quemquam legimus. Sed, ut cum ad aliquid probandum ratio deest, confugimus ad exemplum: sic, ubi exemplo caremus, confugere ad rationem necesse est; postulat igitur ratio, ut in comitiis non plus pedites possint, quam aut senatores, aut etiam equites; sed pari condicione, cum omnes æque cives sint, in suffragiis utantur. Sequitur igitur, ut denæ cujusque ordinis curiæ fuerint; quod si, quo in ordine plures homines erant, ibi plures curiæ fuissent, semper ad peditum voluntatem, qui numero præstabant, comitiorum exitus consecutus esset: quo quid iniquius, aut quid imprudentius fieri potuit in ea civitate, quam tum primum nascentem nihil magis alere, quam æqualia jura, parque omnium condicio posset? Post Servii Regis censum omnia curiis jura sunt erepta, & ad centurias translata: ut tamen jus illud dandi magistratibus imperii, quod ab initio curiæ habuerant, perpetuum illis manserit; quod Cicero Liviusque significant. Itaque non modo consules, qui de patribus primo creabantur, sed & tribunos plebis centuriatis comitiis esse factos, ex Livii lib. II. & Dionysii lib. IX. plane constat; tametsi tribunorum creationem post annos XVII. a centuriatis ad tributa Voleronis lege esse translatam, iidem Livius & Dionysius narrant; quod autem factum est in tribunis creandis Ap. Claudio, T. Quinctio cos.

A idem annis jam ante XIIX. factum erat in civibus judicandis, ut de capite civis, non, ut ante, centuriatis, sed tributis ageretur; quod in Cn. Marcii Coriolani caussa institutum est, M. Minucio, A. Sempronio cos. Ita primum in judiciis capitalibus, deinde plebeiis in magistratibus centuriata comitia sunt immutata; tributaque eorum loco restituta.

CAP. XI.

Comitia tributa a quibus haberentur.

B TRIBUTA comitia primo, aut a Regibus, aut, si creandus Rex esset, ab Interregibus habebantur. Reges ipsi non tributis comitiis omnes, neque eodem modo creati sunt. Romulus, urbis conditor, insignibus imperii sumptis, trabea, & lictoribus duodecim, quot Regibus Etruscis apparere consueverant, ipse se Regem suo populo constituit. Numam, si Livio credimus, senatus creavit; cum populus eam potestatem, a patribus acceptam, ad eosdem, a quibus acceperat, transtulisset. Sed Plutarchus, Sabinis, quos in urbem Romulus receperat, & Romanis de Rege creando diffidentibus, C ait ita convenisse, ut altera pars ex altera Regem crearet: ita Sabinum hominem Numam Pompilium, qui tum Curibus habitabat, a Romanis creatum: qui, per legatos accitus, cum Romam venisset, prolato a Sp. Vettio senatus consulto, suffragium omnes cives tulisse, quod de Numa decretum erat, omnes confirmasse. Uterque prius a senatu Regem Numam esse lectum videtur consentire; de populo dissentiunt; mihi in rebus Romanis certior auctor Livius est. Itaque illum sequar potius, quam Plutarchum. Tullum Hostilium, Interrege comitia habente, primum tributis comitiis Regem populus jussit. Patres auctores facti; sic enim post obitum D Romuli senatum decrevisse Livius ait, cum de Rege creando potestatem populo permisit; adjecta condicione, ut, cum populus Regem jussisset, id ita ratum esset, si patres auctores fierent; eademque in Anco Marcio Rege creando servata ratio est. Nec alio jure Priscus Tarquinius regnum accepit. Ser. Tullius, injussu populi, voluntate patrum, primus regnavit: qui tamen post aliquot annos, cum maxime omnium, qui Romæ regnarunt, rem Romanam præclaris factis institutisque & legibus saluberrimis locupletasset & constituisset; ipse ad populum tulit, vellent juberent ne se regnare; tantoque consensu, quanto haud quisquam alius ante, Rex est E declaratus. Nec dubium est, quin centuriatis comitiis, quæ ipse instituerat, non, ut tres ante illum proximi Reges, tributis creatus sit. L. Tarquinius, cui Superbo cognomen a factis fuit, unus neque populi jussu, neque patribus auctoribus regnavit. Regno sublato, & republica constituta, a minoribus magistratibus tributa comitia habita sunt: quos tributis comitiis creatos, ex libro M. Messallæ de auspiciis primo Gellius lib. XIII. docet; nec tamen ab omnibus plane minoribus habebantur, sed ab iis, quorum inter minores potestas major erat, id est, a quæstore, a tribuno plebis, ab ædili plebeio, at- F que etiam a curuli. Nam Cn. Flavium ædilem curulem tributis comitiis creatum, ædili comitia habente, patet ex historia L. Pisonis, quam lib. VI. idem Gellius recitat. Nam quod tributis comitiis, quæ creandis quæstoribus habebantur, unus ex quattuor tribunis mil. consulari potestate A. Sempronius Atratinus præfuerit: (sic enim scribit Livius lib. IV.) id factum est, quia quæstores, anno peracto, magistratu exierant; cum propter plebis patrumque contentiones, comitiis omnibus dilatis, ad interregnum deducta res esset; primum enim ab interrege tribuni mil. consulari potestate, qui summus erat magi-

ſtratus, creati ſunt: deinde, cum, qui comitia quæſtoribus creandis haberent, quæſtores non eſſent, habuit unus ex ipſis tribunis Sempronius Atratinus: ſed hoc extra ordinem caſuque ita ferente factum eſt; illud ex ordine & conſuetudine quod, cum & de ſingulis magiſtratibus & de iiſdem candidatis bina comitia habita ſint, ut in oratione II. in Rullum, & in ea pro Plancio, & in Pædiano legimus, priora tributa de minore magiſtratu a Conſule habita ſunt: quod cum e Ciceronis epiſtola ad Atticum lib.IV. conjici videtur poſſe, in qua Milonis tribuni plebis obnunciatione factum eſſe ſcribit, ne Metellus Conſul ædilium curulium comitia potuerit habere, tum hæc in oratione pro Plancio verba declarant. *Sed cur ego ſic ago? quaſi non comitiis jam ſuperioribus ſit Plancius deſignatus ædilis; quæ comitia primum habere cœpit Conſul, tum omnibus in rebus ſumma auctoritate, tum harum ipſarum legum ambitus auctor: deinde habere cœpit ſubito, præter opinionem omnium, ut, ne ſi cogitaſſet quidem quiſpiam largiri, daretur ſpatium comparandi; vocatæ tribus, latum ſuffragium, deſcriptæ, renunciatæ, longe plurimum valuit Plancius.* Quibus verbis, cum bina fuiſſe tributa comitia de minore magiſtratu, tum a Conſule priora eſſe habita, manifeſtum eſt. Poſteriora vero, quin a minore magiſtratu habita ſint, cum exempla exſtent permulta, dubitare non licet, ædilicia ſcilicet ab ædili; tribunicia a tribuno; quæſtoria a quæſtore. De binis autem comitiis ego ita ſtatuo: neminem geſſiſſe magiſtratum, niſi quem populus, bis ſuffragiis latis, magiſtratu dignum judicaſſet. Quod ſi priora comitia poſterioribus comprobarentur, magiſtratum habebat is, qui utriuſque comitiis probatus eſſet; ſin a prioribus poſteriora diſſentirent, jacebat candidatus is, in quem prioribus comitiis populi voluntas inclinaverat; rurſuſque de alio candidato ſuffragia ferebantur eadem, qua dixi ratione, ut omnino binis de eodem candidato comitiis judicium populi cognoſceretur: ſed opinor admodum raro factum eſſe, ut, quod prioribus comitiis populus voluerat, id poſterioribus reprehenderetur. Factum tamen aliquando eſſe, videntur illa verba ſignificare, quæ ſunt in oratione pro Plancio. *Quo quidem tempore, ſi id, Laterenſis, facere voluiſſes; aut ſi gravitatis eſſe putaſſes tuæ; quod multi nobiles ſæpe fecerunt; ut, cum minus valuiſſent ſuffragiis, quam putaſſent, poſtea, prolatis comitiis, proſternerent ſe, & populo Romano fracto animo atque humili ſupplicarent, non dubito, quin omnis ad te converſura ſe fuerit multitudo; numquam enim nobilitas, integra præſertim atque innocens, populo Romano ſupplex, repudiata fuit.* Pædianus autem, cum de binis comitiis meminit, cur dixerit in utriſque rogatas eſſe tribus, quos vellent Conſules fieri; valde mirarer, niſi corruptum eſſe locum exiſtimarem: vix enim credibile eſt, Pædianum ignoraſſe, quod in omnibus veterum libris ſcriptum videmus, Conſules a centuriis creatos eſſe; quare peritum antiquitatis hominem tam pueriliter erraſſe, mihi quidem perſuaderi non poteſt; mendum ſubeſſe, & aliquid fortaſſe deſiderari facile crediderim, cujuſmodi & alia in illius commentariis loca animadvertimus. Erant igitur, ut dixi, de minore magiſtratu bina tributa comitia; priora a Conſule; poſteriora a minore magiſtratu habita: priora infirma, niſi poſterioribus comprobarentur; poſteriora poteſtatis abſolutæ; utraque ſine ſenatus conſulto; dicerem & utraque ſine auſpiciis, non hoſtiis immolatis, non ſacris perfectis; quæ omnia præiiſſe centuriatis comitiis, duobus libris IX. & X. Dionyſius ſignificat. Sed perturbor Meſſallæ auguris auctoritate, cujus hæc ſunt verba libro I. de auſpiciis, quæ lib.XIII. Gellius recitat: *Patriciorum auſpicia in duas ſunt poteſtates diviſa; maxima ſunt conſulum, prætorum, cenſorum; reliquorum magiſtratuum minora ſunt auſpicia; ideo illi minores, hi majores magiſtratus appellantur.* Ex his verbis minores quoque magiſtratus auſpicato creatos eſſe conſtat; qui cum tributis comitiis creati ſint, ſequitur, ut in tributis comitiis, contra quam ſentire Dionyſius videtur, auſpicia ſervarentur. Aut igitur Meſſalla, aut Dionyſius erraverit neceſſe eſt. Ita videtur. Sed cum iiſdem temporibus uterque fuerit, & uterque non ſolum de more majorum, ſed etiam de ſui temporis conſuetudine loquatur: nos, qui ab illorum ætate tam longe diſtamus, de tantis viris ſententiam ferre impudentiæ eſt. Ego quidem, quod ad me attinet, tantum abeſt, ut alterutrum damnem, ut me potius hebetem eſſe ad intelligendum, quam illos imperitos, aut mendaces in ſcribendo confitear. Sed quoniam eſt inſtituti mei, primum dubitationibus eorum ingenia, qui hæc noſtra legerint, acuere atque exercitare; deinde aliquid afferre, quod ad tollendam dubitationem ita valeat, ut ea valere ſolent, quæ probabilia videntur: alterum cum jam fecerim, alterum aggrediar; objectamque dubitationem ut de medio tollam, pro viribus enitar. Magiſtratus erant Romæ, tum patricii, tum plebeii: patricii dicebantur, qui primo de patribus creati; plebeii, qui de plebe. Ex his minores erant, quæſtor, ædilis plebis, tribunus plebis, ædilis curulis; Majores, prætor, conſul, cenſor: minorum, alii patricii, alii plebeii, majores, patricii omnes. De minoribus erant patricii, quæſtor, & ædilis curulis; plebeii, ædilis plebis, tribunus plebis. De quæſtoribus teſtem habeo Livium lib.IV. cum ait: *Conſulibus tribuni plebis certamen intulerunt, ut pars quæſtorum* (nam ad id tempus patricii creati erant) *ex plebe fieret*. De curulibus idem Livius lib.VI. in extremo, & libro VII. in principio ſcriptum reliquit. Cum igitur ait Dionyſius lib.IX. *tributa comitia ſine auſpiciis fuiſſe*, intelligit ea comitia, quæ plebeiis magiſtratibus creandis haberentur: qui enim Voleronis lex, de qua tunc Dionyſius agit, ad omnes minores magiſtratus, tam patricios, quam plebeios, pertinuit, id eſt, ad quæſtorem, ædilem plebis, tribunum plebis, ædilem curulem; cum eo tempore non a populo, ſed a conſulibus quæſtores fierent; curules autem ædiles nondum eſſent inſtituti? Nam, quæſtores creari a populo cœptos eſſe anno poſt urbem conditam LXIII. id eſt, multis poſt latam a Volerone legem annis, legimus in hiſtoria Taciti lib.XI. hunc enim potius ſequor, quam Junium Gracchanum, quem nominat Ulpianus, contra ſentientem. Fuit igitur Voleronis lex de plebeiis tantum magiſtratibus, id eſt, de ædili plebis & tribuno plebis; quod tum a Livio lib.II. ſignificatur, his verbis: *Rogationem Volero tulit, ut plebeii magiſtratus tributis comitiis fierent*: tum ab ipſo Dionyſio confirmatur lib.X. cum ait: *Ab eo tempore ad hanc diem in tribunorum ædiliumque comitiis, ſine auſpiciis, ſine ulla religione, populus tribunicia ſuffragia fert*. Conſentit igitur cum Livio Dionyſius: quia de minoribus magiſtratibus plebeios tantum nominat, omiſſis quæſtore & ædili curuli, qui poſt Voleronis legem a populo creati ſunt. Quod ſi plebeii tantum magiſtratus ex Voleronis lege & tributis comitiis & ſine auſpiciis creati ſunt: ſequitur, ut minores reliqui magiſtratus, qui erant patricii, auſpicato creati videantur, de quibus intellexit Meſſalla, cum dixit: *Reliquorum magiſtratuum minora ſunt auſpicia*; dixit enim non de cunctis minoribus, ſed de minoribus patriciis: Dionyſius autem nec ipſe de minoribus cunctis, qui deinde in republica fuerunt, ſed de cunctis, qui, cum Volero legem tulit, minores erant: quos fuiſſe patricios diximus. Nam, ſi de cunctis minoribus intellexiſſet, non, in tribunorum ædiliumque comitiis, dixiſſet, ſed, in minorum magiſtratuum comitiis. Cum igitur de minoribus magiſtratibus ſolos plebeios nominaverit: ſatis arguit, eorum, quos non

nominat , diversam condicionem fuisse . Ergo , ut A de tributorum comitiorum auspiciis concludamus , tributa comitia dicemus, si minores plebeii magistratus crearentur, sine auspiciis habita esse, & sine senatus consulto ; quod Dionysius ait : sin minores patricii, semper quidem sine senatus consulto, numquam tamen sine auspiciis: quorum alterum Dionysius aperte narrat, alterum Messalla non obscure significat . Pergo ad reliqua . Dixi , tributa comitia in minore magistratu creando etiam a consule esse habita; nunc illud addo, quod mirandum magis videri possit, in majore magistratu creando habita esse Livium significare; qui lib.V. ita scripsit: *Omnes ex collegio ejusdem anni refici apparebat* B *, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genucium, L. Atilium ; qui priusquam renunciarentur jure vocatis tribubus , permissu Interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit*. Cur in tribunis militum consulari potestate creandis , qui major erat magistratus , cum proconsules essent, tribus nominat? cum majores omnes magistratus non a tribubus, sed a centuriis fieri solitos esse , quam plurimis doceamur exemplis. Ego sic existimo : cum singuli magistratus , sive majores, sive minores, binis comitiis fierent, (quod jam probatum est) in minore magistratu creando utraque fuisse tributa comitia ; in majore neque utraque tributa , neque utraque centuriata , sed priora tributa , C posteriora centuriata fuisse . Quod autem, opinor , facile veterum testimonio comprobatur; nam de binis tributis, in minore magistratu, significant illa, quæ jam ex Oratione pro Plancio recitavimus ; de tributis autem , & centuriatis , in majore, vel hic ipse Livii locus declarat; nominat enim tribus, cum priora comitia intelligit ; centurias autem etsi non nominat, eas tamen suffragium in posterioribus comitiis tulisse dubium non est; qui enim centuriatis comitiis creari majores magistratus dicerentur , si neque in prioribus, neque in posterioribus comitiis centuriæ suffragium ferrent ? Hæc ipsa de majore ma- D gistratu bina comitia, tributa, & centuriata, videtur Cicero in II. Agraria significare , cum ait : *Me non extrema tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulæ voces præconum, sed una voce universus populus Romanus consulem declaravit* . Nam, cum ait, *extrema tribus suffragiorum* , significat nonnullos ita consules esse factos, ut a repulsa minimum abfuerint: cum ex XXXV. tribubus consulatum detulissent XVII. & item XVII. negassent, una vero, quæ suffragium extrema tulit, trigesima quincta ad suffragantes XVII. tribus inclinans, legitimum numerum confecisset . In meis , inquit , comitiis non ea tribus , quæ suffragium extrema fert , me E consulem fecit , sed magno concursu primæ singulæ tribus, ita non varie , ut extremæ tribus suffragia exspectare necesse non fuerit . Significat etiam Livius lib. IX. M. Livium Salinatorem & consulem & censorem, a tribubus esse factum; ait enim sic: *M. Livius in ærarium venit ; & , præter Mæciam tribum, quæ se nec condemnasset, neque condemnatum, aut consulem, aut censorem fecisset, populum Romanum omnem, quattuor & triginta tribus ærarios reliquit; quod & innocentem se condemnassent, & condemnatum consulem & censorem fecissent, neque infitiari possent, aut judicio semel, aut comitiis bis, ab se peccatum esse* F. Notavimus & in oratione pro Milone locum ; quo ex loco planum fit , non centurias modo , verum etiam tribus in consularibus comitiis suffragia tulisse. *Occurrebat*, inquit de P. Clodio, *mancam ac debilem præturam suam futuram consule Milone ; eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat ; contulit se ad ejus competitores, sed ita, totam ut petitionem ipse solus etiam invitis illis gubernaret ; tota ut comitia suis , ut dictitabat , humeris sustineret ; convocabat tribus , se interponebat ; coloniam novam, delectum perditissimorum scribebat civium*. Convocabat enim Clodius tribus, ut Scipioni potius & Hypsæo , quam Miloni & Scipioni, aut Miloni & Hypsæo consulatum demandarent, prioribus scilicet comitiis: nam, posteriora omnino fuisse centuriata , necesse est . Hoc ipsum, de binis comitiis in majore magistratu creando , significat & Plutarchus in Catone Uticensi ; ait enim, *cum prima tribus Catonem prætorem declarasset, Pompeium , tonitrua se audivisse mentitum , comitia dissolvisse*. Præturam igitur, qui major erat magistratus, tributis comitiis datam satis liquet: cum tamen & centuriata deinde esse habita jam dixerim. Sæpe autem contigit, ut, comitiis utrisque perfectis, produceretur tamen res, antequam renunciatus esset is, cui magistratum populus detulisset; id significant illa verba pro Milone: *Ubi vidit homo, ad omne facinus paratissimus , fortissimum virum , inimicissimum suum, certissimum consulem; idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani esse declaratum; palam agere cœpit, & aperte dicere, occidendum Milonem*. Quibus in comitiis populus Milonem consulem declaravit? nempe consularibus: quibus & Milo ipse, & Scipio, & Hypsæus petebant; quæ cum sæpe essent instituta , aut etiam habita ; numquam tamen perfecta res est: vel, ut Pædianus ait, *ob contentiones candidatorum*; *cum aut instituta comitia, in quibus populi Romani studium erga Milonem ex ipsis suffragiis appareret, perfici non sinerent; aut, jam perfectis, consulem Milonem a consule comitia habente renunciari tumultu excitato non paterentur: vel, quod sæpe usu venit, ob religionem ab aliquo augure objectam*. Comitia enim jam habita rescindi solere augure renunciante, significat his verbis Cicero lib. II. de Legibus: *Quid majus est, si de jure quærimus, quam posse a summis imperiis & summis potestatibus comitiatus & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? Quid gravius, quam rem susceptam dirimi, si augur, alio die, dixerit?* Malo enim ita legere, ex Oratione II. in Antonium, quam, ut impressi libri habent, *Aliter dixerit*. Ob hanc ipsam caussam ter dilata esse, cum jam suffragia populus universus tulisset, prætoria Ciceronis comitia existimo. Qua de re sic in suasione Maniliæ rogationis. *Cum propter dilationem comitiorum ter prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum; facile intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis; & quid aliis præscriberetis*. Habebantur & a pontifice tributa comitia pontifici maximo surrogando. Cujus rei notitia ex una parte a Livio , ex altera a Svetonio & Plutarcho colligitur . Nam, præfuisse pontificem iis comitiis, quibus pontifex maximus crearetur, indicat Livius lib.XXV. his verbis: *Comitia inde pontifici maximo creando sunt habita; ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit*. Hæc vero, quibus pontifex maximus crearetur, tributa fuisse comitia, Svetonii verba declarant, quæ sunt hæc in C. Cæsaris vita: *Pontificatum maximum petiit, non sine profusissima largitione: potentissimosque duos competitores, multum & ætate & dignitate antecedentes, superavit: ut plura ipse in eorum tribubus suffragia, quam uterque in omnibus, tulerit*. Idem & Plutarchus significat: qui etiam duos illos Cæsaris competitores, quos Svetonius non appellat, ipse nominat. Ait enim alterum fuisse P. Servilium Isauricum, alterum Q. Lutatium Catulum: quorum utrumque consularem eo tempore fuisse, Servilium etiam triumphalem, ex annalibus constat. Quod si paullulum mihi licet, meo more, dubitare, libenter quæram, Cethegus ille, a quo pontifice comitia habita Livius ait, utrum pontifex pari cum multis dignitate , an vero pontifex & ipse maximus fuerit. Pontificem fuisse maximum non est ut credi possit; nam, si maximus ipse pontifex est, cur pontifici maximo creando habet comitia? an, ut essent eodem tempore duo pontifices Maximi? hoc quidem absurdum magnopere est; sin, non fuisse maximum pontificem

tificem Cethegum, sed unum de collegio pontificum, dicemus, a Livio dissentiemus: qui aliquanto ante illa verba, quæ jam recitavimus, eodem libro sic ait: *Aliquot publici sacerdotes mortui eo anno sunt, L. Cornelius Lentulus pontifex maximus, & C. Papirius C. F. Masso pontifex, & C. Furius Philus augur, & C. Papirius L. F. Masso decemvir Sacrorum; in Lentuli locum C. Cornelius Cethegus, in Papirii Cn. Servilius Cæpio, pontifices suffecti sunt.* Et deinde reliqua. Non obscure significat, factum esse Cethegum pontificem maximum: siquidem in locum Lentuli, qui pontifex maximus fuerat, suffectus est. Tollitur dubitatio sic. Duo pontifices erant, qui maximi dicebantur, impari tamen dignitate: alter, qui sacerdotibus omnibus sacrisque præerat, qui tributis comitiis creabatur; alter, qui non a dignitate, sed a sacerdotii vetustate maximus appellabatur, quod in collegium minorum pontificum primus venisset; quo mortuo, non dicebatur maximus is, qui surrogatus esset, sed tantummodo pontifex: quia, quod cognomen vetustas sacerdotii dabat, id in eum, qui postremus esset cooptatus, conferri simul cum sacerdotio non poterat; & hoc est caussæ, cur Livius, cum L. Cornelium Lentulum pontificem maximum nominaverit, non subjungit de Cethego pontifice maximo in Lentuli locum suffecto; sed tantum ait, eum pontificem esse factum; ejusque & Cn. Servilii Cæpionis dignitatem adæquat; quia pontifices simul nominat, sine ulla distinctione cognominis, quod Lentulus vetusti jure sacerdotii habuerat. De quo, ne quis hæc me per somnii phantasmata putet invenisse, Festi verba recitabimus. Is igitur hæc de duobus maximis pontificibus: *maximus pontifex, quod maximus rerum, quæ ad sacra & religiones pertinent, judex sit, vindexque contumaciæ privatorum magistratuumque. Minorum pontificum maximus dicitur, qui primus in id collegium venit; item minimus, qui novissimus.* Semel etiam tribunorum plebis comitiis, quæ tributa fuisse diximus, pontificem maximum præfuisse, legimus in Livio lib. III. cum enim ad sedandas discordias inter senatum plebemque convenisset, ut decem tribuni plebis crearentur: censuit senatus, ut Q. Furius pontifex maximus, quod magistratus nullus erat, tribunos plebis crearet: quod, præter Livium, scripsit etiam Cicero in oratione pro C. Cornelio; & interpres Pædianus pontificem maximum, cujus nomen Cicero non ponit, ait fuisse M. Papirium: cum Livius Q. Fusium appellet. Jam igitur ostendimus, a quæstore, ab ædili plebis, a tribuno plebis, ab ædili curuli, qui minores magistratus erant, item a consule, a pontifice tributa comitia esse habita. Reliquum est, an a prætore haberentur, ut consideremus. Tributa comitia prætoribus creandis prætor non habebat: non solum ob eam caussam, quia prætura, quæ minores inter magistratus erat, non tributis, sed centuriatis comitiis dabatur: verum etiam, quia non a prætore, sed a consule prætoria comitia habebantur; quod cum Messala docet in libro de Auspiciis apud Gellium, tum Livius exemplo confirmat in lib. XXXIX. Ob has igitur caussas minoribus creandis magistratibus tributa comitia prætor non habebat. Descendamus ad minores. Ædilis curulis, qui fuit magistratus inter minores honoratissimus, quia sella curuli solus sedit, & ordine petitionis ultimus erat, non a prætore, sed ab ædili curuli creabatur; quod exemplo Cn. Flavii e Pisonis historia jam ostendimus. Tribunus plebis & ipse non a prætore, sed a tribuno plebis creabatur. Cujus rei cum argumenta ac testimonia veteris historiæ multa sunt, tum apud Livium lib. III. expressa de Duillio tribuno plebis tribunicia comitia habente mentio est. Ædilem plebis, cum ante præturam ædilitas plebis multis annis Romæ fuerit, numquam a prætore creatum crediderim, sed ab eo magistratu, a quo creatus ab initio est; nec vero dubitaverim, quin is fuerit tribunus plebis, quandoquidem & petentibus tribunis plebis iis, qui primi facti sunt, tamquam eorum administros, creatos esse ædiles plebis Dionysius lib. VI. prodidit: & plebeium magistratum a plebeio potius, quam a patricio creatum esse facile crediderim. Plebeius autem, qui ædilium plebis comitiis præesset, excepto tribuno plebis, magistratus erat nullus. Nam ut ipsi ædiles insequentis anni ædiles crearent, minus verisimile est, quam si de tribunis plebis opinemur; quos enim creari suæ potestatis administros voluerunt, ut ex Dionysio jam ostendimus, eorum comitia cur ipsi habere noluerint, non video. Quæstorum comitia ne ipsa quidem a prætore, qui multis annis post quæstores creatos institutus est, sed aut a consule, aut a quæstore ipso, habita crediderim. Nam a tribuno plebis, aut ab ædili plebis, hoc est, magistratu plebeio, patricium magistratum esse factum, (erat enim inter magistratus patricios quæstura) verisimile non videtur; infra quæsturam erant alii minores magistratus, triumviri capitales, triumviri mensarii, triumviri monetales, quos nominabimus in libro de magistratibus; hi, si conjecturæ locus est, a prætore tributis comitiis omnes creati sunt. Duco autem conjecturam a simili. Nam apud Livium lib. XXV. scriptum video, prætorem urbanum iis comitiis præfuisse, quibus creati sunt quinqueviri muris turribusque reficiendis, & triumviri bini, uni sacris conquirendis, donisque persignandis, alteri reficiendis ædibus Fortunæ & Matris Matutæ & Spei; & Festus Pompeius ex Lege L. Papirii tribuni plebis verba recitat; quæ treviros capitales a prætore urbano comitiis creatos significant. Quod cum ita sit, de ceteris infra quæsturam minoribus magistratibus non absurde, ut opinor, idem existimabitur. Invenio tamen, & ab interrege habita tributa comitia tribunis mil. consulari potestate creandis; & a prætore urbano, cum triumviros capitales, aut præfectos oppidorum designari vellet.

CAP. XII.

Comitia tributa quibus locis habita sint.

QUEMADMODUM tributa comitia, modo magistratuum, modo legum caussa; sic modo in foro, modo in campo Martio, habebantur: in foro, cum leges ferebantur; in campo, cum magistratus creabantur. Legimus & in Capitolium ad accipiendas leges populum tributim convenisse; sed, Capitolium intra fori terminos fuisse, ex P. Victoris libello, de regionibus urbis Romæ, perspicuum fit. Ac, de legibus in foro latis, populo tributim convocato, ita crebra est in antiquorum libris mentio, ut exempla recitare supervacaneum videatur; quas enim rogationes tribuni plebis tulerunt, omnes tum tributis comitiis, tum in foro latas esse animadvertimus. De tributis autem comitiis in campo Martio habitis, exstant hæc Ciceronis verba in I. ad Atticum epistola: *In campo comitiis tribuniciis ad* XVI. *Kal. Sext. competitores, qui certi esse videbantur, Galba, & Antonius, & Q. Cornificius.* Tribunicia enim fuisse tributa, ex Gellio patet: qui, præter prætorem, consulem, censorem, reliquos ait & fuisse minores magistratus, & tributis comitiis creatos. Alterum exemplum est item ad Atticum lib. IV. his verbis: *In campo Martio sæpta tributis comitiis marmorea sumus & tecta facturi.*

CAP. XIII.

Comitia tributa quo tempore haberentur.

CUM ineundis magistratibus non eundem diem per omnia Reip. tempora servatum esse videam: sequitur, ut nec eundem mensem habendis comitiis legitimum fuisse existimem; quo autem mense majores magistratus centuriatis comitiis designati sunt, eo minores quoque tributis esse designatos facile aliquis possit conjicere. Ego autem hoc non omnino per omnia reip. tempora servatum existimo, sed tantum per ea tempora, cum Kalendis Januarii consules magistratum inierunt; cum enim consulatus capiendi legitimus dies fuit Kalendæ Sextilis, aut Idus Maii, aut Idus Decembris, aut Kalendæ Octobris, aut Idus Martii; (his enim diebus consules, aut tribunos mil. consulari potestate magistratum inivisse, in libro de magistratibus ostendemus) tunc, eodem mense omnia omnium magistratuum comitia esse habita, credibile non est. Assenserim fortasse de minoribus magistratibus, qui patricii essent, id est, de quæstore & ædili curuli: sed in designandis minoribus plebeiis diversam puto rationem fuisse; verbi caussa, ineunt magistratum consules Idibus Martiis: quod diu servatum est; ergo ante Idus Martias designati sunt. Tribuni plebis non Idibus Martiis, sed IV. Idus Decembres magistratum inierunt; quod, ab initio tribuniciæ potestatis institutum, numquam deinde est immutatum. An ante Idus Martias ipsos quoque designatos esse dicemus? verisimile non videtur; novem enim mensibus ante diem ineundi magistratus designati fuissent, eoque etiam amplius, quo longius ab ineundi magistratus die majorum magistratuum comitia distabant; non enim statim post designationem magistratum consules, aut alii majores magistratus inibant; idque jam tum usitatum fuisse, cum decemviri creati sunt, significat libro III. Livius his verbis: *Decemviri creati Ap. Claudius, T. Genucius, P. Sestius, L. Veturius, C. Julius, A. Manlius, P. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romulius, Sp. Postumius. Claudio & Genucio, quia designati consules in eum annum fuerant, pro honore honor redditus*. Distinguendum igitur, & ita statuendum; tributa comitia, si patricii minores magistratus designarentur, eodem tempore, quo centuriata, esse habita: sin plebeii, multo post; idque tam diu servatum fuisse crediderim, quamdiu majores magistratus aliquot mensibus ante minores magistratum inierunt; nam, E cum aut Idibus Decembribus, aut Kalendis Januariis, aut etiam fortasse Kalendis Octobribus consulatus initium fuit: tunc, eodem mense omnes magistratus esse designatos, sive majores essent, sive minores, consentaneum est. Postremis quidem reipublicæ temporibus, Quinctilem designandis cunctis magistratibus legitimum fuisse mensem, ex epistola I. Ciceronis ad Att. satis constat: quæ ipsa epistola tribunorum plebis comitia ante consularia esse habita significat: credo, propter eam caussam, quia quemadmodum tribuni plebis magistratum ante consules inibant, sic ante consules designari æquum fuit: inibant autem consules, Ciceronis ætate, magistratum Kalendis Januarii, quod studiosi norunt omnes: Tribuni vero IV. Idus Decembris; quod Livius indicat libro XXXIX. his verbis: *Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Nævius: adversus quem oratio inscripta P. Africani est. Nævius hic magistratum non iniit P. Claudio, L. Porcio consulibus, sed iniit Ap. Claudio, M. Sempronio consulibus ad IV. Idus Decembris*; inde tres menses ad Idus Martias sunt, quibus P. Claudius, L. Porcius consulatum inierunt. Cujus loci auctoritate videtur Dionysii locus posse corrigi; nam libro VI. de primis A tribunis plebis sic ait: *Δημαρχικὴν ἐξουσίαν πρῶτοι παρέλαβον οἱ πέντε ἄνδρες ἡμέρᾳ τετάρτῃ πρὸ τελῶν εἰδῶν Δεκεμβρίων, ὥς περ καὶ μέχει τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου γίνεται.* Scripsit, opinor, Dionysius, Πρὸ *τῶν εἰδῶν*, non, ut impressum est in vulgatis libris, Πρὸ *τελῶν εἰδῶν*. Quis enim umquam sic locutus est, aut quid omnino significat, Η*μέρα τετάρτῃ πρὸ τελῶν εἰδῶν*? At vero, si legas, Η*μέρα τετάρτῃ πρὸ τῶν εἰδῶν*, aperta, & Latinis etiam hominibus usitata locutio erit; nam, die quarto ante Idus, &, ante diem IV. Idus, & ad IV. Idus, & IV. Idus, cum dicimus, veterem loquendi consuetudinem imitamur, & eundem diem significamus. Neque vero Pædia- B ni verba vacare mendo existimaverim, ubi explanat illud secundæ Orationis in Verrem: *P. Sulpicius magistratum ineat necesse est Nonis Decembribus*; ait enim, *Sulpicium eo die tribunum plebis futurum*. Quod certe si ita scripsit Pædianus, imperite scripsit: sed culpam in librarios potius conferamus, qui libros mendosissime scribere consueverunt; non enim ignotum Pædiano potuit esse, tribunos plebis magistratum inivisse IV. Idus Decembris: præsertim cum id perpetuo servatum sit, jam ab eo tempore, quo tribunicia potestas Romæ est instituta. Itaque dixit Dionysius, *Ὥσπερ καὶ μέχει τοῦ καθ᾽ ἡμᾶς χρόνου* C *γίνεται*. Aut igitur ex ipsa consuetudine, quæ numquam immutata est, aut ex Livio ac Dionysio facile fuit Pædiano cognoscere, non Nonas Decembris, sed IV. Idus Decembris legitimum ineundi magistratus diem tribunis plebis fuisse. Præterea, cur de mendo suspicer, etiam illud facit, quod, si tribunus plebis designatus fuisset Sulpicius, nominasset illum Cicero cum Manlio & Cornificio; non enim partite dixisset, sicuti dixit, *Q. Manlium & Q. Cornificium, duos severissimos atque integerrimos judices, quod tribuni plebis tum erunt, judices non habebimus; P. Sulpicius, judex tristis & integer, magistratum ineat necesse est Nonis Decembribus*. Non, D inquam, a duobus tribunis plebis, Manlio & Cornificio, Sulpicium, si & ipse tribunus plebis esset designatus, sejunxisset, sed una omnes nominasset. Nec leve etiam illud est argumentum, ad indicandam, Pædiani dicam, an librarii, culpam; quod Sulpicius, qui fuit e gente patricia, tribunus plebis esse non potuit: cum tribunatus plebis solis plebeiis daretur.

CAP. XIV.

Comitia tributa quibus de caussis haberentur.

TRIBUTA comitia tum ad magistratus creandos, tum ad leges sciscendas habita esse, exempla declarant; dicerem, & ad bella jubenda; nisi legis nomen ita late patere cognovissem, ut etiam actiones de bello indicendo comprehenderet; quidquid enim comitiis ageretur, de eo populus rogabatur: & rogantis actio rogatio dicebatur. Rogationem autem legis nomine appellatam esse, sicu- F ti & legem rogationis, ex Gellii libro X. & ex ipso veterum testimonio, notum est. Magistratus non omnino omnes tributis comitiis creabantur, sed ii dumtaxat, qui minores dicebantur: qui erant, ut etiam dicemus in libro de magistratibus, quæstura, ædilitas plebis, tribunatus plebis (etsi, magistratum fuisse, Plutarchus negat: sed magistratum tamen & Cicero, & historici nominant) ædilitas curulis: præterea centumviri litibus judicandis, triumviri capitales, triumviri nocturni, triumviri monetæ cudendæ, quæstores parricidii, tribuni ærarii, tribuni militum comitiati, & alii, opinor;

A quos omnes illa verba significant, quæ sunt apud Ciceronem libro III. de Legibus: *minores magistratus partiti juris plures in plera sunto*. Quem locum, si ita legatur, non esse mendosum, ut nonnullis visum est, ostendemus in libro de magistratibus: qui erit ad III. librum Ciceronis de Legibus quasi commentarius. Præfectos etiam oppidorum, non omnes tamen, sed aliquot, in hunc ordinem refero; quia creatos a populo legimus in Festo. Nec dubitandum est, quin & ea tributa fuerint comitia; quibus triumviros deducendis coloniis in Capitolio creatos esse scripsit Livius libro XXXIV. qui, etsi tributa non nominat, quia tamen habita in Capitolio dicit, B satis aperte declarat tributa fuisse; nam centuriata non in Capitolio, sed extra urbem in campo Martio habita esse, ex Dionysio, Livio, Cicerone, Gellio satis liquet. Ut omittam, quod in Gellio legimus, centuriatis comitiis tantum eos magistratus, qui majores dicebantur, esse designatos. Quod cum ita sit: sequitur, ut reliquos omnes tributis comitiis populus creaverit. Pontificem quoque maximum, qui tamen non magistratus, sed honor fuit, cum in Livii libro XXXV. comitiis creatum legerem, de tributis accipiendum putavi: quia Cæsarem tributis comitiis maximum pontificem esse factum, e Svetonio, C Plutarcho, Dione cognovimus. Sed de pontificis maximi, ac reliquorum sacerdotum creatione in duobus libris, de legibus, & de religione, haud paullo fusius agemus. Nunc, quando propositis tributorum comitiorum caussis, eam, quæ ad magistratus attinebat, explicavimus; alteram, quæ superest, de legibus, aggrediamur. Legum caussa tributa comitia habebantur; sive de jure civili lex ferretur, sive de criminibus vindicandis, sive de bello indicendo, sive de provincia mandanda, sive de pace facienda, fœdere-ve percutiendo, sive de imperio abrogando, sive de civitate danda, sive de capite civis. Legis enim nomine continebatur, D quidquid horum cum populo ageretur. Neque vero id, quod dixi, generale, est, ut iis omnibus de rebus, quas nominavi, leges omnes tributis comitiis ferrentur. Nam, ut incipiam a jure civili, & a criminibus; quæ utraque privati juris sunt; ut in libro de legibus ostendemus: Leges XII. tabularum, in quibus dubium non est de jure privato fuisse multa, centuriatis comitiis latas esse legimus; de bello autem indicendo quod dixi, ita recte dictum affirmo, si sic accipiatur, tributis non sæpe esse actum, centuriatis sæpissime: ut, cum Veientibus indictum bellum est, consulibus A. Cornelio Cosso, T. Quinctio Pœno iterum; & Philippo Macedonum Regi, E Ser. Sulpicio Galba, C. Aurelio Consulibus; & Perseo Philippi filio, P. Licinio, C. Cassio Consulibus. Quæ Livii tribus libris, IV. XXXI. XLII. notavimus. Tributis autem comitiis adversus Veliternos bellum esse jussum, idem Livius libro VI. tradidit; sed, sive tributis, sive centuriatis comitiis de bello actum est; semper prius senatum esse consultum, deinde ad populum latum, idem, quo tam sæpe utimur teste, Livius dixit libro XLII. De provincia mandanda neque semper tributis, neque semper centuriatis comitiis actum est. Tributis actum esse, cum Q. Fabio Maximo Etruria provincia decreta est, libro X. Livius ostendit; Centuriatis, cum P. F Scipionem, eum, qui Africanus postea dictus est, proconsulem in Hispania esse populus jussit, idem Livius libro XXVI. tradidit. Sequuntur tria capita, de pace facienda, fœdere percutiendo, imperio abrogando. In his exceptioni locus non est. Leges enim omnes, quæ ad hæc spectarent, tributis comitiis latas esse, historiæ demonstrant. Tantum illud quæstione dignum videri potest; cur, cum de bello, adversus Philippum Macedonum Regem inferendo centuriatis comitiis esset actum; quod apud Livium libro XXXI. scriptum est: mox de pace cum eodem facienda tributis comitiis actum sit; quod libro XXXIII. apud eundem Livium observavimus; mihi hoc videtur fuisse caussæ; quod, cum centuriata comitia tributis dignitate præstarent; inque iis majores magistratus creari mos fuerit; Senatus, si quid gravius agendum esset, centuriatis potius, quam tributis committebat; graviorem autem fuisse actionem de bello, quam de pace, nemo dubitat; tunc enim agebatur de bello suscipiendo; cum aut, nisi susciperetur, aditura periculum resp. videretur; aut injurias alicujus ulcisci ad populi R. dignitatem pertineret: at de pace tunc agebatur; cum, sublato periculi metu, jam in tuto res esset; finis autem belli non ad vitandam calamitatem, sed commodi caussa quæreretur; numquam enim populus Romanus sine aliqua utili condicione pacem fecit. Quanto igitur pluris est, periculum repellere, aut dignitatem tueri, quam emolumentum aliquod parere: tanto magis ad centuriata comitia, quam ad tributa belli actio pertinuit. Quod cum ita sit, semel tamen, quod meminerim, tributis comitiis actum de bello legimus, sed eo bello, in quo periculi nihil esset, adversus Veliternos colonos, qui defecerant: ut ad sumendam potius de Veliternis pœnam, quam ad bellum gerendum, exercitus ire videretur; non enim dubito, quin, si majoris momenti res fuisset, bellum a centuriis potius, quam a tribubus, jussum esset: sicuti paucis ante annis factum animadverto, cum Veientibus bellum est indictum, consulibus, ut jam dixi, A. Cornelio Cosso, T. Quinctio Pœno iterum. De civitate danda, quod populi jus fuisse patet ex oratione pro Balbo, semper comitiis actum est, sed, ut opinor, centuriatis, ante legem Hortensii dictatoris; post legem Hortensiam, tributis; non enim dubito, quin Ap. Claudio Sabino, quem non modo ante legem Hortensiam, sed etiam ante Coriolani damnationem, ab Regillo Romam transfugisse, Livius & Dionysius tradiderunt, centuriatis comitiis civitas data sit. Nam, si ante quam de Coriolano judicium fieret, Appius civitate donatus est, qui possumus de tributis comitiis existimare, cum ante Coriolani judicium numquam populum, nisi per centurias convocatum suffragia tulisse, libro VII. Dionysius affirmet? Præterea, a quo magistratu haberentur tributa comitia, cum, quo tempore Ap. Claudius civitate donatus est, tribuni plebis creati nondum essent? Dicet aliquis, a consule. Negatur. Nam, ut omittam, quod ab ætate Servii regis, qui centuriata comitia instituit, ad usque creationem tribunorum plebis nullam tributorum comitiorum mentionem invenio, credibile non est, ea de re consulem tributis comitiis usum esse potius, quam centuriatis, quæ senatui non minus, quam populo probarentur. Tributa enim voluntatem tantummodo plebis, centuriata universæ civitatis significabant: quodque jus a tribubus sancitum esset, eo jure plebem dumtaxat obstrictam fuisse, a Lælio Felice acceptum Gellius narrat. Quam ob caussam Q. Hortensius dictator legem tulit, ut, quod plebs jussisset, eo Quirites omnes tenerentur. De quo fusior erit in libro de Legibus tractatio. Cur igitur consul ad tribus potius, quam ad centurias, ferret de Ap. Claudio cive adsciscendo; *cum Appium, magna clientum comitatum manu*, ut Livii verbis utar, *Romam advenientem non minus libenter senatus, quam populus, exceperit*? quod ex Dionysii libro V. & Livii libro II. colligitur. Centuriatis igitur, non dubito, quin actum & de Appio sit, & de L. Manilio Tusculano; cui civitatem, approbantibus cunctis, esse datam, Livius libro III. tradidit, & si quis præterea ante legem Hortensiam in civitatem receptus est; post eam vero legem, cum tributa centuriatis essent æquata, tributis potius, quam centuriatis, de danda civitate actum est. Itaque rogationem a tribuno plebis ad plebem esse

latam, ut Mutines civis Romanus fieret, apud Livium libro XXVII. notavimus; quod tributis comitiis esse factum satis patet; quia rogationes tribunorum plebis centuriatis, ut jam diximus, non ferebantur. Post Hortensii vero dictatoris legem, de civitate Mutini danda actum esse, facile est ex annalibus populi Romani cognoscere. Extremum caput erat de capite civis. Quo ipso in capite considerando, ab urbe condita ad ultima reip. tempora percurremus, sic enim necesse est. Romulus suam civitatem, quasi tenerum ac rude corpus, legibus confirmavit; ipse de maximis rebus, ut Dionysius libro II. significat, judicabat: ut tamen a Rege condemnatis ad populum provocatio esset; quod, cum Livius in M. Horatii caussa libro I. tum Seneca libro epistolarum XIX. scriptum reliquit; idque jus a P. Valerio Poplicola post ejectos reges confirmatum renovatumque est; tulit enim legem in consulatu de provocatione adversus magistratus ad populum; itaque anno ab urbe condita CCXXC. consulibus Æmilio & Virginio, audita vox est Voleronis, de plebe hominis, adversus consules ad populum provocantis: & anno CDXXVIII. consulibus L. Furio Camillo II., D. Junio Bruto Scæva, adversus L. Papirium dictatorem M. Fabius pro filii capite provocat, cum tamen adversus dictatorem infirmam inanemque provocationem esse constaret. Sed & in caussis, quæ capitales non essent, provocationem ad populum video fuisse. Nam, ut apud Livium libro XL. legimus, cum C. Servilius Pontifex Maximus L. Cornelio Dolabellæ duumviro navali multam dixisset, provocavit Dolabella, certatumque ad populum est. Judicavit igitur populus jam inde a regibus ex provocatione; utrum autem tributis, an curiatis, an centuriatis comitiis judicaverit, servato temporum ordine, quam breviter licebit, explicabo. Ante Servium Regem centuriata comitia non fuisse, ex Dionysio & Livio satis constat. Restat igitur, tributa-ne, an curiata fuerint, ut consideremus. Quod etsi dijudicare difficile est, quæ tamen legendo notavimus, in medium afferemus, ut, quibus argumentis nostra nitatur opinio, cognoscatur. Livius ante Servium Regem neque tributa comitia, neque curiata nominat; tantum ait libro I. eos, qui ante Servium regnaverant, hoc ab Romulo traditum servasse, ut viritim suffragium eadem vi, eodemque jure, promiscue omnibus daretur. Tribus vero, aut curias, aut tributa, & curiata comitia non nominat; itaque, quod ad Livium attinet, in dubio res est. Quid Dionysius? ne hic quidem aut tributa, aut curiata comitia nominat; de curiis tamen libro II. mentionem facit his verbis: *Plebi deinde Romulus hæc tria permisit, magistratus creare, leges sciscere, de bello decernere, cum Rex vellet, ita tamen, ut horum absoluta potestas non esset, nisi senatus approbasset; ferebat autem populus suffragium, non viritim, sed per curias convocatus: quodque pluribus visum erat curiis, ad senatum referebatur*. Idemque libro IV. confirmat. Quo, nisi fallor, satis liquet, ante Servium Regem utra comitia fuerint, curiata, an tributa; quibus enim in comitiis curiæ suffragium tulerunt, nimirum illa curiata potius, quam tributa, dicemus. Quod autem ait Livius *viritim suffragium esse datum*; Dionysius autem, *populum tulisse suffragium, non viritim, sed per curias convocatum*, non videtur inter eos convenire; cum tamen, ut ostendam, controversiæ nihil sit; non enim populum suffragia viritim tulisse Dionysius negat, (nam, si negaret, manifeste a Livio dissentiret) sed ait, populum ad ferenda suffragia convocatum esse non viritim; quod fuisset infinitum, sed per curias: quæ cum XXX. essent, nominatim unaquæque citabatur, suffragiis tamen, ut ait Livius, viritim datis; ita nec de suffragiis viritim datis Dionysius negat, nec Livius de

A populo per curias convocato: sed, quod habet Livius, id Dionysio deest; quod Dionysius, id Livio: utrumque autem ex utroque colligitur; populum per curias esse convocatum; convocato suffragia viritim data; nec vero latis suffragiis ex majore suffragiorum numero deliberatum statutumque esse aut de lege, aut de magistratu, aut de bello crediderim: sed potius curiarum habitam esse rationem existimo; ut quod pluribus visum esset curiis, sicuti & Dionysii verba proxime recitata significant, id, tamquam a populo jussum, ratum ac firmum haberetur, si modo & senatus deinde comprobasset. Atque hoc, de curiatis comitiis ante Servium Re-
B gem, eo mihi certius est, quam de tributis, non modo ob eam caussam, quod curias tum tulisse suffragium Dionysius ait, tribus autem nemo ex iis, qui de rebus Romanis aut Latine, aut Græce scripserint: verum etiam, quia tantam populi multitudinem, quanta in forum ad ferenda suffragia conveniebat, vero similius est in XXX. potius curias, quam in tres tantum tribus, ordinis caussa, discretam in comitiis affuisse. Est etiam apud Varronem locus libro IV. de lingua Latina, qui me in hac opinione valde confirmat. *Comitium enim, qui locus in foro fuit*, ait propterea dictum esse, *quod eo*
C *coibant comitiis curiatis, & litium caussa*. Quod si quis objiciat, non ideo probari, sola fuisse curiata, sed potuisse bina comitia ante Servium esse, curiata, & tributa; ut curiata in comitio, quod ait Varro, tributa vero alibi facta sint: ego adversus hunc Festi Pompeii testimonium recitabo, qui curiata tantum comitia a principio fuisse significat. *Comitiales*, inquit, *dies appellabant, cum in comitium conveniebant*: qui locus a coeundo, id est, simul veniendo, est dictus. Si comitiales dies ii fuerunt, quibus in Comitium populus conveniebat: ergo extra comitium comitia fuere nulla, quod si extra comitium comitia nulla, & ea, quæ in comitio fa-
D cta sunt, curiata Varro appellat; cujus coitionis caussa comitio nomen inditum esse dicit; certe ante Servium Regem curiata dumtaxat comitia fuerunt. Verum, unde conjicis, dicet aliquis, Varronem & Festum de temporibus ante Servium Regem significare; qui probas, de temporibus reip. significari non posse, quibus & tributa, & curiata, & centuriata comitia sunt habita? Facile respondetur. Neuter de temporibus post Servium Regem potuit significare. Primum, quia loquuntur de illo tempore, cum comitio nomen est inditum: quod multis ante Servium annis, regnante Romulo fuisse,
E Plutarchus in Romulo tradit: deinde, cum dicat Festus, comitiales dies eos fuisse, quibus in comitium conveniebant, necesse est, ut de consuetudine, quæ fuit ante Servium, intelligat; nam, post Servium, qui centuriata comitia instituit, in campum Martium, qui erat extra urbem, potius quam in comitium, quod in foro erat, comitialibus diebus populus conveniebat. Classibus enim & centuriis, a Servio inventis, per aliquot annos in campo Martio dumtaxat populus centuriatim suffragia tulit, sive de lege, sive de magistratu, sive de bello rogaretur; mox in Cn. Marcii Coriolani judicio suffragium ferre tribus cœperunt: aliquotque post
F annis, ut idem in plebeiis magistratibus rogandis servaretur, Voleronis tribuni plebis lege factum est; sed, neque dum sola centuriata fuerunt, neque posteaquam tributa sunt instituta, in comitio tantum suffragia esse lata licet opinari: cum non modo centuriata, ut dixi, in campo Martio semper habita sint, verum & ipsa tributa, quoties creandorum caussa magistratuum haberentur; ergo necesse est, ad ea tempora Festus respexerit, quæ fuerant ante Servium Regem; cum populus comitiorum caussa ex urbe non exibat, sed in comitium, hoc est, in forum, quacumque de re consulendum es-

ſet, coire ſolitus erat: quando, poſt Servium coiviſſe in campum Martium, liquido probatur. Curiatis igitur comitiis, a Tullo Hoſtilio Rege uſque ad Servium Regem, judicatum eſſe exiſtimo: non quod & ante Hoſtilium provocatio ad populum non fuerit: hoc enim jus, non dubito, quin ex lege a Romulo lata populus acceperit, ſed quod judicium de capite civis ante Hoſtilii tempora Romæ nullum fuit; qua de re Ciceronis verba in oratione pro Milone ſunt hæc: *In qua tandem urbe hoc homines ſtultiſſimi diſputant? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii, fortiſſimi viri: qui, nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus eſt, cum ſua manu ſororem eſſe interfectam fateretur.* Habemus igitur a Cicerone, primum in cauſſa capitali M. Horatium eſſe judicatum; regnante autem Hoſtilio judicatum eſſe, habemus a Livio; ergo, cum ab Hoſtilio ad Servium curiatis comitiis de capite civis judicatum dico, non reſpicio ad illud tempus, quo lex de provocatione ad populum lata eſt, ſed ad illud, quo primum de capite civis judicium fuit; nam, ante Hoſtilium, legem de provocatione fuiſſe, videtur Livius libro I. ſignificare, cum ait: *Rex, concilio populi advocato, duumviros*, inquit, *qui Horatio perduellionem judicent ſecundum legem, facio. Lex horrendi carminis erat. Duumviri perduellionem judicent: ſi a duumviris provocarit, provocatione certato.* Quod ſi ante Hoſtilium provocatio fuit; datam a Romulo potius, quem populo gratiſſimum fuiſſe Livius tradit, quam a Numa, cujus in colenda religione ſtudium omne fuit, exiſtimaverim. Utut fuerit, judicavit populus curiatis comitiis uſque ad Servium Regem; Servius curiata ſuſtulit, & centuriata induxit; Populuſque deinde, non, ut antea, per curias, ſed per centurias convocatus, non modo de civium capite judicavit; ſed & bella juſſit, & magiſtratus creavit, & omnino omnia tranſegit. Judicandi autem per centurias conſuetudo ad eum annum perduravit, quo Cn. Marcius Coriolanus damnatus eſt; nam, cum inter patricios & plebeios, acerrima contentio fuiſſet; quia patricii Marcium judicari, ut mos erat, centuriatis comitiis vellent, in quibus multo plures patriciorum, quam plebis erant centuriæ; Plebeii autem tributis, in quibus, univerſo populo ſuffragia viritim ferente, plebs patriciis numero præſtabat: ad extremum, concedentibus patriciis, populus non curiatis comitiis, ut ante Servium Regem fieri ſolebat, neque centuriatis, ut poſt Servium ſervatum eſt, ſed tributis de Coriolano judicavit; manſitque ea conſuetudo uſque ad Decemviros: qui rurſus eam poteſtatem a tribubus ad centurias tranſtulerunt: ſcriptaque ſunt ab iis hæc verba, aut hujuſmodi, in XII. Tabulis: ut etiam in ea pro Sextio notavimus: *De capite civis niſi per maximum comitiatum ne ferunto.* Maximum autem comitiatum interpretatur Cicero centuriata comitia, libro III. de Legibus; cum hæc verba, de XII. Tabulis translata, ſed ſuis ab ipſo legibus inſerta, explanat: quo loco illud addit: *Deſcriptus populus cenſus, ordinibus, ætatibus, plus adhibet ad ſuffragium conſilii, quam fuſe in tribus convocatus.* Quam ob cauſſam, cum P. Clodius tribunus plebis populo per tribus convocato legem tuliſſet, ut Ciceroni, quia cives Romanos indicta cauſſa condemnaſſet, aqua & igni interdiceretur, inique factum, quia non tributis, ſed centuriatis comitiis de capite civis judicari XII. Tabulæ juberent, in libro III. de legibus Cicero diſputat. *Lucius*, inquit, *Cotta dicebat, nihil omnino actum eſſe de nobis: præter enim quam quod comitia illa eſſent armis geſta ſervilibus; præterea neque tributa capitis comitia rata eſſe poſſe, neque ulla privilegii: quo circa nihil nobis opus eſſe lege, de quibus nihil omnino actum eſſet legibus.* Hæc Cicero: qui ſuam cauſſam XII. Tabularum auctoritate ac jure tuetur; ſed ante Ciceronis ætatem claro-

A rum virorum exempla non deſunt, quorum de capite comitiis tributis actum eſt; multos enim video tribuniciis rogationibus poſt XII. Tabulas in exſulium eſſe miſſos, ut P. Popillium, de quo tulit C. Gracchus; Q. Metellum Numidicum, de quo L. Saturninus; alios præterea, quos tributis comitiis eſſe damnatos ob eam cauſſam exiſtimo, quia centuriata tribunis plebis habere non licebat; in centuriatis enim ſimul cum plebeiis ſuffragia ferebant; at patricios advocare, tribunis plebis jus non erat; de quo hæc Gellius, ex Lælii Felicis libro, verba recitat: *Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre de re ulla poſſunt.* Quare, ut dicam, quod opinio mea fert,

B ſuſpicor de mendo apud Ciceronem in Oratione pro domo ſua, cum ait: *Cenſor ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & M. Servilius, cum eſſent optime de rep. meriti, tamen populi incitati vim iracundiamque ſubierunt; damnatique comitiis centuriatis, cum in exſulium profugiſſent, rurſus ab eodem populo placato ſunt in ſuam priſtinam dignitatem reſtituti.* Hæc, ut ſcripſi, ita in omnibus libris impreſſa ſunt, nulla mendi appoſita nota, qui ſolet aſteriſcus eſſe; mihi tamen, ſingula verba examinanti, & ad hiſtoriam ac veterem conſuetudinem referenti, ita non vacare mendo locus hic viſus eſt,

C ut tres in eo vitioſas opiner eſſe dictiones; aut, ſi me fallit opinio, refellat aliquis vel voce, vel ſcripto; ſed ſcripto potius, quam voce. Nam apud imperitos adoleſcentes occulte nugari, & aliorum ſcripta, iis, qui ſcripſerunt, abſentibus, carpere, malitioſæ invidiæ videtur eſſe. Ego meas opiniones edo: edant ſuas, qui contra ſentiunt; nam, ſi recte ſenſerint, ultro gratias habebo; & me in ea re, quæ ſtudioſis utilitatem pariat, redargui lætabor. Sin autem non a me potius, quam a veritate, diſſenſerint: ipſi quoque, ſi boni viri ſunt, & communi commodo conſultum volunt, ſe a me corrigi æquo animo patiantur. Sed locum examinemus. *Cenſor*

D *ille Quinctius, & M. Furius Camillus, & M. Servilius.* Non dubium eſt, quin ordinem temporum in his nominibus Cicero ſervaverit. Itaque ante Camilli exilium, quo de hic agit Cicero, evolvi diligenter omnes hiſtorias, ut de Quinctio cenſore damnato mentionem aliquam invenirem: nec tamen cenſorem ullum non modo ante Camillum, ſed ne poſt quidem in magiſtratu damnatum a populo comperi. Quod eo magis miratus ſum, quia Cicero, ut de homine notiſſimo, loquitur, cum ait, *cenſor ille Quinctius*; ſicut alibi, *Metellus ille Numidicus, Alexander ille Macedo.* Suſpicatus igitur de mendo,

E correctionem in litterarum ſimilitudine quæſivi: & pro *cenſor*, *Kæſo* legendum conjeci, conjectura non ab hiſtoria minus, quam ab ingenio, ducta; nam Kæſonem Quinctium, ab A. Virginio tribuno plebis accuſatum, in exſulium profugiſſe, apud Livium lib. III. & Dionyſium libro X. ſcriptum eſt. Quod ſequitur de M. Servilio; nihil de M. Servilio damnato vetuſtatis monumenta loquuntur; mihi venit in mentem, C. Servilius, reponi poſſe: ut C. Servilius Ahala ſignificetur; quia, cum loquatur Cicero de iis, quos optime meritos populus damnavit, utrumque inveniemus, & optime meritum C. Servilium, & a populo damnatum. Optime meritum nemo,

F opinor, qui paullo ſit humanior, ignorat; cum ejus manu Sp. Melium, regnum appetentem, eſſe interfectum, Livius libro IV. & Cicero in Catone majore tradiderint; damnatum a populo, unus quod ſciam, ſignificat Valerius Maximus: cujus hæc ſunt verba, libro V. *Ahala vero, cum magiſter equitum Sp. Melium, regnum affectantem, occidiſſet, cuſtoditæ libertatis civium exſulio ſuo pœnas pependit.* Tertium mendum opinor eſſe in dictione, centuriatis. Cum enim Kæſonem Quinctium, accuſante A. Virginio tribuno plebis, damnatum ſciamus, & accuſante item tribuno plebis L. Appuleio M. Camillum;

nec vero de C. Servilio secus opinemur: (nam optime meritis diem dicere non consules, sed tribuni plebis solebant) non video, centuriatis comitiis qui locus esse potuerit: quæ, ut paullo ante ostendi, tribuno plebis habere non licebat. Movet etiam illa ratio, quod, cum ante XII. Tabulas Kæso Quinctius damnatus sit, aliquot annis post Coriolani damnationem, non est, ut centuriæ de illo suffragium ferre potuerint: siquidem a Coriolani damnatione tribus de capite civis suffragium ferre cœpisse, jam ex Dionysio ostendimus: Centurias autem XII. Tabularum jussu revocatas esse, ea, quæ supra recitavimus, ex ipsis XII. Tabulis verba declarant. Quare confirmor in sententia; &, *centuriatis*, vitiosa esse dictionem puto. Quod utinam, ut ille ait, tam facile vera reperire possem, quam falsa convincere. Vitium equidem, nisi fallor, ostendi: sed, ut, quod vitiosum est, sanetur, opportuna me remedia deficiunt: non quod omnino, quo me conjectura ducat, non habeam; sed, quod cum in hac emendandi ratione, in qua jam inde a prima adolescentia sum versatus, hoc maxime soleam sequi, ut inter mendum & correctionem sit quasi quædam affinitas litterarum, quæ mendi occasionem dedisse videatur; si qua mihi oritur conjectura, ab impressa scriptura paullo alienior, abjicio; neque, quod ipsi mihi displicet, aliis placere cupio. Apparet omnino, si ea, quæ dixi, considerentur, pro *centuriatis*, reponi posse, *tributis*; quod a *tribunis* plebis non centuriata, sed tributa comitia habeantur; & quod Kæso Quinctius damnari centuriatis non potuit, quæ aliquanto post, XII. Tabularum jussu, revocata sunt; sed, quia inter has dictiones, centuriatis, & tributis, minimum esse video similitudinis, vix opinor, quod ipsa ratio proponit, verum esse posse. Quod si cum ratione liber etiam aliquis scriptus consenserit, jam ego non suspensus hærebo, sed in eam, quo suadet ratio, sententiam totum me dabo. Quod si quis objiciat, nec *tributis*, reponi posse, nec *centuriatis*, mendosum esse, propter eam caussam, quia post XII. Tabulas, quæ de capite civis non nisi centuriatis comitiis judicari voluerunt, Camillus & Servilius damnati sunt: hic sane probabiliter objiciet, & argumento niti videbitur satis firmo: verum ego huic ita objicienti respondebo: cur post XII. Tabulas tributis tamen comitiis & de P. Popillio C. Gracchus, & de Q. Metello L. Saturninus tulit? quemadmodum enim in Popillio & Metello, sic in Camillo & Servilio, nullam XII. Tabularum rationem ab improbis tribunis plebis habitam esse dico. Nonne, quod supra diximus, id ipsum in Cicerone contingit, ut, contra quam XII. Tabulæ caverant, tributis comitiis damnatus in exsulium abierit? sæpe contra leges a tribunis plebis iniquissime actum esse legimus, cum senatus, qui ab incitato populo graviora metueret, eorum libidini cedendum putaret. Quare etiam post XII. Tabulas nihil obstat, quo minus tributis comitiis multi rerum capitalium condemnati sint. Illud tamen perpetuo servatum post XII. tabulas existimo, ut, quicumque perduellionis accusaretur, quod erat ex capitalibus criminibus maximum, de eo, sive tribunus plebis, sive major magistratus ageret, non tributis comitiis, sed centuriatis populus judicaret; nam, etsi in centuriis & patricii suffragium ferebant, quos advocare tribuno plebis non licuisse diximus: tamen, cum eo de crimine ageretur, quod ad salutem Reip. pertineret, petebat tribunus plebis a majore magistratu, ut sibi populum per centurias convocatum, ejus judicii caussa, certo die præberet, cum ipse centuriata comitia habere non posset; id cognovimus ex Gellio, vel potius a Valerio Antiate: cujus ex historia locum recitat Gellius libro VII. cap. 9. quem nos quoque recitabimus. *Peposci*, inquit, *non Poposci, Valerius Antias libro Annalium*

A XLV. *scriptum reliquit*. *Denique Licinius tribunus plebis perduellionis ei diem dixit, & comitiis diem a Q. Marcio Prætore peposcit*. Livius quoque libro XXVI. eandem consuetudinem ostendit. *Sempronius*, inquit, *perduellionis se judicare Cn. Fulvio dixit, diemque comitiis ab C. Calpurnio prætore urbis petit*. Cur tribuni plebis, Licinius & Sempronius, diem a prætore comitiis petierunt? an sine prætore tribunus plebis tributim populum ad judicium convocare non poterat? non video, cur non potuerit: idque sæpe esse factum legimus. Petiit igitur centuriarum caussa, non tribuum; quia in ejusmodi crimine, quod ad communem salutem pertineret, centuriata comitia, in quibus civitas universa suffragium ferre posset, habenda viderentur: cum in tributis non universa civitas, sed, ut sæpe jam dixi, soli plebeii suffragium ferrent. Ut autem clarius appareat, in crimine perduellionis non tribus, sed centurias suffragium tulisse; alium Livii locum ex libro VI. recitemus. *In campo Martio*, inquit, *cum centuriatim populus citaretur; & reus, ad Capitolium manus tendens, ab hominibus ad deos manus avertisset: apparuit tribunis, nisi oculos quoque hominum liberassent a tanti memoria decoris, numquam fore in præoccupatis beneficio animis vero crimini locum*. Loquitur de M. Manlio Capitolino, perduellionis reo; cujus ad judicium centuriæ vocatæ sunt: quia, cum senatusconsultum factum jam esset, ut viderent magistratus, ne quid ex perniciosis consiliis M. Manlii resp. detrimenti caperet, simul cum tribunis plebis, qui accusabant, tribuni militum consulari potestate consenserunt: ab hisque tribuni plebis & petierunt centuriata comitia, & acceperunt, sicuti Licinius & Sempronius tribuni plebis, de quibus Antias & Livius mentionem fecerunt, a prætore petierant. Semper igitur tribuni plebis in crimine perduellionis, quod fuisse omnium maximum ostendemus in libro de Judiciis, XII. Tabulis paruerunt; in reliquis criminibus, non item. Quod si non tribuni plebis, sed consul, aut major aliquis magistratus de capite civis ad populum ferret, tum quidem XII. Tabularum jussum esse observatum, & centuriatis comitiis semper judicatum esse, minime dubitaverim. Qua de re exemplum unum recitabo, quandoquidem multa non licet, quod de L. Sulla in oratione pro domo sua a Cicerone traditum est. *Populus Romanus*, inquit, *L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit*. Tunc enim agitur de capite, damnati aut civitate, aut libertate, aut vita privantur. Quo de genere, & in quo capitis deminutio a caussis capitalibus differat, disputabitur in libro de Judiciis. Quod si populus in caussis capitalibus, excepto perduellionis crimine, tributis comitiis sæpe judicavit: certe in iis caussis, quæ capitales non essent, tributis item comitiis judicasse verisimile est; de quo exemplum libro XL. apud Livium observavimus; ait enim, *tributis comitiis inter C. Servilium, Pontificem Maximum, & L. Cornelium Dolabellam, duumvirum navalem, certatum ad populum esse, ob multam, quam Dolabellæ, nisi magistratu se abdicaret, Servilius dixerat*. Et idem lib. IV. *M. Postumium decem millibus æris gravis damnatum a tribubus significat*. Judicarunt igitur, ut superiora colligam, de capite civis primum curiæ, a Tullo Rege ad Servium Regem; cum eam potestatem lege Romuli, ut opinor, accepissent: deinde centuriæ, a Servio Rege ad Coriolani damnationem: tum tribus, a Coriolano ad decemviros, qui XII. tabulas conscripserunt: postremo, si tribuni plebis rogationem ferrent, modo centuriæ, modo tribus; centuriæ in perduellione; tribus in reliquis capitalibus criminibus; & centuriæ, ex XII. tabulis; tribus contra XII. tabulas; sin autem major magistratus accusaret, tum centuriæ semper ex XII. Tabulis de reo judicarunt.

CAP. XV.

De pecunia, quæ dividebatur populo & comitiis.

SI creandus eſſet magiſtratus, populus ejus magiſtratus juſſu, qui comitia habebat, in campum Martium coibat. Eo de collibus, in quibus habitabant, deſcendebant ii, qui magiſtratum petebant, propinquorum, amicorum, clientium frequentia ſtipati, honoris & commendationis cauſſa. Tum ad concilianda populi ſtudia, quam blandiſſime poterat, pro ſe quiſque populum, apprehenſis manibus, rogabat; unde prenſare verbum. Et Scipio Naſica, cum ædilitatem curulem petens, ruſtici hominis apprehenſa manu, aſperitatem ac duritiem ſenſiſſet, eique, joci cauſſa, num tu manibus ambulas, dixiſſet, ob eam cauſſam repulſam tuliſſe fertur; ruſticis tribubus, ad quas Naſicæ dictum emanaverat, paupertatem ſibi exprobratam judicantibus. Prenſabant autem competitores omnes, candida toga induti; ut eo colore, qui puriſſimus atque apertiſſimus eſt, ſimplicem animum in petendo honore nullaque labe ſuffuſum ſignificarent. Prenſabant & ſine tunica, ut apud Plutarchum ἐν τῷ τῶν Προβλημάτων βιβλίῳ ſcriptum eſt: vel ne argentum ſinu ferentes, & tunica, quæ corpus prima tegit, celantes, comitia corrumperent, vel ut cicatrices, adverſo corpore in bello exceptæ, meritorum in patriam indices ac teſtes, populo paterent; vel ut, pectore denudato, ſupplices, quaſi ſe iis, quos rogabant, ſummittentes ac totos dedentes, eorum ſtudia magis allicerent. Quo ipſo Plutarchi teſtimonio monemur, non eſſe ipſo comitiorum die nummos a candidatis inter prenſandum populo diviſos; nam, dividi ſolitos, lege permittente, dubium non eſt; neque ſolum ab iis, qui diviſores dicebantur, verum etiam a candidatis; de diviſoribus auctorem habeo Pædianum in II. Verrinæ commentario: de candidatis Ciceronem ipſum; qui, in quadam ad Atticum epiſtola, ita ſcribit: *Scaurus domi ſuæ tributim populo ſatisfecerat*. Quibus verbis, & licuiſſe dividi populo nummos a candidatis, & ante comitiorum diem diviſos eſſe, facile conjicimus. At cur tributim, id eſt, cujuſque tribus hominibus, in ea epiſtola dixit Cicero; cum Scaurus conſulatum peteret, & conſulatus non tributis, ſed centuriatis comitiis daretur? quia in unaquaque tribu homines erant a pecunia inopes; qui centuriatis comitiis vel in quincta claſſe, quæ XXX. centurias habebat, vel in ſexta, quæ unam tantum, ſuffragium ferrent. Ita, qui tributim nummos dividebant, ſuffragia XXX. centuriarum quinctæ claſſis, & unius e ſexta, quæ ultima erat, aucupabantur. Nam quartæ claſſis homines, quorum cenſum XXV. minis ad L. fuiſſe, ex Dionyſio & Livio docuimus, inopia laboraſſe, & ad capiendos nummos iviſſe minus veriſimile eſt. Dividebant igitur nummos tributim candidati conſulares; non ſolum, ne repulſam ferrent; cum ſæpe paucarum centuriarum ſuffragiis vel datus honor ſit, vel ereptus; quod L. Turio contigiſſe, ſcribit Cicero in Bruto: verum etiam ut centuriis quam plurimis crearentur: quod cum ſpecioſum in primis maximeque honorificum ſemper fuit; itaque ſe cunctis centuriis prætorem eſſe factum, Cicero noſter, in Oratione pro Lege Manilia, ſuo more gloriatur: tum interdum etiam neceſſarium; cum multi competitores populo probarentur, ac magiſtratu digni viderentur; nam, ſi plures, quam quot magiſtratum gerere poſſent, populi ſuffragiis deſignati eſſent, &, ut loquitur Livius, centurias, aut tribus expleſſent, tum, non qui centurias, aut tribus expleverat, ſed omnino qui plures aut centurias, aut tribus tulerat, de iis ipſis, qui expleverant, ad gerendum magi-

A ſtratum legebatur. Dividebantur igitur populo nummi, lege permittente; verum, quia tum candidati, tum ii maxime, qui candidatorum nomine dividebant, quos diviſores appellat Cicero in orationibus, ſæpe plus, quam quantum lege licebat, dividere ſoliti ſunt: iccirco multas de coercendo ambitu leges, & poſterioribus quaſque duriores, e S. C. latas eſſe legimus. Hic, quando, ut de candidatis diceremus, ipſe narrationis ordo nos adduxit, addamus & illud: Omnes quidem, qui peterent, candidatos fuiſſe; non omnes tamen, qui crearentur, numero candidatorum fuiſſe. Cur? quia creabantur interdum, qui non petebant, atque etiam nonnulli, quorum animus a magiſtratu abhorrebat, ut T. Manlius Torquatus; qui conſulatum renuit, oculorum valetudine excuſata; & quemadmodum non omnes, qui creabantur, de genere candidatorum erant: ſic ex ipſis candidatis creari nemo poterat, niſi cujus nomen recepiſſet magiſtratus is, qui comitiis præerat; propterea, cum Cn. Flavius, Cn. filius, ſcriba, libertino patre natus, curulem ædilitatem peteret; ædilis, qui comitia habebat, negavit ſe nomen ejus accipere, quia ſcriptum faceret. Tum Flavius, tabula poſita, juravit ſe ſcriptum non eſſe facturum; & ædilis creatus eſt. Q. etiam Fabius Maximus conſul, cum haberet comitia conſulibus creandis, rogatus ab omni nobilitate, ut Appii Claudii, qui cum ipſo Fabio conſul fieri vellet, rationem haberet; facturum ſe fuiſſe dixit, ut duorum patriciorum nomina reciperet, ſi alium, quam ſe, conſulem fieri videret: nunc ſe ſui rationem comitiis, cum contra legem futurum ſit, peſſimo exemplo non habiturum; ita L. Volumnius de plebe cum Appio Claudio conſul factus eſt. Cum prenſaverant candidati, quos non ſuis dumtaxat comitiis, ſed anno etiam antecedente, aliorum comitiis prenſare ſolitos, epiſtola ad Atticum prima declarat; omnes XXXV. tribus, aut centuriæ non promiſcue in campo verſabantur, ſed intra quædam ſæpta ſingulæ ſe recipiebant. Quæ & Ovilia a ſimilitudine dicta Servius, ubi illud in prima Ecloga interpretatur,

Quamvis multa meis exiret victima ſæptis,

declarat his verbis: *Sæpta, proprie ſunt loca in campo Martio, tabulatis incluſa: in quibus ſtans populus Romanus ſuffragia ferre conſueverat. Sed, quoniam hæc ſæpta ſimilia ſunt ovilibus, duo hæc invicem pro ſe ponuntur, ut hic ſæpta pro ovilibus poſuit*: Lucanus e contra,

Et miſeræ maculavit ovilia Romæ: & Juvenalis,

Antiquo quæ proxima ſurgit ovili.

Hæc Servius. Qui quod de populo Romano dixit; non dubito, quin ad omnem populi conventum referri poſſit, ſive is eſſet tributis comitiis, ſive centuriatis: non, ut omnis populus unico ſæpto concluderetur; ſed ut tribus & centuriæ in campo Martio ſuffragia laturæ, ſuis ſingulæ ſæptis diſcluderentur; nam & loca tabulatis incluſa dicit fuiſſe, numero multitudinis: &, cum ovilibus adeo ſimilia fuerint, ut inde ſumpto nomine interdum ovilia ſint appellata; non dubium eſt, quin de pluribus ſæptis in campo Martio ita ſit accipiendum, ut in ovili ſtabulario plura ſæpta ſcimus eſſe, alia ad lactentes hædos cum matribus continendos, alia ad prægnantes oves, alia ad reliquas cum arietibus. Segregatas vero hujuſmodi ſæptis non tribus modo, verum etiam centurias, cognoſcitur ab exemplis; nam & Livius de centuriarum ſæptis aperte loquitur libro XXVI. cum ait: *Datum in ovili ſecreto colloquendi tempus*. Et idem, cum libro X. centurias primo, deinde aliquanto poſt tribus, ad ſuffragium ait intro vocatas; quo modo & Cicero ſimili de re locutus eſt pro C. Cornelio; tam tribuum, quam centuriarum ſæpta per verbum, *introvocari*, videtur ſignificare; quo enim introvocarentur in campo Martio? nimirum, intra ſæpta, ut ſeparatim

singulæ suffragium ferrent. Nec magis de centuriarum, quam de tribuum sæptis accepisse videtur Ovidius, in illo versu Fastorum libro I.

Est quoque, quo populum jus est includere sæptis. In oratione etiam pro Milone hujusmodi sæpta nominat: quo sæpe Clodius, ut comitia turbaret, irruebat. Eademque hæc Martii campi sæpta significat Svetonius, in Augusto, cum ait: *Ludos facit nonnumquam vicatim, ac pluribus scenis, per omnium linguarum histriones, non in foro modo, nec in amphitheatro, sed in circo, & in sæptis*. Et paullo post: *Publicavit Rhinocerotem apud sæpta, Tigrim in scena*. Hic occurrit illud. Si tam tribus, quam centuriæ sæptis invicem disjungebantur, cur in epistola ad Atticum libro IV. dixit Cicero: *In campo Martio sæpta tribuniciis comitiis marmorea sumus & tecta facturi*? cur non potius, *comitiis*, quam *tribuniciis comitiis*? Nam si comitiis dixisset, de omni populi conventu, id est, tam de tribubus, quam de centuriis, sæpto marmoreo discludendis, acciperetur. Cum vero tribuniciis comitiis dixerit, non de centuriarum, sed de tribuum sæptis videtur intelligere; non enim centuriatis, sed tributis comitiis tribuni pl. creabantur. Itaque jure dubitatur. Ego autem, ut tollatur dubitatio, primum, pro *tribuniciis* lego *tributis*: sicuti in Bessarionis antiquo libro scriptum est. Nam, ut tantummodo eorum comitiorum caussa, quæ ad unum magistratum designandum haberentur, sæpta marmorea fierent, absurdum est opinari. Tributis vero comitiis non soli tribuni pl. sed minores omnes magistratus designabantur. Itaque sæpta marmorea Cæsaris nomine Cicero & Oppius in campo Martio facere cogitabant, ut populum, quotiescumque tributim in campum conveniret, commode & honorifice reciperent. Primum igitur locum ita corrigo. Deinde, cum quæritur, cur comitiis generali vocabulo non dixerit, respondeo, quia necesse non fuit: quandoquidem, quæ sæpta fiunt tribuum recipiendarum caussa, ea centuriarum caussa fieri non dubium est. Nam, quo recipiuntur tribus, multo facilius recipientur centuriæ; frequentior enim in tribubus, quam in centuriis, populus fuit. Dixit igitur, *tributis comitiis*; cum hoc significaret, ad eam frequentiam populi recipiendam, quæ summa est. Tributis autem comitiis summam esse non ignorabat, ideo nominavit *frequentissima comitia*: sic enim amplitudinem sæptorum Attico significabat. Quod si quis plura sæpta centuriis, quam tribubus, necessaria fuisse objiciat, cum plures essent centuriæ, quam tribus, nihil agat; nam XXXV. sæpta, numerum tribuum æquantia, omnibus CXXCIII. centuriis recipiendis facile sufficerent: cum in uno unius tribus sæpto multæ centuriæ separatum locum capere possent. Ita non plura sæpta, quam XXXV. quot scilicet tribus erant, existimo fuisse. Erant etiam pontes hujusmodi sæptis superimpositi; non solum, ut iis, qui calculorum, aut tabellarum cistas deferrent, facilis, & expeditus, a centuria ad centuriam, vel a tribu ad tribum transitus esset; verum etiam, ut calculi, sive tabellæ, commodius populo de loco superiore viritim distribuerentur; non enim his de pontibus suffragium ferebatur; sed calculi, sive tabellæ suffragium laturis ministrabantur. Patet ex Ciceronis epistola ad Atticum libro I. in qua hæc sunt verba: *Operæ Clodianæ pontes occuparant: tabellæ ministrabantur, ita ut nulla daretur, Uti rogas*. Occuparant enim ideo pontes operæ Clodianæ, ut ne quis, præter ipsos, ministrare tabellas posset iis, qui de lege contra Clodium lata suffragium laturi erant. Ipsi enim tantum eas ministrabant, quæ legem antiquarent; nullam, quæ juberet: ut populus, vellet, nollet, antiquare cogeretur; cum sine tabella, *Uti rogas*, de qua jam dicemus, jubere non posset. Legimus etiam in Svetonio, eum, qui comitia haberet, his de pontibus populum ad suffragia vocasse; scripsit enim in Julio sic: *Primum cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem, partibus divisis e ponte dejicerent, atque exceptum trucidarent*. Nam de ponte, qui fluminis, aut omnino fossæ alicujus transitum conjungeret, absurdum est opinari: cum perpetuum & continentem fuisse campum Martium, nulla interfluente, aut interjacente aqua disjunctum, nemo nesciat. Illud de pontium angustiis, quod *lege Maria sancitum contra ambitiosos* scribit Cicero libro de Legibus III. quo modo sit accipiendum, non plane dispicio; nisi si propterea sancitum intelligas, ut adscensu prohiberentur ii, qui, ambitiosis civibus gratificantes, tabellas ex illorum voluntate ministrarent; cum unicuique binas, alteram, quæ antiquaret, alteram, quæ juberet, ministrari & æquum & usitatum esset. Quod autem & de calculis, & de tabellis, populo distributis, paullo ante dixi; id eo dixi, quia neque semper calculis in ferendo suffragio, neque semper tabellis populus est usus, sed solis calculis ante leges tabellarias, post autem semper tabellis. Leges autem tabellarias intelligo eas, de quibus mentionem facit Cicero, libro III. de legibus, Gabiniam, Cassiam, Papiriam, Cœliam. Nam calculis populum in comitiis esse usum nemo, qui Dionysium legerit, ignorat. Nec vero dubium est, quin, quemadmodum post leges tabellarias, duas quisque comitiis tabellas accepit, diverse inscriptas, ad distinguendam voluntatem: sic, ante eas leges, duos quisque calculos, diverse coloratos, acceperit; album ut approbaret; nigrum e contrario; excellit enim inter colores albus; ideoque Deo esse præcipue decorum, tum in ceteris, tum maxime in textili, auctor est Plato; quem locum vertit Cicero libro II. de Legibus. Itaque, prosperam voluntatem albo lapillo significatam in ferendo suffragio, adversam nigro, facile conjicimus: cum etiam dies feliciter, aut infeliciter traductos albo aut atro lapillo signatos legamus. Athenienses quoque albis calculis in absolvendo, nigris in condemnando usos esse, non solum is, qui Demosthenis orationem, quæ inscribitur κατὰ Τιμοκράτυς explanat, verum etiam Julius Pollux libro IIX. satis aperte declarat. Calculi igitur colore, tabellæ inscriptione distinguebantur; altera enim duas litteras habebat insculptas, V. R. id est *uti rogas*; altera unam, A. id est, *antiquo*. Approbandi nota erat, V. R. improbandi, A. nam cum utebatur aliquis ea tabella, ubi, V. R. erat inscriptum; significabat, velle se, & jubere id, quo de ab eo, qui habebat comitia, rogabatur; rogabat enim populum his verbis magistratus: *Vultis, jubetis ne, ut Consul creetur Tullius Cicero?* vel, ut *Mithridati Regi bellum inferatur*? vel, ut *M. Tullio Ciceroni provincia Cilicia mandetur*? vel, ut *M. Tullio Ciceroni aqua & igni interdicatur*. Quattuor enim de caussis, ut diximus jam, comitia habebantur, vel magistratus, vel legis, vel provinciæ, vel judicii caussa. His igitur verbis magistratus cum rogasset; qui de populo probabant & assentiebantur, ferebant tabellam duabus litteris, V. R. signatam: cum per suam quisque tabellam, voluntatis & mentis nunciam atque interpretem, hoc exponeret; Uti rogas ita volo & jubeo. Hinc rogatio pro lege, quia rogante magistratu ferebatur, & comitia consulibus rogandis, in quibus populus de consulibus creandis rogaretur; qui vero id, quo de rogabantur, improbabant; una littera A. inscriptam tabellam ferebant: ut hoc significarent, antiquo, id est, in antiquo statu rem esse jubeo, nihil innovari volo, nihil ferri; itaque, cum de legibus modo antiquitatis, modo abrogatis legimus; non eodem sensu dictum accipiamus; sed antiquatam legem intelligamus eam, quæ, cum antea non fuisset, latam a magistratu populus respuebat; abrogatam eam, quæ, cum antea fuisset, in posterum non esse

esse populus jubebat. Novam igitur antiquabat, veterem abrogabat: antiquabat, inquam, novam, cum delatam rejiciebat; abrogabat veterem, cum susceptam abjiciebat. Et quamquam utrumque verbum, tum *antiquare*, tum *abrogare*, aversam a lege voluntatem populi significat: tamen non eadem tabella utrumque fieri solitum existimo; sed in antiquando latam esse tabellam A, in abrogando tabellam V.R. quia magistratus, ut in ferenda lege rogabat his verbis, Vultis, jubetis-ne, ut lex de ambitu perferatur; sic, ut opinor, in abroganda, Vultis, jubetis-ne, ut lex de ambitu abrogetur. Et populus, sive in nova lege perferenda, sive in vetere abroganda assentiretur, per tabellam respondebat, Uti rogas. Hujusmodi tabellæ (ut etiam minuta quæque persequamur) cistis in campum deferebantur. Unde illud libro I. ad Herennium *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus & trientibus laturus esset; Q. Cæpio, qui per id temporis quæstor urbanus erat, docuit senatum, ærarium non posse pati largitionem tantam. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus remp. videri eum facere. Saturninus ferre cœpit, collegæ intercedere, ille nihilominus cistellam deferre. Cœpio, ut illum contra senatus consultum, intercedentibus collegis, adversus remp. vidit ferre, cum viris bonis impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius feratur lex.* Neque vero iis assentior, qui cistæ & sitellæ eundem usum in comitiis esse putant; cum utramque pro vase interpretantur, quo tabellæ suffragiorum continerentur. Nam sitella nomina tribuum, aut centuriarum, continebat: quibus sorte eductis, suum quæque locum tribus, aut centuria in ferendo suffragio noverat, quæ scilicet prima esset, quæ secunda, quæ tertia, usque ad extremam ordine servato, qui sorte contigisset. Quod ut ita esse credam, facit Cicero, qui primam centuriam sorte eductam, quæ prærogativa dicebatur, testatur Philippica II. quod ipsum libro XXIV. & XXXVII. Livius comprobat. Ipsas autem sortes in sitella fuisse iidem significant. Noster quidem in oratione pro C. Cornelio, quæ integra non exstat, his verbis: *Est utique jus vetandi, cum lex fertur, dum privati dicunt, dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit.* Quo loco de tribubus sorte eductis, ex Asconii commentario cognoscitur. Livius autem sic libro XXV. *Tribuni populum summoverunt, sitellaque allata est, ut sortirentur.* Itaque sic statuo atque concludo, sitellam fuisse, unde tribuum, sive centuriarum, nomina sorte educerentur, ut suum quæque locum in suffragio ferendo servaret; non unde sumptæ tabellæ, suffragiorum notis inscriptæ, distribuerentur. Cista vero continebat eas tabellas, quæ sine sorte viritim tribubus, aut centuriis, suffragiorum caussa, ministrabantur. Et, ut dicam, quod sentio, quem locum ex libro ad Herennium recitavimus, in eo loco *sitellam* potius, quam *cistellam*, legendum crediderim. Nam & Cicero, non de *cistella*, sed de *sitella* delata bis mentionem facit in ea pro C. Cornelio oratione, deque Natura Deorum libro I. & Livius eodem fere modo loquitur loco a nobis recitato. Ut illam quoque rationem omittam, quod ad continendas eas tabellas, quæ viritim populo distribuerentur, non una cistella, sed pluribus cistis opus esset; sortibus autem, sive tribuum, sive centuriarum, una sitella sufficeret. Distributis tabellis, deinceps omnes tribus eo, quem sortitæ fuerant, ordine ad suffragium vocabantur; prima, quia cui mandari magistratum vellet, ante alias rogaretur, prærogativam esse appellatam Pædianus tradit; reliquæ jure vocatæ dicebantur; quod in his, sequente populo, ut sæpe contigit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Lato suffragio, ex unaquaque tribu numerus tabellarum punctis notabatur; quod ex oratione pro Murena, & ea pro Plancio patet; tabellarum, inquam, & earum, quæ approbandi notas habebant, & earum, quæ antiquandi. Ad quem morem spectavit Horatius in illo artis poeticæ,

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci.

&, quemadmodum e numero punctorum voluntas cujusque tribus, sic e numero tribuum populi judicium cognoscebatur. Nam, si e XXXV. tribubus XVII. candidatus tulisset; is, nisi si quis plures tribus tulisset, magistratus creabatur. Quod si plures candidati tot tribus tulissent, quot ad creationem satis essent: tum, si locus in magistratu non omnibus esse poterat, creabantur & pronunciabantur a magistratu comitia habente dumtaxat ii, qui plures tribus, quam reliqui, tulissent; qui vero plures, quam omnes reliqui, tulisset, is primo loco creatus dicebatur: quod quibus contigit, gloriosum fuit. Semel omnino, quod quidem legendo cognoverim, accidit, L. Valerio, M. Horatio consulibus, ut ex omnibus candidatis legitimus & magistratui necessarius numerus creatus non sit. Tribunis enim plebis quinque creatis, alii candidati tribus non explerunt: & Duillius, qui comitia habebat, (hoc enim ei munus sorte contigerat) concilium dimisit, nec deinde comitiorum caussam habuit: cum satisfactum legi diceret: quæ, numero nusquam præfinito tribunis, modo, ut relinquerentur, sanciret, & ab iis, qui creati essent, cooptari collegas juberet. Scribit Svetonius, etiam pontificem maximum tributis comitiis creatum; quod cum eo, quod diximus, de minoribus tantum magistratibus tributim creatis, non pugnat. Non enim pontificatus erat magistratus, sed honor & dignitas: sicuti nec tribuni militum comitiati magistratus erat: quos tamen utrosque tributis comitiis designatos ex Festo & Pædiano cognovimus. Cur autem magistratus non esset, suo loco, id est, proximo libro, qui de magistratibus erit, exponemus. Ex quattuor tributorum comitiorum caussis, quas posuimus, primam, ut opinor, satis copiose explicavimus, de magistratu creando: sequitur, de lege jubenda. Jubebat populus eas tributis comitiis leges, quas minores magistratus sine S. C. ferebant; nam, quæ e S. C. ferebantur, non tributis, sed centuriatis comitiis, neque a minoribus magistratibus, sed a majoribus ferri, mos fuit. Hinc illa Ciceronis, & in epistolis, & in orationibus, sæpe usurpata prædicatio; cum se centuriatis comitiis in patriam restitutum gloriatur; qui tributis fuisset ejectus. Nam tribunus pl. P. Clodius de ejiciendo Cicerone tributis comitiis tulit, non modo senatu non approbante, sed etiam invito & dissentiente: proximo autem insequenti anno de eodem revocando consul P. Cornelius Lentulus centuriatis comitiis ex eo senatus consulto tulit, quod, ipso & Metello collega referentibus, factum erat. Quo fuit Ciceronis reditus illustrior, quam aut P. Popillii, aut Q. Metelli, aut C. Marii: qui, rogationibus tribuniciis, non auctoritate Senatus, neque centuriatis comitiis, reducti sunt. Quod ipse, in oratione post reditum ad Quirites, & pro domo sua, testatur.

LEGEM a rogatione differre, veteres nonnulli existimarunt. Qua de re Festi verba recitabimus. *Rogatio*, inquit, *est, cum populus consulitur de uno, pluribus-ve hominibus, quod non ad omnes pertineat; & de una, pluribus-ve rebus, de quibus non omnibus sanciatur.* Quod ipsum & Ateium Capitonem existimasse, Gellius libro X. cap. 20. significat, his verbis: *Lex, inquit Ateius Capito, est generale jussum populi, aut plebis, rogante magistratu;* deinde hæc ipse Gellius subscribit: *Ea definitio si probe facta est, neque de imperio Cn. Pompeii, neque de reditu M. Ciceronis, neque de cæde P. Clodii, quæstio,*

A *neque alia id genus populi, plebisve, jussa leges vocari possunt. Non sunt enim generalia jussa, neque de universis civibus, sed de singulis, concepta. Quocirca privilegia potius vocari debent: quia veteres priva dixerunt, quæ nos singula dicimus. Plebem autem Capito in eadem definitione seorsum a populo divisit: quoniam in populo omnis pars civitatis, omnesque ejus ordines contineantur: Plebs vero ea dicitur, in qua gentes civium patriciæ non insunt. Plebisscitum igitur est, secundum eum, lex, quam plebes, non populus, accipit. Sed totius hujus rei, jurisque, sive cum populus, sive cum plebs, rogatur, sive quod ad universos, sive quod ad unum, pertinet, caput ipsum, & origo, & quasi fons, rogatio est.* B *Ista enim omnia vocabula censentur, continenturque, rogationis principali genere, & nomine. Nam, nisi populus, aut plebs, rogetur; nullum plebis, aut populi, jussum fieri potest. Sed, quamquam hæc ita sunt; in veteribus tamen scriptis non magnam istorum vocabulorum differentiam esse animadvertimus. Nam & plebiscita, & privilegia, translato nomine, leges appellaverunt: eademque omnia confuso & indistincto vocabulo rogationes dixere. Sallustius quoque, proprietatum in verbis retinentissimus, consuetudini concessit; & privilegium, quod de Cn. Pompeii reditu ferebatur, legem appellavit. Verba ex secunda ejus historia hæc sunt: Nam Sullam consulem, de reditu ejus legem ferentem, ex composito tribunus pl. C. Herennius prohibuerat.* Nos quoque Gellii sententiæ subscribimus. Idque veterum exempla multa, satis plana, satisque perspicua, abunde confirmant. Lex omnis, sive ad unum, pluresve homines, sive populus, sive plebs, rogaretur, non nisi a magistratibus ferebatur. Et, quamquam de iis dumtaxat legibus, quæ a minore magistratu ferrentur, hoc loco scribere propositum nobis fuit: tamen ne, disjuncta narratione, lectoris animus distrahatur; de omnibus plane legibus, tum a minore, tum a majore magistratu, perlatis, ea, quæ tractandis veterum litteris, consecuti sumus, omnia conjuncte exponere satius putamus. Itaque faciemus: idque, more nostro, quam planissime, & quam brevissime fieri poterit.

F I N I S.



NICOLAI GRUCHII
ROTOMAGENSIS,
DE
COMITIIS ROMANORUM
LIBRI TRES.

IN LIBROS DE COMITIIS
PRÆFATIO.



ESPUBLICA *Romanorum quandiu fuit libera, ex tribus illa quidem Reip. generibus (quemadmodum docet Polybius) constabat, βασιλείᾳ, ἀριστοκρατίᾳ, δημοκρατίᾳ: ſed multo tamen maximam partem obtinuiſſe mihi videtur δημοκρατία. Quanquam enim regiæ poteſtatis ſpecies quædam in Conſulum imperio, in Senatus vero poteſtate optimatum principatus quodam modo agnoſceretur: populi tamen tanta erat auctoritas ſupra omnes magiſtratus, & Senatum, ut non immerito dici poſſit omne imperium, omnem majeſtatem illius Reipublicæ penes populum fuiſſe. Cui rei argumento eſſe poteſt ad populum provocatio, quæ non fuiſſet, niſi major eſſet populi quam magiſtratuum poteſtas. Quin etiam faſces ſummittendi mos, cum magiſtratus in concionem aſcendebant, confeſſio erat, populi, quam magiſtratuum, majeſtatem vimque majorem eſſe. Jam vero de capite civis, omninoque de libertate ac jure civitatis, nullius erat niſi populi judicium. Leges jubere, bellum pacemque decernere, ſocietatem cum aliquo contrahere aut diſſolvere, fœdera inire, in populi tantum erant poteſtate. Quodque maximum eſt virtutis in Repub. præmium, magiſtratus, & honores, cum omnibus paterent, nemo poterat niſi per populum aſſequi. Quæ ſi maximi ſunt in omni Repub. momenti, populum ſane, penes quem hæc erant omnia, longe maximam Reip. Romanæ partem obtinuiſſe fatendum eſt. Hæc a me eo dicuntur, ut oſtendam Reip. Romanæ cognitionem multo magis in eo poſitam eſſe, ut populi poteſtas quæ qualiſque eſſet intelligatur: quam in magiſtratuum ac Senatus poteſtate percipienda. Porro autem populi poteſtas decretis ſuis maxime continebatur. Quæ quoniam comitiis peragebantur, idcirco neceſſe eſt ad populi poteſtatem, adeoque univerſam prope Romanam Rempublicam plane intelligendam, comitiorum omnem rationem (quoad ejus fieri poteſt) cognitam ac perſpectam habere. Cum autem perneceſſaria ſit non modo ad eam rem, ſed etiam ad ſcriptorum Romanorum ac præſertim Ciceronis libros intelligendos comitiorum cognitio: tum vero non adeo facilis eſt, ut non permulta adhuc quæri poſſint, præter ea, quæ de his breviter ſcripta ſunt a graviſſimis auctoribus, Budæo, Alexandro Beroaldo, Blondo, aliiſque qui hunc locum in ſuis commentariis attigerunt verius quam perpurgarunt. Quibus tamen fortaſſe etiam contenti eſſe poſſemus, niſi in eorum ſcriptis multa eſſent, in quibus (quod pace eorum dixerim) a vero non modo diſceſſerunt, ſed etiam multos (ut fit) ſua auctoritate in varios errores induxerunt. Itaque ego cum huic de comitiis diſputationi adhuc primis lineis, & his non veris multis, adumbratæ verius quam depictæ, lucem aliquam veroſque colores addere inſtituiſſem: eo*

mihi difficiliorem locum relictum esse intelligebam, quo doctiores erant omnium judicio pictores, qui primam illam delineationem nobis reliquerant. Qua tamen difficultate deterreri non potui, quominus vel cum eorum reprehensione studiosos Romanorum scriptorum hac ex parte, si qua possem, juvare contenderem: in ea præsertim re, in qua eorum auctoritas veritatem magis labefactaret. Neque enim ignoro omnes, qui veritatis studio ad scribendum inducuntur, tanto æquiore animo ferre aliorum reprehensionem debere, quanto certiorem fieri ex refutatione rerum cognitionem intelligunt. Ac si auctore Aristotele, ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεῖα ἀναιρεῖν δεῖ, *ego profecto ex meo animo cæteros judicans, gratiam quæ mihi deberetur ab illis demortuis auctoribus, quorum opinionem veritatis studio potius non sum secutus quam refutavi, a posteris tanto cumulatius expecto, quanto quisque erit cum illorum auctorum admiratione rerum Romanarum studiosior: tantum abest ut id mihi vitio verti debere existimem. Nam & quæ a me de Comitiis scribuntur, ea non adeo pro oraculis habenda esse sentio, ut non maximam habiturus sim doctis hominibus gratiam, qui non modo nostra refutarint, sed etiam veriora in vulgus ediderint: ut & literarum studiosis bene consulant, & nos tandem nostræ ignorationis coarguant. Hanc de Comitiis disputationem in tres libros partitus sum. Primus est de comitiis centuriatis: Secundus est de Tributis: Tertius est de Curiatis. Singulorum generum disputatio tota continetur sex capitibus. Primum enim docetur quid essent singula illa comitia: Tum quæ & quot essent causæ habendorum comitiorum: Mox per quas personas peragerentur: Deinde quis esset singulorum comitiorum proprius modus: Post hæc de loco, ubi comitia fierent, agitur: Postremo de tempore habendorum comitiorum. Nam si in singulis generibus intelligatur quid essent ipsa comitia, quibus de causis haberentur, quarum personarum interventu fierent, quo modo peragerentur, quo loco & quo tempore, nil omnino videbitur desiderari posse ad eam comitiorum cognitionem, quæ, ut de re tantopere ob antiquitatem remota, expeti debet. Ac ne quis forte plus a nobis quam pro instituto nostro requirat: eam modo persequemur comitiorum rationem, quæ ante occupatam ab imperatoribus Rempub. observabatur: potissimumque omnia referemus ad tempora Ciceronis. Nam ut lucem aliquam ejus scriptis, quibus nulla magis passim in scholis leguntur, adferremus, hanc de comitiis tractationem maxime suscepimus. Ex hac tamen nostra disputatione non erit difficile intelligere, quandiu sub Imperatoribus fuerunt comitia, quæ esset eorum ratio, ut quæ, eo dempto, quod minus libera essent cæteris in rebus, eodem quo prius modo fiebant. Tiberius Cæsar initio sui imperii populo jus comitiorum ademit, ut docet Cornelius Tacitus lib. 1. his verbis:* Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt. Nam ad eam diem etsi potissima principis arbitrio, quædam tamen studiis tribuum fiebant: neque populus ademptum jus questus est, nisi inani rumore. *Ex eo loco apparet, sub Cæsaribus non fuisse comitia, nisi sub Augusto, & sub Julio Cæsare, quandiu solus Rempub. obtinuit: quæ tamen (ut dixi) sub his libera non erant. Svetonius de Cæsare ita scribit:* Comitia cum populo partitus est: ut exceptis Consulatus competitoribus, de cætero numero candidatorum pro parte dimidia, quos populus vellet, pronunciarentur: pro altera parte, quos ipse dedisset. *De Augusto vero hæc sunt ejus verba:* Comitiorum quoque pristinum jus reduxit: ac multiplici pœna coercito ambitu Fabianis & Scaptiensibus tribulibus suis die comitiorum singula millia nummum a se dividebat. *Ex his cum Taciti loco collatis, intelligi potest, sub Cæsare & Augusto adhuc fuisse comitia: verum sub Cæsare adeo non fuisse libera, ut non posset populus, nisi pro dimidia parte, creare quos vellet magistratus: sub Augusto vero paulo quidem liberiora; sed quæ tamen maxima ex parte (ut ait Tacitus) principis arbitrio, non populi fierent. At post imperium a Tiberio ini-*

tum, adeo desierunt fieri comitia, ut nunquam postea a sequentibus Imperatoribus populo restituta sint: sed vel penes Senatum Tiberii instituto manserint, vel plane in principis potestate fuerint: quemadmodum ex Plinii epistolis recte docet Budæus in posterioribus annotationibus in Pandect. Et Modestinus in lege unica ad legem Juliam de ambitu, Digest. libro 48. Hæc lex (*inquit*) in urbe hodie cessat: quia ad curam principis magistratuum creatio pertinet, non ad populi favorem: *Sed hæc satis. De ipsis comitiis communia quædam præfari necesse est, priusquam ad singula genera veniamus. Comitia a coeundo; vel potius (ut veteres) comeundo, dicta sunt: quod populus coire bis, & unum in locum convenire soleret. A quo etiam verbo locus in foro Romano Comitium appellabatur: & contiones quasi comitiones vocabantur. Erant autem comitia, cum generaliter verbum accipitur, &, ut vulgo a Latinis scriptoribus usurpatur, conventus populi totius aut partis ad ferendum de aliqua re suffragium. Alio modo, & cum proprie verbum sumitur, universi populi convocatio ad aliquid sciscendum. Nam si plebs tantum, quæ pars modo populi erat, a magistratu vocata fuisset, ea non proprie comitia dicebantur, sed concilia. Id quod A. Gellius lib.* 15. *cap.* 27. *ex Lælio Felice ostendit.* Is, *inquit*, qui non universum populum, sed partem aliquam adesse jubet, non comitia, sed concilium edicere jubet. *Hoc discrimen comitiorum & concilii videtur Cicero observare, cum ita scribit secundo de legibus:* Quid enim majus est si de jure quærimus, quam posse a summis imperiis & summis potestatibus comitiatus, & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere? *Et post reditum in Senatu:* Legem Tribunus plebis tulit, ne obnunciare concilio aut comitiis liceret. *Livius tamen non videtur hanc differentiam agnovisse, ut qui sæpe comitiorum & concilii nomine absque ullo discrimine in eadem re utitur; libro tertio, primæ Decad. ubi de judicio Cæsonis Quintii loquitur:* Judicii die cum excusaretur solum vertisse exilii causa, nihilominus Virginio comitia habente, collegæ appellati dimisere concilium. *Et alio loco, ubi loquitur de comitiis habitis ob judicium populi de agro ambiguo inter Arcinos & Andeates, ita scribit.* Cum ad causam orandam venissent concilio populi a magistratibus dato. *Item alio loco, ubi agit de judicio Manlii:* In lucum Petilinum concilium populi indictum est. *Et tamen ea fuisse centuriata comitia ipse auctor est: quæ erant maxime justa, ac populi universi comitia. Item libro* 5. *Decad.* 3. *de mulcta agens, quæ M. Posthumio publicano a Carviliis pl. dicta erat, ita scribit:* Mulctæ certandæ cum dies advenisset, conciliumque tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet. *Et paulo post comitia vocat, quod ante concilium plebis appellarat.* Et comitia (*inquit*) quæ vi atque armis prohibiturus erat. *Hi omnes loci aperte ostendunt, T. Livium non anxie observasse illam comitiorum & concilii differentiam, quæ a Lælio Felice ponitur. Et Cicero tertio de legibus, uno nomine concilii complectitur omnes cum populo actiones, adeoque omnia comitia.* Quod vero, *inquit*, actoris jubeo esse fraudem, id totum ex Crassi sapientissimi hominis sententia dixi: quem est Senatus secutus, cum decrevisset, C. Claudio Consule de C. Carbonis seditione referente, invito eo qui cum populo ageret, seditionem non posse fieri: quippe cui liceat simul atque intercessum turbarique cœptum sit, concilium dimittere. *Est igitur in verbo concilii sicut in nomine comitiorum multiplicitas, quæ istam apud Latinos scriptores diversitatem peperit. Interdum enim communi nomine significat, omnes populi totius partisve cœtus & conventiones. Unde apud T. Livium libro secundo Decad. primæ, concilia appellantur nocturni cœtus, quos plebs per seditionem factitabat in diversis urbis partibus. Et cum initio ejusdem libri loquitur de concione a Publicola Consule advocata, concilii nomine in ea re utitur. Verba ejus hæc sunt:* Hæc dicta vulgo

creditaque, cum indignitate angerent Consulis animum, vocato ad concilium populo, summissis fascibus in concionem ascendit.

Ex his perspicuum est, nomen concilii, cum generaliter accipitur, latius patere, quam comitia. Neque enim comitia unquam latius patent, quam ut omnes cum populo aut plebe actiones significent. At concilium præterea etiam usurpatur in concionibus appellandis, & aliis cujusque generis hominum conventibus. Interdum autem ejus verbi vis astringitur ad id modo significandum quod ait Lælius: ut proprie concilia appellentur partis populi conventus ad aliquid jubendum. Cujus generis erant, quæ a Tribunis plebis habebantur comitia. Habebant enim jus vocandæ plebis, non etiam universi populi, Tribuni plebis. Itaque verius concilia edicere quam comitia dicebantur.

Quanquam autem nomen comitiorum hanc, quam dixi, distinctionem admittit, in hac tamen nostra de comitiis disputatione nobis ea utendum esse non censemus: quandoquidem a Latinis scriptoribus vix, ac ne vix quidem, observari demonstravimus. Itaque eo contenti quod obiter admonuimus, hanc distinctionem a quibusdam poni, comitia (ut sæpius apud auctores sumuntur) definimus, populi qualescunque conventus ad aliquid suffragiis suis decernendum. Nam & ludorum & census causa vel populus universus convenire solebat, nec tamen illa erant comitia: quod non ad ferendum de aliqua re suffragium populus ita convenisset.


Quod vero populus frequens ex Italia universa Romam convenire soleret ludorum & census causa, Cicero indicat libro secundo in Verrem. Non committam, *inquit*, ut tum res judicetur, cum hæc frequentia totius Italiæ Roma discesserit: quæ convenit uno tempore undique comitiorum, ludorum, censendique causa. *Et T. Livius lustri condendi causa populum universum in campo Martio convenisse primo lib. scribit his verbis:* Censu perfecto edixit ut omnes cives Romani equites peditesque in suis quisque centuriis in campo Martio prima luce adessent. Ibi instructum exercitum omnem sue, ove, taurilibus lustravit: idque conditum lustrum appellatum. *Hunc vero morem lustri ita condendi ad sua usque tempora observari solitum scribit Dionysius Halicarnasseus lib. 4. Et in concionibus certe quibusdam, præsertim nundinarum diebus, frequentior populus conveniebat, quam quibusdam comitiis: nec tamen hujusmodi conventus proprie comitia appellari potuissent. Non igitur erant comitia, nisi essent populi tales conventus, qui indicti essent ad ferendam de aliqua re per suffragia sententiam. Genera comitiorum inter se diversa, erant tria: Centuriata, Tributa, & Curiata. Nam quæ legimus apud Aulum Gellium lib. XV. cap. XXVII. calata comitia, & in Institutionibus, titulo de testamentis ordinandis, ea non faciunt aliud genus comitiorum: sed hujusmodi calata comitia erant vel centuriata vel curiata, ut idem Gellius ostendit his verbis:* In libro Lælii Felicis ad Q. Mutium primo scriptum est Labeonem scribere, calata comitia esse quæ pro collegio pontificum habentur, aut regis sacrorum aut flaminum inaugurandorum causa. *Eorum autem alia esse curiata, alia centuriata: Curiata per lictorem curiatim calari, id est, convocari: Centuriata per cornicinem. De his nos postea amplius dicemus. Nunc illud modo ascribemus quod est apud Theophilum lib. secundo Institutionum.* Duo, *inquit*, erant apud veteres testamentorum genera: unum, quod calatis comitiis fiebat & dicebatur: alterum, quod in procinctu. Testamentum calatis comitiis, tempore pacis fiebat, bis in anno, hoc modo: Præco universam circumibat civitatem populum convocans: tumque qui testamentum condere volebat, in concione populi ipso teste populo testamentum scribebat. Ex quo etiam dictum est calatis comitiis. Nam calare est vocare: Comitia vero

populi, congregatio. Quoniam igitur vocati congregabantur, appellatum eſt teſtamentum calatis comitiis. *Quæ Theophili verba ideo adſcripſi, ut quoniam de his comitiis, quæ teſtamentorum condendorum cauſa fiebant, nil mihi poſtea dicendum eſt, ut quæ non diu in urbe manſerunt: hoc loco obiter haberent ſtudioſi antiquitatis, quid ſibi vellent facta hujuſmodi calatis comitiis teſtamenta, omninoque unde hoc nomen calatorum comitiorum ortum eſſet. Eſt enim Græcum calandi verbum, cujus erat frequens uſus veteribus Romanis: at poſtea in paucis quibuſdam velut antiquitatis cauſa retentum eſt, Scribit Macrob. lib.* I. *Saturn. c.* XV. Priſcis temporibus antequam faſti a Cn. Flavio ſcriba invitis patribus in omnium notitiam proderentur, pontifici minori hæc provincia delegabatur, ut novæ Lunæ primum obſervaret aſpectum, viſamque regi ſacrificulo nunciaret. Itaque ſacrificio a rege & minore pontifice celebrato, idem pontifex calata, id eſt, vocata in Capitolium plebe, juxta curiam Calabram, quæ caſæ Romuli proxima eſt, quot numero dies a calendis ad nonas ſupereſſent, pronunciabat, & quintanas quidem quinquies dicto verbo, καλῶ, ſeptimanas repetito ſepties prædicabat. *Verbum autem calo Græcum eſt, id eſt, voco, & hunc diem qui ex his diebus qui calarentur primus eſſet, placuit calendas vocari. Hinc & ipſi curiæ, ad quam vocabantur, Calabræ nomen datum eſt, & claſſi, quod omnis in eam populus vocaretur. Quoniam autem primis illis temporibus adeo uſitatum erat calandi verbum, hinc ego opinor omnia comitia veteribus calata fuiſſe. Sed poſtea cum in uſu hoc verbum eſſe deſiit, retentum eſſe nomen calatorum comitiorum in his tantum, quæ pro collegio pontificum habebantur: idque religionis cujuſdam & antiquitatis cauſa. Atque hæc de calatis comitiis ſufficient, ſi oſtenderimus hæc etiam calata comitia teſtamentorum cauſa, fuiſſe curiata, ac non aliud quoddam genus comitiorum propterea ponendum eſſe. Id vero inde perſpici poteſt, quod primis Reip. Romanæ temporibus tantum hæc in uſu fuerit teſtamentorum condendorum ratio, quibus temporibus non alia erant comitia quæ in urbe fierent, quam curiata. Nunc finem præfationis faciamus, ut ad centuriata comitia veniamus.*

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Quid eſſent Centuriata Comitia.



ENTURIATA Comitia erant, quibus populus per claſſium centurias ſuffragium ferebat. Quod ut apertius intelligatur, verba T. Livii ex libro primo ſubſcribam; *Tum claſſes centuriaſque, & hunc ordinem ex cenſu deſcripſit: vel paci decorum vel bello. Ex iis qui centum millium æris aut majorem cenſum haberent, octoginta confecit centurias: quadragenas ſeniorum, ac juniorum. Prima claſſis omnes appellati. Seniores ad urbis cuſtodiam ut præſto eſſent, juniores ut foris bella gererent. Additæ huic claſſi duæ fabrum centuriæ, quæ ſine armis ſtipendium facerent. Datum munus ut machinas in bello ferrent. Secunda claſſis intra centum uſque ad quinque & ſeptuaginta millium cenſum inſtituta. Et ex iis ſenioribus junioribuſque viginti conſcriptæ centuriæ. Tertiæ claſſis quinquaginta millium cenſum eſſe voluit, totidemque centuriæ, & eæ eodem diſcrimine ætatum factæ. In quarta claſſe cenſus quinque & viginti millium: totidem centuriæ factæ. Quinta claſ-*

A *ſis aucta, centuriæ triginta factæ. In his accenſi, cornicines, tibicineſque in tres centurias diſtributi. Undecim millibus hæc claſſis cenſebatur Hoc minor cenſus reliquam multitudinem habuit: Inde una centuria facta eſt immunis militia. Ita pedeſtri exercitu ornato diſtributoque, equitum ex primoribus civitatis duodecim ſcripſit centurias. Sex item alias centurias, tribus a Romulo inſtitutis, ſub iiſdem, quibus inauguratæ erant, nominibus fecit.* Hæc Livius de claſſibus & centuriis. Dionyſius vero Halicar. libro quarto eadem hæc pluribus explicat. *Servius*, inquit, *Tullius juſſit omnes Romanos æſtimatas ſuas facultates publice profiteri, præſtito legitimo juramento veram a ſe profeſſionem factam eſſe: ſimulque ut profiterentur patrem,*
B *ætatem, uxoris nomen & liberorum: quo in loco urbis, aut quo in pago ruris habitarent. Incenſis autem pœna indicta erat, ut bona eorum publicarentur, ac virgis cæſi tanquam mancipia vænirent; quæ lex diu apud Romanos manſit. Profeſſione perfecta tabulas perlegit, quibus & multitudinem civium, & cenſus cujuſque magnitudinem cognovit: tumque hanc ſapientiſſimam Reipub. regendæ rationem inſtituit. Ex his quorum erat maximus cenſus, nec minor centum minis, primam claſſem fecit octoginta centuriarum: quadraginta quidem ſeniorum, ac totidem juniorum. Erant autem ſeniores poſt annum ætatis quintum & quadrageſimum, juniores poſt ætatem militarem uſque ad*

quadragesimum quintum annum. Ex iis quorum census erat intra decem millia drachmarum, nec minor tamen quinque, septuaginta minis, secundam classem viginti centuriarum: decem seniorum, decem juniorum. Ex his qui censum habebant minorem septem millibus & quingentis drachmis, at non minorem quinquaginta minis, tertiam classem viginti etiam centuriarum: decem seniorum, totidemque juniorum. Ex iis qui censum habebant minorem quinque millibus drachmarum, non minorem tamen viginti minis, quartam classem viginti item centuriarum: decem seniorum, totidem juniorum. Quinta classis fuit ex iis, qui censum habebant viginti quinque minarum usque ad duodecim cum dimidia: quæ triginta centuriarum fuit, quindecim seniorum, ac totidem juniorum. Quatuor porro centurias, quæ sine armis essent, jussit eas sequi quæ armatæ stipendia facerent. Earum duæ erant fabrorum, duæ tibicinum. Ac fabrorum quidem duæ centuriæ additæ sunt secundæ classi, ac per ætatem divisæ. Una enim centuria seniorum sequebatur. Altera vero juniorum centuriis adscripta erat. Tibicines vero quartæ classi adscribebantur. Atque harum item una erat seniorum, altera juniorum. Ita pedestri exercitu diviso, equitum multitudinem selegit, qui maximo censu erant & genere maxime illustres, quos in octodecim centurias divisit: easque cum octoginta primæ classis centuriis conjungi voluit. Reliquam civium multitudinem, quorum census erat minor duodecim minis cum dimidia, quæ erat multo maxima civium multitudo, in unam centuriam redegit, omnis militiæ ac tributi immunem: quæ fuit sexta classis. Summa autem centuriarum, quæ omnibus classibus continebantur, erat centum nonaginta tres centuriæ, quarum octo & nonaginta erant primæ classis, si connumerentur in ea equitum octodecim centuriæ. Populo ita distributo, militum descriptionem per centuriarum divisionem faciebat, ac tributum ex censu per easdem centurias imperabat. Nam si quando ei opus esset militum decem millibus aut viginti, divisa in centum nonaginta tres centurias multitudine, per centurias imperabatur, quantum dare quanque militum oporteret. Tum inita ratione pecuniarum quæ opus essent exercitui alendo, vestiendo, aut alia ratione ducendo; hic rursus populus dividebatur in centum nonaginta tres centurias, & quid quanque centuriam conferre oporteret, imperabat. Qua ratione fiebat, ut qui maximo censu erant, cum & pauciores essent, & in plures divisi centurias, sæpius ac fere continenter ferrent onus militiæ: & de suis facultatibus plus in commune conferrent. Qui medio censu erant, quia plures erant, & in pauciores centurias distributi, nec tam sæpe militabant, nec magno tributo gravabantur: qui vero infimo censu erant, omni onere immunes erant. Atque illo quidem periculorum, & impensarum onere divitibus imposito, ut ne id graviter ferrent, optimam rationem leniendæ indignationis commentus est. Effecit enim ut hi vere Reip. domini essent, & in pauperibus nulla propemodum vis esset: idque ita perfecit, ut se excludi plebs non sentiret. Fuit autem illa, quam divitibus dedit, dominatio in comitiis, quibus res maximæ a populo sciscebantur. Nam ex veteri lege tria erant in potestate populi, magistratus creare, tam eos qui in urbe essent, quam eos qui foris bella gererent; leges jubere aut abrogare; de bello indicendo aut finiendo decernere. Hæc vero a populo adhuc ita peragi solita erant, ut per curias divisus suffragium ferret. Erantque tum pauperes divitibus ferendo suffragio pares. Quinetiam quia multo pauciores erant (ut credere par est) divites pauperibus, ita fiebat ut vis suffragiorum esset penes pauperes. Quo a Ser. Tullio animadverso, in divites transtulit potestatem suffragiorum. Quando enim volebat aut magistratus creare, aut leges ferre, aut bellum indicere, Centu- A *riata comitia pro Curiatis convocabat. Ac primum quidem suffragium ineundum vocabat centurias maximi census, in quibus erant octodecim equitum centuriæ, & peditum octoginta. Hæ octo & nonaginta centuriæ, quæ reliquam multitudinem tribus centuriis superabant, si convenissent, reliquas vincebant, omninoque quod statuisent, obtinere oportebat. At si omnes illæ non convenissent, tum vocabat secundæ classis duas, & viginti centurias. Quod si hic rursus diversæ essent sententiæ, vocabantur centuriæ tertiæ classis viginti. Mox quartæ viginti duæ, idque eo usque faciebat, dum nonaginta septem centuriæ convenirent. Quod si vocata etiam quinta classe id non-* B *dum ita accidisset, sed suffragiorum multitudine pares essent centum nonaginta duarum centuriarum sententiæ, tum ultimam centuriam sextæ classis vocabat: Cuique parti se addidisset, ea vincebat. Id quod raro aut nunquam usuveniebat: Fere enim a prima classe res peragebatur, raro ad quartam classem perveniebatur: Quinta vero classis, ac postrema nullius prope momenti erant. Atque illo quidem ordine instituendo, quo tantum auctoritatis dabatur ditioribus ut pene exacti Reip. administratione pauperes viderentur, tantum adhibuit calliditatis, ut plebi infimæ fraus non appareret. Omnes enim se æquabili-* C *ter gerere Rempub. censebant, quod viritim rogabantur in suis singulis centuriis. At decipiebantur, partim quod universæ centuriæ unum esset suffragium, sive plurimos, sive paucos cives complecteretur: partim quod primæ suffragium ferrent eæ centuriæ, quæ erant maximi census: quæ & plures erant numero reliquis omnibus & pauciores tamen homines singulæ continebant. Erat vero & pars fraudis non minima in eo, quod capite censi, quanquam longe plures, unicum tamen suffragium omnes faciebant, ac postremi vocabantur. Qua ratione efficiebatur, ut divites, quorum erant maximæ in Remp. impensæ, quique continenter onera Reip. sustinerent, minus id* D *gravate ferrent, propter eam quam obtinebant in rebus maximis auctoritatem: quam cum iis non communicari videbant, quibus in capessenda Rep. non tantum oneris incumberet: pauperes contra, quibus minimum oneris publici imponebatur, æquo animo ferrent se pro sua immunitate tributorum ac militiæ, inferiores iis esse, in quos ista incumberent. Hæc ratio Reip. gerendæ per multas ætates a Romanis servata est: sed nostro tempore per vim majorem mutata erat in magis popularem: non quod sublatæ sint centuriæ, sed quod judicium earum non retinet veterem auctoritatem, ut ipse, cum sæpe comitiis eorum interessem, animadverti.* E Hæc ex Dionysio fere ad verbum traducta, quæ omnia ideo subscripsi, partim ut intelligerentur, quæ obscure a T. Livio de classium suffragiis scribuntur, ubi ita inquit: *Hæc omnia in divites a pauperibus inclinata onera. Deinde est honos additus. Non enim ut ab Romulo traditum cæteri servaverant reges, viritim suffragium eadem vi, eodemque jure promiscue omnibus datum est, sed gradus facti, ut neque exclusus quisquam suffragio videretur, & vis omnis penes primores civitatis esset. Equites enim vocabantur primi: octoginta inde primæ classis centuriæ peditum vocabantur. Ibi si variaret, quod raro incidebat, ut se-* F *cundæ classis vocarentur, nec fere unquam infra ita descenderent ut ad infimos pervenirent.* Partim ut omnem rationem Centuriatorum comitiorum, quæ a Ser. Tullio rege instituta est, ob oculos ponerem. Erant igitur Centuriata comitia, quibus populus per classium centurias divisus suffragium ferebat, ita ut suffragia colligerentur centuriatim, & quod plures centuriæ jussissent, id ratum haberetur. Ex his autem, quæ ex Livio, & Dionysio adscripsi, quales, & a quo primum, & quomodo institutæ hujusmodi centuriæ, unde nomen habuerunt Centuriata comitia, intelligere facile est. Ita-

Itaque illa sufficient de primo capite, in quo quid essent Centuriata comitia, explicare voluimus.

CAP. II.

De causis Centuriatorum comitiorum.

TRES erant (ut generatim dicam) habendorum Centuriatorum comitiorum causæ. Una erat creandorum magistratuum: altera legum ferendarum: tertia judicii exercendi causa. Nam & Cicero lib. secundo de Divinatione, his tribus contineri comitia indicat his verbis: *Fulmen sinistrum, auspicium optimum habemus ad omnes res præter quam ad comitia.* Quod quidem institutum Reipub. causa est, ut comitiorum, vel in judiciis populi, vel in jure legum, vel in creandis magistratibus principes civitatis essent interpretes. Ac magistratus quidem his comitiis creabantur omnes, qui & majores magistratus & patricii vocabantur præter Dictatorem, Magistrum equitum, & Interregem. Erant autem illi majores magistratus, non omnes quibus sella curuli vehi ac publice sedere jus erat, unde Curules magistratus vocabantur: erant enim Ædiles Curules in hoc numero, & tamen in minoribus magistratibus erant, ut postea docebimus, sed ii demum erant majores magistratus, penes quos erant majora Reipub. auspicia, ut ex Messala docet Gellius libro decimotertio, capite decimoquarto. Ubi etiam scribitur majores magistratus Centuriatis comitiis creari. Illud tamen apertius fiet, si de magistratibus singulatim dicamus. Ac primum Consules Centuriatis comitiis creatos fuisse tam apertum est, ut supervacaneum mihi videatur probationem hujus rei subjicere. Nam & T. Livius de primis Consulibus ita scribit: *Duo Consules inde comitiis Centuriatis a præfecto urbis ex commentariis Ser. Tullii creati sunt.* Et Cicero initio orationis pro Muræna: *Quæ deprecatus a diis immortalibus sum, judices, more institutoque majorum illo die, quo auspicato, comitiis Centuriatis L. Murænam Consulem renunciavi.* Et lib. septimo epistolarum, in epistola cujus initium, *Ego vero jam te nec hortor*, ita scribit: *Ille autem qui comitiis tributis esset auspicatus, Centuriata habuit. Consulem hora septima renunciavit.* Prætores etiam his comitiis creari æque apertum est ex historiæ Livianæ progressu. Quod ex eo intelligi potest, quod Prætores collegæ essent Consulum: iisdemque auspiciis crearentur. Quod Livius initio libri septimi primæ Decad. ita scribit: *Cum de industria omnia, ne quid per plebeium Consulem ageretur, proferrentur, silentium omnium rerum ac justitio simile otium fuit: nisi quod non patientibus tacitum Tribunis, quod pro uno Consule plebeio tres patritios magistratus curulibus sellis prætextatos tanquam Consules sedentes, nobilitas sibi sumpsisset: prætorem quidem etiam jura reddentem, & collegam Consulibus atque iisdem auspiciis creatum.* Quod idem Cicero lib. nono ad Atticum dicit in epistola, cujus initium, *Tres epistolas*: Et A. Gellius lib. 13. c. 14. ex M. Messala lib. 1. de auspiciis ita scribit: *Patritiorum auspicia in duas sunt potestates divisa. Maxima sunt Consulum, Prætorum, Censorum: neque tamen eorum omnium inter se eadem aut ejusdem potestatis. Ideo & collegæ non sunt Censores Consulum aut Prætorum: Prætores Consulum sunt.* Et paulo post: *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus Tributis comitiis magistratus, sed justius Curiata datur lege, Majores Centuriatis comitiis fiunt.* Ex his omnibus Messalæ verbis manifestum fit, & qui magistratus minores sint, & quamobrem minores appellentur, sed & collegam esse Prætorem Consulis docet, quod eodem auspicio creatur. Prætores ergo, ut ex iis planum est, Centuriatis comitiis creabantur. Quod etiam Cicero aperte dicit initio orationis pro lege Manilia, ubi ait; *Nam cum propter* A *dilationem comitiorum, ter Prætor primus centuriis cunctis renunciatus sum.* Censores vero Centuriatis comitiis creari solitos ex his perspicuum est, quæ modo ex A. Gellio citavimus. Nam & inter majores magistratus numerantur Censores & Centuriatis comitiis creari majores magistratus Messala ait. Tum vero ex Ciceronis loco in secunda oratione in Rullum, ubi ait: *Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam centuriata lex Consulibus ferebatur, & cæteris patritiis magistratibus, tributa plebeiis. Tum curiata iterum de iisdem judicabatur.* Sic enim locus ille debet legi, alioqui in omnibus fere codicibus corruptus. Excepi autem B supra Dictatorem, magistrum equitum, & interregem, quod quanquam illi majores magistratus essent, tamen non comitiis a populo, sed alia ratione creabantur. Nam si aut belli externi seditionisve domesticæ, vis quædam major incidisset, quæ videretur majori imperio, quam consulari indigere: aut si adesse comitiis non possent Consules, nec vellet Senatus rem ad interregnum redire: aut si figendus esset clavus religionis causa: aut ludi primum instituendi (has enim fere causas creandi Dictatoris fuisse reperio) tum si Senatui ita videretur, videbatur Consul Dictatorem dicere, hoc est quem vellet C (modo ex consularibus aliquem) nominare qui Dictator esset: tum Consul captatis auspiciis, oriente nocte, silentio Dictatorem dicebat, qui deinde magistrum equitum, quem vellet, dicebat. Quæ omnia ex his, quæ sequuntur perspici possunt. Livius lib. quarto primæ Dec. *T. Quintius Consules immerito increpari ait, qui constricti legibus de provocatione ad dissolvendum imperium latis, nequaquam tantum virium in magistratu ad eam rem pro atrocitate vindicandam, quantum animi haberent. Opus esse non forti solum viro, sed etiam libero exolutoque legum vinculis. Itaque se Dictatorem L. Quintium dicturum. Approbantibus cunctis primo Quintius adnuere* D &c. *Dictator a Consule dicitur: ipse deinde C. Servilium Halam magistrum equitum dicit.* Et paulo post. *Et Senatus, ut in trepidis rebus Dictatorem dici Mamercum Æmylium jussit. Is magistrum equitum L. Quintium Cincinatum dixit.* Et eodem libro paulo post: *A Virginio Senatus in æde Quirini consulitur. Dictatorem dici A. Servilium placet. Virginius dum collegam consulere moratus, permittente eo, nocte Dictatorem dixit. Is sibi magistrum equitum Posthumium Ebutium dicit.* Et alio loco ejusdem libri. *Senatui Dictatorem dici placuit. Sors, ut Dictatorem diceret (nam ne id quidem inter collegas convenerat) T. Quintio evenit. is A. Posthumium Ti-* E *bertum socerum suum, severissimi imperii virum, Dictatorem dixit. Ab eo L. Julius magister equitum est dictus.* Et alio loco ejusdem libri: *Mœsta civitas fuit vinci insueta: odisse Tribunos: poscere Dictatorem: & cum ibi quoque religio obstaret, ne non posset nisi ab Consule dici Dictator, Augures consulti eam religionem exemere. A. Cornelius Dictatorem Æmylium dixit: & ipse ab eo magister equitum est dictus.* Et libro septimo primæ Decad. *Terror inde vanus belli Hetrusci, cum conjurasse duodecim populos fama esset, Dictatorem dici coegit. Dictus in castris (eo enim ad Consules missum senatusconsultum est) C. Julius.* Et eodem libro paulo post. *Moram tri-* F *umpho vulnus Consulis attulit: eademque causa Dictatoris desiderium Senatui fecit: ut esset qui ægris Consulibus comitia haberet.* Et libro octavo ejusdem Decad. *Consul ex S.C. triumphavit. Et ne Attilius expers gloriæ esset, jussi ambo Coss. adversus Sidicinos ducere exercitum: Dictatorem ante ex S.C. comitiorum habendorum causa dixerunt.* Et alio loco ejusdem libri: *Itaque cum & comitiorum dies instaret, & Publium imminentem hostium muris avocari a spe capiendæ in dies urbis haud e Rep. esset, L. Cornelio (quia ne eum quidem in Samnium jam ingressum vocari ab impetu belli placebat) li-*

teræ miſſæ, ut Dictatorem comitiorum cauſa diceret. Dixit M. Claudium Marcellum. Ab eo magiſter equitum dictus Sp. Poſthumius. Nec tamen ab Dictatore comitia ſunt habita: quia vitione creatus eſſet, in diſcuſſionem venit. Conſulti augures vitioſum videri pronunciaverunt. Eam rem tribuni ſuſpectam infamemque criminando fecerunt. Nam neque facile fuiſſe, id vitium noſci, cum Conſul oriente nocte, ſilentio diceret Dictatorem: neque ab Conſule quicquam publice privatimque de ea re ſcriptum eſſe: neque quemquam mortalium extare, qui vidiſſe, aut audiviſſe quid dicat, quod auſpicia dirimeret. Et libro nono: *Profecti legati ad Fabium Coſ. cum ſenatusconſultum tradidiſſent, adjeciſſentque orationem convenientem mandatis: Conſul demiſſis in terram oculis, tacitus ab incertis quidnam acturus eſſet legatis, receſſit. Nocte deinde ſilentio, ut mos eſt, L. Papyrium Dictatorem dixit. Papyrius Junium Bubulcum magiſtrum equitum dixit.* Et libro ſeptimo primæ Decad. *Repetitum ex ſeniorum memoria dicitur, peſtilentiam quondam clavo a Dictatore fixo ſedatam. Ea religione adductus Senatus, Dictatorem clavi figendi cauſa dici juſſit.* Et lib. nono primæ Decad. *Quem tu clavi figendi, aut ludorum cauſa Dictatorem crees.* Hæc igitur erat ordinaria Dictatoris, ac magiſtri equitum creatio, ut non a populo, ſed a Conſule diceretur aliquis ex Conſularibus. Nam & Livius ita ſcribit lib. 2. Dec. primæ Conſulares legere. Ita lex jubebat de Dictatore creando lata. Quinetiam M. Varro ex eo Dictatorem dictum ait, quod a Conſule diceretur. Et Plutarchus in Marcello: *Dictator non a populo, aut a patribus creari poteſt, ſed alter Conſulum, quem vult Dictatorem dicit: unde quia ita dictus ſit, Dictator appellatur.* Quod idem eſt apud Dionyſium lib. quinto. Ego vero illud non ignoro, aliquando Senatum voluiſſe populum rogari, ut quem vellet Dictatorem juberet, qui deinde a Conſule diceretur. Scribit enim T. Livius lib. 7. Decad. 3. *Hæc recitata a Conſule ita movere Senatum, ut non expectanda comitia Conſuli cenſerent, ſed Dictatore comitiorum habendorum cauſa dicto, extemplo in provinciam redeundum. Illa diſceptatio tenebat, quod Conſul in Sicilia ſe M. Valerium Meſſalam, qui tum claſſi præerat, Dictatorem dicturum ajebat: patres extra agrum Romanum (eum autem in Italia terminari) negabant Dictatorem dici poſſe. M. Lucretius Trib. plebis cum de ea re conſuleret, ita decrevit Senatus, ut Conſul, priuſquam ab urbe diſcederet, populum rogaret, quem Dictatorem dici placeret, eumque quem populus juſſiſſet, diceret Dictatorem: ſi Conſul noluiſſet, Prætor urbanus populum rogaret: ſi ne is quidem vellet, tum Tribuni ad plebem ferrent. Cum Conſul ſe populum rogaturum negaſſet, quod ſuæ poteſtatis eſſet: Prætoremque vetuiſſet rogare, Tribuni plebis rogarunt, plebſque ſcivit, ut Q. Fulvius qui tum ad Capuam erat, Dictator diceretur. Sed quo die id plebis conſilium futurum erat, Conſul clam nocte in Siciliam abiit. Deſtitutique patres literas ad M. Claudium mittendas cenſuerunt, ut deſertæ a collega Reip. ſubveniret, diceretque quem populus juſſiſſet Dictatorem. Ita a M. Claudio Conſule Q. Fulvius Dictator dictus, & ex eodem plebeſcito a Q. Fulvio Dictatore P. Licinius Craſſus Pontif. Maxim. magiſter equitum dictus eſt.* Eſt etiam per abſentiam Conſulum aliquando Prodictator a populo creatus, quemadmodum teſtatur Livius lib. ſecundo Decad. 3. *Itaque ad remedium jam diu deſideratum, nec adhibitum, Dictatorem dicendum civitas confugit. Et quia Conſul aberat, a quo uno dici poſſe videbatur: nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat, aut nuncium, aut litteras mitti: nec Dictatorem populus creare poterat, quod nunquam ante eam diem factum erat: Prodictatorem populus creavit Q. Fabium Max. & magiſtrum equitum M. Rufum Minutium.* Sed & L. Sylla Dictator ab Interrege dictus eſt L. Valerio Flacco, ut teſtatur Appianus lib. 1. Bell. Civil. Et C. Julius Cæſar a Senatu, ut ait Plutarchus, Dictator factus. Erant enim cum Pompeio ex urbe profecti ambo Conſules: nec poterat a Prætore dici. Quod Cicero ſcribit lib. nono ad Atticum in epiſtola, cujus initium eſt. *Cum dediſſem. Me*, inquit, *nunc & congreſſus ejus ſtimulat, & primas ejus actiones horreo. Volet enim credo S. C. facere: volet augurum decretum: rapiemur, aut abſentes vexabimur: vel ut Conſules roget Prætor, vel Dictatorem dicat, quorum neutrum jus eſt. At ſi Sylla potuit efficere, ab Interrege ut Dictator diceretur, & magiſter equitum, cur hic non poſſit?* Atque illa quidem ſufficiant de Dictatore ac magiſtro equitum: ex quibus apertum eſt, centuriatis comitiis hos non creari. De Interrege idem demonſtrabitur facile ex eo quod ſcribit T. Livius lib. 3. Decad. 1. *Alia ſententia aſperior in ſpeciem, quæ Patritios coire ad prodendum Interregem jubebat.* Et libro quarto: *Patritii cum ſine curuli magiſtratu Reſpub. eſſet, coiere, & Interregem creavere.* Et libro ſexto: *Penes quos ſunt auſpicia? nempe penes patres. Nam plebeius nullus magiſtratus auſpicato creatur. Nobis adeo ſunt propria, ut non ſolum quos populus creat Patritios magiſtratus, non aliter, quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato Interregem prodamus.* Et Cicero pro domo ſua: *Auſpiciaque populi Romani, ſi magiſtratus Patritii creati non ſint, intereant neceſſe eſt: cum Interrex nullus ſit: quod & ipſum Patritium eſſe, & a Patritiis prodi neceſſe eſt.* Patritii igitur prodebant Interregem: hoc eſt, unum aliquem ex ſuo numero deligebant, & declarabant, qui magiſtratum curulem quinque dierum gereret (nam tot, non amplius, dies imperium habuiſſe perſpicuum eſt ex Livio, Appiano, & Aſconio) non autem a populo creabatur. Illud vero animadvertendum hoc loco eſt, his centuriatis comitiis, Proconſules interdum creatos. Quod ex eo intelligi poteſt, quod ſcribit Livius lib. 6. Decad. 3. *Et Romæ Senatui populoque poſt receptam Capuam non Italiæ jam major, quam Hiſpaniæ cura erat, & exercitum augeri, & Imperatorem mitti placebat: nec tamen quem mitterent ſatis conſtabat: quoniam illuc, ubi duo ſummi Imperatores intra dies triginta cecidiſſent, qui in locum duorum ſuccederet, extraordinaria cura deligendus eſſet. Cum alii alium nominarent, poſtremum eo decurſum eſt, ut populus Proconſuli creando in Hiſpaniam comitia haberet: diemque comitiis Coſſ. edixerunt. Primo expectaverant, ut qui ſe tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur. Quæ ut deſtituta expectatio eſt, redintegratus luctus acceptæ cladis, deſideriumque imperatorum amiſſorum. Mœſta itaque civitas, prope inops conſilii comitiorum die, tamen in campum deſcendit: atque in magiſtratus verſi circumſpectant ora principum aliorum alios intuentium: fremuntque adeo perditas res, deſperatumque de Republ. eſſe, ut nemo audeat in Hiſpaniam imperium accipere: cum ſubito P. Cornelius illius, qui in Hiſpania ceciderat, filius viginti quatuor ferme annos natus, profeſſus ſe petere, in ſuperiore unde conſpici poſſet loco conſtitit. In quem poſtquam omnium ora converſa ſunt, clamore ac favore ominati extemplo ſunt felix fauſtumque imperium. Juſſi deinde inire ſuffragium, ad unum omnes non modo centuriæ, ſed etiam homines P. Scipioni imperium eſſe in Hiſpania juſſerunt.* Ex his verbis apertum eſt, centuriatis comitiis P. Scipionem creatum fuiſſe Proconſulem. Veruntamen eam rationem decernendarum provinciarum, nec perpetuam, nec ordinariam fuiſſe lib. 2. docebimus, cum de omni ratione provinciarum agemus. Nunc expendendus eſt locus A. Gellii cap. 27. libri 15. in quo ſcribit ex Lælio Felice: *Comitia calata eſſe, quæ pro collegio Pontificum habentur, aut regis ſacrorum, aut flaminum inaugurandorum cau-*

ſa. Eorum autem alia eſſe Curiata; alia Centuriata. Nam ſi verum eſt, quod apud Ciceronem ſcriptum eſt 2. orat. in Rullum, ante legem Domitiam latam ſacerdotia præter pontificatum maximum a populo non data fuiſſe, ſed tantum a collegiis cooptari ſolitos, qui ſacerdotes fierent, quænam iſta ſunt centuriata comitia, quæ pro collegio pontificum haberi dicit Lælius ex Tuberone? nec Pontifex Max. (ut eodem illo loco ait Cicero) creabatur centuriatis comitiis, ſed a minore parte populi. Illa ſane quæſtio eſt inquiſitione digna: de qua ſuum cuique relinquam judicium; mea vero hæc eſt ſententia: quæ a Tuberone ſcribuntur, ſic eſſe accipienda, ut bina deſignentur comitia calata, quæ pro collegio pontificum haberentur: alia quibus rex ſacrorum crearetur, alia quibus flamines. Atque illa quidem, quibus rex ſacrorum fieret, centuriata fuiſſe: quibus flamines, curiata. Ut autem ita credam, potiſſimum his ducor argumentis. Rex ſacrorum & flamines, tametſi non eſſent pontifices, ita tamen erant adſcripti in collegium pontificum, ut, ſi quando de re aliqua apud pontifices ageretur, ipſi una judices ſederent ejus rei, de qua ad collegium pontificum relatum eſſet. Quod poteſt ex oratione Ciceronis pro domo ſua intelligi: quæ cum habita ſit apud pontifices, ad quorum collegium rejectum erat de domo a Clodio conſecrata judicium: in ea tamen oratione judices ſediſſe, regem ſacrorum, & flamines oſtendit, cum ait: *Diſcite orationem pontifices, & vos flamines, etiam tu Rex, diſce ab homine gentili tuo, quanquam ille gentem iſtam reliquit*. Et de Aruſpicum reſponſis, poſtquam dixit Senatus decreto de ædium ſuarum religione ad pontificum collegium relatum eſſe, paulo poſt velut enumerationem faciens eorum, qui judices ſederunt, ita ſcribit: *At vero meam domum P. Lentulus Conſul & pontifex, P. Servilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Meſſala, L. Lentulus flamen Martialis, P. Galba, Q. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus, L. Claudius Rex ſacrorum, M. Scaurus, M. Craſſius, C. Curio, Sex. Cæſar flamen Quirinalis, Q. Cornelius, P. Albinovanus, Q. Terentius Pontifices minores, cauſa cognita duobus locis dicta, maxima frequentia ampliſſimorum ac ſapientiſſimorum civium aſtante, omni religione una mente omnes liberaverunt*. Deinde vero T. Livius initio lib. 2. 1. Decad. diſerte afferit, Regis ſacrificuli ſacerdotium Pontifici ſubjectum. Quod etiam intelligi poteſt ex eo, quod apud eundem ſcriptum eſt lib. 10. 4. Decad. *De rege ſacrifico ſufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ contentio inter C. Servilium pont. max. fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duumvirum navalem: quem ut inauguraret pontifex, magiſtratu ſeſe abdicare volebat: recuſantique id facere, ob eam rem mulcta Duumviro dicta a pontifice, deque ea cum provocaſſet, certatum ad populum. Cum plures jam tribus introvocatæ dicto eſſe audientem pontifici Duumvirum juberent, mulctamque remitti, ſi magiſtratu ſe abdicaſſet: ultimum de cœlo, quod comitia turbaret, intervenit. Religio inde fuit pontificibus inaugurandi Dolabellæ. P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui ſecundo loco inauguratus erat*. Ex his T. Livii verbis colligi poteſt non modo pontifici maximo ſubjectum eſſe Regem ſacrorum: ſed etiam ad pontifices pertinuiſſe inaugurationem ejus, adeoque pontificis maximi fuiſſe, inaugurare regem ſacrificum. Quod idem de flaminibus dicendum eſſe ex eo demonſtrari poteſt, quod ſcribit idem Livius lib. 7. Decad. 3. *Et flaminem Dialem invitum inaugurari coegit Pub. Licinius pontif. maxim. C. Valerium Flaccum*: Quod idem ſcribit Valerius Maxim. lib. 6. cap. 9. *C. Valerius Flaccus ſecundi belli Punici temporibus, luxu perditam adoleſcentiam inchoavit. Cæterum a P. Licinio pontific. maxim. flamen factus*, &c. Et L. Florus in Epitome libri 19. ſcribit; *L. Cæcilius Metellus pontif. ma-*

A *xim. A. Poſtumium Conſulem, quoniam idem & flamen Martialis erat, cum ille ad bellum gerendum proficiſci vellet, in urbe tenuit, nec paſſus eſt a ſacris recedere*. Et T. Livius lib. 7. Decad. 4. de Q. Fabio Pictore, quem dicit eo anno, quo creatus eſt Prætor, inauguratum fuiſſe flaminem Quirinalem, ita ſcribit: *Priuſquam in provincias Prætores irent, certamen inter P. Licinium pontif. maxim. fuit, & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem. Quale patrum memoria inter L. Metellum, & Poſthumium Albinum fuerat. Conſulem illum cum C. Luctatio collega in Siciliam ad claſſem proficiſcentem, ad ſacra retinuerat Metellus pontif. maxim. Prætorem hunc ne* B *in Sardiniam proficiſceretur P. Licinius tenuit. Et in Senatu, & ad populum magnis contentionibus certatum eſt, & Imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & Tribuni appellati, & provocatum ad populum eſt. Religio ad poſtremum vicit: & dicto audiens eſſe flamen pontifici juſſus*. Ex his locis perſpicuum eſt flamines & regem ſacrorum, non modo attributos fuiſſe collegio pontificum, ſed etiam ita pontifici maximo ſubjectos, ut ab eo inaugurarentur: hoc eſt, certis quibuſdam ac ſolennibus captatis auguriis crearentur. Et quoniam ita erant attributi collegio pontificum, ideo recte a Tuberone C dictum eſſe illa comitia, quæ habebantur regis ſacrorum, & flaminum inaugurandorum cauſa, pro collegio pontificum haberi. Nec facio partem disjunctionis illud, quod ait pro collegio pontificum Calata comitia haberi, ut terna hic ponantur Calata comitia: prima pro collegio pontificum, ſecunda regis ſacrorum inaugurandi cauſa, tertia flaminum inaugurandorum. Pontifices enim non comitiis a populo creabantur, ſed a collegio cooptabantur, ut & Cicero aperte indicat in ea, quam citavimus, oratione in Rullum: & Svetonius in Nerone cap. 2. & Dionyſius Halicar. his verbis ſcribit: *Defuncto uno pontifice, alius ſufficitur non a populo* D *creatus, ſed ab illis ipſis pontificibus, is qui illi ſacerdotio maxime idoneus videtur*. Et pontifex maxim. quanquam a populo, aut potius a parte populi crearetur, non tamen illis comitiis Centuriatis, aut Curiatis, quæ a Tuberone illic ſubjiciuntur, creatur: ſed alia ratione, quam poſtea, cum de tributis comitiis agemus, latius explicabimus. Sunt igitur ita accipienda Tuberonis verba, uti diximus: & quod ait Calata comitia haberi pro collegio pontificum, non ita interpretandum eſt, ut ſignificent de collegio pontificum haberi comitia, ſed potius a collegio: & apud collegium, quemadmodum illud, pro, ſæpe apud Latinos ſcriptores accipitur. Ut apud E Livium lib. 8. Decad. 4. *Supplicatio in triduum pro collegio Decemvirorum imperata fuit*. Cum igitur certum ſit comitiis Calatis regem ſacrorum, & flamines creari ſolitos, ex iiſque alia Centuriata, alia Curiata faciat Lælius Felix ex Tuberone, illud modo reſtat, ut explicem cur Centuriata ad regem ſacrorum, Curiata vero ad flamines referenda exiſtimem. In quo ſi non adferam ſatis evidentes probationes, veriſimilibus contentos nos eſſe oportebit. Ac primum flamines jam inde a Numa Rege inſtituti ſunt, quo tempore non alia erant Romæ comitia, quam Curiata: Rex vero ſacrorum eo anno, quo F primum Conſules Romæ fuerant, creatus eſt: quo tempore Centuriata comitia jam a Servii regis temporibus erant. Non potuerunt igitur aliis comitiis creari primum flamines; quam Curiatis: neque vero ulla uſquam mentio eſt in omni hiſtoria, aliquid poſterioribus temporibus mutatum fuiſſe ex iis, quæ primum a Numa fuiſſent inſtituta de flaminibus. Quod ſi Curiata flaminibus tribuamus, relinquitur, ut regi ſacrorum Centuriata tribuenda ſint. Deinde vero regis ſacrorum ſacerdotium majus multo illuſtriuſque erat quam flaminum: ut qui in regis locum (quod quidem ad ſacra attinet) ſucceſſerat:

ideoque ei & nomen regis, & ornatus regius relictus erat. Magnitudo igitur sacerdotii efficit, ut credam, quoniam a populo conferretur, iis potius comitiis, quibus maximas quasque dignitates dare solebat, quæ erant Centuriata, creari solitum hunc sacerdotem, quam Curiatis. Atque illa quidem mea est sententia de illo A. Gelli loco. Cui nihil illud repugnat, quod ex Cicerone citavi, ante legem Domitiam omnes sacerdotes præter pontificem maxim. nil consulto populo a collegis cooptari solitos. Ego enim ad eos modo sacerdotes, quorum erat suum quoddam collegium, ea verba esse referenda censeo: præsertim cum lex Domitia ad illos tantum sacerdotes pertineret. Scribit enim Paterculus eam fuisse legem Domitiam, ut omnes sacerdotes, qui ante a collegis sufficiebantur, suffragiis minoris partis populi crearentur. Et apud Asconium extant verba ex oratione Ciceronis pro C. Cornelio, quibus a Cn. Domitio dicit potentissimorum hominum collegis ereptam fuisse potestatem cooptandorum sacerdotum. Et Svetonius in Nerone: *C. Domitius in Tribunatu pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, jus sacerdotum subrogandorum a collegis ad populum transtulit*. Quod si ad sacerdotia collegiorum tantum lex Domitia pertineret, nil repugnabunt, quæ a Cicerone dicuntur de ratione creandorum sacerdotum ante legem Domitiam, iis quæ a nobis dicta sunt de rege sacrorum & flaminibus. Quanquam enim attributi essent collegio pontificum, non tamen ipsi ex pontificum numero erant, nec fuisse de collegio pontificum proprie dici possunt. Nam regi sacrorum suum erat proprium sacerdotium, habebatque sua quædam sacra curanda, quæ ad nullum alium sacerdotem pertinebant. Et flamines, quanquam multi essent, qui nomine convenirent, collegæ tamen non erant: siquidem flamen unius Dei sacerdos erat, habebatque sua quisque sacra, quæ & per se quisque procuraret, & ad alios nil omnino attinerent. Quod Cicero lib. 2. de Legibus satis indicat, cum legem hujusmodi ponit: *Divisque aliis sacerdotes, omnibus pontifices, singulis flamines sunto*. Ex iis perspicuum est, ad illas tres causas generales habendorum comitiorum Centuriatorum, quas supra posuimus, adjiciendam esse hanc regis sacrificuli creandi causam. Quam Cicero, ut opinor, eo loco, quem ex 2. de Divin. citavi, voluit comprehendi in ea parte, in qua magistratuum comitia appellat: non quod rex sacrorum magistratus esset, sed quod dignitas quædam tantum esset, quæ a populo non alia ratione quam magistratus daretur. Neque vero oportuit Ciceronem illic tam anxie enumerare omnes rationes habendorum comitiorum. Atque illa quidem sufficiant de prima causa Centuriatorum comitiorum, quam simplicem prius cum Cicerone fecimus: nunc quo explicatior res sit, geminam facimus, ut sit prima causa magistratuum, & regis sacrorum creandi causa. Nam de Decemviris, qui legibus ferendis creati sunt, & de Tribunis militaribus Consulari potestate, quos ex historia certum est comitiis Centuriatis creatos, propterea nil dixi, quod jandudum illi magistratus Romæ creari desierant. Sequitur illa causa, legum scilicet ferendarum: in qua explicanda illud primum animadvertendum est, legis nomen hoc loco etiam rogationem complecti, qua bellum juberetur a populo. Quod apud Livium frequens est, ut populus lege jussisse bellum dicatur. Hæc tamen apud Dionys. & Polybium distinguuntur, cum aiunt, tria, in quibus maximum Reip. gerendæ momentum esset, in populi Rom. potestate fuisse, magistratus creare, leges condere, bellum aut pacem jubere. Quod vero comitiis Centuriatis leges ferri dicimus, non ita accipi debet, quasi velimus omnes leges iis comitiis ferri solitas, sed id modo ad eas referendum est, quas & per distinctionem plebiscitorum leges

A appellari apud Justinianum primo Institutionum, & A. Gellium lib. 10. cap. 21. reperimus: & apud Ciceronem Centuriatas & Consulares leges vocari videmus. A Centuriatis enim comitiis, quibus ferebantur Centuriatæ leges, appellantur. Ut lex quæ lata est de ejus reditu ab exilio, de qua ita scribit in oratione post reditum in Senatu: *Quo die nos comitiis Centuriatis, quæ maxime majores justa dici haberique voluerunt, arcessivit in patriam, ut eædem Centuriæ, quæ me Consulem fecerant, Consulatum meum comprobarent*. Et lib. 1. Epistolarum in epist. cujus initium est, *Perjucundæ*: *Me universa Resp. duce Senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente Consule, comitiis Centuriatis, cunctis ordinibus hominibusque incumbentibus, recuperavit*. Ut vero Centuriatas leges non persequar singulas, sed uno velut signo cognoscendas exhibeam, quæ leges ferebantur a majoribus magistratibus, hæ fere Centuriatis comitiis ferebantur: præsertim si auctoritate Senatus ferrentur, ac de re quapiam majoris momenti essent. Hinc leges Valeriæ a P. Valerio Publicola Consule latæ de pronunciatione, Centuriatæ fuerunt: ut est apud Valerium Max. lib. 4. cap. 1. *Legem etiam comitiis Centuriatis tulit, ne quis magistratus civem Rom.* &c. *Et leges duodecim tabularum Centuriatis comitiis perlatæ sunt*, inquit T. Livius lib. 3. 1. Dec. Et eodem libro de L. Valerio, & M. Horatio loquens, ita scribit: *Omnium primum cum veluti in controverso jure esset, tenerenturne patres plebiscitis, legem Centuriatis comitiis tulere, ut quod Tribuni plebis jussissent, populus teneret*. Quod vero ipse idem scribit lib. 8. 1. Dec. a Dictatore P. Philone legem latam fuisse, ut legum, quæ comitiis Centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent: argumento esse potest, leges, quæ per distinctionem plebiscitorum appellarentur, quales erant, quæ a magistratibus majoribus ferebantur, comitiis Centuriatis ferri solitas. Dixi autem fere ita factitatum fuisse, quia id perpetuum non esset, ut quales leges ferrent majores magistratus, eas Centuriatis comitiis ferrent. Scribit enim Cicero 1. lib. ad Att. a M. Pisone Consule rogationem latam ad populum, de religione a P. Clodio contempta: eamque in comitio latam fuisse perspicuum est ex contextu epistolæ nonæ, cujus initium est, *Vereor ne putidum*. Unde apparet non fuisse hujus legis comitia Centuriata, ut quæ intra pomœrium haberi non possent. Ex his, quæ adhuc diximus, id perspicuum est, legibus quibusdam ferendis habita fuisse comitia Centuriata: quibus ad ostendendum id, quod hoc loco volumus, contenti erimus, si probaverimus bellum iisdem his comitiis indici solitum. Scribit T. Livius lib. 4. 1. Decad. *Controversia inde fuit, utrum populi jussu indiceretur bellum, an satis esset S.C. Pervicere Tribuni, denunciando impedituros se delectum, ut Quintius Cos. de bello ad populum ferret. Omnes Centuriæ jussere*. Et lib. 1. Decad. 4. *Ser. Sulpitio Provincia Macedonia sorte evenit: iisque rogationem promulgavit, vellent juberent Philippo Regi Macedonibusque bellum indici. Rogatio de bello Macedonico primis comitiis ab omnibus fere Centuriis antiquata est*. Et paulo post. *Consul in campo Martio comitiis habitis, priusquam Centurias in suffragium mitteret*. Et lib. 2. Decad. 5. *Patres, quod faustum fœlixque populo Rom. esset, Centuriatis comitiis primo quoque die ferre ad populum Consules jusserunt, ut cum Perseo bellum iniretur*. Ex iis locis perspicuum est, Centuriatis comitiis legem de bello indicendo ferri solitam. Nec repugnare putandum est, id quod est apud Livium lib. 6. primæ Decad. *Tum ut bellum juberent, latum ad populum est, & nequicquam dissuadentibus Tribunis Plebis omnes tribus bellum jusserunt*. Nam quod ait omnes tribus bellum jussisse, nil aliud significat, quam universum populum id

scivisse: quemadmodum Cicero libro in Verrem tertio loquitur: *Credent omnes quinque & triginta tribus homini gravissimo*. Ubi tamen Cicero loquitur de judicio Perduellionis, ad quod se vocaturum Verrem minatur: quod judicium non Tributis, sed Centuriatis comitiis exercebatur, ut mox demonstrabimus. Adde quod in Centuriatis comitiis prærogativa tribus, & jurevocatæ frequenter in historia Livii appellantur: quo etiam referri potest, quod ait omnes tribus bellum jussisse. Porro autem hoc loco, ut ne quis fallatur, id quod ex historia observavi, obiter subjiciam: non iisdem comitiis pacem juberi solitam, quibus bellum indiceretur, sed Tributis: ut postea demonstrabimus. Hactenus de secunda causa comitiorum Centuriatorum. Restat tertia, quæ tametsi videatur potuisse comprehendi sub secunda, cum etiam legem ferre dicatur is, qui aliquem vocat in judicium populi, ut ex multis T. Livii locis manifestum est; & Cicero pro Sestio, cum comitia bipartito tantum dividit, in magistratuum ac legum comitia, hoc sensisse videatur: attamen quo explicatior sit hæc de comitiis tractatio, malui illam in tres partes divisionem ex libro de Divinatione sequi. Ac judiciorum quidem causa haberi comitia Centuriata, ad unum modo judicium Perduellionis pertinere intelligendum est. Quod ut apertius intelligatur, paulo altius repetenda mihi videtur universa ratio judiciorum, quæ Romæ potissimum ætate Ciceronis observabatur. Præter ea judicia, quæ a Triumviris capitalibus in servos, & reliquos extremæ sortis homines: & ab Ædilibus de ratione annonæ, de urbis, viarum ædificiorumque curatione, de rerum venditionibus exercebantur: reliqua in urbe (nam militaris jurisdictio ad Imperatores Tribunosque militares pertinebat) jurisdictio erat fere tota penes Prætores. Judicia autem, aut privata erant, aut publica. Privatis judiciis præerant duo prætores, unus urbanus, alter peregrinus. Ille civibus inter se jus dicebat: hic inter cives & peregrinos. Ac si actio privata hujusmodi esset, ut de jure potius, quam de facto quærendum esset, Prætor ad Centumviros suum velut consilium remittebat, ut ex primo de Oratore intelligi potest: sin de facto quærendum esset, judicem dabat, aut judices quos recuperatores appellari sæpe legimus: alioquin si nihil esset cur de jure, aut facto quærendum esset, Prætor ipse decretum interponebat. Publicis judiciis ante constitutas quæstiones perpetuas, solebant hi præesse, quos populus creasset quæsitores, velut Pomponius leg. sec. de origine juris, vocat quæstores parricidii, ut quodque crimen publica animadversione dignum incideret: aut vero ab aliquo magistratu ad populum vocabatur is, quocum judicio publico agendum esse videbatur. At post constitutas quæstiones perpetuas (quod Cicero in Bruto ait factum esse Censorino & Manilio Coss. qui est annus urbis sexcentesimus quintus in Chronologia Glareani) ad Syllæ usque tempora ex iis sex prætoribus, qui jam inde a temporibus secundi belli Punici creari solebant, quatuor publica judicia exercebant ea, de quibus non videbatur extraordinem quærendum esse: ut repetundarum, ambitus, majestatis, peculatus. Nam propterea quæstiones perpetuæ dicebantur tum, quod lege erat præscripta quædam forma perpetua judicii de his rebus exercendi, ut nova semper lege opus non esset: tum vero, quod annuam provinciam in his quæstionibus exercendis illi prætores peragerent: non quemadmodum ante fieri solebat, cum ita casus tulisset ut quærendum videretur, tum crearetur qui quæreret, statimque hoc absoluto judicio potestatem de eadem re quærendi non haberet. Quod si tum quoque aliquid accidisset, de quo extraordinem primo quoque tempore propter criminis gravitatem aut novitatem quærendum videretur, ad populum fere-

A batur, ut quem vellet de ea re primo quoque tempore quærere, juberet. Tumque veteri more creabatur quæstor parricidii: quemadmodum factum est lege Varia, ut quæreretur adversus eos, quorum ope socii adversus Remp. arma sumpsissent: & lege Manilia, *ut quæreretur in eos, quorum opera Jugurtha Senatus decreta neglexisset, tres quæsitores creati sunt*, inquit Salust. Aut vero nulla decreta nova & ad tempus quæstione, ad populum ab aliquo magistratu dies dicebatur. Ut Cn. Domitius Tribunus plebis M. Scauro diem dixit ad populum, quod diceret ab eo sacra multa populi Rom. diminuta esse. L. vero Cornelius Sylla Dictator, cum videret
B non satis esse, aucto a se perpetuarum quæstionum numero, ut quatuor modo Prætores publicis judiciis præessent, adjecit quatuor Prætores, ut vult Pomponius: atque ita cœperunt decem prætores Romæ esse, quorum duo urbanus & peregrinus privatis potissimum judiciis præerant, reliqui octo quæstionibus publicis. Erant autem, si Pomponium sequamur, illi octo Prætores, quos ex Cicerone colligere posse videmur, duo qui inter sicarios jus dicerent, unus qui de repetundis quæreret, alius qui de peculatu, alius qui de ambitu, alius qui de falso, alius qui de majestate, alius qui de vi. Scri-
C bit enim Cicero in oratione pro Cluentio: *Quid est Q. Naso, cur tu in isto loco sedeas? quæ vis est, qua abs te hi judices tali dignitate præditi coerceantur? Vos autem, judices, quamobrem ex tam magna multitudine civium, tam pauci de hominum fortunis sententiam fertis? Quid sibi autem illi scribæ, quid lictores, quid cæteri, quos apparere huic quæstioni video, volunt? opinor hæc omnia lege fieri, totumque hoc judicium quasi quadam mente regi legis & administrari. Quid ergo est? Hæc quæstio sola ita gubernatur? Quid M. Pletorii & C. Flaminii inter sicarios? Quid C. Orchinii peculatus? Quid mea de pecuniis repetundis? Quid C.*
D *Aquilii, apud quem nunc de ambitu causa dicitur? Quid reliquæ quæstiones?* Ex hoc Ciceronis loco colligimus sex diversos Prætores, qui quæstiones publicas exercerent: duos qui inter sicarios quærerent unum peculatus, alium repetundarum, alium ambitus, & alium qui ex lege Cornelia de veneno ac judicio corrupto quæreret. Quanquam enim quæstio de veneficiis libro 48. Digest. conjungitur cum quæstione de sicariis, in titulo ad legem Corneliam de sicariis & veneficis, attamen ex eo loco planum est, ætate Ciceronis alium Prætorem præter illos duos, qui de sicariis quærerent, huic quæstioni de veneno ac de corruptis judiciis præfuisse. Nam postquam il-
E los duos Prætores, qui inter sicarios jus dicerent, appellavit, subjicit hæc verba: *Jubet lex ea, qua lege hæc quæstio constituta est, judicem quæstionis, hoc est Q. Voconium, cum iis judicibus qui ei obvenerint, vos appellat judices, quærere de veneno*. Ac paulo post subjicit ejusdem legis aliud caput de corruptis judiciis, quod ex eadem lege ad eandem quæstionem pertinere, tum ex hoc loco, tum ex initio orationis intelligi potest. Et quoniam quæstionem de falso institutam a Sylla fuisse aud Pomponium leg. sec. de origine juris scriptum est: eumque qui judicium corruperit, corrumpendumve curarit, lege Cornelia de falso teneri, ait Maritanus lege pri-
F ma, Digest. ad legem Corneliam de falso: propterea ego in eam opinionem adductus sum, ut hunc Prætorem, cui Cicero hoc loco tribuit quæstionem diversam a reliquis quinque, appellarem communi nomine Prætorem quæstionis de falso: cujus jurisdictioni omnis dolus malus, in quo crimen publico judicio persequendum inesset, subjiceretur. Complectebatur enim lex Cornelia omnem falsitatem, quæ in testamentis, numis, instrumentis publicis, judiciis committeretur; mihique fit verisimile, qui malum venenum haberet, venderet, faceret, eadem

lege de falso ætate Ciceronis accusari solitum. Porro autem Cicero enumeratis sex illis quæstionibus, alias præterea fuisse ostendit, cum ait: *Quid reliquæ quæstiones?* Has quæstiones, duas potissimum fuisse ex aliis ejus locis colligi posse videtur, majestatis & de vi. Nam ante quidem erat quæstio majestatis ex lege Apuleia, ut facile est intelligere ex libro secundo de Oratore, ubi Cicero de causa Norbani loquitur, quem majestatis lege Apuleia postulatum defendit Antonius. Post vero fuit lex Cornelia majestatis, cujus meminit Cicero in Pisonem. Quod vero esset suum quoddam de majestate judicium proprium, Asconius Pædianus in argumento orationis pro C. Cornelio apertissime demonstrat. *Sequenti anno M. Lepido, L. Volcatio Consulibus, quo anno prætor Cicero fuit, reum Cornelium duo fratres Cominii lege Cornelia de majestate fecerunt: & cum P. Cassius Prætor decimo die.* Ex his verbis apparet lege Cornelia de majestate quæsivisse Prætorem P. Cassium eo ipso anno, quo Cicero Prætor dixit pro Cluentio. Unde necessario efficitur, præter eas quæstiones, quas in ea oratione nominatim appellat, fuisse & quæstionem majestatis, quam P. Cassius Prætor exerceret. Atque ita jam septem Prætores, qui judicia publica exercerent, habemus. Quibus si addas Prætorem, qui de vi lege Plotia quærebat, octo illos Prætores conficies, quos supra diximus judiciis publicis auctore Pomponio ex Syllæ instituto præfuisse. Quod vero esset una quædam ordinaria quæstio de vi, ex his intelligi potest. Primum Cicero scribit pro Milone: *Illi erat, ut odisset: primum defensorem salutis meæ, deinde vexatorem furoris, domitorem armorum suorum, postremo etiam accusatorem suum. Reus enim Milonis lege Plotia fuit Clodius quoad vixit*: Deinde libro 8. Epist. Cælius ad Ciceronem ita scribit: *M. Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit.* Præterea oratio pro Sestio, & pro Cælio ostendunt fuisse in quæstionibus ordinariis quæstionem de vi. Accusabatur enim uterque de vi, ut ex ipsis orationibus manifestum est: & Salustius in Catilinæ conjuratione: *At Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat, tametsi præsidia parabantur, & ipse Plautia lege interrogatus erat a L. Paulo.* Et Cicero lib. 2. ad Att. in epistola, cujus initium est, *Quas Numestio literas*, ita scribit: *Nunc reus erat apud Crassum divitem Vectius de vi.* Hi loci ostendunt perpetuam ordinariamque fuisse quæstionem de vi: ut quæ legis Plautiæ præscripto exerceretur, non secus quam aliæ quæstiones ex Corneliis & aliis hujus generis legibus. Et quoniam quæstio de Sicarlis ex lege Cornelia exercebatur, hæc vero de vi lege Plotia, quæ ante leges Cornelias lata erat a M. Plautio Syllano Tribuno plebis, Cn. Pompeio Strabone, L. Portio Catone Coss. idcirco videtur has quæstiones diversas fuisse, ob idque diversos quæsitores habuisse. Nec moveri debemus ex eo quod scriptum est lib. 8. Ep. in Cælii ad Ciceronem epistola octava: *M. Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos reum lege Plotia de vi fecit: hoc consilio, quod videbat, si extraordinarius reus nemo accessisset, sibi hoc anno causam esse dicendam.* Ex hoc enim loco apparet extra ordinem de vi quæstionem exerceri solitam; unde videretur falsum esse, quod supra de hac quæstione diximus. Intelligendum igitur illud extra ordinem varie accipi: ut interdum significet, id quod modo diximus, nova quadam lege ob id data de aliquo crimine quæri: interdum ordine judiciorum aliqua ex parte commutato judicium exerceri: quo modo accipi debet, cum dicimus de vi extra ordinem quæri. Nos enim ex Ciceronis oratione pro Cælio intelligimus legem a Q. Luctatio Catulo Consule, anno urbis DCVI. latam, ut de seditiosis consceleratisque civibus quotidie, hoc est etiam diebus fastis, ludisque publicis

A quæreretur: qua lege apparet judicium hoc de vi factum esse hac ex parte extraordinarium, cum in hoc nulla haberetur ratio temporis, sicuti in aliis judiciis habebatur. Adde quod in hoc judicio non servabatur ordo in vocandis reis, qui in aliis judiciis. Nam ut quisque reus prius vocatus erat, ita prior causam dicebat in aliis judiciis: in hoc vero necesse erat primo quoque tempore reum causam dicere: ut apparet ex illo Cælii loco, quem citavi.

Nam si cum jam accusatus esset Q. Pompeius Rufus a M. Tuccio, hac ratione quod de vi accusatorem suum postulavit, effecit ut causam ipse Tuccius ante diceret, necessario efficitur, in hac de vi

B actione ordinariam reorum vocationem non fuisse observatam. Ex quo consequens est non minus hanc fuisse inter perpetuas quæstiones, etiam si de vi hoc modo extra ordinem per legem Luctatiam quæreretur. Erant igitur octo Prætores qui judicia publica exercebant, illi quos diximus, quibus si addas unum urbanum & alterum peregrinum, decem illos conficies, quos Romæ post Syllæ dictaturam jus dixisse scribit Pomponius, usque ad tempora Reip. a Cæsare occupatæ, a quo duobus adjectis duodecim Prætores facti sunt, ut ait idem Pomponius. Verumenimvero locus est in oratione pro Milone,

C unde videtur colligi octo tantum fuisse Romæ Prætores. Ait enim septem Prætores de reditu ejus, ut lex ferretur, consensisse: at idem ipse ait in Pisonem & pro Sestio, omnes Prætores præter unum legem illam promulgasse; unde sequitur omnes Prætores octo fuisse. Et sane in oratione post reditum in Senatu, in appellandis Prætoribus qui de suo reditu promulgaverant, septem tantum nominat: unde numerum in oratione pro Milone corruptum esse dici non potest. Ego vero quid ad eum locum respondeatur non video, nisi dicatur, eo forte anno non plures quam octo Prætores fuisse, cum id perpetuum non esset. Nam decem Prætores fuisse,

D locus ille Pomponii quem citavi ostendit, utque plures quam octo fuisse quis credat eo anno, quo Cicero fuit Prætor, hac ratione duci posset. Ex oratione pro Cluentio sex Prætores colligimus, M. Tullium Ciceronem repetundarum, C. Aquilium Gallum ambitus, C. Orchinium peculatus, Q. Nasonem de falso, aut si malis, de veneno; M. Pletorium & C. Flaminium inter sicarios: Tum vero ex Asconio in orat. pro Cornelio colligimus P. Cassium Prætorem majestatis: ita jam septem Prætores conficimus, qui quæstionibus publicis præessent. Quibus si Urbanum, & peregrinum adjicias, novem conficies: unde efficitur plures quam octo fuis-

E se. Nam & præter illos quos nominavi, alium Prætorem eo anno reperio C. Antonium, ut est apud Asconium in orat. contra Anton. & Catilin. competitores, & in libro Q. Fratris de petitione Consulatus. Quod si plures quam octo Prætores fuisse probatum est, relinquitur, ut ex Pomponio decem fuisse Syllæ instituto concludamus. Cur vero illo anno, quo Cicero revocatus est ab exilio, octo tantum fuisse reperiantur, etiam atque etiam considerandum. An incertus erat Prætorum numerus, & ex populi ac Senatus voluntate pendebat, quot Prætores crearentur? Id sane videtur Cicero indicare

F lib. 3. de Legibus, cum de Prætoribus hanc legem ponit: *Huic potestate pari quotcunque Senatus creaverit populusve jusserit, ~~tot~~ sunto.* An sic, ut superioribus temporibus, cum sex fere Prætores creari solebant, interdum tamen ex lege Bebia, quatuor tantum creabantur: quæ lex, ut ait Livius libro decimo Decad. 4. jubebat, ut alternis quaterni Prætores crearentur: ita hoc tempore quatuor adjectis a Sylla Prætoribus interdum octo, interdum decem fiebant? Sane si adhuc illius legis Bebiæ ratio habebatur, ita fieri oportuit, ut quemadmodum prius modo quaterni, modo seni creabantur, ita tunc

modo octoni, modo deni fierent. Plane si & locum Ciceronis integrum & Pomponii concedamus, ita omnino dicendum est: aut vero cum decem instituisset Sylla, octonis postea Prætoribus contentum fuisse populum Ro. Sin Pomponio aut minus fidem habere velimus, aut vitiosum esse codicem illo loco quod ad numerum Prætorum attinet, existimemus: adeoque Cornelio Tacito magis credamus, qui primo lib. Annal. de Tiberio loquens ita scribit: *Candidatos præturæ duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum. Et hortante Senatu ut augeret, jurejurando obstrinxit se non excessurum*. Ex quo loco apparet duodecim ab Augusto prætores institutos, non sedecim ut ait Pomponius. Nam de Cæsaris candidatis ea verba non posse intelligi sequentia paulo post verba indicant: *Moderante Tiberio ne plures quam quatuor candidatos commendaret sine repulsa & ambitu designandos*. Et quoniam ex Svetonio constat, ab Augusto auctum fuisse numerum a Cæsare Dictatore relictum: itemque Cæsarem numerum Prætorum auxisse, relinquitur ut decem a Cæsare factos dicamus, quemadmodum etiam Dion. lib. 42. testatur: idque præter morem ab eo factum scribit: Atque ita octo tantum ante ejus Dictaturam fuisse, & Syllam non quatuor, sed duos tantum adjecisse: aut (quod mihi probabilius est) cum quatuor adjecisset, duos tantum retentos fuisse. Nam & Dion. lib. 43. dicit Cæsarem, qui decem ante fecerat Prætores, post sedecim creasse, totque fuisse Prætores scribit, quo anno Cæsar cum Antonio Consul fuit: qui tamen numerus post non est retentus. Tum vero nobis dicendum erit illum Q. Nasonem, quem Prætorem de veneno cognoscere ex oratione pro Cluentio ostendimus fuisse Prætorem urbanum. Nam ut prætori urbano hanc de veneficiis quæstionem attributam fuisse existimem, faciunt loci Ciceronis duo: unus in fine orationis tertiæ in Verrem, alius in oratione pro Cluentio: in quibus ostendit a C. Verre Prætore urbano sortitionem ac subsortitionem judicum factam esse, qui de veneficio Oppianici, Scamandri, & C. Fabritii judicaturi erant: in quibus judiciis C. Junius quæsitor erat ex lege Cornelia, ut ait Cicero pro Cluentio. Si enim ex lege Cornelia Prætor urbanus tum judices dedit, qui de veneno cognoscerent: unde apparet huic quæstioni suum quendam Prætorem non fuisse attributum: non video cur idem non factum sit eo anno, quo Cicero erat Prætor: præsertim cum nulla sit mentio apud Ciceronem quod extra ordinem aliquid factum sit, cum Verres Prætor urbanus de veneno judices daret. Quod si Prætori urbano quæstionem de veneno & de falso tribuamus: quæstionem autem de vi alteri ex Prætoribus, qui inter sicarios jus dicebant: quod ex eo intelligi potest, quod Asconius in commentario oration. in Catilinam & Antonium, dicit Catilinam a L. Paulo reum factum inter sicarios, & Salustius de eadem re loquens, lege Plotia de vi fuisse interrogatum dicit: tum sane relinquentur octo tantum Prætores, eo anno, quo Cicero fuit Prætor, sicut eo anno quo ab exilio revocatus est Q. Naso urbanus, C. Antonius peregrinus, M. Tullius Cicero de repetundis, C. Orchinius de peculatu, C. Aquilius Gallus de ambitu, M. Pletorius & C. Flaminius inter sicarios, P. Cassius de majestate. Nam quod necesse non sit singulis quæstionibus, quas a Sylla institutas Pomponius scribit, singulos Prætores tribuere, vel ex eo demonstrari potest, quod quæstio de injuriis illic ponitur: quam tamen ad Prætorem urbanum pertinuisse certum est. Privata enim erat, ut constat ex libro Ciceronis de Invent. secundo; &, ut Paulus ait Digest. de Procuratoribus, *Licet in popularibus*, paragrapho, *Ad actionem injuriarum*. Cui non repugnat (ut etiam hoc obiter dicam) quod Pomponius inter publicas quæstiones hanc actionem enu-

A merat. Publica enim quæstio apud Pomponium aliquanto latius patet, quam quomodo proprie sumitur, ut significet omnem quæstionem, quæ pro publica utilitate exercetur, licet privata esse posset. Hujus autem generis fuisse hanc de injuriis actionem ex lege Cornelia Paulus illo eodem loco ait: *Ad actionem injuriarum ex lege Cornelia procurator dari potest*. Nam etsi pro publica utilitate exercetur, privata tamen est. Erat etiam quæstio publica ex lege Papia, qua de peregrinitate quærebatur, ut Cicero pro Archia & pro Balbo ostendit; nec tamen suum quendam ac proprium Prætorem habebat. Verum de numero Prætorum satis disputatum

B est: illud quod magis ad rem pertinet, nunc persequendum. De quæstionibus igitur publicis, quarum ex aliqua lege perpetua jurisdictio constituta erat, ita cognoscebant illi sive octo sive decem Prætores, ut eorum munus tantum esset judices cogere, eorumque sortitionem ac subsortitionem facere ex iis decuriis, quibus judicandi tum munus incumbebat. Reliqua quæ ad causæ cognitionem pertinebant, judex quæstionis absolvebat. Nam præter eum Prætorem cujus jurisdictio erat, sorte creabatur ex numero judicum unus, qui & quæsitor & judex quæstionis a Cicerone, & princeps judicum ab Asconio vocatur. Ut in judicio Oppianici Prætor erat C.

C Verres, quæsitor autem sive judex quæstionis C. Junius (nam utroque nomine eum appellat Cicero pro Cluent.) & in judicio Cluentii Prætor erat Q. Naso, judex quæstionis Q. Voconius, & in judicio Verris de repetundis Prætor erat M. Glabrio: fuisse autem & alium judicem quæstionis, Cicero ipse indicat in extrema oratione tertia in Verrem, ubi judicem quæstionis appellat Q. Curtium: in quem locum scribens Asconius aperte ostendit principem judicum * fuisse a Prætore, non autem eundem: quemadmodum existimavit doctissimus Budæus. Ac Prætor quidem in tribunali sedebat, ac pro impe-

D rio judices cogebat, ut constat ex oratione pro Cluentio & pro Roscio Amerino: judex quæstionis in subselliis cum cæteris judicibus erat, ejusque munus erat quærere de crimine: *Prætor in iis, quæ imperii sunt fere impediebatur*, ut ait Quint. lib. 3. Judex quæstionis in iis, quæ ad causæ cognitionem pertinebant: eodem prope modo, quo in privatis actionibus judex a Prætore datus: tum causa cognita judices sententiam ferebant. Ac de ratione quidem reliqua judicandi si quis amplius desideret, consulat Budæum in posterioribus Annot. in Pandect. mihi hoc loco satis erit dixisse de iis criminibus, quorum erat perpetua quæstio ex aliqua lege consti-

E tuta, Romæ Prætores cognovisse, nisi si quando ita magnitudinem criminis æstimasset Senatus, ut decerneret nova lege lata extra ordinem de illo crimine quæri, ut de cæde P. Clodii Senatus decrevit nova lege quærendum esse, idque propter seditiosas conciones Tribunorum plebis quibus magnitudinem criminis exacerbabant, & propter alia varii generis crimina multorum, quæ cum hac cæde conjuncta erant, ut constat ex Asconio in argumento orationis pro Milone. At si quod crimen incidisset aut novum aut gravitate insigne, tum duas reperio rationes observari solitas. Una erat, ut nova lege lata de crimine quæreretur, tumque veteri more a

F populo designabatur, qui primo quoque tempore quæreret, aut unus quidam ex iis, qui magistratum gerebant, aut alius quem nominatim populus quærere jussisset. Quod factum esse reperio adversus P. Clodium, cum sacra Bonæ deæ polluisse a Pontificibus judicatus est. Novum enim crimen erat, ideoque nova quæstione opus erat, cum adhuc nulla lege quæstio de eo crimine constituta fuisset. Atque hæc erat ordinaria ac legitima ratio animadvertendi in crimina, de quibus aut non erat aliqua lege

* *f. alium fuisse.*

decreta quæstio; aut quibus puniendis veteres leges non viderentur sufficere. Altera erat extraordinaria minusque legitima ratio, ideoque raro usurpata, & non nisi in tam gravi & tam late patente scelere, ut res dilationem pati non videretur, ut scilicet comperto crimine Senatus judicium ferret non consulto populo. Quod usuvenit in conjuratione Catilinæ, qua a Cicerone detecta, statim a Senatu condemnati sunt omnes qui deprehensi erant. Fuisse autem hanc judicandi rationem extraordinariam ac minus legitimam hinc perspicuum est, quod, tametsi decuriæ judicum, quibus judicandi munus incumbebat, ex Senatoribus tantum interdum fuerint conscriptæ, tamen in curia Senatus judicia non exerceret, ut recte docet Budæus: & Cicero eo nomine postea a P. Clodio reus ad populum factus est, quod contra leges non consulto populo in cives Romanos animadvertisset. Restant populi judicia, quæ erant cum aliquis magistratus aut mulctam irrogabat, cujus certatio suffragiis populi permittebatur, aut reum capitis ad populum faciebat. Ac de mulctæ quidem certatione postea dicemus, cum de Tributis comitiis agemus, quibus de mulcta populus suffragium ferebat; nunc de capitali judicio populi dicendum. Capitale judicium populi unum fuisse reperio perduellionis. Erat autem crimen perduellionis, hostili animo se in Remp. gerere: nam ut ait Caius Digest. de verborum significat. quos nos hostes appellamus, eos veteres perduelles appellabant. Hinc factum est, ut reus perduellionis diceretur, qui se quoquo modo in Remp. hostili esse animo declarasset; quasi diceres reum hostilitatis. Et quanquam apud nostros Jurisconsultos a crimine majestatis partim nil distinguitur crimen perduellionis, partim majestati ut species generi subjicitur, tamen apud Ciceronem longe diversa fuisse demonstrare eo magis conabor, quo plures video ex iis, qui commentaria in orationes Ciceronis scripserunt, in hac antiquitatis observatione errasse. Scribit lib. 3. in Verrem: *Emerserit ex peculatus etiam judicio: meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberavit: videat quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reservavit, quærat non solum quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suæ confessioni possit mederi, meminerit se priori actione clamore populi Romani infesto atque inimico excitatum, confessum esse duces prædonum a se securi non esse percussos: se jam tum veritum, ne sibi crimini daretur eos ab se pecunia liberatos: fateatur id quod negari non potest, se privatum hominem prædonum duces vivos atque incolumes domi suæ, posteaquam Romam redierit, usque dum per me licuerit, tenuisse. Hoc in illo majestatis judicio si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam. Ex hoc quoque evaserit, proficiscar eo quo me jam pridem vocat populus Roman. de jure enim libertatis & civitatis suum putat esse judicium, & recte putat. Confringat iste sane vi sua consilia Senatoria, quæstiones omnium perrumpat, evolet ex vestra severitate: mihi credite, arctioribus apud populum Rom. laqueis tenebitur. Credet iis equitibus Rom. populus Romanus qui ad vos ante producti testes ipsis inspectantibus, ab isto civem Roman. qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. Credent omnes quinque & triginta tribus homini gravissimo atque ornatissimo M. Annio, qui se præsente civem Romanum securi percussum esse dixit. Audietur a populo Romano vir primarius Eques Romanus L. Flavius, qui suum familiarem Herennium negotiatorem ex Africa, cum eum Syracusis amplius centum cives Romani cognoscerent, lacrymantesque defenderent, pro testimonio dixit, securi esse percussum. Probabit fidem, & auctoritatem, & religionem suam L. Suetius homo omnibus ornamentis præditus: qui juratus apud vos dixit, multos cives Romanos in Latumiis istius* A *imperio crudelissime per vim morte esse mulctatos. Hanc ego causam cum agam beneficio populi Romani de loco superiore, non vereor, ne aut istum vis ulla ex populi Romani suffragiis eripere, aut a me ullum munus Ædilitatis amplius, aut gratius populo Romano esse possit.* Ex hoc Ciceronis loco apertum est, crimen majestatis fuisse, duces hostium pecunia liberare, aut privatum hominem domi suæ hostium duces servare incolumes: Perduellionis vero, civem Romanum contra jus libertatis sibi legibus, Porcia maxime & Sempronia, concessæ, in crucem tollere, aut securi percutere, aut in latumias conjicere. B Cum enim lege Porcia cautum esset, ne civem Romanum virgis cædere, aut ullo servili supplicio afficere liceret: lege vero Sempronia, ne de capite civis Romani injussu populi judicaretur, quicunque contra jus suæ libertatis civem Romanum quasi peregrinum tractasset, tanquam oppugnator libertatis Romanæ reus perduellionis ad populum fiebat. Jus enim civitatis, totum erat penes populum: ideoque judicio populi merito subjiciebatur, qui contra leges de jure civitatis ac libertatis populi quicquam fecerat. Itaque C. Rabirius perduellionis reus factus est, quod Saturninum Tribunum plebis quamvis seditiosum & Reipub. perturbatorem injussu populi Romani occidisse diceretur. C Quia enim Tribunatus magistratus erat ad defensionem libertatis populi institutus, idcirco leges sacrosanctos esse Tribunos plebis jubebant, quod nihil aliud erat, quam sacrum caput ejus esse, qui eis nocuisset, quod idem erat atque pro hoste haberi, qui eis nocuisset. Majestatis crimen erat, legionem solicitasse, seditionem in exercitu excitasse, ut Cicero indicat pro Cluentio. Cum Balbum & Stalenum majestatis damnatos ait, quod ista fecissent. Item magistratui quippiam pro suo imperio agenti resistere, ut C. Cornelius majestatis reus factus est, quod intercessioni collegarum non cessisset. Perduellionis vero crimen in eum cadebat, qui D aut regnum affectasset, aut omnino per proditionem, & hostili animo quicquam commisisset, quod in Reip. incommodum cederet. Hinc apud Livium libro 6. Decad. 3. Sempronius Tribunus plebis Cn. Fulvio perduellionis se judicare dixit, quod multi jurati dixerant fugæ pavorisque initium a Fulvio Prætore ortum. Cum enim ante videretur temeritate atque inscitia male Remp. gessisse Fulvius, pecunia tantum anquisitum est: at postquam auditum est illorum testimonium, per quod suspicio esse cœpit, proditionem potius quam imperitiam rei militaris causam male gestæ Reipub. fuisse, tum vero Sempronius capite anquirendum censuit, ac Fulvium E perduellionis accusavit. Ac crimen quidem majestatis suum Prætorem habebat, qui hanc quæstionem exerceret, ut supra ostendimus: erantque judices, quos Prætor ex decuriis eorum, penes quos erant judicia, sortito selegisset, non populus. In crimine vero perduellionis, populus judicabat: quemadmodum locus ille, quem ex 3. in Verrem citavimus, aperte demonstrat. Atque illa quidem erat ordinaria de perduellione judicandi ratio, quam T. Labienus accusator Rabirii non observarat, sed veterem illum sub regibus morem revocarat, & Duumviros hujus criminis a Prætore sortiendos curarat C. Cæsarem, ut F ait Suet. in Cæsare, & L. Cæsarem, ut ait Dion. lib. 37. a quibus condemnatus, provocavit ad populum, ad quem Cicero habuit illam orationem, quæ extat pro Rabirio perduellionis reo: ex qua oratione satis apparet, id quod diximus, Labienum contra legitimum judiciorum morem, reduxisse Duumviros perduellionis, qui eo modo judicarent, quo legimus de Horatio tempore Tullii Hostilii regis factum esse judicium. Et quoniam satis ostendimus judicium perduellionis, vel hoc nomine longe diversum esse a judicio majestatis, quod apud populum non apud Prætores ageretur, nunc superest, ut probemus

bemus Centuriatis comitiis hoc judicium absolvi solitum. Valerius lib. 6. cap. 5. scribit: *Cum Tiberius Gracchus, & C. Claudius ob nimis severe gestam Censuram majorem partem civitatis exasperassent, diem his M. Pompilius Tribunus plebis perduellionis ad populum dixit. Quo in judicio primæ classis permultæ Centuriæ Claudium aperte damnabant*. Et T. Livius de judicio Manlii loquens: *In campo Martio cum centuriatim populus citaretur*. Et Cicero pro domo sua dicit, Cæsonem Quintium (sic enim legendum est, ubi male legitur *Censor ille Quintius*) M. Furium Camillum, & C. Servilium Halam a populo Centuriatis comitiis damnatos in exilium profugisse. Ex iis locis perspicuum est, populum Centuriatis comitiis de perduellione judicasse. Unde intelligi potest, cur lib. 6. Dec. 3. & lib. 3. Dec. 5. dicat Livius Trib. plebis Sempronium & Rutilium, postquam se perduellionis judicare reis pronunciaverunt, diem comitiis a Prætore urbano petiisse. Nam cum hoc differret populus a plebe, quod in populo omnis pars civitatis omnesque ejus ordines continerentur, plebs vero ea diceretur, in qua gentes civium patritiæ non essent: Trib. plebis jus habebant plebis vocandæ, non etiam populi. Siquidem, ut scribit ex Lælio Felice A. Gellius lib. 15. cap. 27. Tribuni neque advocant patritios, neque ad eos referre de ulla re possunt; unde fit, ut Trib. plebis jus non haberent vocandi comitia Centuriata, quæ populi universi erant, non modo plebis. Quapropter petendus erat dies comitiis Centuriatis a majore magistratu, qualis erat per absentiam Consulum Prætor urbanus. Verum quid opus est illis locis ex historia conquisitis, quando legibus, ut centuriatis comitiis de perduellione judicaretur, cautum fuisse ostendi potest? Scribit enim Cicero pro Sestio: *Cum & sacratis legibus & duodecim tabulis sanctum esset, ut neque privilegium irrogari liceret, neque de capite civis, nisi comitiis Centuriatis rogari*. Hanc legem duodecim tabularum Cicero 3. de Legibus, his verbis ponit: *Privilegia ne irroganto. De capite civis, nisi per maximum comitiatum, ollosque quos Censores in partibus populi locassint ne ferunto*. Erat igitur legibus cautum jam inde ex quo duodecim tabulæ fuerunt, ut Centuriatis comitiis populus judicaret. Capitis autem fuisse perduellionis judicium, nemo ambigit. Quapropter Pub. Clodius cum reum perduellionis Ciceronem fecit, ob id judicatus est non jure fecisse, quod Tributa habuit comitia de capite civis Rom. Quod Cicero 3. de Legibus ostendit iis verbis: *Quo verius in causa nostra vir magni ingenii summaque prudentia L. Cotta dicebat, nihil omnino actum esse de nobis. Præter enim quam quod comitia illa essent armis gesta civilibus, præterea neque Tributa capitis comitia rata esse posse, neque ulla privilegia. Quocirca nihil nobis opus esse lege, de quibus nihil omnino actum esset legibus*. Ac de tertia quidem causa habendorum comitiorum Centuriatorum hactenus: quo etiam in loco secundi capitis finem faciemus.

Cap. III.

De personis, quarum interventu Centuriata comitia peragebantur.

In personis explicandis primum de iis dicendum est, qui habendi hæc comitia jus habebant. Commune igitur erat omnibus Centuriatis sive magistratuum, sive legum, sive judiciorum comitiis, ut non possent, nisi a majoribus magistratibus haberi. Cum enim agendi cum populo jus cuiquam non esset præterquam magistratui (nisi de sacris esset agendum, de quibus paulo post dicemus) siquidem rogare quid populum, quod suffragiis suis jubeat, aut vetet; quod est cum populo agere, ut ait Gellius libro decimo tertio capite decimo quarto, nemo absque imperio posset: minores sane magistratus, quorum erant minora auspicia, quibusque minus erat imperii, jus habere non poterant vocandi Centuriata comitia, quibus & auspiciis majoribus, & maximo imperio opus esset. Habere igitur Centuriata comitia poterant Consules, Prætores, Censores, Dictatores, & Interreges, quos omnes fuisse majores magistratus constat. De Præfecto urbis postea dicemus. Ac magistratuum majorum, quos solos his comitiis creari supra ostendimus, comitia Consules semper ac soli habebant, nisi aut res ad Interregnum redisset, aut Consulibus absentibus Senatui visum esset Dictatorem comitiorum causa creandum esse. Consules a Consulibus creari tam est ex omni historia perspicuum, ut probationem subjicere sit supervacaneum. Prætores vero a Consulibus ita creari oportebat, ut a Prætoribus non possent omnino Prætores creari. Quod Cicero lib. 9. ad Att. ostendit in epist. cujus initium est, *Tres epistolas: Iste omnium turpissimus & sordidissimus, qui Consularia comitia a Prætore ait haberi posse: nam permagni ejus interest, rem ad Interregnum non venire. Id assequitur, si per Prætores Consules crearunt. Nos autem in libris habemus non modo Consules, sed ne Prætores quidem a Prætoribus creari jus esse: idque factum esse nusquam. Consules eo non esse jus, quod majus imperium a minore rogari non sit jus: Prætores autem cum ita rogentur, ut collegæ Consulum sint, quorum est majus imperium*. Quod idem ex M. Messalæ de auspiciis lib. 1. citat A. Gellius lib. 13. cap. 14. *Prætor, etsi collega consulis est, neque Prætorem, neque Consulem jure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus, & ante hæc tempora servatum est, & ut in commentario 13. C. Tuditani patet: quia imperium minus Prætor, majus habet Consul: & a minore imperio majus, aut majoris collega* (sic enim locus restitui debet) *rogari jure non potest. Nos his temporibus Prætores, Prætore creante, veterum auctoritatem sumus secuti: neque his comitiis in auspicio fuimus*. Ex iis locis apparet, a Prætoribus comitia Prætorum haberi non potuisse, sed a Consulibus habebantur, ut ex perpetua Livii historia planum est, & undecima epistola libri epistolarum ad Brutum diserte scribitur. M. enim Brutus ad Ciceronem ita scribit: *Statim vero rediturum ad nos confirmavit, legatione suscepta, nisi Prætorum comitia habituri essent Consules*. Porro autem sorte id alteri eveniebat Consulum, ut apparet ex Livio lib. 5. Decad. 4. *Eodem fere tempore duorum Consulum literę allatę sunt, L. Cornelii de pręlio ad Mutinam cum Boiis facto, & Q. Minutii a Pisis: comitia suę sortis esse: cęterum adeo suspensa omnia*. Et paulo post: *Si ita videretur patribus, mitterent ad collegam; ut is ad comitia Romam rediret: si id facere gravaretur, quod non suæ sortis id negotium esset, se facturum quod Senatus censuisset*. Et alio loco ejusdem libri: *Consulibus ambobus Italia provincia decreta est, ita ut inter se compararent sortirenturve uter comitiis ejus anni præesset*. Et libro nono ejusdem Decad. *Jam Consularium comitiorum appetebat tempus, quibus quia M. Æmilius, cujus sortis ea cura erat, occurrere non poterat, C. Flaminius Romam venit*. Et alio loco: *Prior tamen Claudius quam Sempronius, cui sors comitia habendi obtigerat, Romam venit*. Nisi ergo de ea re comparassent inter se Consules, sorte decernebatur, uter esset comitia habiturus. Censorum vero comitia quod Consules haberent, ex his locis perspicuum fiet. Scribit T. Livius lib. 7. Decad. 1. *Cæterum cum Censoribus creandis indicta comitia essent, professus se petere Censuram C. Martius Rutilius, qui primus Dictator de plebe fuerat, concordiam ordinum turbavit. Quod videbatur quidem alieno tempore fecisse: quia ambo tum forte patritii Consules erant, qui rationem ejus se habituros negabant*. Et lib. 4. Decad. 3. *Decretumque omnium primum, ut Consules sortirentur compararentve inter se, uter*

Censoribus creandis comitia haberet. Et paulo post: *Q. Fabius comitia Censoribus creandis habuit*. Et lib.7. ejusdem Decad. *Per eos dies & Censoribus creandis Q. Fulvius Cos. comitia habuit*. Et lib.2. Decad.4. *Dum hæc in Macedonia geruntur, Consul alter Lucius Lentulus, qui Romæ substiterat, comitia Censoribus creandis habuit*. Et Cicero lib.4. ad Attic. *Ego me Pompeio legari ita sum passus, ut nulla re impedirer, quin, si vellem, mihi esset integrum, si comitia Censorum proximi Consules haberent, petere possem*.

Ex iis locis, opinor, satis apparet, Consules habere comitia censoria solitos. Nec tamen negare ausim, quin Prætori jus esset ea habendi comitia, tametsi in universa historia non reperiam aliquando id factum esse. At si non de jure quæratur, sed de more, planum est, a Consulibus haberi solita comitia censoria. Sane Censura magistratus erat tantæ auctoritatis, ut vix credam, Prætoribus jus fuisse rogandi Censores. Verum utut res habeat, ex iis, quæ diximus, apertum est, Centuriata comitia, quæ magistratibus creandis habebantur, a Consulibus haberi solita, si quidem iis comitiis majores modo magistratus fiebant, qui erant Consules, Prætores, & Censores, ut supra ostendimus. Horum autem comitia non alii habebant quam Consules, nisi quid extra ordinem accidisset, cur aut Dictator magistratus subrogaret, aut Interrex. Ac de Dictatore quidem habendorum comitiorum causa supra diximus, & de Interrege. Illud modo hic adjiciemus; cum vel contentione ordinum, aut magistratuum, vel candidatorum ambitu, vel alia ratione perfici ante anni exitum comitia novis magistratibus creandis non potuissent, tum patritios convenire oportebat ad prodendum ex suo numero Interregem, qui dies quinque imperaret, quo alius deinde creabatur, eodemque modo alii atque alii singulis quinque diebus creabantur, donec subrogati essent ab alio ex iis Consules, qui statim inirent magistratum. Illud vero animadvertendum est, quod scribit Asconius Pædianus pro Milone, non fuisse moris, ut ab eo, qui primus Interrex proditus erat, comitia haberentur. Hinc fit, ut apud Livium, quoties de Interregno mentio est, numquam reperiatur a primo Interrege habita comitia, sed interdum a secundo, ut lib.9. 1. Dec. *Et quia tædebat populum omnium magistratuum ejus anni, res ad interregnum rediit. Interreges Q. Fabius Maximus, M. Valerius Corvinus. Is Consules creavit*. Et lib.10. ejusdem Dec. *Eo anno (nec traditur causa) interregnum initum. Interreges fuere Ap. Claudius; dein P. Sulpitius. Is comitia Consularia habuit*. Interdum a tertio, ut lib.5. 1. Dec. *Interreges tres deinceps fuere L. Valerius, Q. Servilius Fidenas, M. Furius Camillus*. Et alio loco ejusdem libri: *Interrex creatur M. Furius Camillus; qui P. Cornelium Scipionem: is deinde L. Valerium Potitum. Ab eo creati sex Tribuni militum Consulari potestate*. Interdum a pluribus, ut ad undecimum etiam Interregem aliquando perventum sit, ut scribit Livius lib. 7. 1. Dec. *Infestam inde patribus plebem Interreges cum accepissent ad undecimum Interregem seditionibus certatum est*. Centuriata igitur comitia magistratibus creandis illi habebant, quos diximus. Legum vero ac judiciorum, Centuriata comitia habere solebant, nec omnes tamen majores magistratus. Quod ex his, quæ sequuntur, fiet manifestum. Primum leges Consulares, quæ passim reperiuntur apud auctores, satis ostendunt, legibus ferendis Consules comitia Centuriata habere, & in judicio Manlii Consules comitia habuerunt: & lex Hortensia, quam tulit Dictator Q. Hortensius, ut plebiscita omnes tenerent, & Æmilia, quam tulit Æmilius Mamercus, ut Censura sesquiannua esset, & omnes Corneliæ L. Syllæ argumento sunt, Dictatores legibus ferendis comitia habuisse: Et Dictator L. Quintius judicium, ad quod maxime creatus erat, exercebat, cum Sp. Melius a Magistro equitum C. Servilio Hala interfectus est. Deinde a Prætoribus diem comitiis Centuriatis petere Tribunos pl. ad exercendum judicium, paulo ante citavimus: & Prætorem L. Juventium legem tulisse de bello Rhodiis indicendo scribit lib.5. Dec.5. Ut omittam, quod si in urbe Consules non essent, Prætorum, ac præsertim urbani (& si enim omnes Prætores dignitate pares essent, fuit tamen semper urbani major auctoritas, ut & ex omni historia constat, & Plutarchus in Bruto diserte asserit) summum imperium erat. Unde sequitur, sive legum, sive judiciorum comitia Centuriata habenda fuissent, Prætorum fuisse cum populo agere. Nam cum in urbe erant Consules, eis primum agendi cum populo munus incumbebat: adeo ut non posset Prætor vetante Consule comitia habere. Livius lib.7. Dec.3. *Cum Consul se populum rogaturum negasset, quod suæ potestatis esset, Prætoremque vetuisset rogare, Tribuni pleb. rogarunt*. Et Messala apud Gellium libro decimo tertio capite decimo quarto. *Consul ab omnibus magistratibus, & comitiatum, & concionem avocare potest: Prætor & comitiatum & concionem usquequaque avocare potest, nisi a Consule. Censores Centuriatis comitiis legem tulisse nusquam legimus, & cum leges Censorias apud auctores reperimus, pro Censorum subscriptionibus, ut Cicero pro Cluentio appellat, aut locationibus Censoribus factis, ut 7. in Verrem, accipi debent*. Jus autem habuisse populi vocandi, ex iis, quæ de lustri condendi ratione supra ex Livio citavimus, ostendi potest. Interreges vero legum aut judiciorum comitia habuisse nusquam legitur, nisi quod legibus inter arma silentibus L. Valerius Flaccus de perpetua Syllæ Dictatura legem tulit, quam legem omnium legum iniquissimam dissimilimamque legis Cicero appellat tertia oratione in Rullum. Sed nec Interregibus ea comitia habere licuisse, argumento esse potest Imperii brevitas, quæ promulgari perferrique leges pati non poterat: tum vero quod in Interregno nihil prius agere cum populo licebat, quam subrogati essent magistratus ordinarii. Restat ex majoribus magistratibus equitum Magister, a quo nusquam legimus habita fuisse comitia: hac, ut opinor, ratione, quod Dictatorem sequi, eique parere magistrum equitum oporteret. Ubi vero major erat potestas, vix licebat minori, cum populo agere. Jus tamen vocandi populi habuisse cum imperii magnitudo indicat, tum ex eo colligi potest, quod est apud Pomponium lege 2. de origine juris, hoc fuisse sub Dictatoribus Magistros Magistros equitum, quod erant sub regibus Tribuni celerum. Ex Dionysii vero historiæ libr. 4. constat agendi cum populo jus fuisse Tribuno celerum. Unde etiam apud Pomponium legimus, lege Tribunitia reges ejectos, quod lege curiata a L. Aruto Tribuno celerum lata ejecti essent. Ex iis, quæ diximus, apparet, ex magistratibus, quibus jus esset habendi Centuriata comitia, Consules tantum, Dictatores, & Interreges magistratibus creandis comitia habere solere, non etiam Censores, Prætores, & Magistros equitum: legum autem ac judiciorum, Consules, Dictatores, & Prætores, non etiam Interreges, Censores, & Magistros æquitum. Ex his vero, qui magistratus non essent, solos pontifices jus habuisse cum populo agendi reperio: quam ob causam supra exceptione usus sum, nisi de sacris agendum esset. Ac de aliis quidem comitiis, quæ a pontificibus habebantur, postea dicemus: nunc de Centuriatis agendum. Disputavimus supra de regis sacrificuli creatione, ostendimusque Centuriatis comitiis creari solitum. Cur vero credam a Pont. max. siquidem in urbe esset, sin minus ab uno quodam pontificum, illa comitia haberi, cum ex Dionysii historia colligo, in qua de primis Consulibus ita scribitur: *Cum vellent nomen regium servare, jusserunt Pontificibus & Auguribus creare ex senioribus eum, qui maxime idoneus ad id sacerdotium videretur*: tum vero hac ratione adducor, quod inter Calata comitia errant

hæc Centuriata regis sacrorum inaugurandi causa. Calata autem comitia a pontificibus haberi jus erat: siquidem populi calandi, hoc est vocandi, jus habebant, ut intelligi potest ex iis, quæ supra ex Macrobio citavimus. Quin etiam agendi cum populo jus habuisse demonstrari potest ex eo, quod apud Livium lib.3. Dec.1. legimus, Q. Furium Pontif. max. comitia habuisse, quibus Trib. plebis creati sunt, quia postquam decemviri se magistratu abdicassent, nulli tamen essent magistratus. Neque enim id factum esset, nisi jus habuisset Pontifex agendi cum populo. Alius est apud Livium locus libr.5. Dec.3. ubi ita scribit: *Comitia inde Pont. max. creando sunt habita. Ea comitia novus pontifex M. Cornelius Cethegus habuit*. Inde ego colligo Pontificibus jus fuisse agendi cum populo. Neque enim ullum magistratum eo anno gerebat Cethegus, ut ex eodem ipso Livio intelligi potest, & tamen comitia habuit. Sane ut cæteris in rebus summa erat potestas magistratuum, ita in sacris curandis maxima erat pontificum potestas: ideoque de sacris cum populo agendi jus pro sua dignitate habuisse credendum est. Porro autem Pontifices comitia Centuriata cur non possent sicut alia habere: cum æque in universum populum adeoque in magistratus, quod quidem ad sacra attinet tantum juris esset, ut etiam mulctæ dicendæ potestatem haberent? quemadmodum apud Liv. lib.10. Dec.4. legitur C. Servilius pont. max. mulctam dixisse Lucio Cornelio Dolabellæ Duumviro navali: & apud Val. lib.1. c.1. Metellus pont. max. Posthumio Consuli, eidemque flamini Martiali. Nec moveri oportet, quod exercitum imperari comitiis Centuriatis oportuit, ut ait Gell. lib.15. c.17. Pontificibus autem exercitum imperandi jus non esset. Neque enim ab eo, qui comitia habebat, dicit Gellius, imperari exercitum oportuisse, sed hoc tantum dicit, imperari exercitum præsidii causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Potuit igitur præsidii causa imperari exercitus aut a Consulibus, aut a Prætoribus, aut a Tribunis militum, ut potius existimo: atque interim a Pontificibus comitia haberi. Sed ut ex Calatis comitiis nulla legimus Centuriata fuisse, præter ea, quibus rex sacrorum creabatur: ita nunquam a Pontificibus habita fuisse Centuriata comitia, nisi regis sacrorum inaugurandi causa, concludendum est. Ac de personis quidem, quibus jus erat habendi comitia Centuriata, hactenus dictum sit. Deinceps sequitur, ut de iis dicamus qui comitiis Centuriatis suffragium ferebant. Diximus supra Centuriata comitia esse appellata a Centuriis Classium, in quas universus populus Romanus descriptus erat. Unde effici videtur, omnes qui in Centurias relati essent, jus habuisse suffragii ferendi. Ego vero existimo ipsas quidem Centurias omnes suffragii jus habuisse, non tamen omnes cives qui singulis Centuriis continerentur. Quos enim Censores ignominiæ causa in Cæritum tabulas referebant, eos privabant jure suffragii, ut scribit A. Gellius lib.16. cap.13. his verbis: *Primos municipes sine suffragii jure Cærites esse factos accepimus, concessumque illis, ut civitatis Romanæ honorem quidem caperent, sed negotiis tamen atque oneribus vacarent, pro sacris bello Gallico receptis custoditisque. Hinc tabulæ Cærites appellatæ, versa vice, in quas referri jubebant quos notæ causa suffragiis privabant*. Atqui adhuc illi cives erant: quoniamque ærarii fiebant, necesse erat, ut adhuc in tabulis Censorum essent, in quibus quo quisque censu esset, continebatur. Quare in cujusdam classis aliam Centuriam relatos esse oportebat: id quod aperte demonstrat Asconius in Divinat. Qui plebeius erat in Cæritum tabulas referebatur, & ærarius fiebat: ac per hoc non erat in albo Centuriæ suæ: scilicet ad hoc, ut civis esset, sed tantummodo ut pro capite suo tributi nomine æra penderet. Si igitur aliis quidem in rebus cives erant, quos Censores in Cæritum

A tabulas retulissent: ut vel hinc demonstrari potest, quod adeptam semel civitatem nemo invitus amittere queat, quandoquidem nec populo quidem jubente adimi posset, ut Cicero pro Cecinna ostendit, tantum abest, ut a Censoribus adimi posset: jure autem suffragii privati erant: efficitur, non omnes, quos Censores in Centurias retulissent, jus habuisse ferendi suffragii. Unde fit, ut vere dici non possit, omnes cives Romanos, aut omnem populum Rom. comitiis adesse ad suffragium ferendum potuisse: nisi cum exceptione intelligatur de omnibus civibus, quibus erat data civitas cum suffragio, nec postea aut adempta, aut ex hac parte diminuta: qui profecto soli erant vere, B & omni ex parte cives Romani. Quod ut apertius intelligatur, ex antiquitatis observatione pauca subjiciamus de jure civitatis Romanæ. Sicut externæ gentes in Romani populi amicitiam aut ditionem admissæ varii generis ac conditionis erant, ut aliæ liberæ, aliæ fœderatæ, aliæ stipendiariæ, aliæ Latinæ fuisse reperiantur, quemadmodum recte docet Budæus in posterioribus Annot. in Pandectas, & Alciatus primo Parer. cap.14. ita varii generis fuisse cives Romanos reperio, ut alii essent coloni, alii municipes, alii ex præfectura aliqua, alii cives modo Romani. Nam qui ex nullo municipio, ex nulla colonia C præfecturave Romanorum erant, sed vel in urbe agrove urbis suburbano nati, vel ex servis & illis gentibus externis libertate, vel speciali privilegio civitate donati, quartum quoddam genus civium constituebant. Ut vero quid essent municipes, quid coloni intelligatur, verba A. Gellii citabo ex libr.16. cap.13. *Municipes sunt cives Romani ex municipiis suo jure, & legibus utentes: muneris tantum cum populo Rom. honorarii participes, a quo munere capessendo appellati videntur: nullis aliis necessitatibus, neque ulla populi Romani lege adstricti, cum nunquam populus eorum fundus factus esset*. Sed coloniarum alia necessitudo est. Non enim veniunt extrinsecus in civitatem, nec D suis radicibus nituntur, sed ex civitate quasi propagatæ sunt: & jura institutaque omnia populi Rom. non sui arbitrii habent. Erant autem & alii cives ex præfecturis Italiæ, quorum discrimen a reliquis intelligetur, si explicaverimus quid essent præfecturæ. Erant igitur præfecturæ oppida Italiæ, in quibus qui habitabant, nec suis legibus, ut municipes vivebant, nec ullos de suo corpore magistratus creare poterant, sicut coloni: sed a magistratibus Roma missis regebantur iis legibus, quas Romanus magistratus dixisset: qui quoniam præfectus vocabatur, idcirco præfecturæ appellabantur. Hujus generis erat Capua ante coloniam eo a Cæsare Consule missam, ut constat ex secunda E orat. in Rullum & ex T. Livii lib.6. Dec.3. ubi ita de Capua scribitur: *De urbe agroque reliqua consulatio fuit: quibusdam delendam censentibus urbem prævalidam, propinquam, inimicam. Cæterum præsens utilitas vicit. Nam propter agrum, quem omni fertilitate terræ satis constabat primum in Italia esse, urbs servata est, ut esset aliqua aratorum sedes. Urbi frequentandæ multitudo incolarum libertinorumque & institorum opificumque retenta. Ager omnis & tecta publica populi Romani facta. Cæterum habitari tantum tanquam urbem, Capuam, frequentarique placuit: nullum corpus civitatis, nec Senatus, nec plebis concilium, nec* F *magistratus esse. Sine consilio publico, sine imperio, multitudinem nullius rei inter se sociam ad consensum inhabilem fore. Præfectum ad jura reddenda Roma quotannis missuros*. Quibus igitur oppidis Italiæ hujus generis præfecti Roma missi, jus reddebant, præfecturæ dicebantur. Quanquam autem omnes illi, quos quattuor generibus comprehendimus, cives Romani essent, non erant tamen omnes eadem conditione. Cum enim jus civitatis non una quadam in re consisteret, sed multis ac diversis velut prærogativis constaret, non omnibus omnia jura concedebantur: unde efficiebantur variæ conditionis cives Romani. Ac primum quidem ci-

vibus Rom. jus erat per leges Porciam & Semproniam, ut nec virgis cædi, nec vinculis coerceri, nec omnino capite plecti, nisi populi ipsius judicio, possent: de iis qui cives non essent, nil horum cautum erat, poterantque a magistratibus peregrini non consulto populo servili supplicio affici. Alterum jus erat civium Rom. ut soli testamento civis Romani hæreditatem capere possent. Neque enim ullus peregrinus poterat hæreditatem adire civis Rom. Quod Cicero ostendit pro Archia poeta, ubi probat Archiam se pro cive gessisse, hoc argumento, quod sæpe adiisset hæreditates civium Ro. Et pro Cecinna Ebutius Cecinnæ adversarius, negat posse hæredem Cesenniæ esse Cecinnam, quod civitas Volaterranis adempta esset a L. Sylla, ideoque civis Rom. non esset Cecinna. Solis etiam civibus Rom. jus fuisse reperio, testamentum jure Quiritium facere. Quod Cicero demonstrat, cum pro argumento accipit Archiam se pro cive gessisse, quia sæpe testamenta legibus Romanis fecisset. Erat & jus connubiorum civibus Rom. proprium: quia tantum cum civibus matrimonium contrahere poterant, adeo ut si aut pater aut mater peregrini essent, non legitimæ essent nuptiæ. Militare etiam in legione Romana, non aliis quam civibus licebat: ideoque soli cives ad ærarium in beneficiis deferri ab imperatoribus & beneficiarii milites fieri poterant. Nam hoc fuisse proprium civium Rom. eodem illo loco Cicero pro Archia ostendit. Horum beneficiorum meminit etiam in epist. 20. lib. 6. Epist. Fam. Tum liberos in potestate habere proprium erat jus Quiritium, ut ait Justinianus primo Inst. tit. de patria potest. Jus etiam alienandi per nexum, proprium fuisse civium Rom. cum ex eo intelligi potest, quod omnes, inter quos hujus juris solennitas transigebatur, cives esse oportebat, ut ait Boetius in comment. Topicorum; tum vero ex oratione Ciceronis pro Cecinna: ubi inter jura civium Rom. enumerat nexa atque hæreditates. Erat etiam jus suffragii, quod eo pertinebat, ut in comitiis suffragium ferre possent cives Rom. iisdemque suffragiis ad magistratus publicasque cæteras administrationes ac dignitates pervenire. Erat postremo jus adoptionum, gentilitatis, togæ ferendæ, &, ut semel omnia complectar, omnium legum Romanarum beneficio uti; quod beneficium in eos modo conferebatur, qui civitate donabantur. Hæc vero tam multa, & tam varia civitatis Romanæ jura non omnibus civibus omnia concedebantur. Multis enim reperimus datam fuisse civitatem absque suffragio: ut apud T. Livium lib. 8. Dec. 1. *Campanis equitibus honoris causa, quia cum Latinis rebellare noluissent, Fundanisque & Formianis, quod per fines eorum tuta pacataque fuisset via, civitas sine suffragio data.* Et paulo post: *Romani facti Acerrani lege a L. Papyrio Prætore lata, qua civitas sine suffragio data.* Et libro decimo ejusdem Dec. *Anagninis, quique arma Romanis intulerant, civitas sine suffragii latione data.* Et lib. 8. Decad. 4. *De Formianis Fundanisque municipibus, & Arpinatibus C. Valerius Tappo Tribunus plebis promulgavit, ut iis suffragii latio (nam ante sine suffragio habuerant civitatem) esset.* Nec dici potest id modo ita fuisse superioribus illis temporibus, quibus adhuc pauca Italiæ oppida recepta erant in civitatem: sed etiam ætate Ciceronis, qua omnes Latini & socii Italiæ civitate donati erant, ut ipse ait in oratione pro Balbo, non erant omnes cives eadem conditione. Locus enim est apud Ciceronem pro Cecinna, ubi ita scribit: *Sylla ipse ita tulit de civitate, ut non sustulerit horum nexa atque hæreditates. Jubet enim eodem jure esse quo fuerint Ariminenses, quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse, & a populo Romano hæreditates capere potuisse?* Ex eo loco colligo, cum Sylla Dictator leges tulit de adimenda civitate Volaterranis, fuisse duodecim colonias, quæ non pleno jure civitatem Romanam haberent. Ex quo efficitur defuisse iis jus suffragii: nam quibus jus etiam suffragii datum erat, pleno jure cives Romani erant. Atqui multis annis Dictator fuit Sylla, post legem Juliam a L. Julio Cæsare Consule tempore belli socialis latam, qua sociis Italiæ & Latinis data est civitas. Erant igitur etiam ætate Ciceronis aliqui cives Rom. qui tamen jus suffragii non haberent. Quare exceptione utendum esse recte supra diximus, omnes cives Romanos, si modo pleno jure cives essent, jus habuisse ferendi suffragii comitiis Centuriatis. In hoc porro numero quod comprehenderentur municipia, coloniæ, & præfecturæ Italiæ, Cicero aperte ostendit in oratione post reditum ad Quirites, ubi de comitiis Centuriatis, quibus ab exilio revocatus est, loquens, ita scribit: *Nullus in eorum reditu motus municipiorum & coloniarum factus: at me in patriam ter suis decretis Italia cuncta revocavit.* Et pro Sestio: *Nullum erat Italiæ municipium, nulla colonia, nulla præfectura, nulla Romæ societas, nullum collegium aut concilium, aut omnino aliquod commune consilium, quod tum non honorificentissime de mea salute decrevisset.* Quod idem ex multis aliis ejus locis pro Muræna, pro Sylla, & pro Plancio, intelligi potest. Atque illa quidem sufficiant de personis jus habentibus ferendi suffragii comitiis Centuriatis: nunc reliquas personas persequar, quæ omnibus comitiis Centuriatis adesse reperiuntur: tum de iis agemus, si quæ sunt quæ proprie comitiis magistratuum, legum, & judiciorum conveniunt. In omnibus igitur Centuriatis comitiis reperio fuisse diribitores, rogatores, custodes & præcones. Erant autem Diribitores, qui tabellas populo per Centurias ministrabant: Rogatores qui cistam deferebant, in quam tabellas suffragii populus conjiciebat: Custodes, qui præter id quod observabant, ne quid fraudis committeretur in sortitionibus & suffragiis dicendis, describebant etiam cujusque Centuriæ educta e cista suffragia, ut inde appareret, quæ esset illius Centuriæ sententia: quam sententiam tum præcones magna voce pronunciabant. Ac fuisse quidem in comitiis, qui tabellas populo darent, non autem ipsum populum domo adferre ad comitia solitum, ex Cicerone intelligi potest, apud quem lib. 1. ad Att. in epist. cujus initium est, *Vereor ne putidum*, ita scribitur: *Piso autem Cos. lator rogationis, idem erat dissuasor: operæ Clodianæ pontes occuparant: tabellæ ministrabantur: ita ut nulla daretur, uti rogas.* Et his verbis satis apparet fuisse quosdam, qui tabellas populo ministrarent. Extat tamen apud Svetonium in Cæsare locus, ubi ait: *Reperta sunt proximis comitiis plura suffragia Consules declarantium Cæsetium & Marullum, quos Cæsar Tribunatu removerat.* Ex quo loco intelligi potest, quosdam interdum alias tabellas in cistam conjicere solitos, quam quæ ministrabantur: quas necesse erat domo secum adferre. Verum id in Cæsaris invidiam factum constat. Et ut earum tabellarum ratio non habebatur, ita raro eveniebat. Hi diribitores a diribendis, hoc est, distribuendis tabellis, diribitores appellabantur. Unde etiam in judiciis reperimus diribitas tabellas, cum singulis judicibus datæ erant tabellæ. Ut in Pisonem: *An ego expectem, dum de te quinque & septuaginta tabellæ diribeantur?* Et lib. 3. Epistolarum ad Q. Fratrem in epistola, cujus initium est, *Gabinius: Cato diribitis tabellis de circulo se subduxit.* Qui igitur populo tabellas diribebant in comitiis, diribitores appellabantur. Horum meminit Cicero post reditum in Senatu. *Quando illa dignitate rogatores, diribitores, custodesque vidistis?* Et in Pisonem, distributores vocat quos illic diribitores. *Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse.* Illud etiam apud eum in oratione pro Plancio scribitur; *Nam si quotiescunque præteritus*

erit is, qui non debuerit præteriri, toties oportebit eum, qui factus erit, condemnari, nihil jam est, quod populo supplicetur, nihil quod diribitio, (sic enim legi debet, non direptio) *nihil quod supplicatio magistratuum, renunciatio suffragiorum expectetur*. Porro fuisse præter eum, qui habebat comitia, alios rogatores, qui id agerent quod diximus, cum ex iis locis, quos modo citavimus ex orationibus post reditum in Senatu & in Pisonem intelligi potest: siquidem præter Pub. Lentulum, a quo habebantur comitia, fuisse alios rogatores ex Senatu principes viros, diserte scribitur: tum vero ex secundo de Divinatione, ubi Cic. ita scribit: *At aruspices divini, quos cum Tib. Gracchus propter mortem repentinam ejus, qui in prærogativa referenda subito concidisset, in Senatum introduxisset, non justum rogatorem comitiorum fuisse dixerunt. Primum vide ne in eum dixerint, qui rogator Centuriæ fuisset: is enim erat mortuus*. Ex eo loco planum est, præter Tib. Gracchum, a quo illa comitia habebantur, fuisse & alium quendam Centuriæ rogatorem, quem primum rogatorum appellat secundo de Nat. deor. Ac si tempus inspicias, quo illud factum est, videbis multo tempore id fuisse, antequam tabellis suffragium ferri a populo cœptum esset: quo tempore diribitoribus non opus erat, sed eo solum, qui rogaret suæ Centuriæ sententias, quas postea referret. De hoc rogatore intelligi debet locus Ciceronis libro secundo de Orat. ubi ait: *Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem cum ex Centuria sua renunciaret Acidinum Consulem*. Qui igitur colligebant centuriatim suffragia prius voce, postea tabellis, ii rogatores appellabantur. Qui vero habebat comitia, universum populum rogabat antequam in suffragium mitteret, & rogator comitiorum dicebatur: Custodes vero eo munere fungi solitos quod diximus, & fuisse a diribitoribus rogatoribusque diversos, ex iisdem illis locis quos citavimus demonstrari potest: & ipsius verbi vis ostendit, eo custodes appellatos, quod in comitiis velut observatores adhiberentur, ne quid fraudis admitteretur. Cujus rei exemplum extat apud Plutarchum in vita Catonis Uticensis, ubi ait Catonem in petitione Ædilitatis M. Favonii, cum adesset comitiis, animadvertisse tabellas omnes, quæ ministrabantur populo, una manu esse scriptas; ex quo fraudem intellexit ad dejiciendum Favonium factam, ideoque Tribunos appellasse, a quibus dirempta sunt comitia. Et Cicero secunda oratione in Rullum: *Quis tribus, quas voluit, vocavit, nullo custode sortitus?* Ex quo loco intelligitur, id quoque in munere custodum fuisse, ut viderent ne quid magistratus etiam ipsi in sortiendo fraudis admitterent. Erat vero & hoc præterea munus custodum, ut post lata suffragia, in quibusdam tabulis, numerum sententiarum punctis notarent: id quod ego Cicerone auctore affirmo. Scribit enim post reditum in Senatu, de Pisone loquens: *Tu misericors me affinem tuum, quem comitiis prærogativæ primum custodem præfeceras, quem Calend. Jan. tertio loco sententiam rogaras, constrictum inimicis Reipub. tradidisti*. Et in Pisonem: *Erat non solum domus mea, sed totum palatium Senatu, equitibus Romanis, civitate omni, Italia cuncta refertum: cum tu non modo ad eum Ciceronem* (*mitto enim domestica quæ negari non possunt, hæc commemoro quæ sunt palam*) *non modo inquam, ad eum, cui primam comitiis tuis dederas tabulam prærogativæ, quem in Senatu sententiam rogabas tertium, nunquam aspirasti: sed omnibus consiliis, quæ ad me oppugnandum parabantur, non interfuisti solum, sed etiam crudelissime præfuisti*. Ex horum locorum collatione hoc primum intelligi potest, quem uno loco appellavit primum custodem prærogativæ, alio loco interpretari eum cui prima data esset tabula prærogativæ. Tum illud inde apparet, tabulam hanc a Pisone candidato Ciceroni datam fuisse. Unde perspicuum est, non posse illo loco intelligi tabulam suffragii, quam in cistam conjiceret Cicero. Nam præter id; quod diribitorum erat tabellas ministrare, non candidatorum, quomodo potuit Piso scire Ciceronem in prærogativa Centuria suffragium dicturum? præsertim cum forte fieret prærogativa, nec posset nisi in una quadam sua centuria quisquam suffragium ferre. Quam ergo tabulam Ciceroni Piso dederat, ea ad alium usum data erat: nempe ut in ea colligeret quot sententiis a prærogativa Consul renunciatus esset. Et quoniam tantum intererat a prærogativa renunciari, ut fere semper prærogativam reliquæ Centuriæ sequerentur: idcirco ut ne hic fraus ulla fieret, solebant candidati custodem præficere suum quendam amicum, & virum gravem. Nam cur aliis candidatis non liceret idem facere quod Pisoni licuit, nulla ratio adferri potest. Itaque existimo a singulis candidatis dari solitas singulas tabulas quibusdam suis amicis: qui notarent in sua quisque tabula numerum suffragiorum, quibus sui candidati creati essent. Numerus autem ille punctis notabatur: unde fit, ut reperiamus sæpe apud Ciceronem puncta pro suffragiis, ut pro Plancio: *An*, inquit, *una fieri potuerunt, si una tribus non tulissent: cum nonnullas punctis pene totidem?* Et paulo post: *Nam quod questus es plures te testes habere de Volitinia, quam quot in ea tribu puncta tuleris*. Et pro Muræna: *Admonitus re ipsa recordor, quantum hæ quæstiones in Senatu habitæ punctorum nobis, Servi, detraxerint*. Et apud Asconium in orat. pro Scauro: *Scaurus absolutus est, sed ita, ut a tribus tribubus damnaretur, a triginta duabus absolveretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & absolutionem interessent*. Ut vero prærogativæ Centuriæ præficiebatur a candidato primus custos, ita aliis Centuriis alii præficiebantur custodes. Quod vel ex iisdem illis verbis intelligi potest. Neque enim Cicero primum custodem, primam tabulam diceret, nisi alii quoque custodes, aliæ tabulæ fuissent. Et quanquam in comitiis legum custodes erant, sicut in comitiis magistratuum, ut ex eo apparet, quod comitia illa, in quibus Cicero ait Senatores fuisse rogatores, diribitores & custodes, habebantur ad legem de reditu ejus ferendam: attamen hoc diversum fuisse existimo, quod in comitiis legum, in una Centuria duo modo custodes esse possent: quorum unus notaret, quot suffragiis lex antiquaretur, alter quot juberent: nisi ab uno custode utrunque fieri dicamus. Quod tamen, ut secus existimem, facit, quod si uni custodi tabulæ committerentur, facile ei fuisset ementiri numerum suffragiorum, ut qui solus ea numeraret, si in alterutram potius partem inclinasset. Ut omittam verisimilius esse, sicut in comitiis magistratuum uni custodi una tabula dabatur, in qua unius nominis suffragia colligeret, non autem in unam tabulam omnium candidatorum suffragia conjiceret: ita in comitiis legum dari solitam cuique custodi unam tabulam, in quam alterius modo partis suffragia colligeret. At in comitiis magistratuum unius Centuriæ suffragiis describendis tot custodes erant, quot candidati, quemadmodum supra demonstravimus. Postremo illud considerandum est, quod Cicero in Pisonem ita scribit: *Hoc certe video, quod indicant tabulæ publicæ, vos rogatores, vos distributores, vos custodes fuisse tabularum: & quod in honoribus vestrorum propinquorum non facitis vel ætatis excusatione, vel honoris, id in salute mea nullo rogante vos vestra sponte fecistis*. Ex eo enim loco intelligitur non fuisse id perpetuum, ut Senatores primarii in comitiis rogatorum, diribitorum, & custodum munere fungerentur: sed si quando vellent comitia omni non modo fraude carere, sed etiam suo ministerio cohonestari, vel quia res magna ageretur, vel quia id honori alicujus tribuerent. Cum autem ætatis & honoris excusationem allegari dicit, significat juvenum fere hæc munera, eorumque, qui adhuc honoribus functi non erant, fuisse. Ac magistratuum quidem comitiis custodes ab ipsis candidatis præficiebantur, ut

ex iis, quæ supra diximus, apparet. Rogatores vero ante tabellas quidem populo datas, ex ipsis desumebantur Centuriis aliqui viri graves, non ab ipsis candidatis præficiebantur. Nam ex eo loco secundi de oratore, quem citavi, apparet M. Scipionem, qui rogator erat iis comitiis, quibus L. Manlius Acidinus designatus est Consul, fuisse ex illa ipsa Centuria, cujus sententiam renunciabat. Scribit enim Cicero: *Cum ex centuria sua renunciaret Acidinum Consulem: At post tabellarias leges latas, rogati, opinor, ab eo qui comitia habiturus erat, operam suam publice in ea re præstabant ii homines, quos bona fide suffragia collecturos, existimasset: vel sua sponte id honori amicorum tribuebant aliqui viri graves.* Quod idem ut de diribitoribus sentiam, eo adducor; quod non quemadmodum præconum erat ordo quidam ac velut collegium sodalitasve, quibus hoc erat munus proprium, ut præconium facerent, ita diribitorum ordo cui hoc modo incumberet, ut tabellas populo diriberent: sed ipsi interdum Senatores hoc munus suscipiebant, ut ex iis, quæ diximus, planum est. Quod vero ait Cicero, sua sponte nullo rogante Senatores id suscepisse, argumento est, liberum voluntariumque id munus, non certum ac necessarium quibusdam hominibus fuisse. Quod tamen postea videtur ab Augusto certis quibusdam hominibus ex equestri ordine attributum. Scribit enim Plinius lib.33. cap.2. de decuriis equitum ab Augusto institutis: *Decuriæ quoque ipsæ pluribus discretæ nominibus fuere. Tribunorum æris, & selectorum, & judicum: præter hos etiamnum nongenti vocabantur ex omnibus selecti ad custodiendas cistas suffragiorum in comitiis.* Tum vero ex iisdem illis Ciceronis verbis colligo, non sorti id relictum fuisse, ut quibus forte obtigisset, hi operam suam in ea re præstarent; sed voluntati relictum fuisse: ita ut existimem, omnibus comitiis rogatores, & diribitores fuisse, quos ipsi magistratus ac potissimum, qui erat habiturus comitia sibi notos homines ex omnibus ordinibus, sed maxime ex Senatu desumptos, rogasset ad id munus centuriatim fungendum; nisi si quando id honori alicujus tribuissent principes Senatus viri, ut peragere ista vellent: sicut factum ait Cicero iis comitiis, quibus lex de ejus reditu lata est. De custodibus vero, qui in comitiis legum essent, idem quod de rogatoribus & diribitoribus fieri sentio: ut nisi sua sponte viri aliqui gravitate insignes id muneris suscepissent, rogarentur ab eo, qui haberet comitia, aut alio magistratu, qui, ut lex acciperetur vel antiquaretur, laboraret, qui custodes in iis comitiis essent. In iis ego fortasse falli possem, sed tamen vel conjecturis uti malo, quam non attingere id, quod requiri a me posset: ut alios excitem ad inquirendam certioribus argumentis veritatem. Præcones restant, quos perspicuum est Romæ certos quosdam homines fuisse, qui faciendo præconio quæstum facerent. Hos ego comitiis reperio adfuisse, primum ut classes vocarent. Scribit enim Dionysius libro decimo: *Postquam dies comitiorum venit, & præco primam classem vocavit.* Deinde post descripta singularum Centuriarum suffragia, ut magna voce pronunciarent, quæ esset illarum sententia. Cicero lib.7. in Verr. *Tu cum Prætor renunciatus es quoquomodo (mitto enim & prætereo quid tum actum sit) sed cum esses renunciatus, ut dixi, non ipsa præconis voce excitatus es, qui te toties seniorum juniorumque Centuriis illo honore affici pronunciavit.* Et in sec.orat. in Rull. *Itaque me non extremæ tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus, neque singulæ voces præconum, sed una voce universus populus Rom. Consulem declaravit.* Et pro Milone: *Meminit etiam sibi vocem præconis modo defuisse, quam minime desiderarit: populi vero cunctis suffragiis, quod unum cupierit, se Consulem declaratum.* Et apud A. Gellium libro 12. cap.8. de censura Æmilii Lepidi, & Fulvii Flacci ita scribitur: *Postea populus Roman. eos simul Censores facit. Atque illi ubi voce præconis renunciati sunt, ibidem in campo nondum dimissa concione, ultro uterque, & pari voluntate conjuncti complexique sunt.* Ex quo A. Gellii loco, & superiore Ciceronis ex Orat. pro Milone concludi potest, non modo singularum Centuriarum, ut quæque suffragium dixisset, sententiam a præconibus pronunciari solitam, quemadmodum ex superioribus locis intelligitur, sed etiam post lata omnia suffragia, rursum quid populus universus jussisset, voce præconis declarari. Sequitur nunc, ut de personis agamus, quæ magistratuum modo comitiis conveniunt, non etiam legum ac judiciorum. Id quod ad candidatos pertinet. Erant autem candidati, qui magistratum aliquem petebant: sic dicti a toga candida, quam gestabant, qui se magistratum petere professi essent. Cujus rei si probatio requiratur, extat apud Valerium Maximum libro 4. cap.5. ubi mentio fit de Cn. Scipione Africani superioris filio, & Cicereio scriba competitoribus Præturæ. *Cæterum crimen ejus in suam laudem Cicereius convertit. Nam ut vidit omnibus se centuriis Scipioni anteferri, templo descendit, abjectaque candida toga competitoris sui suffragatorem agere cœpit.* Et Plinius libro 7. cap.34. *Scipio Nasica in toga candida bis repulsa notatus a populo.* Et T. Livius libro 7. Decad.3. de M. Livio Salinatore ita scribit. *Unus eam rem in civitate is cui deferebatur honos, abnuebat: levitatem civitatis accusans. Sordidati rei non misertos, candidam togam invito offerre.* Et libro 7. Decad.4. de Catone Censuram petente scribit: *M. Cato ante alios testes conspiciebatur, cujus auctoritatem perpetuo tenore vitę partam, toga candida elevabat.* Et libro nono ejusdem Dec. *Q. Fulvius Flaccus quia Ædilis Curulis designatus erat sine toga candida, sed maxima omnium contentione petebat.* Ex iis, opinor, locis satis apparet, inde appellatos candidatos, qui magistratus ambibant, quod candidam togam induti peterent. Verum ex eo Livii loco, quem postremum citavi, apparet, inde excipi eos, qui jam designati essent: qui si alium magistratum peterent, sine toga candida petebant. Est autem & illud observandum, quod scribit Plutarchus in vita Coriolani, & in Probl. Catonem scriptum reliquisse, fuisse in more ut candidati sine tunica venirent ad supplicandum populo, illa sola toga candida, eaque recincta, induti. Cujus rei Plutarchus dicit fuisse causas: vel ne in sinu gestarent numos, quos populo dividerent, itaque per corruptionem magistratum affequerentur: vel potius, ut dignos magistratu non genere, non opibus, non gloria, sed vulneribus & cicatricibus populus judicaret: quæ ut ab iis conspicerentur, quos ambiendo prensabant, sine tunica ad petendum descendebant: vel ut perinde hujusmodi nuditate supplicum habitum ostenderent; atque se prensando, rogando, salutando populo summittebant. Ex quibus verbis intelligimus, candidas illas togas a candidatis ita gestari solitas, ut populo conspicua esse possent partium corporis vulnera, cicatricesve. Nec moveri eo debemus, quod est apud T. Livium lib.4. 1. Decad. a Tr. pl. legem esse perlatam, ne cui album investimentum (sic enim legendum esse ex manuscriptis codicibus affirmat Beatus Rhenanus) addere petitionis causa liceret. Hac enim lege aliud nihil cautum fuisse intelligo, quam ne liceret cum toga candida aliam vestem induere: ad vitandam scilicet omnem ex geminis vestibus suspicionem ambitus. Neque enim hac lege vetari existimo, ut candidati togam albam non induerent, sed ne investire albam vestem liceret, hoc est, supra alias vestes candidum indumentum adjicere. Atque ita lex hæc jubere id videbitur, quod nos ex Plutarcho citavimus: ut scilicet candidati unicam ac simplicem togam candidam, cum ad supplicandum populo venirent, induerent. Aut si hac lege prohibitum esse velimus, ne omnino ullam vestem candidam induerent petitionis causa, postea aut abrogatam fuisse eam legem, aut neglectam a candidatis exolevisse, nobis dicendum erit.

A Hi candidati suam quidem petitionem, vel biennio ante incipiebant, quam magistratum inire possent: ut apparet ex eo capite legis Tulliæ a Cicerone Consule latæ, quod citatur in orat. pro Sestio & in Vatinium: quo capite vetabatur ne gladiatores eo biennio, quos quis petierit aut petiturus sit dare liceret: tum vero in 1. epist. ad Att. Cicero ostendit se petere Consulatum incœpisse iis comitiis, quibus non ipsi suive competitores designandi essent, sed alii qui essent magistratus proximo anno, quo sua haberentur comitia. Unde apparet inter initium petitionis & designationem unum modo annum interjectum fuisse, sed quia in alios Consules petitionis principium, in alios designatio incurreret, propterea bien- B nium dici. Nam & ex oratione 2. in Rullum intelligimus lege id cautum fuisse, ne liceret postquam unum magistratum gesseris, alium nisi interjecto biennio gerere. Illic enim suo ac legitimo anno dicit Cicero se factum Consulem, quod biennio postquam Prætor fuerat, Consul fuerit. Quod idem ipse in Bruto ait, & libro decimo epist. quæ familiares inscribuntur, ad Furnum ita scribit: *Quod eo facilius nobis est, quod non est annus hic tibi destinatus, aut si Ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset.* Quanquam autem petitionem suam tanto tempore C ante adornarent, tamen non est existimandum jam tum indutos candida toga supplicasse populo, sed eo tantum anno vere candidati erant, quo aut designari, aut repelli suffragiis populi oportebat: & is proprie annus petitionis dicebatur, ut Cicero in eadem epistol. quam modo citavimus, ostendit. Nam & pro Cælio mentionem facit duorum annorum, qui inter Præturam suam & Consulatum fuerunt, sed tamen posteriori tantum suam petitionem Consulatus attribuit. Verum nec toto illo anno, nec longo tempore ante sua comitia existimo candidam togam gestasse, sed post edicta modo comitia. Iis enim indictis qui petere vellent, profiteri se candidatos o- D portebat: alioquin nisi intra legitimos dies professi essent se petere, ratio eorum haberi comitiis non poterat. Quæ ne fingere videamur, auctores laudabimus, ex quibus hæc ita esse fiet manifestum. Salustius in conjuratione Catilinæ: *Post paulo Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat Consulatum petere, quod intra legitimos dies profiteri nequiverit.* Et T. Livius libro quarto primæ Dec. *Comitia Tribunis Consulari potestate tribus creandis indicuntur: quibus indictis, extemplo quicunque aliquid seditiose dixerat aut fecerat, quam maxime Tribunitii & prehensare homines, & concursare toto foro candidati cœpere.* Et lib. 7. ejusdem Dec. *Cæterum* E *cum Censoribus creandis indicta comitia essent, professus se petere Censuram C. Martius Rutilius, concordiam ordinum turbavit.* Ex iis locis inter se collatis apparet post indicta comitia, ita se petere profiteri solitos, si togam candidam induti ad supplicandum populo venirent. Quod de præsentibus intelligi volo. Nam etiam absentes poterant, tametsi eorum ratio haberi non posset, se petere profiteri, ut indicat Cicero 2. in Rullum, cum ita inquit: *Præsentem tantum profiteri jubet, quod nulla alia in lege unquam fuit, ne iis quidem magistratibus quorum certus ordo est.* Illam vero absentem professio- F nem intelligo, eorum in concione populi nominationem, & magistratus deinde per amicos ad populum supplicationem, ut de Cæsare factum scribit Appianus libro secundo bell. civil. Ut vero credam hujusmodi professionem in candida toga fieri solitam, postquam edicta essent comitia, non modo ex his quæ paulo ante citavimus adducor, sed etiam ex eo, quod in historia reperio, eos, qui in provinciis erant, ad petitionem Consulatus si venire vellent, satis habuisse, si post edicta comitia venissent. Ut Cæsar cum ex Hispania ad petendum Consulatum venit, edictis jam comitiis urbem ingressus est, ad petendum ut scribit Sveton. Et Marius ad primi Consulatus petitionem ex Africa decessit, cum duodecim dies superessent ante comitia, si Plutarcho credimus: & in itinere septem (ut idem ipse ait) diebus consumptis, petitione quinque dierum Consulatum obtinuit. Adornabant igitur suam petitionem multo ante tempore qui magistratus petebant: idque aut per se, aut per amicos: sed professos petitionem suam ante edicta comitia nusquam reperimus. Quæ professio quoniam induta toga candida fiebat, idcirco in eam opinionem venimus, tametsi candidati μεταφορικῶς vocarentur, qui quocunque tempore magistratum ambirent, proprie tamen post edicta comitia fuisse candidatos. Neque vero in professione existimo satis fuisse, candidam togam induere, sed etiam solenni ad populum nominatione, quæ in concione ab aliquo magistratu data fieret. Nam si præsens Q. Fulvius Flaccus professus est se petere Præturam absque toga candida, quia prætextam ferre Ædilem eum oportebat, relinquitur profiteri aliud fuisse, quam candida toga accepta petere magistratum. Ut omittam, quod absentes profiteri poterant, quæ sine toga candida professio necessario fiebat. Nominis autem editione opus fuisse hin colligo, quod T. Livius libro 6. Decad. 3. de Proconsule in Hispaniam mittendo, ita scribit: *Diem comitiis Consules edixerunt: primo expectaverant, ut qui se tanto imperio dignos crederent, nomina profiterentur.* Quia enim Livius illic nomen profiteri dicit, quod alibi simplici verbo profiteri, dicere solet, argumento est, in petitione sua profitenda, nominis sui datione opus fuisse. Quod si hanc nominis editionem ostendamus non fuisse apud magistratus actave publica nominis dationem; reliquum erit apud populum fieri solitam hujusmodi nominationem. Et quoniam ad populum verba facere privatus non poterat, nisi potestate dicendi a magistratu facta, restat ut dicamus, solennem illam candidatorum professionem ad populum fieri, data ab aliquo magistratu concione. Cur vero existimem, professionem non fuisse sui nominis apud Consules dationem, ea causa est, quod sæpe in historia reperimus, Consules absentes comitia dixisse, nec in urbem venisse, nisi aut quo die erant habituri comitia, aut paulo ante. Unde lib. 4. Decad. 3. de Q. Fabio Consule ita scribitur: *Inde Romam comitiorum causa veniens, in eum diem, quem primum comitialem habuit, comitia edixit: atque ex itinere præter urbem in campum descendit.* Et libro quinto Decad. quartæ. *M. Fulvius Prætor litteras mittit ad Consulem, senatui placere Romam reverti, & ex itinere præmittere edictum, quo comitia Consulibus creandis ediceret: paruit his literis Consul, & præmisso edicto Romam venit.* Si igitur ejus fuisset, cui comitia habendi sors obtigerat, nomen eorum recipere qui se candidatos profitebantur: id autem non posset apud absentem Consulem fieri: necesse est, ut dicamus, statim edictis comitiis non potuisse illos candidatos petitionem profiteri; imo, non ante diem comitiorum in ipso campo professionem fuisse. Quod si absurdum est, relinquitur ad profitendam petitionem non fuisse opus a Consulibus nomina candidatorum recipi. Jam vero si professos reperiamus multos, quorum tamen nomen se accepturum negabat Consul, nonne apertum est in professione non fuisse opus nomen a magistratu recipi? Et si nihilominus professi dicantur, quorum rationem habendam non esse judicatum est, nonne apparet ut professus quis dicatur, non oportuisse nomen ejus actis publicis receptum esse? Cujus enim nomen receptum erat, ejus rationem haberi oportebat. Scribit Asconius Catilinam ex Africa reversum, professum fuisse Consulatum se petere: & tamen rationem ejus haberi non posse judicatum esse. Et C. Martium Rutilium scribit T. Livius Censuram petere professum, & tamen subjicit Consules negare se rationem ejus habituros. Apud Valer. Max. libro tertio

cap. ultimo scribitur, M. Palicanum petitionem Consulatus professum fuisse: Cajum tamen Pisonem Cos. in concione populi negasse rationem ejus se habiturum. Ut ergo quis professus diceretur, non erat opus nomen ejus receptum esse a magistratu, sed satis erat apud populum per se aut per amicos oratione declarare, velle se magistratum populi beneficio obtinere. Merito enim fiebat, ut quoniam magistratus beneficia mera populi erant, apud populum petitionis professio feret: quæ nihil aliud erat, quam publica ac solennis voluntatis suæ declaratio de magistratu, si populus ita vellet, obtinendo. Candida autem toga petitionis signum erat, ut a populo dignoscerentur qui ambirent magistratus. Quandiu enim retinebatur toga candida, tandiu perstare in petitione; ea deposita & petendi voluntatem deposuisse candidati censebantur. Idque ex historia Cicerei scribæ, quam sup. ex Val. Max. citavi, intelligi potest. Abjecta enim candida toga, cum jam prope designatus esset Prætor, a petitione se desistere declaravit. Ex iis, quæ diximus, apparet, profiteri in candida toga petitionem nemini prohibitum fuisse: quandoquidem populo in candida veste supplicare cuivis liberum erat, qui se a populo obtinere posse sperabat: sed tamen non semper habebatur ratio eorum qui professi essent. In quo magistratuum ac Senatus jam cognitio locum habebat. Ne enim populus magistratum alicui mandaret indigno, aut contra leges, publice intererat considerari candidatorum causas a magistratibus, & consilio publico: quæ deinde ad populum allegatæ, efficiebant, ut eorum tantum, qui digni essent, rationem comitiis habere vellet.

Ac sæpe etiam contra populi studia manifesta, magistratus judicio, aut Senatus decreto excludebantur suffragiis populi nonnulli candidati. Horum omnium exempla passim in historia reperiuntur. Asconius scribit L. Volcatium Consulem advocasse consilium publicum, an Catilinæ, qui petitionem Consulatus professus erat, rationem habere deberet: ac Senatum decrevisse rationem ejus haberi non posse: unde apud Salustium de eadem re scribitur, Catilinam reum repetundarum prohibitum esse Consulatum petere. Quod vero scribit Salustius Catilinam profiteri nequivisse, non pugnabit cum eo, quod dicit Asconius Catilinam professum; quod apud Salustium sumatur cum effectu profiteri, quo dicit Catilinam profiteri nequivisse. Cujus enim ratio non est habita, tantundem effecit profitendo, ac si professus non esset. Itaque professus est Catilina, ut ait Asconius, sed non est professus cum effectu, ut significat Salustius. Cicero in Bruto scribit de C. Servilio Glaucia judicatum esse, rationem ejus habere comitiis Consularibus non licere. Et T. Livius lib. 9. Decad. 4. scribit L. Porcium Coss. ad Senatum retulisse, an habere deberet rationem Q. Fulvii petentis Præturam. Et apud Val. Max. legimus contra studia Tribunorum pleb. ac populi C. Pisonem Coss. perseveranter negasse, & in concione populi palam prædixisse, rationem se M. Palicani seditiosi ac turbulenti hominis comitiis Consularibus non habiturum. Et Consules apud Livium lib. 7. Dec. 1. negant se rationem habituros C. Martii comitiis Censoris. Et lib. 5. Dec. 3. negant Tr. pl. propter ætatem habendam esse rationem P. Scipionis petentis Ædilitatem. Et lib. 2. Dec. 4. scribit Livius, Tribunos pl. impedire comitia, quod nollent rationem haberi T. Quintii Flaminii, Consulatum ex Quæstura petentis, remque ad Senatum esse rejectam: qui populo permisit in ea re libera suffragia. Quod vero supra negavimus a Consule, qui habiturus esset comitia, nomen candidatorum non recipi, ad id tempus non pertinet, quo in campo habebat comitia, sed ad initium petitionis in candida veste, & ad simplicem professionem. Nam qui ex candidatis digni videbantur, quorum ratio haberetur, eorum nomen Consul recipiebat, hoc est, populi suffragio permittebat, ut ex iis designaret, quos vellet: adeoque eum nomen candidatorum recipere oportebat, ut omnino suffragio populi excluderetur, cujus nomen non recepisset: ac si quem populus designasset, cujus nomen accipere nollet, nihil eo designando populus perficere posset, quando ei liberum esset populi concilium dimittere cum vellet. Unde apud Valerium legimus C. Pisonem Consulem a Tribunis pro rostris interrogatum, an, si M. Palicanus suffragiis populi Consul crearetur, eum renunciaturus esset, libere respondisse, non renunciabo: eoque responso factum esse, ut Palicano consulatus eriperetur. Et apud Livium lib. 10. Dec. 1. *Q. Fabius cum a populo Consul fieret, quia negavit se sui rationem habiturum, Consul factus non est*. Et lib. 4. Dec. 3. *Q. Fabio Max. comitia habente T. Octacilius & M. Regulus Consulatu dejecti sunt, quia nomen eorum ante recipere noluerit, quam orationem ad populum habuisset, qua persuasit ut alios meliores belli duces crearet*. Et lib. 9. Decad. 4. de Q. Fulvio ita scribitur. *Hæc vero tam obstinata vox tantum ei favoris accendit, ut haud dubius Prætor esset, si Consul accipere nomen vellet*. Sane post latas leges tabellarias, quia de publico suppeditabantur tabellæ suffragii: nam ante comitia, candidatorum nomina publice recepta esse oportebat, ut nomen eorum publica auctoritate in tabellis scriptum populo daretur. Sunt etiam hic notandi duo loci, quorum unus est T. Livii, alter Ciceronis. Lib. 3. Dec. 1. Livius scribit: *Postquam comitia Decemviris creandis in trinundinum indicta sunt*. Cicero in epist. ad Tyronem undecima de Cæsare scribit: Ad Consulatus petitionem se venturum: nec se jam velle absente se rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturum. Ex iis enim locis intelligitur ordinarium fuisse, ut post edicta comitia trinundini spatium relinqueretur ante diem comitiorum: partim ut ad eam diem populus undique ex Italia convenire posset, partim ut candidati populo frequentiori, & non modo urbanæ, sed etiam rusticanæ multitudini supplicare possent. Atque ego de illo trinundini spacio intelligo illos legitimos dies, intra quos profiteri non potuisse Catilinam scribit Salustius. Quia enim reus erat Catilina, nec poterat intra trinundini spacium judicium ejus perfectum esse, propterea intra legitimos dies profiteri non poterat. Quomodo enim candida toga ei convenisset, quem judicii tempore sordidatum esse oportebat? Ex his consequens est, quoniam candidati post edictum candidam togam sumebant, quam post comitia deponerent, si modo ad diem præstitutum comitia fierent, ordinarium fuisse, ut non multo plus quam trinundini spacio vere candidati essent, hoc est, candida toga induti. Causas, cur candidatorum interdum ratio non haberetur, multas fuisse reperio. Una erat in ætate. Quia enim lex erat, qua certi quidam anni constituti erant, ante quos non liceret magistratum capere: ea erat legitima causa cur ratio alicujus non haberetur, si ante annos lege constitutos ad petendum magistratum descenderet.

Ea lex lata est primum Consulibus A. Posthumio Albino, C. Calphurnio Pisone anno urbis D. LXXIIII. a L. Julio Tribuno plebis; de qua T. Livius libro decimo, Decad. 4. ita scribit: *Eo anno rogatio primum lata est a L. Julio Tribuno plebis, quot annos nati magistratum peterent caperentque: inde cognomen familiæ inditum, ut Annales appellarentur*. At enim Livius, qui anni essent cuique magistratui destinati, non dicit: nos ex observatione antiquitatis eruere id conabimur. Hoc primum ex fragmento Polybii, quod extat de ejus libro sexto de Republica, constat nulli civium Romanorum licuisse ullum magistratum urbanum gerere, qui decem annos non militasset. Erant autem adolescentes Romani in toga prætexta usque ad 17. annum; quo anno togam

togam puram eandemque virilem accipiebant, ut apparet ex Svetonio in Augusto. Itaque in viros recepti militaris ætatis tum esse incipiebant. Nam & T. Livius lib.5. Decad.3. ostendit anno septimo & decimo fuisse ætatem militarem. Etenim inopia Juniorum dicit creatos Triumviros, qui undique ingenuorum copiam conquirerent, eosque, etsi nondum militari ætate essent, milites facerent, si modo satis roboris ad ferenda arma habere viderentur. Tum paulo post, quos vocarat nondum militari ætate, appellat minores septem & decem annis. Unde necessario efficitur, militarem ætatem fuisse anno 17. ex qua etiam ætate Juniores in classibus vocabantur. Quare ut decem annua stipendia omnibus civibus Roman. necessaria, ut etiam docet Plutarch. in vita C. Gracchi, numeremus, relinquitur ante septimum & vigesimum annum magistratum urbanum gerere non licuisse, nisi quis legibus solveretur: quemadmodum de Pompeio, Octaviano, Africano, aliisque permultis factum fuisse legimus. Porro autem legibus annalibus ætas Consulis erat quadragesimus tertius ætatis annus, ut ex Ciceronis quinta Philippica demonstrari potest. Scribit enim hoc modo: *Quid Alexander Macedo, cum ab ineunte ætate res maximas gerere cœpisset, nonne tertio & trigesimo anno mortem obiit? quæ est ætas nostris legibus decem annis minor quam Consularis*. Erat igitur ætas Consularis, ut hinc perspicuum est, anno ætatis quadragesimo tertio. Id quod ego sic accipiendum existimo, ut sit ille annus, quo primum per leges Consulatum gerere liceret. Unde fit, ut Consulatum petere liceret anno ætatis quadragesimo secundo, ut gereretur anno quadragesimo tertio. In quo etiam animadvertendum est, non oportuisse eos annos, quos hic designamus, peractos fuisse; sed incipiente etiam anno quadragesimo secundo erat petitio legitima, ut satis esset intra annum sui Consulatus, vel quinto aut sexto mense incipere agere annum quadragesimum tertium. Hoc ego ex historiæ observatione colligo. C. Cæsar auctore Macrobio natus est quarto Idus Quint. occisus autem est Idib. Martiis, cum esset natus, ut ait Plutarchus, quinquaginta sex annos. Hæc Plutarchi verba sic accipienda sunt, ut annos tantum eum numerasse intelligamus quos habebat Cæsar, absque accessione aliquot mensium, quos præterea habebat: cum enim occisus sit Idibus Martiis, verum non esset, eum tum natum fuisse annos quinquaginta sex, cui quatuor prope menses deessent, ut plenos haberet quinquaginta sex annos. Agebat ergo septimum & quinquagesimum annum Cæsar, cum occisus est jam inde a quarto Idus Julii superioris anni. Verum hunc annum non peregit: ob idque Plutarchus ait eum tantum quinquaginta sex annos natum fuisse, cum occisus est. Multum enim interest, utrum dicas vixisse aliquem quinquaginta annos, aut natum aliquem tot annos, mortem obiisse: an vero anno quinquagesimo obiisse. Id quod nisi observetur, sæpe videbuntur historici inter se dissentire, qui maxime consentiunt. Veluti de Catone Uticensi Plutarch. scribit vixisse quadraginta octo annos, Florus in Epitome Livii anno quadragesimo nono expirasse. Utrunque verum est, quia Cato quadraginta octo annos integros tantum vixit, & cum ageret annum quadragesimum nonum, sibi mortem conscivit: & quia jam accedebat ad principium quinquagesimi, propterea Appianus non male dicit, cum ad annum quinquagesimum accederet, obiisse. Eadem diversitas in ætate Ciceronis reperitur. Plutarch. ait, cum illi esset annus ætatis sexagesimus quartus, Ciceronem occisum. T. Livius, & Aufidius Bassus apud Senecam, scribunt vixisse tres & sexaginta annos. Omnes verum dicunt. Cum enim Cicero interfectus est, agebat sexagesimum quartum, sed tres menses defuerunt ad annum integrum. Nam Septembri mense interfectus

A est: natalis autem dies ejus erat tertio Nonas Jan. non autem tertio Cal. Jan. quemadmodum interpres Plutarchi male vertit. Sed hæc obiter dicta sint: ad Cæsarem redeamus. Agebat Cæsar quinquagesimum septimum annum cum occisus est. Si igitur retro numeremus annos usque ad primum ejus Consulatum, reperiemus eum, quo anno erat Consul, agere incœpisse annum quadragesimum tertium, ad quartum Idus Quint. quæ eo anno fuerunt. Unde sequitur, cum superiore anno designatus est, non ita diu cœpisse agere annum quadragesimum secundum. Neque vero dici potest, legibus eum solutum fuisse. Nam Svetonio & Plutarcho auctoribus ei petenti Se-

B natus quantum poterat resistebat: qui si legitimam hanc occasionem prohibendi ne peteret habuisset, non erat eam prætermissurus: tantum abest, ut legibus eum solvere vellet. Ex his perspicuum est quæ a Cicerone dicuntur de ætate Consulari, ita esse accipienda, uti diximus quadragesimum tertium ætatis annum esse ætatem Consularem, quia Consul nemo esse posset antequam ad id ætatis pervenisset, ut annum quadragesimum tertium ageret, quo anno esset Consul. Quoniam autem lege annali definiebantur anni, citra quos non liceret magistratum petere, ut etiam Ovidius significat in Fastis:

C *Jura dabat populo senior, finitaque certis*
Legibus est ætas, unde petatur honos.

Ex iis quæ diximus concludi potest lege annali cautum fuisse, ut Consulatum nemini petere capereque liceret, antequam ageret annum ætatis 42. Quocirca cum Cicero in Rullum dicit anno suo se factum consulem, & se petiisse cum primum licitum sit, ad annos ætatis non tam referri debet, quam ad Præturam, quam biennio ante gesserat. Agebat enim Cicero annum 43. quando designatus est. Itaque si ætatis tantum ratio habeatur, potuisset uno ante anno Consul fieri. Sed quia Præturam non gesserat, nisi anno 41. ætatis suæ, lege autem

D cautum erat, ne uno gesto magistratu Curuli liceret alium gerere nisi biennio interjecto: idcirco recte dicit, se petiisse, & factum esse Consulem, cum primum per leges licuit. Ut omittam, non fuisse opus tam subtiliter annos numerare Ciceroni: præsertim qui magnitudinem beneficii populi augere vellet. Nam qui uno tantum anno tardius, quam per ætatem liceret, factus erat, novus homo, non immerito ad populum oratorie dixit se factum esse cum primum licuit. Quod ad alios magistratus attinet, eruenda nobis est aliunde veritas, inprimisque ex Cicerone, apud quem ita pro lege Manilia de Pompeio scriptum est: *Quid tam singulare, quam*

E *ut ex S.C. legibus solutus Consul ante fieret, quam ullum alium magistratum per leges capere licuisset?* Pompeius cum designatus est primo Consul, habebat 34. annos, ut inquit Appianus, sed agebat trigesimum quintum, ut apparet ex supputatione annorum post Attilium Serranum & Servilium Cæpionem Consules, quibus Consulibus natus erat Pompeius prid. Cal. Octob. auctore Paterculo. Quod vero dicit Cicero, non licuisse Pompeio ullum magistratum capere, id ad Curules magistratus necessario referendum est. Neque enim verum esset in Quæstura aut Tribunatu: siquidem Pompeius vel ante

F 27. ætatis annum decem annua stipendia jam habebat, post quam ætatem licebat Quæsturam petere. Ut omittam, quod alios reperimus minus gratiosos ante hanc ætatem, cujus erat Pompeius, gessisse Quæsturam & Tribunatum. Cato enim trigesimo tertio anno Tribunus pl. fuit, Quæstor trigesimo. Cicero Quæsturam gessit anno 31. Necesse igitur est, ut verba Ciceronis ad Curules magistratus pertineat. Ex quo concludendum est, Curulium magistratuum ætatem legitimam fuisse post annum ætatis 35.

Quoniam autem videmus inter duos magistratus

Curules biennium interjici debuisse, necessario efficitur, si petitio Consulatus primum erat anno 42. & Præturæ petitionem fuisse anno 39. ut geri Prætura non posset, nisi eo anno, in quem incurreret annus ætatis 40. Quare retroactis duobus annis, efficietur legitimam ædilitatis petitionem non ante annum ætatis 36. ut gereretur an. 37. Itaque Cicero recte dicit Pompeium qua erat ætate, cum factus est Consul, non potuisse ullum Curulem magistratum capere: siquidem ei non satis annorum esset, ut vel Ædilitatem capere posset. Neque tamen negaverim, non modo Ciceronem ad ætatem Pompeii, & leges annales respexisse, sed etiam ad legem Corneliam, qua vetabatur majores magistratus petere qui Quæstor non fuisset. Pompeius autem quæstor non fuerat: ut vel inde apparet, quod Senator in secundo triumpho non esset, sed, ut Cicero ait, eques Rom. iterum triumphavit. In illa vero de ætate opinione magis eo confirmor, quod Cæsar Ædilitatem petiit cum ageret 36. annum ætatis, eumque magistratum gerens cœpit ad quartum Id. Julii agere annum 37. biennio autem post fuit Prætor. Neque enim existimo tam egregie ambitiosum hominem hos magistratus ante petiturum non fuisse, si per leges ei licuisset. Et Cato Uticensis postquam fuerat Tribunus pl. anno 33. omissa Ædilitate, quæ inter necessarios magistratus lege Cornelia non erat, non ante Præturam petiit quam ageret annum 39. Et Cicero cum Quæstor fuisset anno 31. Ædilitatem non petiit nisi anno 37. Huc etiam pertinere potest historia Africani minor's, qui scribitur cum Ædilitatem peteret, quam legibus capere poterat, Consulatum quem capere non posset a populo legibus solutum obtinuisse. Cum enim ex historia constet, eum mortem obiisse C. Sempronio Tuditano & M. Aquilio Coss. cum ageret annum ætatis sextum & quinquagesimum, si retro numeres annos usque ad primum ejus Consulatum, comperies 37. annum egisse cum designatus est primo Cos. Unde efficitur, hanc ætatem fuisse legitimam ad Ædilitatis petitionem. In quo obiter animadvertendum est, apud Florum in Epitome Liviana mendum esse in numero, cum dicit decem annis minorem fuisse Africanum, quam ut Consul fieri posset. Legendum est enim, *Quoniam per 5. annos Consulem fieri minime licebat*. Non quemadmodum legitur, *Quoniam per decem annos Consulem fieri minime licebat*. Id quod vel inde intelliges, quod cum pater Scipionis L. Paulus triumphavit de rege Persa, ipse Scipio majoris ætatis erat, quam duo ejus fratres, qui eo anno mortui sunt: quorum tamen unus erat sedecim annorum, ut ait Plutar. Quoniam autem Scipio & Q. Fabius Maxim. ex priori uxore filii erant L. Pauli, probabile est, Scipionem supra septendecim annos habuisse in triumpho patris. Atqui si octavum & decimum tantum ei tribuas, & numeres annos a triumpho L. Pauli usque ad primum Africani Consulatum, reperies Scipionem agere annum 38. eo anno, quo primum Consul fuit: qui est idem ille numerus, quem invenimus retro a morte ejus numerando. Non igitur Scipioni deerant plures quam quinque anni ad ætatem Consularem: unde fit, ut sic omnino apud Florum legendum sit. Ex iis, quæ diximus, perspicuum est, legibus annalibus Ædilitiam ætatem fuisse anno 37. Prætoriam, anno 40. Consularem, anno 43. adeo ut petere Ædilitatem non liceret ante annum ætatis 36. Præturam ante annum 39. Consulatum ante 42. Quoniam autem magistratum petere licebat, decem peractis stipendiis, primus autem magistratus urbanus erat Quæstura: hinc fit, ut Quæstoria ætas esset primum 27. ætatis anno, iis, qui id ætatis legitima stipendia fecissent. Hac ætate uterque Gracchus Quæstor fuit: iidemque trigesimo anno ætatis Tribuni pleb. fuerunt. Ex quo etiam colligo, Tribunitiam ætatem fuisse anno trigesimo. Quod vero multos in historia

A reperimus Quæstores non tam cito fuisse (ut Cæsar, qui a Svetonio scribitur, cum Quæstor in Hispania esset, ejus ætatis fuisse, qua erat Alexander Magnus, cum orbem terrarum subegisset: ex quo sequitur annos circiter triginta tres natum fuisse Cæsarem, cum in Hispania Quæstor esset, Cato 30. anno Quæstor fuit, Cicero 31.) id ego ita evenisse existimo, vel quod legitima stipendia non tam cito fecerant quam per ætatem potuissent; vel quod non prius petere voluissent, quo magis continenter populi favorem semel adeptum retinerent, ac non ratione ætatis cogerentur majorum magistratuum petitionem diu intermittere, si minores magistratus petere præcipi- B tassent, & cum primum licitum esset, obtinuissent. Nam cum Cæsar Patricius esset, ideoque non posset Plebeios magistratus obtinere, si 27. statim anno Quæstor fuisset, necessario interrumpenda ei fuisset sua ambitio octo annis, post quos demum licuisset ei Ædilitatem petere. Neque enim post emerita stipendia Patricii toto illo spatio poterant alios magistratus capere, quam Tribunatum militum & Quæsturam. Qui vero plebeii erant factis legitimis stipendiis, magis continenter poterant ambitioni vacare: ut qui veteres Tribuni militares, Quæstores, Tribuni Ædilesque plebis fieri poterant, interim C dum per leges liceret Curules magistratus petere. Ut Cato legitur Tribunus militum, Quæstor & Tribunus plebis fuisse intra annum ætatis trigesimum tertium. Verum de ætate legibus annalibus constituta satis dictum sit. Illud nunc certum est de quo agebamus, si quis in toga candida magistratum petiisset, antequam legibus annalibus liceret, aut non interjecto biennio inter duos magistratus Curules, eam fuisse unam causam, cur ratio ejus non haberetur. Altera causa erat in ordine petendi magistratus. Scribit enim Appianus libro primo Bell. civil. inter leges Cornelias a L. Sylla perlatas hanc unam fuisse, ne cui Præturam petere liceret, nisi qui D Quæstor fuisset: neque Consulatum, nisi qui Prætor fuisset. Ego tantum hac lege, aut veterem legem relatam, aut receptum morem confirmatum existimo. Nam & ante Syllæ Dictaturam reperio cautum fuisse, ut ordine peterentur magistratus. Unde Cicero in Bruto appellat extraordinariam C. Julii Consulatus petitionem: quia cum Ædilis fuisset, volebat omissa Præturæ petitione Consul fieri: ut docet Asconius in com. orat. pro Scauro. Quinetiam apud Livium lib. 2. Dec. 4. extat contentio Tribunorum plebis impedientium comitia, quod T. Quintium Flaminium Consulatum ex Quæstura petere non patiebantur. Legem tamen de ea re E tum nullam fuisse, vel ex eo intelligi potest, quod Senatus censuit, qui honorem, quem sibi capere per leges liceret, in eo populo creandi quem vellet, potestatem fieri æquum esse. At post legem latam si quis extra ordinem magistratum petiisset, ejus nomen non recipiebatur. Et ante legem Corneliam, qua vetabatur qui Tribunatum plebis gessisset, alium postea magistratum petere, a C. Aurelio Cotta Consule abrogatam, hæc fuit alia causa legitima, cur ratio candidati non haberetur. Tum si quis ad petendum magistratum veniret, quem ante gessisset, nisi interjectum esset decennium, ejus ra- F tio haberi legibus non poterat. Nam & hanc inter Cornelias leges enumerat Appianus. Et T. Livius multo tempore ante eam latam fuisse ostendit: scribit enim ad finem lib. 7. Dec. 1. *Præter hæc invenio apud quosdam L. Genutium Trib. pleb. tulisse ad populum, ne fœnerare liceret. Item aliis plebiscitis cautum, ne quis eundem magistratum intra decem annos caperet, neu duos magistratus uno anno gereret*. Solvi ergo legibus oportebat, qui eundem magistratum non interjecto decennio gereret: quemadmodum de Mario factum est, ut docet Plutarchus. Erat porro & alia lex, qua vetabatur, ne in magistratuum

comitiis absentum ratio haberetur, ut docent Svet. & Plutar. in vita Cæsaris. Quare legibus solutos fuisse intelligendum est omnes, quos absentes creatos reperimus. De Cæsare enim ita scribit Svet. *Sed cum edictis jam comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus urbem introiisset, & ambienti, ut legibus solveretur, multi contradicerent, coactus est triumphum, ne Consulatu excluderetur, dimittere.* Ergo legibus soluti sunt L. Lucullus cum Ædilis, & C. Marius cum Consul, absentes creati in historia repetiuntur. Postremo si qui turpi judicio damnati essent, in perpetuum omni honore ac dignitate privati erant, ut inquit Cicero pro Cluentio. Tum etiam si quis publico judicio, cujus pœna exilium non esset, sed ignominia tantum mulctave, damnatus esset, ei magistratum petere non licebat. Ut ambitus damnati ante legem Tulliam a Cicerone Consule latam, privabantur omnis honoris petitione. Nam P. Antronius & P. Sylla, quos reperimus apud Salust. & Asconium lege Calphurnia ambitus damnatos, hac ignominia affecti sunt, ut ex Ciceronis oratione pro Sylla intelligi potest. Scribit enim a L. Cæcilio Tr. pl. eodemque fratre P. Syllæ rogationem promulgatam de levanda calamitate fratris sui: quam rogationem Dion. lib. 37. dicit fuisse, ut P. Antronio & P. Syllæ liceret in Senatu esse, & magistratum capere. Ex quibus apparet, pœna ambitus lege Calphurnia fuisse illam, quam diximus ignominiam. Post legem vero Tulliam, pœna ambitus fuit decem annorum exilium. Scribit enim Dion. ea lege cautum fuisse, ut eadem pœna tenerentur qui de ambitu damnati essent, qua ii qui repetundarum: ut scilicet decem annorum exilio plecterentur. Unde etiam videtur ad Senatorium ordinem tantum hanc exilii pœnam pertinuisse: sicut pœna legis repetundarum ad eum modo ordinem pertinebat, ut docet Cicero pro Cluentio & pro Rabirio Posthumo. Quinimo Cicero ipse pro Muræna diserte id de sua lege asserit his verbis: *Pœna gravior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi tenuiorum. Exilium in nostrum ordinem: concessit Senatus postulationi tuæ.* Si quis igitur ignominia notatus ad petendum venisset, ejus nomen recipi non poterat. Atque id de judiciaria ignominia intelligi debet, non etiam de Censoria. Cicero enim pro Cluent. ostendit notam Censoriam non potuisse impedire, quo minus alicujus ratio haberetur in petendis magistratibus. Et multos in historia legimus, quibus Censoria nota impedimento non fuit, quo minus magistratus assequerentur. Ut ætate Ciceronis C. Antonius, postquam a Censoribus senatu motus notæ causa fuerat, postea & Prætor & Consul cum Cicerone fuit. Ac de causis quidem, ob quas nomina candidatorum interdum non reciperentur, hactenus. Rationem autem petendi candidatorum, si quis latissime explicatam habere velit, legendus est liber Q. Fratris de petitione Consulatus: in quo universa petendi magistratus ratio particulatim ita describitur, ut nihil desiderari possit. Ego hoc loco pauca, quæ ex historia observavi, subjiciam. Est apud Valer. Maxim. lib. 4. cap. 5. historia de L. Crasso: *Ac ne protinus comitiis abeamus, Consulatum petens L. Crassus, cum omnium candidatorum more circum forum supplex populo ire cogeretur.* Ex ea historia colligi potest, convenire in forum solitos candidatos, ut populo supplicarent. Quod etiam apud Plutarchum in vita L. Pauli scribitur. Neque id de urbana tantum multitudine intelligendum, sed etiam de rusticana, quæ nundinis in urbem convenire solebat. Id quod ex alia historia Valer. Maxim. colligo. Scribit enim de P. Scipione Nasica, Serapionis filio libri 7. cap. 5. *Cum Ædilitatem Curulem adolescens peteret, manumque cujusdam rustico opere duratam more candidatorum tenacius apprehendisset, joci gratia interrogavit eum, num manibus solitus esset ambulare. Quod dictum a circunstantibus exceptum, ad populum manavit: causamque repulsæ Scipioni attulit. Omnes namque rusticæ tribus sibi paupertatem ab eo exprobratam judicantes, iram suam adversus contumeliosam ejus urbanitatem distrinxerunt.* Ex eo Valerii loco apparet, candidatos non solum urbanæ multitudini supplicare solitos, sed etiam rusticanæ. Illud quoque ex Valerii historia intelligi potest, solitos fuisse candidatos, singulorum manus, quos rogabant, apprehendere. Unde effectum est, ut prensare pro eo quod est ambire magistratum, tam sæpe accipi reperiatur. Quod idem Plutarchus in Coriolano ita scribit: *Mos erat magistratum petentibus prehensos dextra cives benigne orare.* Huc etiam pertinet quod Macrobius lib. 1. Satur. cap. 16. scribit, candidatis usum fuisse olim in comitium nundinis venire, & in colle consistere, unde coram possent ab universis videri. Candidatos præterea reperio solitos secum adducere non modo in forum, sed etiam in campum, virum aliquem gratiosum apud populum, qui suo nomine peteret. Ut Metellus Pius Consul pro Q. Callidio prætorio candidato supplicare non dubitavit, inquit Valer. Maxim. lib. 5. cap. 2. Et C. Gracchus pro C. Fannio Consulatus candidato in campo Martio populo supplicavit, & obtinuit: ut scribit Plutar. Et pro M. Lepido Cn. Pompeius, ut idem Plutar. in vita Syllæ scribit. Et apud Livium libro 5. Decad. 4. *P. Scipio Nasica & L. Flaminius candidati, circumducunt fratres suos: hic germanum T. Flaminium: ille patruelem Africanum majorem.* Et lib. 9. Decad. 4. *Claudius Cos. cum fratre P. Claudio sine lictoribus toto foro volitat.* Jam vero ex eo quod Plutar. in Catone minore ita scribit: *In petitione Tribunatus militaris, legem, quæ candidatis nomenclatores adesse vetabat, solus Cato servavit, per seipsum appellans popolum, atque alloquens.* Ex eo, inquam, loco colligi potest legem fuisse quæ vetaret, ne servos nomenclatores candidati circumducerent, qui dominis suis nomina singulorum, ut quisque obvius fiebat, suggerere soliti erant. Eam tamen legem candidati non servabant, ne ipse quidem Cato, ut scribit Cicero pro Muræna, his verbis: *Quid quod habes nomenclatorem? in eo quidem fallis & decipis. Nam si nomine appellari abs te cives tuos honestum est, turpe est eos notiores esse servo tuo quam tibi.* Tum vero fuisse hoc in laboribus candidatorum intelligimus, ut salutarent, nominatimque benigne appellarent singulos cives, ut quisque se eis offerebat. Postremo illud silentio prætereundum non est, quod Plutarch. in Mario scribit, ipsum Marium Ædilitate Curuli repulsum, statim eodem ipso loco Ædilitatem Plebis petere cœpisse. Hinc enim apparet, non fuisse necesse, ut, si quis candidatus magistratum, quem petierat, non obtinuisset, deponeret vestem candidam, sed ad alium petendum venire potuisse. Nam in ipso etiam campo die comitiorum candidatos populo supplicare solitos, tam est ex omni historia perspicuum, ut ejus rei probationem subjicere supervacaneum sit. Illud tamen ante faciendum erat, quam missæ in suffragium tribus essent ab eo qui comitia haberet. Cur enim ambitus accusatus fuisset, eo argumento Marius Prætor designatus, quod sui amici Cassii Sabaconi servus intra cancellos se immisisset, dum populus suffragium ferret, si liberum fuisset tribus in suffragium missas circumire? Atque illæ quidem petendi rationes rogando, appellando, prensando, legibus non erant prohibitæ: reliquæ autem, in quibus subesse videbatur suffragiorum aut per largitionem aut per vim corruptio, legibus ambitus prohibebantur. Ex permultis autem corrumpendorum suffragiorum rationibus, prima erat, tributim aut centuriatim numos populo dare: hoc est, certam quandam pecuniæ summam dividere in tribus, aut centurias, quas quis vellet corrumpere. Svet. in Cæsare: *E duobus Consulatus competitoribus L. Luccio, Mar-*

coque Bibulo, Luceium sibi adjunxit, pactus ut is, quoniam inferior gratia esset, pecuniaque polleret, numos de suo communi nomine per centurias pronunciaret. Qua cognita re, optimates quos metus ceperat, nihil non ausurum eum in summo magistratu concordi & consentiente collega, auctores Bibulo fuerunt tantundem pollicendi: ac plerique pecunias contulerunt, ne Catone quidem abnuente eam largitionem e Repub. fieri. Et Plut. in vita Pompeii, & in vita Catonis Utic. *Divisit Pompeius per centurias pecuniam ad emendum Afranio Consulatum.* Ad corrumpenda autem hac largitione suffragia, comparari solebant certi homines hujusce operis velut redemptores, quos divisores appellabant. Hi certo quodam precio accepto a candidatis, aut vero ab amicis, qui se sequestres interpretesque in eorum causa interponebant, corrumpenda plebis suffragia suscipiebant, quorum frequens est apud Ciceronem mentio, sed apertissime eorum ministerium describitur 2. orat. in Verr. his verbis: *Unum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam Senatore ad Equitem Roman. esse translatos: ex his quasi decem fiscos, ad Senatorem illum relictos esse, comitiorum meorum nomine. Divisores omnium Tribuum noctu ad istum vocatos, ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit: demonstrat qua oratione iste usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset, etiam antea cum ipse Praeturam petiisset, & proximis Consularibus Praetoriisque comitiis: deinde esse pollicitum, quantum vellent pecuniae, si me Ædilitate dejecissent. Hoc alios negasse audere, alios respondisse, non putare id perfici posse: inventum tamen esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem, Romilia, ex optima divisorum disciplina, patris istius discipulum atque amicum, qui Sestertium quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur.* In eum locum scribens Asconius, dicit suos quosdam fuisse singulis Tribubus ac legitimos divisores, quos Plautus in Ollularia magistros curiarum vocet, potius quam ut criminis nomen fuisse dicatur. Ego ex veterum auctorum lectione colligo, quanquam divisor criminis nomen non esset, ut recte asserit Asconius, tamen pro sordido ac vili ministerio semper habitum fuisse. Ut enim Romae argentarii & praecones, qui publicis actionibus serviebant, parum honesto loco censebantur, ut qui in sordido quaestu versari viderentur: ita divisores, tametsi ministerio fungerentur Reip. necessario; quia tamen venalem suam operam habebant, non aliter quam praecones argentariique, idcirco vile ac sordidum munus eorum censebatur. Unde fit, ut sicut reperimus ignobilitatem familiae objici Pisoni, quia avus ejus maternus praeconium fecisset, & Octaviano, quia avus ejus argentarius fuisset: ita probri loco saepe objici videmus, si cujus majores divisores fuissent. Nam id Svetonius ait objectum Octaviano: *Octavius pater a principio aetatis & re & aestimatione magna fuit, ut equidem mirer hunc quoque a nonnullis argentarium, atque etiam inter divisores, operasque campestres proditum.* Et Cicero eo loco, quem supra citavi ex secunda in Verr. exprobrat Verri patrem divisorem. Et libro 1. ad Atticum in epistola, cujus initium est, *Nihil mihi*: C. Herennio Tribuno pl. probri loco objicitur pater divisor. Quod autem dixi necessario Reip. munere fungi divisores, ex eo intelligi potest, quod largitiones populo fieri legibus non prohibitas, tam frequens usitatumque erat, ut necesse fuerit, esse certos homines, qui operam suam hac in re populo praestarent. Imperatores enim cum victores ad triumphum redibant, quam saepe reperiuntur congiarium populo dedisse. Hinc apud Livium lib. 7. Dec. 4. de M. Acilio Glabrione ita scribitur: *In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, fa-*

A *vor populi se inclinarat.* Et apud Sveton. in Caesare: *Populo praeter frumenti denos modios ac totidem olei libras, tricenos quoque numos, quos pollicitus erat, viritim divisit: & hoc amplius centenos pro mora.* Jam vero testamento a divitibus quam saepe populo aliquid legabatur? Unde apud Svet. de testamento Caesaris sic scribitur: *Populo hortos citra Tiberim publice, & viritim tricenos sestertio legavit.* Tum vero in funeribus magnificis populo fieri largitio solebat. Denique ob alias multas causas ab iis, qui populi favorem captabant, largitiones populo factas reperimus. Hinc tria a Milone consumpta patrimonia: hinc apud Plutarch. M. Crassus populo Rom. epu- B lum dat, & tres minas in singula civium capita: hinc apud Svet. Augustus Fabianus, & Scaptiensibus tribulibus suis, die comitiorum, ne quid a quoquam candidato desiderarent, singula millia numum a se dividebat. Propter has igitur receptas Romae largitiones, erat ministerium divisorum publice necessarium. Neque enim existimandum est, omnem numorum per tribus divisionem fuisse legibus ambitus prohibitam: alioqui legitimos non habuissent divisores singulae tribus, ut affirmat Asconius. Nec Cicero ad Attic. de Herennio ita scriberet: *Caius Herennius quidam Tr. plebis, quem tu fortasse ne nosti* C *quidem, tametsi potes nosse: tribulis enim tuus est, & Sextus pater ejus, numos vobis dividere solebat.* Neque enim ita scripturum ad Att. fuisse existimo, si numos contra leges ille divisisset. At illud magis ambiguum est, iidemne essent hi divisores cum illis diribitoribus, de quibus supra meminimus, an ab eis diversi. Ego ut cum Budaeo diversos fuisse existimem, eo argumento adducor, quod magistri curiarum, quorum meminit Plautus, iidem erant divisores, ut ait Asconius: unde apparet, multo ante fuisse divisores quam lex tabellaria lata esset, post quam legem coeperunt esse diribitores. Cumque vile ac sordidum munus esset divisorum, non fit mihi verisi- D mile, gravissimos Senatores interdum hoc munus fungi voluisse; & tamen ex iis, quae supra dicta sunt, constat interdum Senatores diribitorum munus gerere solitos. Ut omittam, infimae conditionis hominibus, quales erant divisores, tabellas suffragiorum committere neque tutum neque aequum fuisse: praesertim cum illi ipsi essent, qui corrumpenda suffragia suscipiebant: ut & paulo ante ostendimus, & ex aliis Ciceronis locis aperte demonstrari potest. Scribit pro Plancio: *Quam tibi commodum est, unam tribum dilige tu: doce id quod debes, per quem sequestrem, quo divisore corrupta sit.* E Et paulo post: *Illud vero crimen de numis, quos in circo Flaminio deprehensos esse dixisti, caluit re recenti, nunc in causa refrixit. Neque enim qui illi numi fuerint, nec quae tribus, nec qui divisor ostenderis.* Et lib. 1. ad Attic. in epist. cujus principium est, *Quaeris ex me: Nunc expectatio est comitiorum, in qua omnibus invitis trudit noster Magnus Auli filium, atque in eo neque auctoritate, neque gratia pugnat: sed quibus Philippus omnia castella expugnari posse dicebat, in quae modo asellus onustus auro posset ascendere. Consul autem ille deterioris histrionis similis suscepisse negocium dicitur, & domi divisores habere.* Erat igitur haec una ratio F corrumpendorum largitione suffragiorum, numis populo per divisores datis: quam largitionem fuisse legibus prohibitam adeo perspicuum est, ut probatione opus non sit. Aliae rationes legibus prohibitae a Cicerone ostenduntur variis in locis. Ut pro Muraena: *Dixisti S. C. me referente esse factum, si mercede conducti obviam candidatis iissent, si conducti sectarentur, si gladiatoribus vulgo locus tributus, & item prandia si vulgo essent data, contra legem Calphurniam factum videri.* Et pro Sestio: *Acta mea illi displicere quis nescit? qui legem eam contemnat, quae dilucide vetat gladiatores biennio,*

quo quis petierit aut petiturus sit, dare. Et in Vatinium: *Cum mea lex dilucide vetet, biennio, quo quis petat petiturusve sit, gladiatores dare nisi ex testamento præstituta die*. Et pro Plancio: *Decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta, severitatem Senatus, & bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. Hæc doce, hæc profer, huc incumbe Lateranensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronunciasse, divisisse*. Et paulo ante: *Sed aliquando veniamus ad causam, in qua tu nomine legis Liciniæ, quæ est de sodalitiis, omnes ambitus leges complexus es*. Huc etiam pertinet lex Fabia de numero sectatorum, cujus meminit pro Muræna; & leges Senatusveconsulta de tollendis collegiis, quorum Cicero in Pisonem & Asconius in eum scribens meminerunt. Atque illa quidem sufficiant de candidatis.

Nunc personas comitiorum, quæ habentur aut legibus ferendis aut judiciorum caussa, prosequamur. Ac legibus quidem ferendis non aliæ personæ interveniebant, quam quæ communes erant aliis Centuriatis comitiis. Unum hoc proprium videtur, quod quoniam legem ante recitari oporteret, quam populus suffragium diceret, ad eam rem scribas intervenire oportebat. Subjiciente enim scriba legem recitabat præco, ut Asconius scribit in argumento orationis pro C. Cornelio. *Tum vero audiri eos oportebat, quid de lege ad populum dicere volebant, aut suadendi aut dissuadendi causa*. Verum de iis plura paulo post dicemus, cum de modo legum ferendarum agemus. In comitiis vero Centuriatis judiciorum causa, nisi accusatoris esset qui Centuriata comitia habere posset, præter eas personas, quas omnibus Centuriatis comitiis adesse ostendimus, intervenire primum eum oportebat, qui diem perduellionis ad populum dixisset: tum vero defensorem, qui pro reo diceret: postremo & ipsum reum sordidatum cum amicis, qui populo supplicarent, priusquam in suffragium mitteretur. Quæ omnia exemplis subjectis manifesta fient. Reus perduellionis erat Rabirius, accusabat T. Labienus Trib. plebis, Cicero Consul defendebat. *Patres omnes pro Coriolano populo supplicarunt*, ut ait Livius lib. 2. 1. Decad. & Plutarchus in vita ejus. Et libr. 6. ejusdem Decad. *Approbantibus cunctis diem Manlio dicunt. Quod ubi factum est, primo commota plebs est, utique postquam sordidatum reum viderunt: nec cum eo non modo patrum quemquam, sed ne cognatos quidem aut affines, postremo ne fratres quidem Aulum & Titum Manlios, quod ad eum diem nunquam usuvenisset, ut in tanto discrimine non & proximi vestem mutarent*. Et pro T. Menenio Agrippæ filio, Patres (inquit Livius) haud minus quam pro Coriolano innixi sunt. Et de Cæsone Quintio capitis reo ita scribit libr. 3. 1. Dec. *Jam aderat judicio dies, apparebatque vulgo homines in damnatione Cæsonis libertatem agi credere. Tum demum coactus cum multa indignitate prebensabat singulos: sequebantur necessarii principes civitatis*. Quod vero comitiis adesse has personas dixi, accipiendum est cum exceptione, nisi exilii causa solum ante diem judicii vertisset reus: quemadmodum fecisse Camillum, Coriolanum, Servilium Halam, Cæsonem Quintium, & Ciceronem ipsum in historiis legimus. Ac de personis quidem hactenus.

CAP. IV.

De modo comitiorum Centuriatorum.

In modo explicando primum docendum est, quid, ut justa haberentur Centuriata comitia, fieri ante ipsa comitia soleret: deinde quis modus in ipsis comitiis servaretur: postremo quid post dicta suffragia fieri soleret. Ante comitia Centuriata edictum præmitti necesse erat, ut ad quam diem

A convenire populus deberet, multo ante intelligeret. Unde fit, ut in omni historia tam sæpe reperiantur Consules comitia edixisse. Illud magis dubium est, itane comitia edici solerent, ut præcones per vicos dimissi diem prædicerent: quo modo vocari ad concionem populus solebat, ut ex Livio lib. 4. Decad. 1. intelligitur, cum ita scribit: *Tum trepidam civitatem, præconibus per vicos dimissis, Dictator ad concionem advocatam increpuit, an potius scriptum esset, quod publice proponeretur, eodem modo quo Prætorum edictum*. Sane scriptum in tabella proponi publice solebat hoc edictum: ut ex verbis A. Gellii planum est, cum ita scribit libro 13. cap. 14. *In edicto Consulum, quo edicunt quis dies comitiis centuriatis futurus sit,*
B *scribitur ex vetere forma perpetua, ne quis magistratus minor de cœlo servasse velit*. Ex hoc enim loco apparet, in eo edicto plura capita fuisse scripta. Unde sequitur publice fuisse proponendum, ut populo notum esset. Et quoniam comitiis etiam adesse ex agris homines oportebat, qui in urbem fere nisi nundinis, hoc est, nono quoque die non veniebant, propterea edictum illud per plures dies publice extare necesse erat, ut populo universo notum esset. Quare etiam nos paulo ante ostendimus, trinundinum interjici solitum post edictum promulgatum, ante diem comitiorum,
C etiam in magistratuum comitiis; nam in reliquis ita fieri oportuisse facile erit ostendere. Quod vero tantum tempus interjici debuisse inter edictum & diem comitiorum dixi, ita accipi debet; si modo nil accidisset, quod impedimento esset, ne legitimo tempore haberentur comitia. Nam si quando res ad Interregnum rediisset, post præmissum ab Interrege edictum, non poterat tantum temporis interjici. Erat enim Interregis imperium quinque tantum dierum: poterat autem secundus Interrex comitia habere, ut supra ostendimus. Jam vero superioribus, quibus consules bellis urgentibus in urbe esse non solebant, sæpe accidebat ut in exitu annus prope esset, nec dum tamen
D subrogati essent magistratus. Eo tempore interdum reperimus propter necessitatem subrogandorum magistratuum, paucis post edictum diebus, habita fuisse comitia. Quod enim T. Livius libro 4. Decad. 3. scribit Q. Fabium, in eum quem primum comitialem diem habuit comitia edixisse, satis ostendit post edictum non fuisse interjectum trinundinum. Neque enim tot dies continui, quot sunt in trinundino, esse poterant, quin aliqui ex iis essent comitiales. At temporibus ætati Ciceronis proximis Consules totum fere annum sui Consulatus agebant in urbe, nec ad exercitus, aut in provincias, nisi ad finem
E anni proficiscebantur. Unde fiebat, ut legitimo tempore comitia magistratuum edicerentur: & nisi ad diem edicto præstitutum haberentur; id eo accidebat, quod dies diffunderetur, vel auspiciis, vel magistratuum intercessionibus. At si tum eveniret, ut tandiu ducerentur comitia, ut ad Interregnum res rediret, merito eveniebat, ut primo quoque tempore, ac non post trinundinum haberentur comitia, tanto ante tempore indicta, ut nemo conqueri posset suffragio se privari, siquidem dilata tantum comitia esse nemo non sciret, si quid evenisset cur die præstituta non essent habita. Neque enim novum edictum proponebatur; si ad diem edicti non essent habita, sed in proximum diem comitialem differe-
F bantur. Unde illud apud Livium libr. 7. Decad. 1. *Aliquoties frustra in campum descensum cum esset, multique per seditiones acti comitiales dies*. Verum ut illud sæpe usuvenisse superioribus temporibus concedamus, ut paucis diebus post edictum non interposito trinundino haberentur comitia; ætate tamen Ciceronis non æque id fieri absque incommodo poterat. Superioribus enim temporibus pauci Italiæ populi & hi urbis vicini, in magistratuum comitiis jus habebant suffragii. Quare ut ad diem edicti convenire possent, longo tempore opus non erat. At Ci-

ceronis ætate, qua omnes Italiæ focii civitate donati erant, si post edictum multi dies non fuissent interpositi, quid aliud fuisset, quam privare cives suffragio? Ego igitur sic sentio ordinarium fuisse, ut post præmissum edictum ante diem comitiorum interjiceretur spatium trinundini, partim ut liceret omni ex Italia Romam ad creandos magistratus venire, partim ut eo temporis spatio in candida toga supplicare populo liceret. Porro edictum hujusmodi proponendi iis modo jus erat, quibus habendi comitia sors obtigisset. Qui enim erat habiturus comitia, is diem præstituebat edicto: quod interdum ab eo absente permittebatur, interdum die a Consule dicta a Prætore urbis proponebatur. Scribit T. Livius lib. 2. Decad. 3. *Ab eodem Prætore ex S. C. litteræ ad Consules missæ, ut si iis videretur, alter eorum ad Consules creandos Romam veniret: se in eam diem quam jussissent, comitia edicturum*. Et lib. 5. Decad. 4. *Prætor M. Fulvius litteras ad Consulem mittit, Senatui placere, ut Romam reverteretur, & ex itinere præmitteret edictum, quo comitia Consulibus creandis ediceret*. Nec sane Consul edicto faciebat dies comitiales, ut vult Budæus, sed contra, ut in diem comitialem dies edicto præstituta incideret, Consuli providendum erat: alioqui agi cum populo fas non fuisset: quod nos postea apertius ostendemus, cum de tempore comitiorum agemus. Neque vero præmisso edicto tantum opus erat in magistratuum, sed etiam in legum judiciorumque comitiis; veruntamen in his edictum non ut in magistratibus, in tabella quæ hoc tantum contineret, scriptum proponebatur: sed simul lege per trinundinum promulganda dies a magistratu prædicebatur, qua haberentur comitia, nec alio opus erat edicto. Atque ante legum quidem comitia hic modus erat servandus, ut primum qui legem ferre vellet, eam publice propositam haberet, quo potestas fieret populo cognoscendi otiose: & ut inde liceret librariis describere, si qui vellent legem apud se habere. Qui autem legem publice proposuerat, promulgasse dicebatur, tametsi ad populum nondum eam ferre cœpisset. Quæ omnia demonstrari possunt ex Cicerone. Scribit enim secunda oratione in Rullum: *Ineunt tandem magistratum Tribuni pleb. concio expectata P. Rulli, quod & princeps erat Agrariæ legis, & truculentius se gerebat quam cæteri. Legem hominis concionemque expectabam: lex initio nulla proponitur: concionem imprimis advocari jubet: summa cum expectatione concurritur: explicat orationem sane longam, & verbis valde bonis: unum erat quod mihi vitiosum videtur, quod ex tanta frequentia inveniri nemo potuit, qui intelligere posset quid diceret. Hoc ille utrum insidiarum causa fecerit, an hoc genere eloquentiæ delectetur, nescio. Tamen si qui acutiores in concione steterant, de lege Agraria nescio quid voluisse eum dicere suspicabantur. Aliquando tamen me designato lex in publicum proponitur: concurrunt jussu meo plures uno tempore librarii: descriptam legem ad me adferunt*. Et in oratione pro Sylla de lege L. Cæcilii ita scribit: *Lex dies fuit proposita paucos, ferri cœpta nunquam: posita est in Senatu, populum Romanum latuit*. At qui paulo ante scripserat a Cæcilio eam rogationem fuisse promulgatam: unde apparet, qui legem modo in publicum proposuit, & si ad populum adhuc non tulerit, legem tamen promulgasse. Neque tamen negaverim, quin dicatur etiam legem promulgare, qui trinundino ad populum de sua lege dicit. Nam & Cicero in quinta Philipp. ita loquitur: *Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum?* Et tertio de Legibus legem ponit, in qua facit diversa promulgare & proponere. *Promulgata, proposita, in ærario cognita agunto*. Itaque ego sic sentio, verbum promulgandi, significasse omnem rationem edendæ in vulgus rei, sive verbo sive scripto: non autem pro altero tan-

A tum accipi. Ergo quomodocunque lex in vulgus edebatur, promulgari dicebatur: cum vero scripta publice exhibebatur, proponi dicebatur. In quo obiter id observandum est, solitos eos, qui legem ita proponerent, nomen suum adscribere. Cicero libro 7. in Verrem: *Nempe ea lege de judiciis judicibusque nobis promulgata, quam non is promulgavit, cujus nomine proscriptam videtis*. Atque hujusmodi proscriptio ante fiebat, quam legem quis ferre inciperet, ut ex iis quæ diximus apparet. Nam etsi fere concionem habere solitos reperiamus legum rogatores, priusquam legem proponerent, in qua concione populo necessitatem & utilitatem legis proponendæ o-B stenderent, quod & Rullum fecisse ex iis quæ diximus apparet, & Tib. Gracchum, scribit Appianus: attamen legem ferre adhuc non dicebantur, sed præterea necessarium erat trinundinum ad legem promulgandam. Id quod ex Dionys. Halicar. libro decimo intelligi potest, ubi ita scribit: *Tribuni pleb. advocata concione pollicebantur plebi se legem laturos de iis rebus quas postulabat. Quam orationem postquam plebs collaudavit, sublata omni mora, legem quam paratam habebant, recitarunt. Ac proposita ea lege, datum est trinundini spatium, quo fieret potestas legis improbandæ omnibus qui vellent*. Et Livius C libro 3. Decad. 1. de legibus a Decemviris conscriptis ita scribit: *Ingenti hominum expectatione, propositis decem tabulis populum ad concionem advocarunt: & quod bonum, faustum, felixque Reip. ipsis liberisque eorum esset, ire & legere leges propositas jussere. Se quantum decem hominum ingeniis provideri potuerit, omnibus summis infimisque jura æquasse. Plus pollere multorum ingenia consiliaque: versarent in animis secum unamquamque rem, agitarent deinde sermonibus, atque in medium, quid in quaque re plus minusque esset, conferrent. Cum ad rumores hominum de unoquoque legum capite edito satis correctæ viderentur, centuriatis comitiis perlatæ sunt*. Post hanc igi-D tur legis propositionem, trinundino etiam promulganda erat. In quo duo potissimum, quæ ambigua videntur, nobis explicanda sunt. Primum, quid esset illud trinundino promulgare: alterum, diceretur ne lex tum ferri cum ita promulgabatur, an vero die modo comitiorum ferri legem dicere oporteat. Trinundino promulgare, est legem quam proposueris tribus diebus nundinarum advocata concione ita recitare, ut de singulis capitibus populum & doceas, & doceri adhibitis aliis suasoribus facias: data interim facultate, ut qui volet, legem improbare dissuadereque possit. Erant autem nundinæ, ut ait Ma-E crobius libro 1. Satur. cap. 16. feriæ paganorum, id est rusticorum, quibus conveniunt negociis propriis, vel mercibus provisuri. Fiebant autem nono quoque die, unde etiam nomen habuerunt; ut scribit Plutarch. in Coriolano, & Dionys. libro 2. Illis ergo nundinarum diebus, quia frequentior solebat esse populi multitudo propter rusticorum in urbem conventum, propterea institutum erat, ut illis potissimum diebus leges promulgarentur. Id quod docet eodem illo loco Macrob. his verbis: *Rutilius scribit Romanos instituisse nundinas, ut octo quidem diebus in agris rustici opus facerent, nono autem die intermisso rure ad mercatum legesque accipiendas Romam venirent: &* F *ut scita atque consulta frequentiore populo referrentur: quæ trinundino die proposita a singulis atque universis facile noscebantur. Unde etiam mos tractus, ut leges trinundino die promulgarentur*. Atque ego quidem primis temporibus lege cautum non fuisse existimo, ut trinundino leges promulgarentur, ut ex eo colligi potest, quod scribit T. Livius lib. 4. Decad. 1. Mamercum Æmilium Dictatorem advocata concione dixisse, legem se laturum, ne plusquam annua ac semestris esset Censura: quam legem consensu ingenti populi postero die pertulit. Et quoniam multo tempore hæc lex Æmilia lata est post leges duodecim tabula-

rum, inde planum est, legibus duodecim tabularum id minime cautum fuisse: alioqui hæc lex jure lata non fuisset, quæ trinundino promulgata non esset. Nec sane reperitur lex de ea re fuisse ante legem Cæciliam & Didiam, quæ lata est consulibus Q. Cæcilio Metello Nepote, & T. Didio, anno urbis DCLVI. Quod autem de legibus trinundinum promulgandis uno capite hujus legis cautum esset, Cicero ostendit, cum ita scribit pro domo sua: *Si quod in cæteris legibus trinundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nil reprehendo. Sin eadem observanda sunt, decrevit Senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri*. Idem hoc diligentius, pœna etiam adjecta postea cautum fuit lege Licinia & Junia, lata a Licinio Muræna & D. Junio Syllano Consulibus, eo anno qui secutus est Ciceronis Consulatum. Cicero quinta Philip. *Ubi lex Cæcilia & Didia? ubi promulgatio trinundinum? ubi pœna recenti lege Junia & Licinia?* Si igitur ante eas leges observaretur trinundini promulgatio, quemadmodum passim in historia Dionysii legitur, consuetudine id potius quam legis necessitate observatum fuisse existimo. Quod vero iis tribus nundinarum diebus recitari legem oporteret, ac populum doceri, ex eo apparet quod scribit Dionys. libro decimo. Tribunos plebis lege proposita trinundini spatium dedisse, ut interim suadendi ac dissuadendi potestas esset. Unde apud Ciceronem libro tertio de Legibus ponitur lex hujusmodi: *Rem populum docento: doceri a magistratibus privatisque patiuntor.* Quam legem paulo post dicit Romæ observari solitam. Quo fit, ut lege proposita non modo a magistratibus doceri populum oporteret, sed etiam a privatis data eis concione a magistratu. Neque enim privato licebat ex rostris verba ad populum facere, nisi a magistratu quis produceretur: uti Cicero in Vatinium satis ostendit cum ita scribit: *Cum L. Vettium, qui in Senatu confessus esset se cum telo fuisse, mortem Cneo Pompeio, summo & clarissimo civi suis manibus adferre voluisse, in concionem produxeris: indicem in rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco collocaris, quo auctoritatis exquirendæ causa cæteri Tribuni pl. principes civitatis producere consueverunt*. Et Livius libro 5. Decad. 5. *Cum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset*. Exempla hujus rei frequentia sunt in historia. Legem Maniliam suasit Cicero, dissuadebant Catulus & Hortensius; legem Agrariam Rulli dissuasit Cicero, Legem Cæsaris in primo Consulatu suaserunt Pompeius & Crassus. Solebant enim qui legem ferre volebant, sibi virum aliquem magna auctoritate præditum conciliare & adjungere, qui populo suaderet, ut legem acciperet, qui legis auctor appellari solet. Cicero tertio de Legib. *Itaque isti rationi, neque lator quisquam est inventus, nec auctor unquam bonus*. Et paulo post. *Nam Cassiæ legis culpam Scipio tuus sustinet, quo auctore lata esse dicitur*. Qui igitur primas partes suadendæ legis habebat, is auctor dicebatur: qualis fuit Pompeius in lege P. Lentuli Consulis, qua revocatus est ab exilio Cicero: ut apparet ex oratione post red. ad Quirites. In qua etiam oratione continetur summa orationis, quam habuit Pompeius ad populum. Ex quo intelligimus, in lege promulganda non recitari modo legem, sed etiam docendi populi causa orationem addi solitam. Tum vero Cicero pro Flacco scribit, more institutoque majorum, populi suffragiis legem non committi, nisi auditis ante auctoribus, re per multos dies promulgata & cognita. Ex quo id colligi potest, quo modo diximus, legum promulgationem non fuisse nudam recitationem, sed etiam oportuisse populum oratione doceri: idque toties quoties promulgabatur. In quo etiam illud observandum, quod ait Cicero in orat. post red. in Senatu, decrevisse Senatum ut agerentur gratiæ iis, qui ex municipiis venissent primo die promulgationis: simulque ut rogarentur, ut pari studio convenirent reliquis diebus, cum lex eadem rursus ad populum referenda esset. In superiore autem oratione, quam habuit ad Quirites, dicit ter convenisse Italiam cunctam nomine suo, & se in patriam ter decretis Italiæ cunctæ revocatum. Ex iis enim locis intelligi potest, cum lex ita trinundino promulgabatur, solitum fuisse populum significationem dare acclamationibus legem sibi acceptam esse aut non esse, antequam dies suffragii veniret. Hoc enim est, quod ait Cicero decretis Italiæ ter se revocatum. Neque enim de suffragiis intelligi potest: præsertim cum tot comitiis eandem legem juberi absurdum sit, & nundinis comitia habere fas non esset, ut nos amplius postea ostendimus, cum de tempore Comitiorum disputabimus. Recitabatur ergo tribus nundinarum diebus lex in concione, simulque docebatur singulatim populus, & rogabatur, ut legem accipere vellet: proditaque die qua comitia haberentur, legis ferendæ causa, ut ad illam diem frequens adesset, rogabatur. An vero qui trinundino ita promulgabat legem, ferre eam diceretur, an ea solum die qua populus erat suffragium dicturus, ego de ea re sic sentio; vere quidem ac proprie ferri legem, cum populi suffragiis committitur: ideoque cum apud auctores reperimus diem ferendæ legis, de die comitiorum intelligimus; quin tamen legem etiam ferre diceretur, qui in trinundino promulgabat, negari non potest. Neque enim aliud significat legem aut rogationem ferre, ut Græcum verbum εἰσφέρειν ostendit, quam in medium adferre. Quoties igitur concionem quis vocabat, ut suam legem populo exhiberet, toties ferre legem dicebatur. Quia tamen illo trinundino magis cognitionis causa lex populo exhibebatur, quam ut ejus suffragiis tum committeretur; propterea illa verius promulgatio legis quam latio vocabatur. Cicero pro Sylla de rogatione L. Cæcilii loquens, negat eam ferri cœptam; quia etsi proposita esset, & de ea actum in Senatu, populo tamen in concione exhibita non esset: unde efficitur eum ferre legem incipere, qui nundinis promulgat. Ac de legum quidem promulgatione hactenus. Nunc in judiciis quid ante diem comitiorum fieri oporteret, pauca dicamus. Cicero pro domo sua: *Moderata populi judicia sunt a majoribus constituta: primum, ut ne pœna capitis cum pecunia conjungatur: deinde, ne nisi prædicta die quis accusetur: ut ter ante magistratus accuset intermissa die, quam mulctam irroget aut judicet: quarta sit accusatio, trinundinum prodita die, qua die judicium futurum sit*. Ex hoc loco perspicuum est, ante comitia judiciorum oportuisse trinundino prodi diem quo haberentur comitia. Et quoniam privilegium, quo perduellionis crimen judicabatur, lex erat Centuriata, ut supra demonstravimus: propterea omnibus Centuriatis legibus commune esse dicimus, ut trinundino proderetur dies comitiorum. Quod vero ait Cicero trinundino prodi diem, qua judicium futurum esset; non ita accipi debet, quasi nihil aliud fieret illo trinundino, quam ut proderetur dies: sed quia lege lata judicium hoc peragebatur, tribus illis nundinarum diebus lex in concione recitabatur, cæteraque peragebantur, quæ in legum promulgatione observari dicimus. Hoc igitur omnibus Centuriatis comitiis magistratuum, legum, & judiciorum conveniebat, ut eo quo dixi modo, dies comitiorum ediceretur, & trinundini tempus relinqueretur inter edictum & diem comitiorum. Ex quo consequens est, Centuriata illa comitia, quæ apud Gellium lib. 15. cap. 27. scribuntur ex Lælio Felice, per cornicinem calari, non pertinere ad alia Centuriata comitia, quam quæ regis sacrorum inaugurandi causa habebantur: in quibus pro edicto erat hujusmodi per cornicines populi convocatio. Erat autem & illud communiter observandum in omnibus, ut Senatus auctoritate haberentur comitia Centuriata.

Quod Dionyſius oſtendit libro nono, cum ait, hoc diſcrimen fuiſſe inter Tributa comitia & alia, quod Tributis Senatus auctoritate opus non erat, in reliquis neceſſe erat Senatus auctoritatem accedere. Porro illud animadvertendum eſt, primis quidem temporibus poſt habita comitia patres auctores fieri ſolitos. Unde apud Livium lib. 1. *Quirites regem create, ita patribus viſum. Patres deinde, ſi dignum qui ſecundus a Romulo numeretur crearitis, auctores fient.* Et paulo poſt de Tullo Hoſtilio: *Regem populus juſſit: patres auctores facti.* Quod idem de Anco Marcio ſcribit, & multis aliis in locis. At poſtea patres ante comitia auctores fieri oportebat. Illud enim eſt quod T. Livius libro primo ſcribit: *Decreverunt, ut cum populus regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fierent. Hodieque in legibus magiſtratibuſque rogandis uſurpatur idem jus vi adeptum: priuſquam populus ſuffragium ineat, in incertum comitiorum eventum patres auctores fiunt.* Et in fine lib. 6. 1. Dec. extat concio Appii, in qua ſcribitur Centuriatis & Curiatis comitiis patres auctores fieri. Quod idem Cicero dicit pro domo ſua. Quod vero Livius lib. 8. 1. Decad. ſcribit a Dictatore P. Philone legem latam, ut legum, quæ comitiis Centuriatis ferrentur ante initum ſuffragium, patres auctores fierent: illud, inquam, aperte oſtendit, ad illud uſque tempus, poſt comitia patres auctores fieri ſolitos: ſed poſt hanc legem, ut patres ante auctores fierent, fuiſſe neceſſe. Scribit etiam Appianus libro 1. bell. civil. a Sylla legem latam, ut nihil referretur ad populum, quod ante a Senatu decretum confirmatumque non eſſet: ut veteri, inquit, lege cavebatur. Quod ad plebiſcita non pertinere hinc colligi poteſt, quod Tribunis pleb. poteſtatem agendi cum populo Sylla ſuſtulerat. Et Cicero pro Plancio: *Nam ſi ita eſſet, quod patres apud majores noſtros tenere non potuerunt, ut reprehenſores eſſent comitiorum, id haberent judices: vel quod multo etiam minus eſt ferendum. Tum enim magiſtratum non gerebat is qui ceperat, ſi patres auctores non erant facti.* Ex iis omnibus apparet, in omnibus Centuriatis comitiis fuiſſe neceſſariam Senatus auctoritatem. Unde fit, ut paſſim in hiſtoria Livii, ubi mentio eſt comitiorum magiſtratibus creandis indictorum, ſenatuſconſultum præceſſiſſe reperiamus. Et Cicero libro quarto ad Atticum in epiſtola cujus initium eſt, *Occupationem: Comitia dilata ex ſenatuſconſulto.* Et paulo poſt: *Senatus decreverat, ne prius comitia haberentur, quam lex lata eſſet. Si quis interceſſiſſet, re integra referretur. Cœpta ferri leviter: interceſſum, non invitis. Res ad Senatum. De ea re ita cenſuerunt: comitia primo quoque tempore haberi cenſere.* Ex quo Ciceronis loco perſpicuum eſt, in magiſtratuum comitiis auctoritatem Senatus uſque adeo fuiſſe neceſſariam, ut non modo jubendi, ſed etiam differendi & impediendi comitia in Senatu poteſtas eſſet. In legibus vero ferendis neceſſariam Senatus auctoritatem fuiſſe lex illa Cornelia, quam ex Appiano citavimus, oſtendit. Ex eo autem quod legimus in oratione pro Sylla, factum eſſe in lege L. Cæcilii, colligimus legitimam hanc fuiſſe rationem legis ferendæ, ut ea propoſita ad Senatum referretur, priuſquam ad populum ferre quis inciperet: niſi lex de ea re eſſet, quæ ante in Senatu agitata eſſet, factumque S. C. ut ad populum ferretur. De edicto quod ante comitia Centuriata præmittebatur, & de Senatus auctoritate, hactenus. Sequitur nunc ut de auſpiciis agamus. Neque enim haberi comitia Centuriata ulla jure poterant, niſi captatis ante auſpiciis. Captare autem auſpicia, erat ex avibus, cæteriſque ſignis auguralis diſciplinæ propriis, Jovis voluntatem interpretari. Erant enim Romani jam inde ab Romuli ac Numæ inſtituto religionis obſervantiſſimi: ut fere nec publice, nec privatim quicquam aggrederentur, diis inconſultis. Fere autem duobus generibus conſulendi Deos, priuſquam aliquid inciperent, utebantur. Unum erat per exta hoſtiarum, quas immolare ſolebant: ad quam divinandi rationem adhiberi ſolebant aruſpices, ut frequentiſſime in hiſtoriis occurrit, & multis verbis explicatur a Cicerone, ſecundo de Divinatione. Alterum erat ex avibus & cæteris ſignis, unde Jovis ſententiam divinare ſolebant, ad quam rationem divinandi augures adhibebantur. Cic. enim 2. de legibus appellat augures Jovis Opt. Max. interpretes: & lib. 3. Jovis conſiliarios & adminiſtros: quod cum Jupiter auſpicia mittere & ſigna crederetur, ipſi ſua quadam diſciplina, quæ auguralibus libris continebatur, de illis judicabant, fauſta ne, an infauſta eſſent: quodque ipſorum collegium decreviſſet, id ratum omnino ut haberetur, cautum erat. Dixi autem ex avibus & ſignis cum Cicerone, ſecundo de Legibus, ubi ita ſcribit: *Divinationem, quam Græci μαντικὴν appellant, eſſe cenſeo, & hujus hanc ipſam partem, quæ eſt in avibus cæteriſque ſignis diſciplinæ noſtræ.* Hæc autem duo eo pertinent, ut ne quis exiſtimet ex avibus tantum augures futurorum prædictiones accepiſſe. Nam & auſpicia, quæ ſunt quaſi aviſpicia, quamquam proprie ſignificarent ex avibus ſumptas divinationes, tamen uſu effectum eſt, ut multo latius pateret verbum auſpiciorum, & complecteretur etiam ſigna alia ad augurum diſciplinam pertinentia. Ego autem quatuor fere generibus contineri omnia ſigna auguralis diſciplinæ reperio. Primum ex avibus: Alterum e cœlo. Tertium ex terrenis quibuſdam animantibus: Quartum ex diris. Ex avibus ſigna obſervantur tripliciter: ex volatu, ex occentu, ex tripudio. Ac volatu quidem avium captari augurium oſtendit, cum hiſtoria Romuli & Remi, tum id quod Cicero ſcribit lib. 1. Divin. auguralibus libris contineri, Corvum a dextra volantem, Cornicem a ſiniſtra ratum facere. Et lib. 2. de Divin. ita ſcribit: *Quæ eſt igitur natura, quæ volucres huc & illuc paſſim vagantes efficiat, ut ſignificent aliquid, & tum vetent agere, tum jubeant aut cantu aut volatu?* Ex quo loco apparet, non modo volatu, ſed etiam occentu augurium accipi. Et lib. 1. de Divin. *eademque efficit in avibus divina mens, ut tum huc tum illuc volent alites: tum in hac, tum in illa parte ſe occultent: tum a dextra, tum a ſiniſtra parte canant oſcines.* Et T. Livius lib. 10. 1. Dec. *Ante Conſulem hæc dicentem, Corvus voce clara occinuit. Quo lætus augurio Conſul.* Et Virgilius:

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Quo etiam pertinet id, quod eſt apud Aulum Gellium libro 6. cap. 6. de avibus præpetibus & inferis. Tripudio autem augurium accipiebatur, ex pullis modo gallinaceis, quos in cavea incluſos aſſervabant pullarii: quibus e cavea eductis, paſtus objciebatur, tumque ex paſcendi ratione, cæteroque geſtu pullorum, augurium accipiebat pullarius, quod deinde ad magiſtratum referebat, a quo juſſus eſſet captare auſpicium. Cujus rei exemplum eſt illuſtriſſimum apud T. Livium lib. 10. 1. Dec. *Tertia vigilia noctis jam relatis literis a collega, Papyrius ſilentio ſurgit, & pullarium in auſpicium mittit: nullum erat genus hominum in caſtris intactum cupiditate pugnæ: ſummi infimique æque intenti erant: dux militum, miles ducis ardorem ſpectabat. Is ardor omnium etiam ad eos, qui auſpicio intererant, pervenit. Nam cum pulli non paſcerentur, pullarius auſpicium mentiri auſus, tripudium ſoliſtimum Conſuli nunciavit. Conſul lætus auſpicium egregium eſſe, & deis auctoribus rem geſturos pronunciat, ſignumque pugnæ proponit.* Et paulo poſt: *Altercatio inter pullarios orta de auſpicio ejus diei, exauditaque ab Equitibus Roman. Qui rem haud ſpernendam rati Sp. Papyrio fratris filio Conſulis ambigi de auſpicio pronunciaverunt. Juvenis ante doctrinam deos ſpernentem natus, rem inquiſitam, ne quid incompertum deferret, ad Conſulem detulit. Cui ille: Tu quidem macte virtute diligentiaque eſto. Cæterum qui*

auſpicio

auspicio adest, si quid falsi nunciat, in semetipsum religionem recipit. Mihi quidem tripudium nunciatum populo Romano exercituique egregium auspicium est. Aliud exemplum memorabile est apud Valerium Maximum libro primo cap. quarto: *Pub. Claudius bello Punico primo, cum prælium navale committere vellet, auspiciaque more majorum petiisset, & pullarius non exire pullos cavea nunciasset, abjici eos in mare jussit, dicens: quia esse nolunt, bibant.* Est & aliud exemplum C. Hostilii, cui malum auspicium nunciatum est, quod pulli cavea educti, in proximam sylvam fugissent, summaque diligentia quæsiti, reperiri nequivissent. Cicero 1. de Divin. *Ille mihi videtur igitur vere augurari. Nam nostri quidem magistratus auspiciis utuntur coactis. Necesse enim est offa objecta cadere frustum ex pulli ore cum pascitur. Quod autem scriptum habetis tripudium fieri, si ex ea quid in solidum ceciderit, hoc quoque, quod dixi, coactum tripudium solistimum dicitis.* Et libro secundo de Divinat. *Tum ille, dicito si pascuntur: Pascuntur. Quæ aves, aut ubi? Attulit, inquit, in cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius. Hæ sunt igitur aves internunciæ Jovis: quæ pascantur, necne, quid refert? Nihil ad auspicia. Sed quia cum pascuntur, necesse est aliquid ex ore cadere, & terram pavire, terripavium primo, post terripudium dictum est: hoc quidem jam tripudium dicitur. Cum igitur offa cecidit ex ore pulli, tum auspicanti tripudium solistimum nunciatur. Ergo hoc auspicium divini quicquam habere potest, quod tam sit coactum & expressum? Quo antiquissimos augures non esse usos argumento est, quod decretum collegii vetus habemus, omnem avem tripudium facere posse. Tum igitur esset auspicium, si modo esset ei liberum se ostendisse: tum avis illa videri posset interpres & satelles Jovis. Nunc vero inclusa in cavea, & fame enecta, si in offam pultis invadit, & si aliquid ex ejus ore cecidit, hoc tu auspicium, aut hoc modo Romulum auspicari solitum putas?*

Secundum genus auspiciorum erat in servando de cœlo. Erat autem servare de cœlo, attentius circumspiciendo observare, num qua parte cœli aliquid se ostenderet, unde divinationem accipere posset. Hujus exemplum est apud Dionysium libro secundo, ubi ita scribit: *Ad ea Romulus gratum sibi esse respondit, quod hominum judicio dignus habitus esset, qui Romæ rex esset: eum tamen honorem se non ante recepturum, quam deorum numini idem placere faustis auspiciis demonstratum esset. Consentientibus cunctis diem indixit, qua captaret auspicia. Quæ ubi venit, prima luce domo exiens, in loco puro sub dio stetit, factoque legitimo sacrificio precatus est Jovem regem, cæterosque deos, quos præsides suæ coloniæ fecerat, ut si regem esse vellent, prospera de cœlo signa darent. Finita oratione fulgur se ostendit a sinistra ad dextram procedens. Erat autem Romanis fulgur sinistrum in optimis auspiciis.* Hactenus Dionysius. Aliud exemplum est apud Livium libro primo de Numa. *Accitus, sicut Romulus augurato in urbe condenda, regnum adeptus est, de se quoque consuli jussit. Inde ab augure, cui deinde honoris gratia, publicum id, perpetuumque sacerdotium fuit, deductus in arcem, in lapide ad meridiem versus consedit. Augur ad lævam ejus capite velato sedem cepit, dextra manu baculum sine nodo aduncum tenens, quem lituum appellaverunt. Inde ubi prospectu in urbem agrumque capto deos precatus, regiones ab oriente ad occasum determinavit: dextras ad meridiem partes, lævasque ad septentrionem esse dixit: signum contra quoad longissime conspectum oculi ferebant, animo finivit: tum lituo in lævam manum translato, dextra in capite Numæ imposita, precatus est ita: Jupiter pater, si est fas hunc Numam Pompilium, cujus ego caput teneo, regem Romæ esse, ut tua signa nobis certa ac clara sint inter eos fines quos feci. Tum peregit verbis auspicia quæ mitti vellet. Quibus missis declaratus rex Numa de templo descendit.* Hactenus Livius. Ego vero ex observatione antiquitatis collegi, non modo in urbe, sed etiam in agris augures templa finire potuisse ad auspicandum. Erant enim templa auguribus regiones, aut agri certo carmine ab augure lituo finiti & ~~notati~~ consecratique, unde in omnes cœli partes ad augurium captandum liber erat aspectus: adeoque liberum quoquo versus aspectum esse oportebat, ut interdum augures ea, quorum altitudo auspiciis officeret, demoliri juberent. Unde in historiis reperitur, C. Marium ædem Honoris summissiorem aliis fecisse, ne si forte obesset auspiciis publicis, augures eam demoliri juberent. Dividebantur autem partes cœli ab auguribus aliter quam ab Hetruscis. Nam ut Cicero 2. de Divin. scribit, Hetrusci in sedecim partes cœlum diviserunt: augures in quatuor. Et hi quidem, ut ex hoc loco Livii apparet, dextras ad meridiem, sinistras ad septentrionem faciebant. Quare necesse, ut antica pars iis esset ad orientem, postica ad occidentem: quemadmodum etiam testatur Dionysius libro secundo, ubi ait augures spectare orientem solitos dum auspicabantur: & Plutarchus in Probl. Nec repugnat quod ait Livius, Numam ita sedem cepisse, ut ad meridiem versus spectaret. Neque enim oportet, ut augur eam cœli partem spectet quam is cui in auspicio erat: neque eandem immotamque sedem tribuit auguri sicut Numæ. Hetrusci vero singulas harum quatuor rursus in quatuor dividebant: itaque sedecim partes efficiebant: anticas ab exortu quatuor, posticas ab occasu totidem: dextras ad meridiem quatuor, sinistras ad septentrionem quatuor. Est autem & illud obiter animadvertendum, ad Hetruscos, qui erant aruspices, ea signa de cœlo pertinuisse, quæ prodigiosum aliquid ostentosumque habere viderentur, ut si quæ ædes cœlo percussæ, si repente & inopinato quispiam fulmine ictus concidisset, aut si qua alia signa inusitata in cœlo apparuissent. Augures vero ita de cœlo servabant, ut si intonuisset, si fulgurasset, neque in iis simul aliquid inusitatarum accidisset, spectarent. Itaque signa modo usitata, & nil prodigii habentia ad collegium augurum pertinebant. Nec alia fuisse signa, unde divinationem acciperent augures servando de cœlo, reperio, quam si tonuisset aut fulgurasset. Cicero secundo de Divin. *Itaque in nostris commentariis scriptum habemus, Jove tonante fulgurante comitia populi habere nefas. Hoc fortasse Reip. causa constitutum est. Comitiorum enim non habendorum causas esse voluerunt. Itaque comitiorum solum vitium est fulmen, quod idem in omnibus rebus optimum auspicium habemus, si sinistrum fuit.* Unde apud Ciceronem 1. de Divin.

Partibus intonuit cœli pater ipse sinistris. & lib. 2.
Cum tonuit lævum bene tempestate serena.

Ergo qui augurium captabant de cœlo, omnibus quidem in rebus præter quam in comitiis, si fulgurasset, aut tonuisset a læva, bonum auspicium interpretabantur. Unde fit, ut sinistrum auspicium dicerent Romani pro bono auspicio: ut Cicero inquit 2. de Divin. *Quamquam haud ignoro quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiamsi dextra sint.* Cujus rei rationem reddere conatur Plutarch. in Probl. dicens sinistrum a finendo dictum esse: quæ ergo auspicia finerent rem peragi, ob quam dii consulebantur, ea sinistra quasi finentia appellata esse. At si a dextra alterum horum evenisset, infaustum semper auspicium interpretabantur. Tertium genus auspiciorum erat ex terrenis animalibus. Scribit Plin. libri octavi cap. quinquagesimo septimo, *Soricum occentu dirimi auspicia annales refertos habemus.* Et Valerius Maximus libri primi cap. primo: *Occentus soricis auditus Fabio Maxim. dictaturam, C. Flaminio magisterium equitum deponendi causam præbuit.* Ex quibus apparet, auspicium ex soricibus capi. Verum ego existimo, hæc ex quadrupedibus auspicia potius capi, quam captari solita. Quod idem

etiam existimo dicendum de iis auspiciis, quæ ex variis casibus hominum capiebantur: qualia sunt quæ Tib. Graccho & Cæsari accidisse leguntur, antequam occiderentur. Unum erat proprie ad comitia pertinens, ex homine sumptum auspicium, quo dirimendis tantum auspiciis utebantur. Nam si ipsis comitiis morbo Herculeo correptus quisquam repente concidisset, dissolvenda erant comitia, nec justa eo die haberi poterant: unde etiam illi morbo nomen est comitialis, ut docet Serenus his versibus:

Est subiti species morbi, cui nomen ab illo,
Quod fieri nobis suffragia justa recusat.
Sæpe etenim membris acri languore caducis,
Concilium populi labes horrenda diremit.

Quartum genus auspiciorum erat ex diris. Nam diras fuisse inter auspicia Cicero primo de Divin. ostendit his verbis: *Etenim diræ sicut & cætera auspicia ut omina, ut signa, non causas afferunt cur quid eveniat, sed nunciant eventura nisi provideris.* De dirarum obnunciatione erat historia M. Crassi adversus Parthos proficiscentis apud Appianum & Plutarchum. Propterea enim judicatum est, Crassum bellum adversus Parthos infaustis auspiciis gessisse, quod Ateio Tribun. pleb. diras obnuncianti parere noluit. Ac de generibus quidem auspiciorum satis superque dictum est. Nunc ea, quæ propius attingunt comitia, tractemus. In quo illud primum animadvertendum est, quod scribit Dionysius libro secundo: *Exinde mos invaluit apud posteros, ut regnum aliumve magistratum nemo acciperet diis inconsultis. Ac per multas quidem ætates diligenter observata est a Romanis legitima ratio auspiciorum, non modo sub regibus, sed etiam in Consulum, Prætorum, aliorumque magistratuum creatione. At nostra ætate desiit observari: nisi quod ejus modo species quædam & similitudo superest, ne pars hæc religionis plane neglecta videatur. Qui enim magistratum accepturi sunt, prima luce loco aperto expositi diis supplicant. Tum ex auguribus publicis qui adsunt, nonnulli nunciant illis fulgur sinistrum, quod omnino non factum sit. Illi augurium ex voce accipientes abeunt magistratum accepturi: alii quidem satis esse existimantes nulla sibi adversa auspicia fuisse: alii vero etiam repugnantibus diis.* Hæc Dionysius fere ad verbum: ex quibus apparet, posterioribus temporibus Romanos religionis auspiciorum parum fuisse observantes. Quod Cicero etiam libro de Legibus secundo scribit: *Sed dubium non est, quin hæc disciplina & ars augurum evanuerit jam & vetustate & negligentia. Ita neque illi assentior, qui hanc scientiam negat nunquam in nostro collegio fuisse, neque illi qui etiam nunc putat.* Et libro 2. de Divinat. *Errabat multis in rebus antiquitas quam vel usu jam, vel doctrina, vel vetustate immutatam videmus. Retinetur autem, & ad opinionem vulgi, & ad magnas utilitates Reipublicæ mos, religio, disciplina, jus augurum, collegii auctoritas.* Et paulo post: *Etenim ut sint auspicia, quæ nulla sunt, hæc certe, quibus utimur sive tripudio, sive de cœlo, simulacra sunt auspiciorum, auspicia nullo modo. Q. Fabi te mihi in auspicio esse volo: respondet, audivi. Hic apud majores adhibebatur peritus, nunc quilibet. Peritum autem esse necesse est eum, qui silentium quid sit, intelligat. Id enim silentium diximus in auspiciis, quod omni vitio caret. Hoc intelligere perfecti auguris est. Illi autem, qui in auspicium adhibetur, cum ita imperavit is, qui auspicatur: dicito, silentium esse videtur, nec suspicit nec circumspicit: statim respondet silentium esse videri* Ex iis Dionysii ac Ciceronis locis intelligi potest, ad usurpationem modo vetustatis, auspicia Romæ posterioribus temporibus retenta fuisse. Qui igitur comitia Centuriata erat habiturus, ut auspicato habere comitia videretur, priusquam in campum veniret, in arce aut alio quodam, sed intra pomœrium, loco auspicabatur, ibique augurem, quem sibi in auspicio esse jusserat, non tam consulere Deos jubebat, quam bona esse auspicia pro-

A nunciare. Itaque ex voce auguris verius quam ex ullo signo ex avibus, aut ex cœlo sumpto auspicabantur. Quod autem dixi intra pomœrium primum auspicari solitos magistratus, ostendi posse videtur ex eo, quod legitur Tib. Gracchus iterum Consul tabernaculum vitio cepisse, quod oblitus esset auspicari priusquam pomœrium transgressus esset. Ea historia sic narratur a Cicerone secundo de Nat. Deor. *Tyberius e provincia literas ad collegium misit, se, cum legeret libros, recordatum esse vitio sibi tabernaculum captum fuisse in hortos Scipionis, quod cum pomœrium postea intrasset habendi Senatus causa, in redeundo cum idem pomœrium transiret, auspicari esset oblitus.* B Ac tabernaculi quidem hic mentio est, quia Centuriatis comitiis habendis imperari exercitum oportebat, quem intra urbem imperari fas non erat. Ac primis quidem temporibus omnes cives armatos sub signis in suis quemque Centuriis convenire oportebat, ut multis in locis scribit Dionysius. Post vero non omnes cives armati in campum veniebant, ut vel inde apparet, quod probabile non est, undique ex Italia armis onustos tempore pacis cives Romam ad comitia venisse: sed tantum præsidii causa, ut ait Gellius, paucorum hominum exercitus imperabatur. Nihilominus tamen semper Consul, C quasi ad usurpationem vetustatis, extra pomœrium tabernaculum habere dicebatur, die comitiorum, velut dux exercitus. In quo capiendo tabernaculo vitium committebatur, si priusquam pomœrium transgrederetur, auspicia aut non consuluisset, aut adversa apparuissent: tantumque tribuebatur his auspiciis tabernaculi capiendi, ut si hic peccatum esset, tota actio vitiosa & inauspicata censeretur. Unde Livius lib. 4. 1. Dec. *Tertio mense quam magistratum inierant, augurum decreto perinde ac vitio creati honore abiere: quod C. Curiatius, qui comitiis eorum præfuerat, parum recte tabernaculum cepisset. Et Consules P. Scipio & C. Figulus e provincia revocati* D *magistratum deposuerunt: quia judicati sunt vitio creati a Tib. Gracchо.* Ergo primum auspicia consulenda erant in capiendo tabernaculo: idque antequam quis pomœrium egressus esset. Quin vero etiam extra pomœrium, priusquam comitia habere inciperent, rursus auspicarentur, negari non potest, ut ego ex eo colligo, quod scribit Livius lib. 4. Dec. 4. Q. Fabium ex itinere præter urbem in campum descendisse, & comitia habuisse. Nisi enim extra pomœrium auspicatum fuisse Q. Fabium dicamus, oportebit hæc comitia nullis captatis auspiciis habita fuisse: quandoquidem ingressus pomœrium non sit Fabius. Et Plut. in vita Marcelli scribit, ideo solitos magi- E stratus capere tabernaculum, ut in eo sederent, pro captandis auspiciis. Ac si nondum ratis auspiciis aliqua eos causa in urbem retraheret, primum tabernaculum relinquere oportebat, & alterum capere, ex quo denuo captarentur auspicia. Porro autem hujusmodi auspicia prima luce captari solebant, quemadmodum intelligi potest ex eo, quod paulo ante citavi ex Dionysio: tum vero ex eo, quod scribunt Macrob. lib. 1. Satur. cap. 3. & A. Gell. lib. 3. cap. 2. *Nam magistratus, quando uno die iis auspicandum, & id agendum, super quo processit auspicium, post mediam noctem auspicantur, & post solem* F *exortum agunt.* Ex iis etiam, quæ ex Ciceronis 2. de Divinat. paulo ante adscripsi, perspicitur illa sua ætate duo genera auspiciorum usitata fuisse, tripudio, & de cœlo. Ac tripudio quidem ita utebantur, quemadmodum supra exposui. Unde lib. 10. epist. Fam. ad L. Plancum ita scribit: *Recitatis literis, oblata religio Cornuto est pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspiciis operam dedisse: id quod a nostro collegio comprobatum est.* Hæc autem auspicia Cornutus Prætor consuluerat Senatum habiturus. De cœlo autem servando a veteri ratione discesserant, ut Cicero 2. de Div. ostendit his verbis: *Jam de cœlo servare non*

ipsos censes solitos qui auspicabantur? Nunc imperanti pullario, ille renunciat. Vetus igitur ratio servandi de cœlo erat, ut magistratus adhibito augure servaret ipse de cœlo, non omnia alteri crederet. At Ciceronis ætate pullario omnia credebat ipse, non auspicabatur. Et quoniam hæc duo genera auspiciorum reliqua erant, tripudio autem magis alibi uterentur quam in comitiis: restat ut comitiorum habendorum auspicia tota pene fuerint in servando de cœlo. Itaque in hoc auspiciorum genere explicando paulo diutius immorandum est. In quo illud primum animadvertendum est, quod apud Ciceronem, & in omni historia frequenter reperitur, Jove fulgurante, tonante, agi cum populo fas non esse, hoc est, quo die aut fulgur apparuerit, aut tonitru auditum sit, nefas esse populi comitia habere. Neque vero satis erat eum ipsum, qui comitia erat habiturus, nil tale aut vidisse aut audivisse, sed etiam si quis alius, qui aut magistratus esset, aut augur servasset de cœlo, idque ei renunciasset qui vocare populum vellet, nefas erat comitia habere. Itaque non modo auspiciis parere, sed etiam obnunciationi magistratum oportebat. Hoc enim erat obnunciare, magistratui servatum esse de cœlo renunciare: ideoque ne eo die Jove prohibente comitia haberet, vetare. Ut autem pareretur obnunciationi, legibus cautum erat jam inde ab anno urbis 618. quo anno consules Sex. Ælius & P. Furius legem de ea re tulerunt Æliam & Furiam vel Fusiam; de qua tam frequens est mentio apud Ciceronem. Hoc etiam loco ascribendum est, quod scribit Cicero 2. Philipp. *Sed cum Cæsar ita dixisset, tum hic bonus augur eo se sacerdotio præditum esse dixit, ut comitia auspiciis vel impedire vel vitiare posset: idque se facturum esse asseveravit. In quo primum incredibilem stupiditatem hominis cognoscite. Quid enim istuc, quod te sacerdotii jure facere posse dixisti, si augur non esses, & Consul esses, minus facere potuisses? Vide etiam ne facilius. Nos enim nunciationem solum habemus: Consules & reliqui magistratus etiam spectionem. Esto hoc imperite, nec enim ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia. Sed videte impudentiam. Multis ante mensibus in Senatu dixit Dolabellæ comitia aut probibiturum auspiciis, aut id facturum quod fecit. Quisquam ne divinare potest, quid vitii in auspiciis futurum sit, nisi qui de cœlo servare constituit? quod neque licet comitiis per leges: & si quis servavit non habitis comitiis, sed priusquam habeantur, debet nunciare*. In iis Ciceronis verbis multa possunt ad id, quod agimus, pertinentia observari. Primum enim ex eo quod illa duo conjunxit, vel impedire vel vitiare auspiciis comitia, intelligimus si non haberentur comitia, quia obnunciatum esset, hoc fuisse impedire auspiciis comitia, & prohibere ne haberentur. Sin haberentur, obnunciatione ipsa dicebantur vitiari, quasi contra auspicia habita, ut ratum esse nil posset, quod iis comitiis actum esset. In sequentibus paulo post verbis dicit augures nunciationem auspiciorum tantum habuisse, magistratus vero & spectionem, & nunciationem. Unde intelligi potest, penes magistratus fuisse auspicia, ita ut ne auguribus quidem fas esset consulere auspicia, nisi a magistratibus jussi essent. Id enim est quod ait Cicero, magistratus tantum, non etiam augures, habuisse spectionem auspiciorum. Nec repugnat id quod est apud Ciceronem 2. de Leg. & apud Livium lib. 6. Dec. 1. auspicia penes patricios fuisse: id enim sic intelligi debet, cum in Rep. nullus erat patricius magistratus, tum ad patricios redire auspicia. Cicero in epist. 5. ad Brutum ita scribit: *Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt*. Ex eo, opinor, loco satis apparet quod diximus, non aliter fuisse penes patricios auspicia, quam si nullus esset magistratus patricius, ut Interrex prodendus esset, vel quia exitu anni subrogati non essent novi magi-

A stratus, vel quia a Senatu judicatum esset renovanda esse auspicia. Livius lib. 5. 1. Dec. *Consulibus morbo implicitis placuit per Interregnum renovari auspicia. Itaque cum ex S. C. Consules magistratu se abdicassent, Interrex creatur M. Furius Camillus*. Erant igitur adeo penes magistratus auspicia, ut rebus publicis agendis nemo auspicari posset, nisi qui magistratum gereret: (Pontifices excipio, qui Calatis comitiis habendis jus habebant auspiciorum.) postquam autem de cœlo servatum erat, obnunciandi jus erat non modo magistratui, sed etiam auguri, ut ex eodem illo Ciceronis loco apparet. Erant autem solennia & velut concepta verba obnunciantis: *Alio die*: quibus significabat in alium diem differri debere comitia. Cicero

B secunda Philip. *Confecto negocio, bonus augur (Lælium diceres) Alio die, inquit*. Et paulo post: *Si nihil est cum augur his verbis nunciat, quibus nunciasti: confitere te, cum, Alio die, dixeris, sobrium non fuisse*. Et libro 2. de Legib. *Maximum autem & præstantissimum in Rep. jus est augurum, & cum auctoritate conjunctum. Neque vero, quia sum ipse augur, ita sentio, sed quia sic existimare nos est necesse. Quid enim majus est, si de jure quærimus, quam posse a summis imperiis, & summis potestatibus comitiatus, & concilia vel instituta dimittere, vel habita rescindere?

C Quid gravius quam rem susceptam dirimi, si unus augur, Alio die, dixerit?* Ex postremis item illis Ciceronis verbis, hæc duo intelligimus; Servare de cœlo dum haberentur ipsa comitia non licuisse per leges, sed ante comitia incepta id fieri debuisse: tum vero si quis servasset, ante perata comitia obnunciare debuisse, non post ea peracta. Neque tamen negari potest, quin cœptis comitiis si supervenisset tonitru, dirimerentur comitia. Unde Pompeius, cum Prætoriis comitiis videret Catonem Prætorem fieri, finxit se tonitru audivisse, eaque ratione dirempta sunt eo die comitia. Et Livius libro decimo Decad. quartæ: *Prætorum tribus creatis, comitia tempestas diremit*. Illud

D quoque hoc loco observandum est de obnunciatione, licet augur aut magistratus obnunciando ementitus fuisset auspicia, hoc est, renunciasset se aliquid servando de cœlo vidisse aut audivisse, quod nec vidisset nec audivisset. nihilominus tamen parendum fuisse: alioqui obstrictum religione se existimabat populus Rom. Id quod ex Philippicis Ciceronis apparet. Nam ementitum auspicia dicit Antonium, cum obnunciavit comitiis Dolabellæ: & tamen ob illam obnunciationem dicit populum Roman. religione obstrictum, vitiosumque Consulem appellat Dolabellam. Verba ejus ex 5. Phil. hæc sunt: *Quid, quod cum eo

E collega tulit, quem ipse fecit sua nunciatione vitiosum? nihil ne ad auspicia bonus augur arbitratur pertinere?* Id autem ut ita fieret, legibus cautum erat: ea ratione, quod, ut ait Cicer. secundo de Legib. auspicia magis retenta erant, ut ad Reip. tempus accommodarentur, quam quod quicquam ad agendi consilium pertinerent. Itaque ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ, legibus ac publicis institutis cavebatur, ut auspicia servarentur, auguri pareretur. Unde fit, ut Antonius multo ante prædixerit se auspiciis impediturum comitia Dolabellæ. Et Cicero libro 1. epist. ad Lentulum, scribit provisum satis esse, ut ne quid per populum agi posset de reductio-

F ne regis Ptolemæi salvis auspiciis: quod scilicet provisum erat, ut esset, qui obnunciaret, si quid ad populum de ea referretur. Ex quibus perspicitur, eo tempore verius sibi finxisse auspicia, quam observasse: parendum tamen erat vel ementitis auspiciis, alioqui vitiosa actio censebatur. Illud etiam excutiendum nobis est, quod ex Messala scribit A. Gell. li. 13. c. 14. *Patritiorum auspicia in duas sunt potestates divisa. Maxima sunt Consulum, Prætorum, Censorum: reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Majora autem auspicia dicuntur habere, quia eorum auspicia magis rata sunt, quam aliorum*. Ex iis verbis apparet,

auspicia in majora & minora divisa fuisse: ac majora quidem majorum magistratuum, minora minorum fuisse. Quibus verbis intelligere oportet, fuisse Romanis magistratibus majoribus & minoribus auspicandi potestatem, sed tamen non æque firma & rata omnibus fuisse auspicia: sed penes majores magistratus fuisse magis rata & firma auspicia, penes minores minus rata: ita ut quæ auspiciis majorum magistratuum fierent, ut erant ea, quæ maximi in Rep. momenti erant, magis justa ac legitima censerentur, quam quæ minorum auspiciis gererentur. Porro autem comitia Centuriata habere majorum tantum magistratuum erat: quo fit, ut auspicia majora iis comitiis accommodata essent: ideoque comitiis Centuriatis ferri solebat, si quid maxime firmum ac sanctum esse Romani vellent. Itaque Centuriata comitia cum habere vellet aliquis ex majoribus magistratibus, ad ea impedienda, non aliis de cœlo servandi jus erat, quam majoribus item magistratibus. Id quod ex eo colligo, quod eodem loco scribit Messala: *Ideo neque Consules aut Prætores Censoribus, neque Censores Consulibus aut Prætoribus turbant aut retinent auspicia. At Censores inter se, rursus Prætores Consulesque inter se, & vitiant & obtinent.* Ex iis verbis apertum est, turbandi vitiandive auspicia majora majoribus tantum magistratibus jus fuisse: neque id omnibus, sed collegis tantum inter se. Turbare autem aut vitiare auspicia est, cum de cœlo servaveris obnunciatione efficere, ne possit auspicato peragere quod statuerat magistratus, cui obnunciatur. Ergo ad impediendas Censoris actiones per auspicia collega solus auspicandi jus habebat. Nec locum habebat alterius cujusque obnunciatio in ea re, quam vel Censoris, vel auguris, qui ei in auspicio fuerit. Qui enim augur adest magistratui auspicanti, ei dicitur in auspicio esse. Cicero 2. de Div. *Q. Fabi te mihi in auspicio esse volo.* Et Messala augur apud Gellium: *Nos his temporibus Prætores, Prætore creante, veterum auctoritatem sumus secuti; neque iis comitiis in auspicio sumus.* Ad impediendas vero Consulis actiones, servandi de cœlo jus erat, non modo alteri Consuli, sed etiam omnibus Prætoribus. Nam & Prætores Collegæ erant Consulum. Itaque Prætorum obnunciatio tantundem efficiebat atque Consulum. At Censoribus, quanvis majores essent magistratus, vitiare Consulum aut Prætorum auspicia non licebat, quia inquit Gellius, Collegæ non sunt Censores Consulum aut Prætorum. Hinc fit, ut impediendis actionibus Cæsaris in primo Consulatu, reperiamus M. Bibulum collegam quotidie de cœlo servare: sed quoniam coram obnunciare non auderet, per edicta obnunciabat, inquit Svet. in Cæsare. Quod vero dixi majores modo magistratus servandi de cœlo jus habuisse ad impediendas actiones majorum magistratuum, ex eo etiam apertius intelligi potest, quod Gellius eodem illo loco scribit: *In edicto Consulum, quo edicunt, quis dies comitiis Centuriatis futurus sit, scriptum fuisse, ne quis magistratus minor de cœlo servasse velit.* Hinc enim perspicuum est, Consules cum habituri erant comitia Centuriata, noluisse obnunciatione impediri minorum magistratuum: quin tamen majorum magistratuum obnunciatione impedirentur, non vetuisse suo edicto. Neque tamen ignoro, interdum contra edictum minores magistratus de cœlo servare solitos. Scribit enim Cicero secunda Philipp. Antonium Censoria comitia non habuisse, quia Tribunus pl. fulmen sinistrum nunciasset. Attamen Centuriata comitia erant Censoria. Sed etiam aliis multis in rebus reperio Consulum actiones impeditas obnunciatione Tribunorum. Cicero lib. 4. ad Attic. in epist. cujus initium est: *Avere te certo;* scribit Q. Metellum Consulem habiturum fuisse comitia Ædilium, nisi Milo obnunciasset. Et alio rursus die obnunciatione Milonis impeditum ne haberet comitia, paulo post scribitur. Et in oratio-

A ne pro Sestio, dicit Sestium venisse in templum Castoris, & Consuli Q. Metello obnunciasse. Verum ego de iis rebus ita sentio, Consules cum tributa comitia habere vellent, vetare non potuisse, quominus de cœlo servaret qui vellet: quia ea comitia non modo majorum magistratuum erant, sed etiam minorum: ut opus non esset, iis habendis comitiis majoribus auspiciis. At centuriatis habendis majoribus auspiciis opus erat: ideoque edicto vetare solebant Consules, ne minores magistratus de cœlo servarent: ut scilicet majora auspicia non vitiarentur minoribus auspiciis. Quod si contra edictum minores magistratus de cœlo servassent, non

B existimo Consuli parendum fuisse illi obnunciationi; ut ex eo apparet, quod Plinius lib. 28. cap. 2. scribit: *In augurum certe disciplina constat, neque diras, neque illa auspicia pertinere ad eos, qui quanque rem ingredientes, observare se ea negaverint.* Itaque quoties impedita obnunciatione Tribuni comitia Centuriata reperio, ego interpretor, vel eundem Tribunum augurem fuisse, cui etiam privato obnuncianti parendum esse leges jubebant: vel sua sponte illi obnunciationi paruisse Consulem, cum parere non cogeretur. Nam & Cicero dicit, non fuisse necesse Antonium parere obnunciationi Tri-

C buni plebis, quominus haberet illa Censoria comitia quæ edixerat. Tametsi ipse aliam causam adferat, quam rationem edicti ab Antonio propositi: nempe quod Antonius religiosus esset. *Tua quid interest: nulla auspicia tuorum sunt, cum sis religiosus.* Hoc est, cum sis obstrictus religione auspiciorum, nulla tibi sunt auspicia: itaque obnunciatione nil moveri debuisti. Nam & in omni parte religionis qui semel se religione obstrinxerat, donec ea exolutus esset religione, nil poterat in eo genere amplius justum ac legitimum peragere. Cum igitur Antonius ementiendis auspiciis se, populumque Roman. religione auspiciorum obstrinxisset, nil po-

D terat auspicato peragere, nec tenebatur auspiciis, priusquam ea esset exoluta religio. Ut igitur cæteris in rebus parerent majores magistratus minorum obnunciationi, certe in habendis Centuriatis comitiis non erat necesse parere, alioqui frustra hujusmodi edicta proposuissent, quibus vetarent minores magistratus de cœlo servare. Ac de obnunciatione quidem satis dictum sit, omninoque de auspiciorum ratione, quod quidem attinet ad Centuriata comitia. Præter auspicia erant sacra quædam legitima, quæ fieri a magistratu ante comitia Centuriata oportebat. Dionysius lib. 7. *Superioribus temporibus, quando populus erat de aliqua re,*

E *auctore Senatu, suffragium laturus, comitia Centuriata advocabant Consules, sacris ante factis, quæ lege statuta erant, quorum adhuc nonnulla nostra ætate fiunt.* Et libro 10. *Patres adversus Tribunos plebis his verbis utuntur: Neque vos Senatus auctoritas ad magistratus vocat, nec curiæ de vobis suffragium ferunt, nec sacra facitis ante comitia, quæ lege fieri oportebat.* Et alio loco ejusdem libri: *Posthæc pontificibus præsentibus, & auguribus, & sacrificis duobus, & factis legitimis sacris & precationibus, Centuriatis comitiis lex perlata est.* Hæc sacra hostiarum immolationes erant, quibus

F in omnibus actionibus publicis pariter uti solebant. In quo finem facio tractandi de iis, quæ ante comitia spectanda esse diximus. Nam si edicto ante proposito, reque per multos dies ante promulgata, senatus auctoritate, sacris factis, auspiciis addicentibus, nullaque obnunciatione interjecta, Centuriata comitia major magistratus habere vellet, nil omiserat eorum, quæ ad legitimum modum comitiorum ante ipsa comitia requirebantur. Deinceps sequitur, ut de iis agamus, quæ in ipsis comitiis observabantur. Populus Romanus, cui quidem jus erat suffragii, ad diem edicti conveniebat in cam-

A po Martio: atque ibi priuſquam in Centurias diſtribueretur, habebat magiſtratus concionem ad populum, qua rogabatur, ut id, quo de ageretur, jubere aut vetare vellet. Ac ſi magiſtratuum quidem eſſent comitia, ſolebat is, qui habebat comitia, rogare populum, ut ex iis candidatis, quorum haberi rationem oporteret, quos tum omnes nominatim appellabat, crearet populus quos vellet Conſules, Prætores, Cenſoreſve. Neque tamen, cum voce quidem ſuffragium ferebatur, neceſſitas ea oratione populo imponebatur, ut non poſſet alios quam candidatos facere: ſed libera ſuffragia relinquebantur, ut ex omnibus civibus crearet quos vellet, ſi
B modo ii eſſent, quorum ratio haberi legibus poſſet. Quin etiam legibus ſolutos ſæpe reperimus multos, ut creari poſſent, vel ante legitimam ætatem, vel abſentes, vel decennio nondum interpoſito inter eundem magiſtratum. Et multos, qui non peterent, creatos invenimus. Verum iſta evenire non ſolebant, niſi ea tempora eſſent, in quibus magna virtus alicujus Reip. neceſſaria videbatur: quæ in petentibus tanta non erat populo cognita. Ordinarium autem ac legitimum erat, ut ex candidatis crearentur magiſtratus. Poſt leges tabellarias hi modo creari poterant, quorum rationem haberi debere ante judicatum eſſet, ut tabellis nomen eorum ſcriberetur.
C Quod autem in magiſtratibus dixi, idem debet in comitiis regis ſacrorum intelligi. Neque vero hujuſmodi conciones, ante quam populus in ſuffragium mitteretur, habitas tantum reperio, ſed interrupta interdum comitia, ad emendanda populi ſuffragia. Ut apud Livium lib. 3. 1. Decad. *cum C. Claudius Conſul haberet comitia Conſularia, & ſe refici Conſulem videret L. Quintius ejus collega interrupit comitia, orationemque ad populum habuit, cujus exitus fuit, ut communiter ab ambobus Conſulibus edicere- tur, ne quis L. Quintium Conſulem faceret: ſi quis feciſſet, ſe id ſuffragium non obſervaturos.* Et
D lib. 4. Dec. 3. *Q. Fabius Cos. poſtquam vidit prærogativam dixiſſe Conſules T. Octacilium & M. Æmilium Regulum, ſilentio facto, eam concionem habuit*; quæ extat illo loco apud Livium. Sin legum comitia eſſent, antequam populus in ſuffragium mitteretur, primum lex recitabatur a præcone, ſubjiciente ſcriba: tum oratione docebatur populus: denique rogabatur, ut eam legem accipere & ſuffragiis ſuis jubere vellet. Quod Cic. li. 3. de Leg. ſignificat, cum ita ſcribit: *Lex recitata eſt: diſce rem, & tabellam jubebo dari.* Illic enim Cicero ſe fingit legiſlatorem: & quaſi legum rogationes imitaretur, illa verba adſcripſit. Quod vero a præcone, ſubjiciente ſcriba re-
E citarentur, ſcribit Aſconius in argumento orationis pro C. Cornelio: & Appian. lib. 1. Bell. Civil. & Plutarch. in vita Catonis Uticen. Ex quibus etiam auctoribus intelligi poteſt, poſt trinundini promulgationem oportuiſſe, ut etiam die comitiorum rurſus recitaretur lex, haberenturque orationes ſuadendi & diſſuadendi cauſa. Extat etiam apud Livium 1. lib. Decad. 4. concio Ser. Sulpitii, priuſquam centurias in ſuffragium mitteret ad bellum Macedonibus indicendum. At ſi judicii cauſa comitia haberentur, idem fiebat, quod in legibus ferendis. Judicium enim populi lege lata fiebat: quæ ſi acciperetur a populo, condemnatus erat reus: ſin antiquaretur, abſolveba-
F tur: quemadmodum ſupra nobis oſtenſum eſt. Erat autem omnium actionum cum populo commune principium: *Velitis, jubeatis, Quirites*: ut ex Cicerone pro domo ſua, & multis locis Livianæ hiſtoriæ intelligi poteſt. Ex qua dicendi formula nomen ortum eſt rogationis omnibus cum populo actionibus commune. His peractis jubebat magiſtratus populum in ſuas centurias diſcedere ad ſuffragium ferendum: idque populus ita faciebat, niſi hic obnunciatum eſſet, aut ab aliquo magiſtratu interceſſum. De obnunciatione ſatis multa ſupra dicta ſunt: de interceſſione nunc pauca dicenda. Interceſſio tametſi pene tota Tribunorum plebis eſſet, ut qui, quemadmodum ſcribit Gellius lib. 13. cap. 12. creati antiquitus viderentur, non juri dicundo, nec cauſis querelisque de abſentibus noſcendis, ſed interceſſionibus faciendis: tamen aliis etiam magiſtratibus pro ſuo imperio conveniebat. Unde in legibus Ciceronis ſcribitur: *Par majorve poteſtas plus valeto.* Qua lege ſignificatur, parendum eſſe interceſſioni paris aut majoris poteſtatis: unde efficitur intercedendi jus fuiſſe collegis inter ſe & majoribus poteſtatibus. Quare Conſules inter ſe, Prætoreſque & Tribuni intercedebant. Et conſules cæteris magiſtratibus non modo intercedere poterant, ſed etiam jus habebant ab omnibus magiſtratibus & comitiatum & concionem avocandi, ut docet Meſſala apud Gellium libr. 13. cap. 14. In quo tamen excipiendi ſunt Tribuni plebis, quorum actionibus interceſſione impediendis ſoli collegæ jus habebant. Dionyſius lib. 10. ita ſcribit: *Nihil enim eorum quæ a Tribunis plebis fiunt, vetari aut impediri poteſt ab ullo alio, quam ab uno ex collegis:* Et apud eundem Dionyſium lib. 7. verba L. Bruti Ædilis plebis ad Conſules hæc ſunt: *Nunquid meminiſtis in pacanda ſeditione, per vos id nobis conceſſum eſſe, quando Tribuni plebis concilium plebis advocarint de re quavis, non adfuturos patritios nec concilium obturbaturos?* Quin etiam Dionyſius lib. 7. ſcribit a Sp. Licinio Tribuno plebis altero anno poſt primos Tribunos plebis legem perlatam hujuſmodi: *Tribuno cum plebe agente nemo contradicat, nemo ſermonem interrumpat. Qui contra fecerit, Tribunis vades dato mulctæ quam hi dixerint ſolvendæ. Qui vades non dederit, extremo ſupplicio plectitor: ejuſque ſacra eſto omnis pecunia.* Tribunis autem omnibus magiſtratibus intercedere licebat; quia intercedendo major iis poteſtas erat, quam reliquis omnibus magiſtratibus in agendo. Quo fit, ut ceſſantibus omnibus imperiis, creato Dictatore, adhuc intercedendi poteſtas Tribunis plebis relinqueretur, ut ſcribit Plutarchus in Probl. Quo etiam in loco ſcribit propter illam intercedendi poteſtatem, Tribunos plebis verius imperii ſolutionem habuiſſe, quam imperium: ut qui in impediendo plurimum poſſent, in imperando parum. Et Sylla Dictator, quanquam Tribunitiam poteſtatem valde minuiſſet, detracta poteſtate agendi cum populo, gerendique poſtea alterius magiſtratus, interceſſionem tamen reliquit, ut Cicero ſcribit tertio de Legibus. Erat autem intercedere, id, quod vulgo dicimus, ſe opponere. In quo verbum ſolenne erat: *Veto*: ut oſtendit Livius lib. 6. 1. Decad. his verbis, quæ ſunt Sextii Trib. plebis: *Bene habet, quandoquidem tantum interceſſionem pollere placet, iſto ipſo telo tutabimur plebem. Agite dum, comitia indicite patres Tribunis militum creandis. Faxo ne juvet vox iſta, Veto, qua nunc concinentes collegas noſtros tam læti auditis.* Ac cæteris quidem in rebus quæ vel a Senatu, vel a magiſtratibus publice fiebant, interceſſionem locum habuiſſe nemo ignorat: in comitiis vero centuriatis an locum habuerit & quando interponi ſolerent, magis dubium eſt. Itaque in eo explicando aliquandiu immorabimur. In magiſtratuum Centuriatis comitiis locum habuiſſe interceſſionem Tribunorum plebis indicat Livius lib. 7. 1. Decad. *In ſecundo interregno orta contentio eſt, quod duo Patritii Conſules creabantur: intercedentibuſque Tribunis, Interrex Fabius ajebat in 12. tabulis legem eſſe, ut quodcunque poſtremum populus juſſiſſet, id jus ratumque eſſet. Juſſum populi & ſuffragia eſſe. Cum intercedendo Tribuni nihil aliud, quam ut differrent comitia, valuiſſent.* Et Dionyſius ad finem libri 8. *Quando vocabant Conſules populum, ut Conſules crearent, Tribuni plebis quibus impediendi erat poteſtas, intercedebant: itaque comitia dirimebantur.* Et Florus in Epit. T. Livii lib. 105. *Cum C. Catonis*

Tribuni pl. intercessionibus comitia tollerentur, Senatus vestem mutavit. Hoc vero efficiebat intercessio Tribunorum, non ut populum vocare non posset Consul, quod nemo ei vetare poterat, sed ne quid his comitiis suffragiis populi peragi posset. In legum vero comitiis tam certum est intercessioni locum fuisse, ut ejus rei probationem subjicere supervacaneum videatur. Illud, quod magis dubium est, potius explicandum: intercedere solitos magistratus, non cum lex promulgabatur trinundino, sed eo die quo ferebatur. Neque enim Tribuni vetare poterant, ne quisquam concionem haberet promulgandæ suæ legis causa: sed ne populus acciperet legem, quæ inutilis aut perniciosa videretur. Itaque quandiu promulgabatur, licebat oratione dissuadere legem: cum vero ferebatur, intercessio interponenda erat, ne a populo acciperetur. Hinc apud Liv. lib. 5. Dec. 5. scribitur Tribunos plebis ante tempus intercessisse rogationi de bello Rhodiis inferendo, quod non exspectassent diem legis ferendæ, sed dum promulgabatur, intercedebant. Verba Livii sunt: *Cum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset: eoque persæpe evenisset, ut qui non professi essent, se intercessuros animadversis vitiis legis ex oratione dissuadentium, intercederent: & qui ad intercedendum venissent, desisterent victi auctoritatibus suadentium legem.* Poterant igitur Tribuni, cum adhuc promulgabatur lex, profiteri se intercessuros, si quis eam ferre vellet, at non ante diem lationis intercedebant. Ideoque Cicero pro Sylla scribit, L. Cæcilium Tribunum plebis non quidem intercessisse legi Agrariæ Rulli, quæ promulgata & non lata est, sed professum fuisse intercessorem se futurum. *Ex illo tempore L. Cæcilius multa de Repub. egit: Agrariæ legi, quæ tota a me reprehensa & abjecta est, intercessorem fore professus est.* Ergo die legis ferendæ intercedebatur; idque interdum maxima contentione fiebat, ut exemplis etiam apertum est. M. Octavius collega Tib. Gracchi scribam subjicere & præconem recitare vetabat: idque quo die legem suam ferebat Gracchus, ut ex historia apparet. P. Globulus legi, quam ferre volebat C. Cornelius, eodem modo intercessit. De qua contentione ita scribit Asconius: *Publ. Servilius Globulus Tribunus plebis inventus erat, qui C. Cornelio obsteret. Is ubi dies legis ferendæ venit, & præco subjiciente scriba verba legis recitare populo cœpit; & scribam subjicere & præconem pronunciare passus non est. Tum Cornelius ipse codicem recitavit.* Similem contentionem legimus inter Metellum Nepotem & M. Catonem apud Plutarchum in vita Catonis Utic. Ex iis quæ dicta sunt apparet, Tribunitiam intercessionem non modo ante inita suffragia interponi solitam, sed etiam cœptis interdum suffragiis: verum ea interruptio suffragiorum potissimum accidebat in comitiis magistratuum: quia nisi initis jam suffragiis, vix appareret in hujusmodi comitiis quicquam contra leges fieri: quæ erat causa maxima, cur se Tribuni interponerent ad impedienda comitia quæ ita fierent. Ac de intercessione quidem hactenus: cetera persequamur. Si magistratus nec obnunciatione nec intercessione impediretur, postquam populum in suas Centurias discedere jusserat ad suffragium dicendum: tum omnes qui aderant cives, quibus suffragii jus erat, discedebant in suas quisque Centurias, ut quo ordine rogabantur, suffragium dicerent. Hic ordo multis verbis supra a nobis est explicatus ex Dionysio Halicar. quantum satis erat ad intelligendum quid essent Centuriata comitia. Hic tamen ubi de modo comitiorum agimus, subtilius & magis accommodate ad posteriora Reipubl. tempora de eadem illa re dicendum est. Nam quæ a Dionysio dicuntur, veterem modo suffragiorum rationem aperiunt, quæ multifariam postea immutata est. Neque enim de

A prærogativa Centuria ulla est apud eum mentio: in qua tamen posterioribus temporibus tantum erat momenti, ut fere in quam partem inclinasset prærogativa, in eam reliquæ Centuriæ traherentur*. De qua priusquam dicamus, verba T. Livii ex libr. 1. Decad. 1. subjiciemus. *Nec mirari oportet hunc ordinem, qui nunc est post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero, Centuriis juniorum seniorumque ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire. Quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo. Nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.* B *Neque hæ tribus ad Centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere.* Hæc verba Livii quanquam obscura sint, tamen attentius perpendenti ostendere videntur, a Servio Tullio universam multitudinem Romanorum divisam fuisse in quatuor tantum tribus: ideoque non esse mirandum, si non tam multas Centurias fecisset ex illa quatuor tribuum multitudine, quam multæ postea fuerunt, cum usque eo auctus est numerus tribuum, ut trigintaquinque factæ sint. Ego igitur eo auctore sic sentio, postquam triginta quinque tribus Romæ fuerunt, hactenus servatum fuisse Servii institutum, C quod sex classes semper relictæ sunt: sed hoc mutatum est: quod in classibus auctus est numerus Centuriarum ab eo institutus: & cum Centuriæ a Servio institutæ nihil pertinerent ad tribus, factum est postea, ut per trigintaquinque tribus describerentur Centuriæ, ita ut in quaque tribu pro ratione census Centuriæ continerentur suæ cujusque classis. Quæ ne fingere videamur, singulatim a nobis demonstrabuntur. Ac primum quod dixi tribus Romanas in suas quasdam Centurias divisas fuisse, demonstrari potest ex multis T. Livii locis, in quibus juniorum & seniorum Centurias prærogativæ tribus appellat. Neque enim id esse potuit, nisi quæque tribus suas quas- D dam juniorum & seniorum Centurias haberet: præsertim cum æque omnibus tribubus obtingere poterat, ut prærogativæ esset. Tum vero ex eo, quod passim reperitur, Censores ita solitos censum facere, ut singulas tribus persequerentur: in quibus quo quisque censu, qua ætate, quo ordine esset, describeretur. Quod & Cicero videtur lib. 3. de Legibus indicare, cum hanc legem ponit de Censoribus: *Populique partes in tribus distribuunto: exin pecunias, ævitates, ordines partiunto.* Unde etiam fit ut reperiamus in hac vel illa tribu quempiam censum fuisse aut censeri debere potius, quam in hac vel illa classe. Quod si censum, ætatem, ordinesque per singu- E las tribus Censores describebant, relinquitur, ut in singulis tribubus fuisse dicamus Centurias quasdam, in quas pro censu, ætate, ordineque, qui ex eadem tribu essent, distribuerentur. Præterea Cicero pro Plancio Centuriam prærogativam appellat partem unius tribus: ex quo plures Centurias in quaque tribu fuisse consequitur. Auctum autem fuisse numerum Centuriarum ex verbis Titi Livii apparet, cum ait: *Duplicato earum numero.* Quæ verba non sic accipienda esse, quasi verum ac certum numerum multiplicationis Centuriarum definire voluerit, paulo post ostendemus. De prærogativa hoc primum F constat, eam fuisse unam quandam Centuriam ex una quadam tribu desumptam, cui sorte obtigisset, ut prima suffragium diceret. Neque enim tribus prærogativa eo appellatur, quod ea tota suffragium diceret: sed quia illius tribus cuidam Centuriæ obtigisset, ut prima vocaretur. Quod Cicero pro Plancio satis ostendit, cum Centuriam prærogativam appellat, eamque unius tribus partem fuisse dicit. Et apud T. Livium frequens est mentio Centuriæ prærogativæ. Ut libro septimo Decad. tertiæ: *Galeria juniorum, quæ forte prærogativa erat Q. Fulvium, & Q. Fabium Consules dixerat, eodemque jure vo-*

catæ reliquæ inclinasſent, ni Tribuni plebis ſe interpoſuiſſent. In iis verbis Galeria nomen eſt tribus, ex qua erat ea juniorum Centuria, quæ fuit prærogativa. Sorte autem prærogativam Centuriam fieri verba Ciceronis in ſecunda Philippica oſtendunt: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies. Sortitio prærogativæ quieſcit*. Et apud Titum Livium libro quarto Decad. tertiæ: *Eo die cum ſors prærogativæ ante juniorum exiſſet*. Ex quibus etiam verbis colligi poteſt, eo genere ſortis in hac re uſos fuiſſe Romanos, ut in ciſtam quandam ſortes conjicerent: cujus autem Centuriæ ſors prima exiſſet, ea prærogativa erat. Quod ſi prærogativa erat una quædam Centuria ex quadam tribu ſorte deſumpta, neceſſe eſt, ut prima ſortitio fieret inter tribus, deinde altera inter Centurias ejuſdem tribus. Ac tribus quidem quæ prima exiſſet, ea erat, unde deſumenda eſſet Centuria prærogativa: ſed quoniam multæ erant in ea tribu Centuriæ, neceſſe erat ut rurſus inter Centurias ſortitio fieret. Verum hic jam locus eſt dubitationi, an Centuriæ ejuſdem tribus tantum duæ eſſent ætate modo diſtinctæ, ut una juniorum eſſet, altera ſeniorum abſque ulla diſtinctione ordinis aut cenſus: an vero plures ordinibus, cenſu, ætateque diſtinctæ, ita ut eſſent quædam equitum, quædam peditum Centuriæ, & rurſus quædam primæ, quædam ſecundæ claſſis, & ita deinceps reliquarum, & rurſus ſingularum claſſium aliæ juniorum, aliæ ſeniorum. Ac prior quidem hujus quæſtionis pars videtur confirmari poſſe ex eo, quod paſſim apud Livium reperitur in prærogativa tribu Centuria juniorum & ſeniorum, quaſi opponat tantum unam juniorum uni ſeniorum. Ut libro 6. Decad. 3. *prærogativa Centuria juniorum T. Manlium Torquatum Conſulem dicit. Torquatus Conſulatum reſpuit, rogatque Conſulem, ut jubeat Centuriam juniorum in ſuffragium redire. Tum Centuria*, inquit Livius, *& auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu, petit a Conſule, ut Centuriam ſeniorum citaret, velle ſeſe cum majoribus natu colloqui*. Ex iis verbis nonne videtur poſſe colligi, in tribu prærogativa duas modo fuiſſe Centurias, unam juniorum, alteram ſeniorum, inter quas ſors duceretur utra prior ſuffragium diceret? Verum ne ita eſſe credamus, multa efficiunt. Primum, quod nuſquam legimus Romanos ita per Centurias diſtinctos fuiſſe, ut abſque ulla diſtinctione ordinum & cenſus una Centuria deſcriberentur, facta tantum ætatum diſtinctione. Neque enim id conſentaneum eſt prudentiæ Romanorum, propter prærogativæ tantum auctoritatem, factam fuiſſe hujuſmodi in duas Centurias ſingularum tribuum diviſionem, quæ ad nullum alium uſum valere poſſet. Nam tributo conferendo conſcribendiiſque militibus, opus erat illa Centuriarum deſcriptione, quæ ordinibus, cenſu, ætateque dictinctæ erant, ut ſatis apparet ex iis, quæ ſupra diximus de claſſium inſtitutione. Itaque ad eum modo uſum hæc diviſio tribuum in binas Centurias inventa eſt, ut in comitiis Centuriatis jure prærogativæ eſſet quidem tribuum vis aliqua: ne tamen viderentur ex aliqua parte non eſſe Centuriata, idcirco has binas ætatis modo diſtinctione Centurias factas fuiſſe in ſingulis tribubus. Quaſi vero non æque poſſet prærogativæ jus per Centurias claſſium conſervari, ut inter eas ſortitio fieret, quæ prima roganda eſſet neglecto jure ordinum, cenſus & ætatis. Deinde vero ſi propter jus prærogativæ hanc ſingularum tribuum in duas Centurias diviſionem ponamus, poſtquam prærogativa ſuffragium dixerat, neceſſe erat populum, qui expectanda ſorte prærogativæ in binas has Centurias ſe diviſerat, omnem ordinem mutare, ut diſcederet in claſſium Centurias cenſu, ordine, ætateque diſtinctas. Poſt prærogativam enim prima claſſis vocabatur, ut ait Cicero 2. Philip.

Unde efficiebatur non modo tumultus confuſioque repentina diſcedentium in ſuas Centurias; ſed etiam, ut illi qui in prærogativa Centuria ſuffragium dixerant, vel iterum in Centuriis claſſium ſuffragium dicerent, vel ſublata dimidia tribus parte non modo reliquæ Centuriæ ejus tribus infrequentes redderentur, verum etiam ut ætate minime diſtinctæ eſſent: quandoquidem in prærogativa Centuria jam omnes juniores illius tribus, aut omnes ſeniores, prout ſors tuliſſet, ſuffragium dixiſſent. Poſtremo non verum eſſet, quod ait Livius, ſeniorum ac juniorum Centurias, poſtquam expletæ ſunt trigintaquinque tribus, duplicatas fuiſſe. Ut enim ſingulis tribubus binas hujuſmodi Centurias tribuamus, fierent tantum ſeptuaginta Centuriæ: qui numerus decem Centuriis minor eſt numero Centuriarum primæ claſſis: tantum abeſt, ut univerſo Centuriarum numero adjectus, duplicatum numerum faciat. Eſt igitur poſteriori parti quæſtionis potius aſſentiendum, ut dicamus in ſingulis tribubus non duas tantum Centurias, ſed plures fuiſſe: eaſque non modo ætate, ſed etiam cenſu ordineque diſtinctas. Sed hic rurſus ambigitur; utrum inter primæ claſſis Centurias tantum ſors prærogativæ fieret, an etiam aliarum claſſium Centuriæ beneficio ſortis uterentur. Budæus ſane & alii doctrina excellentes viri in ea ſententia fuerunt, ut crediderint ſortitionem prærogativæ inter Centurias primæ tantum claſſis fieri ſolitam. Quod ut credam, vix ac ne vix quidem adduci poſſum. Nam reliquas claſſes beneficio ſortis excludi iniquum fuiſſet: præſertim cum eo ſors prærogativæ inventa fuiſſe videatur, ne quiſquam eo jure excluſus videretur, quod in auctoritate prærogativæ Romani eſſe voluerunt. Id vero jus primæ tantum claſſi tribuere quorſum attinebat? quando vel abſque ſorte pro ſuo jure ſemper prima vocaretur. At dices, ante inſtitutam ſortitionem prærogativæ, primam quidem claſſem primo loco vocari ſolitam: ſed tum hanc rationem obſervari, ut equites primi vocarentur, tum ſeniorum Centuriæ, poſtremo juniorum. At inſtituta ſorte prærogativæ factum eſſe, ut ex Centuriis equitum ſeniorum & juniorum ea prima ſuffragium diceret, cui ſorte obtigiſſet: poſtquam autem prærogativa dixerat, tum reliqua comitia jure non ſorte peragebantur. In hoc refutando conſiderandum eſt, quod ubique apud auctores reperitur, prærogativæ ſortitionem inter tribus primum fieri ſolitam: quare ſi nulla tribus excluderetur beneficio ſortis, oportebat centurias equitum, ſeniorum & juniorum primæ claſſis in ſingulis tribubus fuiſſe: ita ut in quaque tribu una minimum eſſet equitum Centuria, & plures ſeniorum ac juniorum. Nam auctum fuiſſe numerum Centuriarum equitum, non etiam peditum, haud veriſimile eſt. Porro autem auxiſſe numerum Centuriarum primæ claſſis, non etiam cæterarum, quid aliud fuiſſet, quam multo magis in primores vim omnem ſuffragiorum derivare? Quod ſane periniquum fuiſſet, nec unquam plebs id paſſa eſſet. Oportuit igitur & cæterarum claſſium fuiſſe quaſdam Centurias in ſingulis tribubus. Itaque non poteſt hæc ratio eſſe, cur beneficio ſortis excluderentur reliquæ claſſes, quod non eſſent in ſingulis tribubus earum claſſium quædam Centuriæ, ſicut primæ claſſis. Cur igitur excludi ſe patiebantur? An ut jus ſuum retineret prima claſſis ſupra cæteras, idcirco hujus ſortis beneficio ſola utebatur? At enim ſi ita eſſet, pari ratione oportuit equitum Centurias excludere primæ claſſis peditum Centurias. Jure enim ſuo tam vocari debebant ante peditum Centurias, quam primæ claſſis Centuriæ ante cæterarum claſſium Centurias. Quare prærogativæ ſortitio tantum Centuriis equitum tribuenda fuiſſet. Atqui ex iis, quæ ſupra diximus, planum eſt, ſeniorum juniorumque Centurias beneficio prærogativæ uſas fuiſſe. Quinetiam ſeniorum Centuriæ excluſiſſent, iſta quidem ratione, juniorum Centurias: quandoquidem tam jure ſuo priores erant, quam prima claſſis ſupra cæteras.

Verius igitur est, non modo primæ classis Centurias beneficio sortis uti, sed etiam aliarum classium. Unde sequitur, quod ait Livius, duplicatum numerum Centuriarum fuisse, pro justo numero non esse accipiendum. Nam si classium Centuriæ per tribus distributæ erant, ut probatum est: ac secundæ classis, verbi gratia, Centuriæ non excluderentur beneficio sortis: oportebat in singulis tribubus minimum duas esse secundæ classis Centurias, unam juniorum, alteram seniorum, ut esset inter ejus classis Centurias distinctio. Quare in trigintaquinque tribubus essent septuaginta Centuriæ secundæ classis: quæ erant tantum viginti ex instituto regis Servii. Unde apparet non duplicatum modo numerum, sed triplicatum, & eo amplius fuisse. Quod vero dixi in secunda classe, idem in tertia, quarta & quinta intelligendum est. Neque enim justa ulla ratio reddi potest, cur potius in singulis tribubus dicamus fuisse secundæ classis quasdam Centurias, quam tertiæ, quartæ aut quintæ. Nunc vero si simul jungas secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ classis Centurias, quæ erant per trigintaquinque tribus distributæ, efficientur minimum quater septuaginta, hoc est, ducentæ octoginta Centuriæ. His vero ducentis octoginta Centuriis opponendæ sunt plures numero Centuriæ primæ classis conjunctæ cum Centuriis equitum: alioqui non fuisset relicta vis suffragiorum penes primores, nisi numero Centuriarum vincerent cæterarum classium Centurias. Quare primæ classis una cum Centuriis equitum oportebat plures esse Centurias quam bis centum octoginta: quæ erant instituto Servii nonaginta octo: peditum quidem primæ classis octoginta Centuriæ, equitum vero octodecim. Ex iis perspicuum est quod ait T. Livius, duplicatum numerum Centuriarum, non posse accipi pro justo numero, sed speciem pro genere positam esse. Illud igitur jam certum est, populum Romanum sic in tribus fuisse divisum, ut in singulis tribubus distinctæ essent Centuriæ per classes: inter quas ejusdem tribus sic distinctas Centurias sors ducebatur, ut cui omen obtingeret prima suffragium diceret. Cui autem obtigisset, sive equitum sive peditum, sive primæ, sive secundæ, tertiæ, quartæ aut quintæ classis, sive seniorum sive juniorum esset; ea prærogativa dicebatur. Sane, ut certo definiamus quot essent cujusque classis centuriæ in quaque tribu, fieri non potest. Id modo ex iis, quæ dicta sunt, affirmare possumus, minimum duas fuisse in quaque tribu Centurias secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ classis, ut una esset juniorum, una seniorum. Unde etiam apud Livium in eo quem citavimus loco, cum opponitur una juniorum uni seniorum, interpretor de binis secundæ, tertiæ, quartæ, aut quintæ classis Centuriis, quæ in Galeria tribu erant: quarum alteri sors prærogativæ obtigisset. Id quoque pro certo accipiendum, nunquam ita auctum fuisse numerum Centuriarum in inferioribus classibus, quin simul auctus sit numerus Centuriarum primæ classis: alioqui vis suffragiorum primoribus detracta fuisset. At enim quot omnino in quaque tribu Centuriæ primæ classis essent, definire non possumus. Fortasse non erat par in omnibus numerus: sed in frequentioribus tribubus plures, in minus frequentibus pauciores.

Verum utcunque sit, attendendum semper fuit, ut universus earum numerus conjunctus cum equitum Centuriis, non esset minor reliquo numero Centuriarum. De numero etiam Centuriarum equitum incertum est, an in quaque tribu una esset Centuria an plures: in quibusdam pauciores. Sane, ut peditum Centuriæ per tribus describebantur; ita in censu per singulas tribus habendo, equitum qui essent in singulis tribubus numerus inibatur. Neque verisimile est plus duplo auctum esse numerum Centuriarum peditum; quin simul auctus sit numerus Centuriarum equitum. Nam etiam Centurias equitum per tribus fuisse descriptas ex eo potest intelligi, quod beneficio sortis prærogativæ non excludebantur equitum Centuriæ: sortitio autem inter tribus fiebat. Itaque ut in equites cadere posset sors prærogativæ, necesse erat in singulis tribubus fuisse quasdam equitum Centurias. Unde fit, ut non integer mihi videatur locus apud T. Livium libro 3. Decad. 5. qui ita habet: *Prior Claudius causam dixit: & cum ex duodecim Centuriis equitum octo Censorem condemnasent, multæque aliæ primæ classis*. Quod enim illic duodecim facit equitum Centurias, quæ in suffragium missæ sunt, quomodo verum esse potest? Nam Servii instituto octodecim Centuriæ equitum erant, ut docet idem Livius lib. 1. & Dionysius lib. 4. Ut ergo nihil etiam dicamus additum fuisse ad numerum a Servio rege relictum, tamen non posset verum esse, illis Centuriatis comitiis, de quibus agit Livius, duodecim tantum equitum Centurias in suffragium missas. Quare necesse est, in illo numero Centuriarum equitum, mendum esse. Itaque locus ille non sufficere mihi videtur ad refutandum id quod diximus, simul cum peditum Centuriis auctum fuisse numerum Centuriarum equitum. Quod ego tamen non tam pertinaciter affirmo, ut non facile mutem sententiam, si quis aliquid certius adferat. At enim quæri potest, cur sextæ classis in hac Centuriarum descriptione nusquam mentionem fecerim? Hujus rei hæc ratio reddi potest, sextam classem, quæ Servii instituto una modo Centuria continebatur, ut nullius pene momenti erat, ita nunquam numero Centuriarum auctam fuisse, ut ejus Centuriæ per singulas tribus distribuerentur.

Quod autem nullo fere loco haberetur illa classis, argumento est, quod fere ubi apud auctores fit mentio classium, quinque classes appellantur, sexta relinquitur. T. Livius libro tertio Decad. primæ scribit: *Tricesimosexto anno a primis tribunis decem creati sunt, bini ex singulis classibus*. Et Asconius in oratione pro Cornelio. *Cæterum quidam non duos Tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque tradunt creatos esse singulos ex singulis classibus*. Ex his locis nonne apertum est, nullo prope numero habitos fuisse homines sextæ classis? ut qui in enumeratione classium, quasi nulli essent, omittantur. Sane non immerito fiebat, ut qui minimo censu erant, omnibusque oneribus publicis immunes, non essent pares in Reip. capessendæ auctoritate cum iis, in quos onera Reip. incumberent. Salustius in orat. de Rep. ordinanda ad Cæsarem scribit, C. Gracchum in Tribunatu legem promulgasse, ut ex confusis quinque classibus sorte Centuriæ vocarentur. Hæc lex tametsi perlata non sit, tamen ex eo loco apparet, si C. Gracchus homo maxime omnium popularis, qua lege vellet humilium cum primoribus in suffragiis auctoritatem æquare, sextæ classis nullam rationem habuit, eam classem nullius tum momenti fuisse. Itaque in tribubus singulis Centurias quinque classium tantum posuimus: ita ut sextam classem ex infima plebe omnium tribuum confusam dicamus: ex quo vel una, veteri Servii instituto Centuria fieret, vel summum duæ, una quidem proletariorum, altera capite censorum. Nam inter hos discrimen fuisse census munerisque ostendit A. Gellius lib. 16. cap. 10. *Qui in plebe Romana tenuissimi pauperrimique erant, neque amplius quam mille quingentum æris in censum deferebant, proletarii appellati sunt. Qui vero nullo aut perquam parvo ære censebantur, capite censi vocabantur. Extremus autem census capite censorum æris fuit 375. Sed quoniam res pecuniaque familiaris obsidis vice pignorisque esse apud Rempubl. videbatur, amorisque in patriam fides quædam in ea firmamentumque erat, neque proletarii, neque capite censi milites, nisi in tumultu maximo, scribebantur: quia*

quia familia aut tenuis aut nulla esset. Proletariorum tamen ordo honestior aliquanto & re & nomine, quam capite censorum fuit. Nam asperis Reipublicæ temporibus, cum juventutis inopia esset, in militiam tumultuariam legebantur, armaque iis sumptu publico præbebantur: & non capitis censione, sed prosperiore vocabulo, a munere officioque prolis edendæ appellati sunt, quod cum re familiari parva minus possent Rempub. juvare, sobolis tamen gignendæ copia, civitatem frequentarent. Capite censos autem primus C. Marius milites scripsisse traditur, cum id factum ante nulla memoria extaret. Ex iis verbis intelligi potest, fuisse in tabulis Censoriis seorsum descriptos proletarios a capite censis, quasi ordinis diversi essent, ut sæpe alii in militiam legerentur, cum alii relinquerentur. Sed tamen ex hac diversitate ne factas fuisse duas Centurias credam, eo adducor, quod ætatis distinctione video reliquarum classium Centurias factas, non hujusmodi quadam diversitate, qualis erat inter capite censos & proletarios. Ego itaque potius existimo una modo Centuria semper contentam fuisse sextam classem: quæ tamen, ut supra ostendimus, nullo propemodum numero haberetur. His ita positis, facile erit cætera de prærogativa persequi. Cicero pro Muræna, & lib. de Divin. 1. scribit majores voluisse prærogativam omnem esse justorum comitiorum: tantamque comitiis Centuriatis religionem fuisse, ut fere semper valuerit omen prærogativum. Ex quibus perspici potest Romanos plurimum momenti tribuisse prærogativæ. Quæ fuit causa, ut sorti committeretur: ne scilicet id in quo tantum erat in suffragiis momenti, ut fere reliquis Centuriis præscribere videretur quod sequeretur, semper esset penes eosdem: sed id jus usurparet, cui sors dedisset. Itaque detractum est de jure equitum, quorum Centuriæ primæ, instituto Servii, vocandæ erant, ut omni populo communicaretur, beneficio sortis: eaque ratione plebs minus moleste ferret primorum in suffragiis vim ac potestatem, quæ Servii instituto eis attributa fuerat. Quoniam autem prima sors prærogativæ inter tribus fiebat, secunda inter Centurias ejusdem tribus, beneficioque sortis utebantur tam equitum quam peditum Centuriæ, propterea interdum usuvenire poterat, ut sors cum jure conveniret: ut scilicet equitum Centuria prærogativa esset. Quæ postquam suffragium dixerat, reliquæ equitum Centuriæ vocabantur, & deinde classes suo quæque ordine. In quo omnia fiebant jure, eo modo, quo erant a Servio instituta. Interdum contra usuveniebat, ut sors in quandam Centuriam peditum, eamque ex quinta vel quarta, vel alia classe, vel juniorum vel seniorum. Atque illa postquam suffragium dixerat, tum vocabantur equites, ac postremo classes suo quæque ordine. Ac prius quidem quam expletæ essent triginta quinque tribus in comitiis Centuriatis habendis, nulla tribuum habita ratione, populus per classes se dividebat, singulasque classes per Centurias. At postquam Tribus triginta quinque fuerunt præsertimque cum civium ingenti multitudine frequentes fuerunt, ut erant postremis Reip. temporibus, quibus omnes Italiæ socii in tribus Romanas recepti erant, populus suffragium initurus, in tribus discedebat, haud secus quam in Tributis comitiis. Verum id diversum erat, quod ejusdem tribus homines rursus se in suas quasque Centurias dividebant, ut centuriatim suffragium dicerent: cum in Tributis comitiis nulla fieret hujusmodi Centuriarum distinctio, sed confuse omnes ejusdem tribus suffragium dicerent. Unde fiebat, ut in Centuriatis comitiis, non tota tribus simul suffragium diceret, sed illæ modo Centuriæ, quæ ejus classis essent, cujus esset suffragium inire. Veluti cum equites vocabantur, ea modo Centuria, quæ equitum esset, ex tribu desumebatur ad suffragium dicendum, reliquæ

A vero ejusdem tribus Centuriæ post pro ordine classium vocabantur. At in Tributis tota tribus semel suffragium suum ferebat. Quod vero dixi, comitiis Centuriatis populum in tribus divisum fuisse, ut ex eo probari potest, quod passim apud auctores reperimus vocatas ad suffragium tribus, cum tamen de comitiis Centuriatis loquantur. Cicero pro Plancio de comitiis loquens, habitis a M. Crasso Cos scribit vocatas fuisse tribus latumque ita suffragium. Atqui paulo post ostendit ea comitia fuisse Centuriata. Eadem in oratione scribit legem a Crasso latam, qua cavebatur, ut ex iis tribubus accusator ederet judices, quos per corruptionem tulisse reus B diceretur. Quod si hæc lex communis (ut erat) omnibus magistratuum comitiis fuisse, concedatur, necesse est, ut etiam Centuriatis comitiis dicatur quis, has vel illas tribus tulisse. Quod aliter accipi non potest, quam hujus vel illius tribus Centurias quempiam tulisse: id quod perspici non potuisset, nisi diviso per tribus populo. Argumentum etiam hujus rei duci potest ex eo, quod scribit Svetonius de Cæsare, solitum eum circum tribus libellos mittere ad commendandos candidatos, quibus favere vellet. Nam si per tribus divisus non fuisset populus, quomodo circum tribus misisset libellos in C comitiis? Certissimum vero argumentum ex eo duci potest, quod apud Livium & Asconium legimus prærogativam tribum & jure vocatas, ubi de comitiis Centuriatis agitur. Nam quomodo prærogativam tribum intelligere possis, nisi populum facias in tribus distinctum, inter quas sors duceretur, ut ea cui obtigisset, prima suffragium iniret? Et quomodo jure vocatas in tribus comitiis Centuriatis locum habuisse concipies, nisi populum in tribus divisum concedas? Verum, ut prærogativa tribus, quæ prima dicit suffragium, non tota confuse suffragium dicit, sed centuriatim: ita reliquæ tribus quoniam ita vocabantur, ut ex singulis Centuriæ, ut D quæque maximi census erant, vocarentur, propterea jure vocatæ dicuntur. Unde etiam apud Ciceronem in secunda oratione in Rullum, extremæ tribus suffragiorum appellantur pro extremis tribuum suffragiis, jure tamen & per Centurias vocatarum. Nam illic mentio est de comitiis Centuriatis, quibus ipse Consul creatus erat. Divisus igitur erat Centuriatis comitiis populus in tribus, sed suffragia inibantur centuriatim. Atque ita post prærogativam prima classis vocabatur, quemadmodum scribit Cicero 2. Philipp. hoc est, per singulas tribus Centuriæ, quæ primæ classis erant, suffragium inibant. In quo obiter animadvertendum est, cum Cicero illic primam E classem post prærogativam suffragium dixisse scribit, simul appellatione primæ classis comprehendisse equitum Centurias, quemadmodum usitatum erat, ut ex Dionysio supra ostendimus. Perpendenda etiam nobis hoc loco sunt verba Ciceronis lib. 3. de Leg. ubi de comitiis Centuriatis loquitur: *Descriptus enim populus censu, ordinibus, ætatibus, plus ad suffragium consilii, quam fuse in tribus convocatus.* Quod enim ait censu descriptum populum, id pertinet ad classes, quæ censu inter se distinctæ erant eo modo quo supra diximus. Quod ait ordinibus, id ad equitum Centurias pertinet & peditum. Quod denique ait ætatibus, ad seniorum juniorumque Centu- F rias referendum est. Quæ ut apertius intelligantur, paulo altius de multiplici civium inter se distinctione dicendum. Primam divisionem universi populi in duas partes fuisse reperio, in Patricios, & Plebeios: in quo erat generis distinctio tantum. Nam Patricii erant, qui genere erant nobilissimi, cujuscunque census ordinisve essent: Plebeii vero reliqui cives genere non adeo illustres. Quod vero dixi, cujuscunque census ordinisve essent, eo pertinet, ut intelligamus nihilominus Patricios divisos fuisse per classes pro censu cujusque; & quosdam in Senatorio, quosdam

in equestri ordine, quosdam etiam inter pedites nihilominus fuisse. Nam quosdam Patricios fuisse ordinis equestris Cicero pro Muræna ostendit, cum ait patrem Ser. Sulpitii equestri loco fuisse: quem tamen eadem oratione dicit Patricium fuisse. Quosdam vero pedites fuisse docet Livius libro 3. Dec. 1. cum ita scribit: *Magistrum equitum dicit L. Tarquinium Patriciæ gentis, sed qui stipendia pedibus propter paupertatem fecisset*. Unde fit, ut hæc per genera distinctio nihil ad comitia Centuriata pertineret; sed alium usum habebat in Republica. Veluti ad interregem prodendum, quem Patricium esse, & a Patriciis prodi oportebat: ad sacerdotes cooptandos, quorum alios oportebat esse Patricios, alios dimidia ex parte Plebeios & Patricios, ut Cicero scribit pro domo sua, denique ad quosdam magistratus faciendos. Nam Patriciis non licebat ullum magistratum Plebeium gerere, ut Tribunatum & Ædilitatem plebis. Alia fuit per ordines varios divisio. Atque una quidem fuit bipartita divisio, omnes cives complexa in equites & pedites: quæ proprie ad comitia pertinebat. Centuriatis enim comitiis populus distinguebatur in Centurias equitum & peditum. Et quanquam esset alia ordinum distinctio, ut alii essent ex Senatorio ordine, alii ex equestri, alii ex ordine Tribunorum ærarii, alii ex ordine scribarum, alii ex ordine Libertinorum: ad alios tamen usus pertinuisse hanc ordinum distinctionem existimo, quam ad comitia Centuriata. Itaque Centuriatis comitiis populus cæteris ordinibus neglectis, illa modo ordinum distinctione utebatur, ut equitum aliæ essent Centuriæ, aliæ peditum. Nam si comitia Centuriata per Centurias ita absolverentur, ut unaquæque unum suffragium faceret, necesse est, si illorum etiam ordinum his comitiis habitam rationem dicamus, ut simul concedamus Centurias quasdam fuisse Senatorum, Scribarum, Tribunorum ærarii & similium, easque distinctas a Centuriis equitum & peditum: quod tamen falsum est. Nam horum ordinum quasdam fuisse decurias legimus, Centurias nusquam. Jam vero demonstratum est, Centuriatis comitiis populum in tribus discedere solitum. Oportebat igitur, si illorum ordinum ratio haberetur, in singulis tribubus fuisse quasdam Centurias illorum ordinum. Quare Tribunorum ærarii faciendæ erant trigintaquinque Centuriæ, totidemque Senatorum & scribarum: quod & falsum & ineptissimum est. Quis enim concedat Tribunos ærarii fuisse plusquam ter mille & quingentos? Quis tot Senatores scribasque? Aut quis admittat præter Centurias classium fuisse alias plusquam centum Centurias, in quibus non esset ætatis & census ulla distinctio? Erat igitur ad alios usus Reipub. necessarios hæc ordinum distinctio inventa: & ad rationem comitiorum nihil attinebat. Dicendum ergo est, fuisse quidem in singulis tribubus quosdam qui ex illis ordinibus erant, sed cum suffragium dicere vellent, in suas Centurias discedebant, vel equitum vel peditum, ac pro ætate in juniorum vel seniorum Centurias. Sane diebus comitialibus Senatum habere, non alia ratione vetabatur, quam ut ne ullus civium avocaretur a suffragio. Itaque Senatores etiam comitiis, si vellent, intererant, non modo ut administri essent comitiorum, sicut in comitiis, quibus ab exilio revocatus est Cicero, sed etiam ut suffragium dicerent: quod aperte locus Varronis ex lib. 3 cap. 4. de re Rust. demonstrat, qui ita habet: *Comitiis Ædilitatis cum sole caldo, ego atque Appius Senator Tribulis suffragium tulissemus*. Verum eos in Centurias vel equitum vel peditum discedere oportebat eodem modo, quo cæteros cives. Equitum enim Centurias ex primoribus civitatis, Servii instituto conscribi oportebat: nec vetabat quenquam Senatorem esse, & in iis tamen Centuriis numerari, quæ belli causa institutæ fuerant. Onere enim belli Senatores nemo dicere audeat immunes fuisse. Et prius quidem quam Senatores ex censu maximo esse cœperunt, quod postremis temporibus factum dicit Plinius in procemio libri 14. ego a Cæsare Dictatore primum factum ex historia confirmo: Senatores erant multi, qui non valde magnum censum habebant: quemadmodum intelligi potest ex eo, quod ex quinque classibus Tribunos plebis factos Livius scribit. Nam qui Tribuni plebis fuerant, non modo in Senatum legebantur post Atinium plebiscitum, ut ait A. Gell. lib. 14. cap. ultimo, sed etiam ad magistratus majores postea pervenire poterant: & tamen vel quintæ tantum classis censum habebant. Ergo qui censu quintæ classis, verbi gratia, erant, nonne vel seniorum vel juniorum Centuriis continebantur? Et quia minimi census erant, necessario oportebat, suffragium si ferre vellent, in quinta classe suffragium dicere. Verissimum igitur est, quod diximus, qui ordinis Senatorii erant, non minus si suffragium ferre vellent, equitum vel peditum Centuriis adscribi oportuisse. Quare quod ad comitia Centuriata attinet, ordinum nulla distinctio facienda, nisi in equites & pedites. Cumque Cicero dicit descriptum ordinibus populum, non alii ordines intelligendi sunt quam equitum & peditum. Alia divisio erat per censum, hoc est, civium in classes, pro ratione census cujusque: de qua divisione satis multa sup. dicta sunt. Unum modo est, quod de censu primæ classis ambigi potest. Plinius enim lib. 33. cap. 3. dicit primæ classis censum sub Servio Rege fuisse centum ac decem mill. æris. Gellius libro 7. cap. 13. dicit 100. & 25. millium æris classicorum censum fuisse. Livius vero & Dionysius centum millium: tantum faciunt censum primæ classis. Sane, nisi corrupti sunt Plinii Gelliique codices, nihil habeo quod in tanta auctorum diversitate dicere possim: nisi inter Romanæ historiæ scriptores veteres, unde hi desumpserunt, non bene convenisse in ea re, ut in multis aliis, dicamus. Alia per ætates divisio erat inter peditum tantum Centurias: quarum aliæ erant seniorum, aliæ juniorum, idque in unaquaque classe. In quo A. Gellii verba adscribam ex libro 10. cap. 28. *Tubero in historiarum primo scripsit, Servium Tullium regem populi Romani, cum illas quinque classes census faciendi gratia institueret, pueros esse existimasse, qui minores essent annis septendecim. Atque inde ab anno septimo & decimo, quos idoneos jam esse Reipub. arbitraretur, milites scripsisse, eosque ad annum quadragesimum sextum juniores, supraque eum annum seniores appellasse*. Ex iis Tuberonis verbis planum est, quæ juniorum Centuriæ seniorumque & qua ætate dicerentur. Omnis igitur civium distinctio Centuriatis comitiis erat per Centurias: easque vel ordinibus distinctas, quod aliæ equitum essent, aliæ peditum: vel censu, quod aliæ primæ, aliæ secundæ, tertiæ, quartæ & quintæ classis essent, vel ætatibus, quod aliæ essent seniorum, aliæ juniorum. Et quoniam post prærogativam equitum Centuriæ prius vocabantur quam peditum, & primæ classis Centuriæ ante aliarum classium Centurias, in omnibusque classibus seniorum Centuriæ ante juniorum Centurias, propterea apud auctores reperimus, comitiis Centuriatis haberi rationem dignitatis cujusque: quod scilicet ordinum, census ætatisque ratio haberetur. Ac de prærogativa quidem & reliquo modo rogandorum suffragiorum hactenus. Nunc de reliquo modo suffragiorum dicendum. Ante leges tabellarias latas, populus voce ferebat suffragium: at postea cœpit tabella suffragium ferre. Ac voce quidem cum dicebatur suffragium, erant in singulis Centuriis rogatores, qui singulorum rogabant sententias, quas palam singuli proferebant: in quam autem partem plures ejusdem Centuriæ homines inclinassent, ea totius Centuriæ sententia censebatur; quam deinde rogator

per præconem pronunciari jubebat. Ac si magistratuum quidem comitia essent, rogabantur singuli quem vellent magistratum esse: tumque nominatim singuli appellabant, quem vellent magistratum creari. Quod idem in comitiis regis sacrorum dicendum. Sin legum comitia essent, cum populus legem accipere vellet, solebat uti his verbis solennibus, ac velut conceptis, *Uti rogas*: quibus significabat velle se, ut ita fieret quemadmodum legis rogator fieri vellet. Cum vero legem accipere nolebat, utebatur solenni verbo, *Antiquo*, quo significabat se quod rogaretur antiquare, hoc est, ne omnino fieret, vetare. Quorum omnium si quis probationem desideret, ita habeto. Ac primum nominatim appellari solitos a populo, quos vellet magistratum habere, ex omni historia Livii perspicuum est. In legibus autem ferendis illa verba solennia fuisse ex his locis apparebit. Scribit Livius libro 6. Decad. 1. *Cum primæ tribus, uti rogassent, dicerent:* quibus verbis significat, quia ejus legis plures erant rogatores, populum dixisse: *Uti rogastis*. Idem T. Livius lib. 9. Decad. 1. *Tribus omnes præter Polliam antiquarunt legem*. Et lib. 10. *Ego hanc legem, quod bonum, faustum fœlixque sit nobis ac Reip. uti rogastis jubendam censeo*. Et libro 8. Decad. 4. *Remittentibus ergo his intercessionem, omnes tribus, uti rogassent, jusserunt*. Et libro 5. Decad. 1. *Legem una plures tribus antiquarunt, quam jusserunt*. Et libro decimo, Decad. 3. *De pace uti rogassent, omnes tribus jusserunt*. Et libro 1. Decad. 4. *Rogatio de bello Macedonico, primis comitiis ab omnibus ferme Centuriis antiquata est*. Et paulo post: *Ac hac oratione in suffragium missi, uti rogarat, bellum jusserunt*. Cicero 2. de Legib. *Suade igitur si placet, istam ipsam legem, ut ego, uti rogas, dicere possim*. Et libro tertio: *Vos quidem, ut video, legem antiquastis sine tabella*. Ex iis, opinor, locis satis apparet, iis verbis velut conceptis, legem juberi aut vetari solitam. Hæc ratio ferendi per vocem suffragii usque ad annum urbis 615. perduravit. Eo vero anno, quo erant Coss. C. Calphurinus Piso, & M. Popilius Lenas, Tribunus plebis fuit Gabinius quidam, a quo primum lata est lex, ut populus in mandandis magistratibus tabella uteretur. Biennio post Consulibus M. Æmilio Lepido, C. Hostilio Mancino, L. Cassius Tribunus plebis legem tabellariam de judiciis tulit: ut scilicet judices, qui adhuc voce sententiam dicebant tabella sententiam ferrent. Nomine autem judicum etiam populus intelligendus est, quoties ipse judicabat, excepto judicio perduellionis: in quo tabellam populo dederat Cassius: in aliis de mulcta, non de capite, judiciis, tabellam populo dederat. Verum in judicio perduellionis data est postea populo tabella a Cælio quodam Tribuno plebis. In legibus vero ferendis, voce usus est populus usque ad Tribunatum C. Carbonis, qui fuit anno urbis 625. Consulibus C. Sempronio Tuditano, & M. Aquilio: quo anno C. Papyrius Carbo legem tulit de legibus tabella jubendis ac vetandis. Quæ omnia possunt ex Cicerone confirmari, cum ita scribit tertio de Legibus: *Sunt enim quatuor leges tabellariæ, quarum prima de magistratibus mandandis: ea est Gabinia, lata ab homine ignoto ac sordido. Secuta biennio post Cassia de populi judicio: ea a nobili homine lata L. Cassio, sed (pace familiæ dixerim) dissidente a bonis, atque omnes rumusculos populari ratione occupante. Carbonis est tertia de jubendis ac legibus vetandis, seditiosi atque improbi civis: cui ne reditus quidem ad bonos, salutem a bonis potuit afferre. Uno in genere relinqui videbatur vocis suffragium, quod ipse Cassius exceperat perduellionis. Dedit huic quoque judicio Cælius tabellam; docuitque quoad vixit, se ut opprimeret C. Popilium, nocuisse etiam Reipub.* Hæc Ciceronis verba satis aperta sunt, ut quæ de legibus tabellariis diximus, vera esse demonstrari possint. Quod autem de

A tempore earum legum latarum dixi, partim ex Cicerone, partim ex historia colligi potest. Cicero in Bruto dicit legem Cassiam latam Lepido & Mancino Coss. Idemque lib. de Leg. 3. & lib. de Amicitia, dicit Gabiniam latam fuisse biennio ante Cassiam: unde facile est videre, quibus Coss. lata sit Gabinia. De tempore autem legis Papyriæ constat primum ex historia C. Carbonem eo anno Tribunum plebis fuisse, quo mortuus est Africanus minor. Atqui Cicero lib. 2. de Nat. deor. ait mortuum Africanum Tuditano & Aquilio Coss. ex quo consequitur, legem tabellariam Carbonis eo anno latam fuisse. Tempus etiam legis Cæliæ eodem modo intelligi potest. B Cicero enim significat eo anno latam legem a Cælio, quo C. Popilius in exilium abiit. Atqui ex historia Plutarchi constat exilium Popilii fuisse in primo Tribunatu C. Gracchi. Quare necesse est, Cælium eodem anno fuisse Tribunum plebis. Erat autem C. Gracchus Tribunus primum Coss. Q. Cæcilio Metello Balearico, T. Quintio Flaminio, anno urbis 631. Ex iis quæ dicta sunt, perspicuum est, usque ad legem Gabiniam perlatam populum magistratibus creandis voce usum fuisse. Postquam autem tabella ei data est, oportuit tabellam munere vocis fungi. Quare tabellis C oportuit nomina candidatorum inscribi, ut daretur iis tabella magistratus, sicut prius nominatim iis appellandis creabantur. Quod ergo erant candidati, quorum rationem haberi oportere judicatum esset, tot tabellæ unicuique de populo dabantur. Ac brevitatis quidem causa tabellis non integra candidatorum nomina scribebantur, sed primæ tantum literæ nominis cujusque. Id quod ex verbis Ciceronis colligo, cum ita scribit pro domo sua: *Is postea quam intellexit posse se interversa ædilitate a L. Pisone Consule Prætorem renunciari, si modo eadem prima litera competitorem habuisset aliquem*. Neque enim potuit ista fraus quam significat Cicero, fieri, D si primis literis convenientibus integra nomina tabellis inscripta fuissent. Sicut ergo judicibus quæ dabantur tabellæ, non integra verba continebant, sed prima tantum elementa verborum *Absolvo*, *Condemno*, *Non liquet*, A. C. N. L. ita magistratibus creandis tabellæ, quæ dabantur populo, prima tantum elementa nominum candidatorum habebant inscripta. Quod idem in sacerdotum creatione intelligendum est. In comitiis autem legum tabellæ dabantur duæ: una in qua scriptum erat, *Uti rogas*, duobus, uti opinor, elementis, V. R. altera in qua scriptum erat, *Antiquo*, una etiam litera A. Cicero lib. 1. ad Atticum epist. 9. *Operæ Clodianæ* E *pontes occuparant, tabellæ ministrabantur, ita ut nulla daretur, Uti rogas*. Porro autem tabellæ illæ non modo afferebantur a populo, sed erant, qui eas ministrarent populo suffragium inituro, quos diribitores appellabant: de quibus supra satis multa diximus. Hoc tantum nunc dicemus, jussum magistratus expectare oportuisse diribitores: ut ex Cicerone apparet, cum ita scribit 3. de Leg. *Lex recitata est: disce rem, & tabellam jubebo dari*. Diribitis tabellis succedebant rogatores, qui cistam deferebant, in quam populus tabellam suffragii conjiciebat. Postquam autem totius Centuriæ tabellæ collectæ erant, tum F educendis suffragiis adhibebantur custodes: quorum munus erat describere suffragia, ut ea Centuriæ sententia renunciaretur, in quam plures inclinasse conspicerentur. Verum de his tribus supra, cum de personis egimus, satis dictum est. Illud magis huic loco est accommodatum, ut Ciceronis verba ex 3. de Leg. examinemus: *Sed ego, etsi satis dixit pro se in illis libris Scipio, tamen libertatem istam largior populo, ut & auctoritate valeant, & utantur bonis. Sic enim a me recitata lex est de suffragiis, Optimatibus nota, plebi libera sunto. Quæ lex hanc sententiam continet, ut omnes leges tollat quæ postea latæ sunt*,

quæ tegunt omni ratione suffragium. Ne quis inspiciat tabellam, ne roget, ne appellet: pontes etiam lex Maria fecit angustos: quæ si opposita sunt ambitiosis, ut sunt fere, non reprehendo. Ex iis Ciceronis verbis apparet, post eas leges tabellarias, quas paulo ante posuimus, alias multas latas fuisse. Verum illæ, ne quis tabellam quam in cistam conjiceret, quisque de populo inspiceret, ut scilicet magis occultum esset ea ratione suffragium: tum ut ne quis esset, qui dum suffragium dicit populus, quemquam rogaret, ut cuipiam suffragaretur aut ea de re alia ratione conveniret, benigneve appellaret: illæ, inquam, leges quando latæ sint & a quibus certo nil definiri potest. At lex illa de pontibus, quoniam a Cicerone Maria vocatur, a C. Mario Trib. plebis lata fuisse intelligitur. Fuit autem Tribunus plebis C. Marius anno urbis 635. Coss. L. Cælio Metello & L. Aurelio Cotta, ut ex historia Plutarchi intelligi potest. Scribit enim in vita Marii C. Marium Tribunum plebis repugnante Cotta Consule, & pleraque nobilitate legem de suffragiis tulisse. Hanc vero legem de pontibus angustis eo Marius tulisse videtur, ne quis illic præter eum qui suffragium ferret, consistere posset ad appellandum rogandumque. His autem pontibus utebantur non modo in Centuriatis comitiis, sed etiam in tributis, ut apparet ex locis Ciceronis, in quibus de ea re mentio est. Ad Heren. lib. 1. *Cum L. Saturninus legem frumentariam de semissibus, & trientibus laturus esset, Q. Cepio, qui per id temporis Quæstor urbanus erat, docuit Senatum, ærarium pati non posse tantam largitionem. Senatus decrevit, si eam legem ad populum ferat, adversus Remp. videri eum facere. Saturninus ferre cœpit: collegæ ejus intercedere: ille nihilominus cistellam detulit. Cepio ut illum contra S. C. intercedentibus collegis adversus Remp. vidit ferre, cum bonis viris impetum facit, pontes disturbat, cistas dejicit, impedimento est, quo secius lex feratur.* Alius locus est, quem sæpe jam citavimus ex primo ad Att. *Operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ ministrabantur.* His duobus in locis agitur de comitiis Tributis, quæ in foro haberentur. Unde sequitur, pontibus usos fuisse Romanos etiam in comitiis Tributis. Tum vero multos hujusmodi ponticulos fuisse, ex verborum contextu plane intelligi potest. Et quoniam video æque in foro atque in campo fuisse, aliisque in locis, ubi tributa comitia habebantur, propterea colligo opere subitario ponticulos illos ad eum usum fieri solitos, aut sane non admodum firmo, & stabili opere factos: quos Cepio non confregisse, sed disturbasse dicitur. Porro autem ex eo Ciceronis loco id colligo, populo tabellas ministrari solitas, ut quisque ad pontes accedebat: qua ratione fiebat, ut tabella accepta per angustiam pontium omnes, qui rogare aut tabellam inspicere vellent, excluderentur. Sed unde venirent, & quo per illos pontes abscederent, non ita facile est explicare. Conandum tamen est vel conjecturis veritatem eruere. Ante leges tabellarias cum voce suffragium ferebatur, priusquam ad suffragium tribus vocarentur, seorsum erant divisæ suis quæque locis triginta quinque tribus, ut nos supra ostendimus. Cum ergo ad suffragium vocabantur, vel ex suis locis in alium locum migrabant, vel iis manentibus in suis quæque locis per ipsas tribus circumeundum erat ad colligenda suffragia. Atqui ex eo, quod vocari Centurias, adeoque introvocari passim reperimus, intelligi potest de suis locis migrasse. Quomodo enim intelligere possumus introvocatas ordine Centurias, nisi locus quidam esset quo introirent, ut quæque a magistratu vocabatur? T. Livius lib. 10. 1. Decadis: *Populus nihilominus suffragia inibat: & ut quæque introvocata erat Centuria, Consulem haud dubie Fabium dicebat.* Et paulo post: *Cum primovocatæ Q. Fabium Consulem dicerent omnes Centuriæ.* Et alio loco ejusdem lib. *Appetebat*

A *tempus comitiorum, quorum causa L. Volumnius Cos. Romam revocatus. Qui priusquam ad suffragium Centurias vocaret in concionem advocato populo, multa de magnitudine belli Hetrusci disseruit.* Et paulo post: *Fabium & prærogativa, & primovocatæ omnes Centuriæ Consulem cum L. Volumnio dicebant.* Ex iis locis apparet a magistratu habente comitia Centurias non modo vocari solitas, sed etiam introvocari. Est vero & alius apud eum locus, ex quo res omnis apertissime demonstrari potest. Verba ejus ex lib. 6. Deca. 3. hæc sunt: *Fulvius Romam comitiorum causa accersitus, cum comitia rogandis Consulibus haberet, prærogativa Centuria juniorum declaravit T. Manlium* B *Torquatum, & T. Octacilium. Manlius qui præsens erat, gratulandi causa cum turba coiret, nec dubius esset populi consensus, magna circumfusus turba ad tribunal Consulis venit, petitque ut pauca sua verba audiret, centuriamque quę tulisset suffragium, revocari juberet. Erectis omnibus expectatione quidnam postulaturus esset, oculorum valetudinem excusavit. Impudentem & gubernatorem & imperatorem esse, qui, cum alienis oculis ei omnia agenda sint, postulet sibi aliorum capita fortunasque committi: proinde si videretur, & redire in suffragium Centuriam juniorum juberet, & meminisset in Consulibus creandis, belli quod in Italia* C *sit, temporumque Reipublicæ. Vix dum requiescere aures a strepitu & tumultu hostili, quo paucos ante menses assederint prope mœnia Romana. Posthæc cum Centuria frequens succlamasset nihil se mutare sententiæ, eosdemque Consules dicturos esse; tum Torquatus: Neque ego vestros, inquit, mores Consul ferre potero, neque vos imperium meum. Redite in suffragium, & cogitate bellum Punicum in Italia, & hostium ducem Annibalem esse. Tum Centuria & auctoritate mota viri, & admirantium circa fremitu petit a Consule, ut Centuriam seniorum citaret: velle sese cum majoribus natu colloqui, & ex auctoritate eorum Consules dicere. Citatis Centuriæ senioribus, datum secreto in ovili cum* D *iis colloquendi tempus. Seniores de tribus consulendum dixerunt esse: duobus jam plenis honorum Q. Fabio & M. Marcello: & si utique novum adversus Pœnos Consulem creari vellent, M. Valerium Levinum, egregie adversus Philippum regem terra, marique res gessisse. Ita de tribus consultatione data, senioribus dimissis, juniores suffragium ineuntes, M. Marcellum fulgentem tum Sicilia domita, & M. Valerium absentes Consules dixerunt. Auctoritatem prærogativæ omnes Centuriæ secutæ sunt.* Hactenus Livius. Quæ verba si quis diligentius considerare velit, multa reperiet ad rationem comitiorum pertinentia: primum quod Centuriæ prærogativæ sententia statim renunciabatur, non E post collecta reliquarum Centuriarum suffragia. Quod etiam Cicero 2. Philip. ostendit, cum ait: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies. Sortitio prærogativæ, quiescit: Renunciatur, tacet.* Tum vero quanta esset auctoritas prærogativæ observari inde potest, quod gratulandi causa turba coiret, quasi jam certo Consul declaratus esset, qui prærogativam tulerat. Illud etiam observatione dignum, quod Centuriæ a Consule vocantur in suffragium, cum interim ipse esset in tribunali. Ex quo apparet, locum quo vocabantur ad suffragium Centuriæ, prope tribunal fuisse: itemque non ipsum Consulem rogandorum F suffragiorum causa per Centurias discurrere solitum: sed quanquam ipse sortes faceret inter tribus Centuriasque, & vocaretur ab eo per præconem quæ prima exierat, in tribunali tamen manebat, aliusque ut diximus, erat rogator Centuriæ. Quod idem ex alio etiam T. Livii loco intelligi potest. Scribit enim lib. 10. 1. Dec. de Fabio Consule habente comitia, cum jam a primo vocatis Centuriis renunciatus esset: *Fabius primo de se eadem fere quæ priore anno dicendo abnuere. Circumstare sellam omnis nobilitas, orare ut ex cœno plebeio Consulatum extraheret.* Sedebat igitur (ut hinc apparet) in sella Curuli Con-

ſul dum habebat comitia, idque in tribunali, quemadmodum locus ſuperior oſtendit. Hoc vero tribunal eſt comitiale, quod in campo Martio fuiſſe docet Capitolinus in vita Aureliani. In hoc etiam tribunali alius Conſul, ſi adeſſet comitiis, ſedere ſolebat, ut oſtendit Livius lib.9. Deca.4. ubi de Claudio Conſule ita loquitur Sempronius ejus collega, qui habebat comitia. *Quin ille ſedens pro tribunali, aut arbitrum aut comitiorum tacitum ſpectatorem ſe præberet.* Quæ ego de comitiis Centuriatis intellecta volo: nam in Tributis alium fuiſſe poſtea oſtendemus. Obſervandum etiam eſt quomodo privatus a magiſtratu petit poteſtatem habendæ concionis, alioqui in ſuggeſtum aſcendere non auſurus. Nec omittendum eſt, quod vocatas jam Centurias revocare erat in ejus poteſtate, qui haberet comitia: ut interim non cenſerentur hujuſmodi interruptionibus vitiata comitia, tametſi revocatæ Centuriæ mutarent ſententiam. At reliqua quæ ſequuntur, magis ad id, quod volumus, pertinent. Nam locus in quo Centuria prærogativa erat, nominatim appellatur ovile: in quem locum Centuriæ ſeniorum ingredi non licuiſſet, niſi poteſtate facta a Conſule. Sed id quoque obſervatione dignum, quod dimiſſos ſeniores dicit, priuſquam Centuria juniorum rediret in ſuffragium. Ex iis enim colligi poteſt Centurias, ut quæque vocabantur a Conſule, ex ſuis locis migrare ſolitas, ut propius ad tribunal Conſulis accederent in unum quendam locum cancellis undique clauſum, quod ovile propter ſimilitudinem appellaretur: in quo loco cum eſſent, ſuffragium dicebant, ita ut interim non liceret aliis eo in loco eſſe: proptereaque dimiſſi ſunt extra ovile ſeniores illi, qui juſſu Conſulis eo introducti erant. Hujus etiam loci meminit Dionyſ. lib.10. ubi de comitiis L. Quintii loquitur; & Lucanus cum ita ſcribit:

—— *Et miſeræ maculavit ovilia Romę.*

Quod vero tum fiebat, cum voce ſuffragium ferebatur, id poſtea fuiſſe immutatum, nec veriſimile eſt, nec uſquam ſcriptum reperitur. Quinetiam contra reperimus, poſt leges tabellarias locum in campo Martio cancellis clauſum, in quo eſſent qui ſuffragium dicebant: quo aliis interim ingredi non liceret. Plutarchus enim in vita Marii ſcribit, Marium in petitione præturæ ambitus ſuſpicionem dediſſe, quod ſui cujuſdam amici ſervus intra cancellos viſus fuiſſet, dum populus ſuffragium dicebat. *Quos vero tu illic cancellos intelligas, niſi hujuſmodi ovilis cujus meminimus? præſertim cum videas in his cancellis perinde non licuiſſe alicui prçter ſuffragatores & miniſtros comitiorum conſiſtere, ſicut in illo ovili non licebat.* Nam quandiu adhuc populus in campo per tribus diſtributus erat, nec dum tamen in ſuffragium vocatus, circum tribus licebat non modo candidatis, ſed etiam aliis diſcurrere, ut ex omni hiſtoria apparet. Non igitur de cancellis quibuſdam id poteſt intelligi, in quibus eſſent omnes tribus, priuſquam in ſuffragium vocarentur. Relinquitur ergo, ut de hoc ovili intelligatur. Et Cicero lib.4. ad Att. in epiſtola cujus initium eſt, *O expectatas mihi tuas literas*: oſtendit in campo Martio ſepta fuiſſe, quæ comitiis uſui eſſent: quæ ſepta Cæſar cum in Gallia eſſet, cogitabat marmorea facere, eaque excelſa porticu cingere mille paſſuum ſpacio. Hæc ego ſepta intelligo de hoc ovili, de quo agimus. Nam ſeptis incluſum populum, niſi cum ſuffragium diceret, non legimus. Et Servius ſcribit, ſepta in campo Martio incluſa tabulatis, in quibus ſtans populus ſuffragium ferret. Ovid.1. faſt.

Eſt quoque quo populum fas eſt includere ſeptis.

Et Lucanus:

Septorumque nefas, & clauſi prçlia campi.

Quodque Cæſar rurſus vellet ea ſepta porticu cingere, mihi argumento eſt, ea anguſtiora ſepta ad alium uſum fuiſſe, quam ut univerſum populum ſimul con-

A tinerent, antequam ad ineundum ſuffragium ordine vocaretur. Et in orat. pro Milone. *Quid? comitiis in campo quoties poteſtas fuit, cum ille in ſepta irruiſset?* Quod ſi poſt leges tabellarias vocatæ Centuriæ a Conſule in ovile quoddam ex ſuis locis migraſſe concedantur, non erit difficile omnem pontium rationem explicare. Nam tabellæ populo in hæc ſepta ingredienti miniſtrabantur. Sed quoniam Marius viderat, ne tabellis quidem datis, quibus omni ratione leges vellent occultum eſſe ſuffragium, ſatis repreſſum eſſe ambitum: hujuſmodi pontes inſtituit in ingreſſu ſeptorum, eoſque anguſtos, ut præter ſuffragatores aliis illic conſiſtendi locus non eſſet.

B Qua ratione excluſi ſunt omnes, qui tum maxime ad ſupplicandum populo veniebant, cum ei erat in manu tabella ſuffragii. Solet enim recentior poſtulationis memoria magis movere. Ac populo quidem ſupplicandi cauſa omnes candidati, circum tribus die ipſo comitiorum curſare poterant, quandiu diviſus per tribus populus nondum erat ad ſuffragium vocatus. Quinetiam jam quibuſdam vocatis reperimus reliquis Centuriis quoſdam candidatos ſupplicaſſe: ut apud Livium libro 10. Decad.1. Appius Claudius candidatus Conſularis populo ſupplicat, poſtquam jam primo vocatæ Centuriæ Q. Fabium Conſulem dixiſ-

C ſent. At ingredi in ovile non licebat. Sed nec ingredienti in ſepta Centuriæ ſeorſum ſupplicari voluit Marius: quo ſcilicet magis libere populus ſuffragium ferret, data ſine ulla cujuſquam poſtulatione tabella. Suum ergo quæque tribus locum in campo primum occupabant: ex quo loco cum ſuffragium dicendum erat, Centuriæ ut quæque citabantur migrabant: cumque in ingreſſu ovilis erant, illic pontes reperiebant, in quibus diribitores erant, qui tabellas miniſtrabant: quibus acceptis ſtatim ingredientibus in ovile rogatores ciſtam proponebant in quam conjicerent eam quam vellent tabellam. Nam ita potius fieri, quam expectari dum tota Centuria

D in ſepta eſſet ingreſſa, ut poſtea colligerentur ſuffragia, hac ratione adducor, quod longum admodum fuiſſet expectare, dum tota Centuria per anguſtos illos pontes in ovile ingreſſa eſſet, antequam colligere ſuffragia rogator inciperet. At Cicero 2. Philip. dicit quam citiſſime iſta fieri. De comitiis enim Centuriatis, quibus Dolabella Conſul factus eſt, ſcribit omnia citius facta eſſe quam dixit. Quæ ſane ut vera ſint, neceſſe eſt, ea ratione Centurias ſuffragium dixiſſe, quæ quam breviſſima eſſet. Atqui id multo brevius eſt, ſingulos ſimul dum per pontes introeunt in ſepta, tabellam in ciſtam conjicere, quam expe-

E ctare dum omnes ejuſdem Centuriæ ingreſſi ſint, ut rurſus omnem Centuriam percurras ad colligenda ſingulorum ſuffragia. Porro autem multos pontes ideo fuiſſe exiſtimamus, ut eſſet in ea ſepta ingreſſus ex diverſis undique partibus, quas ſeorſum ſingulæ tribus extra ſepta obtinebant. Quem enim tu uſum pontium fuiſſe exiſtimes, ſi de loco non moveri populum dicas in dicendis ſuffragiis? Aut quomodo proverbium, *Sexagenarios de ponte*, ad ſuffragia pertinere poterit, niſi ſuffragia per pontem ferri ſolita intelligas? Quid vero eſt per pontem ferre ſuffragium, niſi pontem viam eſſe, qua alicunde in alium locum migraret, qui ſuffragium dicebat? Non igitur ita col-

F ligebantur ſuffragia, ut manentibus tribubus in ſuis quibuſque locis, rogatores circumirent ipſas tribus: ſed ut diribitores tabellas dabant, cum ad pontes populus veniebat, ita rogatores tranſeuntis populi tabellas colligebant. Et, ſi conjecturis duci oportet, quinque & triginta pontes fuiſſe exiſtimaverim, ſicut erant triginta quinque tribus, quæ ex diverſis partibus centuriatim in ovile venirent. Ac de pontibus quidem ſatis: nunc de renunciatione ſuffragiorum agendum eſt. Ex iis, quæ ſupra de cuſtodibus dicta ſunt, intelligi poteſt, deſcribi ſolita a cuſtodibus ſuffragia in tabellis ſibi ad idipſum datis. Hoc

autem erat describere suffragia, tot puncta in tabella notare, quot tabellæ similes reperirentur: ut inito tandem numero ea Centuriæ sententia renunciaretur, quæ plures habere similes tabellas ex numero punctorum perspiceretur. In legibus quidem ferendis si plures reperirentur tabellæ, in quibus scriptum esset, *Uti rogas*, pauciores, in quibus scriptum esset, *Antiquo*, tum ab ea Centuria legem juberi renunciabatur. Contra vero legem a Centuria non accipi pronunciabatur, si plures scriptum haberent, *Antiquo*. At si forte pares numero tabellæ in utramque partem reperirentur, ejus Centuriæ nulla renunciabatur sententia, nisi lex esset, quæ de perduellione ferretur. In favorem enim reorum, absolvisse censebatur Centuria quæ non condemnarat. Itaque si pares essent reliquæ Centuriæ accipientium legem & vetantium, hæc accessione ad vetantes Centurias legem antiquabat, adeo ut reus absolveretur. Scribit enim Dionysius libro 7. lege cautum fuisse, ut æqualitate suffragiorum reus absolutus judicaretur. In magistratuum vero creatione numerus inibatur tabellarum, quæ idem nomen continerent. Cujus enim candidati nomen plures tabellæ comperiebantur continere, is ab ea Centuria Consul, Prætor Censorve factus renunciabatur. Sin paria suffragia tulisse omnes candidati reperirentur, nullus renunciabatur: expectandaque erant reliquarum Centuriarum suffragia. Quod vero dixi de Centuriatis magistratuum comitiis, idem in comitiis regis sacrorum intelligi debet. Hic enim pro candidatis erant duo tresve quos inaugurasset Pontifex Max. ut ex iis postea populus suffragiis suis crearet quem vellet esse regem sacrorum. Quæ ne fingere videamur, citabo locum T. Livii, unde id perspici poterit. Scribit lib. 10. Decad. 4. *De rege sacrifico sufficiendo in locum C. Cornelii Dolabellæ, contentio inter C. Servilium Pont. Max. fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duumvirum navalem: quę ut inaugurarct Pontifex, magistratu sese abdicare jubebat. Recusantique id facere, ob eam rem mulcta Duumviro dicta a Pontifice. Deque ea cum provocasset, certatum ad populum. Cum plures jam tribus introvocatæ, dicto esse audientem Pontifici Duumvirum juberent, mulctamque remitti si magistratu se abdicasset: ultimum de cœlo quod comitia turbaret intervenit. Religio inde Pontificibus fuit inaugurandi Dolabellæ. P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui secundo loco inauguratus erat.* Quod dicit Livius Siculum, qui secundo loco inauguratus erat, factum regem sacrorum, nonne manifesto demonstrat duos minimum a Pontifice inaugurari solitos? Atqui non est existimandum, satis fuisse inaugurationem Pontificis ad creationem regis sacrorum: alioqui necesse est, ut duos facias reges sacrorum. Populi ergo accedere delectum oportebat, ut perinde atque in magistratuum comitiis, qui numero suffragiorum vinceret, rex sacrorum esset. Atque ut id magis credam, facit similitudo creationis flaminis Dialis. Tacitus enim libro quarto scribit veterem rationem creandi flaminis Dialis fuisse, ut patricii confarreatis parentibus geniti tres simul nominarentur, ex quibus unus postea legeretur. Illud vero in renunciatione suffragiorum præterea considerandum est, quod sicut Centuriæ prærogativæ sententia ante vocationem aliarum renunciabatur, ita reliquarum deinceps Centuriarum, ut quæque suffragium dixerat: ac non expectabatur dum tota prima classis suffragium dixisset, ut tum demum renunciarentur suffragia. Nam ante leges tabellarias latas ita fieri, facile est ex Livio ostendere, cum scribit: *Ut quæque introvocata erat Centuria, Consulem dicebat Fabium*. Et alio loco: *Fabium & prærogativa, & primo vocatę omnes Centuriæ Consulem dicebant*. Ex iis enim verbis apparet, non simul vocari totam primam classem, sed subinde alias atque alias: quarum ut quæque introductæ erant, nisi palam renunciaretur suffragium, quomodo intellexisset se Consulem fieri Fabius ab illis primo vocatis Centuriis? Verum post tabellas populo datas idem ut fieri credam, ex eo adducor, quod necesse erat tum multo magis subinde alias ex aliis Centurias primæ classis vocari, non autem totam simul primam classem. Cum enim essent tam multæ numero Centuriæ primæ classis, ut supra ostendimus: si simul omnes suffragium ferrent, cum ostensum sit per pontes suffragium ferri, necesse est pontes tot fuisse dicas, quot erant Centuriæ. Hic vero descriptis suffragiis quomodo renunciatio fiebat? An ut omnes simul tulerant suffragium, ita omnium simul renunciabatur sententia? Id vero quomodo absque tumultu & confusione fieri potuit? aut quomodo numerus Centuriarum iniri, ut, in quam partes plures inclinassent, appareret? At si non simul omnium fiebat renunciatio, quorsum attinebat simul omnes vocare? Omitto quod ista ratione efficitur, ut inter Centurias ordinis & ætatis ratio non habeatur. Juniorum enim Centuriæ simul cum equitum & seniorum Centuriis vocari dicuntur. Nec sane ulla justa ratio reddi potest, cur data populo tabella, vetus ratio vocandarum deinceps Centuriarum mutata esset. Est vero locus apud Ciceronem in septima orat. in Verr. ubi ita scribit: *Tu cum Prætor renunciatus esses, non ipsa preconis voce excitatus es, qui totiens seniorum juniorumque Centuriis illo honore affici pronunciavit*. Ex quo loco apertissimum est, non simul, sed deinceps seniorum juniorumque Centurias suffragium dixisse: præconemque non totius simul classis, sed singulatim cujusque Centuriæ sententiam pronunciare solitum. Cum ergo apud Ciceronem 2. Philipp. scribitur de comitiis Dolabellæ: *Prima classis vocatur, renunciatur*: non ita accipienda sunt illius verba, quasi velit primam classem totam simul vocatam renunciasse Dolabellam Consulem: sed primam classem dicit pro Centuriis primæ classis, ordine tamen vocatis. Neque enim totius classis ratio habebatur in suffragiorum sententia elicienda, sed Centuriarum: & numerus Centuriarum vincebat, non numerus classis. His explicatis quærendum est, postquam renunciata erat alicujus Centuriæ sententia, an eædem tabellæ rursus darentur diribitoribus, ut sequenti Centuriæ distribuerent easdem, an novæ semper tabellæ, ut quæque Centuria introvocabatur, diriberentur populo. Sane, ut semper novas tabellas dari potius credam, eo adducor, quod cum omnes Centuriæ non essent æquales numero, sed aliæ aliis frequentiores, eædem tabellæ, quæ priori Centuriæ datæ erant, satis magno numero non erant futuræ, ut frequentiori post Centuriæ ministrarentur. Cumque certum sit, in legem quidem comitiis unicuique de populo binas dari solitas, quarum unam modo in cistam conjiceret: in magistratuum vero comitiis tot tabellas, quot essent candidati; quarum tamen in cistam non plures conjiceret quisque, quam pro numero magistratuum creandorum: veluti in Consulibus Censoribusque creandis duas, in Prætoribus sex, octo decemve, pro numero scilicet Prætorum, quem creari oporteret. sane, si tantum eductas de cista tabellas reddi diribitoribus oporteret, non totidem tabellæ sequentibus Centuriis datæ fuissent, quot primæ: ideoque libertate suffragiorum sublata non aliam potuissent sententiam dicere, quam quæ a priori Centuria dicta esset. At quomodo reliquas tabellas rogatores reddere possent, quas singuli sibi retinuissent? An rursus post renunciationem percurrenda erat tota Centuria ad recipiendas reliquas tabellas? Quæ si aperte redderentur, quomodo suffragium cujusque occultum esse potuit? Ex iis enim, quas quisque redderet, facile apparuisset, quas in cistam conjecisset: ut si redderet tabellam, *Antiquo*, facile erat videre sententiam dixisse, *Uti rogas*. Sin occulte, hic rursus perferenda erat cistella per omnem Centuriam; quæ omnia absurdissima sunt. Verius

A igitur est, cuique Centuriæ ut introvocabatur, novas tabellas præsto fuisse. Et quoniam ministrabantur populo, ut quisque ad pontes accedebat, propterea existimo, jam ante diribitores ad pontes stetisse cum tabellis ad eam rem publice paratis, ea multitudine quam quæque comitia requirere viderentur. In comitiis enim legum binas tantum cuique tabellas dari oportebat: in comitiis vero magistratuum interdum plures, interdum pauciores pro numero candidatorum. Quare multo pauciores tabellas parari oportebat in comitiis legum, quam in comitiis magistratuum. Et quoniam Prætorum comitiis sex, octo decemve creandi erant Prætores, necesse erat, B ut minimum, tot esse competitores. Quapropter comitiis Prætoriis minimum oportebat singulis tot dari tabellas. Unde efficitur magnam admodum multitudinem tabellarum iis comitiis parari debuisse. Hic ergo considerandum est, primum scribendis tabellis ad publicos illos usus accommodatis publicum etiam ministerium accommodatum fuisse. Ex quo colligo, in scribarum publicis muneribus hoc quoque fuisse, ut suffragiorum tabellas scriberent. Ac legum quidem comitiis futuris, scribere eas tabellas jubebantur, quæ illis comitiis usui futuræ erant. Sin magistratuum futura erant comitia, jubebantur scribere tabellas eorum nominibus inscriptas, quorum haben- C dam esse rationem publice judicatum esset. Hæ tabellæ ita scriptæ, die comitiorum committebantur diribitoribus. Verum hic considerandus etiam est numerus diribitorum. Neque enim adduci possum, ut tot diribitores faciam, quot tabellæ singulis ministrabantur, ita ut quisque sui generis tabellam populo daret. In Prætorum enim comitiis, verbi gratia, accidere poterat, ut vel viginti essent competitores. Hic ergo si vicenos diribitores facias, totidem competitorum tabellis ministrandis, quomodo in angustis pontibus tot homines constitisse probari poterit? præsertim cum angustia pontium manifesto ostendat, ad paucos capiendos institutos fuisse. His accedit, D quod si in singulis pontibus vicenos diribitores ponas, concedasque trigintaquinque pontes fuisse pro numero totidem tribuum, efficiatur, ut diribitorum omnis numerus septingentorum minimum esset: quod sane non est verisimile. Præstat ergo ut dicamus, ad singulos pontes unum fuisse diribitorem, qui populo Centuriatim ex suis tribubus advenienti tabellas vel plures, vel pauciores, pro numero candidatorum divideret. Sed quoniam unicuique de populo dandæ erant tot tabellæ, quot erant candidati, necesse est, ut non alias pro aliis daret diribitor in tam magna multitudine tabellarum, rationem aliquam inventam E fuisse, qua in diribendis tabellis hac in parte nihil peccaretur. Atqui si divisas haberet diribitor tabellas quas cui daret, præter id quod longum fuisset in tam magno cumulo seligere, difficile etiam fuisset non peccari. Verius igitur est, ut dicamus omnes tabellas, quas singulis daret, adhuc junctas fuisse cum diribitor eas dabat: qui autem suffragium erat laturus, postea sibi ex ea charta in qua scriptæ erant, scindebat quas vellet in cistam mittere. Neque enim ulla commodior ratio inveniri potest ad diribendas cito & absque ullo peccato tabellas. Hæc si ita sint, sequitur non plures fuisse diribitores constituendos, quam quot erant pontes: qui si cum tribuum nume- F ro convenirent, uti diximus, tot erant omnino diribitores, quot tribus. Hac enim ratione sufficiet suus cuique tribui diribitor. Ad quod munus seligebantur ab iis, qui comitia erant habituri, boni aliqui viri, in quibus nulla esset fraudis suspicio. Fuisse autem delectum ejus, qui haberet comitia, vel inde potest intelligi, quod reperimus, in diribendis tabellis fraudem factam, si quando is, qui haberet comitia, nollet populo libera committere suffragia. Veluti Piso Consul nolebat legem, quæ adversus Clodium ferebatur, a populo juberi; in diribendis tabellis fraus admissa est. Nullam enim diribitores dabant tabellam, *Uti rogas*. Porro autem sicut triginta quinque diribitores satis fuisse dixi, ita rogatores totidem satis fuisse existimo. Nam post latas leges tabellarias non amplius ex Centuriis, ut quæque vocata erat, unus desumebatur, qui suæ Centuriæ sententiam renunciaret: sed sicut certi quidam homines ad pontes jam ante stabant, quam venirent ad suffragium Centuriæ ad ministrandas tabellas, ita oportet fuisse certos homines, qui ad eosdem pontes cistas ante haberent, quam Centuriæ venirent ad suffragium dicendum: alioqui suam cistam secum adferre quamque Centuriam dicendum erit. Quod mihi non fit verisimile: præsertim cum diribitores, rogatores & custodes, non suffragatores essent, sed ministri suffragantium. Qui sane certo constitui non potuerunt, si ad Centurias singulas accommodandi fuissent. Semper enim propter incertas populi voluntates, incertum erat, quousque erant vocandæ Centuriæ ad legitimum numerum conficiendum. Quid vero magis ridiculum, quam tabellas diribitoribus, cistas rogatoribus dedisse, quæ nullo usui futuræ erant? Quod tamen evenisset, si non vocatæ essent Centuriæ, ad quarum suffragia constituti essent. Custodum numerus cum tabellarum numero, quæ singulis committebantur, fere convenisse mihi videtur. Veluti in legibus ferendis duæ tantum dabantur tabellæ populi: itaque describendo numero suffragiorum binis tantum custodibus opus erat. In magistratuum comitiis tot dabantur tabellæ quot erant candidati: describendis ergo suffragiis, non multo pluribus erat custodibus opus; quam quot erant candidati, ut suus cuique candidato custos esset. Sane ex iis, quæ supra dicta sunt, intelligi potest, prærogativæ Centuriæ alium custodem dari solitum, quam aliis jurevocatis Centuriis. Neque enim diceret Cicero, se primum custodem fuisse in comitiis L. Pisonis, si solus custos fuisset a Pisone rogatus: nec primam tabulam sibi datam affirmaret, si solus ipse in tabula unica descripturus erat omnia suffragia, quæ Consulem crearent Pisonem. Itaque ego existimo, singulos candidatos unum custodem habuisse, quem prærogativæ præficerent: eumque virum aliquem gravem ac sibi amicissimum: ob id scilicet, quod in prærogativa plurimum erat momenti. Præter custodem autem prærogativæ, reliquarum Centuriarum describendis suffragiis alium custodem præfecisse: adeo, ut totis comitiis quisque candidatus duos modo custodes præficeret. Nam, ut numerum custodum non faciamus cum numero tribuum convenientem, sicut rogatores & diribitores, hinc adducor, quod custodes a candidatis præficiebantur, ut supra probavimus: quare si quando accidisset, ut essent duodecim, verbi gratia, competitores, necesse erit ut duodecies multiplicetur numerus tribuum, aut ita quadringentos & viginti faceres custodes: idque præter eos qui prærogativæ custodes essent. Nam prærogativæ qui præfecti erant, hoc munus totis comitiis non præstabant, sed aliis Centuriis alii custodes addebantur, ut demonstravimus. Multo minus verisimile est, omnibus Centuriis alios semper atque alios custodes attributos. Cum enim oporteat tot esse custodes, quot erant tabellæ diversæ, quarum numerus describendus erat, si singulis Centuriis novi semper custodes attribuerentur, tanto major fieret numerus custodum, quanto major erat numerus Centuriarum quam tribuum. Quæ si minus probabilia sint, nostræ potius standum est sententiæ, ex qua nihilominus absurditatis consequi vel eo intelligi potest, quod gravissimos Senatores interdum diribitores, rogatores, custodesque fuisse reperiamus. Neque enim tam magno numero erant Senatores gravitate in-

signes, ut sufficere possent iis præstandis muneribus, si Centuriis omnibus novos semper attributos dicas diribitores, rogatores & custodes. Deinceps sequitur, ut explicemus, quis tandem finis esset vocandi Centurias: an, inquam, omnibus Centuriatis comitiis omnes Centuriæ suffragium dicerent, an potius nihil esset necesse omnes vocari. Huic quæstioni T. Livius & Dionys. satisfaciunt in iis, quæ initio libri a nobis adscripta sunt ex illis auctoribus. Verum illa in genere dicta nonnihil habent obscuritatis: quæ si particulatim subtiliusque explicentur, fient apertiora. Centuriatis igitur comitiis sententiæ ex numero Centuriarum exquirebantur: ita ut ea populi sententia semper pronunciaretur, in quam ex omni numero Centuriarum plures consensisse conspicerentur. Itaque si lex ferretur, eousque fiebat Centuriarum vocatio, dum appareret tot jam Centurias vel jussisse vel antiquasse legem, ut numero reliquas omnes vincerent. Quod si post prærogativam Centuriæ equitum & primæ classis idem cum ea sensissent, nil jam opus erat reliquas Centurias vocare. Cum enim numero plures essent hæ, quam reliquæ omnes, jam tum poterat decerni, non vocatis aliis, plures Centurias id scivisse. At si non idem cum prærogativa sensissent, sed aliæ legem accepissent, aliæ antiquassent; vocandæ erant secundæ classis Centuriæ, ut cum altera parte se conjungerent. Ac si cum prerogativa omnes primæ Classis Centuriæ legem accepissent præter duas tresve, ita ut una modo deesset Centuria, quo minus decerni posset, majorem partem omnium Centuriarum legem accepisse: tum si vocata ex secunda classe prima Centuria legem acciperet, reliquæ ejus classis non vocabantur: quandoquidem hujus unius accessione jam apparuit, majorem partem Centuriarum legem accepisse. Quod idem judicandum est, si secundo, tertio aut quarto loco vocata secundæ classis Centuria legem acciperet; post hanc enim reliquæ non vocabantur. Sin nulla secundæ classis centuria legem acciperet, tertiæ classis Centuriæ vocandæ erant. Ac si primo vocata legem acciperet, hic finis fiebat vocandi Centurias, eodem quo in secunda diximus modo. Atque ut summatim dicam, semper eousque fiebat Centuriarum vocatio per ordines classium, dum plures ex omni numero Centuriarum consensisse constaret: simul ac autem id constare cœperat, illic comitiorum finis erat. Ex iis, quæ diximus, apparet, primæ classis omnes Centurias semper suffragium dixisse: at reliquarum classium Centuriæ non vocabantur, nisi per dissensionem Centuriarum primæ classis. Ac ne tum quidem omnes vocabantur, quæ ejusdem classis erant, sed eæ modo, quæ ad efficiendum numerum majorem Centuriarum idem jubentium, necessariæ essent. Quod si in lege ferenda accidisset, ut cum pares numero essent Centuriæ, quæ acciperent, & quæ vetarent, ita divisa esset reliquarum sententia, quarum accessione major numerus Centuriarum in alteram partem colligi deberet, ut nulla earum sententia elici posset: quia sc. pars dimidia Centuriæ acciperet, altera vetaret (nam ista tametsi raro evenirent, poterant tamen accidere) tum sane legem non accipi pronunciabatur. Quam enim legem populus non jussisset, ea teneri non poterat. Necesse igitur est, ut tum idem judicaretur, ac si pluribus antiquasset Centuriis. In magistratuum vero comitiis, eadem hæc singulatim melius considerabuntur. Ponamus quatuor consulatus competitores: ex iis duo tantum creari Consules possunt: ii scilicet in quos plures Centuriæ consenserint. Quod si prærogativa sic dixerit suffragium, ut paria suffragia tulisse omnes competitores reperiantur, tum nullus renunciatur Consul. Quod idem in aliis Centuriis dicendum: adeo ut totis comitiis nihil factum esse judicaretur, si quando id evenisset. Verum raro admodum evenire poterat, ut omnes candidati in omnibus Centuriis pares haberent suffragantium voluntates. Sin unus candidatus plura suffragia tulisset in prærogativa, reliqui autem pares essent suffragiis, tum unus modo Consul renunciabatur. Ac si in reliquis Centuriis idem evenisset, totis comitiis non plusquam unus creatus Consul judicabatur. At si plura suffragia duo tulissent in prærogativa quam reliqui duo, tum Consules duo renunciabantur: si idem cæteræ Centuriæ fecissent quod prærogativa. Quod autem dixi de suffragiis unius Centuriæ, idem intelligi potest in toto numero Centuriarum. Nam si quatuor candidati ita pariter Centurias tulissent, ut vel una modo Centuria singulis deesset ad numerum, quem qui primus tulisset, Consul a pluribus Centuriis factus judicari deberet, hic, si accidisset, ut in reliquo numero Centuriarum paria suffragia haberent omnes, tum sane nullus Consul renunciari poterat: sin unus plures Centurias tulerit, reliqui tres pares essent numero Centuriarum, tum unus modo Consul factus dicebatur: at si duo plures tulissent Centurias, Consules duo renunciabantur. Ut autem in legibus ferendis dixi eousque vocationem fieri Centuriarum dum constaret plures in alteram partem Centurias consensisse: ita hic tum finis erat comitiorum, quando in duos Consules plures consensisse Centuriæ perspicerentur. Nam si in duos consensissent prærogativa & omnes primæ classis Centuriæ, non erant vocandæ reliquarum classium Centuriæ: sin vel alteri vel utrisque horum una modo deesset Centuria, quia aliquas primæ classis Centurias alii competitores tulissent: tum si primovocata ex secunda classe Centuria, ad majorem illum numerum se addidisset, hic non vocatis ullis postea Centuriis finis fiebat comitiorum. Ex iis apparet, comitia Consulum vel plus vel minus durare solita pro favore primorum in candidatos: Æqualis enim favor æqualitatem suffragiorum adferebat: suffragiorum vero æqualitas efficiebat, ut non statim appareret, in quos candidatos plures Centuriæ inclinassent: propetereaque aliæ atque aliæ semper vocandæ erant Centuriæ, donec legitimus numerus factus esset. Hujus rei exemplum videmus in Ciceronis comitiis. Habebat enim sex competitores: sed quia in eum maxime favor inclinabat, propterea statim legitimum numerum Centuriarum confecit: quia scilicet in primovocatis Centuriis plura semper suffragia ferret quam reliqui. Ex ejus autem sex competitoribus Antonius & Catilina erant maxime gratiosi, propterea plures tulerunt Centurias quam reliqui quatuor. Antonius tamen pauculis Centuriis tandem superavit Catilinam, ait Asconius. Ex iis facile est interpretari verba Ciceronis in oratione secunda in Rullum: *Itaque me non extremæ tribus suffragiorum, sed primi illi vestri concursus Consulem declararunt.* Opponit enim extremas tribus suffragiorum primis concursibus: primi autem concursus hic sunt ex singulis tribubus primovocatæ Centuriæ: quare extremæ tribus suffragiorum hic significabunt eas Centurias, quæ extremæ ex singulis tribubus vocabantur: quæ erant quintæ classis Centuriæ. Vult ergo in suis comitiis non fuisse deveniendum usque ad extrema suffragia tribuum: id est, usque ad Centurias quintæ classis, quæ ex singulis tribubus postremæ vocabantur, sed a Centuriis primæ classis statim absque varietate Consulem factum. Gloriosum enim erat Ciceroni tantum valuisse gratia apud populum, ut plura semper suffragia tulerit in omnibus primovocatis Centuriis, quam sex ejus competitores. Quando vero non conveniebant primæ Centuriæ, sed aliæ alium Consulem dicebant, id argumento erat, non inclinare populi favorem præcipue in unum, sed quosdam uni, quosdam alteri favere. Quare si idem favor in sequentibus Centuriis esset, ad legitimum numerum uni tandem conficiendum

ciendum vel ad extremas usque Centurias deveniendum erat. Ac si unus quidem Consul creandus fuisset Cicero, statim postquam prima classis suffragium dixisset, exitus fuisset comitiorum. At collega ei unus addendus erat ex sex competitoribus: quorum nullus primas Centurias absque variatione sicut Cicero tulerat: itaque necesse erat, aliarum classium vocari Centurias. Illud etiam potest ex iis, quæ dicta sunt, intelligi, quid apud Livium significet *Centurias non explere*. Ut lib.7. Dec.4. *Fulvius Consul unus creatur, cum cæteri Centurias non explessent*. Habebat Fulvius tres competitores, quorum nullus legitimum numerum Centuriarum conficere potuit: vel quia in singulis Centuriis pares numero suffragatores habuerant, vel quia ita alias alii Centurias tulerant, ut pares numero Centuriarum reperti sint post vocatas omnes omnium classium Centurias. His enim duobus modis poterant Centurias non explere candidati: hoc est, non conficere eum numerum Centuriarum, quo unus tandem plures tulisse judicaretur quam alius. Id vero cum accidebat, tum ille, qui unus designatus erat, postea alio die collegam sibi, ut subrogaret, lege jubebatur: ac non idem Consul, qui comitia habuerat, rursus habere poterat. Quod Livius eodem illo loco ostendit: *Fulvius unus Consul creatur, cum cęteri Centurias non explessent. Isque postero die Cn. Manlium Lepido dejecto (nam Messala tacuit) collegam dixit*. Comitia hæc habuit C. Lælius Cos. sed subrogando collegæ non idem Lælius sed Fulvius comitia habuit. Neque intelligendum est jam iniisse magistratum; quandoquidem scribit Livius postero die id factum esse, cum necdum creati essent Prætores. Quod si is dies fuisset, quo magistratum inierat Fulvius, non fuisset comitialis. Quo enim die magistratus inibantur, is festus erat. Jam vero T. Livius ostendit ea comitia habita ordinario tempore habendorum comitiorum: unde sequitur multis diebus hanc magistratuum subrogationem fuisse ante Idus Martias, quæ tum solennes erant ineundis magistratibus. Quod autem de comitiis Consularibus dixi, idem in Censoriis intelligi debet. Perinde enim duo Censores creabantur, ut duo Consules. Unum tamen hic erat diversum, quod si Censoriis comitiis duo non confecissent legitima suffragia, nil omnino actum erat comitiis. Itaque uno creato si ex cæteris candidatis nullus explesset Centurias, ne is quidem, qui creatus erat, magistratum retinebat: sed omnino in aliud tempus comitia differebantur. Livius lib.9. Dec.1. in concione P. Sempronii Tr. pl. ita scribit: *Cum ita a majoribus comparatum sit, ut, comitiis Censoriis nisi duo confecerint legitima suffragia, non renunciato altero, comitia differantur: non ego te, qui solus Censor creari non possis, solum Censuram gerere patiar*. Hoc quoque proprium erat Censorum, ut in demortui locum alius non subrogaretur, sed uno mortuo alius se statim magistratu abdicare cogebatur. Id quod eodem illo loco dicit Livius: *An collegam subrogabis, quem ne in demortui quidem locum subrogari fas est?* Et lib.6. Dec.1. *Creati Censores C. Sulpitius Camerinus, Sp. Posthumius Regillensis: cœptaque jam res morte Posthumii (quia collegam Censori suffici religio erat) interpellata est*. Igitur cum Sulpitius abdicasset se magistratu, Censores alii vitio creati non gesserunt magistratum. Tertios creari velut diis non accipientibus in eum annum Censuram religiosum fuit. In prætorum autem comitiis multitudo candidatorum fere efficiebat, ut diutius durarent comitia: præsertim cum sex, octo, decemve creandi erant Prætores. Vix enim fieri poterat, ut pari constantia iidem candidati plura in primis Centuriis suffragia ferrent, ut non esset ad postremas descendendum. Si tamen id accidisset, ut ex omnibus candidatis, quos prærogativa Prætores fecisset, eos-

A dem primæ classis Centuriæ facerent, tum sane nihil opus erat, cæteras Centurias vocare. Sin variarent, necessario ad numerum legitimum Centuriarum conficiendum eousque vocandæ erant, dum sex, octo, decemve creati essent Prætores. At si quatuor sexve jam declaratis, ex reliquo numero candidatorum nullus explesset Centurias, tum nisi judicatum esset a Senatu satis Prætorum esse, oportebat Consulem alia comitia habere ad collegas ad numerum legitimum subrogandos. Nam ut Prætores jam designatos id non potuisse facere credam, facit quod supra diximus, Prætoribus jus non fuisse Prætores rogandi. Ex iis, quæ diximus, intelli-
B gi potest, cum omnia comitia hoc haberent commune, ut tempestatis interventu dirimerentur, habuisse tamen id diversum Censoria comitia a Prætoriis & Consularibus, quod in Censoriis comitiis si post unum jam renunciatum Censorem, aliquid de cœlo accidisset, antequam ex reliquo candidatorum numero alter quoque renunciatus esset, tum ita dirimebantur comitia, ut vitiosus etiam censeretur is, qui jam creatus erat Censor: si quidem jure non posset unus creari Censor, ut paulo ante demonstravimus. At in Consularibus & Prætoriis tempestatis interventu non reddebantur vitiosi, qui jam
C creati erant. De Prætoriis comitiis ita scribit Livius lib.10. Dec.4. in fine: *Secundum triumphum comitia edixit, quibus creati Consules sunt M. Junius Brutus, A. Manlius Volso. Prætorum inde tribus creatis, comitia tempestas diremit. Postero die reliqui tres facti*. His verbis Livius aperte ostendit, tempestate quidem direpta fuisse comitia, id tamen ad eos magistratus, qui jam illis comitiis creati erant, nihil pertinuisse. In Consulibus vero idem fuisse eo existimo, partim quod eisdem auspiciis crearentur Consules & Prætores; ex quo sequitur, qua ex parte non vitiabantur Prætoria, & Consularia non vitiatum iri, partim quod comitiis Consularibus nil
D vetabat unum Consulem absque collega creari, ut paulo ante diximus: itaque vitium interveniens post unius renunciationem, ad eum nihil pertinere poterat. Quoniam autem ad agendum de interruptione comitiorum hoc loco devenimus, adscribam & locum Dionis ex libro 37. ubi ita scribit de Rabirio perduellionis reo: *Rabirius a Duumviris damnatus provocavit: sed tamen apud populum etiam damnatus fuisset, nisi Metellus Celer Augur & Prętor rem impedisset. Nam cum multitudo nec eum audiret, nec quod contra morem patrię legesque judicium factum esset, vellet attendere, propere Janiculum petit, priusquam quicquam suffragio populus
E scisceret: signumque militare detrahit ut nihil jam ei decernere liceret. Sic detracto vexillo, concio soluta est*. Ex iis Dionis verbis apparet, comitiis Centuriatis imperatum exercitum non modo in Janiculo esse debuisse, sed etiam dirimendorum comitiorum eam fuisse unam rationem, si detracto signo militari inde abduceretur exercitus. Rationem autem ejus rei simul eodem loco aperit Dion. His explicatis non erit difficile docere quid essent, & quomodo fierent gradus in renunciatione magistratuum. Gradus autem appello, primo loco, secundo, tertio aut quarto renunciari. Honorificum enim erat
F priore loco renunciari, parum honorificum in postremis renunciari. Id quod intelligi potest ex Cicerone, qui de suis magistratibus loquens, nunquam omittit, quo loco sit renunciatus. Pro lege Manilia: *Nam cum propter dilationem comitiorum ter Prętor primus Centuriis cunctis renunciatus sum, facile intellexi, Quirites, & quid de me judicaretis, & quid aliis prescriberetis*. Et in Pisonem: *Me cum Quęstorem in primis, Ædilem priorem, Prętorem primum cunctis suffragiis populus Romanus faciebat*. Et paulo post: *Me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa civitas non prius tabella quam*

voce priorem Consulem declaravit. Et pro Muræna: *Quæsturam una petiit, & sum ego factus prior. Non est respondendum ad omnia. Neque enim quenquam vestrum fugit, cum multi pares dignitate fiant, unus autem primum solus obtinere possit, non eundem esse ordinem dignitatis & renunciationis, propterea quod renunciatio gradus habet, dignitas autem sit persæpe eadem omnium*. Et paulo post: *At enim in Præturæ petitione prior renunciatus est Servius. Pergitisne vos tanquam ex syngrapha agere cum populo, ut quem locum semel honoris cuipiam dederit, eundem reliquis honoribus debeat*? Et A. Gellius libro 10. cap. 1. ita scribit: *Verba M. Varronis ex libro disciplinarum quinto hæc sunt: Aliud est quarto Prætorem fieri, & quartum; quod quarto locum adsignificat ac tres ante factos: quartum tempus adsignificat & ter ante factum*. Ex iis locis apparet, non modo in renunciatione gradus fuisse, sed etiam priores locos eo magis honorificos censeri, quod apud populum magis gratiosi existimarentur, quibus eos attribueret. Porro autem, ut explicemus quomodo fierent illi gradus, animadvertendum est, cuique de populo simul dari tot tabellas, quot erant candidati: ex iis autem tabellis tot quisque in cistam conjiciebat, quot erant creandi magistratus: veluti in Consulum Censorumque creatione duas, in Prætorum sex, octo decemve, pro numero Prætorum creandorum. Ac simul quidem omnes illas conjiciebat, alioqui toties revocari Centurias oporteret, quot essent magistratus creandi: unde fieret, ut si variarent in omnium creatione Centuriarum, adeoque universi populi vocatio fieret: itaque in Prætorum creatione pro unis comitiis octo comitia fierent. Ut omittam, cum voce creabantur Consules, semper duos simul nominari solitos ab unaquaque Centuria, non autem semel unum post alterum: ut ex omni historia Livii apparet. Id vero data post tabella cur mutatum esset? Non igitur intelligendum est, in gradibus faciendis populum rogari solitum, ut cui vellet primum locum dare, eum primo crearet, tum deinde cui secundum locum esse vellet, secundo, cui tertium, tertio, cui quartum, quarto, & ita deinceps: sed omnium simul unaque vocatione tabellis in cistam conjectis. Invenienda est ex iis, quæ diximus, alia ratio graduum faciendorum. Ponamus ergo quatuor Consulatus competitores. Ex iis sane quatuor, qui primus legitimum numerum Centuriarum confecisse per suffragiorum descriptionem comperietur, prior renunciabitur: deinde ex reliquis candidatis, qui primus legitimum numerum explebit, posterior Consul renunciabitur. Ut autem, cum duo creandi sunt, pari dignitate illud eveniat, ut unus legitimum numerum conficiat ante alios, necesse est, favorem populi præcipue in eum inclinare: siquidem id accidere non posset, nisi in omnibus primovocatis Centuriis certo designaretur, cum in reliquis varient sententiæ. Quod si duobus pariter faveret populus, adeo ut in omnibus primovocatis Centuriis pares suffragiis essent, eaque æqualitas eousque permaneret, dum legitimum numerum Centuriarum uterque simul conficeret: tum profecto in renunciatione gradus esse non poterant, sed simul ambo renunciabantur. Quod idem etiam judicandum est, si in omnibus Centuriis suffragia aliqua ferrent quatuor candidati, ita tamen inæquali numero, ut duo quidem superarent alios, eo tamen rursus inter se discrimine, ut semper numero suffragiorum unus alterum vinceret. Tum enim accidebat, ut illi duo non modo Centurias omnes simul ferrent, sed etiam simul legitimum numerum Centuriarum tandem conficerent: itaque necesse erat ut simul renunciarentur. Nam gradus renunciationis non potuisse id facere, quod numero suffragiorum in singulis Centuriis alter superior esset, hinc demonstrari potest, quod evenire poterat, ut qui in

A omnibus Centuriis usque ad unam, quæ ad legitimum numerum perficiendum ambobus restaret, inferior numero suffragiorum fuerat, in hac postrema vel renunciaretur, cum alter, qui superior semper fuerat, ab ea centuria præteritus esset, vel plura suffragia forte ferret quam alter. Qua ratione fiebat, ut qui semper posterior fuerat, nihilominus prior renunciandus esset, propter hanc unam Centuriam, quæ ab aliis variasset. Erat igitur hæc una ratio graduum faciendorum per numerum legitimum Centuriarum. Sed quoniam raro accidebat, ut ex numero competitorum duo ita pares essent, ut simul B explerent Centurias, propterea vix fiebat, ut non essent in renunciatione gradus. Quin tamen accidere posset, ut nulli gradus essent, negari non potest. Verum in Consulum Censorumque renunciatione duo tantum gradus erant: in Prætorum vero creatione tot esse poterant, quot Prætores creandi. Ac primus quidem Prætor renunciabatur eodem modo, quo prior Consul is, qui primus omnium candidatorum legitimum numerum Centuriarum confecisse reperiebatur. Verbi gratia: in prærogativa, & omnibus primæ classis Centuriis constantissime Cicero inter eos repertus est, quos illæ Centuriæ Prætores facerent: nullus autem competitorum ejus tanta C constantia omnes tulit, sed alii atque alii creati sunt in illis Centuriis. Sane, postquam ultima primæ classis Centuria suffragium dixerat, solus adhuc Cicero omnium competitorum legitimum numerum confecerat. Quare necessario primus omnium Prætor renunciandus erat. Pone nunc Aquilium, verbi gratia, pari constantia tulisse omnes primæ classis Centurias præter unam atque alteram, cum reliqui competitores magna varietate alii alias tulerint. Hic profecto unus erat Aquilius, cui una modo deesset Centuria ad legitimum numerum. Si igitur ex secunda classe vocata Centuria prima Aquilium creasset, necesse erat Prætorem eum renunciari secun- D do loco: quia primus omnium post Ciceronem legitima suffragia confecisset. Idemque in cæteris deinceps intelligendum. Quod si alius quidam unus vel plures prærogativam cum Cicerone tulissent, omnesque primæ classis Centurias, tametsi numero suffragiorum in singulis Centuriis semper esset superior Cicero, nihilominus simul renunciabantur, quia simul expleverant Centurias: nec potuisset dici Ciceronem esse primum Prætorem. Ac si evenisset, ut non modo Centuriarum numero, sed etiam suffragiorum in ipsis Centuriis, vel omnes cum Cicerone pares fuissent, vel unus aut alter: tum multo magis inter eos non fecisse gradus populus judi- E cabatur. Itaque vel simul renunciandi erant, ut nullus se priorem diceret: quod verius esse existimo: vel in gradibus faciendis ratio habenda erat ordinis, generis, ætatis: aut vero sorti committebatur. Verum ego tanti hoc non interfuisse existimo, ut in gradibus faciendis aliud spectandum esset præter populi suffragia. Nusquam vero reperitur alia inter Prætores sortitio, quam provinciarum; quæ tamen sola commode poni in ea re potest. Sæpe enim evenire poterat, ut multi competitores pares essent ordine, ætate ac genere: vel ut quidam essent genere superiores, cum ordine ac ætate vincerentur, aut F contra. Tum vero quid poterat controversiam omnem tollere præter sortem? Si igitur sorti nullus hac in re locus erat, relinquitur verius esse, si quando pares essent aliqui a populo facti, tum inter eos gradus renunciationis non fuisse: ut ne eventus suffragiorum populi ulla ex parte mutaretur. His expositis, examinanda nobis sunt verba Ciceronis, ex oratione adversus Antonium & Catilinam. Verba Ciceronis hæc sunt. *Nescis me Prętorem Primum esse factum: te concessione competitorum & collatione Centuriarum, & meo maxime beneficio e postremo in tertium locum esse subvectum*? Est & alius locus paulo post: *An*

oblitus es, te ex me, cum præturam peteremus, petiisse, ut tibi primum locum concederem? Ex iis sane verbis apertum est, concessione competitorum in renunciatione gradus potuisse mutari. At illud valde obscurum, quomodo hujusmodi concessio fieri potuit. Nam quomodo tu possis alteri concedere, quod non est in tua, sed in populi potestate? Aut quomodo efficere possim; ut cum nondum legitima suffragia confeceris, tu locum meum obtineas, qui jam renunciatus sim confecto statim legitimo suffragiorum numero? Conandum tamen veritatem eruere. Ac primum illud certum est mutuam suffragationem competitorum, modo corruptione careret, non fuisse prohibitam. In hac suffragatione alii aliis eas, quas sibi conciliarant Centurias, concedebant, ut apparet ex oratione pro Plancio. Quod non ita accipi debet, quasi ea concessione necessitate obstringeretur populus: sed rogando conciliabat suas Centurias unus alteri, ut vicissim ille suas ei conciliaret. Porro autem in concedendis ita mutuo Centuriis, non erat difficile competitoribus judicare, eos certiorem spem habere obtinendi magistratus, quibus plures viderent esse certos suffragatores. Et si quis ergo omnium vel per se, vel per amicos videretur sibi plures Centurias conciliasse, jam tum spes propemodum certa erat eum potissimum primum locum obtenturum. Quare quasi de certa spe transigi aliquid inter competitores poterat de primo loco. Antonius igitur cum videret favorem populi maxime in Ciceronem inclinare, rogabat eum, ut sibi primum locum cedere vellet: hoc est, ut sibi de suis Centuriis eum numerum concederet, per quem primum locum obtinere posset. Ac Cicero de suo jure tantum cedere noluit, sed id modo effecit, ut qui eas modo Centurias habebat, per quas ultimo loco Prętor renunciandus esset, eas totque ei conciliaret, quot satis essent, vel ad tertium locum obtinendum. Effecit autem id Cicero, partim concedendo de suis Centuriis, partim rogando competitores, ut Antonio de suis quoque Centuriis darent. Atque illud est quod ait, concessione competitorum & collatione Centuriarum suo maxime beneficio ex ultimo loco in tertium esse subvectum. Finge, Antonium paucas habuisse de primis Centuriis, at de postremis satis multas, ut exclusis nonnullis suis competitoribus fieri posset Prętor: contra vero Ciceronem, & reliquos magis certa spe competitores permultas de primis habuisse, ut postremis nihil fere eis opus esset. Sane Antonius, qui de primis paucas habebat, non poterat renunciari, nisi post eos, quibus primę favissent. Quod si Cicero, & reliqui competitores nonnullas de suis primis Centuriis Antonio concessissent, quarum loco vicissim Antonius de postremis Ciceroni & reliquis competitoribus nonnullas conciliasset: profecto, qui de numero sibi detraxerant, non tam cito renunciari poterant, quam renunciati fuissent. Contra Antonius per primarum, quas sibi addiderat suffragium, multo citius renunciabatur quam renunciatus esset. Quando enim Antonius unam de primis ferebat, quam alius competitor tulisset, necesse erat ad legitimum numerum Centuriarum conficiendum, ex posterioribus Centuriis aliam substitui. Tantisper ergo dum substitueretur, differebatur ejus renunciatio: idque propter eam Centuriam, quam sibi detraxerat, ut Antonio concederet. Quoque magis ista concessione Centuriarum differebatur aliorum renunciatio, eo magis accelerabatur Antonii renunciatio. Et quia de primis tantum ei concessum erat, ut legitimum numerum tertio loco potuerit conficere, propterea collatione Centuriarum, concessioneque competitorum tertium locum obtinuisse dicebatur. Hujus vero suffragationis quia auctor fuisset Cicero, idcirco suo beneficio dixit ex ultimo in tertium locum fuisse subvectum. At quomodo id Cicero persuadere po-

A terat competitoribus, ut tantum de jure suo cederent? An quod Ciceroni potissimum negare non possent: Idque propter favorem populi, quem maxime in eum inclinare videbant: ne scilicet suffragia, quæ per amicitiam Ciceronis sibi conciliarent, amitterent: præsertim, cum de jure suo ita cedendo non minus certi essent de magistratu obtinendo: locus autem quem cedebant, non ita honorificus esset, ut magnopere contendendum esset contra ejus voluntatem, qui apud populum maxime esset gratiosus, ob idque vel juvare, vel nocere plurimum posset. Non igitur concedatur quod nullo modo in tua potestate esset. Erant enim Centuriæ,

B quas certas habebant candidati, quodam modo in eorum potestate: quibus alii concedendis si effectum esset, ut multo prius renunciaretur quam renunciatus esset, non immerito sua concessione dicebatur gradus mutasse. Ut vero hujusmodi locorum concessionem ante comitia fieri illo, quo dixi, modo existimem, non in ipsis comitiis, hinc adducor, quod nulla ratio inveniri possit, qua id commode fieri posset in ipsis comitiis. Quia enim, ut quisque a pluribus Centuriis creatus erat, voce præconis renunciandus erat, quomodo poterat ipsis comitiis non esse primus qui primo renunciatus erat? Aut quo-

C modo aliis jam suo loco renunciatis qui tandem postremus erat in alium locum subvehi posset? sane nulla erat ratio gradus mutandi inter eos, qui pares numero Centurias non tulissent: siquidem semper ante renunciandus esset, qui prior plures Centurias tulisset. Quomodo ergo pactio inter competitores fieri potuit de gradibus renunciationis cedendis, nisi de Centuriis suffragium dicturis jam ante constitisset? Ut ergo certa posset esse concessio, ita intelligendum est pactum futurum inter Ciceronem & Antonium; siquidem Cicero voluisset ei ipsis comitiis locum primum cedere, si legitimum numerum Centuriarum primarum pariter cum Cicerone

D confecisset Antonius, Ciceronem velle, idque Antonio concedere, ut prior renuncietur. At enim quid hoc modo de jure suo cessisset Cicero? Aut quid contendendum de ea re Antonio, si spes erat parem se cum Cicerone suffragiis futurum? Nam, quid causæ esset, cur potius hoc vellet a Cicerone obtinere Antonius, quam Cicero ab Antonio? Neque vero inter eos gradus esse renunciationis poterant, qui simul expleverant Centurias: nec pactum ergo inter competitores de locis cedendis in hunc eventum intercedere poterat. Hactenus de gradibus renunciationis: illud nunc animadvertendum est, quod Cicero scribit 2. Orat. in Rullum: *Sed tamen*

E *magnificentius atque ornatius esse illo nil potest, quod meis comitiis non tabellam indicem tacitæ libertatis, sed vivam vocem præ vobis indicem vestrarum erga me voluntatum ac studiorum tulistis.* Ex eo enim loco intelligi potest, tabellam quidem populo datam ad occultanda suffragia, ut etiam idem Cicero scribit pro Plancio: *Etenim si populo grata est tabella, quæ frontes aperit hominum, mentes tegit, datque eam libertatem, ut quod velint, faciant, promittant autem, quod rogentur.* Interdum tamen populum Romanum adeo noluisse beneficio tabellæ uti, ut voce magistratus declararet, quo magis a-

F pertum esset suum suffragium. Non quod tabella non uteretur, sed simul cum tabella vocem adderet, ut Cicero in Pisonem ostendit, cum ait: *Me universa civitas non prius tabella quam voce priorem Consulem declaravit.* Illud quoque observandum, quod Cicero tertio de leg. scribit: *Itaque ut omittam largitione corrupta suffragia, non vides, si quando ambitus sileat, quęri in suffragiis, quid optimi viri sentiant.* His enim verbis Cicero significat, tametsi suffragium tabella ferretur ad occultandum omni ratione suffragium: interdum tamen comitiis, rogatorem comitiorum viros optimos ro-

gare solitum, ut palam de candidatis suam sententiam dicerent: si ambitus sileret, hoc est, si non plus contenderent candidati, quam æquum esset: adeo ut non viderentur moleste laturi, si optimatum judicio aliis alii præferrentur. Cujus rei exemplum est apud Ciceronem 2. de Oratore: *Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem, cum ex Centuria sua renunciaret Acidinum Consulem, præcoque dixisset, Dic de L. Manlio: Virum bonum, inquit, egregiumque civem esse arbitror. cum enim hic Scipio Acidinum cognomento renunciaret, præco volebat, ut proprio nomine L. Manlium appellaret. Scipio vero in aliam sententiam translatis verbis præconis, cœpit laudare Manlium, quasi jussus esset id, pro more, facere.* Ad extremum examinandus est nobis locus Ciceronis ex secunda Philip. ubi ita scribitur: *Ecce Dolabellæ comitiorum dies. Sortitio prærogativæ, quiescit: renunciatur, tacet. Prima classis vocatur, renunciatur. Deinde, ut assolet, suffragia. Tum secunda classis vocatur.* Hic duo sunt quæstione digna. Unum, quomodo hæc Dolabellæ comitia facta sint nullo competitore. Nam, si una modo tabella populo dabatur, quæ nomen Dolabellæ contineret, hoc erat populum necessitate obstringere, ut non posset, si vellet, Consulem Dolabellam non creare. Dicendum igitur est, his comitiis legem latam, qua Cæsar rogabat populum, ut Dolabellam suo loco Consulem esse juberet. Itaque datæ sunt duæ tabellæ populo, ut in lege ferenda, non autem una, quæ nomen Dolabellæ contineret. Et cum renunciatum Dolabellam a prærogativa dicit, sic accipi debet, ut significet, legem a prærogativa acceptam, qua juberetur esse Consul Dolabella. Alterum est, quid illa verba significent, *Deinde, ut assolet, suffragia.* Nam, si his verbis significetur descriptio suffragiorum, hæc verba præpostere posita sunt. Neque enim renunciatio ante fiebat quam suffragiorum descriptio. Itaque locus corruptus esset, legendumque esset: *Prima classis vocatur, deinde, ut assolet, suffragia renunciantur. Tum secunda classis.* Neque vero his verbis cives aliqui intelligi possunt, qui extra classes suffragium dicerent post primam classem, & ante secundam. Quanquam enim apud Appianum reperiamus, cum socii Italiæ primum donati sunt civitate, conjectos in alias quasdam novas tribus a Romanis trigintaquinque tribubus diversas, quæ postremæ suffragium dicerent: attamen ex historia ejusdem constat, postea a Cinna Consule legem latam, ut in tribus Romanas reciperentur: sicut revera recepti sunt, ut ex Velleii Paterculi historia constat, & ex Ciceronis oratione pro Muræna; ubi ait, municipia Umbriæ in tribubus Romanorum fuisse. Constat autem ex historia, Umbros ex his Italiæ populis fuisse, qui in Romanos arma ceperunt. Si igitur omnes cives Romani in tribus trigintaquinque descripti erant, omnes autem qui tribubus continebantur, in classium Centurias; post primam classem necessario sequebatur secunda, nec aliqui cives erant, qui inter illas duas classes suffragium dicerent. Atenim in tanta omnium exemplarium concordia, quæ potest esse suspicio, locum illum corruptum esse? Restat igitur ut his verbis intelligamus, postquam primæ classis Centuriæ suffragium dixerant, iniri solitam rationem numeri Centuriarum, ut appareret an legitimus numerus Centuriarum confectus esset, necne. Diximus enim primæ classis Centurias, connumeratis quidem in ea equitum Centuriis & prærogativa, numero superasse reliquas omnium classium Centurias. Itaque satis erat ad legitimum numerum Centuriarum conficiendum, omnes primæ classis Centurias idem sensisse: nec prius poterat, quæ sententia populi esset, decerni, quam tota prima classis suffragium dixisset: quia tum demum verum esset majorem partem Centuriarum vocatam fuisse. Ut ergo constare posset, an hic finis fa-

A ciendus esset comitiis, an præter primæ classis Centurias aliæ vocandæ, necesse erat numerari suffragia: scilicet ut sciri posset, an consensu Centuriarum legitimus numerus jam confectus esset, aut si nondum confectus esset, quot requirerentur Centuriæ. Erat igitur duplex suffragiorum descriptio. Una, ad describendum singularum Centuriarum suffragia, ut eliceretur cujusque Centuriæ sententia. Altera, ad ineundum numerum Centuriarum, ut tandem de populi sententia constare posset. Illa descriptio a custodibus fiebat seorsum in sua cujusque tabella. Hæc a rogatore comitiorum simul colligente omnes Centurias, quarum jam descriptum esset suffragium. Ex B illa descriptione nascebatur singularum Centuriarum adhuc incerta renunciatio. Ex hac, si quidem legitimus numerus Centuriarum confectus esset, certa renunciatio: si nondum confectus, cognitio numeri Centuriarum, quæ in omnes partes requirerentur ad legitimum suffragiorum numerum perficiendum. Cum ergo ait Cicero: *Deinde, ut assolet, suffragia*: significat more solito suffragiorum initam esse rationem, quæ ex omni prima classe Dolabellam Consulem fecissent. Et quoniam subjungit, vocatam fuisse secundam classem, ex eo colligo, primæ classis Centurias non omnes renunciasse Dolabellam C Consulem, sed a quibusdam Centuriis legem antiquatam. Nam si post initam suffragiorum rationem comperisset Cæsar omnes primæ classis Centurias cum prærogativa consensisse, quorsum vocanda erat secunda classis, legitimo jam numero confecto? Profecto nisi dicamus post auctum numerum Centuriarum a Servio institutum, non amplius pene primores vim suffragiorum fuisse, illud concedamus necesse est. Nam T. Livius & Dionysius interpretantur vim istam penes primores, penes equitum & primæ classis Centurias fuisse: in quibus si nihil variasset, reliquarum classium suffragio nil opus erat. Mihi vero non fit verisimile, cum auctus est numerus Cen-D turiarum, passuros fuisse primores, ut vincerentur numero a Centuriis inferiorum classium: sed proportione quadam ita auctum esse utrumque numerum, ut semper majore numero fuerint primæ classis Centuriæ, connumeratis in ea equitibus, quam reliquarum omnium classium. Quod ergo ait Cicero renunciatum Dolabellam a prima classe, non sic accipi debet, quasi omnes primæ classis Centuriæ absque variatione in eo consensissent: sed quod major pars renunciasset. Nam si totam primam classem renunciasse accipias absque ulla varietate, quorsum opus erat Centuriarum hic inire rationem? præsertim cum cer-E tum esset, vel consensu totius primæ classis legitimum numerum nondum esse confectum. Qui enim nullam primæ classis Centuriam viderat legem antiquasse, quomodo incertus esse posset, quot præterea requirerentur ad legitimum numerum? At qui id jam sciebat, quorsum ineundo numero suffragiorum tempus consumpsisset? Est igitur verius id, quod diximus, legitimum numerum suffragiorum fuisse in primæ classis Centuriis: ob idque post dicta primæ classis suffragia, ac non prius, ineundam fuisse rationem numeri legitimi: præsertim si aliquas dissensisse in singulis renunciandis compertum esset. Nam si ad legitimum numerum Centuriarum conficiendum F præter primam classem opus fuisset dimidia parte (verbi gratia) Centuriarum secundæ classis, hic sane & non prius ratio ineunda fuit legitimi Centuriarum numeri. Itaque in his Dolabellę comitiis legem Centurię aliquę non acceperant: propatereaque ex secunda classe vocandę fuerunt eousque Centurię, dum legem tot Centurię ex hac classe acceperint, quot in prima classe ad legitimum numerum requirebantur. Et quoniam his comitiis in secunda classe legitimus numerus confectus est, propterea tertię classis nulla fit apud Ciceronem mentio. Ac de his quidem, quæ ipsis comitiis fierent, satis. Sequitur ut pauca

de iis, quæ post dicta suffragia fieri solebant, dicamus. In legum comitiis nihil reperio, quod proprie ad comitia pertineret, fieri solitum post suffragia; nisi quod legitimo Centuriarum numero confecto, legem aut acceptam, aut antiquatam magistratus pronunciabat, populumque dimittebat. In magistratuum vero comitiis, solebat is, qui habebat comitia, priusquam populum dimitteret, eos renunciare, quos jam sæpe a præconibus pronunciatos populus creasset, adjecta solenni precatione. Id quod ex Cicerone constare potest, cum ita scribit pro Muræna: *Quæ deprecatus a diis immortalibus sum, Judices, more institutoque majorum illo die, quo auspicato comitiis Centuriatis L. Muræenam Consulem renunciavi: ut ea res mihi magistratuique meo, populo plebique Romanæ bene ac feliciter eveniret.* Illud quoque ex Cicerone confirmare possumus, eos, qui Consules designati essent, domum e campo deduci solitos a magna multitudine populi, ac præsertim propinquorum & necessariorum. Verba Ciceronis 2. in Verr. hæc sunt: *Nam ut Hortensius Cos. designatus domum reducebatur e campo cum maxima frequentia & multitudine.* Et paulo post: *Propinquis necessariisque ejus, qui tum aderant, verbum nullum facit.* Ac de modo quidem comitiorum Centuriatorum satis: nunc de loco agendum.

CAP. V.

De loco Centuriatorum comitiorum.

COMITIA nulla poterant haberi, nisi in loco inaugurato, hoc est, ab auguribus ad eam rem dicato & consecrato, ut ex T. Livio apparet, cujus verba sunt lib. 3. Dec. 1. *Igitur Tribuni ut impediendæ rei nulla spes erat, de proferendo exercitu agere, eo magis, quod & augures jussos adesse ad Regillum lacum fama exierat, locumque inaugurari, ubi auspicato cum populo agi posset: ut quicquid Romæ vi Tribunitia rogatum esset, id comitiis ibi abrogaretur.* Centuriata vero comitia intra pomœrium haberi non poterant: quia, inquit Gellius lib. 15. c. 27. *exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari jus non sit.* Atqui Centuriata comitia nisi imperato exercitu haberi non poterant: idque præsidii causa, ut idem Gellius ait, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus. Quoniam autem hæc maxime justa erant comitia & universi populi, cum Tributa magis plebis essent, idcirco non perinde imperato exercitu præsidii causa Tributis opus erat, ut Centuriatis: quando non æque populus universus erat in suffragiis ferendis occupatus. Rationem autem edicendi exercitus indicat Livius lib. 9. Dec. 4. his verbis, quæ sunt Sp. Posthumii Cos. *Majores vestri, ne vos quidem, nisi cum aut vexillo in arce posito comitiorum causa exercitus edictus esset, aut plebi concilium Tribuni edixissent, aut aliquis ex magistratibus ad concionem vocasset, forte temere coire voluerunt.* Locus igitur Centuriatis comitiis destinatus erat campus Martius, de quo Livius ita scribit: *Ager Tarquiniorum, qui inter urbem ac Tyberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit.* Hunc campum reperio apud Gellium lib. 6. cap. 7. Accæ Larentiæ fuisse, datumque testamento populo Romano, vel, ut alii volunt, Romulo. Eum sibi Tarquinii usurpaverant: quibus ejectis populo restitutus est adjecta consecratione. In hoc campo Martio Centuriata comitia semper habita reperio: nisi quod judicium Manlii e campo Martio translatum est in Lucum Petilinum extra portam Frumentariam: ut a conspectu Capitolii oculi populi averterentur, quo liberius de conservatore Capitolii judicaret; ut scribit Livius lib. 6. A 1. Dec. Hunc campum Cicero quarta oratione in Catilinam, Consularibus auspiciis consecratum appellat: quia imperii Consularis auspiciis omnia fere peragebantur, quæ publice in eo campo fieri solebant. De septis, quæ in campo erant, & de Tribunali comitiali supra satis diximus. Itaque nihil jam superest, quod de loco Centuriatorum comitiorum dicamus. Restat ut de tempore pauca agamus.

CAP. VI.

B *De tempore Centuriatorum comitiorum.*

COMITIA non poterant nisi comitialibus diebus haberi. Ut autem, quid essent dies comitiales, intelligatur, verba Macrobii citabo ex 1. Satur. cap. 16. *Numa ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit: diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit. Festi diis dicati sunt: profesti hominibus ad administrandam rem privatam publicamque concessi: intercisi deorum hominumque communes sunt. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ: profestis fasti, comitiales, comperendini, stati, præliares: intercisi in se, non in* C *alia dividuntur. Nam cum hostia cæditur, fari nefas est: inter cæsa & porrecta fari licet: rursus cum adoletur, non licet. Sacra celebritas est, vel cum sacrificia diis offeruntur, vel cum dies divinis epulationibus celebratur, vel cum ludi in honorem aguntur deorum, vel cum feriæ observantur. Feriarum autem publicarum genera sunt quatuor. Aut enim stativæ sunt, aut conceptivæ, aut imperativę, aut nundinę. Et sunt stativę universi populi communes certis & constitutis diebus ac mensibus, & in fastis statis observationibus annotatæ: in quibus præcipue servantur Agonalia, Carmentalia, Lupercalia. Conceptivæ sunt, quę a magistratibus vel sacerdotibus concipiuntur in* D *dies vel certos vel etiam incertos: ut sunt Latinæ, Paganalia, Sementinę, Compitalia. Imperativę sunt, quas Consules, vel Prætores pro arbitrio potestatis indicunt. Nundinæ sunt paganorum, id est, rusticorum, quibus conveniunt negotiis propriis, vel mercibus provisuri. Fasti sunt quibus licet fari Prætori tria verba solennia Do, Dico, Addico. His contrarii sunt nefasti. Comitiales sunt, quibus cum populo agi licet. Et fastis quidem lege agi potest, cum populo non potest: comitialibus utrumque potest. Comperendini, quibus vadimonium licet dicere. Stati, qui judicii causa cum peregrino instituuntur. Præliares ab justis non segregaverim: siquidem justi sunt continui* E *triginta dies, quibus exercitu imperato vexillum rusi coloris in arce positum est: præliares autem omnes, quibus fas est res repetere, vel hostem lacessere. Dies autem postriduanos ad omnia majores nostri cavendos putarunt: quos etiam atros velut infausta appellatione damnarunt. Pontifices statuerunt postridie omnes Calendas, Nonas, Idus, atros dies habendos: ut hi dies neque præliares, neque puri, neque comitiales essent. Ante diem quoque quartum Calendas, vel Nonas, vel Idus, tanquam inominalem diem plerique vitant. Ad rem sane militarem nil attinere notat Varro, utrum fastus vel nefastus dies sit: sed ad solas has actiones* F *respicere privatas.* Hæc ad verbum ex Macrobio adscripta sunt. Ex quibus hoc primum constat dies comitiales non eos fuisse, in quos pro arbitrio comitia magistratus edicerent, sed certos quosdam eos dies fuisse jam inde a Numæ instituto, quibus solis cum populo agi posset. Tum vero ex eo, quod inter profestos dies enumerantur comitiales, intelligi potest, comitia haberi non potuisse ullis diebus ludorum, sacrificiorum ac feriarum. Et quoniam multa genera diversa profestorum dierum facit, apparet ne omnibus quidem profestis diebus comitia haberi fas fuisse. Neque enim fastis diebus haberi poterant,

nec nefastis. Plautus enim, cum in Pœnulo ita scribit: *Nam istorum nullus nefastus est, comitiales sunt meri:* per allusionem dierum nefastorum & comitialium, opponit inter se nefastos & comitiales homines. Et si dies comitiales iisdem potuissent esse nefasti, non verum esset, quod ait Macrobius, Comitialibus diebus & cum populo & lege agi potuisse. Id quod ego sic intelligo, peractis comitiis nil vetare, si tempus pateretur, quominus apud Prætorem agi posset. Nam avocari judiciis populum, dum haberentur comitia, fas non fuisse existimo. Quo fit, ut eadem ratione existimem, comitiales dies a comperendinis statisque diebus fuisse diversos. Sed nec præliaribus comitia haberi potuisse, vel hinc ostendi potest, quod justitio indicto certum est, nihil publice agi potuisse, nisi quod ad exercitum parandum pertineret. Præliares autem a justis non distinguit Macrobius. Et quoniam nono quoque die erant nundinæ, quas inter ferias numeravimus, perspicuum est e numero comitialium nonum quemque diem esse detrahendum. At si præterea inde auferas omnes festos, itemque omnes fastos nefastosque, comperendinos, statos, præliares, omnes denique atros dies; necessario efficietur, toto anno non ita multos dies fuisse comitiales. Unde fit, ut non possent magistratus, cum vellent, agere cum populo; sed providendum eis erat, ut comitialis dies esset, in quem comitia edicerent. Unde apud Livium tam sæpe reperitur mentio comitialium dierum. Ut lib. 3. 1. Dec. *Sic patres in lege, quæ per omnes comitiales dies ferebatur, impedienda se gerebant.* Et lib. 7. *Aliquoties frustra in campum descensum cum esset, multique per seditiones acti comitiales dies.* Et lib. 4. Decad. 3. *Fabius in eum, quem primum comitialem diem habuit, comitia edixit.* Erant igitur comitiales dies, illi dies in fastis populi Romani descripti, quibus comitia haberi possent. Hoc enim idem est, atque cum populo agere. Nam rogari populi suffragia nisi comitiis non possunt. Porro autem ut de nundinis amplius disputemus, facit locus apud Dion. lib. 7. & Plutarchum in Coriolano. Uterque enim auctor est Martio Coriolano post accusationem trinundinum ita datum, ut tertiis nundinis judicium de eo futurum esset. Unde sequitur, eos velle, nundinis haberi potuisse comitia. Quod tamen ne eis credam, verba Macrobii efficiunt, cum ita scribit: *Quod autem nundinas ferias dixi, potest argui: quia Titus de feriis scribens, nundinarum dies non inter ferias retulit, sed tantum solennes vocavit. Et quod Julius Modestus affirmat, Messala augure consulente pontifices, an nundinarum Romanarum nonarumque dies feriis tenerentur, respondisse eos, nundinas sibi ferias non videri. Et quod Trebatius in lib. 1. religionum ait, nundinis magistratum posse manumittere, judiciaque adjicere. Sed contra Julius decimosexto auspiciorum lib. negat nundinis concionem advocari posse, id est, cum populo agi: ideoque nundinis Romanorum haberi comitia non posse. Cornelius etiam Labeo primo Fastorum lib. nundinas ferias esse pronunciat: Causam vero hujus varietatis apud C. Licinianum libro 2. diligens lector inveniet. Ait enim nundinas Jovis ferias esse: siquidem Flaminica omnibus nundinis in regia Jovi arietem solebat immolare, sed lege Hortensia effectum ut fastæ essent: uti rustici, qui nundinandi causa in urbem veniebant, lites componerent. Nefasto enim die Prætori fari non licebat. Ergo qui ferias dicunt, a mendacio vindicantur patrocinio vetustatis: qui contra sentiunt, æstimatu ætatis quæ legem secuta est, vera depromunt.* Ex his Macrobii verbis perspicuum est nundinis comitia haberi non potuisse. Quod etiam Plinius lib. 18. cap. 3. ita scribit: *Nundinis urbem revisitabant, & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs rustica avocaretur.* Itaque ego de Plutarcho & Dionysio sic sentio; aut in hac an-

A tiquitatis observatione parum fuisse diligentes, aut, si non est error in eorum codicibus, judicium hoc Martii certis quibusdam de causis in diem nundinarum indictum fuisse, quamvis jure id non liceret. Utut sit, illud certum est, nundinis non modo concionem ad populum haberi potuisse, ut vel ex eo apparet, quod trinis nundinis leges promulgari oporteret: sed etiam apud Prætorem lege agi: idque jam inde post leges duodecim tabularum latas: ut ex primo cap. lib. 20. A. Gellii intelligi potest. Legem enim interpretans, in qua scriptum erat: *Æris confessi, rebusque jure judicatis triginta dies justi sunto:* ita scribit: *Erat autem jus interea* B *paciscendi. Ac nisi pacti forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur, quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur.* Ex his planum est, nundinis apud Prætorem lege agi potuisse, etiam ante abrogatam illam legem duodecim tabularum de nexis: de qua illic est mentio. Unde colligo, hanc legem Hortensiam per quam nundinæ fastæ effectæ sunt, veterem admodum fuisse, ac non eandem esse cum illa Hortensia, de qua est mentio lib. 1. Digestorum leg. 2. de orig. juris & lib. 1. Institut. qua cautum est, ut plebi- C scita omnes Quirites tenerent. Quanquam autem nundinis esset apud Prætorem legis actio, concionemque a magistratibus haberi liceret, tamen comitia, ut ex his, quæ diximus, apparet, haberi non poterant. Illud etiam de comitialibus diebus observandum est, quod apud Ciceronem scriptum est in epistola ad Q. Fratrem, cujus initium est: *Risi nivem atram: Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat Senatum: eo quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi, ex Calendis Febr. usque ad Calend. Martias legatis quotidie Senatum dari.* Ex iis enim verbis apparet, legem fuisse Pu- D piam, per quam vetabatur, ne diebus comitialibus Senatum habere liceret. Id quod in alia etiam epist. ad Q. Fratrem ita scribit: *Consecuti sunt dies comitiales, per quos Senatus haberi non poterat.* Unde etiam in epist. ad Lentulum quarta sic scriptum est. *Senatus haberi ante Cal. Febr. per legem Pupiam (id quod scis) non potest.* Ex quo etiam loco cum superioribus epistolis collato intelligi potest, mense Januario nullos fuisse dies comitiales ante 14. Cal. Feb. siquidem usque ad eam diem vel feriæ erant, vel habitum fuisse Senatum ostendit. Et quoniam reliquo toto mense dicit per legem Pupiam haberi Senatum non posse, colligi potest, reliquos mensis E illius dies comitiales fuisse: nisi feriæ aliquæ in eos dies incidissent, ut nundinæ. Nundinarum enim interventus duos dies de numero comitialium demebat, ut ostendit Cic. lib. 4. ad Att. in epist. *Avere te certo scio.* Postquam enim 12. & 11. Cal. Dec. in comitialibus diebus numeravit, de decimo & nono die ita subjicit: *Ante diem 10. Cal. nundinæ. Concio biduo nulla.* Quibus verbis significat de comitiis P. Clodii nihil actum esse illis duobus diebus, propter interventum nundinarum. Nam concio illic pro comitiis accipi debet, ut præcedentia & consequentia ostendunt. Nec sane verum esset, nundinis verba ad F populum fieri non potuisse. Tum vero de 8. Cal. rursus subjicit: *Ante diem 8. Cal. hæc ego scribebam hora noctis nona. Milo campum jam tenebat.* Quæ verba significant rursus, hunc diem 8. Calend. comitialem fuisse. Mense Febr. erant post Quirinalia dies aliquot comitiales, ut ait Cicero in epist. ad Q. Frat. 15. *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur.* Erant autem Quirinalia 13. Calend. Mart. In cæteris quoque mensibus fuisse comitiales quosdam dies, non difficile erit ex veterum scriptorum libris colligere. Quanquam autem lege cavebatur, ne comitialibus diebus Senatus haberetur; interdum tamen Se-

natuſconſulto magiſtratus legibus ſolvebantur, ut illis diebus Senatum habere liceret: ut oſtendi poteſt ex 8. epiſt. Cælii ad Ciceronem. Illic enim verba Senatuſconſulti hæc ſunt: *Quod M. Marcellus Coſ. verba fecit de provinciis Conſularibus, de ea re ita cenſuerunt: uti C. Marcellus, L. Paulus Conſules cum magiſtratum iniſſent, ex Cal. Mart. quę in ſuo magiſtratu futuræ eſſent, de Conſularibus provinciis ad Senatum referrent: neve quid prius ex Calend. Martiis ad Senatum referrent, neve quid conjunctim de ea re referretur a Conſulibus: Utique ejus rei cauſa per dies comitiales Senatum haberent, Senatuſque Conſultum facerent*. Illud igitur de tempore comitiorum habendorum pro certo jam accipi poteſt, quæcunque quis eſſet habiturus comitia, non fuiſſe fas niſi comitiali die haberi. Quod ſi propius etiam de magiſtratuum creationis tempore quæratur, ex hiſtoria fiet perſpicuum, ſicut diverſis temporibus magiſtratum iniſſe comperiuntur Romani magiſtratus, ita ordinariam creationem in alia atque alia tempora incidiſſe. Liv. lib. 3. Dec. 1. ſcribit L. Ebutium & P. Servilium Cal. Sext. *ut tunc principium* (inquit) *anni agebatur*, Conſulatum iniviſſe. Paulo poſt cum de decemviris loquitur, ita ſcribit: *Idus tum Maiæ ſolennes erant ineundis magiſtratibus*. At tempore belli Punici ſecundi, Conſules Idibus Martiis Conſulatum inibant, ut paſſim in hiſtoria T. Livii legi poteſt. Idque ita obſervatum eſt uſque ad annum Urbis 601. quo anno Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius Luſcus Conſules primi Cal. Jan. magiſtratum inierunt: poſt quod tempus idem deinceps a ſequentibus Conſulibus factum eſt. Ac toto quidem illo tempore, quo magiſtratum inibant Idib. Mart. comitia haberi ſolebant Januario & Februario menſe, dimiſſis ſcil. in hyberna exercitibus. At poſtquam Cal. Jan. magiſtratum inire cœperunt, ordinaria magiſtratuum creatio fuit ad finem menſis Julii & principium Auguſti; ut ex multis Ciceronis locis conſtare poteſt. Ut 2. oratione in Ver. indicat: *6. Cal. Sext. comitia Conſularia facta quibus Hortenſius deſignatus eſt*. Et lib. 1. ad Att. in epiſt. *Quæris ex me*: dicit: *comitia Conſularia quibus Afranius Conſul deſignatus eſt, edicta ad 6. Cal. Sextiles*. Et lib. 8. epiſtolarum, Cælius ad Ciceronem ſcribens oſtendit comitia Conſularia, quibus C. Marcellus & L. Paulus Conſules deſignati ſunt, ante Cal. Sextil. habita fuiſſe: idque poſt 11. Cal. Sextil. Quod ſi ultra ducerentur comitia, id eveniebat propter interceſſiones aut obnunciationes per quas differrentur. Ut comitia Murænæ poſt 5. Cal. Novemb. habita ſunt, quemadmodum ex oratione pro Muræna conſtare poteſt. Porro autem Conſularia comitia ante Prætoria haberi ſolebant; interdum quidem eodem die, ut ex Livio conſtat, cujus hæc verba ſunt lib. 10. Dec. 1. *His agendis dies conſumptus eſt*. Poſtridie ad præſcriptum Conſulis & Conſularia & Prætoria comitia habita. Interdum poſtero die, interdum tertio aut alio quodam poſt die, ut ex lectione Livii intelligi poteſt. Cenſoribus creandis comitia ſuperioribus temporibus haberi ſolebant paulo poſt initum a Conſulibus magiſtratum, priuſquam in provincias proficiſcerentur, ætate Ciceronis ad finem menſis Junii, ut conſtare poteſt ex epiſtolis ad Appium lib. 3. epiſtol. Fam. collatis cum epiſtolis libri ſexti ad Atticum, ex quibus colligi poteſt, Appium Cenſorem factum eo, quo dixi tempore. Idque quinto quoque anno, ut ex hiſtoria conſtare poteſt. Verum hoc diverſum erat, quod Cenſores ſtatim deſignati magiſtratum inibant. Unde fit, ut apud Livium 10. Dec. 4. reperiamus, Cenſores deſignatos ſtatim in Capitolium deductos ad capienda magiſtratus inſignia, jurandumque in leges. Conſules vero Prætoreſque, niſi interregno aut in locum demortui creati eſſent, non ſtatim deſignati inibant magiſtratum. Ut cum Cal. Jan. magiſtratum inibant & deſignabantur ad finem Julii, quinque menſes poſt deſignationem erant, quibus privati manebant, antequam inirent magiſtratum. Quo temporis ſpatio fere de ambitu in deſignatos inquirebatur per competitores aut alios quoſvis. Erat enim hoc accuſationis præmium, ut ſi deſignatum competitorem ambitus damnaſſet competitor, pro eo ſubſtitueretur, ut ex oratione pro Sylla intelligi poteſt. Unde etiam damnatis Antonio & Sylla, qui jam Conſules deſignati eſſent, ſubrogati ſunt eorum competitores L. Torquatus & L. Aurelius Cotta. Erat etiam lex qua jubebatur, ut tribum ejus aſſequeretur, quem quis de ambitu accuſaſſet, & damnaſſet. Cicero pro Balbo: *Objectum eſt etiam quod in tribum Cruſtuminam pervenerit: quod hic aſſecutus eſt legis de ambitu præmio minus invidioſo, quam qui legem præmiis prætoriam ſententiam & prætextam togam conſequuntur*. Erat & alia lex, ut ſi quis de ambitu damnatus alium quempiam ambitus accuſaſſet & damnaſſet, in integrum reſtitueretur. Quod Cicero pro Cluentio indicat his verbis: *Quapropter hoc Balbi judicium non plus obeſſe huic cauſæ debet, quam illa, quæ commemorata ſunt ab accuſatore, duo judicia P. Popili & T. Guttæ, qui cauſam de ambitu dixerunt: qui accuſati ſunt ab iis, qui erant ipſi ambitus condemnati: quos ego non idcirco eſſe arbitror in integrum reſtitutos, quod planum fecerint, illos ob rem judicatam pecuniam accepiſſe: ſed quod judicibus probarint, quod in eodem genere, in quo ipſi offendiſſent, alios reprehendiſſent: ſed ad præmia legis venire oportere*. Atque is eſto ſimul hujus digreſſionis finis, & hujus de comitiis Centuriatis libri.

DOCTISSIMI VIRI

D. NICOLAI GRUCHII

ROTOMAGENSIS,

DE

COMITIIS ROMANORUM

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Quid essent Tributa Comitia.



TRIBUTA comitia perinde a tribubus nomen habuerunt, ut a Centuriis Centuriata: quod scilicet non modo tributim divisus populus suffragium ferret; sed etiam quid plures tribus juberent aut vetarent, spectaretur. Et quoniam gravissimis auctoribus visum est, tributa comitia a Curiatis non fuisse diversa, propterea in hujus opinionis refutatione diutius nobis immorandum est. Ac primum si ostenderimus tribus a curiis semper diversas fuisse, necessario relinquetur semper diversa fuisse comitia Tributa a Curiatis. Nam si Romuli tempora spectentur, quoscunque tu auctores sequaris, diversæ tum fuerunt curiæ a tribubus. Dionysius scribit lib. 2. divisam esse a Romulo omnem multitudinem in tres partes: ac trium rursus partium singulas in denas partes: vocatasque majores partes tribus, minores curias. Varro lib. 4. de lingua Latina scribit, agrum Romanum in tres partes a Romulo divisum; unde tribus appellatæ sint. Plutarchus in Romulo scribit in tres tribus divisam omnem civitatem, Ramnenses, Tatienses, Luceres: tum singulas ex iis rursus in denas partes divisas. T. Livius Centurias equitum dicit tres conscriptas, Ramnensium, Tatiensium & Lucerum; populum autem divisum in triginta curias. Sive ergo factas tribus a Romulo dicamus, easque aut diversas ab equitum Centuriis, aut easdem cum illis tribus equitum Centuriis, ut ait Plutarchus: sive nullas tribus (quod cum Livio verius esse puto) ab eo factas dicamus, quæ omnem multitudinem continerent: sed tres modo equitum Centurias ex omni multitudine selectas, quæ a suo numero interdum tribus etiam vocarentur: quomodo etiam Livius eas appellat lib. 10. 1. Dec. ubi tres antiquas tribus appellat Ramnenses, Tatienses, & Luceres: contentum autem fuisse divisione populi in triginta curias, quibus etiam trium Centuriarum equites continerentur. Sane, quoscunque auctores sequamur, semper a curiis diversas fuisse tribus sub Romulo, efficietur: sin sequentia tempora spectemus, videbimus auctore Livio primum factas tribus quatuor a Servio Tullio partibus urbis distinctas. Hujus hæc verba sunt: *Quadrifariam urbe divisa regionibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit, ut ego arbitror, ab tributo. Nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est.* Post hæc lib. 2. ostendit Ap. Claudio & P. Servilio Coss. factas Romæ unam & triginta tribus (sic enim legitur in omnibus codicibus, recte ne an secus, postea videbimus) tum lib. 6. Dec. 1. dicit additis quatuor tribubus expletum esse numerum triginta quinque tribuum, tertio anno post urbem a Gallis captam. Dionysius vero lib. 4. scribit, Servium Tullium divisisse omnem urbem in quatuor tribus, Palatinam, Suburranam, Collatinam, Esquilinam: atque ita quatuor tribuum urbem fecisse, quæ ad hoc tempus trium fuerat tribuum. Quo etiam in loco ait Servium Regem desiisse habere rationem veterum illarum tribuum generalium, ut suarum localium rationem haberet. Tum subjicit Fabium scriptum reliquisse, agrum præterea universum in viginti sex partes divisum fuisse, quas etiam idem Fabius tribus appellat: quas rusticas tribus, si cum quatuor urbanis conjungas, triginta tribus fient, quas sub Servio Tullio fuisse, ac non plures, asserit. Venonium tamen memoriæ mandasse, unam & triginta tribus sub hoc Rege fuisse. Quem probabiliora dicere cur affirmet illo loco Dionysius, non video. Verum hos locos postea diligentius examinabimus. Sive ergo Livium sequi malis, sive Fabium, sive Venonium, nonne etiam tum diversas a curiis tribus fuisse relinquetur? Nam si jam inde ab Romulo fuerunt triginta curiæ suis quæque nominibus appellatæ, ut omnes auctores in eo consentiunt: tribus autem vel sub Servio, vel etiam post reges ejectos triginta demum fuerunt: qui deinde numerus ad quinque & triginta tribus excrevit; quomodo potuerunt eædem esse tribus & curiæ? Jam vero si eadem fuissent Centuriata & Tributa comitia, quomodo verum esse posset, quod scribit Dionysius libro 7. primum habita fuisse comitia Tributa in judicio Coriolani? Neque enim dici potest, ad hoc usque tempus non fuisse habita curiata comitia. Præterea, si eadem curiata cum Tributis, quorsum legem tulisset P. Volero, ut plebeii magistratus Tributis comitiis crearentur, qui curiatis ante creabantur? ut ait idem Dionysius lib. 9. Quinetiam ex multis locis Ciceronis ostendi potest sua etiam ætate diversa fuisse curiata comitia & Tributa. In oratione pro domo sua, curias non plus quam triginta fuisse his verbis indicat: *Quæro, si aut negasses aut tacuisses, si tamen id triginta curiæ jussissent, num id jussum esset ratum?* At cum tribuum meminit, passim dicit quinque & triginta fuisse. Quomodo ergo eædem erunt tribus & curiæ? Jam vero in oratione 2. in Rullum prima comitia magistratibus creandis fuisse dicit centuriata aut Tributa, secunda autem curiata, quæ tantum auspiciorum causa remanserant. Quæ profecto vera esse non possent, nisi diversa essent a curiatis Tributa. Ac de curiatis quidem libro tertio dicemus: nunc de Tributis, ut, quid essent, apertius intelligatur, verba A. Gellii ex lib. 13. cap. 27. subjiciam: *Tributa comitia erant, cum ex regionibus & locis suffragium ferebatur.* Quibus verbis nihil aliud vult, quam Tributa comitia fuisse, cum per tribus suffragium ferebatur. Erant enim tribus populi Romani partes distinctæ locis in urbe diversis, & regionibus undique circum urbem per Italiam dispersis. Quarum

rum nomina diligentia Pauli Manutii in Annot. libri octavi epistolarum famil. collecta infra scripsimus, & scriptores aliquot, qui de iis meminerunt, apposuimus; ut inde facilior earum ac certior unicuique cognitio sit. I. Æmilia, de qua Cicer. ad Atticum 62. T. Livius lib. 38. Antiq. 75. II. Aniensis. Cic. pro Plan. Fam. epist. 225. Livius lib. 10. Antiq. 175. & 190. III. Cornelia. Livius lib. 38. Antiq. 151. IV. Claudia. Livius libr. 2. Virg. libr. 7. Æn. Dionys. Halic. libr. 5. Antiq. 75. & 114. V. Collina. Varro libr. 4. de lin. Latin. Plinius libro 18. cap. 3. Sext. Pom. Antiq. 27. & Dionys. libro 4. & Florus in epit. Livii libr. 20. VI. Crustumina sive Clustumina (nam in antiquis & lapidibus & libris sæpissime per l scripta legitur) Cic. pro Plan. & pro Balbo. Antiq. 134. VII. Esquilina. Var. libr. 4. de lin. Lat. Plin. libr. 18. cap. 3. Sext. Pom. in littera V. Dionys. libr. 4. & Florus in epit. Livii libr. 20. VIII. Falerina. Livius libr. 9. Antiq. 120. IX. Fabia. Horat. epist. 6. lib. 1. Svet. in Augusto. Antiq. 61. & 343. X. Galeria. Livius libro 27. Plin. libr. 7. cap. 49. Antiq. 89. & 142. XI. Lemonia. Cic pro Plan. & Philip. 9. Sext. Pom. Antiq. 91. & 151. XII. Metia. Cic. ad Att. 126. Livius libr. 8. & 29. Val. Max. Sext. Pomp. XIII. Narniensis. Cic. in Rull. Liv. lib. 6. ubi corrupte legitur Arniensis, & lib. 29. XIV. Ocriculana. Cic. in Rull. ubi mendose legitur Ocriculana. XV. Ufentina. Liv. libr. 9. Sext. Pomp. in littera V. Antiq. 29. bis, & 62. XVI. Palatina. Cic. Verr. 4. Ascon. Var. lib. 4. de lin. Lat. Plin. lib. 18. cap. 3. Liv. libr. 20. Sext. Pomp. in litera V. Dionys. lib. 4. Antiq. 29. bis & 62. XVII. Papyria. Sext. Pomp. Liv. libr. 9. Antiq. 62. & 135. XVIII. Pollia. Liv. lib. 9. Valer. Max. Antiq. 116. & 113. & 147. XIX. Popilia. Valer. Max. Fam. epist. 226. Sext. Pomp. Antiq. 197. XX. Pontina sive Pomptina. (utroque enim modo scribitur) Cic. ad Att. 126. Livius lib. 7. Sext. Pomp. Antiq. 176. XXI. Publicia. Liv. lib. 6. Antiq. 66. & 81. interdum etiam scribitur Poblicia. XXII. Pupinia. Cic. ad Q. Fr. 605. Fam. epist. 225. Liv. Decad. 3. lib. 6. Festus. XXIII. Quirina. Ascon. Cic. pro Quintio, ubi antea mendose legebatur Quirina. Fam. epist. 226. Sext. Pomp. Antiq. 15. & 44. XXIV. Romulia. Sext. Pomp. Cic. in Ver. & in Rull. Ascon. Var. libr. 4. de lin. Lat. Ant. 165. XXV. Sergia. Ascon. Antiq. 61. & 63. XXVI. Suburrana. Plin. lib. 18. cap. 3. Var. lib. 4. de lin. Lat. Sext. Pom. in litteris S. & V. Dionys. lib. 4. Florus lib. 20. XXVII. Sapinia. Livius libr. 31. & 33. XXVIII. Scaptia. Svet. in Augusto. Sext. Pomp. Liv. libr. 8. Ant. 476. XXIX. Stellatina. Livius libr. 6. Antiq. 110 & 150. XXX. Sabatina. Livius lib. 6. Sext. Pomp. XXXI. Terentina. Cic. pro Plan. Livius libr. 6. Fam. epist. 226. Antiq. 140. & 336. XXXII. Tromentina. Sex. Pomp. Livius libr. 6. ubi corrupte legitur, Promentina. Antiq. 107. & in lapide, qui Cajetæ est, in quo scriptum legitur, *L. Atilio L. F. Tromen.* XXXIII. Velina. Cic. ad Att. epist. 86. & in Bruto. Horat. epist. 6. libr. 1. Persius. Antiq. 19. Florus in epit. libr. 19. XXXIV. Volitinia. Cic. pro Plan. Antiq. 75. & in lapide, qui Venetiis est in turris sancti Vitalis, in quo ita scriptum est, *Cn. Numerius, Cn. F. Vol. Fronto.* XXXV. Vejentina. Cic. pro Plancio.

Hæ sunt triginta quinque tribus, in quas populus Rom. dispertitus erat: quarum aliquam (ut ait Asconius) necesse erat, cujuscunque esset ordinis, civis Romanus obtineret. Ex hoc autem numero quatuor tantum urbanæ fuerunt; Palatina, Esquilina, Collina, Suburrana: in quas, ut inquit Plinius, transferri ignominiæ esset: dictæ a partibus urbis, in quibus habitabant. Reliquæ omnes rusticæ laudatissimæ eorum, qui rura haberent: quæ proprie ingenuorum erant, cum urbanæ libertinorum essent, ut auctor est Ascon. & L. Florus in

A epit. libr. 20. & Cic. I. de Orat. Ubi autem scripsimus, Antiq. librum, qui Romæ olim est impressus, cui titulus est, Antiquæ urbis epigrammata, significavimus. Chartarum autem ejusdem libri numerum subjecimus, ut facilius, quæ volumus, reperiri possint. At enim illud hoc loco de numero tribuum dubitari potest, ex iis quæ in Flori epitome scripta reperiuntur. Scribit enim libro decimo nono, duas tribus adjectas Velinam & Esquilinam multis annis post reges exactos: cum tamen certum sit, Esquilinam ex quatuor tribubus unam fuisse, in quas Servius Tullius urbem diviserat. Præterea Livius libro sexto Decad. primæ ita scribit: B *Tribus quatuor ex novis civibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narniensis; eæque triginta quinque numerum explevere.* Post autem libro septimo, duas tribus additas esse dicit, Pontinam & Publiciam. Et duas libro 8. Metiam & Scaptiam. Et duas item libro 9. Ufentinam & Falerinam. Et duas item libro 10. Aniensem & Terentinam. Ex quo videretur aut Livius non sibi constare, aut codex mendosus esse in numero triginta quinque tribuum. Paulus Manutius communem ad omnia solutionem ponit, ut verbum illud *additæ* pro *auctæ* accipiatur: quasi velit Livius numero C civium auctas eas tribus, quas additas fuisse scribit. Verum ut non plane ita esse credam, eo potissimum adducor, quod parum commoda videtur interpretatio, ut additas vel adjectas tribus sumamus pro auctis numero civium. Nam si eisdem verbis utatur Livius libro sexto Decad. primæ, cum ex novis civibus dicit additas quatuor tribus, & libro 8. cum ita scribit: *Eodem anno census actus, novique cives censi. Tribus propter eos additæ Metia & Scaptia.* Si, inquam, eisdem verbis utroque loco utatur, quis ferre eam interpretationem poterit, ut uno loco significet auctas tribus numero civium, alio loco proprie sumatur? Sane, cum dici- D mus additas duas tribus, nemo potest aliud iis verbis intelligere, quam ad superiorem numerum tribuum duas accessisse. Neque enim addidit duas tribus, qui superiorem numerum reliquit: sed duabus tribubus addidit, qui eas auxit numero civium. Quis ergo existimabit, Livium toties abusum verbo addendi, quoties additas tribus dicit, & Florum verbo adjiciendi? Itaque verius mihi videtur, ut mendosos Livii codices dicamus tam libro secundo quam sexto. Ubi enim libro secundo scribitur factas Romæ unam & triginta tribus, legendum est unam & viginti tribus. Ubi vero libro sexto scri- E bitur: *Tribus quatuor ex novis civibus additæ, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narniensis: eæque triginta quinque tribuum numerum explevere*: legendum est, eæque viginti quinque tribuum numerum explevere. Quod vero libro secundo legendum sit viginti una tribus, ex Dionysio ostendi potest: apud quem libro 7. ita scriptum reperimus de judicio Coriolani: *Cum enim una & viginti tum tribus Romæ essent, quæ missæ sunt in suffragium, novem habuit Martius, a quibus absolutus est. Itaque si duæ modo accessissent, absolutus fuisset.* Si enim in judicio Coriolani non essent Romæ plusquam una & viginti tribus, certum autem sit ex F historia judicium Coriolani fuisse anno urbis 203. Coss. A. Sempronio Atracino iterum, & M. Minutio Augurino iterum, qui fuerunt quarti Consules post Ap. Claudium & P. Servilium, quibus Consulibus Livius scribit factas Romæ unam & triginta tribus: profecto necesse erit, ut eo anno non plus quam triginta unam tribus factas Romæ dicamus. Neque enim mihi videtur facile fuisse, locum Dionysii corrumpere propter duos numeros illic positos, Græca scriptura maxime distantes a numeris, quos esse oporteret, si una & triginta tribus legeretur. Ubi enim novem hic ponuntur tri-

bus, scribendæ essent quatuordecim: inter quos numeros nulla est affinitas, per quam a librariis vel imperitissimis corrumpi potuissent. Jam vero si apud Livium illo loco legatur triginta una tribus, fatendum erit jam tum anno urbis 259. omnes tribus Romanas fuisse præter eas quatuor, quas postea libro 6. ponit, Stellatinam, Tromentinam, Sabatinam, Narniensem. Erant ergo jam tum Romanæ tribus Pontina, Ufentina, Publicia, Falerina, Terentina, Aniensis, Metia, Scaptia, Sapinia & Velina. Atqui ex historia constare potest, nondum eo tempore tam late patuisse fines imperii Romani, ut omnes has tribus contineret. Scribit enim Sextus Rufus in libello de historia Romanorum sub septem regibus non crevisse imperium Romanum ultra decimum octavum milliarium a portis urbis Romæ. At enim post reges exactos annus tantum quintus & decimus est, quo Ap. Claudius & P. Servilius Consules fuerunt. His porro annis quindecim nulla ex parte auctum imperium, nisi ea pugna, qua Latini ad Regillum lacum debellati sunt. Atqui ne ea quidem accessione tantum auctum est imperium, ut dici possit, illas omnes tribus tum Romæ fuisse. Etenim Sapinia tribus Umbriam continebat, ut scribit Livius libro primo Decad. 4. *Appium præfectum socium hac tumultuaria manus per Umbriam, quam tribum Sapiniam vocant, agrum Bojorum invadere jussit*. Et libro tertio ejusdem Decad. *L. Furius Purpurio alter Consul per tribum Sapiniam in Bojos venit*. Si igitur nihil dum ditionis Romanæ erat eo tempore in Umbria, quomodo potuit tum esse Sapinia tribus, quæ a Sapi (ut opinor) Umbriæ fluvio nomen habuit?

Sed nec ad Ufentem usque fluvium eo tempore imperium Romanum propagatum erat. Quomodo ergo tribum Ufentinam facere potuerunt, quæ nomen ex eo acciperet, quod in eorum ditione non esset? Nec sane Pomptinus ager Pontinæve paludes in ditione Romana tum erant, unde nomen Pontina, vel Pomptina tribus acciperet. Neque ex parte Hetruriæ tam longe extendebatur eorum imperium, ut Falerios usque perveniret: unde Falerinam tribum appellarent. Nec Sabinorum regio usque adeo in Romanorum ditionem venerat, ut Velinam tribum a Velino lacu, quem accolebant Sabini, vocarent. Dici igitur non potest, eas in numero tribuum Romanarum fuisse. Unde sequitur, non fuisse unam & triginta. Porro autem lib.6. legendum esse viginti quinque tribus vel inde colligi potest, quod in sequentibus libris, ex iis decem, quæ supersunt ad explendum numerum triginta quinque tribuum, octo reperiantur. Nam libr. 7. duas scribit additas tribus, Pontinam & Publiciam. Et lib.8. duas, Metiam & Scaptiam. Et lib.9. duas, Ufentinam & Faleriam. Et lib.10. duas, Aniensem & Terentinam. Itaque duæ tantum restabunt, quas ex L. Flori epitome lib.19. supplere poterimus: ubi scribit duas adjectas tribus, Velinam & Esquilinam: si pro Esquilina aliam ponamus. Nam male legi Esquilinam, ex eo intelligi potest, quod certum est, unam ex urbanis tribubus fuisse Esquilinam: quæ adjici non potuit, si proprie sumatur verbum adjiciendi. Nec sane, ut adjicere significet augere numero civium, absurditate vacabit interpretatio. Nam quid commune erat Velinæ, quæ rustica tribus erat, cum Esquilina, ut simul adscriptos iis cives aliquos faciamus, tam diversi generis, quam erant urbanarum & rusticarum tribuum cives? Aut cur unam ex urbanis tribubus auctam dicamus, quin simul reliquæ auctæ sint? Nam, cum turba forensis a Q. Fabio, qui primus Maximi cognomen inde meruit, in urbanas tribus relacta est, simul quatuor tribus auctæ sunt. Et cum libertini in urbanas tribus redacti sunt, in quatuor simul tribus facta est libertinorum descriptio. Ac mihi quidem pro Esquilina legendum videretur Sapinia: hac maxime ratione, quod cum ea sit ex iis tribubus, quæ postremæ fuerunt additæ, nusquam in iis nominatur, quas Livius adjectas fuisse scribit. Si igitur Livium auctorem sequi velimus, quatuor tribus tantum sub Servio rege dicemus fuisse, Palatinam, Suburranam, Collinam, Esquilinam, ita ut tribuum nomina nondum haberent agri partes, in quas divisus erat ager Romanus: sed Appio demum Claudio & P. Servilio Coss. factas esse unam & viginti tribus, quæ erant præter illas quatuor hæ: Romulia, Pupinia, Crustumina, Quirina, Papyria, Popilia, Fabia, Cornelia, Æmilia, Pollia, Galeria, Lemonia, Sergia, Ocriculana, Volitinia, Vejentina, Claudia. Atque ille quidem numerus fuit usque ad annum Urbis 368. quo anno adjectæ sunt quatuor tribus, Stellatina, Tromentina, Sabatina, Narniensis. Tum anno Urbis 397. Fabio & Plautio Coss. additæ sunt duæ Pomptina & Publicia. Post anno Urbis 422. L. Cornelio iterum & Cn. Domitio Coss. additæ rursus duæ, Metia & Scaptia. Mox anno Urbis 436. M. Follio & L. Plautio iterum Coss. adjectæ aliæ duæ, Ufentina & Falerina. Tum anno Urbis 454. Coss. T. Manlio & M. Fulvio duæ, Aniensis & Terentina. Quæ omnes conjunctæ efficiunt numerum trium & triginta tribuum. Itaque duæ restabunt, quas ad finem primi belli Punici additas ex L. Floro judicare possumus: easque censemus fuisse Velinam & Sapiniam. In illa vero opinione etiam Dionysium fuisse, ex eo colligi posse videtur, quod tempore judicii Coriolani asserit, unam & viginti tribus tantum Romæ fuisse. Ac si locum illum non esse corruptum censeamus, necesse est, ut dicamus Dionysium libro 4. Fobium & Venonium auctores non eo citasse, quod cum iis consentiret: quandoquidem hic unam & triginta tribus sub Servio fuisse dicit, ille triginta: aut sane in numeris eo loco mendum esse. Ut legatur Fabium scribere agrum divisum esse in sex & decem partes, ubi legitur sex & viginti partes, quæ sedecim partes adjectæ quatuor urbanis viginti efficiunt tribus, non triginta, quemadmodum illic legitur: Venonium autem memoriæ mandasse sub hoc rege unam & viginti tribus fuisse, ubi legitur unam & triginta. Sane locus ille apud Dionysium integer non est, nec sensum perfectum ullum habet: id quod mihi eum magis suspectum reddit, ut etiam in numeris mendum esse suspicer. At si ita emendaretur, ut dixi, facilius esset in tanta auctorum diversitate consensum aliquem invenire. Nam Fabii eam faciemus sententiam, Servium Tullium præter quatuor urbanas tribus fecisse sedecim rusticas, ita ut viginti essent omnes tribus sub eo rege. Post reges autem exactos tum demum factas esse unam & viginti, cum Claudia tribus addita est, propter eos cives, qui ex Sabinis cum App. Claudio Romam migrarunt. In quo non multum a Fabio dissentiret Livius, si ita interpretaremur locum apud eum lib. 2. *Romæ tribus una & viginti factæ*. Ut significaret accessione Claudiæ tribus, quæ eo demum anno facta sit, unam & viginti tribus factas esse. Fabius sane & Livius in hoc dissentiunt, quod agri partes, quæ civibus assignatæ erant, nomine tribuum a Fabio statim appellantur. At Livius sub Servio agros civibus assignatos non negat: quin potius ex eo, quod scribit agrum trans Anienem statim assignatum iis civibus, qui ex Sabinis cum App. Claudio Romam migrarunt, argumentum accipi potest, pariter reliquis civibus suos fuisse quosdam agros in certa quadam regione assignatos: at sub hoc rege nomen tribuum non eis attribuit Livius: sed quatuor tantum tribus omnium civium fuisse existimat usque ad Consulatum App. Claudii & P. Servilii. Quo anno cives omnes, qui quatuor tribubus continebantur, divisi sunt in tribus

unam & viginti: ita ut perinde agri partibus sua essent tribuum nomina, sicut adhuc fuerant quatuor urbis partibus. Unde colligi potest, verietatem inde sententiarum ortam, quod jam inde a Servio Tullio agri partes assignatæ erant, quibus nomina tribuum respondere perspiciebantur. Hinc inde factum est, ut Fabius crederet, eas tribus jam sub hoc rege fuisse: quia jam tum essent distinctæ partes agri, quibus nomina multarum tribuum sua etiamnum ætate respondere videbat. Ac Livius rusticas tribus non fuisse existimat ante annum Consulatus App. Claudii & P. Servilii. Venonius certe mihi omnino in numero tribuum falsus videtur. Nam sive viginti unam sive triginta unam tribus legas, oportebit, si eas spectes quas in historia post additas reperimus, ut in eo numero Claudia comprehendatur: quam tamen constat non fuisse, nisi post reges exactos, ut vel nomen indicat ab App. Claudio desumptum, qui Romæ non fuit, nisi aliquot annis post reges expulsos. Ex quo etiam mihi redditur magis suspectus ille Dionysii locus, apud quem scribitur, Venonio magis credendum quam Fabio. Nam si ei magis credendum est dicenti, unam & triginta tribus sub Servio rege fuisse, necesse erit, cum postea scribit Dionysius Claudiam tribum additam, factas tum esse triginta duas tribus. Quomodo ergo vera erunt, quæ post ab eo scribuntur de judicio Coriolani? Et quomodo post factas triginta duas tribus, quatuor adjectas tertio anno post urbem a Gallis captam apud Livium verum erit? Sic enim triginta sex tribus efficientur. Atqui Livius initio libri sexti, se clariora exinde certioraque scribere præfatur: unde apparet minus dubitandum esse de veritate eorum, quæ ab eo scribuntur. Non potuit igitur probabilior esse Venonii sententia, ut dicit Dionysius, quam Fabii. Atque ista quidem de tribuum numero satis disputata sint. Quæ omnia potius eo a me subjecta sunt, ut occasionem quærendæ veritatis doctioribus præberem, quam ut eam a me inventam certo affirmarem. Hæc tributa comitia in duo genera dividi possunt: ut alia essent omnium tribuum, alia in quibus pars modo tribuum suffragium diceret. Illius generis erant legum magistratuumque comitia; hujus, sacerdotum comitia: quæ nos postea amplius docebimus. Ac multo quidem tempore ante Romæ fuerunt tribus, quam Tributa comitia. Scribit enim Dionysius lib. 7. Tributa comitia primum habita fuisse a Sicinio Trib. plebis & collegis ad judicium de Cn. Martio Coriolano ferendum. Id quod fuit anno Urbis 263. Tribus autem jam inde sub Servio rege erant aliquæ, ut ex omnium historicorum communi consensu constat. Verum ista sufficiant de primo capite; in quo quid essent Tributa comitia, explicandum erat.

CAP. II.

De causis Tributorum comitiorum.

CAUSAS habendorum comitiorum Tributorum generales quatuor fuisse reperio. Primam, ad creandos minores magistratus: Alteram ad sacerdotes collegiorum cooptandos: Tertiam ad leges ferendas: Quartam, judiciorum causa. Magistratus iis comitiis creabantur partim provinciales, partim urbani: & partim ordinarii, parti extraordinarii. Erant autem ordinarii magistratus, qui iis comitiis creabantur, omnes minores magistratus, qui singulis annis ad suum munus ordinarium in urbe obeundum, a populo creabantur. In quo genere erant Aediles Curules, Tribuni plebis, Aediles plebis, Triumviri Capitales, & Triumviri nocturni, & Triumviri auro, æri, argento flando feriundo præfecti, Quæstores, Tribuni militum. Neque enim plu- A res ordinarios magistratus minores in urbe fuerunt, usque ad Remp. a Cæsare Dictatore occupatam: a quo Aediles Cereales factos testatur Pomponius leg. 2. de origine juris, Digest. lib. 1. Tribuni certe ærarii magistratus non erant; sed ordinis nomen erat, ut ex lege Aurelia apparet: quæ judicia ad tres ordines, Senatorum, Equitum & Tribunorum ærarii translata sunt, quæ ante erant penes duos ordines, Senatorum atque Equitum. Nec sane judicum tertius ordo totus ex magistratibus esse potuit: nec tot in eodem magistratu collegas fuisse verisimile est, quot erant Tribuni ærarii. Ut ergo in Senatorum ordinem atque Equitum non suffragiis populi perveniebatur, sed vel B legibus Censorumque adscriptione, vel generis successione: ita in ordinem Tribunorum ærarii non suffragiis populi, sed altero ex iis modo perveniebatur. Erat autem penes hunc ordinem custodia pecuniæ attributæ. Unde apud Varr. ita scriptum reperimus: *Ab eo quoque, quibus erat attributa pecunia, ut militi darent, Tribuni ærarii dicti. Erat autem pecunia attributa*, inquit Asconius, *quæ in stipendium militum de ærario a Tribunis ærarii adnumerari Quæstori solet*. Neque vero Centumviri magistratus erant, sed delectu Prætorum facti rerum privatarum judices: nec Decemviri litibus judicandis, quos ex numero Centumvirorum forte de- C ligi solitos existimo potius, quam suffragiis populi creatos. Nec præfectus urbis Latinarum causa a populo creabatur, sed a Consulibus. Id quod ex Cornelio Tacito intelligi potest, apud quem ita scribitur lib. 5. *Sed præcipua ex eo gloria, quod præfectus urbi recens, continuam potestatem & insolentia parendi graviorem, mire temperavit. Namque antea profectis domo regibus, ac mox magistratibus, ne urbs sine imperio foret, in tempus deligebatur, qui jus redderet, ac subitis mederetur. Feruntque a Romulo Denfrem Romulium, post a Tullo Hostilio Numam Marcium, & ab Tarquinio Superbo Sp. Lucretium im-* D *positos. Dein Consules mandabant. Duratque simulachrum, quoties ob ferias Latinas perficitur, qui Consulare munus usurpet*. Ex iis Taciti verbis apparet, præfectos illos urbis veteres creari solitos non a populo, sed vel a regibus vel a Consulibus. Unde colligi potest, multo magis adumbratum illum præfectum urbis Latinarum causa, munus Consulum fuisse, non populi. Profectis urbe Consulibus summum imperium erat penes Prætorem urbanum, nisi cum ob Latinas ferias urbe exibant singulis annis Consules. Tum enim ad usurpationem vetustatis, præfectus in urbe relinquendus erat a Consulibus: penes quem, non penes Prætorem, impe- E rium esset in urbe: ne scilicet populus se religione obstrictum putaret, si quid in Latinis feriis omissum esset, quod a veteribus usurpatum esset. De hoc præfecto urbi Latinarum causa, ita scribit A. Gellius lib. 14. cap. ultimo: *Præfectum urbi Latinarum causa relictum Senatum habere posse negat Mutius, quoniam ne Senator quidem sit, neque jus habeat sententiæ dicendæ: cum ex ea ætate prefectus fiat, quę non sit Senatoria. M. autem Varro in 4. epistolicarum quęstionum, & Attejus Capito in Conjectaneorum 259. jus esse prefecto Senatus habendi dicunt. Deque ea re assensum esse Capitonem Tube-* F *roni contra sententiam Mutii refert. Namque & Tribunis, inquit, plebis Senatus habendi jus erat, quamquam Senatores non essent, ante Atinium plebiscitum*. Sunt etiam Pomponii hæc verba leg. 2. de orig. Jur. *Quoties autem proficiscuntur, unus relinquitur, qui jus dicat: isque vocatur prfectus urbis*. Qui præfectus ita olim constituebatur: postea vero Latinarum feriarum causa introductus est, & quotannis observatur. Quandiu igitur non erant in urbe Prætores, quibus summum imperium esset, per absentiam summi magistratus, tandiu penes præfectos urbis fuit potestas non

modo vocandi consulendique Senatum, sed etiam agendi cum populo. Unde fit, ut Centuriata etiam comitia habendi jus esset præfecto urbis: ut intelligi potest ex eo, quod scribit Livius in fine libri primi: *Duo Consules inde comitiis Centuriatis a præfecto urbis, ex commentariis Servii Tullii creati sunt*. Interregem tamen fuisse ante factum hunc præfectum urbis Sp. Lucretium, quam hæc comitia haberet, Dionysius scribit. Verum post institutam Dictaturam, subrogandis magistratibus Dictator potius creabatur, si ad Interregnum res non rediisset, quam ut ea comitia haberet præfectus. Quin tamen vel legibus ferendis, vel judicio exercendo, præfectus urbis jus haberet Centuriatis comitiis agendi cum populo, negari non potest. At post introductum Romæ Præturæ magistratum desiit præfectus urbis fieri, nisi quod Latinarum causa, profectis urbe consulibus relinquendus erat præfectus urbis, idque (ut dixi) religionis causa potius, quam quod eo magistratu magnopere opus esset. Et quoniam feriis agere cum populo non licebat, idcirco planum est, huic præfecto urbis, cui imperium non erat, nisi tempore Latinarum, jus non fuisse agendi cum populo: tametsi vocandi Senatus (si quid interim accidisset, cur extra ordinem vocandus videretur) jus habebat, ut paulo ante ex A. Gellio demonstravi, Reliquo anni tempore, quanquam abessent Coss. nullus erat locus huic magistratui, sed summa potestas erat penes Prætorem urbanum, ut Cicero ostendit lib. 10. epist. Fam. epist. 12. his verbis: *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum Prætorem urb. litteras deferremus: qui quod Consules aberant, Consulare munus sustinebat more majorum*. Quæ intellecta volo de tempore, quo in Consulum potestate fuit Resp. Nam sub Imperatoribus jam inde ab Augusto, ut docet Tacitus eodem lib.5. cœpit ordinaria, & continua esse potestas præfecti urbis: de quo etiam mentio est apud Jurisconsultos in tit. de præfecto urbis: tametsi præter illum urbis præfectum alius Latinarum causa præfectus urbis creari soleret (ut apparet lib. 4. & 5. Cornelii Taciti) qui Latinarum modo tempore consulare munus obibat. Verum de præfecto urbis satis superque dictum est: ad Ædiles Curules nobis veniendum est, ut probemus, Tributis comitiis, non Centuriatis (ut a quibusdam asseritur) creari solitos. Scribit A. Gellius lib.13. cap.14. ex M. Messala majores magistratus fuisse Consules, Prætores & Censores: reliquos omnes fuisse minores: eodemque loco scribit majores Centuriatis, minores Tributis comitiis creari. Unde necessario efficitur Ædiles Curules Tributis comitiis creari. Deinde idem A. Gellius lib. 6. cap.9. citat hæc verba ex L. Pisonis tertio annali: *Cn. Flavius patre Libertino natus scriptum faciebat. Isque eo tempore Ædili Curuli apparebat, quo tempore Ædiles subrogabantur. Eumque primæ tribus Ædilem Curulem renunciaverunt. At Ædilis, qui comitia habebat, negat accipere*. Hic duo sunt, quibus adducor, ut credam comitiis Tributis Ædiles Curules creari. Primum, cum ait a primis tribubus Ædilem renunciatum: Alterum, cum ait illa comitia ab Ædile habita (siquidem mendo careat ille locus: quod nos postea videbimus.) Neque enim comitia Centuriata habere poterant Ædiles: præsertim cum nec vocationem nec prehensionem haberent, ut ex Varrone docet Gell. libr. 13. cap. 12. & 13. Unde perspicuum est, minimum imperii Ædiles habuisse. Centuriatis vero comitiis habendis maximo semper imperio opus fuit. Jam vero T. Livius ad finem lib.9. Decad.1. scribit Cn. Flavium a factione forensi Ædilem factum: adeoque ab humilibus per omnes tribus ab Appio Censore divisis. Ex quo loco demonstrari potest, non fuisse Centuriata comitia. Neque enim potuit forensis factio in comitiis Centuriatis prævalere: sed ut idem Livius ait, *vis suffragiorum penes primores*

A *erat*. Ut omittam, illam divisionem humilium per omnes tribus, nihil aut perparum potuisse, nisi tributim suffragia ferret populus. Nam si humiles erant, qui censu minore erant, non poterant ad suffragium vocari humiles isti, nisi in postremis classibus: in quibus si priores consensissent, nulla vis suffragiorum esse poterat. Postrema ratio ducetur ex loco Ciceronis lib.4. epist. ad Att. in epist. *Avere te certo scio*. Illic enim de comitiis loquens, quibus Ædilis fieri volebat Clodius, dicit Q. Metellum Nepotem Consulem habiturum comitia Ædilium in campo Martio, nisi obnunciatione Milonis impeditus esset. Cui obnunciationi ut occurreret, dixit se

B postero die in comitio habiturum. Unde colligo non fuisse Centuriata Ædilium comitia. Nam Centuriata intra pomœrium haberi non poterant, ut supra ex Gellio docuimus. At illa Ædilium comitia habiturum se in comitio dicebat Metellus, ne semper ei obnunciaretur priusquam in campum venisset. Si ergo licebat Metello intra urbem comitia Ædilitia habere, relinquitur non fuisse Centuriata. Occurrendum tamen est duabus potissimum rationibus, quibus videtur suaderi posse, Centuriata fuisse Ædilium comitia. Una ducitur ex eo, quod Cicero in 2. orat. in Rullum dicit patritios magistratus Cen-

C turiatis comitiis creari. Aedilitatem vero Curulem patritium magistratum fuisse scribit Livius initio libri 7. 1. Dec. Altera ducitur ex eo, quod Cicero pro Planc. in comitiis Aedilium dicit Lateranensem tulisse Centuriam prærogativam. Si enim iis Aedilium comitiis, qui primi de populo vocati sunt, centuriatim vocati sunt, non est verisimile alio modo quam centuriatim, reliquos fuisse vocatos. Unde sequitur, Centuriata fuisse ea comitia. Priori rationi ut occurramus, dicendum est, patritios magistratus & plebeios varie accipi: interdum enim patritii magistratus dicuntur, qui solis patebant patritiis: interdum pro omnibus majoribus magistrati-

D bus sumuntur, tametsi plebeiis hominibus in iis magistratibus locus esset. Sic plebeii interdum significant eos modo magistratus, quos plebeii tantum homines gerere poterant. Interdum latius patet nomen plebeiorum magistratuum, ut significet omnes minores magistratus, etiamsi patricii homines iis non excluderentur. Cum igitur apud Livium Aedilitas Curulis vocatur patritius magistratus, eo pertinet, quod a principio Aediles ex patritiis tantum creabantur. Sed postea promiscuum fuit ex patribus & ex plebe creare: quemadmodum eodem illo loco scribit Livius. Ut autem quæstores a principio ex

E patribus tantum crebantur teste Livio lib. 4. Dec. 1. nec minus tamen Tributis comitiis postea promiscue ex plebe & patribus creari cœperunt: ita nihil vetat Aediles, quanquam a principio patricii essent, Tributis comitiis creari: idque promiscue ex plebe & patribus. Cum vero Cicero in Rullum patritios magistratus appellat, majores magistratus intelligit, penes quos solos essent majora auspicia, quæ propria erant patriciorum, ut nos supra ostendimus. Nam, si priore modo patricii magistratus acciperentur, illo loco Ciceronem nihil dicere faceremus, quandoquidem nulli jamdudum essent magistratus ex iis, qui a populo dabantur, qui

F solis paterent patriciis. Sumi autem pro majoribus magistratibus vel inde intelligi possunt, quod plebeii magistratus, quos opponit illo loco, pro minoribus magistratibus sumuntur. Nam, si plebeios intelligeremus eos modo, ad quos plebeii tantum homines admitterentur, Tribuni tantum plebis & Aediles plebeii intelligendi essent. Erant enim illi soli magistratus plebis proprii: reliqui omnes plebis & patrum communes erant. Reliqui ergo omnes minores magistratus in patriciorum nomine essent comprehendendi, quos tamen falsum est Centuriatis comitiis creari; quod de patritiis Cicero illo loco

asserit. Locus enim ita habet: *Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam Centuriata lex Consulibus ferebatur, & cæteris patritiis magistratibus, Tributa plebeiis: tum Curiata iterum de iisdem judicabatur*. Relinquitur ergo, ut nomine patritiorum omnes majores intelligantur, ut nomine plebeiorum minores intelligantur. Si igitur Ædiles Curules non erant majores magistratus, nomine patritiorum a Cicerone illic non comprehenduntur, sed potius nomine plebeiorum. Posteriori rationi occurretur, si dicamus, id, quod Cicero illo loco facit mentionem Centuriæ prærogativæ, referendum esse ad illa priora comitia, quæ a M. Crasso Consule novo more habita sunt, ut ex eadem oratione apertum est. Simul enim cum Consularibus comitiis reliquorum magistratuum habuit comitia, subito & præter opinionem omnium, idque ad reprimendum ambitum: quæ priora comitia fuerunt haud dubie Centuriata. Nihilominus tamen postea habita sunt & alia comitia Ædilium, ut ex eadem oratione perspicuum est. Ac de Ædilium quidem Curulium comitiis satis dictum sit. Quod vero ad cæteros magistratus, quos enumeravimus, attinet; communis una ratio sufficere posset ad probandum, Tributis comitiis creari: ducta ex locis A. Gelli & Ciceronis, quos paulo ante citavi. Nam, si omnes illi magistratus minores essent, Tributis autem comitiis crearentur omnes minores magistratus, necessario efficitur, omnes illos Tributis comitiis creari solitos. Verum singulatim subjectæ probationes fient apertiores. Ac primum Tribunos Ædilesque plebis Tributis comitiis creari, ex Livio ostendi potest; apud quem lib. 2. legimus, P. Voleronem Tribunum pleb. Coss. P. Furio, L. Pinario legem promulgasse, ut plebeii magistratus Tributis comitiis fierent: quam legem sequenti anno refectus Tribunus plebis idem Volero, cum collega Lectorio, qui se addidit auctorem legis, tandem pertulit. Eam historiam paulo aliter narrat Dionys. lib. 9. Scribit enim Voleronem primum promulgasse de Tribunorum plebis comitiis, ut ex Curiatis, quæ adhuc fuerant, Tributa fierent. Quam legem eo anno perferre non potuit: ob idque sequenti anno legem relatam, hoc addito, ut etiam Ædiles eisdem comitiis Tributis fierent: adeoque omnia, quæ plebis suffragiis peragi oporteret, eamque legem perlatam esse, ac propterea ex eo tempore Tribunorum & Ædilium plebis comitia ad suam usque ætatem Tributa ut essent observatum esse. Triumviros capitales populi suffragio creari ostendit Cicero pro Cluentio, de Q. Manilio loquens iis verbis: *Manilium plerique noratis: non ille honorem a pueritia, non studia virtutis, non ullum existimationis bonæ fructum unquam cogitarat: sed ex petulanti atque improbo scurra, in discordiis civitatis ad eam columnam, ad quam multorum sæpe conviciis perductus erat, tum suffragiis populi pervenerat*. Erant autem Triumviri capitales, qui ad columnam Mæniam de eorum scelere cognoscebant, qui cum cives Romani non essent, in urbe habitabant, & custodes carceris erant; & eorum interventu in eos animadvertebatur, qui extremo supplicio damnati essent. Unde facile est intelligere, inter minores magistratus fuisse, quemadmodum etiam nominatim appellantur a Livio initio libri 5. Decis. 3. Itaque comitiis Tributis Triumviros capitales creari necessario relinquitur. Triumviri etiam nocturni populi suffragio creabantur, ut ex Livio intelligi potest ad finem lib. 9. 1. Decad. De Cn. enim Flavio loquens ita scribit: *Quem aliquando antea desiisse scriptum facere, arguit Macer Lucinius, Tribunatu ante gesto Triumviratibusque nocturno altero, altero coloniæ deducendæ*. De his nocturnis Triumviris ita scribit Paulus Jurisconsultus leg. 1. De officio præfecti vigil. Digest. lib. 1. *Apud vetustiores incendiis arcendis Triumviri præerant: qui ab eo, quod excubias agebant etiam nocturni dicti sunt*. Ex Livii verbis apparet, eum fuisse magistratum, cujus non esset continua potestas, sed tantum annua. Unde sequitur, populi suffragiis opus fuisse ad mandandum eum magistratum. Quia autem in minoribus magistratibus erat, ideo efficitur, Tributis comitiis eum magistratum creari. Fuisse autem hos nocturnos Triumviros a capitalibus diversos hinc apparet, quod Triumviri capitales primum creati scribuntur a Floro in epitom. libri undecimi: ex quo sequitur multo tempore ante fuisse nocturnos quam capitales. Idem de Triumviris monetalibus, quod de his dicendum est: de quibus mentio est apud Pomponium leg. 2. de orig. juris, & apud Ciceronem libro septimo epistol. Famil. De Quæstoribus scribit hoc modo Cornelius Tacitus libro undecimo: *Sed Quæstores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt: quod lex Curiata ostendit a L. Bruto repetita. Mansitque Consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret: creatique primum Valerius Posthumius, Æmylius Mamercus 63. anno post Tarquinios exactos, ut rem militarem comitarentur. Dein gliscentibus negotiis duo additi, qui Romæ curarent. Mox duplicatus numerus stipendiaria jam Italia, & accedentibus provinciarum vectigalibus. Post lege Syllana viginti creati, supplendo Senatui, cui judicia tradiderat*. Ulpianus vero in lege unica de officio Quæstoris, Digest. libro 1. ita scribit: *Origo Quæstoris creandi antiquissima est, & pene ante omnes magistratus*. Gracchanus denique Junius libro 7. de potestatibus, etiam ipsum Romulum & Numam Pompilium binos Quæstores habuisse, quos ipsi non sua voce, sed populi suffragio crearent, refert. Sed sicuti dubium est, an Romulo & Numa Pompilio regnantibus Quæstor fuerit: ita a Tullo Hostilio rege Quæstores fuisse certum est. Et sane crebrior apud veteres opinio est, Tullum Hostilium primum in Rempublicam induxisse Quæstores. Et a genere quærendi Quæstores initio dictos, & Junius, & Trebatius, & Fenestella scribunt. Plutarchus in vita Publicolæ scribit: *In quæstoria etiam lege ferenda maximam est laudem consecutus. Ubi enim opus erat ad bellum pecunias pro censu cives conferre, cum neque ipse id munus obire vellet, & ab eo obeundo amicos deterreret: nec omnino publicas pecunias in privatam domum inferri æquum duceret, ærarium Saturni ædem constituit: itaque hodie manet. Concessit autem populo, ut Quæstores duos creare posset, creatique sunt primi P. Veturius, & M. Minutius*. Apud Livium non est mentio Quæstorum ante Consulatum T. Quintii Capitolini, & Agrippæ Furii anno Urbis 309. Eo autem anno fuisse Quæstores, qui ærario præfecti essent; ostendit iis verbis, quæ ad finem libri tertii scribuntur: *Hæc omnia adeo maturæ perfecta accepimus, ut signa eo ipso die a Quæstoribus ex ærario prompta delataque in campum, quarta diei hora mota ex campo sint*. Post vero libro quarto de Quæstoribus ita scribit: *Quemadmodum bellum minore quam timuerant dimicatione erat perfectum: sic in urbe ex tranquillo nec opinata moles discordiarum inter plebem ac patres exorta est: cœpta ab duplicando Quæstorum numero. Quam rem, ut præter duos urbanos Quæstores, duo Consulibus ad ministeria belli præsto essent, a Consulibus relatam, cum & patres summa ope approbassent: Consulibus Tribun. plebis certamen intulerunt, ut pars Quæstorum (nam ad id tempus patricii creati erant) ex plebe fieret*. Paulo post subjicit, suffragiis populi Quæstores quatuor creatos. Id quod incidit in an. urbis 335. quo anno erant Tribuni militum Consulari potestate L. Quintius, Sex. Furius, M. Manlius, A. Sempronius. Magna profecto est inter hos auctores sententiarum di-

versitas, quod ad originem hujus magistratus attinet. In hoc tamen omnes conveniunt, tandem populi suffragiis creatos fuisse Quæstores. Sane antequam frequentari cœperunt Tributa comitia, existimo Curiatis comitiis Quæstores eodem modo, quo Tribunos Ædilesque plebis ante legem Voleronis, creari solitos. At postquam Curiata comitia cœperunt velut auspiciorum tantum causa in urbe retineri, ut scribit Cicero in Rullum, Tributis comitiis creari cœperunt. A principio enim cives Romani non alii erant, quam qui vel in urbe vel in agro Romano habitabant. Unde semper in urbem migrasse eos legimus, quos tum civitate donatos reperimus. Quod si in urbem migrarent, per curias etiam triginta distributos fuisse necesse est, quemadmodum etiam diserte affirmat Dionysius. Quare primis illis temporibus, Curiatis comitiis habendis nulli cives excludebantur suffragio. At postquam admitti in civitatem cœperunt municipia, quia in curiis, quæ urbis tantum partes erant, municipes locum non habebant, cum tamen in tribubus essent, necessario efficiebatur, ut Tributis comitiis (si modo civitatem cum jure suffragii obtinuissent) suffragio non excluderentur, Curiatis vero excluderentur. Id quod ne fieret, propterea cœperunt Tributa frequentari; Curiata vero certis tantum de caussis retineri; de quibus nos postea disputabimus. Porro autem Quæstores ætate Ciceronis Tributis comitiis creari solitos, ipse indicat lib. 7. epist. Fam. in epist. ad Curium, cujus initium est, *Ego vero*: *In campo certe non fuisti, cum hora secunda comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset. Quo mortuo nunciato sella sublata est. Ille autem, qui comitiis Tributis esset auspicatus, Centuriata habuit*. Quod enim Cicero dicit, Cæsarem Tributis comitiis auspicatum, cum vellet quæstoria comitia habere, aperte demonstrat quæstoria comitia fuisse Tributa. Sequuntur ex ordinariis magistratibus Tribuni militum: de quibus scribit Asconius duobus generibus contineri, ut alii essent Rufuli, qui in exercitu creari solerent: alii Comitiati, qui Romæ comitiis designarentur. De iis utrisque Livius libr. 7. Dec. 1. ita scribit: *Et cum eo anno primum placuisset Tribunos militum ad legiones suffragio fieri (nam & antea sicut nunc quos Rufulos vocant, Imperatores ipsi faciebant) secundum in sex locis tenuit*. Ex iis locis apparet, non omnes Tribunos militum populi suffragio creari, & qui creabantur, primum creari cœpisse Coss. Q. Servilio iterum, & L. Genutio iterum anno urbis 393. De eisdem Tribunis militum ita scribit Livius lib. 9. Dec. 1. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia. Unum, ut Tribuni militum seni deni in quatuor legiones a populo crearentur: quæ antea, perquam paucis suffragio populi relictis locis, Dictatorum & Consulum ferme fuerant beneficia. Tulerunt eam rogationem Tribuni plebis L. Atilius, C. Martius*. Ex quo loco intelligi potest, jam inde a Coss. Q. Æmilio iterum, & C. Junio Bruto iterum anno Urbis 444. populi suffragiis sedecim Tribunos militum, qui legionibus quaternum millium præessent, creari cœpisse. Post viginti quatuor creatos a populo Tribunos militum, qui quatuor primis legionibus præessent, reperio: legiones enim tandem sena millia continere cœperunt: ex quo sequitur, sex Tribunos in singulis legionibus fuisse. Id quod postea semper observatum est, nisi nominatim latum esset ad populum, ut suo jure cederet. Quod factum fuisse scribit Livius lib. 2. Decad. 5. iis verbis: *In Tribunis militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, quod Consules ex S. C. ad populum tulerunt, ne Tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed Consulum Prætorumque in iis faciendis judicium arbitriumque esset*. Unde apud A Svetonium in Cæsare ita scriptum reperimus: *Tribunus militum, qui primus Romam reverso per suffragia populi honor obtigit, auctores restituendæ Tribunitiæ potestatis enixissime juvit*. Et apud Plutarchum in vita Catonis Uticensis: *In petitione Tribunatus militaris legem, quæ candidato nomenclatores adesse vetabat, solus Cato servavit, per se ipsum appellans populum*. Ex quibus locis apparet, populi suffragiis etiamnum ætate Ciceronis Tribunos militum creari solitos. Tributis vero comitiis creari, cum ex eo intelligi potest, quod minores magistratus essent, tum vero ex eo, quod scribit Salustius in bello Jugurthino, de Mario loquens: *Ergo ubi* B *primum Tribunatum militarem a populo petit, plerisque faciem ejus ignorantibus, facile notus per omnes tribus declaratur*. Neque enim moveri ex eo oportet, quod apud Livium scriptum est in concione Camilli ad finem libri quinti: *Quid alia, quæ auspicato agimus, omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni aut cui negligentiæ damus? comitia Curiata, quæ rem militarem continent: comitia Centuriata, quibus Consules Tribunosque militares creatis*. Illic enim Tribuni militares Consulari potestate intelliguntur, non Tribuni militum ad legiones, qui nondum tempore Camilli populi suffra- C gio creabantur. Extraordinarios magistratus urbanos, hoc est, quibus etiam in urbe imperium esset, multos ac diversi generis in historia reperire licet. Nam, ut quæque negotia occurrebant, quæ extraordinariam curationem requirere videbantur, ita alii atque alii magistratus creabantur. In hoc genere erant præfecti annonæ, qualem fuisse legimus L. Minutium apud Livium lib. 4. ubi etiam a plebe creatum eum asserit: unde sequitur, non fuisse ea Centuriata comitia, sed Tributa. Pompeius quoque hunc magistratum gessit, creatus eo anno, quo Cicero revocatus est ab exilio, ut constat ex orat. pro domo sua. In hoc etiam genere erant D Duumviri navales, de quibus Livius lib. 9. Decad. 1. ita scribit: *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum, utraque ad rem militarem pertinentia. Unum, ut Tribuni militum &c. Alterum, ut Duumviros classis ornandæ reficiendæque causa idem populus juberet*. Lator hujus plebisciti fuit M. Decius Tribunus plebis. Hunc vero non fuisse ordinarium magistratum, inde potest intelligi, quod Livius lib. 10. Decad. 4. & lib. 1. Decad. 5. cum rursus hujus magistratus meminit, certam causam creationis assignat: nec simul creari facit cum ordinariis magistratibus, sed prout necessitas requirebat. Cum enim ita scribit ad finem lib. 10. *Duumviri navales* E *creati C. Matienus & C. Lucretius*. Verba antecedentia ostendunt subito eos creatos, postquam nunciatum est a Liguribus obsideri L. Æmylium. At si ordinarius magistratus fuisset, non ita pro necessitate subito crearetur, sed jam superiore anno creatum cum reliquis magistratibus ordinariis oportuisset. Et initio lib. 1. Dec. 5. quia fecerat mentionem C. Furii Duumviri navalis, propterea, ut causam hujus magistratus reddat, statim subjicit: *Adversus Illyriorum classem creati Duumviri navales erant, qui tuendam viginti navibus mari superiore Anconam velut cardinem haberent*. Quia vero illic Duumvirum navalem appellat L. Cornelium Dollabel- F lam, eo anno quo erant Coss. M. Manlius & M. Junius Brutus: qui etiam biennio ante, Coss. A. Posthumio, & C. Calphurnio, in eo magistratu erat, ut idem Livius ait ad finem lib. 10. Dec. 4. hinc profecto argumentum duci potest, non fuisse eum ordinarium magistratum, cujus imperium esset plusquam annuum. Quod autem Tributis comitiis crearentur, ex communi illa ratione ostendi potest, quod inter minores magistratus hi essent. Ex hoc etiam numero erant Quæstores parricidii, quos etiam quæsitores appellatos

videmus : de quibus supra diximus, cum de Prætoribus agebamus. Hos vero comitiis Tributis creari, vel inde intelligi potest, quod sæpe habentibus comitia Tribunis plebis quæsitores creabantur : quibus jus non erat habendi comitia Centuriata. Hinc lex Mamilia apud Salustium, lex Varia apud Asconium, quibus decernebantur certis quibusdam criminibus quæstiones : ad quas exercendas ipsi legum latores simul populum rogabant, ut Quæsitores designaret. Jam vero minores hos magistratus fuisse nemo negat : unde Tributis comitiis creari consequitur. Erant etiam in hoc numero ii, quos populus designare solebat ad ædes sacras dedicandas. Scribit enim Cicero pro domo sua, Q. Papyrium Tribunum plebis legem tulisse, quæ vetaret, injussu plebis aliquid consecrare. Unde Cicero colligit, nemini licuisse ædem, aliudve quid consecrare, nisi qui a populo ei rei præfectus esset. Item ii, quos populus designabat locandarum ædium sacrarum causa. Ut apud Livium lib. 2. D. 3. *In religionem etiam venit, ædem Concordiæ, quam per seditionem militarem biennio ante L. Manlius vovisset, locatam ad id tempus non esse. Itaque Duumviri ad eam rem creati ab Æmylio Prætore urbis Cn. Pupius & Cæso Quintius Flaminius ædem in arce faciendam locaverunt*. Et lib. 3. ejusdem Decad. *Exitu anni Q. Fabius Max. a Senatu postulavit, ut ædem Veneris Erycinæ, quam Dictator vovisset, dedicari liceret. Senatus decrevit, ut Tib. Sempronius Consul designatus, cum primum Consulatum iniisset, ad populum ferret, ut Duumviros esse juberet, ædis dedicandæ causa*. Et lib. 3. Dec. 3. *Et Duumviri creati M. & C. Attilii, ædem Concordiæ dedicaverunt*. Reficiendis etiam ædibus creari magistratus, aut potius curatores solebant, ut lib. 5. Dec. 3. *Triumviri creantur reficiendis ædibus Fortunæ, & matris Matutæ intra portam Carmentalem, & Spei extra portam: quæ priore anno incendio consumptæ fuerant*. Et Q. Catulus ad reficiendum Capitolium temporibus belli socialis igne consumptum a populo præfectus erat. Reperio etiam Quinqueviros muris turribusque reficiendis. Ut lib. 5. Dec. 3. *Comitia deinde a Prætore urbano de Senatus sententia, plebisque scito sunt habita, quibus creati sunt Quinqueviri muris turribusque reficiendis*. Alios item Quinqueviros mensarios Consulibus P. Valerio & C. Martio iterum, ad liberandum ære alieno populum. Triumviri etiam mensarii temporibus secundi belli Punici facti sunt. De iis ita scribit Livius lib. 3. Dec. 3. *Et Romæ quoque propter penuriam argenti Triumviri mensarii rogatione M. Minutii Tribuni plebis facti sunt*. Triumviros etiam sacris conquirendis aliquando factos legimus. Ut lib. 5. Decad. 3. *Et Triumviri bini creati sunt. Uni sacris conquirendis, donisque persequendis*. Atque omnes quidem illi, sive curatores sive magistratus extraordinarii, non perinde ut ordinarii annuam potestatem habebant : sed tandiu in imperio erant, dum curationem, cui præfecti erant, absolvissent. Quia autem in minoribus magistratibus omnes numerantur, idcirco necesse est, ut dicamus Tributis comitiis creari solitos. Ac de urbanis quidem satis. Sequitur, ut de provincialibus dicamus. Provinciales autem appello omnes magistratus, quibus erat imperium curatiove extra urbem tantum. In hoc numero erant Triumviri, Quinqueviri, Decemviri, Vigintiviri, aut quotquot omnino creari placuerat, ad colonias deducendas aut redigendos colonos in suas quasque colonias. De quibus tam frequens est in historia mentio, ut de iis aliquid adscribere supervacaneum futurum sit. In hoc etiam numero complector Curatores viarum extra urbem; qualem fuisse Q. Thermum apud Ciceronem in prima epist. ad Att. legimus, quem dicit Curatorem viæ Flaminiæ. Qualem etiam C. Gracchum fuisse in historia

A Plutarchi & Appiani legimus. His etiam addendi sunt Triumviri, quos juvenibus ad militiam conquirendis tempore secundi belli Punici creatos reperimus. Livius lib. 5. Decad. 2. *Consules cum ægre delectum conficerent, quod inopia juniorum non facile in utrumque, ut & novæ urbanæ legiones, & supplementum veteribus scriberetur, sufficiebat : Senatus absistere eos incœpto vetuit, & Triumviros binos creari jussit. Alteros, qui citra : alteros, qui ultra quinquagesimum lapidem in plateis forisque, & in conciliabulis omnem copiam ingenuorum inspicerent : & si qui roboris satis ad ferenda arma habere viderentur, etiamsi nondum militari ætate essent,*
B *milites facerent*. Hujusmodi omnes provinciales magistratus extraordinarii erant. Tributis vero comitiis fieri vel inde potest ostendi, quod habentibus comitia Tribunis fere creabantur. Alii erant provinciales magistratus, qui vel Proconsules, vel Prætores, vel Proquæstores in provincias mittebantur; de quibus ut dicamus, paulo altius de omni ratione administrandarum provinciarum repetemus. Vetus administrandarum provinciarum ratio jam inde ante tempora secundi belli Punici fuit, ut Consules Prætoresque statim inito magistratu sortirentur, aut inter se compararent provincias, quas Se-
C natus nominasset. Ut autem sorte evenerant provinciæ, ita in suas quisque provincias proficiscebantur, in quibus annum sui magistratus peragebant. Eoque anno finito, anni sequentis magistratus succedebant. Qua ratione fiebat, ut provincialibus magistratibus creandis non opus esset comitiis: si ista ordinaria ratio observari semper potuisset. Verum bellis undique urgentibus ordinaria ista ratio sæpe sufficere non videbatur. Unde fiebat, ut extra ordinem mandari provinciam oporteret : ob idque ad populum ferri, ut eum designaret quem vellet in provinciam mitti. Porro autem multis modis evenire poterat, ut extra ordinem hic aliquid eveni-
D ret. Uno modo, si annuo finito imperio continuandus magistratus videretur. Quæ causa fuit creandi primi Proconsulis anno Urbis 290. quo anno Livius lib. 3. Dec. 1. scribit T. Quintium Proconsulem adversus Æquos factum : itemque secundi, anno Urbis 427. Coss. L. Cornelio Lentulo & P. Philone, ut ostendit Livius lib. 8. Decad. 1. iis verbis : *Jam Publius inter Palæpolim Neapolimque loco opportune capto diremerat hostibus societatem auxilii mutui. Itaque cum & comitiorum dies instaret, & Publium imminentem hostium muris avocari a spe capiendæ in dies urbis haud e Rep. esset, actum cum*
E *Tribunis est, ad populum ferrent, ut cum P. Philo Consulatu abiisset, Proconsul rem gereret, quoad debellatum cum Græcis esset*. Ex eo vero Livii loco simul intelligi potest, Tributis comitiis creatum hunc Proconsulem. Nam si Tribunorum plebis rogatione factum est, Centuriata comitia esse non potuerunt. Quam eandem rationem postea ad multam ætatem observatam fuisse in prorogando provincialibus magistratibus imperio, ex Livii historia intelligi potest: apud quem passim reperitur de prorogando imperio ad populum latum esse. Quod autem id Tributis comitiis fieret, ex Livio demonstrari potest, apud quem lib. 9. Dec. 3. ita scriptum
F est : *De Hispaniæ imperio, quod in eam provinciam duos Proconsules mitti placeret, latum ad populum est. Omnes tribus eosdem L. Cornelium Lentulum & L. Manlium Acidinum Proconsules, sicut priore anno tenuissent obtinere eas provincias jusserunt*. Et lib. 10. *Consules jussi cum Tribunis plebis agere, ut si iis videretur, populum rogarent quem vellent in Africa bellum agere. Omnes tribus P. Scipionem jusserunt*. Et lib. 2. Decad. 4. *Et de altero Ædile plebiscitum est factum rogantibus Tribunis, quos duos in Hispaniam cum imperio ad exercitus ire juberent, ut L. Cornelius Ædilis ad magistratum gerendum*

veniret : L. Manlius Acidinus decederet de provincia. Multos post annos plebs Cornelio Lentulo & L. Tercinio Proconsulibus imperium esse in Hispania jussit. Ex iis locis perspicuum est, Tributis comitiis Proconsules, Prætoresque jam tum creari solitos. Semel tamen reperimus P. Scipionem comitiis Centuriatis factum Proconsulem, ut supra diximus. Id quod propter magnitudinem deligendi, tum extraordinaria cura Imperatoris a Senatu decretum potius existimo, quam quod iis comitiis opus esset. Alio modo extra ordinem fieri aliquid dicebatur, si extra sortem nominatim provincia aliqua cuipiam decerneretur. Tum enim si collega pati nollet beneficio sortis se excludi, populus rogari solebat, ut designaret quem vellet eam provinciam obtinere. Quia enim legitima ordinariaque ratio erat decernendi provincias, ut de iis provinciis, quas Senatus pro necessitate Reip. nominasset, sortes mitterent, eamque obtineret quisque quam sors ei dedisset: idcirco necesse erat, si extra sortem provincia alicui daretur, populum, cujus summa erat potestas, de ea re consuli. T. Livius lib. 10. Dec. 1. ita scribit: *Q. Fabius inde quintum, & P. Decius quartum Consulatum ineunt, tribus Consulatibus censuraque collegæ; nec gloria magis rerum, quæ ingens erat, quam concordia inter se clari. Quæ ne perpetua esset, ordinum magis quam ipsorum inter se certamen intervenisse reor; patritiis tendentibus, ut Fabius Hetruriam extra ordinem provinciam haberet, plebeiis auctoribus Decio, ut ad sortem revocaret. Fuit certe contentio in Senatu: & postquam ibi Fabius plus poterat, revocata res ad populum est*. Et paulo post: *Fabius nihil aliud precatus populum, quam ut, priusquam introvocarentur ad suffragium tribus, App. Claudii Prætoris adlatas ex Hetruria literas audirent, comitio abiit. Nec minore populi consensu quam Senatus provincia Hetruriæ extra sortem Fabio decreta est*. Ex hoc Livii loco, cum ea, quæ diximus, manifesta sunt; tum vero ex eo, quod dicit hæc comitia habita fuisse in comitio, necessario efficitur, non fuisse Centuriata comitia. Quia vero tribus introvocatas dicit, consequitur, non Curiata etiam, sed Tributa fuisse comitia. Ego autem illam exceptionem adjeci, nisi concedente collega; eo quod nil opus esset populum consuli, si collegæ inter se comparassent provincias, ut sorte opus non esset. Unde apud Livium lib. 8. Dec. 3. ita scribitur: *Nominatæ Consulibus provinciæ sunt. Sicilia Scipioni extra sortem concedente collega, quia sacrorum cura Pontificem max. in Italia retinebat, obtigit*. Quod vero de provinciis comparare inter se liceret, ex iis intelligi potest, quæ lib. 3. Dec. 5. ita scribuntur: *Principio insequentis anni cum Consules novi de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam & Macedoniam, aut sortiri placuit*. Et libro quinto: *Moniti deinde Consules a patribus, ut, quoniam alterum ex iis succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat in Galliam, oporteret, primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut sortirentur*. Postremis temporibus, adeoque ætate Ciceronis hanc fuisse rationem decernendarum provinciarum reperio. Consulares erant quædam provinciæ, quædam Prætoriæ. Erant autem Consulares, quæ singulorum annorum Consulibus assignabantur, & in quas missi magistratus Proconsules erant. Prætoriæ vero, quæ singulorum annorum Prætoribus decernebantur, & in quas missi magistratus Proprætores erant. Et quanquam summum esset utriusque imperium in provincia, major tamen erat Proconsulum dignitas quam Prætorum. Quod vel inde apparet, quod non modo majorem exercitum, plures fasces habebant Proconsules, sed etiam reliqua omnia Consularia ornamenta. Proprætores vero minorem exercitum habebant, & fasces pauciores, Prætorumque tantum insignia præ se ferebant. In quas ergo provincias cum imperio Consulari mittendos magistratus Senatus decrevisset, hæ erant Consulares provinciæ. De quibus erat lex Sempronia a Graccho Tribuno plebis lata, cujus meminit Cic. pro domo sua iis verbis: *Itane vero tu provincias Consulares quas C. Gracchus, qui unus maxime popularis fuit, non modo non abstulit a Senatu, sed etiam, ut necesse esset quotannis constitui per Senatum, decreta lege sanxit; eas lege Sempronia per Senatum decretas rescidisti, extra ordinem sine sorte nominatim dedisti?* Ex iis autem, quæ scribuntur in oratione de provinciis Consularibus, intelligi potest, singulis annis duas provincias decernendas fuisse iis Consulibus, qui adhuc designandi essent. Quibus post designatis nominatæ a Senatu provinciæ in sortem mittebantur. Verba Cic. hæc sunt: *Decernendæ nobis sunt lege Sempronia duæ*. Et alio loco: *Alter belli Gallici rationem habet: fungitur officio boni Senatoris. Legem, quam non putat, eam quoque servat. Præfinit enim successori diem. Qui mihi nihil videtur minus a dignitate disciplinaque majorum dissidere, quam ut qui Consul Calendis Januar. habere provinciam debet, is ut eam desponsam, non decretam habere videatur. Fuerit toto in Consulatu sine provincia, cui fuerit, antequam designatus esset, decreta provincia. Sortiretur an non? Nam & non sortiri absurdum est, & quod sortitus sis, non habere. Proficiscetur paludatus? quo? quo pervenire ante certam diem non licebit. Januario, Februario, provinciam non habebit. Calendis ei denique Martiis nascetur repente provincia*. Erat igitur jam inde post legem Semproniam ordinaria ratio decernendi provincias Consulares, ut ante comitia Consularia Senatus designandis Consulibus provincias decerneret, quas deinde sortirentur inter se. In quo a veteri ratione, ut apparet, nihil aut parum discessum erat. Nam & prius Senatus provincias nominabat, quas deinde sortirentur inter se Consules. Id tamen lege Sempronia diversitatis adjectum est, quod ante designatos Consules id fieri oporteret lege Sempronia: prius autem post eos designatos plurimum, sæpe etiam post initum magistratum fiebat: ut ex historia T. Livii constare potest. Deinde, prius valebat communis intercedendi Senatusconsultis ratio: ita ut intercedentibus Tribunis non posset ratum esse decretum Senatus de provinciis. At lege Sempronia effectum est, ut decreto Senatus de provinciis Consularibus intercedi non posset: quemadmodum Cicero ostendit in orat. De Pro. Cons. his verbis: *Faciam, inquit, illas Prætorias, ut Pisoni & Gabioni succedatur statim. Si hic sinat. Tum enim Tribunus intercedere poterit: nunc non potest. Itaque ego idem, qui nunc Consulibus, qui designati erunt, Syriam Macedoniamque decerno, decernam easdem Prætorias, ut & Prætores annuas provincias habeant, & eos quam primum videamus, quos animo æquo videre non possumus. Sed mihi credite, nunquam succedetur illis, nisi cum ea lege referetur, qua intercedi de provinciis non licebit*. Ex iis Ciceronis verbis apparet, intercedi non potuisse decreto Senatus, de provinciis decernendis potuisse intercedi. Tum illud intelligi potest, Consulares provincias non fuisse certas quasdam ex Romanis provinciis, quæ non possent nisi Consulares esse: sed pro Senatus voluntate Consulares fiebant, in quas cum imperio Consulari mittebantur: Prætoriæ, in quas cum imperio Prætorio; ita ut vicissim, quæ Consulares fuerant, Prætoriæ fierent; & quæ Prætoriæ ante fuerant, Consulares fierent. Adeo autem in arbitrio Senatus hoc erat, ut interdum ignobiles admodum provinciæ

vinciæ Consulares fierent. Svet. in Cæsare: *Eandem ob causam opera optimatibus data est, ut provinciæ futuris Consulibus minimi negotii, id est, sylvæ callesque decernerentur*. Porro autem solebant postremis illis temporibus Consules fere totum annum sui Consulatus in urbe consumere, nec fere in provincias proficiscebantur, nisi ad finem anni, præsertim si nullum esset in provincia bellum, quod ad maturandum urgeret. Qua ratione fiebat, ut cum anno Consulatus continuarent & alterum annum Proconsulatus. Nec sicut prioribus temporibus terminato anno Consulatus, rogandus erat populus de prorogando imperio, sed absque ulla rogatione, propter decretum Senatus habebant in provincia imperium, finito etiam anno sui Consulatus. Erat autem hoc commune omnibus provinciarum magistratibus, ut tandiu obtinerent imperium, quandiu successor non mittebatur, siquidem ipsi in provincia esse vellent peracto tempore Senatusconsulti: nec singulis annis ferendum erat ad populum de prorogando imperio, sicut prioribus temporibus fieri solebat: sed semel obtentum imperium eo usque retinebatur, dum successor mitteretur. Id vero, ut ita esset, lege Cornelia cavebatur. Cujus meminit Cicero in epistola 9. ad Lentulum libro primo Epistolarum. Eam legem Cicero indicat fuisse, ut quam primum urbe egressus esset is, cui provincia decreta esset, imperium habere, quoad in urbem repedasset. Ex quibus perspicuum est, per legem Corneliam effectum esse, ut quod superioribus temporibus extraordinarium erat, ob idque populi auctoritatem intervenire desiderabat, ordinarium fieret, ut jam rogatione de prorogando imperio opus non esset, si successor non mitteretur. Nec repugnat iis, quæ diximus, rogatio Trebonia, qua latum est ad populum, ut Cæsari imperium in Gallia in aliud quinquennium prorogaretur. Hac enim lege volebat Trebonius Pompeio & Crasso auctoribus Senatui potestatem de ea provincia decernendi tollere, ut ne liceret ante quinquennium successorem mittere. Nam, si successorem misisset Senatus, omnino ei decedendum fuisset. Lege enim Cornelia triginta tantum dies concedebantur magistratui ad decedendum, postquam successorem in provinciam ingressum sciebat, ut docet Cic. in epistola ad App. sexta libro tertio Epistolarum. Erat igitur ordinaria ratio decernendarum Consularium provinciarum illa, quam exposui. In qua ad creandos magistratus provinciales populi suffragiis opus non erat, sicut nec prius, cum nihil extra ordinem fieri contigisset. Illud sane non negaverim, lege Curiata, & adumbratis quibusdam comitiis Centuriatis opus fuisse provincialibus magistratibus, ut nos postea ostendemus. Verum Tributis comitiis aut Centuriatis nihil opus fuisse affirmo in illa ordinaria provinciarum decernendarum ratione. At si provincia decerneretur extra ordinem, tum vero populi suffragiis opus erat ad creandos magistratus, præsertim post legem Corneliam a C. Cornelio Tribuno plebis perlatam: qua lege, ut scribit Dion. lib. 36. cavebatur, ut esset quidem in Senatus potestate imperia extra ordinem dare, omninoque legibus solvere, sed ita, ut post rogatio ad populum veteri more de ea re ferretur: quam rogationem omnino a populo juberi necesse esset. Hoc enim idem est cum eo, quod Asconius de hac lege Cornelia scribit: *Cautum*, inquam, *fuisse*, *ne quis in Senatu legibus solveretur, nisi ducenti adfuissent: neve quis intercederet, cum ea de re ad populum ferretur*. Hæc lex lata est Q. Calphurnio Pisone & M. Acilio Glabrione Coss. anno Urbis 687. Ac Senatus quidem præter jus antiquum eam sibi auctoritatem jamdudum usurpaverat, ut legibus solveret, quos vellet, non consulto populo; cum antiquo jure cautum esset, ut nemo legibus solveretur, nisi per populum. Cum ergo certum sit, extra ordinem provinciam dare nil aliud esse, quam præter morem legibus receptum imperium alicui decernere, dubium esse non potest, provinciam neminem extra ordinem obtinere potuisse, nisi legibus solutus esset. Ex quibus perspicuum est, quandiu non licuit quenquam legibus nisi per populum solvi, tandiu non potuisse omnino provincias extra ordinem obtineri absque rogatione populi. At postquam id juris totum ad se transtulit Senatus, tum vero extraordinaria imperia decernendi adeo Senatus potestas fuit, ut fere non aliter a populo ea obtinerentur, nisi præter Senatus voluntatem rogatione alicujus magistratus a populo decernerentur. Postquam autem C. Cornelius eam, quam dixi, legem pertulit, tum vero planum est, nullam provinciam extra ordinem obtineri potuisse absque rogatione populi. Unde fit, ut post eam legem extraordinariis imperiis obtinendis semper advocatis comitiis opus fuerit, sive Senatus decreto obtinerentur, sive a populo præter Senatus decretum. Extra ordinem autem aliquid fieri dicebatur, quocunque modo ab illa ordinaria ratione discedebatur. Ac primum cum oporteret Consulares provincias dari iis, qui Consulatum gererent, si quando iis decernerentur, qui in magistratu non erant, extra ordinem fieri aliquid dicebatur. Hoc autem evenire poterat multis de causis. Nam si Consules ipsi in provincias ire nollent, ut Hortensius in provinciam profectus non est, teste Cicerone in Bruto, & Bibulus post Consulatum in urbe mansit, & Cicero ipse Galliam provinciam sibi decretam in concione deposuit, & Pompeius & Crassus post primum Consulatum in urbe manserunt; tum si ex iis, qui magistratum non gerebant, aliquis in provinciam cum imperio Consulari mitteretur, extra ordinem provinciam is obtinere dicebatur. Veluti dicebatur cum in Ciliciam multo tempore post Consulatum Cicero Proconsul missus est, & Bibulus in Syriam, L. Domitius in Galliam. Neque enim privati homines, tametsi Consulares essent, provinciam obtinere poterant, priusquam ex privatis facti essent magistratus. Quod vero Cicero eam provinciam habuerit, non modo a Senatu, sed etiam a populo, verba ejus indicant, quæ ad C. Cassium scribuntur lib. 15. epist. Fam. *De me autem idem tecum his ago literis, quod superioribus egi, ut omnes tuos nervos in eo contendas, ne quid mihi ad hanc provinciam, quam & Senatus & populus annuam esse voluit, temporibus prorogetur*. Quod enim Cicero facit mentionem populi, ad rogationem pertinet, quæ de ejus imperio lata est. Neque enim populi jussum hac in re intervenisse, aliter intelligere possumus. Alio modo privatis extra ordinem provincia decernebatur, si quando Reip. tempora requirere viderentur, ut præter eos qui magistratus gerebant, aliquis singulari virtute Imperator seligeretur, qui in provinciam mitteretur. Qua ratione Pompeius provinciam obtinuit, cum adversus piratas Proconsul est missus. In quo multa extra ordinem facta sunt. Primum, quod uni ex privatis provincia Italia dabatur; deinde, quod triennium Proconsul esse jubebatur; tum, quod imperium ei adversus omnes absque provocatione; postremo, quod imperium ei tanta amplitudine dabatur, ut non modo totius maris interni imperium ei cederet, sed etiam in omnibus omnium provinciis ad quinquagesimum usque stadium: qua ratione fiebat, ut novo more omnes fere Romanæ provinciæ simul ejus imperio, quod adoram maritimam attinet, subjicerentur. Hanc provinciam Pompeius lege Gabinia habuit præter Senatus voluntatem. Unde sequitur, comitia, quibus hoc tantum imperium Pompeio datum est, Tributa fuisse, ut quæ ab A. Gabinio Tribuno plebis habita sint. Hac eadem ratione Pompeius, cum rei

Bbb

frumentariæ præfectus est, provinciam obtinuit. In quo hæc omnia fuerunt extra ordinem: quod nominatim Pompeio data est; quod privato: quod procuratio frumentaria Sex. Clodio, quam lege P. Clodii superiore anno habuerat, detrahebatur: quod imperium ei multo majus dabatur, quam quod solebat esse præfecti annonæ, nempe Proconsulis non modo in Italia, sed etiam in omnibus Romanorum provinciis, ut ait Dion. lib. 39. quod in quinquennium ea provincia dabatur. Hanc provinciam a Senatu obtinuisse Pompeium scribit Cic. in oratione pro domo sua. Quod tamen rogatione etiam populi Senatus decretum confirmatum sit, vel hinc intelligi potest, quod non potuit lex Clodia nisi lege abrogari. Poterant etiam provinciæ extra ordinem dari his qui in magistratu erant: tam iis, qui in urbe erant, quam iis, qui extra urbem imperium habebant. Quando in Hispaniam adversus Sertorium missus est Pompeius, erat cum imperio ad urbem non dimisso adhuc exercitu, quo Lepidum oppugnaverat, ut ait Plutar. in Pompeio. Fuerunt autem omnia hæc extra ordinem: quod nominatim ei, quem privatum esse absoluta provincia priore oportebat: quod adolescenti, qui nondum magistratum in urbe gessisset: quod imperium consulare ei dabatur: quod jam sæpe imperium in provincia habuisset. Quod etiam lege Manilia data est Pompeio provincia, extra ordinem hæc fuerunt, quod ei, qui jam toties in provincias missus esset, & qui adhuc in imperio esset ejus provinciæ, quam superiore anno lege Gabinia habuerat, decerneretur alia provincia: quod imperium ei dabatur in Bithynia, quam Proconf. administrabat M. Glabrio, & in Cicilia, quam Q. Martius Rex Proconf. obtinebat: quod nominatim & extra sortem Pompeio dabatur. Hæc autem comitia, quæ a Manilio Tribuno plebis habita sunt, Centuriata esse non potuerunt. Unde error interpretis apud Plutarchum manifesto deprehenditur: qui cum vertere debuisset, perlatam esse legem omnium tribuum suffragio, vertit, promulgatam omnibus Centuriis. Ipsis etiam Consulibus extra ordinem dari poterant provinciæ: veluti cum lege Vatinia Cæsari Gallia provincia data est, quia nominatim & extra sortem, præter Senatus decretum, in quinquennium ea provincia data est, idcirco extraordinaria dicitur. Et lege Clodia Pisoni & Gabinio provinciæ Syria & Macedonia datæ sunt extra ordinem; quia cum alias provincias Senatus his decrevisset, nominatim & extra sortem eæ provinciæ eis datæ sunt. Et lege Trebonia Pompeio & Crasso iterum Consulibus Syria & Hispania provinciæ extra ordinem datæ sunt, quia nominatim & in quinquennium datæ sunt. Et Mario in primo Consulatu provincia Numidia rogatione L. Manlii Tribuni plebis data est, cum eam Senatus paulo ante Metello decrevisset. At L. Lucullo provincia extra ordinem data est Mithridatici belli; quia jam sortitus erat Galliam Cisalpinam: qua provincia dimissa nominatim ei data est Cilicia in locum demortui L. Octavii; simulque injunctum, ut adversus Mithridatem bellum gereret, cum esset Proconsul Bithyniæ M. Cotta ipsius collega. Hæc vero a Senatu tantum citra ullam populi rogationem obtinuisse Lucullus legitur apud Plutarch. & Cic. initio lib. Academ. quæstionum, qui Lucullus inscribitur: quia tum lex Cornelia lata non erat, ideoque Senatui legibus solvere Lucullum licebat absque rogatione populi. Ut ergo summatim de provinciis Consularibus dicam, suffragiis populi ad creandos Proconsules nunquam opus fuit, nisi extra ordinem aliquid fieret. Cum vero extra ordinem aliquid fiebat, ante legem quidem Corneliam interdum a populo, sæpe a Senatu absque ulla populi rogatione imperia extraordinaria dabantur: post legem vero Corneliam, necessario populi rogatione, sed inter-

A dum ex Senatus etiam decreto sæpe præter Senatus voluntatem Proconsules creari oportebat. Id vero Tributis comitiis fieri, exempla, quæ a nobis proposita sunt, manifesto indicant. De provinciis vero Prætoriis eadem aut non multum diversa dici possunt. Nam, ut ex iis, quæ citavimus ex oratione de provinciis Consularibus, intelligi potest, Prætoriæ etiam provinciæ a Senatu decernebantur. Quas vero Senatus nominaverat, eas deinde sortiebantur inter se Prætores. Sed hoc diversum a provinciis Consularibus erat, quod Consulares in incertum decerni solebant a Senatu, antequam designati essent Consules, ut paulo ante demonstravimus: at Prætoriæ
B decernebantur ipsis Prætoribus, cum magistratum gerebant. Hujus autem diversitatis ea erat, ut opinor, ratio, quod omnibus Prætoribus suæ erant in urbe provinciæ in jure dicendo, quas necessario debebant toto anno suæ Præturæ administrare. Alius enim urbanam jurisdictionem habebat, alius inter peregrinos, alius de majestate, alius de ambitu, alii inter sicarios, alii denique alias quæstiones publicas exercebant, ut superiore libro pluribus ostendimus. Itaque statim designati Prætores sortiebantur inter se urbanas istas provincias sibi per leges jamdudum decretas, ut novo Senatus decreto
C in ea re opus esset. Id quod Cic. 2. oratione in Verr. ostendit his verbis: *Ecce autem, illis ipsis diebus cum Prætores designati sortirentur, & M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quæreret.* Quia igitur duas simul provincias eisdem Prætoribus decernere non licebat, idcirco provincias extra urbem Prætoribus decernere non poterat Senatus, nisi eo anno, quo Præturam gerebant. Sic autem decernebantur, ut nisi exacto anno Præturæ in provincias non proficiscerentur. In quo illorum temporum a superioribus differentia observari potest. Superioribus enim temporibus Prætores inito statim magistratu sortiebantur provincias, in quas etiam
D statim proficiscebantur ii, quibus extra urbem obtigissent provinciæ, annum suæ Præturæ in provincia gesturi: quibus si successor non mitteretur, de prorogando imperio ad populum ferebatur. Quæ omnia ex lectione 3. & 4. Dec. T. Livii aperta sunt. At Ciceronis ætate Prætores juri dicundo in urbe retinebantur toto anno suæ Præturæ: nisi quid accidisset tumultus, cujus causa omissa jurisdictione urbe exeundum esset: quomodo accidit in conjuratione Catilinæ. Ipso autem anno suæ Præturæ sortiebantur eas provincias, quas Senatus Prætorias decrevisset, in quas profecti tandiu imperium habebant quandiu successor non mittebatur: idque per legem
E Corneliam, uti diximus. Unde apud Svetonium ita scribitur de Cæsare: *Ex Prætura ulteriorem sortitus Hispaniam.* Et de Octavio patre Augusti: *Ex Prætura Macedoniam sortitus.* Et apud Ciceronem: *Verres ex Prætura urbana sortitus Siciliam.* Et. *L. Muræna ex Prætura Galliam sortitus est.* Illa vero lege Cornelia Verres triennio fuit Prætor Siciliæ, & Q. Tullius frater Ciceronis tres annos Asiam provinciam Prætor administravit. Neque his prorogatum imperium ab alio legimus, quam a Senatu. Atque illa quidem erat Prætoriarum provinciarum ordinaria administratio: ad quas nullis opus erat comitiis, quibus provinciales magistratus crearentur.
F Sin extra ordinem decernerentur, idem hic dicendum est, quod paulo ante in Consularibus diximus. Ante legem C. Cornelii, qua legibus solvendi potestas inconsulto populo Senatui detracta est, fere Prætorias provincias extra ordinem Senatus sine ulla rogatione populi decernebat. Post legem vero Corneliam perlatam, omnino creandis extra ordinem Proprætoribus, necesse erat haberi comitia, sive decreto Senatus, sive a populo præter Senatus sententiam provinciæ darentur. Extra ordinem autem decerni dicebantur eisdem de causis, quibus

Consulares. Nam, si nollent in provinciam proficisci aliqui Prætores, id eis liberum erat: ut Cicero pro Muræna ostendit, Ser. Sulpitium alloquens his verbis: *Postremo tu in provinciam ire noluisti. Non possum id in te reprehendere, quod in meipso & Prætor, & Consul probavi.* Tum vero respuentibus provinciam Prætoribus sæpe accidebat, ut reliqui non responderent ad numerum provinciarum, quas Senatus Prætorias decrevisset: ideoque necesse erat alios substitui. Quemadmodum autem Consularibus viris, qui in provinciis non fuissent, Consulares provinciæ, quas Consules respuissent, demandari solebant: nisi quod interdum Prætorum sortitioni a Senatu relinquebantur Consulares hujusmodi provinciæ, maxime si nulli essent Consulares, qui in provincias ire aut possent aut vellent: quomodo Gallia provincia, quam Cicero Cons. deposuerat, Q. Metello Celeri Prætori sortito obtigit, ut ait Cicero in epist. 2. lib. 5. Ep. Fam. Ut, inquam, in Consularibus provinciis fiebat, ita solebant potissimum substitui ex proximo Prætorum collegio, si qui essent, qui cum imperio in provincia non fuissent, & nunc provinciam acceptare vellent. Id quod perspici potest ex verbis Senatusconsulti, quod est in octava epist. lib. 8. Ep. Fam. Verba S. C. hæc sunt: *Item Senatui placere in Ciliciam provinciam, in octo reliquas provincias, quas Prætorii pro Prætore obtinerent, eos qui Prætores fuerunt, neque in provincia cum imperio fuerunt, quos eorum ex S. C. cum imperio in provincias pro Prætore mitti oporteret, eos sortito in provincias mitti placere. Si ex eo numero, quos ex S. C. in provincias ire oporteret, ad numerum non essent, qui in eas provincias proficiscerentur, tum uti quodque collegium primum, Prætorum fuisse, neque in provincias profecti essent, ita sorte in provincias proficiscerentur. Si ii ad numerum non essent, tunc deinceps proximi cujusque collegii, qui Prætores fuissent, neque in provincias profecti essent, in sortem conjicerentur. Quoad is numerus effectus esset, quem ad numerum in provincias mitti oporteret.* At enim privatus nemo poterat provinciam cum imperio Prætorio habere, antequam ex privato factus esset magistratus. Post legem ergo Corneliam, ad faciendos hujusmodi ex privatis hominibus provinciales magistratus, Tributis comitiis populum rogari oportebat. Jam vero si nominatim & extra sortem, aut præter Senatus decretum provincia daretur, extra ordinem dari dicebatur, non modo si privato, sed etiam si ei, qui in magistratu aliquo esset, daretur. Ut cum Cato missus est Proprætor in Cyprum rogatione P. Clodii Tribuni plebis, Cato privatus erat ac Tribunitius tantum, non Prætorius, cui nominatim ac præter Senatus voluntatem data est ea provincia. Svetonius etiam extraordinarium imperium appellat, quod Cæsar desiderabat sibi Ægyptum provinciam dari, quia sibi Ædilitio tantum, non Prætorio nominatim eam provinciam dari volebat. Idem Svetonius scribit in Cæsare de Cn. Pisone: *Idem Curio; sed & M. Actorius Naso auctores sunt, conspirasse eum etiam cum Cn. Pisone adolescente, cui ob suspicionem conjurationis urbanæ provincia Hispania ultro extra ordinem data sit.* Quod vero ait Svetonius extra ordinem hanc provinciam Cn. Pisoni datam, ex Salustii verbis, quomodo accipiendum sit, intelligi potest: *Postea Piso in citeriorem Hispaniam Quæstor pro Prætore missus est, adnitente Crasso.* Hoc igitur extra ordinem erat, quod tametsi magistratui daretur provincia, id tamen legitimum non erat, ut Quæstor in provincia esset pro Prætore, hoc est, cum imperio prætorio ac dignitate prætoria. Quod si tam extraordinarium est, Prætorem pro Consule esse, quam Quæstorem pro Prætore, dubium profecto esse non potest, quin Galliam provinciam tam extra ordinem obtinuerit Proconsul Q. Metellus Celer ex Prætura, quam Cn.

A Piso Hispaniam Proprætor ex Quæstura. Quamquam ergo utrisque his decretas a Senatu has provincias reperiamus, (de Pisonis enim provincia ita scribit Salustius: *Neque tamen Senatus eam provinciam invitus dederat: quippe fœdum hominem a Republica procul esse volebat.* De Metelli vero provincia hoc idem testatur Cic. epist. 2. lib. 5. Epist. Fam. quæ ad Q. Metellum Proconsulem scripta est) quia tamen jam tum temporis lata erat lex Cornelia, necesse est, ut concedamus, præter Senatus decretum accessisse & jussum populi, ut solvi legibus possent. Quod idem judicandum est de extraordinario imperio, quod per Senatum obtinuit Cæsar Octa- B vianus. Verba Ciceronis ex Philip. 5. quæ in Senatu habentur, hæc sunt: *Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari, teneri exercitus, bellum geri non potest, & , ut sit Proprætor eo jure, quo qui optimo.* Adolescenti privato, qui nullum magistratum adhuc gessisset, Prætoris imperium dari ex legibus non poterat. Non potuit igitur Octavianus hoc imperium habere, quin ad Senatus decretum populi rogationem accessisse fateamur: si modo non abrogatam fuisse tum legem Corneliam dicamus. Cicero pro domo sua scribit: *Cui quidem cum Ciliciam dedisses, mutasti pactionem,* C *& Ciliciam ad Prætorem item extra ordinem transtulisti.* Quia enim Clodius præter Senatus decretum nominatim eam provinciam, quam fecerat Consularem, Prætori dederat: propterea extra ordinem data provincia scribitur. Sit igitur de postremi temporis Proconsulibus & Proprætoribus in summa hoc constitutum. Si extra ordinem in decernendis provinciis nihil factum esset, provinciales magistratus absque ullis populi comitiis ex Senatusconsulto creabantur. Sin extra ordinem decernerentur, alio tempore alia ratio observabatur. Postquam enim legibus solvendi potestatem ad se totam Senatus transtulerat, extraordinaria imperia fere omnia D Senatus dabat absque ulla rogatione populi, quemadmodum ea verba indicant, quæ ex Dione paulo ante citavimus, ubi de lege Cornelia agit. Ac maxima quidem Senatus potestas, ut in aliis rebus, ita in decernendis provinciis fuit post Syllæ Dictaturam, ut ex omni historia apparet. Præter id enim quod jamdudum Senatus legibus solvendi potestatem omnem usurpaverat, Sylla plebeiis magistratibus jus agendi cum populo detraxerat. Unde consequitur post illud tempus plebeiorum magistratuum rogatione nullam provinciam præter Senatus decretum dari potuisse: quemadmodum post restitutam E Tribunitiam potestatem a Pompeio in primo Consulatu sæpe factitatum legimus a Tribunis plebis Gabinio, Manilio, Vatinio, Clodio, Trebonio. Unde efficitur, illo potissimum tempore extraordinaria imperia a Senatu data fuisse absque ulla rogatione populi. At post eam legem, quam diximus a C. Cornelio Tribuno plebis perlatam, necesse fuit, extraordinariis imperiis dandis populum consuli, sive Senatus decreto obtinerentur, sive præter Senatus voluntatem alicujus Tribuni plebis rogatione. Hæc vero comitia, quibus provinciales hujusmodi magistratus creabantur, non Centuriata, sed Tributa esse solebant, ut exempla a nobis proposita ma- F nifesto demonstrant. Quod tamen omnibus his magistratibus, sive ordine sive extra ordinem creati essent, lex Curiata, quæ comitiis Curiatis ferretur, necessaria esset, libro tertio docebimus. Hic vero obiter animadvertendum est, tametsi dicamus, post legem Corneliam non potuisse Senatum solum dare imperium extraordinarium: ex eo tamen negari non posse, quin Senatus pro suo jure antiquo posset inconsulto populo provinciali magistratui negocium aliquod extra ordinem dare. Svetonius in Augusto scribit de Octavio patre Augusti: *Ex Prætura Macedoniam sortitus, fugitivos residuam Spar-*

A *taci & Catilinæ manum, Thurinum agrum tenentes, in itinere delevit; negotio sibi in Senatu extra ordinem dato.* Quia enim, provinciam suam bellum gerere magistratui non liceret, propterea dicit extra ordinem datum hoc negocium Octavio. Hoc vero non erat imperium extraordinarium dare, sed ei, qui in imperio esset, extraordinarium negocium imponere. Quod vero supra Proquæstorum memini in enumerandis provincialibus magistratibus, ad eos pertinet, qui in provinciis erant cum imperio Quæstorio, post finitum etiam annum suæ Quæsturæ. Cum enim Syllæ instituto viginti essent Quæstores, ne otiosam faciamus Quæsturam, necesse est, ut suum quoddam munus omnibus attributum dicamus. B Neque vero omnibus suum munus in urbe esse poterat. Quare necesse est, ut partim in urbe; partim extra urbem suas quasdam provincias Quæstoribus tribuamus. Sortiebantur ergo Quæstores ex Senatusconsulto provincias, ut eam quisque administraret, quam a Senatu decretam sors ei dedisset. Et quibus quidem urbanæ duæ Quæsturæ obtigissent, hi Quæstores urbani erant ærario præfecti. Quibus vero Consulares duæ provinciæ obtigerant, ii Consulibus ut præsto essent, unaque in provincias irent, provinciam habebant. Sic enim Cicero loquitur 3. in Verr. *Quæstor ex S. C. provinciam sortitus es:* C *obtigit tibi Consularis, ut cum Consule Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres.* Similiter & quotquot erant provinciæ Romanæ, quæ Proconsulum aut Proprætorum imperio administrabantur, hæ, quas quidem Senatus quæstorias decrevisset, in sortem mittebantur. Veluti in Sicilia duæ erant sub uno Proprætore provinciæ Quæstoriæ, Lilybetana & Syracusana, auctore Asconio. In Hispania, quæ duas provincias, citeriorem & ulteriorem, habebat, duæ. In Sardinia, Africa, Bithynia, Asia, Achaia, Cilicia, Gallia utraque, erant etiam suæ quædam sub Proconsulibus, aut Proprætoribus provinciæ Quæstorum. D Ut Ciceroni Quæstori altera ex Siculis Quæsturis, Lilybetana, obtigit: Cæsari ulterior Hispania: Cn. Plancio Macedonia: L. Lucullo Asia. Sed quoniam vel illæ provinciæ satis magno numero non erant, ut Quæstorum numero respondere possent, vel non omnes a Senatu decernebantur: hinc fit, ut alias præterea per Italiam proprias Quæstorum provincias reperiamus. Cicero pro Muræna: *Sed Quæstura utriusque propemodum pari momento sortis fuit. Habuit hic lege Titia provinciam tacitam & quietam. Tu illam, cui cum Quæstores sortiuntur, etiam reclamari solet, Hostiensem, non tam gratiosam & illustrem, quam negotiosam & molestam.* E His verbis Cicero duas ponit Quæstorias provincias. Unam, lege Titia, quam ego existimo ex Agraria lege Titii natam fuisse, ad colligendum scilicet vectigal agris publice assignatis impositum. Nam Sex. Titius Tribunus plebis legem Agrariam tulisse legitur M. Antonio & A. Posthumio Albino Coss. auctore Valerio lib. 8. cap. 1. & Cicerone lib. 2. de Oratore. Alteram, Hostiensem: quæ frumentariam procurationem habebat, ut Cicero indicat in oratio. pro Sestio: *Nec mihi erat res cum Saturnino, qui, quod a se Quæstore Hostiensi per ignominiam ad principem & Senatus & civitatis M. Scaurum rem frumentariam translatam sciebat, dolorem suum magna contentione animi persequebatur.* F Et de Arusp. responsis: *Saturninum, quod in caritate annonæ Quæstorem a sua frumentaria procuratione Senatus emovit, eique rei M. Scaurum præfecit, scimus dolore factum esse popularem.* Erat & alia provincia aquaria, cujus meminit Cicero in Vatinium, de Quæstura ejus loquens, his verbis: *In eo magistratu cum tibi magno clamore aquaria provincia sorte obtigisset, missusne sis a me Consule Puteolos, ut inde aurum exportari argentumque prohiberes.* Cum autem suæ hoc modo darentur omnibus Quæstoribus provinciæ, attamen provinciarum diversitas efficiebat, ut alii possent statim inito magistratu factaque sortitione suum munus exercere: alii non possent. Nam, quibus aut in urbe, aut in locis per Italiam vicinis provinciæ obtigerant, poterant statim suas provincias gerere. Quibus vero obtigerant externæ provinciæ, hi tantisper ociosam habebant Quæsturam, dum in provincias pervenissent. Atque illi quidem, qui urbanas aut vicinas urbi provincias habebant, in fine anni deponebant imperium. Qui vero externas populi Romani provincias habebant, tandiu in provincia imperium retinebant, donec successor mitteretur, si modo post annum in provincia imperium manere vellent. Numerabatur autem annus provinciæ ex eo die, quo primum attigissent provinciam: non autem ex Cal. Januarii, quibus Quæsturam primum inissent. Unde fiebat, ut fere Quæstores isti provinciales post finitum annum suæ Quæsturæ adhuc retinerent imperium in provincia, donec provinciali munere perfecto in urbem rediissent. Quoniam autem Consules in suas provincias fere non proficiscebantur nisi ad finem anni, ideo necesse erat, ut & Quæstores, qui eis obtigerant, non possent in provincia imperium obtinere, priusquam eas provincias administrare Consules cœpissent: itaque fiebat, ut fere cum anno Quæsturæ continuarent & alterum annum provinciæ. Ut P. Sestius, qui C. Antonii collegæ Ciceronis Quæstor erat, in Macedonia Quæstor non fuit, nisi perfecto bello Catilinario, quod initio anni sequentis auctore Dione demum profligatum est. Et Quæstor Cæsaris non fuit in Gallia toto anno Consulatus Cæsaris: sed tertio demum aut quarto mense anni proximi eo cum Cæsare pervenit. Quod idem in aliis Quæstoribus provincialibus dicendum, si vel negotiis privatis aut publicis, aut morbo impediti non potuissent in provincias ire, cum primum eis licitum esset: vel si nondum eis in provincia esse liceret, quia tempus succedendi Senatusconsulto definitum nondum venisset. Neque enim una cum Prætoribus Quæstores semper in provincias ibant: nec semper cum eis decedebant, sed accidere poterat, ut unius Prætoris annus duos haberet Quæstores: & contra, ut unus Quæstor duorum esset Prætorum. Cicero enim 4. orat. in Verr. ostendit duos Quæstores, qui postremi fuerant, Verris Quæstores adhuc in Sicilia cum imperio fuisse, quando ipse ad inquirendum in eum profectus est in Siciliam. Verba ejus hæc sunt: *Quæstores utriusque provinciæ, qui isto Prætore fuerant, cum fascibus mihi præsto fuere.* Quod enim ait Cicero, cum fascibus, argumento est, cum imperio hos Quæstores fuisse. Atqui jamdudum Verres decesserat de provincia, cum Cicero ad inquirendum in eum eo profectus est, & jam ei L. Metellus successerat. Ex iis ergo consequens est, Quæstores Verris non simul imperium cum eo deposuisse, sed Metello etiam Prætore Quæstores fuisse. Quod vero continuo subjicit Cicero, eos Quæstores, qui illis successerunt, non minus acres contra se fuisse, argumento est, interim dum in Sicilia erat, hos successores venisse. Erat autem in Sicilia Cicero mensibus Maio & Junio. Ex quo apparet, cum ad principium anni Prætor Verres decessisset, Quæstores non nisi quinto aut sexto mense decessisse. Illud quoque animadvertendum hoc loco est, adeo fuisse diversas Quæstorum ac Prætorum provincias, ut sæpe non mitteretur a Senatu successor Prætoribus, cum interim Quæstoribus illæ provinciæ decernerentur. Veluti Verres triennio Siciliam Prætor obtinuit: attamen singulis annis alios atque alios Quæstores habuit, ut docet Asconius. Et Ciceroni Proconsuli in Cilicia successor non est missus, & tamen Quæstor eo missus est C. Cælius, ut ipse docet ultima epist. lib. 2. Ep. Fam. Quo etiam in loco & aliis epist. ad Att. lib. 7. Cicero ostendit C. Cælium in

provinciam non venisse, nisi paulo ante diem tertiam Cal. Sext. quo die terminato annuo imperio, Cicero de provincia decessit. Unde sequitur, C. Cælium, qui Quæsturam Cal. Jan. inierat, in provinciam demum septimo mense pervenisse. Ex quo apparet verum esse illud, quod diximus, post finitum annum Quæsturæ, in provincia Quæstores imperium habuisse. Quod si successor non mitteretur Quæstoribus, tum vero accidebat, ut multo diutius imperium retineret. C. Graccho Quæstori successor non est missus: ideoque triennium Quæstorio imperio fuit in Sardinia, ut ait Plutarchus. Et L. Lucullus in Asiam Quæstor profectus, ibi per multos annos provinciæ præfuit, inquit Cicero in principio Luculli: nec cum Sylla, cujus erat Quæstor, decessit, sed etiam sub imperio Murænæ, quem legatum suum provinciæ Sylla præfecerat, Quæstor fuit. Et Cic. lib. 13. Epist. Fam. in epistola ad L. Plancum, *Non dubito*, ita scribit: *Hujus propinquus fuit T. Antistius, qui cum sorte Quæstor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset, Pompeius in eam provinciam cum exercitu venit*. Et P. Sestius Quæstor C. Antonii in Macedonia terminato imperio annuo, non decessit de provincia, ut apparet ex 6. epist. lib. 5. Epist. Fam. Quibus ergo successor non mittebatur, hi imperium retinebant, si aut sua sponte in provincia esse vellent, aut Senatus, ut in provincia manerent, prorogato iis imperio, decrevisset. Idem enim hic de Quæstoriis provinciis, ac de Consularibus & Prætoriis, dicendum est. Cum enim oporteret singulis annis ad Senatum de his omnibus provinciis referri, interdum eveniebat, ut per intercessiones aut per alias magis necessarias occupationes, nihil posset Senatus de provinciis perficere. Quo casu qui in provinciis erant, decedere de provincia poterant si vellent: quia Senatusconsulti aut legis tempus iis peractum esset. Quomodo Cicero de provincia Cilicia decessit: cum nihil potuisset in Senatu confici de provinciis Consularibus & Prætoriis per contentiones Cæsarianorum & Pompeianorum. Aut vero manere in provincia cum eodem imperio, tametsi tempus Senatusconsulti expirasset. Quando vero pro suo jure & more Senatus de provinciis decreverat, vel omnibus, vel unius tantum aut alterius generis horum (seorsum enim de Consularibus, Prætoriis, & Quæstoriis referebatur ad Senatum: interdumque Quæstoriæ decernebantur, cum de aliis nihil peragi posset, quemadmodum factum est eo ipso anno, quo in provincia erat Cicero) tum vero suo decreto ad Reip. necessitatem accommodato, vel omnibus magistratibus provinciarum illius generis, de quo agebatur, successores decernebat: vel quibusdam successores dabat, quibusdam prorogabat imperium. Si omnibus provinciis dedisset successores, hique, quibus sortito obtigissent, in eas provincias ire voluissent; tum necessario decedendum erat omnibus provinciis. Sin decreto successore alicui provinciæ, in provinciam tamen non ivisset is, cui ea obtigerat, eo rursus modo liberum erat ei, qui in provincia erat, aut decedere aut manere in provincia. Ut C. Verri Arrius successor obtigerat primo anno Præturæ Siciliensis. Quia tamen in eam provinciam ire aut non potuit aut neglexit Arrius, in provincia Verres cum eodem imperio mansit. Quibus vero Senatus decernendis provinciis imperium prorogabat, his necessario in provincia manendum erat. Nam cur toties Cicero ad Att. lib. 5. & 6. ad M. Cælium lib. 2. epist. Fam. aliosque permultos scriberet, ut omnibus modis procurarent, ne Senatus ei in provincia prorogaret imperium, si nihilominus decedere ei liberum fuisset? Aut quomodo propter Senatus decretum Q. Tullio fratri Ciceronis manendum in Asia fuit tertio anno, non modo præter suam voluntatem, sed etiam adversus amicorum

A contentionem, qui, ut ei successor decerneretur, contendebant, si liberum fuisset præter Senatus decretum decedere? Illud igitur certum est, non fuisse liberum iis decedere de provincia, quibus Senatus imperium prorogasset: sed iis modo, de quorum provincia aut nihil Senatus egisset, aut successorem decrevisset. His vero Proconsulibus & Proprætoribus, qui non expectato successore de provincia decebebant, id providendum erat, ut aliquem relinquerent, qui provinciæ interim præesset, dum Senatus aut populus de ea provincia aliter statuisset. Cicero ad Att. lib. 6. in epist. *Tarsum venimus: Mihi difficilis ratio administrandi, quod*
B *paucos dies habebam reliquos annui muneris: illud autem difficillimum. Relinquendus erat ex S. C. qui præesset*. Solebat autem fere cum imperio relinqui unus ex legatis: interdum & Quæstor præficiebatur. Nam & Cicero eodem illo loco ostendit, liberum sibi fuisse vel Quæstorem suum Mescinium præficere, vel Q. fratrem, qui unus ex suis quatuor legatis erat. Tandem tamen neutrum præfecit provinciæ: sed C. Cælium Quæstorem successorem Mescinii. Ex quo apparet, si Quæstorem Mescinium provinciæ præfecisset Cicero, deponendum illi fuisse imperium Quæstorium, ut tantum suæ præfectu-
C ræ imperium retineret: imperium vero Quæstorium penes Cælium esset. Habebant enim, qui ita præfecti erant provinciis, imperium idem, quod ii, a quibus præfecti erant, sive jurisdictionem spectes, sive rem militarem, sed tamen id absque ornamentis imperii habebant. Quod vero imperium haberent, Cicero ostendit in eadem epist. ad Att. cum ait: *Rectissimum videbatur, fratrem cum imperio relinquere*. Ex quo planum est, hunc C. Cælium, qui Ciliciæ provinciæ a Cicerone præfectus erat, Quæstorii tantum sui imperii ornamenta habuisse, cum tamen in cætera administratione provinciæ Proconsulari esset imperio. Unde etiam fit, ut Sa-
D lustius in Jugur. Proconsulem vocet A. Posthumium, quem Africæ provinciæ præfecerat Sp. Posthumius Consul, Romam propter comitia revocatus. Sed & eundem A. Posthumium vocat pro prætore: quia cum Prætor communi nomine appellaretur omnis magistratus, cui pareret exercitus, non injuria dicitur pro prætore in exercitu esse, qui locum ejus obtinet, qui ejus exercitus prætor esset. Verum ea (ut dixi) verius nomina sunt muneris & administrationis, quam magistratus & imperii: ideoque illi proprætorum nomine vocari tantum conspiciuntur, non etiam prætorum: quæmadmodum illi, qui
E a Senatu & populo in provincias mittebantur: quos passim prætores provinciarum appellari videmus. Et cum Pompeius per suos legatos Hispaniam provinciam administrabat, ornamenta imperii adeoque ipse magistratus penes Pompeium erant, administratio penes legatos. Quod si Quæstores non expectato successore de provincia decederent, non erat eorum suæ provinciæ aliquem præficere: sed ejus, penes quem summum erat provinciæ imperium, proconsulis aut proprætoris. Is vero, qui muneri Quæstorio ita præficiebatur, non Quæstor, sed pro quæstore vocabatur. Jam vero si in provincia moreretur Quæstor, proconsulum erat aut pro-
F prætorum, alium sufficere, qui pro quæstore esset. Cujus rei exemplum est apud Ciceronem 3. in Verrem, ubi ait C. Verrem legatum Cnei Dolabellæ proconsulis in Cilicia in locum demortui C. Malleoli sui Quæstoris a Dolabella Quæstorio muneri præfectum fuisse. Verba ejus hæc sunt: *Itaque idem ille, quem Cn. Dolabella postea Malleolo occiso pro quæstore habuit*. Et alio loco: *C. Malleolo Quæstore Cn. Dolabellæ occiso, duas sibi hæreditates venisse arbitratus est: Unam, Quæstoriæ procurationis: nam a Dolabella statim pro quæstore jussus est esse*. Ego vero, & alios quosdam proquæstores in Con-

sulari exercitu fuisse præter eum, qui suffragiis populi creatus revera Quæstor esset Consulis, ex iis intelligi posse existimo, quæ ex rationibus a Verre Quæstore relatis citantur a Cicerone 3. in Verr. Ita enim erat in rationibus Verris: *Dedi stipendio, frumento, legatis proquæstoribus, cohorti prætoriæ HS. mille sexcenta triginta quinque millia*. Ex his enim verbis apparet, fuisse in eo Cn. Carbonis Consulis exercitu quosdam proquæstores, quibus perinde, ut legatis, de publico daretur pecunia ab eo, qui revera Quæstor esset. Verres enim Quæstor erat, cui data erat attributa pecunia: ex qua se dicit Verres hanc summam numerasse. Verum ut neque hi, neque illi proquæstores a populo creabantur, sed vel a magistratibus tantum deligebantur, vel a Senatu in ornandis Consulum provinciis, quo magistratuum delectu comites dabantur, ut quod erant legati in proconsulari & proprætorio munere, hoc essent in Quæstoria procuratione hi proquæstores: ita procuratione tantum, & munere Quæstores erant; magistratus vero & ornamenta imperii penes eos tantum, qui a populo Quæstores creati essent. Ex quibus perspicuum est, cum varii generis proquæstores esse in provinciis possent, eos modo magistratus vere appellandos, qui a populo creati Quæstores, provincias deinde obtinuissent. Hoc sane diversum in his proquæstoribus fuit atque in Proconsulibus & Proprætoribus, quod non perinde extra ordinem Quæstoribus decretam a populo provinciam reperimus, ut Consulibus & Prætoribus, hac opinor ratione, quod cum Quæstura non esset is magistratus, cui summum esset imperium, quale regendis Romanorum provinciis requirebatur: tum vero tantæ dignitatis non erat, ut imperium Quæstorium in provincia obtinere a populo præter Senatus decretum, magnopere contendendum esset. Unde fit, ut nusquam reperiamus habita comitia ad creandum Quæstorem, qui nominatim & extra ordinem in aliquam provinciam mitteretur. Verum, de omni ratione provinciarum satis superque, quod quidem ad nostrum institutum pertinet, dictum est. Ac de prima quidem causa habendorum comitiorum Tributorum hactenus. Sequitur altera causa ad sacerdotes collegiorum creandos. In qua explicanda primum animadvertendum est, Romæ multos ac diversi generis sacerdotes fuisse. Erant enim Pontifices, Augures, Aruspices, Curiones, Vestales, Flamines, Epulones, Sibyllini sacerdotes, Fœciales, Salii, Luperci, Fratres arvales, Sacerdotes Galli, Rex sacrorum, Cereris Græca sacerdos, & Sodales Titii. Dionysius etiam Celerum præfectos adjicit: sed eos sub regibus tantum fuisse opinor. Ex hoc autem omni numero hi soli suffragiis populi creabantur, qui publicæ religionis administri assidui erant, ac non fungebantur sacerdotio, quod semel tantum atque iterum toto anno usui essent. Unde fit, ut omittendi nobis sint Salii, Luperci, Fratres arvales, Sacerdotes Galli, & sodales Titii. Neque enim eorum sacerdotium publice semper usui esse poterat, sed semel tantum in anno sacris quibusdam peragendis vacabant: Salii ad sacra Martis peragenda mense tantum Martio adhibebantur: Luperci ad Lupercalia mense Februario peragenda: eodemque modo alii alio tempore. Quæ causa erat, ut quanquam eorum esset quoddam collegium, suffragiis tamen populi nunquam creatos credamus. Salii enim a magistris collegii legi solebant, patricii adolescentes, quorum uterque parens viveret, nec in magistratu essent. Id quod ex lib. 1. Valerii Max. colligo, cum ita scribit: *Obruitur etiam tot illustribus Consularibus L. Furius Bibaculus, exemplique locum vix post Marcellum invenit. Sed pii simul ac religiosi animi laude fraudandus non est, qui Prætor a patre suo collegii Saliorum magistro jussus, sex lictoribus præcedentibus, arma ancylia tulit, quamvis vacationem hujus officii honoris beneficio haberet*. Deligebantur ergo ex patriciis juvenibus a magistris collegii Salii sacerdotes, non populi suffragiis creabantur. Quod idem de Lupercis, & hujus generis aliis sodalibus dicendum esse existimo. Neque enim tanti erant hæc sacerdotia, ut magnopere contendendum esset de his assequendis. Ego vero Potitios, & Pinarios in superiori sacerdotum enumeratione omisi; quia jam inde temporibus Appii Cæci ad servos publicos id genus sacrificii transierat: ut testantur Val. Max. lib. 1. cap. 2. & T. Livius lib. 9. Decad. 1. Restant igitur nobis spectandi reliqui sacerdotes. Ac primum Vestales ita fiebant, ut Pontificis maximi arbitratu virgines caperentur, ut scribit Gellius lib. 1. cap. 12. quo etiam in loco de Vestalibus permulta dicuntur, quæ ad institutum nostrum minus faciunt. Id modo nobis affirmandum est, non suffragiis populi creari, sed delectu Pontificis maximi Vestales capi solitas. Aruspices etiam populi suffragiis non creabantur, ut qui vel Hetrusci erant, & ex Hetruria acciri solebant, si quando opus esset prodigiorum interpretibus, ut Cicero ostendit in oratione de Aruspicum responsis: & Livius lib. 5. Decad. 1. *Prodigia interim multa nunciari: quorum pleraque, & quia singuli auctores erant, parum credita spretaque, & quia hostibus Hetruscis, per quos ea procurarent, Aruspices non erant*. Vel Romani cives ab Hetruscis edocti. Unde Cicero 1. de Divin. *Hetruria autem de cœlo tacta scientissime animadvertit, eademque interpretatur, quid quibusque ostendatur monstris atque portentis. Quocirca bene apud majores nostros Senatus tum, cum florebat imperium, decrevit, ut de principum filiis sex singulis Hetruriæ populis in disciplinam traderentur*. Valerius tamen Max. lib. 1. decem principum filios mitti solitos in Hetruriam scribit. Et Cicero lib. 2. de Legibus: *Prodigia, portenta ad Hetruscos & Aruspices, si Senatus jussit, deferunto: Hetruriaque principes disciplinam doceto*. Relinquuntur ergo ex omni numero sacerdotum considerandi Pontifices, Augures, Epulones, Fœciales, Sibyllini sacerdotes, Curiones, Flamines, & Rex Sacrorum. Ac de Rege quidem sacrorum, supra ostendimus Centuriatis comitiis creari, non autem ea ratione qua reliqui sacerdotes ex lege Domitia. Quæ lex quia nominatim de collegiis mentionem faciebat, propterea diximus, eam legem ad Flamines nihil attinuisse: quorum non erat suum quoddam collegium. Porro autem lex Domitia eo pertinebat, ut tolleret collegiis jus cooptandi sacerdotes, ut Svetonius in Nerone, & Asconius ostendunt. Unde sequitur, nihil per eam legem mutatum esse in collegiis, in quibus sacerdotes antea non creabantur per collegarum cooptationem. Nihil igitur ad Curiones ea lex pertinebat. Nam quod attinet ad singularum Curiarum Curiones, jam inde a Romulo singularum Curiarum suffragio creabantur, ut ait Dionys. lib. 2. non autem ab aliis Curionibus cooptabantur. Quod vero ad Curionem maximum attinet, ii comitiis a populo creabatur, ut docet Livius lib. 7. Decad. 3. quem locum nos postea, cum de Curiatis comitiis agemus, pluribus tractabimus. Non potuit igitur lex Domitia pertinere ad alios, quam ad Pontifices, Augures, Epulones, Sibyllinos sacerdotes & Fœciales. Ac Fœciales quidem hac lege suffragiis populi creandos fuisse, pro certo asserere non ausim: quia locum non habeam, ubi suffragiis populi creatos nominatim Fœciales scribatur. Cur tamen in hanc potius partem inclinem, eo potissimum adducor, quod penes collegium Fœcialium erat publicæ religionis pars una non minus necessaria, quam quæ erat penes Augures aut Sibyllinos sacerdotes. Unde fit, ut pari ratione colligam, ante legem Domitiam cooptari per collegas

ſolitos Fœciales, ſicut illi cooptabantur: præſertim cum nuſquam reperiamus vel a Pontificibus eos creatos ſicut Flamines, vel a magiſtratibus, poſt primam, inquam, creationem a Numa. Quod ſi ante legem Domitiam cooptari a collegio concedamus, neceſſe eſt, ut hac lege ſuffragiis populi creari cœperint. Fœciales vero habere partem religionis publicæ a reliquis ſacerdotibus ſeparatam, ex legibus Ciceronis intelligi poteſt, apud quem ſeorſum de Fœcialib. lib.2. hæc lex ponitur: *Fœderum, pacis, belli, induciarum, oratorum, fœciales judices ſunto. Bella diſceptanto.* Fuiſſe autem eorum collegium T. Livius lib. 6. Dec. 4. indicat hic his verbis: *Conſul inde M. Acilius ex S. C. ad collegium fœcialium retulit, ipſi ne utique regi Antiocho indiceretur bellum.* Epulones vario numero fuiſſe reperio. Quando enim primum inſtituti ſunt Coſſ. L. Furio Purpurione, & M. Claudio Marcello, anno Urbis 558. tres creati ſunt, ut teſtatur Liv. lib.3. Dec.4. *Romæ eo primum anno Triumviri epulones facti C. Licinius Lucullus, T. Romuleius, qui legem de creandis his tulerat, & P. Porcius Lecca. His Triumviris item, ut Pontifici, lege datum togæ prætextæ habendæ jus.* De his Triumviris Cicero 3. de orat. ita ſcribit: *Sed ut Pontifices veteres propter ſacrificiorum multitudinem tres viros epulones eſſe voluerunt, cum eſſent ipſi a Numa, ut etiam illud ludorum epulare ſacrificium facerent, inſtituti.* At poſterioribus temporibus Septemviros epulones fuiſſe, ex verbis Antiſtii Labeonis conſtat, quæ ſunt apud Gellium lib.1.c.12. *Item cujus pater Flamen & Augur, aut Quindecimvir ſacris faciundis, aut Septemvir epulonum, aut Salius eſt.* Ut autem Ciceronis ætate eum numerum fuiſſe credam, ex eo colligo, quod Lucanus lib.1. hujus ſacerdotii facit mentionem illo verſu:

Septemvirque epulis feſtus, Titiique ſodales.

Ut enim rationem temporis habeat Lucanus, neceſſe eſt initio belli civilis, cujus prodigia illic ſcribuntur, fuiſſe Septemviros epulones. At ſi tempore belli civilis inter Cæſarem, & Pompeium erant Septemviri epulones, nemo autem legatur ad ſacerdotum numerum centum, & eo amplius annorum ſpacio adjeciſſe præter Syllam Dictatorem, relinquitur ut Syllæ inſtituto Septemviri epulones eſſe cœperint, qui ad illud uſque tempus fuerant Triumviri. Nam non ita multo tempore ante Syllæ Dictaturam adhuc Triumviros epulones fuiſſe, ex eo Ciceronis loco, quem ex 3. de orat. citavi, intelligi poteſt. Lucius enim Craſſus illic loquitur de Triumviris epulonibus, quem conſtat non multo ante Syllæ Dictaturam mortem obiiſſe. Et T. Livius lib.10. Dec. 4. Triumvirorum epulonum facit mentionem in Conſulatu A. Poſthumii, & C. Calphurnii, anno urbis 574. At poſt illos Conſules nuſquam legimus auctum numerum ſacerdotum, niſi a Dictatore Sylla. Nec moveri debemus, quod in epitome L. Flori lib. 89. fit tantum mentio Pontificum, & Augurum, quorum collegium dicit ampliatum. Nam & Quindecemviros Sibyllinos ex Decemviris a Sylla factos poſtea oſtendemus, quorum tamen illic nulla fit mentio. Idem vero de Triumviris epulonibus Syllam feciſſe, hæ ſunt probabiles conjecturæ, quas poſuimus: quod ſcil. ætate Ciceronis eſſent Septemviri epulones, qui paulo ante Syllæ Dictaturam adhuc erant Triumviri. Porro autem de eorum munere Cicero in oratione de Aruſp. Reſp. ita loquitur: *Ludos minus diligenter factos pollutoſque: quos ludos? Te appello, Lentule: tui ſacerdotii ſunt thenſæ, curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum: Voſque Pontifices, ad quos epulones Jovis optimi max. ſi quid eſt prætermiſſum aut commiſſum, adferunt, quorum de ſententia, illa eadem revocata atque inſtaurata celebrantur. Qui ludi ſunt minus diligenter facti? quanto aut quo ſcelere polluti? reſpondebis & pro te, & pro collegis*

A *tuis, & pro collegio Pontificum, nihil cujuſquam aut negligentia contemptum, aut ſcelere eſſe pollutum.* Ex his Ciceronis verbis, non modo quod eſſet munus epulonum intelligi poteſt, ſed etiam fuiſſe eorum quoddam collegium. Quod ſi ante legem Domitiam oſtendamus hujus collegii ſacerdotes per cooptationem collegarum creari ſolitos, neceſſe erit hujuſmodi ſacerdotes in eorum numero fuiſſe, quos populi ſuffragiis creari per legem Domitiam oporteret. Illud autem ex T. Livio non erit difficile demonſtrare, apud quem lib.10. Dec.4. ita ſcribitur: *P. Manlius, qui nuper ex ulteriore Hiſpania redierat, Triumvir epulo mortuus: Q. Fulvius, M. F.*
B *in locum ejus Triumvir cooptatus.* De Pontificibus, auguribus, & Sibyllinis ſacerdotibus ſupereſt ut dicamus. Sibyllinos ſacerdotes a principio duos fuiſſe reperio, qui Duumviri ſacrorum appellabantur. Horum ſæpe meminit Livius. Ut lib.3. Decad.1. *Libri per Duumviros ſacrorum aditi.* Et lib.4. *Obſecratio itaque a populo Duumviris præeuntibus eſt facta.* Et paulo poſt; *Multa Duumviri ex libris placandæ deum iræ, avertendæque a populo peſtis cauſa fecere.* Et libri 5. *Libri Sibyllini ex S. C. aditi ſunt. Duumviri ſacris faciendis lectiſternio tunc primum in urbe facto per dies octo Apollinem &c. ſtratis lectis placave-*
C *re.* Hi poſtea lege lata a Tribunis plebis C. Licinio Stolone & L. Sextio facti ſunt Decemviri: ſimulque lege cautum, ut pars ex plebe, pars ex patribus fieret. Eam legem pertulerunt illi Tribuni plebis in decimo ſuo Tribunatu, anno Urbis 388. poſt quod tempus uſque ad Syllæ Dictaturam fuerunt Decemviri ſacrorum: de quibus toties mentio eſt apud Livium. Poſt Syllæ Dictaturam Quindecimviri Sibyllini facti ſunt. Id quod hac ratione ſuaderi poteſt. Ciceronis ætate erant Quindecimviri Sibyllini, qui adhuc erant Decemviri eo anno, quo Tib.Gracchus interfectus eſt. Atqui poſt eum annum in ſacerdotum collegiis nuſquam legitur quicquam eſſe muta-
D tum, niſi in Dictatura Syllæ. Relinquitur ergo, ut ea Quindecimvirorum inſtitutio a Sylla facta eſſe credatur: præſertim cum aliis ſacerdotum collegiis legatur adjeciſſe aliquot ſacerdotes. Fuiſſe vero Ciceronis ætate Quindecimviros, cum ex quarta Cælii ad Ciceronem epiſtola intelligi poteſt, in qua ad Ciceronem ſcribit Cælius, P. Dolabellam populi ſuffragiis factum Quindecimvirum: tum vero ex loco Svetonii in vita Cæſaris, ubi ita ſcribitur: *Proximo autem Senatu percrebuit fama, L. Cottam Quindecimvirum ſententiam dicturum, ut quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos, niſi a rege, non poſſe vinci, Cæſar rex appellaretur.* Ex hoc Svetonii lo-
E co apertiſſimum eſt, jam ea ætate Quindecimviros Sibyllinos fuiſſe, qua Cæſar Dictator erat. Neque id ejus inſtituto attribui poteſt: ſiquidem nemo omnium hiſtoricorum in horum ſacerdotum numero aliquid novaſſe Cæſarem ſcribit, niſi quod Dion lib. 42. & 43. dicit unum modo ſacerdotem a Cæſare adjectum collegio Quindecimvirorum: unde apparet jam fuiſſe collegium Quindecimvirorum ante Cæſarem Dictatorem. Ut omittam locum illum ex epiſtola Cælii de aliis Quindecimviris intelligi non poſſe. Unde ſequitur, inſtituto Cæſaris id attribui non poſſe. Quod autem adhuc eſſent Decemviri ſa-
F crorum, quo anno occiſus eſt Tib. Gracchus, ex verbis Ciceronis intelligi poteſt lib.6. in Verr. *Itaque apud patres noſtros atroci ac difficili tempore cum Tib. Graccho occiſo magnorum periculorum metus ex oſtentis portenderetur, P. Mutio, L.Calphurnio Coſſ. aditum eſt ad libros Sibyllinos, in quibus inventum eſt, Cererem antiquiſſimam placari oportere. Tum ex ampliſſimo collegio Decemvirali ſacerdotes populi Rom. Ennam profecti ſunt.* Porro autem ex eo epiſtolæ Cælii loco, quem citavi, colligi poteſt populi ſuffragiis ſacerdotes hujus collegii creari ſolitos; idque per legem Domitiam. Nam, quod a

collegis ante legem cooptarentur, paſſim in hiſtoria T. Livii perſpici poteſt: ubi de ſuffectis in demortuorum locum ſacerdotibus loquitur. De auguribus & pontificibus minus dubium eſt, quod lege Domitia comprehenderentur. Nam, ſi ea fuit cauſa, cur legem Cn. Domitius Tribunus plebis ferret, quod in locum patris ſui pontifex cooptatus non eſſet, ut ex hiſtoria compertum eſt, neceſſario relinquitur, ad collegium Pontificum eam legem pertinuiſſe. Augures vero hac lege comprehendi cum ex epiſt. Ciceronis ad M. Brutum 5. intelligi poteſt, ubi ita ſcribitur: *C. Marius cum in Cappadocia eſſet, lege Domitia factus eſt augur*: tum vero ex eo, quod initio 2. Philip. tribuum ſuffragia in augurum creatione appellat. Deinde vero in epiſt. ad Brutum 5. cum ſacerdotum comitia appellantur creandis collegiorum ſacerdotibus, manifeſtum eſt ex eadem epiſtola, & ſequentibus, in eo numero augures & pontifices contineri. Unde ſequitur, ſuffragiis populi creari ſolitos hos ſacerdotes. Illud mihi magis dubium videtur, quæ eſſet ratio augurum creandorum ante legem Domitiam. An, inquam, collegii cooptatione ſemper creati ſint, an vero aliquando etiam populi ſuffragiis. Hujus vero dubitationis occaſio ſumpta eſt ex eo, quod apud Livium ſcribitur lib.9. Dec.4. his verbis: *Extremo prioris anni comitia auguris creandi habita erant. In demortui Cn. Cornelii Lentuli locum creatus erat Sp. Poſthumius Albinus*. Sane, niſi dicamus certa quadam de cauſa, veluti per contentionem competitorum, aut collegarum inter ſe diſſenſionem, per quam effectum tandem ſit, ut populi judicio res committeretur, præter morem habita ea comitia; plane concedendum erit, ante legem Domitiam augures a populo creatos. Quod tamen ſecus eſſe oſtendi poteſt ex eo, quod Cicero in Rullum ait, per religionem ſacerdotia, de quibus legem tulit Domitius, a populo mandari non potuiſſe. Ut omittam, quod idem Livius paſſim aliis in locis, vel a collegio cooptatos augures ſcribit, vel lectos, vel inauguratos, vel ſuffectos dicit, nuſquam facta mentione comitiorum. Ut libro decimo Decad. 4. *Et augur Sp. Poſthumius Albinus deceſſit. In locum ejus P. Scipionem filium Africani augures cooptarunt*. Et in fine lib.5. Decad.5. *Augur eo anno mortuus eſt C. Claudius. In ejus locum augures legerunt Titum Quintium Flaminium*. Illa ergo comitia auguris creandi, quæ uno illo loco a Livio ponuntur, extra ordinem & præter morem habita fuiſſe, concedendum eſt. Hæc igitur erat altera cauſa habendorum comitiorum Tributorum ad creandos Pontifices, Augures, Sibyllinos ſacerdotes, epulones & fœciales. Nam, quod Tributis comitiis crearentur, facile eſt ex lege Domitia demonſtrare: qua cautum erat, ut non ab univerſo populo, ſed a parte populi minore, hoc eſt, a ſeptemdecim tribubus ſacerdotes crearentur. Ea vero comitia, quibus tributim ſuffragium ferebatur, Tributa fuiſſe negari non poteſt. Quod autem ſupra dixi de collegio Pontificum, ante legem Domitiam cooptatione collegii creari ſolitos, cum ex verbis Dionyſii lib.2. ubi ita ſcribit de Pontificibus: *Uno autem eorum vita functo, alius in locum ejus ſufficitur, non a populo creatus, ſed ab ipſis Pontificibus cooptatus*: tum vero ex ipſa lege Domitia intelligi poteſt. Attamen illud non aliter accipiendum eſt, quam ut Pontifex max. inde excludatur. Neque enim cooptatione collegii etiam ante legem Domitiam Pontifex max. fiebat, ſed populi ſuffragiis. Id quod Cicero in Rullum aperte demonſtrat, cum ait, Cn. Domitium ſua lege effeciſſe, ut quod ante in Pontifice max. fiebat, idem in cæteris ſacerdotiis fieret. Verba ejus hæc ſunt: *Item (inquit capite altero) eodemque modo, ut comitiis Pontificis max. ne hoc quidem vidit, majores noſtros tam fuiſſe populares, ut quod per populum creari fas non erat propter religionem ſacrorum, in eo tamen propter amplitudinem ſacerdotii voluerint populo ſupplicari. Atque hoc idem de cæteris ſacerdotiis Cn. Domitius Tribunus plebis vir clariſſimus tulit: quod populus per religionem ſacerdotia mandare non poterat, ut minor pars populi vocaretur; ab ea parte qui eſſet factus, is a collegio cooptaretur*. Ex iis Ciceronis verbis perſpicuum eſt illud quod diximus, ante legem Domitiam Pontificem max. populi ſuffragiis creari, cum interim Pontifices reliqui præter maximum a collegio tantum cooptarentur. Unde apud Livium lib.5.Dec.4. ita ſcribitur: *Comitia inde Pontifici max. creando ſunt habita*; cum paulo ante ita ſcripſiſſet: *Et aliquot publici ſacerdotes mortui eo anno ſunt, L. Cornelius Lentulus pont. max. & C. Papyrius, & C. F. Maſſo pontifex. In Lentuli locum M. Cornelius Cethegus, in Papyrii Cn. Servilius Cæpio pontifices ſuffecti ſunt*. Et lib.10. Dec.4 *Exitu anni, & C. Servilius Geminus pont. max. deceſſit. Idem Decemvir ſacrorum fuit. Pontifex in locum ejus a collegio cooptatus Q. Fulvius Flaccus. In Pontificem max. Æmylius Lepidus, cum multi clari viri petiiſſent*. Et lib.9. ejuſdem Decad. *Hujus principio anni P. Licinius Craſſus pontifex max. mortuus eſt, in cujus locum M. Sempronius Tuditanus pontifex eſt cooptatus. Pontifex max. eſt creatus C. Servilius Geminus*. Ex quibus Livii locis apparet, non modo pontifices a collegio cooptari ſolitos, ſed etiam mortuo pontifice max. a collegio alium quendam cooptari ſolitum, qui pontifex tantum fieret, non etiam maximus pontifex: tum deinde ſuffragiis populi pontifex max. creabatur. Quod vero ex collegio pontificum eum eſſe oporteret, qui pontifex max. crearetur, poſtea demonſtrabimus, cum de perſonis agemus. Hoc loco ſatis erit probare id, quod ſupra diximus, non modo tribuum ſuffragio creari ſolitos ſacerdotes, ſed etiam per ſeptemdecim tribus tantum. Verba Svetonii in Cæſare, cum loquitur de ejus pontificatu maximo, ſatis oſtendunt, comitia, quibus pontifex maximus creatus eſt, fuiſſe Tributa: *Atque ita potentiſſimos duos competitores, & ætate & dignitate antecedentes ſuperavit, ut plura ipſe in eorum tribubus ſuffragia, quam uterque in omnibus, tulerit*. Porro autem ex iis, quæ paulo ante diximus, perſpicuum eſt; eo modo, quo pontifex maximus ante creabatur, lege Domitia cautum eſſe, ut cæteri ſacerdotes crearentur: Pontifex vero maximus a minore parte populi, ut idem ille locus oſtendit, creabatur. Si igitur oſtenderimus per minorem partem populi, decem & ſeptem tribus intelligi: neceſſario relinquetur, ſacerdotum comitia Tributa non omnium tribuum fuiſſe ſicut magiſtratuum, ſed tantum ſeptemdecim tribuum, quibus forte id obtigiſſet. Atqui illud facile erit demonſtrare, ſi antecedentia Ciceronis verba cum ſequentibus conferantur. *Primo enim capite Rullus ferebat*, ut ait Cicero, *ut Decemviri agrarii per tribus ſeptemdecim crearentur, quibus forte id eveniſſet: ſubjiciebatque in ſecundo capite legis, id ſe ita fieri velle, ut in iis Decemviris idem eodemque modo fieret, ut comitiis pontificis maximi*. Ex quo ſequitur, in comitiis pontificis maximi ſeptemdecim tribus forte delectas ſuffragium dixiſſe. Illud ſane hoc loco non eſt ignorandum, abrogatam a Sylla Dictatore legem Domitiam fuiſſe, nec fuiſſe relatam niſi eo anno, quo erat Conſul Cicero, a T. Labieno Tribuno plebis, auctore Dione lib.37. Unde efficitur poſt Syllæ Dictaturam non fuiſſe locum legi Domitiæ in creandis ſacerdotibus collegiorum, octodecim fere annorum ſpacio: ſed ex veteri more cooptatione creatos fuiſſe. Poſt Labieni autem legem rurſus lege Domitia creati ſunt. Hactenus de altera cauſa habendorum comitiorum Tributorum. Deinceps ſequitur, ut tertiam perſequamur. Ac legum

gum quidem ferendarum causa haberi comitia Tributa nomen ipsum plebiscitorum satis ostendere potest, ut alia probatione ad eam rem non sit opus. Si enim plebiscitum est, (ut ait Justinianus) quod plebs plebeio magistratu rogante constituebat: facile est intelligere, Tributis comitiis, non Centuriatis, ut quæ a plebeiis magistratibus vocari non poterant, plebiscita fieri solita. Illud potius dicendum est, nomine legum non modo a nobis comprehendi generalia jussa, perpetuasque velut constitutiones populi: sed omnes omnino rogationes, quibus jubendis comitia Tributa vocari solebant: excepta judiciorum causa, de qua seorsum paulo post agemus. Hoc igitur verbo legis comprehendimus rogationes, quibus de pace ad populum ferebatur. Bellum enim lege Centuriata indici solebat, ut superiore libro diximus: paci autem ineundæ Tributa comitia vocari solebant. Id quod ex Livii historia intelligi potest, apud quem lib. 10. Dec. 3. ita scribitur: *Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus Consul, cui classis provincia erat, Senatusconsulto intercessit. Tum M. Attilius & Q. Minutius Tribuni plebis ad populum tulerunt, Vellent juberentne Senatum decernere, ut cum Carthaginensibus pax fieret, & quem eam pacem dare, quemque ex Africa exercitum deportare juberent. De pace uti rogassent, omnes tribus jusserunt.* Et libro tertio Decad. quartæ: *Q. Martius rex & Catinius Labeo Tribunus plebis ad plebem tulerunt, Vellent juberentne cum rege Philippo pacem esse. Ea rogatio in Capitolio ad plebem lata est. Omnes V. & XXX. tribus uti rogatæ jusserunt.* Hic etiam eas rogationes comprehendi volumus, quibus superioribus temporibus legibus aliquis solvebatur, quacunque id ratione fieret. Dixi autem superioribus temporibus, quia ætate Ciceronis Senatus eam sibi auctoritatem usurpaverat: quemadmodum constat ex verbis Asconii in argumento orationis pro C. Cornelio: *C. Cornelius legem promulgavit, quæ auctoritatem Senatus minuebat, ne quis nisi per populum legibus solveretur: quod antiquo quoque jure erat cautum. Itaque in omnibus Senatusconsultis, quibus aliquem legibus solvi placebat, adjici erat solitum, ut de ea re ad populum ferretur. Sed paulatim ferri erat desitum: resque jam in eam consuetudinem venerat, ut postremo ne adjiceretur quidem in S. C. de rogatione ad populum ferenda.* Huc denique referimus omnes rogationes, quibus per populum triumphum decretum, publicas quæstiones constitutas, civitatem datam sæpe in historia Livii legimus. Superest, ut quartam causam persequamur: In qua explicanda repetendum est, quod supra diximus, judicia capitis, quæ fiebant per populum, Centuriatis comitiis fieri debuisse. At si magistratus aliquis faceret aliquem reum ad populum, nec capitis eum accerseret sed mulctam indiceret, tum vero Tributis comitiis id judicium fieri solebat. Hoc ergo summatim dicere possumus, judicia populi, quæ de mulcta erant, a magistratu aut Pontifice indicta, Tributis comitiis perfici solita. Cujus rei probationes invenire in historia Livii facile est. Lib. 4. Dec. 1. scribit, M. Posthumio & T. Quintio ab Tribunis plebis diem dictam, quod ad Veios eorum opera male pugnatum esset. Deinde paulo post hæc verba subjicit: *Mœstæ civitati ab re male gesta, & iratæ ducibus M. Posthumius reus objectus decem millibus æris gravis damnatur. T. Quintium collegam ejus omnes tribus absolverunt.* Et lib. 5. Dec. 3. statim initio proponit judicium M. Posthumii publicani, his verbis: *Excitati tandem duo Tribuni plebis Sp. & L. Carvilii ducentum millium æris mulctam M. Posthumio dixerunt. Cujus certandæ cum dies advenisset, conciliumque tam frequens plebis adesset, ut multitudinem area Capitolii vix caperet.* Et paulo post: *Hæc cum ab optimo quoque pro atrocitate rei acta essent, vim-*

A *que eam contra Rempublicam pernicioso exemplo factam Senatus decerneret, confestim Carvilii Tribuni plebis, omissa mulctæ certatione, rei capitalis diem Posthumio dixerunt.* Et lib. 7. Decad. 4. scribit M. Acilium Glabrionem a Tribunis plebis reum factum ad populum. Ubi hæc sunt ejus verba: *Centum millium mulcta irrogata erat. Bis de ea re certatum est. Tertio cum de petitione destitisset reus, nec populus de mulcta suffragium ferre voluit, & Tribuni eo negocio destiterunt.* Et lib. 3. Decad. 5. *C. Lucretium, ubi dies, quæ dicta erat, venit, Tribuni ad populum accusarunt, mulctamque decies centum millium æris dixerunt. Comitiis habitis omnes V. & XXX.* B *tribus eum condemnarunt.* Alius est locus initio lib. 6. Dec. 3. ubi de judicio Cn. Fulvii, cui dies dicta erat a C. Sempronio Blæso, ita scribitur: *Bis est accusatus, pecuniaque anquisitum. Tertio testibus datis, cum, præterquam quod omnibus probris onerabatur, jurati permulti dicerent, fugæ pavorisque initium a Prætore ortum, ab eo desertos milites, cum haud vanum timorem ducis crederent, terga dedisse, tanta ira accensa est, ut capite anquirendum concio succlamaret. Deque eo novum certamen ortum. Nam cum Tribunus bis pecunia anquisisset, tertio capitis se anquirere diceret, Tribuni plebis appellati. Cum col-* C *legæ negarent se in mora esse, quo minus, quod ei more majorum permissum esset, seu legibus seu moribus mallet, anquireret, quod vel capitis vel pecuniæ judicasset privato: tum Sempronius perduellionis se judicare C. Fulvio dixit, diemque comitiis a C. Calphurnio Prætore urbis petit. Priusquam dies comitiorum aderat, Cn. Fulvius exulatum Tarquinios abiit. Id ei justum exilium esse scivit plebs.* Et lib. 10. Dec. 4. *De rege sacrifico sufficiendo contentio inter C. Servilium pontificem maximum fuit & L. Cornelium Dolabellam Duumvirum navalem: quem ut inauguraret Pontifex, magistratu sese abdicare volebat: recusantique id facere, ob eam rem* D *mulcta Duumviro dicta a pontifice: deque ea re cum provocasset, certatum ad populum. Cum plures jam tribus introvocatæ dicto esse audientem pontifici Duumvirum juberent.* Ex iis T. Livii locis apparet, Tributis comitiis judicia populi fieri solita, si non capitis, sed tantum pecuniæ anquireretur, cum a magistratu aut pontifice mulcta dicta esset. Neque vero hæc judicandi ratio illis temporibus tantum observata est, sed etiam temporibus Ciceronis, & paulo ante, postquam perpetuæ quæstiones institutæ sunt. Semper enim Romæ id observatum est, ut esset judicum ordo quidam, penes quem essent judicia. Id quod vel ex lege C. E Gracchi intelligi potest, qua lege dicitur judicia, quæ adhuc fuerant Senatorum, cum equitibus communicasse. Hinc enim planum est, ante tempora Gracchi non omnia judicia publica populi fuisse, sed penes Senatorium ordinem fuisse judicandi potestatem. Quod non ita accipi debet, quasi in Curia per Senatum de reis judicium fieret: sed quoties quæstione publica decreta de reis judicandum erat, non alii erant, qui judices sedebant, quam qui erant Senatorii ordinis. Lege autem Sempronia effectum est, ut cum Senatoribus judicarent Equites. Quod servatum est, usque ad F tempora Syllæ Dictatoris, a quo revocata sunt ad solos Senatores judicia. Post lege Aurelia decimo anno post legem Corneliam lata Coss. Pompeio & Crasso, ad tres ordines Senatorum, Equitum & Tribunorum ærarii judicia pervenerunt. Idque ita fuit usque ad Cæsaris Dictaturam, a quo judicia redacta sunt ad duo genera judicum, Equestris ordinis ac Senatorii. Quod si semper judicum fuit ordo quidam, necesse est non omnia publica judicia populi fuisse: sed ordinariis judicum decuriis multo maxima pars judiciorum relinquebatur. Consequens igitur est, ut ea modo ju-

dicia populi fuisse dicamus, quæ fiebant de reis, quibus dies dicta erat ad populum. Atenim vocandi ad populum soli magistratus jus habebant. Ea ergo sola erant populi judicia, quæ ex magistratuum accusatione ad populum nascebantur. Ac post publicas quidem quæstiones perpetuas factas, minus frequentari cœperunt ea populi judicia, præsertimque post Syllæ tempora, a quo numerus Prætorum, & quæstionum publicarum auctus est. Tum enim eveniebat, ut fere omnia crimina publica animadversione digna, in aliquam ex quæstionibus ordinariis incurrerent. Quin tamen sæpe his ipsis temporibus ea judicia fierent, negari non potest: præsertim si quid accideret, quod extra ordinem videretur magistratibus primo quoque tempore puniendum. Exemplum esse potest Marci Scauri judicium, quo a Cn. Dominio Tribuno plebis ad populum accusatus est, quod ejus opera sacra multa populi Romani diminuta essent. Item Marci Syllani, cui a Cn. etiam Domitio Tribuno plebis dies dicta est ad populum, quod cum Cimbris injussu populi bellum gessisset. Atque illa quidem judicia per tribus fuisse peracta Asconius, appellatis tribubus, a quibus damnati sunt, & a quibus absoluti, aperte demonstrat. Exemplo etiam esse potest judicium Junii, de quo mentio est in oratione pro Cluentio: ubi Cicero ostendit a L. Quintio Tribuno plebis reum ad populum factum Junium, mulctamque petitam, quod pecuniam ob rem judicandam accepisset, cum quæsitor in judicio Oppianici fuisset. Huc quoque pertinere potest, quod scribit Svetonius, L. Antistium Tribunum plebis Cæsari diem dixisse ob res ab eo in Consulatu gestas. Ex quibus apparet, non modo superioribus temporibus haberi solita comitia Tributa ad judicandum de reis, sed etiam postremis adeoque ætate Ciceronis. Quia vero supra ostendimus, de capite populum per leges duodecim tabularum, nisi comitiis Centuriatis, judicare non potuisse; necessario sequitur, populi judicia, quæ Tributis comitiis fierent, ea modo fuisse, quibus de mulcta ab eo indicta, cui pro sua potestate id liceret, certabatur. Illud tamen non est ignorandum, si capitis die dicta in exilium abiisset reus antequam dies advenisset, tum ad decernendum ei id exilium satis fuisse comitia Tributa vocare, nec fuisse ad eam rem opus Centuriatis comitiis. Id quod ex his verbis T. Livii, quæ paulo ante citavi ex lib. 6. Dec. 3. planum est: *Id ei justum exilium esse scivit plebs.* Quod enim Livius dicit plebem id scivisse, argumento est, plebiscito id factum, non lege Centuriata. Et lib. 5. Dec. 3. scribit: *Posthumius vadibus datis non affuit. Tribuni vocaverunt plebem, quæ ita scivit: Si M. Posthumius ante Calendas Maias non prodiisset, citatusque eo die non respondisset, neque excusatus esset, videri cum in exilio esse, bonaque ejus vænire, ipsi aqua & igni placere interdici.* Atqui ex iis, quæ paulo ante dixerat, apertum est, diem ei perduellionis dictam fuisse. Ad exilium ergo alicui decernendum, satis erat plebiscito uti: ex quo sequitur, Tributis comitiis, non Centuriatis id fieri solere: etiamsi capitis judicium non posset (si reus adesset) nisi Centuriatis comitiis peragi. Ac de causis quidem comitiorum Tributorum hactenus dictum sit.

CAP. III.

De personis, quarum interventu peragebantur comitia Tributa.

In hoc capite eædem personæ spectandæ sunt, quas in comitiis Centuriatis spectavimus. Ac primum de iis, quibus jus erat habendi comitia Tributa, dicendum. Ordinarios magistratus minores tantum Tribuni plebis, partim Consules creabant. Plebeios enim magistratus, ad quos patricii non admittebantur, Tribuni plebis creabant. Hujus generis erant Tribuni plebis, & Ædiles plebis. Nam quod Tribunitia comitia haberent Tribuni plebis, ex verbis T. Livii lib. 3. Decad. 1. intelligi potest. *Forte quadam utili ad tempus, ut comitiis præesset, potissimum M. Duillio sorte evenit, viro prudenti & ex continuatione magistratus invidiam imminentem cernenti. Qui cum ex veteribus Tribunis negaret se ullius rationem habiturum, pugnarentque collegæ, ut liberas tribus in suffragium mitteret, aut concederet sortem comitiorum collegis habituris e lege potius comitia, quam ex voluntate patrum.* Alio loco ejusdem libri ita scribit: *Comitiorum habendorum munus Appio, consensu injungunt. Ars ea, ne semet ipse creare posset: quod præter Tribunos plebis, & id ipsum pessimo exemplo nemo unquam fecisset.* Ex quo item loco apparet, Tribunorum comitia Tribunos habuisse: alioqui se ipsi creare non potuissent. Neque dici potest id primis temporibus tantum ita fuisse. Nam & Tib. Gracchi Tribuni plebis temporibus idem factitari solitum ostendit Appianus, cum scribit collegam Gracchi Rubrium comitiis præfuisse, quibus iterum Tribunus plebis designari volebat. Quod vero Ædilium plebis comitia haberent Tribuni, ex Dionysio intelligi potest: cujus hæc verba sunt ex lib. 6. *Hæc postquam assecuti sunt Tribuni plebis, rogarunt insuper Senatum, ut sibi permitteret ex plebeiis hominibus duos singulis annis creare, qui Tribunorum plebis ministri essent, quibus in rebus opus esset: & qui de iis rebus judicarent, quas ipsi eorum judicio committere vellent: qui denique sacrorum publicorumque locorum, & forensis annonæ curam gererent. Eo quoque a Senatu concesso, duos crearunt, quos Tribunorum ministros, & collegas, & judices vocabant. Nunc sane lingua Romana ab uno, quo funguntur, officio Ædiles, quasi sacrarum ædium curatores, appellantur: retinentque adhuc eam ipsam aliorum ministram potestatem. Verum ipsis multa & magna concessa sunt: similesque propemodum sunt his, quos Græci vocant* ἀγορανόμους. Ex iis Dionysii verbis apparet, Tribunis plebis jus fuisse creandi Aediles plebis quasi suos quosdam administros. Jam vero hi magistratus proprii erant plebis: unde facile est intelligere, horum creationem ad magistratus tantum plebeios attinuisse. Semel tantum a Pontifice maximo creatos reperimus Tribunos plebis: quia tum nulli essent Tribuni, propter Decemvirorum imperium, in quo instituendo cesserant omnes alii magistratus: nec possent ipsi ab Interrege patricio magistratu creari. Quod vero scribit Livius lib. 6. Decad. 1. eo quinquennio, quo in urbe fuit magistratuum solitudo, Tribunos plebis nihilominus Aedilesque fuisse, argumento est, nihil reliquos magistratus potuisse in creatione istorum. Verba Livii hæc sunt: *Haud irritæ cecidere minæ. Comitia præter Ædilium Tribunorumque plebis nulla sunt habita. Lucinius Sextiusque Tribuni plebis refecti, nullos Curules magistratus creari passi sunt. Eaque solitudo magistratuum, & plebe reficiente duos Tribunos, & his comitia Tribunorum militum tollentibus, per quinquennium urbem tenuit.* Reliquos ordinarios magistratus minores Consules creabant aut Dictatores, si quando comitiorum habendorum causa creabantur, aut Tribuni militum Consulari potestate. De Quæstoribus sane minime id dubium esse potest. Livius lib. 4. Decad. 1. de A. Sempronio Tribuno militum Consulari potestate ita scribit: *Hoc Tribuno comitia Quæstorum habente.* Cicero in Vatinium: *Quæsturam petisti cum P. Sestio. Quæro abs te, tenesne memoria, cum P. Sestius Quæstor sit cunctis suffragiis factus, tunc te vix invitis omnibus non populi beneficio, sed Consulis extremum adhæsisse.* Ex eo loco perspicuum est, Quæstorum comitia Con-

A sulem habuisse. Quod etiam Cicero in epistola ad Curium 7. libro epistol. ostendit, ubi de Cæsare Dictatore sic loquitur: *In campo certe non fuisti, cum hora secunda comitiis Quæstoriis institutis sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset: quo mortuo nunciato sella sublata est. Ille autem, qui comitiis Tributis esset auspicatus, Centuriata habuit.* De Ædilibus Curulibus potest ambigi, ex eo quod A. Gellius lib. 6. cap. 9. citat ex Pisonis tertio annali: *Piso enim scriptum reliquit, comitia ab Ædile habita, quibus creatus est Ædilis Cn. Flavius.* Ex quo sequi videtur, non esse verum, quod diximus, a Consulibus creari reliquos minores magistratus propter Ædiles Tribunosque plebis. B Sane, si verum scribit Piso, nec locus mendosus sit, concedendum erit, primis illis temporibus jus fuisse Ædilibus Curulibus Ædiles creandi. Livius certe Pisonem falsum dicere coarguit: unde fit, ut minus certum inde argumentum duci possit. Ac nescio an non, ubi legitur, *At Ædilis, qui comitia habebat*, melius veriusque legeretur, *At ille, qui comitia habebat*. Ut Consul, non Ædilis, quemadmodum legitur, intelligatur. Primos profecto Ædiles a Dictatore creatos scribit Livius ad finem lib. 6. & sequentibus temporibus Consules habuisse comitia Ædilium Curulium, ex historia constare potest. C Cicero quoque pro Plancio Crassum Consulem Ædilium comitia habuisse scribit. Et lib. 4. ad Atticum in epist. cujus initium est, *Avere te certe scio*, scribit, Q. Metellum Nepotem Consulem comitia habere, quibus Ædilis crearetur P. Clodius. Ego igitur sic sentio; non tantum imperii fuisse Ædilibus Curulibus, ut agendi cum populo jus haberent, adeoque vocandi comitia: tametsi habendæ concionis jus haberent, ut Cicero ostendit 3. in Ver. cum ait, pro suo jure se, quia Ædilis designatus esset, ex rostris ad populum sequenti anno verba facturum ad accusandum perduellionis Verrem. Illud vero ex eo colligo, quod nusquam in historia legimus, D ullam rogationem ab Ædilibus latam: quodque in Senatusconsultis nunquam Ædiles appellantur inter eos magistratus, quos agere cum populo Senatus jubeat, sed Consules tantum, Prætores, & Tribuni plebis. Ut in Senatusconsulto, quo Dictatorem a populo juberi Senatus decrevit libro septimo Decad. tert. & in Senatusconsulto, quod est in 8. epist. Cælii ad Ciceronem. Unde etiam commune argumentum erui potest, ex minoribus magistratibus solos fuisse Tribunos plebis, quibus jus esset agendi cum populo. Livius enim ita scribit, Senatum decrevisse, ut Consul ad populum ferret, quem vellet Dictatorem dici: si Consul noluisset, Prætor urbanus po- E pulum rogaret: si ne is quidem vellet, tum Tribuni ad plebem ferrent. Quod si aliis quoque magistratibus, ut Quæstoribus aut Ædilibus, jus fuisset rogandi populi, hoc profecto Senatusconsulto, ut plenum perfectumque esset, comprehensi essent. Quando igitur apud Livium toties reperiuntur Ædiles Curules, & plebeii quosdam ad populum vocasse, mulctamque dixisse, vel dicendum est, comitia de mulctæ certatione a Tribunis plebis habita, non ab iis, qui mulctam dixerant: aut sane ab iis, quæ diximus, ea comitia excipienda sunt, quæ de mulctæ certatione habebantur, ita ut in hac tantum re potestatem haberent agendi cum populo, cum de mul- F cta, quam pro suo imperio alicui dixissent, ad populum certandum erat. Id quod ego verius puto. Jam enim ab anno Urbis 300. Consules Sp. Tarpeius, & A. Aterinus legem Centuriatam tulerant, qua omnibus magistratibus mulctæ dicendæ potestas facta est, auctore Dionysio lib. 10. Atque ea est lex Aterina, cujus meminit Gellius lib. 11. cap. 1. Et sane, si Ædilibus Ædiles creare licuisset, cum ad interregnum res redibat, potuisset evenire, ut non creatis Consulibus & Prætoribus summa Reip. rediret in Ædilium Curulium, qui jam creati ab Ædilibus essent, potestatem. Neque enim tum verum esse potuisset, Remp. absque ullo Curuli magistratu esse. Atqui si reliquis minoribus magistratibus jus non erat agendi cum populo, necesse est, ut comitia habendi nulla his esset potestas. Consequens igitur est, ut Tribunos militares, & Triumviros tam capitales quam nocturnos & monetales dicamus creari ab aliquo majore magistratu. Siquidem plebeios tantum rogarent Tribuni plebis. Porro autem ordinarios magistratus subrogandi munus proprium erat Consulum, neque id Prætores unquam leguntur factitasse Consulibus præsentibus. Consules ergo illa comitia habere solitos necessario concedendum erit. Quod autem ad extraordinarios magistratus attinet, ex his, quæ modo diximus, statui potest, Consulibus, Prætoribus, & Tribunis plebis tantum jus fuisse eos creandi. Ex historiæ autem lectione perspici potest, modo Prætores, modo Tribunos plebis, interdum etiam Consules habuisse comitia ad creandos extraordinarios magistratus. Sacerdotum Comitia Tributa Consules habere debuisse ex 5. Ciceronis epist. ad Brutum colligi potest. Illic enim ait mortuis Hirtio & Pansa Coss. comitia sacerdotum necessario differenda esse, donec res ad Interregnum rediisset, ut Consules auspicato ab Interrege subrogarentur. Atqui tum & Prætores & Tribuni plebis erant Romæ: quibus si jus fuisset ea comitia habendi, sacerdotum comitia non fuissent eo usque differenda, dum Consules subrogati essent. Verba Ciceronis hæc sunt: *Omnino Pansa vivo celeriora omnia putabamus. Statim enim collegam sibi subrogasset. Deinde ante Prætoria sacerdotum comitia fuissent. Nunc per auspicia longam moram video. Dum enim unus erit patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt.* His postremis verbis Cicero vult, ideo moram futuram comitiis sacerdotum, quia auspicia ad patres redire non poterant, quamdiu erat unus patricius magistratus. Consulibus enim demortuis comitia subrogandis Consulibus habere non poterat Prætor. Quia tamen patricius magistratus erat, ideo non poterant patricii coire quandiu erat Prætor, ad prodendum Interregem: quæ sola tum erat ratio subrogandi Consules. Necesse igitur erat, ad finem usque anni expectare, quo tempore nullus patricius magistratus impedimento erat, quominus ad patricios auspicia redirent. Quod si, ut hinc apparet, habendis sacerdotum comitiis expectandum erat, dum Consules creati essent, necessario efficitur, solis Consulibus jus fuisse habendi comitia sacerdotum, quæ ex lege Domitia habebantur. Ante legem Domitiam comitia Tributa, quæ Pont. max. creando habebantur, ab uno quodam Pontifice haberi solebant. Id quod ex T. Livio colligi potest. Scribit enim initio libri 5. Decad. 3. comitia Pontifici max. creando habuisse Marcum Cornelium Cethegum Pontificem. Atqui Consules Prætoresque tum Romæ erant, ut ex eodem auctore constat. Unde efficitur, Pontificibus etiam jus fuisse habendi comitia Tributa. Post legem sane Domitiam eo existimo Consules habuisse comitia Pontificis max. quod certum sit, sacerdotes collegiorum a Consulibus creari. Non est autem probabile, Pontificem max. non potuisse habere comitia Pontificibus sufficiendis, cum interim unus de collegio Pontificum posset habere comitia Pontificis max. In quo si me fallit conjectura, in reliquis certe collegiorum sacerdotibus verissimum est, quod diximus. De legum judiciorumque comitiis Tributis facile est intelligere, iis magistratibus licuisse habere ea comitia, quibus jus erat cum populo agendi. In historia autem legimus, interdum Consules, interdum Prætores, sæpe Tribunos plebis ad populum de his rebus rogationes tulisse. Ætate Ciceronis rogatio de religione a P. Clodio polluta, a M. Pisone Consule lata est: lex Aurelia de tribus ordinibus judicum ab Aurelio

Cotta Prætore lata est: lex Gabinia, Manilia, Vatinia, a Tribunis plebis latæ. Ac de personis quidem, quibus jus esset habendi comitia Tributa, hactenus. De persona candidatorum pauca dicenda sunt. Plebeios magistratus petendi jus erat plebeiis tantum hominibus, binosque ex singulis classibus Tribunos esse oportebat. Livius libr. 4. Decad. 1. *Multum providisse majores nostros, qui caverint, ne cui patricio plebeii magistratus paterent.* Quæ sane causa fuit, ut Clodius se plebeio adoptandum daret, ut Tribunus plebis fieri posset. Et lib. 3. Dec. 1. *Trigesimo sexto anno a primis Trib. plebis decem creati sunt, bini ex singulis classibus. Itaque cautum est, ut postea crearentur.* Illud etiam reperio apud Livium cautum fuisse de Tribunorum Ædiliumque plebis persona, ut eos magistratus gerere iis non liceret, quorum pater, qui sella Curuli sedisset, viveret. Verba Livii sunt ex lib. 7. Dec. 3. *Ædiles plebeii erant Cn. Servilius & Q. Cæcilius Metellus. Servilium negabant jure aut Tribunum plebis fuisse aut Ædilem esse, quod patrem ejus, quem Triumvirum agrarium occisum a Boiis circa Mutinam esse opinio per decem annos fuerat, vivere atque in hostium potestate esse, satis constabat.* Et lib. 10. ejusdem Dec. *Latum ad populum est, ne Cn. Servilio fraudi esset, quod patre, qui sella Curuli sedisset, vivo, cum id ignoraret, Tribunus plebis atque Ædilis plebis fuisset: contra quam sancitum legibus erat.* Candidati Quæsturæ tam patricii quam plebeii esse poterant: tantumque in iis providendum erat post legem annalem, ut ætatem haberent lege definitam: & ut, emeritis decem annuis stipendiis, nullo infami judicio a petitione rejicerentur. De quibus supra satis dictum est. In Tribunatus militum candidatis quid observandum esset, Polybius in sexto de Rep. explicat his verbis: *Designatis Consulibus, postea Tribunos militum creant. Et quatuordecim quidem ex iis faciunt Tribunos; qui habent annua quinque stipendia. His deinde adjiciunt decem, quos creant ex iis, qui supra quinque usque ad decem habent annua stipendia. Equites quidem, qui decem omnino habent stipendia, pedites autem, qui sex, & eo amplius habent annua stipendia.* Ex iis apparet, non temere quosvis Tribunos militum fieri potuisse: sed cum 24. Tribuni militum a populo crearentur, qui quatuor ordinariis urbanis legionibus præessent, singuli singulis millibus: nemo ad id deligebatur, qui non gessisset minimum quina stipendia. Erantque alii veteres Tribuni militares numero decem, alii juniores numero quatuordecim. In quo etiam observabatur, ut nemo, qui equo meruisset, Tribunus militum fieri posset, nisi qui decem stipendia haberet: cum interim satis esset pedibus vel sex annos meruisse, ut inter veteres Tribunos militares locum habere posset. Horum veterum Tribunorum militarium meminit Cicero 2. in Verr. *M. Crepereius ex acerrima illa equestri familia, & disciplina: L. Cassius ex familia tum ad cæteras res, tum ad judicandum severissima: Cn. Tremellius homo summa religione & diligentia: tres hi homines, veteres Tribuni militares sunt designati.* Candidatum ergo hujus magistratus nemo se profiteri jure poterat, nisi qui legitima illa stipendia confecisset: pedibus quidem quinque aut sex minimum annos, equo autem decem. Quod ad magistratus extraordinarios attinet, hoc unum lege fuisse cautum de candidatis reperio, quod scribit Cicero in Rullum his verbis: *Quos tandem igitur Decemviros creari vult? Se primum. Qui licet? leges enim sunt veteres, neque eæ Consulares, si quid interesse arbitramini; sed Tribunitiæ, vobis majoribusque vestris vehementer gratæ atque jucundæ. Licinia est lex, atque altera Ebutia, quæ non modo eum, qui tulerit de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas ejus, cognatos, affines excipit, ne*

A *eis ea potestas curatiove mandetur.* De sacerdotum competitoribus hoc primum annotandum est, quod scribit Cicero pro domo sua, sacerdotes horum, de quibus agimus, collegiorum dimidia ex parte patricios, ex altera plebeios esse debuisse. Verba Ciceronis hæc sunt: *Itaque populus Rom. brevi tempore neque Regem sacrorum, neque Flamines, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos sacerdotes.* Ex iis consequens est, non temere quibusvis licuisse ea sacerdotia petere. Frustra enim plebeius petiisset, si in locum demortui patricii sufficiendus esset sacerdos: & contra patricio locus esse non poterat, si pro demortuo plebeio substituendus esset alius plebeius. B Adscribendum etiam est hoc loco id quod Cicero epist. 5. ad M. Brutum scribit: *Ciceronem nostrum in vestrum collegium cooptari volo. Existimo omnino absentium rationem sacerdotum comitiis posse haberi. Nam etiam factum est antea: C. enim Marius, cum in Cappadocia esset, lege Domitia factus est augur. Nec quominus id postea liceret, ulla lex sanxit. Est etiam in lege Julia, quæ lex est de sacerdotiis proxima, his verbis: Qui petit, cujusve ratio habebitur. Aperte indicat, posse rationem haberi non petentis.* Dion quoque scribit, legibus cautum fuisse, ne ex eadem gente duo in eodem collegio sacerdotes essent. C Et quoniam in collegio augurum erat ex gente Cornelia Faustus Sylla, idcirco ut posset in id collegium cooptari Lentuli Spintheris filius, datus est a patre adoptandus Manlio Torquato. Hoc etiam loco animadvertendum est, non perinde definitam legibus ætatem fuisse petendi sacerdotia, sicut erat in petendis magistratibus. Nam præter id, quod legimus apud Svetonium, Cæsarem septimo & decimo ætatis anno factum fuisse Flaminem Dialem, ex eo, quod Cicero dicit, se velle, ut Cicero filius in collegium Pontificum cooptetur, intelligi potest admodum adolescentes in collegia sacerdotum cooptari potuisse. Si enim Cicero filius natus erat D L. Cæsare & C. Martio Coss. quemadmodum Cicero ad Att. 1. epist. scribit: vix dum poterat 21. annos Cicero filius natus esse Hirtio & Pansa Coss. quo anno illa ad Brutum epistola scripta est. Ex quo efficitur, licuisse admodum adolescentibus ad sacerdotium pervenire. Nec tamen ante annum 17. quo anno virilem togam accipiebant juvenes Romani, id licuisse existimo: quandoquidem ad eam usque ætatem pueri censerentur, nec ullam Reip. gerendæ potestatem haberent. In Pontifice maximo creando id proprie servandum erat, ut non posset, nisi ex iis, qui Pontifices essent, Pontifex maximus fieri. Id quod hac ratione doceri potest. Ex iis E locis, quos supra ex Livio citavimus, apparet, mortuo Pontifice maximo a collegio, ante legem quidem Domitiam, alium cooptari solitum, qui Pontifex tantum fieret: tum deinde Pontificis maximi comitia habebantur. Si igitur aliunde poterant sumi Pontifices maximi quam ex numero Pontificum, necesse erat semper uno augeri numerum Pontificum, quoties Pontifex maximus moriebatur. Pone enim nunc octo Pontifices, qui erat numerus veteri lege definitus: si Pontifex maximus moriatur, substituto pro eo alio Pontifice, restabit numerus octo Pontificum. Quando ergo Pontifex præterea maximo popu- F li suffragiis fuerit adjectus, nisi ex numero Pontificum sumptus sit, collegium Pontificum novem constabit Pontificibus. Quod si rursus Pontifex maximus moriatur superstitibus reliquis Pontificibus, necesse erit decem Pontificibus constare collegium, uno adjecto Pontifice, & alio Pontifice maximo creato: eodemque modo semper auctum fuisset collegium, ita ut certo numero nunquam definitum esset: quod tamen absurdissimum est. Ex numero ergo Pontificum populus creabat Pontificem maximum, nec se Pontificatus maximi candidatum profiteri quisquam poterat, qui Pontifex non esset. Quod vero sæpe in hi-

ſtoria Livii reperimus, eundem hominem duo ſacerdotia geſſiſſe, argumento eſt, non perinde atque in magiſtratibus vetitum fuiſſe, ut duo quis ſacerdotia gereret. Sane, poſtquam lege Domitia a populo dari cœperunt, minus id factitatum reperitur, quia ſc. comitiis ratio potius haberetur ejus, qui nullo fungeretur ſacerdotio, quam ejus qui aliquod jam ſacerdotium haberet. Ac de perſonis quidem, propter quas habebantur comitia Tributa, ſatis. Deinceps ſequitur, ut de perſonis jus ſuffragii habentibus dicamus. Omnibus civibus Romanis, quibus data erat civitas cum jure ſuffragii, licebat comitiis Tributis ſuam dicere ſententiam. Simul enim cum pleno jure civitatis tribum accipiebant, in qua ſuffragium ferrent. Livius lib. 8. Decad. 4. *De Formianis Fundaniſque municipibus & Arpinatibus C. Valerius Tappo Tribunus plebis promulgavit, ut iis ſuffragii latio (nam ante ſine ſuffragio habuerant civitatem) eſſet. Huic rogationi quatuor Tribuni plebis quia non ex auctoritate Senatus ferretur, cum intercederent: edocti, populi eſſe, non Senatus jus, ſuffragium quibus velit, impertiri, deſtiterunt incœpto. Rogatio perlata eſt, ut in Æmylia tribu Formiani & Fundani, in Cornelia Arpinates ferrent. Atque in iis Tribubus tum primum ex Valerii plebiſcito cenſi ſunt.* In hoc Livii loco multa ſunt obſervatione digna. Primum, populi proprium jus fuiſſe, dare civitatem, ut in ea re nil opus eſſet auctoritate Senatus. Unde fit, ut nuſquam reperiamus civitatem datam, niſi rogatione ad populum lata. Quarum rogationum exempla multa extant in orationibus pro Archia poeta, & pro Balbo. Deinde iis demum civibus ſuas tribus fuiſſe, qui pleno jure cives eſſent, hoc eſt, cum jure ſuffragii. Unde fit, ut quoties datam civitatem reperimus abſque jure ſuffragii, nullam reperiamus mentionem tribuum. Contra autem quoties tribuum mentionem factam videmus, propter aliquos novos cives, ſimul intelligere poſſumus, eos pleno jure cives factos. Poſtremo cives tantum eos cenſeri ſolitos, qui ſuas quaſdam haberent tribus. Nam qui jus ſuffragii non habebant, honoris potius cauſa cives erant, quemadmodum de Campanis equitibus ſcribit Livius, & de Ceritibus A. Gellius lib. 16. cap. 13. quam ut onus aliquod civitatis ferrent. Merito igitur fiebat, ut nihil ad eos cenſus attineret: qui potiſſimum ad onera Reip. æquabiliter ſuſtinenda inſtitutus erat. Illud ergo certum eſt, omnes cives, qui in tribus Romanas deſcripti erant, jus habuiſſe ſuffragii ferendi: etiamſi tribu moti eſſent, factique ærarii a Cenſoribus aut publico judicio; modo ne ſimul notæ cauſa in Ceritum tabulas relati eſſent. Tribu enim movere nihil aliud erat, quam tribum mutare jubere, ut docet Liv. lib. 5. Dec. 5. At qui in tabulas Ceritum referebantur, jure ſuffragii privabantur, ut docet A. Gell. lib. 16. c. 13. & Aſcon. Verum, an hi ſoli jus haberent ſuffragii, valde dubium eſt. Latini enim in tribubus Romanis non erant ante legem Juliam, qua Latinis & ſociis Italiæ populis civitas data eſt: & tamen jus habuiſſe ſuffragii in comitiis Tributis videntur. Livius enim lib. 5. Decad. 3. ita ſcribit: *Teſtulis* (vel ut Valla legit, *Teſtib.*) *datis Tribuni populum ſummoverunt: ſitellaque adlata eſt, ut ſortirentur ubi Latini ſuffragium ferrent.* Quæ verba indicant, non modo Latinos tum deſcriptos in tribus Romanas non fuiſſe: alioqui nihil ſortitione opus fuiſſet, ut in qua tribu ſuffragium dicturi erant, conſtare poſſet: ſed etiam ſuffragium habuiſſe. Unde videtur ſequi, non ſolis civibus Romanis jus fuiſſe ſuffragii. Ea ſane quæſtio difficultate non caret: nos tamen conabimur aliquid lucis adferre: ſed ita, ut ſuum cuique relinquamus judicium, ut ſi minus probent quod dicemus, aliud ſequantur quod verius judicabunt. Latini omnes cives Romani non fuerunt niſi poſt legem Juliam, ut docet Cicero pro Balbo: quæ lex lata eſt initio belli ſocialis. Multas

A tamen reperio eos rationes habuiſſe viritim perveniendi ad civitatem, quæ aliis populis non paterent. Una ratio erat per legem, cujus meminit T. Livius libr. 1. Dec. 5. *Lex ſociis ac nominis Latini, qui ſtirpem ex ſeſe domi reliquerent, dabat, ut cives Romani fierent.* Alia erat, cujus meminit Appianus lib. 2. bell. civilium, ubi ait Latinitatis hoc jus fuiſſe, ut cives Romani fierent, qui in Latinis coloniis magiſtratum geſſiſſent. Quanquam ergo Romani cives amitterent civitatem, ſi in Latinam coloniam nomina dediſſent, ut docet Cicero pro Cæcinna, & pro domo ſua: hoc tamen jure poterant in civitatem redire, ſi magiſtratum in ea colonia B Latina geſſiſſent. Alia item ratio fuit per legem Serviliam, qua Latinis jus erat civitatem aſſequi in locum ejus, quem accuſando damnaſſent repetundarum. Hanc legem tulerat C. Servilius Glaucia, ut docet Aſcon. pro Scauro. Quod autem ea lege Latini aſſequerentur civitatem, Cic. pro Balbo oſtendit his verbis: *An accuſatori majores noſtri majora præmia quam bellatori eſſe voluerunt? Quod ſi acerbiſſima lege Servilia principes viri ac graviſſimi & ſapientiſſimi cives hanc Latinis, id eſt, fœderatis, viam ad civitatem populi juſſu patere paſſi ſunt.* Alias vero etiam leges fuiſſe, quibus Latinis præmii loco civi- C tas propoſita eſſet, paulo poſt idem Cicero indicat his verbis: *Num fundos igitur factos populos Latinos arbitramur aut Servilia lege aut cæteris, quibus Latinis hominibus erat appoſitum aliqua ex re præmium civitatis.* Porro autem quod dixi Latinis datam civitatem lege Julia, de iis accipi debet, qui in Italia erant populi Latini nominis. Certum enim eſt ex Svetonio in Cæſare poſt eam legem adhuc fuiſſe multas Latinas colonias, quæ tamen civium Romanorum non erant: ſed eo jure quo ſocii nominis Latini erant ante civitatem univerſo Latio lege Julia datam. Verba Svetonii hæc ſunt: *Decedens ergo ante tempus colonias Latinas de peten-* D *da civitate agitantes adiit.* Ut etiam excipiantur hi, quos primis temporibus in civitatem receptos legimus. Quod ſi tam multas rationes haberent Latini adipiſcendæ civitatis Romanæ, accidere poterat, ut quinquennii ſpatio, quod erat tempus inter cenſuras interjectum, multi Latini civitatem aſſequerentur, qui tamen adhuc nec cenſi eſſent, nec in tribus Romanas adſcripti. Nam & libr. 8. Decad. 1. legimus Lanuvios, Aricinos, Nomentanos, & Pedanos, qui omnes Latini erant, civitate donatos, poſt quinquennium demum cenſos fuiſſe, & in duas tribus Metiam & Scaptiam deſcriptos, quæ tribus tum primum propter eos additæ E ſunt. At enim ſi pleno jure hi cives eſſent, jus habebant ſuffragii. Verum qui tribum adhuc non habebant, quomodo ad ſuffragium vocari poterant? An forte id decernendum erat? Ut qui certa adhuc tribu non eſſent, in ea ſuffragium ferrent, cui forte id obtigiſſet. Hæc profecto eſſet tollerabilis interpretatio loci T. Livii, ut de iis Latinis intelligeretur, qui cives quidem jam eſſent facti per eas leges, quæ tum erant, ſed nondum in tribus deſcripti: ſi verum eſſet, pleno jure quenquam civem eſſe non potuiſſe, adeoque ſuffragii jus habuiſſe, qui nec cenſus eſſet, nec tribum haberet. Id vero nequaquam F admittendum eſſe vel hinc videri poteſt, quod Centuriatis comitiis nemo ſuffragium ferre poterat, qui cenſum ſuum profeſſus non eſſet. Deſcribebantur enim ex cenſu centuriæ. Et novi ergo illi cives, ſi cenſi non eſſent, Centuriatis comitiis ferre ſuffragium non poterant. Porro autem dicere cives jus ſuffragii habuiſſe in unius generis comitiis, qui in alterius generis non haberent, ineptum eſt, & ab omni ratione alienum. Verius ergo eſt, quod paulo ante annotavimus, neminem civium Romanorum jus ſuffragii habuiſſe, priuſquam cenſus eſſet, & in aliquam tribum adſcriptus: tametſi cæteris in

rebus pro cive se gerere posset. Jam vero, si nemo potest jure Romano duarum esse civitatum, ut ait Cicero pro Cæcinna & pro Balbo, nec sane iidem poterant esse Latini & cives Romani. Titum ergo Livium de novis quibusdam civibus non intellexisse, vel hinc argumentum accipi potest, quod Latinos appellat. Neque enim vera esset appellatio, eos, qui cives jam essent Romani, Latinorum nomine appellare: præsertim cum Latinorum appellatione semper socii Latini nominis intelligantur, a civibus Romanis adeo diversi, ut ne ii quidem Latini, qui in coloniam Romanam nomina dedissent, cives Romani essent, quemadmodum T. Livius lib. 4. Decad. 4. a Senatu judicatum esse dicit in causa Puteolanorum, Salernitanorum, & Buxentinorum. Neque vero dici potest de iis Latii municipiis eum locum intelligi, quæ civitate donata erant, ut de Tusculanis, Lanuvinis, Aricinis, Nomentanis, aliisque hujus generis. Habebant enim jamdudum illa municipia suas tribus. Quapropter sortitione opus non erat, ut appareret in qua tribu suffragium ferrent. Aliud ergo nobis inveniendum est, unde illius loci explicationem eruere possimus. Fœdus cum Latinis ictum esse Cicero pro Balbo scribit Sp. Cassio & Posthumio Cominio Coss. anno Urb. 261. De hoc fœdere Dionys. libr. 8. ita loquentem Sp. Cassium introducit: *Latinos Romanorum consanguineos, urbis tamen Romæ dominationem & gloriam iniquo semper animo ferentes, in amicitiam adduxi, concessa eis ἰσοπολιτεία, ut jam non adversariam sibi Romam vocent, sed patriam.* Et paulo post: *Sp. Cassius quamplurimos potuit Latinorum & Hernicorum, evocavit ad suffragium ferendum. Qui frequentes convenerunt, ut propemodum plena peregrinis esset civitas. Quo a Virginio animadverso, jussit per compita proclamari, ut omnes peregrini Roma exirent, dato ad id perexiguo tempore. Tum Cassius contra edicto jussit omnes in urbe manere, quibus concessa erat ἰσοπολιτεία, donec lex perlata esset.* Ex iis Dionysii verbis intelligi potest, fœdere concessam Latinis ἰσοπολιτείαν, hoc est, communem & parem cum Romanis Reip. gerendæ curam. Tum illud, evocatos ἐπὶ τὴν ψηφοφορίαν Latinos, quos Cassius urbe exire noluerit, ante legem perlatam. Ex quibus cum T. Livii verbis collatis colligo, Latinos cum Romanis suffragii ferendi potestatem habuisse. Neque enim sortiendum fuisset, ubi Latini suffragium ferrent, si omnino suffragio exclusi fuissent. Illud nunc quærendum est: Utrum beneficio tantum, & permissu eorum magistratuum, qui haberent comitia, Latini ad suffragium dicendum admitterentur, an vero pro suo jure ac per legem sui cum Romanis fœderis jus haberent suffragii. Ego, ut potius credam, liberalitate Romanorum magistratuum Latinos ad suffragium admitti, quam suffragii jus habuisse, hac potissimum ratione adducor, quod in historia C. Gracchi legimus, socios Latinos urbe exire jussos, ne tum Romæ essent, quando legibus Gracchi ferendis tribus in suffragium vocarentur. Quo pertinet illud Ciceronis pro Sestio: *Nihil acerbius socii Latini ferre soliti sunt, quam id, quod perraro accidit, ex urbe exire a Consulibus juberi.* Neque enim edicto Consules tollere poterant, quod legibus contra cautum esset. Itaque si per leges Latini jus habuissent suffragii, nec Consules suis edictis privare suffragio illos potuissent, nec Latinos legum præsidio munitos suo jure cedere passus esset C. Gracchus, ut contra quam legibus licitum esset, suffragio privarentur socii, quos ipse evocasset. Si ergo id contra leges factum non est a C. Fannio Consule, ut edicto juberet Latinos urbe exire, ne legibus Gracchi ferendis adessent, necessario efficitur, Latinos comitiis legum non habuisse jus suffragii. Restat igitur, ut, quod admissos ad suffragium Latinos reperimus, beneficio potius & benignitati Romanorum magistratuum id tribuentium societati & consanguinitati Latinorum, qui tum forte Romæ essent, cum haberentur comitia, quam juris ac legum necessitati attribuamus. Alia nunc quæstio est, omnibusne comitiorum generibus admitti solerent, an uno quodam aut altero genere tantum. Sane, quia beneficii hoc erat, non juris, quod Latini admitterentur ad suffragium, nullam video causam, cur certis comitiis ea benignitas adstricta esset: præsertim cum Latinorum suffragium hoc modo in unam quandam tribum sorte contractum nullius prope momenti semper futurum esset: cum interim magno honori id ducerent, quod suffragium cum civibus dicerent. Illud profecto observandum est, quod illic, ubi Livius suffragii Latinorum facit mentionem, agitur de judicio civis Romani, cui mulcta dicta erat a Tribunis plebis. Quid vero causæ esse potest, cur Latini in judicio de mulcta suffragium dicerent, in judicio capitis non dicerent? Quod si concedamus perinde eos suffragium dicturos fuisse in comitiis, quibus de perduellione judicaturus erat populus, atque in his comitiis, quibus de multa eidem reo Posthumio dicta agebatur: consequens est, ut fateamur, non modo Tributis comitiis Latinos suffragium dixisse, sed etiam Centuriatis. Erant enim Centuriata perduellionis comitia. Quanquam autem Romæ non censerentur Latini, sed in suis civitatibus, poterant tamen ita se adjungere ad Centurias unius cujusdam tribus, cui sorte obtigisset, ut Latini in ea suffragium dicerent, ut cum primæ classis centuriis hi suffragium ferrent, qui erant primi census apud Latinos: cum Centuriis secundæ classis, qui erant apud eos secundi census; & ita deinceps: aut vero in unam Centuriam sorte ductam omnes Latini nulla habita ratione census conjici: quo modo in Tributis comitiis in unam tribum conjiciebantur. Sed quoniam hæc, quæ de Centuriatis comitiis dicimus, verius probabiles conjecturæ sunt, quam necessariæ rationes, pro certo ea afferere non ausim: præsertim cum nusquam legamus, vocatos ad suffragium Latinos Centuriatis comitiis. Quia vero nominatim T. Livius ait his comitiis, quæ Tributa erant, Latinos suffragium habituros, nisi interpellata essent, pro certo hoc affirmare possumus, Tributis comitiis Latinos ad suffragium admitti solitos. Unde sequitur, si de jure quæratur, solos cives jus habuisse suffragii: sin jure omisso morem suffragiorum spectemus, verum erit, etiam Latinos cum civibus ad suffragium dicendum admitti solitos. Sed quoniam nulla certa tribu erant Latini, idcirco antequam tribus ad suffragium vocarentur, sortitio fiebat, in qua tribu suffragium dicturi essent. Ac nostra quidem illa est de Livii loco sententia, quam tamen mutare non gravabor, si quis probabiliorem afferat interpretationem. De diribitoribus, custodibus, rogatoribus & præconibus paulo post dicemus, cum modum comitiorum Tributorum explicabimus. Nunc de personis agendi finem hic faciamus.

CAP. IV.

De modo comitiorum Tributorum.

DEinceps consequens est, ut de modo agamus. In quo hoc primum animadvertendum est, commune omnibus omnium generum comitiis fuisse, ut haberi non possent Jove fulgente aut tonante. Cicero in Vatinium scribit, jam inde a Romulo decretum fuisse ab auguribus, Jove fulgente cum populo agi nefas esse. Omnibus autem omnium generum comitiis cum populo agebatur. Hoc igitur Tributis etiam comitiis conveniebat, ut auspicia hactenus servanda essent, ne haberentur, quo die fer-

vatum esset de cœlo. Unde sequitur, his etiam comitiis obnunciationi parendum fuisse. Neque enim Cicero diceret Vatinium contra legem Æmiliam & Fusiam fecisse, nisi tributis etiam comitiis habendis obnunciationi parendum esset. Interdum tamen ad legem aliquam ferendam, quam omnino vellet Senatus pro temporis necessitate perferri, ut nulla ratione impediretur, lator illius legis solvebatur his legibus: ut de M. Aufidio Lurcone legimus libr. 1. ad Att. *Lurco Tribunus plebis, qui magistratum simul cum lege Ælia iniit, solutus est & Ælia & Fusia, ut legem de ambitu ferret, quam bono auspicio claudus homo promulgavit.* Et Clodius initio sui Tribunatus legem tulisse legitur, ne obnunciationi sibi parendum esset. Quanquam autem Tributa comitia hactenus auspicato haberi debebant, in reliquo tamen genere auspiciorum nulla fere religione astringebantur. Id quod Dionys. lib.9. ostendit his verbis: *Hoc erat discriminis inter Tributa comitia & Curiata, quod Curiata oportebat ex Senatus auctoritate haberi, & populum curiatim suffragium dicere: & præterea necesse erat, ut auspicato fierent, deos ante consuli: alioqui justa haberi non poterant. Tributa vero non consulto Senatu, non adhibitis sacerdotibus auguribusve uno die, diviso per tribus populo perficiebantur.* Et libro decimo hæc sunt verba patriciorum ad Tribunos plebis: *Neque enim vos Senatus auctoritas ad magistratum vocat, nec Curiæ de vobis suffragium dicunt, nec sacra facitis ante comitia, quæ lege fieri oportebat, nec omnino quicquam quod ad religionem deorum pertineat.* Et T. Livius lib. 6. Decad. 1. *Penes quos igitur sunt auspicia more majorum? nempe penes patres. Nam plebeius quidem magistratus nullus auspicato creatur: nobis adeo propria sunt auspicia, ut non solum quos populus creat patricios magistratus, non aliter quam auspicato creet: sed nos quoque ipsi sine suffragio populi auspicato Interregem prodamus, & privatim auspicia habeamus, quæ isti ne in magistratibus quidem habent.* Ex his Dionysii & T. Livii locis intelligi potest, plebeios magistratus nulla habuisse auspicia. Unde efficitur, non potuisse ea comitia, quæ haberent, auspicato haberi. Sive ergo legum, sive magistratuum comitia essent, quæ a Tribunis plebis habebantur, ea non auspicato habebantur: nisi quatenus obnunciationi parendum erat, ut diximus. Ex quo etiam elici potest interpretatio duorum locorum Livii, qui alioqui difficiles admodum essent. Unus est ad finem libri decimi Decad.1. *Exacto jam anno novi Tribuni plebis magistratum inierant: iisque ipsis, quia vitio creati erant, quinque post dies alii suffecti.* Alius locus est lib.10. Dec.3. *P. Ælius Tubero & L. Lectorius Ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicaverunt.* Ex his enim locis quæri posset, quomodo plebeii illi magistratus vitio creari possent. Vitio enim creari, erat contra auspicia creari. Si igitur plebeii magistratus auspicato non creabantur, quodnam vitium intervenire poterat? Dicendum igitur est, ad creandos plebeios magistratus nihil opus fuisse captare auspicia adhibitis auguribus pullariisve, ut in magistratibus majoribus fieri solebat: idque esse quod auspicato creati negantur. Attamen si, quo die creati essent, aut fulguraffet, aut tonuisset, vitio creati dicebantur: quia contra commune augurum decretum cum populo aut plebe actum esset, quo die servatum erat de cœlo. Nam si hoc solum vitium comitiis plebeiorum magistratuum obvenire poterat, de hoc necesse est verba Livii intelligi. Id quod nos postea pluribus ostendemus, cum de Curiatis comitiis agemus: ubi demonstrare conabimur, his plebeiis magistratibus non fuisse opus Curiata lege, sicut cæteris minoribus magistratibus. Nunc illud potius quærendum est, quomodo verum esse possit, quod diximus, plebeios magistratus auspicia non habere. Cicero enim 3. de Legibus legem ponit hujusmodi: *Omnes magistratus auspicium judiciumque habento.* Ex quo sequitur etiam Tribunos plebis auspicia habuisse. Eam enim legem Romanis legibus consentaneam fuisse, tum ipse Cicero paulo post indicat, tum vero ex eo facile est intelligere, quod passim Tribunos plebis reperimus jus obnunciandi habuisse: quod alioqui eis privatis non licuisset: unde sequitur, ratione sui magistratus potestatem habuisse servandi de cœlo. Sane hactenus concedendum est, non modo Tribunos plebis, sed etiam reliquos magistratus minores auspicia habuisse, ut de cœlo servare possent. Id quod vel ex edicto Consulum, quo edicebant, quis dies futurus esset comitiis Centuriatis, perspici potest. In eo enim vetabatur, ne ullus magistratus minor de cœlo servasse vellet. Itaque possumus uno modo cum Cicerone dicere, omnes magistratus auspicia habuisse: alio modo cum T. Livio negare, plebeios magistratus auspicia habuisse: quia in suis actionibus instituendis augures pullariosve non adhiberent: quæ erant vera auspicia. Quod vero dixi Tributa comitia a plebeiis magistratibus auspicato non haberi, idem ad omnia Tributa comitia, quæ etiam a patriciis habebantur, transferri debet: ut satis ostendunt verba Dionysii, quæ generaliter de omnibus comitiis Tributis pronunciantur. Jam vero T. Livius ad finem lib.5. Dec.1. in concione Camilli, per enumerationem colligens ea, quæ auspicato fiunt, inter auspicata comitia ponit tantum Centuriata & Curiata, Tributorum nulla facta mentione. Verba ejus hæc sunt: *Quid alia quæ auspicato agimus, omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni aut cui negligentiæ damus? Comitia Curiata, quæ rem militarem continent: comitia Centuriata, quibus Consules Tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi assolent, fieri possunt?* Quod si quis certius etiam hujus rei argumentum requirat, ita habeto: Si probatum fuerit, minorum magistratuum comitia Tributa auspicato non haberi, multo magis in legum comitiis id verum esse fatendum erit. Illud vero ita demonstrari potest ex verbis Messalæ apud Gellium lib.13. c.14. *Minoribus magistratibus creandis Tributis comitiis magistratus, sed justius Curiata datur lege.* Cum enim de auspiciis illic agatur, si Tributis horum magistratuum comitiis augures adhiberentur, cur justius Curiata lege magistratus eis dari dicitur, quam Tributis? Si enim illud justius ad auspicia pertinet, quemadmodum ex ipso contextu apparet, necesse est ut propter justa auspicia, quæ unis comitiis adhibebantur, aliis vero minime, ea verba Messalæ interpretemur. Nam quo tempore scripsit Messala, Tributis comitiis populus suffragium ferebat, Curiatis vero non populus, sed triginta tantum lictores: idque ita retentum erat auspiciorum causa, ut inquit Cicero in Rullum. Si igitur etiam auspicia tribueremus Tributis comitiis, perinde ut Curiatis, profecto multo justiora comitia fuissent Tributa, quam Centuriata, contra quam asserit Messala. Illud ergo fatendum est, Tributa horum magistratuum comitia non fuisse auspicata, nisi quatenus obnunciationi parendum erat: qua ex parte omnia comitia erant auspicata: ratione tamen legis Curiatæ, quæ post de his ferebatur, auspicato creari dicendum est. Minora enim patriciorum auspicia erant horum magistratuum minorum. Quod si penes hos erant minora auspicia, necesse est, ut auspicato creentur. Hoc enim argumento Livius utitur, penes plebem auspicia non esse, quia auspicato plebeii magistratus non crearentur. Unde generalis locus desumi potest, penes eos auspicia esse non posse, qui magistratum auspicato non acciperent. Cum ergo dicat Messala, minora patriciorum auspicia penes minores magistratus fuisse, necesse est, ut auspicatis quibusdam comitiis, quorum patres auctores essent, crearentur: cujus generis erant Curiata. Nam Centuriatorum & Curiatorum tantum comitiorum patres auctores fuisse dicun-

tur a Cicerone pro domo sua, & a T. Livio lib. 6. Decad. 1. non etiam Tributorum. Verum de Curiatis comitiis postea agemus. Illud nunc quærendum est, an sacerdotum comitia auspicato haberentur. Qui in collegia sacerdotum cooptabantur, ante a quibusdam collegii sacerdotibus inaugurari solebant: ut Cicero in Bruto, se ab Hortensio dicit inauguratum, cum in collegium augurum cooptatus est. At enim inaugurari erat auguribus ad deos consulendos adhibitis inter eos nominari, qui sacerdotio digni essent, ut locus inaugurari dicebatur, cum dii ab auguribus consulebantur, placeret-ne eis ad aliquid agendum ille locus. Hoc ergo affirmari potest, ante sacerdotum comitia Tributa auspiciis hac saltem ex parte opus fuisse, quatenus inauguratos esse oportebat eos, de quibus comitia habebantur. Consules vero comitia deinde habituros his auspiciis contentos fuisse existimo, ut eis opus non esset denuo auspicia, priusquam comitia haberent, captare. Erat igitur hoc diversum in comitiis Tributis & Centuriatis, quod his habendis auspicia ante ab eo captanda erant, qui erat ea habiturus: illis vero minime. Hoc etiam (ut docet Dionysius) erat diversum, quod Tributis comitiis patres auctores fieri non oportebat, sicut Centuriatis. Id quod ad magistratuum comitia potius pertinet quam legum. Leges enim ex Senatus decreto ferri solitas argumento vel hoc unum esse potest, quod in historia sæpe videmus rogationibus Trib. plebis intercessum a collegis, quia non ex auctoritate Senatus ferrentur. Quia tamen multa legimus plebiscita non modo absque Senatus auctoritate, sed etiam contra Senatus decretum perlata, idcirco existimo, quod in Centuriatis & Curiatis legibus necessarium erat, in Tributis consentaneum potius fuisse, quam necessarium, & decuisse magis quam oportuisse. Illud etiam erat discriminis, quod non sacra fieri ante hæc comitia oporteret, quemadmodum ante Centuriata. Cætera quæ diximus Centuriatis convenire ante ipsa comitia, cum Tributis communia sunt. Nam & his comitiis præmisso edicto opus erat: unde apud Livium libr. 4. Dec. 1. *Cum Tribunorum plebis creandorum indicta comitia essent: & promulgari trinundino leges, quas Tributis comitiis perferre quis vellet*. Si enim quæ supra diximus, de legum promulgatione, ad plebiscita etiam pertinent, perspicuum est ad leges, quæ Tributis comitiis ferrentur, eam trinundini promulgationem fuisse necessariam. Atqui legibus etiam, quæ a Tribunis plebis ferebantur, omnia accommodari, quæ de promulgatione diximus, certum est. Ac de iis quidem, quæ ante comitia Tributa fieri solita erant, hactenus. Deinceps de ipsorum comitiorum modo dicendum. In quo primum consideranda sunt verba A. Gellii ex libr. 15. cap. 17. *Tribuni neque advocant patricios, neque ad eos referre de ulla re possunt*. Ex iis enim verbis apparet comitia, quæ a Tribunis plebis habebantur, plebis tantum fuisse. Quod non ita accipiendum est, quasi non liceret patriciis adesse illis comitiis, sed quia jus non esset plebeiis magistratibus eos vocandi. Cum enim plebis essent magistratus, merito fiebat, ut pro jure sui magistratus non possent nisi cum plebe agere. Itaque præmissum ab iis edictum ad plebem tantum pertinebat, cum interim liberum esset patriciis adesse, vel non adesse. Quæ vero comitia Tributa a patriciis magistratibus habebantur, quod ad edicti quidem vim attinet, universi populi erant: sed tamen, quia his comitiis nulla habebatur ratio census, ordinis, ætatis, propterea primores civitatis fere his comitiis adesse non solebant: quia cum numero longe superior esset reliqua multitudo, spes nulla erat suum suffragium vim ullam habiturum contra plebis voluntatem. Unde eveniebat, ut omnia Tributa comitia fere peragerentur ab humilibus, ut vix unquam primores populi adessent. Ex iis invenire causam possumus, cur, cum de Tributis comitiis agitur, modo plebis, modo populi fieri mentionem sæpe eodem in loco reperiamus. Quod enim ad jus suffragii attinet, omnia comitia erant populi: quia nemo civis suffragio excludi poterat, si comitiis adesse vellet. Quod vero ad potestatem & jus vocandi attinet ejus magistratus, a quo comitia edicta sunt: aut vero si ad eos spectemus, qui convenire ad ea comitia solebant, non immerito plebis tantum fuisse ea comitia dicuntur. Erat autem hoc commune his comitiis cum Centuriatis, quod priusquam in suffragium mitteretur populus, concio a magistratu habebatur, qua de magistratibus aut sacerdotibus creandis, vel de legibus ferendis verba eodem modo fiebant, quo supra diximus in Centuriatis comitiis. Hac peracta concione populus in suas quisque tribus discedebat. Tum sortitiones fiebant a magistratu: quæ diversi generis erant. Una erat ac prima omnium ad sortiendum, in qua tribu Latini suffragium ferrent: de qua re supra multa diximus. Altera erat in magistratibus quidem creandis, & legibus ferendis, ad sortiendum quo ordine tribus quæque suffragium ferret. Ad quam sortem peragendam omnium tribuum nomina in cistellam quandam conjiciebantur: tum ut quæque prior exierat, ita prior suffragium ferebat, ut ex historia Tib. Gracchi apud Appianum intelligi potest. In sacerdotum vero creatione, quia septendecim tantum tribus suffragium ferre ex lege poterant, idcirco sortiendæ tantum erant hæ tribus septendecim quæ erant suffragium laturæ. Id quod Cicero in Rullum indicat, cum ita scribit: *Jubet Tribunum plebis qui eam legem tulerit, creare Decemviros per tribus septendecim: ut quem novem tribus fecerint, is Decemvir sit*. Et paulo post: *Hoc Tribuno plebis potissimum venit in mentem populum Romanum universum privare suffragiis: paucas tribus non certa conditione juris, sed sortis beneficio fortuito ad usurpandam libertatem vocare*. Et paulo post: *Universo populo neque ipse committit, neque illi horum consiliorum auctores committi recte putant posse. Sortietur tribus idem Rullus homo felix, educet quas volet tribus: quos novem tribus decemviros fecerint, ab eodem Rullo eductæ, hos omnium rerum dominos habemus*. Ex his Ciceronis verbis omnis ratio intelligi potest, qua Decemviros creari volebat Rullus. Erat autem hæc eadem cum ea, quæ ex lege Domitia in sacerdotum creatione observabatur: ut nos ex eodem Cicerone supra ostendimus. Consequens igitur est, ut in sacerdotum creatione dicamus septendecim tribus ita deligi, ut 35. tribubus in cistam conjectis septendecim ex eo numero educerentur, quarum suffragio staretur. Verum illud hoc loco ambigi potest, an suffragium dicerent illæ tribus, ut quæque educebatur, an vero non ante ferrent suffragium, quam iis selectis, quarum suffragio standum erat, rursus in cistam hæ conjectæ essent, ut suffragium deinde eo ordine dicerent, quo quæque educeretur. Ego existimo gemina sortitione, & gemina ex cista eductione nil opus fuisse: siquidem sortitione unica non minus ex lege suffragium a minore parte populi ferri posset. Si enim ultra septimam & decimam tribum non sis progressurus, ut quæque suffragium dicat, simul atque educta ex omnium tribuum cumulo erit, tam hoc modo minor pars populi suffragium tulisse dicetur, quam si gemina illa eductione usus esses. Quod si brevior, nec minus justa esset illa ratio quam hæc, prudentiæ Romanorum consentaneum est, illa potius unica sortitione contentos fuisse, quam hac gemina. Ex his, quæ dicta sunt, apparet, in Tributis comitiis pro prærogativa fuisse eam tribum, cui forte obtigisset, ut prima exiret e cistella. Verum id diversum erat a Centuriatis, quod sortitione prærogativæ Centuriæ facta reliqua comitia absque forte pro censu,

A censu, ordine, atque ætate peragebantur. At comitiis Tributis sorte utendum erat ad finem usque comitiorum, ad vocandas ordine tribus. Quod vero supra diximus de tabella suffragii, & de pontibus, per quos suffragium ferebatur, id commune erat Tributis comitiis cum Centuriatis: quemadmodum ex verbis, quæ citata a nobis sunt, perspici potest. Verum hoc erat proprium Tributorum, quod rogatores in iis non adhiberi solebant, sed custodum, diribitorum & præconum ministerio tantum peragebantur. Vocandis enim ad suffragium tribubus, ut quæque sortiente magistratu exierat, præconum opera erat necessaria: tum vero & renunciandis B singularum tribuum sententiis, postquam dixerant suffragium. Quia vero his quoque comitiis diximus tabellas populo ministrari solitas, cum ad pontes venerat, idcirco necesse est, ut ad hoc ministerium diribitores adhibitos dicamus. Sed & qui fraudem animadverterent, quæ vel diribendis tabellis, vel in colligendis suffragiis committi poterat, & qui sententiarum numerum pro candidatis inirent, certos quosdam homines fuisse necesse est. Hi autem erant, qui custodes appellabantur. Nam quomodo Cato fraudem animadvertere potuit, quæ comitiis Ædilitiis ad dejiciendum M. Favonium fiebat, nisi C pro amico Favonio Cato custos fuisset? Aut quomodo collegæ C. Gracchi multa suffragia maligne occultare potuerunt ad dejiciendum Tribunatu Gracchum, nisi præter rogatorem comitiorum alii essent, qui se interponerent numerandis sententiis? His ergo comitiis, præsertim quibus magistratus creabantur, erant certi quidam homines, qui vel amicitiæ causa, vel pro suo magistratu comitiis ita se interponebant, ut custodum munere fungerentur. Quod vero de rogatoribus dixi, præter rogatorem comitiorum non fuisse alios Tribuum rogatores, sicut erant Centuriarum rogatores quidam in Centuriatis comitiis, hac ratione confirmari potest. Qui D cistam deferebat colligendis per tribus suffragiis, rogator dicebatur. Atqui ex multis locis apertum est, cistam deferre solitum eum ipsum, qui habebat Tributa comitia. Cicero de Saturnino legem ferente ita scribit lib. 1. ad Heren. *Saturninus ferre cœpit, Collegæ ejus intercedere. Ille nihilominus cistellam detulit*. Et primo de nat. Deo. *Ut igitur Tiberium Gracchum, quem videor concionantem in Capitolio videre de M. Octavio sitellam deferentem*. Et apud Asconium hæc sunt Ciceronis verba ex oratione pro C. Cornelio: *Neque enim majus est legere codicem cum intercedatur, quam sitellam ipsam cum ipso intercessore deferre*. Hi locis satis ostendunt, rogato- E rem comitiorum eundem fuisse, qui per singulas tribus tabellas suffragii colligeret. Unde etiam colligo interpretationem loci apud Svet. in Cæsare, ubi ita scriptum est: *Qui primum cunctati, utrumne illum in campo per comitia tribus ad suffragia vocantem partibus divisis e ponte dejicerent*. Nam eum locum de Tributis comitiis intelligi vel hinc perspici potest, quod supra ostendimus in Tribunali manere solitum magistratum, qui Centuriata comitia habebat: hic vero cum dicit e ponte Cæsarem dejicere conjuratos excogitasse, manifesto demonstrat, vocandis tribubus in ponte ac non in Tribunali F Cæsarem stare solitum. Ex quo consequitur, Tributis comitiis eum, qui habebat comitia, non in Tribunali consedisse, sed in ponte consistere solitum, ubi vocatarum tribuum tabellas colligeret. Quod si ita sit, necessario sequitur, his comitiis non alium fuisse rogatorem, quam eum ipsum magistratum, a quo habebantur comitia. Jam autem in certum quendam locum vocari singulas tribus his comitiis sicut in Centuriatis, hinc ostendi potest, quod cum mentio est horum comitiorum, non modo vocari tribus, sed etiam introvocari reperimus. T. Livius lib. 10. Dec. 4. ita scribit de comitiis loquens, quibus mulcta certabatur dicta Duumviro a Pontifice maximo: *Et plures jam tribus introvocatæ dicto esse audientem Pontifici Duumvirum juberent*. Et lib. 5. Dec. 4. ubi de rogatione loquitur, quam ferebat T. Sempronius Tribunus plebis de triumpho L. Pauli: *Introvocatæ primæ tribus cum antiquarent*. Et apud Asc. verba Ciceronis pro C. Cornelio hæc sunt: *Nec criminosius tribus ad legem accipiendam, quam ad collegam reddendum privatum introvocare*. Si igitur, ut hi loci ostendunt, introvocabantur his comitiis tribus, necesse est, ubicunque haberentur, seorsum divisas suis locis fuisse singulas tribus priusquam vocarentur; ex quibus deinde locis migrarent, ut per pontes in alium quendam locum introducerentur: quod nos supra ovile & septa appellari diximus. Ad quam rem faciunt verba Dionys. lib. 2. *Tertiis nundinis cum populus frequens convenisset in forum, Tribuni plebis ad comitia Tributa populum vocarunt, designatis in foro suis cuique tribui locis, in quibus seorsum consisterent*. Ut autem omnes, qui ex eadem erant Centuria, viritim rogabantur, ut post numerus iniretur eorum, qui plures fuisse in eadem sententia comperirentur, ita viritim omnes, qui ex eadem tribu erant, rogabantur: ac postquam tota tribus suffragium dixerat, sententiæ numerabantur, ut ea demum sententia tribus renunciaretur, in quam plures consensisse perspicerentur: adeo ut omnia, quæ de renunciatione supra diximus, ad hæc comitia accommodari possint, si tantum pro Centuriis Tribus ponas: nisi quod quædam erant proprie observanda in comitiis Tributis legum, alia quædam in magistratuum, alia in sacerdotum: de quibus mox dicemus, postquam duos locos, unum Ciceronis, alterum T. Livii, consideraverimus. Locus Ciceronis est pro Plancio: *Nam quod primus scivit legem de publicanis, tum, cum vir amplissimus Consul id illi ordini per populum dedit, quod per Senatum, si licuisset, dedisset: si id crimen est, quia suffragium tulit, quis non tulit publicanus? Si, quia primum scivit, utrum id sortis esse vis, an ejus qui illam legem ferebat? Si sortis, nullum crimen est in casu: si Consulis splendor etiam Plancii, hunc a summo viro principem ordinis judicatum*. Ex hoc enim Ciceronis loco intelligi potest, eum qui primus suffragium ferebat, partim sorte deligi solitum, partim voluntate rogatoris. Hactenus enim sors in ea re locum habebat, quatenus Tribum Centuriamve ostendebat, quæ prima roganda esset: reliquum vero erat in voluntate rogatoris, ut ex ea Tribu Centuriave prærogativa aliquem deligeret, quem primum rogaret. Neque enim ita locus Ciceronis est interpretandus, ut sortitionem fieri dicamus inter ejusdem Tribus Centuriæve homines, qui primus rogandus esset. Nam præter id, quod tot sortitiones ponere ineptum est, id vero multo est absurdius, omnes ejusdem tribus homines in cistam conjici ad id modo sortiendum, quis primus esset rogandus: præsertim cum in eo, utrum primus an postremus suffragium diceret, nihil interesse posset, quod ad suffragii vim attinet. Hic etiam locus valet ad confirmandum id, quod paulo ante diximus, Tributis comitiis non alium fuisse rogatorem tribuum, præter ipsum magistratum, a quo habebantur comitia. Hoc enim loco diserte ponitur ipsum Consulem Cæsarem fuisse rogatorem suffragiorum iis comitiis, quibus lex lata est de remittenda publicanis tertia parte vectigalium. Atqui superiore lib. ostendimus, prærogativæ etiam Centuriæ rogatorem fuisse alium a rogatore comitiorum. Locus T. Livii est ad finem lib. 10. Dec. 4. ubi loquitur de Censoribus M. Æmilio Lepido & M. Fulvio Nobiliore: *Mutarunt suffragia, regionatimque generibus hominum causisque & quæstibus tribus descripserunt*. Ac primum quidem quod ait Livius mutata ab his Censoribus suffragia,

non poteſt ad Centuriata comitia pertinere. Perſpicuum enim eſt ex omni hiſtoria, cenſus, ordiniſque & ætatis ſemper habitam rationem Centuriatis comitiis poſt hos Cenſores uſque ad ætatem Ciceronis. Unde efficiebatur, ſemper in eadem tribu ſimul ſuffragium tuliſſe qui eodem cenſu erat. Atqui certum eſt, non omnes cives, qui eodem quæſtu erant in eadem Tribu, eodem cenſu fuiſse. In ſuffragiis ergo centuriatim ferendis non poterat ſervari hæc deſcriptio per quæſtus: quia non potuiſset una quædam Centuria ex hominibus eundem quæſtum facientibus confici. Quandoquidem neceſse erat, ejuſdem Centuriæ homines eodem cenſu eſse: cum tamen fieri non poſset, ut qui eodem quæſtu erant, eodem etiam cenſu eſsent. Deinde vero quomodo potuiſset ætatis ratio haberi? Nam ſi in eadem tribu varias deſcriptiones factas intelligamus, prout diverſos quæſtus facere homines ejuſdem tribus comperiebantur, eaſque deſcriptiones Centurias quaſdam fuiſse dicamus: neceſse erit, ut vel dicamus tot Centurias fuiſse, quot erant in quaque tribu diverſa quæſtuum genera, abſque ulla ætatis juniorum & ſeniorum diſtinctione: vel pro uno quoque genere quæſtus duas fuiſse Centurias in quaque tribu: unam juniorum, alteram ſeniorum. Veluti ſi ſex differentias quæſtus in una tribu admittas, ratione ætatis neceſse fuiſset ponere duodecim Centurias. Quoniam autem cenſus quoque diſtinctio admittenda perinde eſset ut ætatis, neceſsario efficitur, ut pro numero quinque claſſium quinquies duodecim Centuriæ ſtatuerentur. Qua ratione fierent in una tribu ſexaginta peditum Centuriæ. Quæ ſi in omnes partes abſurda ſunt, relinquitur illam tribuum deſcriptionem, cujus meminit illo loco T. Livius, nihil mutaſse in Centuriarum deſcriptione, quæ ſemper Servii inſtituto facta eſt ex ordinibus, cenſu, & ætate: ſed ita accipienda ſunt verba Livii, ut dicamus eos Cenſores non contentos illa, quæ jampridem poſt expletum triginta quinque tribuum numerum facta erat, Centuriarum per tribus deſcriptione, voluiſſe etiam tribus alia quadam ratione diſtingui, nempe generibus, cauſis & quæſtibus: quæ hominum deſcriptio ſervaretur etiam tum, cum tributim populus ſuffragium ferret. Mutarunt igitur iſti Cenſores ſuffragia, quatenus Tributis comitiis voluerunt diſtinctionem eſſe inter homines ejuſdem tribus, per genera, cauſas & quæſtus: cum ante illos Cenſores nulla hujuſmodi diſtinctio obſervaretur. Verum explicemus quid iſta tria ſignificent: tum propius ad modum comitiorum veniemus. Genera hominum diſtinguebantur in eo, quod alii patricii, alii plebeii erant: & ex plebeiis alii ingenui, alii libertini: omninoque alii nobiliores, alii ignobiliores. Generibus ergo hominum deſcripſiſſe tribus iſti Cenſores dicuntur, quod in ſingulis tribubus voluerunt quandam eſſe diſtinctionem inter patricios & plebeios, tum inter ingenuos & eos qui libertini generis eſſent. Quamquam enim in quatuor urbanas tribus deſcripti eſſent libertini, ut docet T. Livius lib. 5. Dec. 5. & Cicero 1. de or. attamen ex iis, quorum majores ſervitutem ſerviviſſent, nonnullos reperimus per ruſticas tribus diffuſos. Id quod ex verbis Livii lib. 5. Dec. 5. apparet: *In quatuor urbanas tribus deſcripti erant libertini, præter eos, quibus filius quinquenni major ex S. C. eſſet.* Hæc verba ſatis oſtendunt, libertinos, quorum filius eſſet quinquenni major, in urbanas tribus deſcriptos non fuiſſe. Ex hac igitur diſtinctione per genera hominum in libertinos & ingenuos poterant ſingulæ tribus admittere. Hanc porro generum deſcriptionem Centuriis accommodare non poſſis. Nam ſi ſervata cenſus, ordinis, ætatiſque deſcriptione, hanc præterea inter ejuſdem tribus homines ponas generum diſtinctionem, oportebit patriciorum in quaque tribu quaſdam eſſe Centurias primi cenſus,

A quaſdam ſecundi, & ita deinceps: & rurſus quaſdam equitum, quaſdam peditum, & juniorum ſeniorumque. Quod ſane abſurdiſſimum eſt, præſertim cum Romæ vix tot eſſent omnes ſimul patricii, quot in una tribu iſta ratione ponerentur. At ſi patriciorum unam Centuriam factam dicas in una tribu, in aliud majus incommodum recidas neceſſe eſt: nempe cenſus, ordinis, ætatiſque omiſſam ab his Cenſoribus diſtinctionem in Centuriarum ſua deſcriptione. Iſta igitur hominum per genera in ſingulis tribubus deſcriptio nihil ad Centurias pertinebat. Quare cum ait Livius mutata ſuffragia, id non poteſt ita accipi, ut rationem ſuffragiorum Centuriatis B comitiis mutatam intelligamus. Reſtat igitur, in hac deſcriptione dicamus mutata fuiſſe ſuffragia Tributis comitiis. Quod non poteſt aliter accipi, quam ut dicamus hos Cenſores inſtituiſſe ferendis tributim ſuffragiis non genera hominum confundi, ut prius: ſed diſtinctis eorum generibus nobiles ſeorſum ab ignobilibus ſuffragium ferre. Qua ratione fiebat, ut dignitatis quidem nobiliorum hominum ratio haberetur, quando non in cætera turba ſuffragium dicebant, ſed ſeorſum ac per ſe: interim tamen quod ad vim ſuffragiorum attinet, non eſſet major eorum poteſtas quam prius. Quandoquidem tribus ea tan- C dem renunciaretur ſententia, in quam plures cujuſque generis inclinaſſent: ac numeri, non dignitatis ſuffragantium hac in re habebatur ratio. Cauſarum & quæſtuum diſtinctionem in eo ponendam eſſe exiſtimo; quod ex plebeiis adeoque ingenuis hominibus ejuſdem tribus alii eſſent, qui ſuo quodam quæſtu viverent exercendis quibuſdam artibus, unde quæſtum facerent: alii nobiliores eſſent, & ſuo quodam ordine cenſerentur: cujus generis erant Senatores, Publicani, Scribæ, Tribuni ærarii, Agricolæ: quorum ordo erat ea dignitate, ut cauſis potius diſtingui quam quæſtu dicerentur. Senatores publico conſilio præerant. Nomine autem Senato- D rum comprehendo Decuriones coloniarum & municipiorum. Publicani redemptores publicorum vectigalium erant. Scribæ in actis publicis ſcribendis verſabantur. Tribuni ærarii in procuratione attributæ pecuniæ. Quia ergo publica negocia gererent inter ſe diverſa, ideo cauſis, hoc eſt, negociis, diſtingui dicuntur. Lictores, præcones, fabri, tibicines, argentarii, nummularii, aliique qui artes exercebant inter cives Romanos receptas, quæſtibus diſtingui dicebantur. Dixi autem artes receptas, quia, ut teſtatur Dion. lib. 2. & 9. Romanis civibus non licebat artes ſellularias, & quas vocant manuarias, exercere. Voluerunt igitur hi Cenſores E in ſingulis tribubus diſtinctionem eſſe inter eas ex cauſis & quæſtibus, hoc eſt, pro ratione negociorum, quibus gerendis occupati eſſent, & pro ratione quæſtus, quem ex ſua quadam arte facerent. Itaque ſeorſum voluerunt deſcriptos eſſe in quaque tribu Senatores, Publicanos, Scribas, Agricolas, Tribunos ærarii, in quibus cauſarum diſtinctionem pono. Itemque ſeparatim deſcripſerunt reliquos cives pro ratione quæſtus, quem ſinguli facerent. Ac diſtinctionem quidem hanc etiamnum ætate Ciceronis obſervari ſolitam hinc intelligi poteſt, quod ordinis publicanorum, ſcribarum, agricola- F rumque ſæpe meminit, quaſi de diſtinctis ordine civibus. Tum vero etiam Tributis comitiis quandam hujuſmodi diſtinctionem obſervari ſolitam ex Cælii ep. 4. ad Ciceronem colligi poteſt. Cum enim Cælius illic mentionem faciat de comitiis Tributis, quibus Dolabella factus eſt Quindecimvir, de equitum ſuffragio ita ſcribit: *Et hercules, niſi noſtri equites acutius vidiſſent, pene concedente adverſario ſuperaſſet.* Hoc eſt, ut ego interpretor, niſi equitum favor in Dolabellam inclinaſſet, Lentulus competitor, vel ipſius Dolabellæ conceſſione, ſuperaſſet. At enim his comitiis quomodo

equitum suffragium distingui potuit a reliquorum suffragiis, nisi in singulis tribubus, quæ vocatæ sunt ad dandum Dolabellæ hoc sacerdotium, seorsum equites suffragium dicebant? Atqui ea Ciceronis ætate equitum ordo in publicanis consistebat, ut docet Plin. lib. 33. cap. 2. *Judicum autem appellatione separari eum ordinem primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam Senatus. Mox ea debellata auctoritas nominis, vario seditionum eventu circa publicanos substitit, & aliquandiu tertiæ vires publicani fuere. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in Consulatu suo, ei Senatum concilians, ex eo se ordine profectum esse celebrans, & ejus vires peculiari popularitate quærens.* Et Cicero pro Plan. ita scribit: *Adjungam etiam, si vis, id quod tu etiam huic obesse putas, patrem publicanum. Qui ordo quanto adjumento sit in honore quis nescit? Flos enim equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipubl. publicanorum ordine continetur.* Ego igitur post illos Censores ita existimo, Tributis comitiis suffragium ferri solitum, ut distinctio esset generum, causarum, & quæstuum: ut seorsum quidem cum tribus vocata erat, suffragium dicerent patricii quotquot in ea tribu erant, qui voluissent comitiis interesse, tum Senatores, deinde Publicani, mox Tribuni ærarii, deinde Scribæ, post Agricolæ, eodemque modo in quæstuum distinctione. Id quod, quemadmodum supra significavi, eo institutum erat, ut dignitatis ratio quædam haberetur distinctis hoc modo ejusdem tribus hominibus: quod effectum esset, ut pares cum paribus conjungerentur, ac non ita confuse absque ullo discrimine suffragium dicerent: non autem, ut vis suffragiorum penes alios esset quam prius. Nam etiam tum una tribus unum suffragium habebat, ac non tot suffragia, quot erant hominum distinctiones in quaque tribu: multo secus, quam in Centuriatis, in quibus tot habebat quæque tribus suffragia, quot erant in quaque Centuriæ. Huc pertinet, quod scribit Dio. 38. libro, de Q. Fusio Caleno Prætore eo anno, quo Cæsar primum Consul fuit, loquens his verbis: *Cum animadvertisset Q. Fusius Calenus confundi omnium simul suffragia, atque inde fieri, ut de suffragiorum eventu singula genera inter se contenderent, ut quod recte statutum esset, id suo suffragio factum dicerent: quod vero male, in alios suffragiorum absurditatem rejicerent: legem Prætor tulit, ut seorsum singuli suffragium dicerent, quo tandem dignosci possent sententiæ, non singulorum quidem hominum, (quod occulte semper fiebat) sed certe singulorum generum.* Ex iis Dionis verbum apertum est, etiam ante hanc legem Fusiam fuisse in singulis tribubus distincta quædam hominum genera, quos ego ordines quosdam, & quasdam distinctiones, quæ eædem essent, aut non valde absimiles iis, quas a Censoribus illis factas scripsimus, interpretor. Ac voce quidem cum suffragium ferebatur, quia seorsum singulæ illæ distinctiones suffragium dicebant, non poterat esse ignotum, quid singulæ sentirent. At legibus tabellariis perlatis, tametsi adhuc distincti essent eodem modo homines ejusdem tribus, quia tamen non fiebat sententiarum renunciatio, nisi conjectis in cistam totius tribus tabellis, propterea fiebat, ut ordinum sententia Tributis comitiis ignota esset: unde oriebatur inter ordines contentio, quam sua lege sustulit Calenus. Constituit enim, ut singulorum ordinum suffragia seorsum renunciarentur, ut ita, quæ esset sententia singulorum, dignosci posset. Nec minus tamen eo modo erat una tribus sententia: siquidem ad extremum non spectaretur quid plures ordines sensissent, sed quid plures omnino homines ejusdem tribus jussissent. Ac de his quidem satis: nunc propria singulorum generum persequamur. In magistratuum comitiis Tributis tot dabantur tabellæ, quot erant candidati, quorum nomen receptum es-

A set, & quoniam triginta quinque tantum tribus erant, oportebat decem & octo tribus ferre quenque candidatum, ut a majore parte populi creatus diceretur. Ut autem quisque prior eum numerum tribuum tulerat, ita prior renunciabatur. Cumque tot creati erant, quot ex lege in eo magistratu esse oportebat, tum finis fiebat comitiis. Veluti Ædilitiis comitiis, quia duo tantum creandi erant, statim ubi ex omni candidatorum numero duo ab octodecim tribubus facti Ædiles erant, finis fiebat vocandarum tribuum. Ac si consensissent in eo illæ octodecim tribus, quæ primæ sorte exierant ad suffragium ferendum, reliquæ tribus non vocabantur: sin B variassent octodecim illæ tribus, quia alios candidatos aliæ tribus fecissent, tum eousque vocandæ erant tribus, dum legitima suffragia duo confecissent, hoc est, donec duo ab octodecim tribubus creati Ædiles essent. Quod autem in duobus Ædilibus dixi, idem in decem Tribunis plebis, & viginti Quæstoribus, & viginti quatuor Tribunis militaribus, & aliis, quotquot creandi essent, ordinariis extraordinariisve magistratibus, dicendum est. Verumenimvero in Tribunorum plebis renunciatione primis quidem temporibus id proprium erat, ut si evenisset ex numero candidatorum decem non confecisse legitima C suffragia, tum ab iis, qui legitima suffragia confecerant, cooptabantur absque suffragio populi, quot erant necessarii ad perficiendum numerum decem Tribunorum. Id quod ex Livio demonstrari potest, cujus hæc verba sunt lib. 3. Decad. 1. *M. Duillius comitia habuit. Et quinque Tribunis plebis creatis, cum præ studiis aperte petentium novem Tribunorum alii candidati tribus non explerent, concilium dimisit, nec deinde comitiorum causa habuit. Satisfactum legi ajebat, quæ numero nusquam præfinito Tribunis modo ut relinqueretur, sanciret: & ab iis, qui creati essent, cooptari collegas juberet. Recitabatque rogationis carmen: Si Tribunos plebis decem rogabo, si qui* D *vos minus hodie decem Tribunos plebis fecerint, hi tum utique, quos sibi collegas cooptassent; ut illi legitimi eadem lege Tribuni plebis sint, ut illi, quos hodie Tribunos plebis feceritis.* Ex iis Livii verbis apparet, primis temporibus eam fuisse rationem Tribunos plebis creandi, quam diximus. Verum ea ratio lege a L. Trebonio Tribuno plebis lata, anno proximo postquam hæc, quæ de M. Duillio diximus, gesta erant, mutata est: ut idem T. Livius paulo post scribit: *L. Trebonius Tribunus plebis rogationem tulit, ut qui plebem Romanam Tribunos plebis rogaret, is usque eo rogaret, dum decem Tribunos plebis faceret.* Hac lege cooptationem subla- E tam esse apertum est. Unde apparet post eam legem si accidisset Tribunos plebis ad numerum legitimum factos non esse, revocandas fuisse tribus ad suffragium, eousque dum decem Tribuni plebis creati essent. Et Appianus lib. 1. bell. civil. scribit, C. Gracchum secundum Tribunatum obtinuisse per legem quandam, qua cavebatur, ut si quis ex candidatis legitima suffragia non confecisset, tum liberum esset plebi, quem vellet Tribunum plebis nominare. Unde intelligi potest, illis comitiis accidisse, ut unus quidam ex candidatis tribus non expleret: idque occasionem plebi dedisse, ut omissis candidatis C. Grac- F chum non petentem, ut asserit Plutarchus, cuique ex lege non liceret eundem magistratum continuare, nihilominus Tribunum plebis crearet. Porro autem Tribus non explere eodem modo interpretandum est, quo supra interpretati sumus Centurias non explere. Quando enim ita varie in candidatos favor inclinabat tribuum, ut omnes candidati tribus quasdam ferrent, sed quæ tamen ad eum numerum in quibusdam candidatis non pervenirent, ut plures tulisse hi dicerentur quam illi: tum non explesse tribus dicebantur. Quæ omnia apertiora fient exemplo subjecto. Ponamus duodecim Tribunatus competitores. Si in no-

vem candidatis conveniant octodecim tribus, ut illi ſemper plura ſuffragia habeant quam reliqui tres: in reliquis vero tribus ita variæ ſint, ut ſinguli ſenas tribus ferant: poſt ſuffragium octavæ & decimæ tribus renunciatum, jam certum erit, novem creatos Tribunos plebis, quia octodecim tribus major pars tribuum ſint. Ex quo ſequitur, novem candidatos jam confeciſſe legitima ſuffragia. Reſtabit igitur creandus ex reliquis tribus candidatis decimus Tribunus plebis. Quod ſi vocandis reliquis ſeptendecim tribubus accidat ita rurſus variare tribus, ut ſuas quaſdam tribus ſinguli ferant, hic rurſus conſiderandus eſt numerus tribuum, quas quiſque feret. Nam ſi unus ad ſex, quas habebat tribus, adjiciat majorem numerum quam reliqui duo, veluti ſi ſeptem unus ferat, cum reliqui duo ſinguli quinas tantum tulerint: tum ſane is, qui tredecim tribus tulit, renunciabitur Tribunus: quia verum ſit plures tribus hunc tuliſſe quam reliqui duo, qui ſinguli undecim tantum tulerunt. In quo obiter animadvertendum eſt, hoc quidem modo Tribunum fieri, qui non octodecim tribus tulit, ſed qui comparatione tantum aliorum candidatorum plura habuit ſuffragia. Sin accideret, ut duo rurſus ſenas tribus ſinguli ferrent, tertius vero quinque tantum, quia pares erant ſuffragiis illi duo, qui plures tribus tulerant, neuter poterat Tribunus declarari: quo caſu dicebantur illi tribus non explere. Itaque revocandæ erant tribus ad creandum decimum Tribunum plebis. Ad hujus exempli ſimilitudinem multa alia fingi poſſunt. Veluti ſi in ſeptem candidatis ita variaſſe tribus ponas, ut ſinguli quinas habeant tribus; tum nemo eorum renunciari poterit. Neque vero hac tantum tribuum paritate id accidere poterat, ſed etiam ſi accidiſſet, ut paria haberent in tribubus ſuffragia duo, treſve, aut etiam plures candidati: quia in qua tribu paria habent ſuffragia candidati, eam nemo eorum tuliſſe dicetur. Quibus ergo caſibus non confecerant candidati Tribunitii legitima ſuffragia, his per legem Treboniam revocandæ erant ad ſuffragium tribus. Quod idem in comitiis Ædilium non fiebat. Nam ſi quando accidiſſet pares ſuffragiis eſſe candidatos, non revocabantur tribus, ſed ſorte decernebatur, cui cederet magiſtratus. Id quod ex Cicerone demonſtrari poteſt, cujus hæc verba ſunt pro Plancio: *Neque enim unquam majores noſtri ſortitionem conſtituiſſent Ædilitiam, niſi viderent accidere poſſe, ut competitores pares ſuffragiis eſſent.* Porro autem, quod Cicero in paritate ſuffragiorum nominatim Ædilitiam ſortitionem ponit, argumento eſſe videtur, non fuiſſe eandem in cæteris magiſtratibus rationem. Itaque in Quæſtoris comitiis hoc idem factitari ſolitum exiſtimo, quod in Tribunitiis, ut revocarentur potius tribus, quam ut ſorti res committeretur. In Tribunorum vero militarium comitiis, ſi ad legitimum numerum non pervenerant, qui creati erant, Conſulis, ut opinor, hac in re judicio ſtabatur. Erat enim is magiſtratus, quem Conſul creare poſſet. Nam, qui Rufuli appellabantur, omnes ab imperatoribus, non a populo creabantur. In extraordinariis vero magiſtratibus idem quod in Tribunis plebis ſentiendum eſt. Id enim totum ſui judicii eſſe populus volebat, ut Cicero indicat in 2. orat. in Rull. *Etenim cum omnes poteſtates, imperia, curationes ab univerſo populo Romano proficiſci convenit, tum ea profecto maxime, quæ conſtituuntur ad populi fructum aliquem & commodum.* In legum comitiis Tributis idem modus omnino, qui Centuriatis, ſervabatur. Quod vero attinet ad comitia judiciorum, eam Cicero pro domo ſua docet fuiſſe rationem, ut nemo niſi prædicta die accuſaretur: tum ut magiſtratus ter reum ante accuſaret, quam mulctam irrogaret: hac vero irrogata trinundino prodenda erat dies, qua ad populum mulcta certanda

A eſſet: quæ dies cum adveniſſet, quarta accuſatio fiebat a magiſtratu. Cætera, quæ ad modum judiciorum attinent, poſſunt ex T. Livio colligi: ubi de judicio P. Africani ſcribit lib.8. Dec.4. & ex aliis Ciceronis locis. Cum dies dicendæ cauſæ advenerat, atratus reus, &, ut ait Cicero, ſordidatus, barba & capillo promiſſo, (hic enim reorum habitus eſſe ſolebat) a magno amicorum item atratorum comitatu in forum deduci ſolebat. Magiſtratus interim in roſtris ſedebant, reus ſub roſtris ſtabat, populus ante roſtra in comitio erat. Plutarchus enim in vita Gracchorum oſtendit, ſic roſtra fuiſſe ædificata, ut qui inde conciones haberent, comitium & curiam B ſpectarent: ſed ita tamen, ut etiam liceret in forum ſe convertere: ſicut factitaſſe Caium Gracchum memoriæ mandavit. Quia igitur comitium foro junctum erat, propterea fori nomine ſæpe etiam comitium, ut ejus pars quædam, comprehendebatur. Sed hæc obiter dicta ſint. Præco interim, cum magiſtratus juſſerat, ex roſtris reum citabat. Qui ſi vellet pro ſe dicere, in roſtra aſcendebat, ut inde orationem haberet ad populum. Sin per alium ſe vellet defendere, is item juſſu magiſtratus in roſtra aſcendebat, reumque defendebat. Quod ſi orationibus tempus uſque eo conſumeretur, ut non C ſatis videretur reſtare temporis, quo ante noctem peragi comitia poſſent, dies producebatur: hoc eſt, in alium comitialem diem differebatur populi judicium. Qui dies cum veniſſet, idem quod priori die peragebatur: niſi quod ſpatium dicendi fere magiſtratus conſtituebant. Cum dicendi finem utrinque feciſſent, populus in ſuffragium mittebatur. In quo non eædem dabantur tabellæ, quæ judicibus, condemnandi, abſolvendi & ampliandi; ſed quales in legibus ferendis, *Uti rogas*, & *Antiquo*: lege enim lata mulcta dicebatur, quæ lex ſi a populo acciperetur, tantæ pecuniæ damnatus erat reus, quanta erat mulcta, quam dixerat magiſtratus: ſin D populus antiquaret, abſolvebatur. Neque vero ex eo, quod ſupra roſtra comitiumque appellavimus in judicio populi deſcribendo, exiſtimandum eſt, eo tantum in loco comitia de mulcta haberi. Nam aliis quoque in locis haberi poſtea demonſtrabimus: ſed quia eo in loco ſæpius id uſu veniebat, propterea eum locum potiſſimum accepimus: ſed ita, ut de aliis locis idem vellemus, quod de hoc, intelligi. Ad modum etiam horum comitiorum pertinet quod Cicero ita ſcribit pro domo ſua: *Denique ſi qua res illum diem aut auſpiciis aut excuſatione ſuſtulit, tota cauſa judiciumque ſublatum eſt.* Ex hoc E enim loco apparet, in reorum favorem proprie inſtitutas fuiſſe has duas rationes effugiendi judicii; quarum una erat in auſpiciis, quæ ſi diem judicii diffunderent, totum judicium ſublatum erat, benigna ſcilicet voluntatis deorum interpretatione, quaſi nollent omnino de hoc reo damnando cum populo agi, quando bona auſpicia non dediſſent. Altera cauſa erat in excuſatione legitima: quæ ſi die judicii obtendi poterat, tota cauſa (inquit Cicero) tollebatur: ita ut reus non poſſet hoc nomine cauſam dicere, niſi renovato de integro toto judicio, perinde ac ſi nihil priore actum eſſet. Erant autem excuſationes legitimæ, morbus: quomodo excuſatum dicit fuiſſe P. Africanum T. Livius: exilium F voluntarium, quomodo Cæſo Quintius excuſatus eſt. De quo Livius lib. 3. Decad. 1. ita ſcribit: *Judicii die cum excuſaretur ſolum vertiſſe exilii cauſa, nihilominus Virginio comitia habente, collegæ appellati dimiſere concilium.* Item funeris familiaris procuratio; aliæque hujus generis, quæ ex jure civili colligi poſſunt. Quod vero attinet ad ſacerdotum comitia, in his id jam diximus proprium fuiſſe, quod ſeptemdecim tantum tribuum ſuffragio ſtaretur, earum, quibus id ſorte obtigiſſet. Itaque propter incertum ſortis beneficium omnes tribus con-

veniebant, ut nulla se exclusam conqueri posset: sed in sortem tantum id rejicere poterant, quæ in suffragium vocatæ non erant. Statim ergo ut unus competitorum novem tribus tulerat, sacerdos renunciabatur. Aut si ita variassent tribus, ut nullus competitorum novem ferret tribus, tum qui plures tulerat, reliquos superabat. Sin suffragiis pares essent, tum revocari tribus oportuisse existimo: nisi potius hac in re collegii judicio staretur, ut is sacerdos esset, quem potissimum cooptassent. Neque vero hoc loco est omittendus Ciceronis locus in 2. Philip. in quo ita scribitur: *Quo enim tempore me augurem a toto collegio expetitum Cn. Pompeius & Q. Hortensius nominaverunt, (neque enim licebat a pluribus nominari) nec tu solvendo eras, nec te ullo modo nisi eversa Repub. fore incolumem putabas.* Alius est locus in principio Bruti, ubi de Q. Hortensio defuncto ita loquitur: *Et interitu talis auguris dignitatem nostri collegii diminutam dolebam. Qua in cogitatione & cooptatum me ab eo in collegium recordabar, in quo juratus judicium dignitatis meæ fecerat: & inauguratum ab eodem, ex quo augurum institutis in parentis eum loco colere debebam.* In his duobus locis multa observari possunt, quæ ad modum creandorum sacerdotum pertinent. Primum, quod nominatio erat necessaria iis, qui petitionem sacerdotii profiteri volebant. Id quod ex ep. M. Bruti ad Ciceronem, cujus initium est, *Bibulus*, confirmari potest. Rogat enim Brutus Ciceronem, quoniam in locum Pansæ demortui auguratum petere constituerat Bibulus, ut nominationem ei concederet. Verba Bruti hæc sunt: *In Pansæ locum petere constituit. Eam nominationem a te petimus. Neque conjunctiori dare beneficium, quam nos tibi sumus, neque digniorem nominare potes quam Bibulum.* Eodem pertinet, quod primo ad Herennium ita scribitur: *Altera lex jubet augurem in demortui locum in concione nominare.* Ex his perspicuum est, petitionem sacerdotii neminem profiteri potuisse, qui non sibi aliquem ex collegio conciliasset, a quo in concione nominaretur. Tum illud animadvertendum est, quod ait non licuisse, ut quis a pluribus quam duobus e collegio nominaretur. Porro autem ex verborum contextu colligo, satis quidem fuisse ab uno nominari, sed non licuisse, ut a pluribus quam duobus nominaretur. Nam, quod unus Cicero a Bruto rogatur ad nominandum Bibulum, quodque Cic. id quasi singulare aliquid adscribit, quod a duobus nominatus est, argumento esse potest, satis quidem fuisse ab uno nominari, sed lege cautum fuisse, ut ne a pluribus, quam duobus quis nominari posset. Illud quoque notandum, quod ait juratum Hortensium suæ dignitatis judicium fecisse: ex quo colligi potest, oportuisse eum, qui aliquem nominaret, publice jurare, dignum esse eum, quem nominaret, eo sacerdotio, de quo ageretur. Quod ego juramentum eo institutum fuisse puto, ne quem suffragiis suis populus indignum sacerdotio crearet. Postremo, illud non est omittendum, quod ait Cicero, se ab Hortensio inauguratum. Hanc vero inaugurandi rationem communem fuisse omnibus sacerdotiis ex Livio intelligi potest: apud quem passim inaugurandi verbum reperitur, ubi de sacerdotum in locum demortuorum suffectione mentio est: sumiturque fere apud eum pro eodem, creare sacerdotes, & inaugurare sacerdotes. Inaugurati autem proprie dicebantur sacerdotes, quando adhibitis ad deos consulendos auguribus pronunciati erant diis ad fugendum sacerdotium. Atque ante legem quidem Domitiam omnino cooptabatur in collegium, qui inauguratus erat. At post legem Domitiam omnes competitores inauguratos esse oportebat, sed is solum cooptabatur, quem populus creasset. Nam, si in quibus sacerdotiis ante legem Domitiam populi suffragio opus erat, in iis post competitorum inaugu-

A rationem populi habebantur comitia, quemadmodum nos supra ostendimus in Regis sacrorum ac flaminum creatione: pari profecto ratione dicendum est in his creandis sacerdotibus, qui lege Domitia suffragiis populi fieri cœperunt, inaugurari ante competitores oportuisse, quam de his comitia haberentur. Si enim post comitia iis inaugurandis auspicia captanda fuissent, illis non addicentibus cooptari non potuisset, quem populus creasset, nec fuisset necesse hac in re stare populi judicio. Ac si forte evenisset, ut post comitia in uno qui creatus esset, auspicia non addixissent, rursus ad creandum alterum habenda fuissent comitia. In quo si rursus evenisset

B auspicia non bona esse, iterum vocanda fuissent comitia. Idemque dici potest in tertio & quarto competitore, si (ut usu venire poterat) tot esse accidisset. Hac igitur ratione efficiebatur, ut bis, ter, quaterve frustra populus in suffragium mitteretur ad unum sacerdotem creandum. Quod sane est absurdissimum. Itaque dicendum est, inaugurationem quidem fieri antequam populus in suffragium mitteretur, sed quia non alios populus creabat, quam qui ab aliis sacerdotibus inaugurati essent, ita ut judicium sacerdotum populus confirmare tantum videretur; idcirco factum est, ut apud Latinos auctores

C totum hoc creandorum sacerdotum negotium verbo inaugurandi contineretur: ita ut inauguratum fuisse aliquem sacerdotem dicant, cum factum fuisse sacerdotem dicere volunt. Post dicta suffragia, in magistratuum creatione eadem fere, quæ post Centuriata, fiebant. Postquam enim a præcone & a magistratu renunciati erant, quos populus crearat, domum a frequenti amicorum comitatu deducebantur. Post legum comitia, id modo restabat, ut publicarentur. Id quod æneis tabulis per fora & templa fixis fieri solebat. Tacitus lib. 11. *Aspiciuntur etiam nunc in ære publicandis plebiscitis per fora ac templa fixo.* In judiciorum vero comitiis si damnatus erat

D reus, ilico prædes dare solvendæ mulctæ cogebatur: alioqui in vincula duci jubebatur a magistratu. Id quod ex historia L. Scipionis Asiatici intelligi potest, apud A. Gellium lib. 7. c. 19. & T. Livium lib. 8. Decad. 4. Atque illa quidem de modo comitiorum sufficient. De loco pauca dicamus.

CAP. V.

De loco Tributorum comitiorum.

E TRIBUTIS comitiis vocandis non erat unus destinatus locus, quemadmodum Centuriatis: quia religio non erat, extrane an intra pomœrium haberentur. Ac magistratuum quidem omnia Tributa fere in campo Martio habebantur. Cicero ad Attic. 1. epist. *In campo comitiis Tribunitiis ad 16. Cal. Sext.* Et lib. 4. epist. ad Attic. in epist. de Eutychide, cum de ambitu candidatorum Consularium & Tribunitiorum scribere ad Atticum incipit, his verbis utitur: *Sequere nunc me in campum.* De Quæstorum vero comitiis idem Cicero ad Curium scribens lib. 7. Epist. Fam. *In campo certe non fuisti, cum hora secunda comitiis Quæstoriis institutis.* Æ-

F dilium autem comitia, quod in campo haberentur, ex epist. ad Attic. lib. 4. cujus initium est, *Avere te certo scio*, intelligi potest. Illic enim Cicero loquens de comitiis, quibus Aedilis fieri volebat Clodius, ita scribit: *Nisi Milo in campum obnunciasset, comitia futura erant ante diem duodecimum Calen. Decemb. Milo ante mediam noctem cum magna manu in campum venit. Clodius cum haberet fugitivorum delectas copias, in campum ire non est ausus.* Quin tamen alibi etiam hæc comitia haberi possent, negari non potest. Nam, post ejectos Decemviros,

cum Tribunorum plebis habuit comitia Q. Furius Pontifex maximus, ea habita fuisse in pratis Flaminiis, qui post fuit circus Flaminius, T. Livius lib. 3. Dec. 1. scribit. In Capitolio habebantur comitia, quibus iterum Tribunus plebis creari volebat Tib. Gracchus, auctoribus Appiano & Plutarcho. Sed & comitia Aedilium, quod in foro, adeoque in comitio haberi possent, verba Ciceronis ex eadem epist. lib. 4. ad Attic. ostendunt: *Metellus tamen postulat, ut sibi postero die in foro obnuncietur. Nihil esse quod in campum nocte veniretur: se hora prima in comitio fore. Itaque ante diem undecimum Cal. in comitium Milo de nocte venit.* Quod vero extraordinarii magistratus alibi quam in campo creari possent, argumento esse potest, quod in Capitolio creati sunt Triumviri agrarii ex lege Tiberii Gracchi. Cicero enim lib. 1. de Nat. deorum scribit, M. Octavium Tribunatu privatum a Graccho fuisse in Capitolio. Et Appianus Plutarchusque eodem ipso loco statim creatos fuisse Triumviros scribunt. Legum comitia plurimum in comitio haberi solita vel hinc intelligi potest, quod Cicero in orat. pro Rabirio Posthumo indicat, ex Rostris leges ferri solitas. Verba ejus ad equites Rom. hæc sunt: *Si jam vobis nunciaretur in Senatu sententias dici, ut his legibus teneremini, concurrendum ad Curiam putaretis: si lex ferretur, convolaretis ad Rostra.* Erant autem Rostra, tribunal aut suggestus, unde conciones fere habebantur: sic dicta a rostris navium, quæ huic erant præfixa. Plinius lib. 16. cap. 11. *Antea rostra navium tribunali præfixa foro decus erant: veluti populo Romano ipsi corona imposita.* Et Livius lib. 8. Decad. 1. *Naves Antiatium partim in navalia Romæ subductæ, partim incensæ: rostrisque earum suggestum in foro extructum adornari placuit: Rostraque id templum appellatum. Erant autem Rostra*, ut ait Asconius, *ad Comitium, prope juncta Curiæ.* Itaque cum ex Rostris conciones habebantur, populus in comitio stabat, ut ante diximus: a quo etiam populi in eum locum conventu nomen habuit: vocaturque a Græcis auctoribus ἐκκλησιαςήριον. Quanquam autem hæc pars fori quædam esset, concionibus populi proprie destinata: unde etiam fit, ut Plinius & Livius in foro Rostra ponant, & leges fere in foro latæ dicantur, quæ in comitio latæ erant; attamen cum proprie forum accipiebatur, diversum erat a comitio, ut ex multis locis Ciceronis & aliorum ostendi potest. Ad Heren. lib. 2. *In comitio aut in foro ante meridiem causam conjicito.* Pro Sestio: *Cum forum, comitium, curiamque multa de nocte armatis hominibus occupavissent.* Et paulo post de Q. Fratre loquitur hoc modo: *Pulsus e Rostris in comitio jacuit.* Svet. in Cæsare: *Ædilis præter comitium ac forum, Basilicasque, etiam Capitolium ornavit.* Quod vero dixi, comitium locum fuisse proprie destinatum concionibus populi, non ita accipi debet, quasi velimus eo populum non convenire solitum, nisi ut verba ad eum ex Rostris fierent. Cicero enim in Bruto minora quædam judicia apud unum judicem in comitio exerceri solita, ostendit his verbis: *Quare si anguste & exiliter dicere est Atticorum, sint sane Attici: sed in comitium veniant, ad stantem judicem dicant: subsellia grandiorem & pleniorem vocem desiderant.* His verbis Cicero demonstrat, judices quosdam a Prætore datos, in comitio stantes judicare solitos. Unde etiam (ut id παρέργως dicam) pedaneos judices primum appellatos credo, delegatos minorum causarum judices, quod judicando pedibus starent, ac non in subselliis sederent. Quinetiam Prætorem urbanum in comitio jus dixisse, Plaut. in Pœnulo indicat his verbis:

Nam istorum nullus nefastu'st, comitiales sunt meri.
Ibi habitant, ibi eos conspicias quam Prætorem sæpius.

Et A. Gellius lib. 20. cap. 1. *Inter eos dies trinis nundinis continuis ad Prætorem in comitium producebantur: quantæque pecuniæ judicati essent, prædicabatur.* Hi loci manifesto indicant, Prætorem urbanum in comitio jus reddidisse, & litium etiam causa in comitium convenire populum. Veruntamen, quia Prætori urbano suum quoddam tribunal erat, in quo sedendi multis cum Prætore locus esset, ut Cicero 1. de orat. ostendit, apud quem Crassus ita loquitur: *Quid his paucis diebus, nonne nobis in Tribunali Q. Pompeii Prætoris urbani familiaris nostri sedentibus?* In quo Tribunali sella Curulis Prætoris statuebatur, in qua sedens jus reddebat. Propterea hoc Prætoris Tribunal ita ad comitium ædificatum fuisse existimo, ut longe a Rostris disjunctum esset: alioqui simul ex Rostris conciones haberi, & jus a Prætore reddi ex suo Tribunali non potuisset: quod tamen secus esse cum per se manifestum est, tum vero ostendi potest ex his verbis Ciceronis pro Flacco: *Hic in gravissima, & moderatissima civitate, cum est forum plenum judiciorum, plenum magistratuum, plenum optimorum virorum & civium, cum speculatur atque obsidet Rostra vindex temeritatis, & moderatrix officii Curia; tamen quantos fluctus excitari concionum videtis?* Quoniam ergo una ex parte Rostra comitium spectaret, ex altera parte Prætoris urbani Tribunal, idcirco pari ratione utraque in comitio fuisse non male dici possunt. Verum redeamus unde digressi sumus. Erat igitur comitium, ea pars fori quæ potissimum concionibus & comitiis populi destinata erat. His porro habendis comitiis septa quædam fuisse, quo introvocarentur tribus, cum suffragium inibant, cum ipsum introvocandi verbum argumento esse potest, tum vero quod lege Maria per pontes suffragium ferri his etiam comitiis, quæ in foro habebantur, conveniebat: ut nos supra ostendimus, cum de pontibus disputavimus: Neque enim pontes intelligere possumus viam fuisse, qua suffragatores introvocarentur, nisi in ingressu septorum quorundam hos pontes fuisse institutos concipiamus. Neque enim aliud erant hujusmodi pontes, quam angustæ quædam substructiones ex tabulatis, gradibus e solo sublatæ, ad id institutæ, ut per eas suffragium ferretur absque omni fraude ac confusione. Quod vero pontes hujusmodi in ea parte fori essent, qua erat comitium, ex eo loco Ciceronis ostendi potest, qui habetur 1. lib. ad Att. Illic enim Cicero ostendit concilium illud populi ad Rostra fuisse: unde habuit concionem ad populum Cato, & alii optimates, a quibus dirempta sunt comitia: *Operæ Clodianæ pontes occuparant, tabellæ ministrabantur ita, ut nulla daretur, Uti rogas. Hic tibi Rostra advolat Cato: convitium Pisoni Consulari mirificum facit: si id est convitium vox plena gravitatis, plena auctoritatis, plena denique salutis. Accedit eodem etiam noster Hortensius, multi præterea boni: insignis vero opera Favonii fuit. Hoc concursu optimatum comitia dimittuntur.* Ex iis ergo locis apparet, sicut erant in campo Martio septa quædam, ita in comitio fuisse, quo introvocari dicebantur qui suffragium inibant. Septorum sane quorundam, quæ in foro essent, meminit Cicero pro Sestio: *Venit in templum Castoris, obnunciavit Consuli: cum subito manus illa Clodiana in cæde civium sæpe jam victrix exclamat, incitatur, invadit. Inermem atque imparatum Tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis septorum & fustibus.* Neque vero in comitio tantum legum habebantur comitia, sed etiam interdum in Capitolio, ut lex agraria Tib. Gracchi in Capitolio perlata est, rogatio de triumpho L. Pauli in Capitolio lata est, ut scribunt Plutarchus in vita Pauli & T. Livius lib. 5. Dec. 5. Opimius de abrogandis C. Gracchi legibus in Capitolium comitia edixit, ut ait Plutarchus in vita Gracchorum. Nonnunquam etiam in circo Flaminio comitia habebantur. Rogatio enim, quam ferebat Bibulus Tribunus plebis de abrogando Marcello imperio, in circo Fla-

minio antiquata est, ut scribunt Plutarchus in Marcello & T. Livius lib. 7. Decad. 3. In judiciorum autem comitiis idem quod de legum comitiis dicendum: neque enim in comitio tantum habebantur, sed etiam in Capitolio. Livius enim lib. 5. Dec. 3. de comitiis agens, quibus de mulcta M. Posthumio Publicano irrogata populus judicabat, in Capitolio ea haberi scribit. Quod vero multa in comitio dici soleret, argumento esse possunt verba A. Gellii lib. 11. cap. 1. *Cum autem usus & mos sermonum is sit, & ita tunc loquamur, ut plerique veterum locuti sunt, mulctam dixit, & mulcta est, non ab re putavi notare, quod M. Cato aliter dixit. Nam in 4. Originum verba hæc sunt: Imperator noster, si quis* B *extra ordinem depugnatum ivit, ei mulctam facit. Potest autem videri consulta elegantia vitasse verbum: cum in castris, & in exercitu mulcta fieret, non in comitio nec ad populum diceretur.* Ac de comitiorum quidem Tributorum loco hactenus dictum sit. Restat ut de tempore pauca dicamus.

CAP. VI.

De tempore comitiorum Tributorum.

COMMUNE omnibus comitiis erat, ut nisi comitiali die, non possent haberi, ut nos supra docuimus. Id quod cum hac exceptione intellectum volo, nisi nominatim, ut aliis etiam diebus cum populo agere sibi liceret, quisquam legem tulisset. Quod fecisse P. Clodium in Tribunatu scribit Cicero pro Sestio: legem enim inter alias tulit, ut omnibus fastis diebus legem ferre liceret. Erat etiam hoc omnibus comitiis commune, ut cum populo agi non liceret ante primam horam diei. Ita enim legibus cautum fuisse scribit Dion. lib. 39. ubi dicit, Prætorem Ser. Galbam de triumpho C. Pomptini D rogationem male tulisse, quod summo mane ante primam horam diei comitia habuisset. Quo pertinent verba Ciceronis lib. 4. ad Att. *Pomptinus vult ad quartum non. Novemb. triumphare. Huic obviant Cato & Servilius Prætores, & Q. Mutius Tribunus plebis. Negant enim latum de imperio. Et est latum hercule insulse.* Cum enim lex de triumpho Proprætoris & Proconsulis id continere deberet, ut liceret ei, qui triumpharet, cum imperio esse eo die, quo urbem ingrederetur, ideo Cicero eam legem appellat de imperio: quæ lex insulse lata dicitur, quia occulte ante primam horam diei lata esset. Porro autem, ut propius tempus comitiorum definiamus, id non potest, nisi in ordinariis magistratibus, fieri. Nam legum judiciorumque & extraordinariorum magistratuum comitia certum tempus habere non poterant: quandoquidem pro publica necessitate ac voluntate magistratuum variis anni temporibus haberentur. Sacerdotum comitia, cum erat in demortui locum sufficiendus alius, non alias, habebantur: nisi aut novi instituerentur sacerdotes, aut numerus in collegiis augeretur. Ordinarii vero magistratus fere ad finem mensis Julii, & principium Augusti creabantur. Ac Tribunorum quidem Aediliumque plebis comitia prima erant: cæterorum magistratuum prima erant Consularia, tum Prætoria, mox Aedilitia, post Quæstoria, postrema Tribunorum militum. Ac Tribunitia quidem comitia eo, quo dixi, tempore prima haberi Cicero in prima epist. ad Atticum indicat: *In campo comitiis Tribunitiis ad* XVI. *Calend. Sextil.* Nam quod paulo post facit mentionem candidatorum Consularium illius anni, satis indicat nondum fuisse Consules creatos.

A Atenim Cicero 2. in Verr. & in eum scribens Asconius, ostendunt, Prætoria Aedilitiaque comitia post Consularia fuisse. Et Cælius ad Ciceronem scribens, indicat Tribunos Aedilesque plebis jam creatos, cum adhuc sua comitia, quibus fieri Aedilis Curulis volebat, non essent habita: ubi ostendit Calend. Sextil. jam fuisse creatos Tribunos plebis, Consules, & Prætores, cum adhuc Aediles Curules creati non essent. Quod vero etiam hoc tempore crearentur Tribuni militares, ex 2. orat. in Verrem intelligi potest. Cum enim nonis Augusti illa oratio haberetur, ut ipse Cicero testatur, in ea oratione jam designatus in annum sequentem magistratus fuisse ostendit: inter quos etiam Tribunos militares eo loco enumerat. Quod autem Quæstores & Tribunos militares postremos feci, præter id quod Dion. lib. 39. diserte asserit Ædiles ante Quæstores designari oportuisse, hac etiam ratione adducor, quod non possent minores magistratus rogari, nisi creatis majoribus. Nam quorsum minores, qui erant majorum veluti administri, creaveris, non creatis majoribus? Aut, si accidisset creatis minoribus majorum impediri comitia, quomodo summa Reip. poterat in minorum magistratuum potestatem devenire? Hoc igitur, quo dixi, ordine, & eo tempore creari magistratus solebant, nisi aut obnunciationibus aut interC cessionibus differrentur comitia. Verum ista de his temporibus intelligi debent, quibus Cal. Jan. magistratus inibatur. Nam superioribus ætatibus creatio magistratuum (præter Tribunos Ædilesque plebis) eo tempore fiebat, quod superiore libro diximus Consules tum creari solitos. Ego vero propterea Tribunos Aedilesque plebis excepi, quia non eodem tempore inibant magistratum, quo cæteri magistratus. Nam postquam primum creati sunt Tribuni plebis, semper mense Decembri magistratum inierunt: ut ex verbis Dionysii lib. 6. apparet, ubi de primis Tribunis plebis ita scribit: *Tribunitiam potestatem primi inierunt illi quinque ad quartum idus Decembres, quemadmodum etiam ad nostram usque ætatem fit.* Et T. Livius ad finem libri 9. Dec. 4. *Antiatem auctorem refellit Tribunus plebis M. Nevius, adversus quem oratio inscripta P. Africani est. Nevius hic magistratum non iniit Tribunatus plebis P. Claudio L. Porcio Coss. sed iniit Tribunatum App. Claudio, M. Sempronio Coss. ad quartum idus Decembres. Inde tres menses ad idus Martias sunt, quibus P. Claudius, L. Porcius Consulatum inierunt.* Asconius vero scribens in eum Ciceronis locum ex 2. orat. in Verr. *P. Sulpitius judex tristis, & integer magistratum ineat necesse est nonis Decembris.* Dicit Tribunos plebis eo die nonarum Decembris magistratum E inire solitos. Tres igitur illi auctores in hoc conveniunt, quod mense Decembri magistratum inirent Tribuni plebis, verum in die dissentiunt. Quam ego controversiam sic dirimi posse existimo: si dicamus ætate Ciceronis diem ineundi Tribunatus fuisse nonas Decembris: at superiori ætate fuisse ad quartum idus Decembris. Quod vero Dionysius scribit, ad suam usque ætatem idem fieri solitum, ita accipiendum est, quasi propter quatuor dierum spatium, quo postremis temporibus dies ineundi Tribunatus solennis mutata est, noluerit subtilem computationem facere. Ex his perspicuum est, non potuisse F superioribus illis temporibus comitia Tribunorum Aediliumque plebis eodem tempore haberi, quo cæterorum magistratuum. Nam Decembri mense inire magistratum oportebat Tribunos, cum fere magistratibus aliis sufficiendis comitia ante Januarium mensem non haberentur. Sed de tempore, omninoque de Tributis comitiis satis superque dictum est.

DOCTISSIMI VIRI

D. NICOLAI GRUCHII ROTOMAGENSIS, DE COMITIIS ROMANORUM

LIBER TERTIUS.

CAP. I.

Quid eſſent Curiata Comitia.



URIATA comitia a Curiis perinde nomen habuerunt, ut tributa a Tribubus, & Centuriata a Centuriis. Ac Romuli quidem inſtituto Curias numero triginta fuiſſe: eumque numerum ad extrema uſque Reip. tempora perduraſſe, ſuperiore lib. demonſtravimus, cum a Tribubus Curias ſemper fuiſſe diverſas oſtendimus. De earum nomine parum inter auctores convenit. T. Livius Sabinarum virginum nomen habuiſſe ſcribit. Verba ejus hæc ſunt: *Itaque cum populum in triginta Curias divideret, nomina earum Curiis impoſuit. Id non traditur, cum haud dubie aliquanto numerus major hoc mulierum fuerit, ætate an dignitatibus ſuis virorumve, an ſorte lectæ ſint, quæ nomina Curiis darent.* Plutarchus contra ita ſcribit: *Curias quidam perhibent a Sabinis mulieribus nomen traxiſſe: ſed hoc mendacium eſſe deprehenditur. Nam multis illarum a locis nomina impoſita ſunt.* Et Dionyſ. lib. 2. *De honoribus habitis virginibus Sabinis diſſentiunt Romani ſcriptores. Quidam enim ſcribunt inter alia id eis tributum, ut triginta Curiæ earum nominibus appellarentur: tot enim fuiſſe, quæ legationem ſuſcepiſſent. Terentius autem Varro cum iis hac in re non conſentit. Dicit enim jam ante nomina Curiis fuiſſe impoſita a Romulo in prima diviſione populi, partim a principibus viris, partim ex locis ſumpta. Nec vero 30. tantum mulieres legationem ſuſcepiſſe, ſed quingentas & viginti ſeptem.* Verum minus nobis de nomine laborandum eſt, id potius proſequendum, ut quid qualeſque eſſent hæ Curiæ, doceamus. Dion. lib. 2. ita ſcribit de Romulo: *Diviſa in tres partes omni multitudine, ſingulis partibus præfectum conſtituit eum, quem illuſtriſſimum ac nobiliſſimum cenſebat. Tum ſingulas trium partium rurſus in decem partes diſtribuit: totidemque ſingulis præfectos dedit, qui eſſent fortiſſimi. Ac majores quidem partes Tribus, minores Curias appellavit, ut etiam ad noſtram uſque ætatem vocantur. Quæ verba ſic Græce reddere poſſumus, ut Tribus ſit* φυλὴ *&* τριττὺς*: Curia autem* φρατρία *&* λόχος*. Et ii quidem, qui Tribuum præfecti erant,* φύλαρχοι *&* τριττύαρχοι*, quos Romani vocant Tribunos. Curiarum vero,* φρατρίαρχοι *&* λοχαγοὶ*, quos illi Curiones appellant. Diviſæ autem rurſus ſunt Curiæ in Decurias: vocabaturque ſingularum præfectus, Decurio. Poſtquam autem hoc modo omnes in Tribus & Curias deſcripti ſunt, ſolum urbanum univerſum in triginta æquales partes diſtribuit, ac ſingulis partibus ſuam Curiam attribuit, exempta ex ſingulis tantilla portione, quæ ſufficeret templis delubriſque conſtruendis: ſimulque parte aliqua in commune relicta.* Et alio loco ejuſdem libri de eodem Romu-

A lo: *Sacra ſua ſingulis Curiis conſtituit, ſuis cuique divis, quos venerari ſemper deberent, aſſignatis. Et ſacris faciendis certos ſumptus definivit, quos ex ærario ſuppeditari oporteret. Porro autem una cum ſuis ſacerdotibus, ſacris ſibi ſolennibus peragendis Curiales adeſſe oportebat: unaque epulabantur feriis in curialibus tricliniis cœnaculiſve. Erant enim ſuæ cuique Curiæ cœnationes, in quibus communis veluti focus ſingulis Curiis conſecratus erat: haud ſecus quam apud Græcos in* πρυτανείοις. *Hujuſmodi autem ædes Curiarum nomine etiam Curiæ appellabantur: quod nomen noſtra adhuc ætate retinent.* Et alio loco ejuſ-
B dem libri: *In omnibus Curiis Junoni Quirinæ aræ poſitæ ſunt: quæ etiamnum hoc noſtro tempore ponuntur.* Et eodem libro de Numa loquens: *Unum ſacerdotum collegium fecit triginta Curionum: quorum* (ut dixi) *munus erat, pro Curialibus ſacra facere.* Et paulo poſt: *His quidem de cauſis Romulus non fecerat commune totius urbis templum Veſtæ, nec Veſtales virgines inſtituerat: ſed in unaquaque triginta Curiarum ſuam quandam Veſtam ſtatuerat, in qua epulabantur: ſacerdotes autem peragendis ſacris non alios, quam præfectos Curiarum.* Et Pomp. in leg. 2. de orig. juris: *Poſtea aucta ad aliquem modum civitate, ipſe Romulus traditur populum in triginta*
C *partes diviſiſſe: quas partes Curias appellavit, propterea quod tunc Reip. curam per ſententias earum partium expediebat. Et ita leges quaſdam & ipſe Curiatas ad populum tulit.* Ex iis locis apparet, Curias Romæ fuiſſe populi tales quaſdam partes, quales ſunt noſtræ in urbibus parœciæ: ut recte admonuit Budæus in poſterioribus annot. in Pand. Ut enim noſtræ parœciæ habent deſtinatas quaſdam domos, in certa quadam urbis parte ſitas, quæ communia ſacra, ædem ſacram communem, ſacrorum communem adminiſtrum habent: ita Curiæ erant incolarum urbis partes, non modo loco, ſed etiam ſacris ſibi peculiaribus diſtinctæ. Quod vero dixi in-
D colarum urbis tantum fuiſſe Curias, cum ex Dionyſii verbis paulo ante citatis intelligi poteſt, tum vero ex eo, quod qui in municipiis & coloniis cives Romani habitabant, ſua quædam in ſuis urbibus ſacra habebant, non ſecus quam qui Romæ erant: ut vel inde apparet, quod Milo legitur ad prodendum Flaminem Lanuvium profectus pridie quam Clodium occidit: nec erat neceſſe ſua ſacra eos relinquere, qui civitate donabantur, niſi in urbem migrarent. Nam, quos migraſſe Romam reperimus, eos ſimul per Curias Romanas deſcriptos fuiſſe ex eo intelligi poteſt, quod de Sabinis nominatim ſcribit Dionyſ. lib.
E 2. eos, qui in civitatem recepti ſunt cum rege Tatio, per Tribus Curiaſque fuiſſe deſcriptos. Quod idem de aliis etiam populis, qui Romam migrare everſis eorum urbibus coacti ſunt, multis in locis ſcribit. Erant igitur Curiata comitia, in quibus populus curiatim ſuffragium dicebat: hoc eſt, in quibus populi per Curias diviſi ſententia rogabatur, ut quod plures Curiæ ſtatuiſſent, id juſſum populi eſſe diceretur.

CAP.

Cap. II.

De caussis Curiatorum comitiorum.

Causæ horum comitiorum diversæ pro diversis Reip. temporibus fuerunt. Nam post Curias a Romulo institutas usque ad tempora Servii Tullii sexti Romanorum regis omnia, quæ suffragiis populi a regibus comittebantur, Curiatis comitiis peragebantur, ut ex eo intelligi potest, quod nec dum Centuriæ, nec Tribus erant, quæ suffragium dicere possent. Itaque non modo reges, sed etiam cæteros magistratus Curiatis comitiis creatos fuisse interpretandum est, cum apud auctores reperimus a populo eos creatos; & leges omnes, quæ ad illud usque tempus latæ sunt, Curiatæ fuerunt: & judicium Horatii a populo Curiatis comitiis peractum est. At post classes a Servio rege institutas, tum duo cœperunt esse comitiorum genera, Curiata & Centuriata. Atque illis duobus tantum generibus usus est populus usque ad judicium Coriolani, anno urbis 263. quo primum anno cœperunt Tributa comitia. Ac fuisse quidem in usu Curiata comitia etiam post classes a Servio institutas, ex eo ostendi potest, quod leges a L. Bruto latæ, cum reges ejecti sunt, omnes Curiatæ fuerunt, ut scribit Dionysius ad finem libri 4. Verba Bruti ad populum hæc sunt: *Visum est nobis Tarquinios & universum eorum genus, non modo civitate Romana, sed omni regione, quæ sub Romano imperio est, ejicere, ut omnino nemini liceat de Tarquiniis posthac agere, aut loqui: ac si quis secus faxit, ut morte plectatur. Quod si idem vobis quoque videtur, Quirites, discedite in Curias, & suffragium inite. Omnes Curiæ, uti rogarat Brutus, exilium Tarquiniis jusserunt. Hac lege perlata rursus ad populum Brutus: Quando, inquit, tam bonum principium res habet, reliqua accipite, quæ de Rep. a nobis excogitata sunt. Nobis considerantibus cui magistratui summam Reip. committamus, reges posthac non creare certum est, sed duos singulis annis esse creandos regia potestate, quos Centuriatis comitiis creabitis. Quæ si ita vobis videntur, inite suffragium. Hæc quoque lex ab omnibus Curiis accepta est.* Jam vero Cornelius Tacitus scribit lib. 11. *Sed Quæstores regibus etiam tum imperantibus instituti sunt: quod lex Curiata ostendit a L. Bruto repetita.* Horum Taciti verborum ea (meo quidem judicio) sententia est, ut legem Curiatam Brutus repetivisse dicatur, qua regibus permissum erat deligere sibi Quæstores, ut Consulibus pariter potestas esset Quæstores deligendi, sicut ante regibus fuerat. Verba enim sequentia ostendunt, penes Consules multis annis eam potestatem fuisse. *Mansitque Consulibus potestas deligendi, donec eum quoque honorem populus mandaret.* Unde fit, ut eum locum sic potius interpretandum existimem, quam quomodo alii interpretantur Curiatis comitiis Quæstores Brutum creasse, sicut reges ante creare eos solebant. Quamquam enim id de regibus Junius Gracchanus asserat apud Ulpianum, lege unica de officio Quæstoris, cum eo tamen Cornelius Tacitus non consentit hac in re. Creandis etiam magistratibus Curiata comitia in usu fuisse demonstrant Tribuni plebis, quos ad legem usque Voleronis perlatam Curiatis comitiis creari perspicuum est. Et ante Coriolani judicium multa judicia populi in historia leguntur habita in foro, ubi Centuriata esse non poterant: unde relinquitur Curiata fuisse. Postquam vero ad illa duo comitiorum genera accessit tertium genus Tributorum comitiorum, tum minus frequentari cœperunt Curiata, & maxime postquam lex lata est, de plebeiis magistratibus creandis Tributis comitiis. Ego tamen adhuc post illud tempus reperio duas generales causas fuisse horum comitiorum habendorum: unam legibus ferendis: alteram, sacerdotibus creandis. Ac legum quidem causa toties habebantur, quoties legibus Curiatis opus fuisse legimus. Unum genus earum

A legum erat, quas de magistratuum imperio ferre oportebat: ut Cic. 2. orat. in Rull. ostendit his verbis: *Primum lege Curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, & plane novo more, uti Curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus. Atque hinc perspicuum est, quid a majoribus acceperitis, quid ab hoc Tribuno plebis vobis relinquatur. Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam Centuriata lex Consulibus ferebatur & cæteris patriciis magistratibus, Tribun. plebis tum Curiata iterum de eisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret.* Et paulo post: *Ita cum majores binis comitiis voluerint*
B *vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.* Et paulo post: *Vide hominis religionem & diligentiam. Vidit & perspexit sine Curiata lege Decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti.* Est & locus apud A. Gell. lib. 13. c. 14. *Reliquorum* (inquit apud eum Messala) *magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus Tributis comitiis magistratus, sed justius Curiata datur lege.* Ad horum Ciceronis & Gellii locorum planiorem interpretationem quærendum
C est, an omnibus magistratibus opus esset lege Curiata, quemadmodum hi loci significare videntur. Sane, plebeiis magistratibus, hoc est, Tribunis & Ædilibus plebis Curiata lege opus non fuisse, his rationibus adducor. Apud Dionysium verba patriciorum ad Tribunos plebis superiore libro a nobis recitata sunt, a Curiis suffragium de iis non ferri. Ex quo sequitur, unis comitiis Tributis fuisse contentos: alioqui falsum dixissent patricii, si post Tributa opus etiam fuisset Curiatis. Deinde vero lex a Volerone lata erat, ut pro Curiatis comitiis Tributa fierent creandis plebeiis magistratibus, non autem, ut præter Curiata fierent & Tributa. Ut omittam, si etiam
D Curiatis comitiis eis opus fuisset, non fuisse consecutos ea lege Tribunos plebis, ut se a patriciorum potestate liberarent, quemadmodum Livius lib. 2. Dec. 1. scribit his verbis: *Haud parva res sub titulo prima specie minime atroci ferebatur: sed quæ patriciis omnem potestatem per clientum suffragia creandi, quos vellent, Tribunos auferret.* Quomodo vero ea lege perlata Tribunorum creatio non æque fuisset in patriciorum potestate, ut prius, si eis creandis opus adhuc fuisset Curiatis comitiis? præsertim cum secunda comitia reprehendendi potestatem populo darent, si beneficii sui pœniteret, ut Cicero ait. Jam vero Dionysius ait, ad sua usque tempora ex illius legis præ-
E scripto plebeios magistratus creari. Si ergo Curiata comitia illa lege exclusa erant, necessario relinquitur, plebeiis magistratibus nihil opus fuisse, ne postremis quidem temporibus, Curiata lege. Postremo legem Curiatam ferre magistratibus quidem creandis (nam Pontifices sacrorum causa comitia Curiata habere poterant) nemo poterat, nisi qui patricius magistratus esset, ut nos postea demonstrabimus. Atqui leguntur plebeii magistratus imperium gessisse, cum nullus esset in urbe patricius magistratus, a quo lex Curiata ferri posset. Quod si his rationibus convincamur, ut plebeiis magistratibus negemus Curia-
F ta lege opus fuisse, restat ut verba Ciceronis sic interpretemur, ut inde excipiantur Tribuni Ædilesque plebis. Cum ergo ait de omnibus magistratibus bis populum judicare, semel Centuriatis aut Tributis, iterum Curiatis: de omnibus magistratibus, qui essent universi populi, intelligi debet, non etiam de iis, qui plebis proprii essent. Cumque plebeios magistratus appellat, non proprie debet accipi pro magistratibus plebis, sed pro minoribus magistratibus, ut nos supra demonstravimus; sed ita tamen minores magistratus intelligendi sunt, ut illi excludantur, qui, ut ait Plutarc. in Probl.

potius imperii solutionem habebant, quam imperium: & potius ad restringendam magistratuum potestatem creati erant, quam ut ipsi magistratus essent. Itemque cum Messala apud Gell. scribit minoribus magistratibus Tributis comitiis dari magistratum, sed justius Curiata lege: in numero minorum magistratuum illic Tribunos & Ædiles plebis comprehendi non debent: sed hi tantum qui habebant alteram partem auspiciorum, quam patriciorum esse paulo ante dixerat: in quo numero hos plebeios magistratus non contineri perspicuum est. Nam, si patriciorum erant majora & minora auspicia, (ut ipse ait) quomodo eadem plebis esse potuissent? Verumenimvero quia dici poterat, non habere minores magistratus auspicia, siquidem auspicato non crearentur; nam Tributis comitiis, quibus hi creabantur, habendis auspicia non desiderabantur: ut illi objectioni occurreret Messala, idcirco subjecit, Tributis quidem comitiis magistratum iis dari, verius tamen ac justius lege Curiata id fieri: quia hanc legem auspicato ferri oportebat, adhibitis scil. auguribus, qui se in auspicio fuisse dicerent, ut nos postea docebimus. Unde fit, ut non immerito auspicia habere dicantur, qui veris auspiciis, qualia erant ea, quæ penes solos patricios erant, creati essent. Ex hujus quæstionis explicatione cum his locis Ciceronis & A. Gell. collata perspicuum est, exceptis plebeiis magistratibus, Curiatis comitiis cæteros omnes magistratus ita creari solitos, ut imperium his comitiis non daretur, nisi qui aliis jam comitiis Centuriatis aut Tributis creati essent. Id quod in iis sane magistratibus verum est, qui populi suffragiis creabantur: verum in Dictatore, quem Consul dicebat, non populus designabat, idem dici non potest. Nam Curiata lex de ejus imperio ferebatur, cum tamen nullis comitiis designatus esset. Livius lib.9. Dec.1. de L. Papyrio Dictatore ita scribit: *Atque ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit: quod Faucia Curia fuit principium, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis, quod utroque anno ejusdem fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam Curiam facit. Dictator postero die auspiciis repetitis pertulit legem.* Et lib.3. Dec.3. de M. Junio Dictatore ita scribit: *Dictator M. Junius rebus divinis perfectis, latoque (ut solet) ad populum, ut equum ascendere liceret.* Ex his Livii locis non modo intelligi potest vera esse quæ de Dictatoris lege Curiata diximus, sed etiam in ea lege nominatim id fuisse ferendum ad populum, uti equum ascendere liceret. Id quod Plut. in vita Fabii ostendit, primum fuisse a Fabio Dictatore institutum. Propterea autem id nominatim ferendum erat, quia contra primam Dictatoris institutionem erat, ut peditum dux equo veheretur. Neque vero ordinariis magistratibus tantum ea lege Curiata opus erat, sed etiam extraordinariis. Quod vel inde intelligi potest, quod Cicero occasione Decemvirorum, quibus legem Curiatam dabat Rullus, hæc verba, quæ citavi, generaliter in omnibus magistratibus pronunciat. Sane in Proconsulibus & Proprætoribus cum imperio mittendis Curiata lege opus fuisse, ex his Livii & Cic. locis perspici potest. Livius lib.5. Dec. 1. in Camilli concione ita scribit: *Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni aut negligentiæ damus? Curiata comitia, quæ rem militarem continent, &c.* Cic. in Rullum: *Consuli, si legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet.* Hi loci ostendunt, rem militarem nemini attingere licuisse, nisi lege Curiata id ei nominatim datum esset. Atqui nemo cum imperio rem militarem gerere poterat, nisi Consulari aut Prætorio. Quicunque ergo in provinciam cum belli gerendi potestate mittebantur, legem Curiatam ante habere debebant. Atenim neminem Prætorio aut Consulari imperio in provincia fuisse, qui belli gerendi potestatem non haberet, dubitari non potest. Unde etiam apud Cic. de Appio Consule in Ciliciam provinciam profecturo ita legimus lib.1. Epist. Fam. *Appius in sermonibus antea dictitabat: postea dixit etiam in Senatu palam, sese, si licitum esset, legem Curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam: si Curiata lex non esset, se paraturum cum collega, tibique successurum. Legem Curiatam Consuli ferre opus esse, necesse non esse. Se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. Ego quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat nescio: varias opiniones esse intelligo. Sunt qui putant posse te non decedere, quod sine lege Curiata tibi succedatur. Sunt etiam qui si discedas, a te relinqui posse, qui provinciæ præsit. Mihi non tam de jure certum est (quanquam ne id quidem valde dubium est) quam illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem pertinere, te sine ulla mora provinciam successori concedere.* Et lib.3. Epist. ad Q. frat. *Appius sine lege Curiata confirmat se Lentulo nostro successurum.* Et lib.4. ad Att. *Appius sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat.* Et alio loco ejusdem libri: *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitavit, quam ipse & suus competitor Domitius cum Consulibus fecisset: uti ambo sestertium quadragena Consulibus darent, si essent ipsi Consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex Curiata ferretur, quæ lata non esset; & duos Consulares; qui se dicerent in ordinandis provinciis Consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne Senatus quidem fuisset.* Ex his Ciceronis locis apparet, magistratibus in provincias profecturis lege Curiata opus fuisse, sine qua non poterat legitimum esse cujusquam imperium, adeo ut non satis esset lex Curiata omnium magistratuum communis, ut paulo ante ex Cic. & Gell. docui, quæ lata erat priusquam magistratum in urbe inire possent; sed rursus ferenda erat alia Curiata ad continuandum eis in provincia imperium. Hanc vero legem Curiatam etiam ad quæstores pertinuisse, qui in provincias mittebantur, verba Ciceronis indicant, cum ita scribit 2. Phil. *Quæstor es factus: deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi.* Sed & hoc obiter attendi debet in iis, quos citavimus, locis, tum sortitionem fieri provinciarum, quas jam ante Senatus decreverat, solitam, cum lex Curiata de eorum imperio ferebatur, qui designati erant provinciales magistratus. Id quod verba Appi ostendunt, cum dicebat se sortiturum cum collega, si legem Curiatam ferre eum nemo impediret: sin secus, comparaturum cum eo. Illud quoque non est omittendum, quod provincialibus magistratibus præter legem Curiatam opus erat Senatusconsulto, quo decretæ provinciæ ornarentur. Ornari autem provinciæ magistratuum dicebantur, quando a Senatu decernebatur, quo sumptu, quo comitatu instructi de publico magistratus in provincias proficiscerentur. Nam, quo id Senatus liberalius fecerat, eo ornatiores dicebantur esse provinciæ. Quæ autem ea erant, quibus fere ornari solebant Prætorum provinciæ, Cicero in Rullum ostendit his verbis: *Deinde ornat apparitoribus, scribis, librariis, architectis: præterea mulis, tabernaculis, tentoriis, supellectili. Sumptum haurit ex ærario, suppeditat a sociis. Finitores ex equestri loco ducentos in annos singulos, stipatores corporis constituit, eosdem ministros & satellites potestatis.* Et Capitolinus in vita Alexandri Imperatoris: *Alexander exemplo veterum, & argento, & necessariis, magistratus, quos in provincias mittebat, instruebat: ita ut præsides provinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas senas, mulos binos, equos binos, vestes forenses binas, domesticas singulas, balneares singulas, aureos centenos, cocos singulos. Et si uxores non haberent,*

ſingulas concubinas, quod ſine iis eſſe non poſſent, redituri depoſita adminiſtratione mulas, mulos, equos, muliones & cocos: cætera ſibi habituri, ſi bene egiſſent, in quadruplum reddituri, ſi male. Jam vero in ordinandis provinciis Prætorum, & Conſulum, maximi momenti erat legatorum numerus, & multitudo exercitus, qui decernebatur. Nam, quo majori numero hæc decreviſſet omnia Senatus, eo provinciam ornatiorem reddiderat. Quo pertinet id, quod eſt apud Plutarchum in vita Gracchorum, Senatum in ordinanda Tib. Gracchi triumvirali provincia noluiſſe ei tentorium decernere: nec voluiſſe in ſingulos dies pluſquam novem numos in ſumptum ei decernere. B Erat etiam in provinciæ ornamentis amplitudo provinciæ. Veluti cum Ciceroni tres Aſiaticæ diæceſes ad Ciliciam provinciam adjectæ ſunt, quas Appius non habebat, eo data eſt Ciceroni ornatior provincia quam Appio. Ex iis non eſt difficile intelligere, quid ſibi velit Cicero, cum ait Appium ſine lege ſuo ſumptu in Ciliciam cogitare. Neceſſe enim erat ſuo ſumptu proficiſci Appium, quando ſine hoc de ornandis provinciis S. C. profecturus erat: cui locus eſſe non poterat, niſi poſt legem Curiatam. Ac de magiſtratuum quidem lege Curiata ſatis dictum eſt. Legem Curiatam alterius generis reperio eam, qua revocatus eſt ab exilio Camillus. C T. Livius lib. 5. Dec. 1. *Accepto Senatus decreto, ut & comitiis Curiatis revocatus de exilio juſſu populi Camillus, Dictator extemplo diceretur.* Et paulo poſt: *Lex Curiata lata eſt, Dictatorque abſens dictus.* Fuit etiam & alia vetus lex Curiata, quæ ferri olim ſolebat teſtamentis confirmandis, quo tempore Calatis comitiis in concione fiebant: de qua lege plura diximus libr. 1. Erat & alia lex Curiata, qua adoptiones fiebant. Gell. lib. 5. c. 19. *Cum in alienam familiam, inque liberorum locum extranei ſumuntur, aut per Prætorem fit, aut per populum. Quod per Prætorem fit, adoptio dicitur: quod per populum, arrogatio.* D *Adoptantur autem, cum a parente, in cujus poteſtate ſunt tertia mancipatione in jure ceduntur, atque ab eo qui adoptat, apud eum, apud quem legis actio eſt, vindicantur. Arrogantur ii, qui ſui juris cum ſint, in alienam ſeſe poteſtatem tradunt, ejuſque rei ipſi auctores fiunt. Sed arrogationes non temere, nec inexplorate committuntur. Nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur, quæ Curiata appellantur:* Hujus Curiatæ legis meminit Cic. pro dom. ſua: *Quo die de te lex Curiata lata eſſe dicatur, audes negare de cœlo eſſe ſervatum?* Et de Aruſp. reſponſis: *Tum leges Julias contra auſpicia latas, & hic & in concionibus dicere: in quibus legibus inerat Curiata illa lex, quæ totum ejus Tribunatum continebat.* E Et de provinciis conſ. *Obliti ne erant tum, cum ille, qui id egerat, plebeius eſt lege Curiata factus, dici de cœlo eſſe ſervatum?* Unde etiam apud Corn. Tacitum lib. 17. Galbæ imperatoris ad Piſonem, quem adoptare volebat, hæc verba ſunt: *Si te privatus lege Curiata apud Pontifices (ut moris eſt) adoptarem.* Aliam denique legem Curiatam reperio fuiſſe, qua ſacrorum deteſtationes fiebant. Id quod ego ex A. Gell. lib. 15. c. 27. colligo: *Iiſdem comitiis, quæ Calata appellari diximus, & ſacrorum deteſtatio, & teſtamenta fieri ſolebant.* Ego autem deteſtationes ſacrorum intelligo omnes conſecrationes, F quas publice in concione populi fieri oportebat: Atque ego illas primis temporibus a Pontificibus factas Calatis comitiis (ut Gell. ſcribit) exiſtimo, quæ comitia erant Curiata. At poſt latam legem Papyriam, quæ vetabat ædes, terram, aram conſecrare injuſſu plebis, magiſtratibus plebeiis cœpit poteſtas eſſe hujuſmodi conſecrationes faciendi: quas Tributis comitiis peragerent. In quo ſatis erat, collegio Pontificum, ut adeſſet, denunciare: ad quod etiam pro imperio Tribuni cogere poterant Pontifices, ut Cic. ſcribit pro domo ſua. Unde fit, ut duo genera Calatorum comitiorum, quæ illic ponuntur a Labeone, exiſtimem jamdudum in uſu eſſe deſiiſſe. Quæ cauſa fuit, ut ſeorſum illa quaſi exoleta poſuerit in explicandis Calatorum comitiorum generibus. Neque enim Labeonis ætate in uſu erant teſtamenta Calatis comitiis. Itaque uſus eſt verbo temporis imperfecti *ſolebant*, ut intelligas olim iſta fieri ſolita. Altera cauſa habendorum comitiorum Curiatorum erat ad creandos ſacerdotes. Id quod ad flamines tantum & maximum Curionem pertinet. Ac flamines quidem Curiatis comitiis creari, ex verbis Lælii Felicis, quæ a Gell. recitantur lib. 15. c. 27. ſupra demonſtravimus. Lælius enim ſcribit Calata comitia haberi flaminum inaugurandorum cauſa. Hæc vero Calata vel Centuriata erant vel Curiata eodem Lælio auctore. Flaminibus autem non Centuriata convenire, ſed regi ſacrorum oſtendimus. Ex quo conſequitur Curiatis eos comitiis creari. Quod vero ad Curiones attinet Dionyſ. ſcribit libr. 2. quos ſacerdotes crearat Romulus, inſtituiſſe, ut Curiarum ſuffragio crearentur. Ac ſingulos quidem Curiones ſuæ curiæ creabant, ac non a collegis cooptabantur, ut idem ipſe ſcribit. Unde ſequitur, non fuiſſe Curiata comitia, quibus ſingulis Curiones creabantur: quando ab unius tantum Curiæ curialibus deſignabantur. At Curio maximus comitiis creabatur, ut ex T. Livio oſtendi poteſt, lib. 7. Dec. 3. *Inter majorum rerum curas, comitia maximi Curionis, cum in locum M. Æmylii ſacerdos creatur, vetus excitaverunt certamen: patriciis negantibus C. Manlii Attelii, qui unus ex plebe petebat, habendam rationem eſſe: quia nemo ante eum, niſi ex patribus id ſacerdotium habuiſſet, Tribuni appellati ad Senatum rejecerunt. Senatus populo poteſtatem fecit. Ita primus ex plebe creatus maximus Curio C. Manlius Attelius.* Erat autem maximus Curio, Feſto auctore, cujus auctoritate, Curiæ omneſque Curiones regebantur. Unde ego potiſſimum colligo, Curiarum ſuffragio creari ac fuiſſe ejus comitia Curiata. Par enim eſt, ut quemadmodum ſingulos Curiones ſingulæ Curiæ creabant, ita Curionem maximum omnes Curiæ: ut omittam, cum hoc ſacerdotium inſtitutum eſt, non alia fuiſſe in uſu comitia, quam Curiata.

CAP. III.

De perſonis comitiorum Curiatorum.

Deinceps ſequitur, de perſonis ut pauca dicamus. His comitiis jus habebant ſuffragii non omnes, qui cives Romani erant, ſed hi tantum, qui in Curias deſcripti erant, quas nos ſupra oſtendimus eorum tantum fuiſſe, qui urbem habitabant. Quæ cauſa fuit, ut poſtquam Italiæ municipia civitate donari cœperunt, minus frequentarentur hæc comitia. Nam, quod ad magiſtratus attinet, ego omnes minores a principio exiſtimo Curiatis comitiis creari ſolitos non aliter quam Tribuni Ædileſque plebis uſque ad legem a Volerone perlatam, idque eo uſque duraſſe, donec ex municipiis Italiæ cives in horum minorum magiſtratuum ſuffragiis admitti voluerunt, ſicut in majorum comitiis Centuriatis. Neque enim æquum videbatur, hac ſuffragiorum parte eos privari, qui æquo jure cives eſſent. Tum igitur ea ratio inventa eſt omnes cives admittendi, ut illis magiſtratus tributim, non curiatim crearentur: ſed ita tamen, ut poſt de eiſdem illis magiſtratibus, lex curiata ferretur: idque auſpiciorum cauſa, id eſt, nec in eorum magiſtratuum creatione negligi viderentur auſpicia. Tributa enim auſpicato non habebantur, nec patres auctores fiebant. His ergo magiſtratibus ut ſua eſſent auſpicia, lex Curiata ut de iis, qui deſignati eſſent Tributis comitiis, ferretur, cau-

tum est. Unde etiam Lælius apud Gellium ait, justius lege Curiata magistratus dari, quam Tributis comitiis. Atque illa quidem lex a principio justis comitiis Curiatis ferebatur: ut Cicero in Rullum ostendit, cum ait majorum instituto populum binis comitiis judicare de omnibus magistratibus solitum. Ut etiam T. Livii locum, quem supra citavi de Dictatore L. Papyrio legem Curiatam de suo imperio ferente; ubi aperte demonstratur, totas tum Curias in suffragium mitti solitas. At successu tandem temporis factum est, ut non triginta Curiæ in suffragium vocarentur, sed pro triginta Curiis triginta lictores suffragium inirent: adeo ut legem Curiatam magistratibus ferre, non esset populo curiatim convocato legem jubendam dare, sed ad usurpationem quandam vetustatis triginta lictorum suffragio legem committere. Hæc Cicero suis temporibus ita fuisse demonstrat 2. orat. in Rullum: *Nunc, quia prima illa comitia tenetis Centuriata & Tributa, Curiata tantum auspiciorum causa remanserunt. Hic autem Tribunus plebis quia videbat potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere, Curiatis ea comitiis, quæ vos non initis, confirmavit: Tributa, quæ vestra erant, sustulit*. Et paulo post: *Sint igitur Decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem atque ad usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum causa adumbratis*. Ex his perspicuum est, tempore Ciceronis Curiatis comitiis de magistratuum imperio habendis, triginta tantum lictores suffragium inivisse: cum ante omnes cives, qui in Curias descripti erant, soliti essent suffragium dicere. Quanquam autem Ciceronis ætate hoc modo lex Curiata ferretur per lictores, de magistratuum imperio; ego tamen dubito, an idem fuerit in cæteris Curiatis comitiis, quæ adoptionis aut sacerdotum causa habebantur. Nam, si Flamines & Curio maximus non aliis comitiis creabantur quam Curiatis, si per triginta tantum lictores fierent, non jam in populi judicio hæc sacerdotia fuisse dici posset, nec amplius beneficio populi dabantur: quæ tamen Lælii apud A. Gellium verba refutare videntur, cum ait Calata comitia, partim Centuriata, partim Curiata fuisse: & Curiata per lictorem curiatim calari. Neque enim comitiorum nomine triginta lictorum conventum proprie appellasset: nec populum per Curias calari dixisset. Neque enim dici potest ætate Ciceronis non fuisse Curias quasdam populi Romani: id quod nos supra demonstravimus. Quin ergo possent ea ætate Curiæ in suffragium mitti, negari non potest: præsertim si id ageretur, quod judicio populi aliter committi non posset, nisi eo curiatim convocato. Sane adoptionibus peragendis triginta Curias suffragium dixisse, Cicero pro domo sua ostendit his verbis: *Credo enim, quamquam in illa adoptione legitime factum est nihil, tamen te esse interrogatum, auctorne esses, ut in te P. Fonteius vitæ necisque potestatem haberet, ut in filio. Quæro si aut negasses aut tacuisses, si tamen id triginta Curiæ jussissent, num id jussum esset ratum?* Et A. Gellius lib. 5. cap. 9. *Nam comitia arbitris etiam Pontificibus præbentur, quæ Curiata appellantur*. Neque enim vere comitia Gellius appellaret triginta lictorum conventum. Sed nec per populum arrogationem fieri verum esset, ut ipse dicit. Et legem certe Curiatam trinundino promulgari vanum fuisset, si populi suffragiis non committeretur. Atqui promulgandam fuisse paulo post ostendimus. Jam vero si postremis illis temporibus nulla erant Curiata comitia, nisi hæc, quæ per triginta tantum lictores peragebantur: quo pertinent verba Lælii Felicis, cum ait: *Cum ex generibus omnium suffragium fertur, Curiata comitia esse?* Quomodo enim verum erit, ex generibus omnium ferri suffragium, si triginta tantum lictores suffragium ferrent? Neque vero cum populo agere recte diceretur, qui

A legem Curiatam ferret de adoptione, si triginta tantum lictores in suffragium mitterentur. Atqui Cicero pro domo sua de lege Curiata, qua adoptatus est Clodius, ita scribit: *Negant fas esse agi cum populo, cum de cœlo servatum sit. Quo die de te lex Curiata lata esse dicatur, audes negare de cœlo esse servatum?* Ego itaque his rationibus adducor, ut, quæ a Cicerone de triginta lictoribus scribuntur, non existimem ad omnia Curiata comitia transferenda esse: sed ad ea tantum, quæ de imperio magistratuum habebantur. Nam magistratibus creandis tantum auspiciorum causa retenta erant hæc adumbrata B comitia: siquidem eos populus jam ante justis comitiis designasset. Unde fiebat, ut rursus coire populus propter eosdem magistratus minus curaret. Itaque ne omnino deserta per infrequentiam populi viderentur, constitutum videtur, ut pro 30. curiis 30. lictores convenirent. At cæteris in rebus retinenda videntur fuisse Curiata comitia: quando nullis aliis comitiis de iis judicium esset populi. Ego tamen hac in re nihil pro certo affirmare ausim. Hoc modo dicere possumus, si quæ adhuc essent justa comitia Curiata ætate Ciceronis, in iis suffragii jus habuisse omnes cives, qui Curiarum descriptione continebantur. Sin nulla erant justa comitia, in iis omnibus C triginta tantum lictores in suffragium mitti solitos. Comitia Curiata habendi jus erat patriciis tantum magistratibus & Pontificibus. Illis quidem legibus Curiatis ferendis: his vero sacrorum causa. Ac patricios magistratus solos id juris habuisse, ex eo intelligi potest, quod scribit Livius libr. 6. Decad. 1. Curiata comitia auspicato, & patribus auctoribus haberi. Unde fit, ut, quoniam Tribuno plebis non licebat legem Curiatam ferre, Rullus uno capite suæ legis juberet Prætorem eam ferre. Nam, si tam poterat legem Curiatam ferre Rullus, quam Tributam, cur Prætori id munus dedisset? At si plebeii magistratus id non possent, restat, ut solis pa- D triciis hoc jus concedamus. Neque vero Ædiles Curules aut Quæstores hæc comitia habere poterant, quando ne Tributis quidem comitiis agendi cum populo jus haberent, ut nos supra ostendimus: nisi forte uno casu; ad mulctam, inquam, alicui dicendam. Restat igitur, ut ordinariorum quidem magistratuum solis Consulibus & Prætoribus id tribuamus: extraordinariorum autem Dictatoribus & Interregibus. Sane non est verisimile, eos, qui a Consulibus creabantur, ut Ædiles, Quæstores, & Tribuni militum, potuisse Curiatam legem de suo imperio ferre: præsertim cum lege Curiata justius E magistratum acciperent, quam Tributa: ut omittam, auspicia eos, nisi per legem Curiatam, non habuisse. Pontifices vero sacrorum causa jus habuisse vocandi comitia Curiata ex eo intelligi potest, quod supra ostendimus, Centuriata comitia habendi jus habuisse. Nam si illa habere poterant, & hæc certe multo potius vocare in eorum erat potestate. Et Calata comitia propria erant Pontificum: flamines autem Calatis comitiis creabantur. Quoniam autem non modo a Pontifice maximo inaugurari flamines reperiuntur passim in historia Livii, sed etiam nusquam in eorum creatione ulli intervenire magistratus comperiuntur, idcirco a Pontifice maxi- F mo haberi comitia creandis flaminibus existimo absque ullo interventu magistratuum: præsertim cum ei pro sui sacerdotii auctoritate jus esset agendi cum populo, ut nos supra demonstravimus. Itaque ego verba Lælii apud Gellium sic interpretatus sum, Calata comitia esse, quæ habentur pro collegio Pontificum, hoc est, apud ipsos Pontifices, adeoque ab ipsis Pontificibus, aut regis sacrorum, aut flaminum inaugurandorum causa, id est, ad creandos illos sacerdotes. Comitia maximi Curionis Pontifices non habuisse hinc colligo, quod ad collegium Pontificum nil pertineret Curio maximus; quodque Læ-

lius in Calatis comitiis hæc non enumeravit: quæ omissurus non videbatur, si inter Calata comitia fuissent Curionis maximi comitia. Itaque ego potius alicui magistratuum majorum Curionis maximi creationem attribuendam censeo, quam Pontificibus. Quod vero attinet ad comitia legis Curiatæ de adoptione ferendæ; eadem hæc ratio, quod inter Calata comitia non enumerantur a Lælio, argumento esse potest ab aliquo potius magistratu ea haberi, quam a Pontificibus. Neque enim verisimile est eum qui obsoleta jamdudum comitia Calata testamentorum causa apposuit in enumerandis Calatis comitiis, non facturum fuisse mentionem adoptionum, si Calatis quoque comitiis fieri solerent. Sane A. Gellius lib. 7. c. 19. non a Pontificibus dicit comitia haberi de arrogatione alicujus, sed arbitris Pontificibus; id quod Cornelius Tacitus dicit apud Pontifices legem Curiatam ferri. Neque vero legis ferendæ jus alicui erat, nisi magistratui. Unde perspicuum est, legem quidem Curiatam ab aliquo ferri debuisse majorum magistratuum: sed hac in re intervenire Pontifices debuisse, ut de jure adoptionis cognoscerent: ne sc. populus legem juberet contra, quam jura adoptionis postularent. Exemplum in historia habemus adoptionem Clodii: cujus legem Curiatam tulit Cæsar Consul. Sed tamen, quia idem Cæsar erat Pontifex maximus pro certo argumento id accipi non potest. Illa nobis ratio sufficere debet, quod legem ferre nemini unquam in Rep. Romana licuit, nisi qui magistratus esset: tametsi cæteris in rebus privatis Pontificibus cum populo agere liceret. Adoptiones autem lege lata fiebant. Id quoque ad jus personarum pertinet, quod non possent nisi patricii esse flamines, ut docet Cicero pro domo sua. Curiones autem maximi esse poterant tam plebeii, quam patricii: ut ex eo loco T. Livii, quem paulo ante citavi, intelligi potest. Ac de personis quidem satis dictum sit.

CAP. IV.

De modo comitiorum Curiatorum.

Modus horum comitiorum diversus fuit diversis Reip. temporibus. Nam, donec Tributis comitiis creari minores magistratus cœperunt, comitia Curiata, quod ad magistratus quidem attinet, habebantur ad designandos magistratus ex candidatis aliisve, quos populus vellet. At postea retenta sunt ad legem Curiatam de imperio magistratuum ferendam, perinde ut ante ferri solebat de imperio majorum magistratuum: adeo ut post illud tempus nulli designarentur magistratus comitiis Curiatis, sed tantum de eorum imperio, quos jam populus designasset, lex ferretur. Ob idque duas tantum causas posuimus habendorum comitiorum Curiatorum, ad leges sc. ferendas, & ad sacerdotes creandos. Curiatis omnibus comitiis commune erat, ut auspicato haberentur, & patriciis auctoribus, ut nos supra ex Cicerone pro domo sua, & T. Livii lib. 6. Dec. 1. citavimus. Sic autem auspicato haberi debebant hæc comitia, ut non modo obnunciationi parendum esset, si de cœlo servatum esset: quod Cicero ostendit, cum probaret legem de adoptione Clodii nullam esse, quia lata esset, quo die servatum erat de cœlo: sed etiam ut adesse augures oporteret, qui latori legis in auspicio essent. Unde apud Cic. in epist. ad Att. reperimus, Pompeium in auspicio fuisse Cæsari, quando lex lata est de adoptione Clodii. Lib. 2. hæc sunt Ciceronis verba: *Negant illi Publium plebeium factum esse? Hoc vero regnum esse, ferri nullo pacto potest. Emittat ad me Publius, qui obsignet: jurabo Cneum nostrum, Collegam Balbi Antii mihi narrasse in auspicio fuisse.* Unde etiam apud eundem eodem lib. de Cæsare & Pompeio hæc ver-

A ba intelligi debent: *Acueram me ad exagitandam hanc ejus legationem: quam si ille contemnit, & si (ut scribis) bilem id commovet, & latoribus auspicibus legis Curiatæ spectaculum egregium.* His enim verbis Cæsarem latorem legis intelligit, & Pompeium auspicem, hoc est, qui magistratui auspicanti fuit in auspicio. Est & alius locus lib. 4. ad Att. *C. Memmius candidatus pactionem in Senatu recitavit, quam ipse & suus competitor Domitius cum Consulibus fecissent, uti ambo HS. quadragena Consulibus darent, si essent ipsi Consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent cum lex Curiata ferretur, quæ lata non esset.* Neque vero illis rationibus tantum auspicia servanda erant, sed etiam

B ut boni ominis esset prærogativa Curia. Unde apud Livium lib. 9. Dec. 1. scribitur Dictatorem L. Papyrium auspicia postero die repetivisse, quia prima exierat Curia Faucia, quæ mali ominis erat, quando legem Curiatam de suo imperio ferre voluit. Patrum autem auctoritas quomodo varie pro diversis temporibus expectanda fuerit, docet Dionys. lib. 2. his verbis: *Populus ferebat suffragium non universus confuse, sed per Curias vocatus. Quodque pluribus visum esset Curiis, id ad patres referebatur: nunc vero mos mutatus est. Neque enim patres de jussis populi post judicant, sed contra sententiam patrum con-*

C *firmat deinde populus.* Intercessionis etiam jus, quod in aliis duobus comitiorum generibus locum habuisse diximus, in his quoque Curiatis comitiis valuisse ostendit Cicero in Rullum, cum eum ideo reprehendit quod sustulerat jus intercedendi, cum ferretur lex Curiata de imperio Decemvirorum: *At videte quam diligenter retineat jus Tribunitiæ potestatis. Consulibus legem Curiatam ferentibus a Tribunis plebis sæpe est intercessum, neque tamen nos id querimur, esse hanc Tribunorum plebis potestatem, tantummodo si quis ea potestate temere est usus existimamus. Hic Tribun. plebis lege Curiata, quam Prætor*

D *ferat, adimit intercedendi potestatem.* Atque illis quidem communibus explicatis ad propria singulorum veniamus. Legibus Curiatis ferendis de adoptione, trinundino promulgatione opus fuisse Cicero pro domo sua ostendit his verbis: *Hora fortasse diei sexta questus sum in judicio, cum C. Antonium collegam meum defenderem, quædam de Repub. quæ mihi visa sunt ad illius miseri causam pertinere. Hæc homines improbi ad quosdam viros fortes longe aliter, atque a me dicta erant, detulerunt. Hora nona illo ipso die tu es adoptatus. Si, quod in cæteris legibus trinundinum esse oportet, id in adoptione satis est trium esse horarum, nihil reprehendo. Sin eadem ob-*

E *servanda sunt, decrevit Senatus M. Drusi legibus, quæ contra legem Cæciliam & Didiam latæ essent, populum non teneri.* Ex his apparet, leges Curiatas trinundino promulgandas fuisse, priusquam ad diem, quam magistratus indixisset, comitia haberi possent: idque per legem Cæciliam & Didiam. An vero legibus de imperio magistratuum ferendis eodem trinundino opus esset, eo dubitari potest, quod Dictatores in historia leguntur statim magistratum iniisse, postquam a Consulibus dicti erant: ex quo sequitur, non post trinundinum legem de eorum imperio latam, sed primo quoque die. Quinetiam

F aliqui leguntur ab aratro vocati: re bene gesta ad aratrum rediisse, antequam spatium trinundini præteritum esset. Cumque Dictator fere non crearetur, nisi subitis Reip. casibus, non est verisimile imperium ei demum post trinundini spatium concedi. At dices ne tum quidem, cum Dictatores creabantur, legem Cæciliam & Didiam fuisse, qua cautum erat, ut leges trinundinum promulgarentur. Lex sane Cæcilia & Didia ætate Ciceronis lata est anno urbis 656. Dictatores vero multo ante tempore creari desierant: nisi quod post eam certe legem, & Sylla, & Cæsar Dictatores facti sunt. Verum ut

hæc de Dictatore ratio eludatur, alia eſt ratio, quæ non fuiſſe opus trinundino ad legem de imperio magiſtratuum ferendam, etiam poſt latam legem Cæciliam & Didiam, aperte demonſtrari poteſt. Conſtat enim magiſtratus, qui per Interregnum creabantur, ſtatim magiſtratum inire ſolitos. Atqui imperium habere non poterant, niſi lata lege Curiata. Non ergo poſt trinundinum ea lex ferebatur: alioqui magiſtratum eis inire, niſi poſt trinundinum quam deſignati eſſent, non licuiſſet. Itaque ego ſic ſentio, legem Curiatam de imperio magiſtratuum primo quoque die comitiali ferri ſolitam: nec trinundini promulgatione opus fuiſſe, ſicut in lege Curiata de adoptione: quia non perinde novi aliquid ad populum referebatur in lege Curiata magiſtratuum, quando id ordinarium eſſet, ut lege de adoptione. Cauſa vero promulgationis per trinundinum erat, ut populus ante rem cognoſceret, quam in ſuffragium mitteretur. Indictis ergo comitiis tantum opus erat, non etiam legis promulgatione. At in lege adoptionis trinundini promulgatione opus erat, ut eſſet examinandæ legis ſpatium. Multa enim erant, quæ in adoptione legitima providenda erant: quorum cognitio ad collegium Pontificum pertinebat. Cicero pro domo ſua: *Quod eſt, Pontifices, jus adoptionis? Nempe ut is adoptet, qui neque procreare jam liberos poſſit, &, cum potuerit, ſit expertus. Quæ deinde cauſa ſit adoptionis, quæ ratio generum ac dignitatis, quæ ſacrorum, quæri a Pontificum collegio ſolet.* Et paulo poſt: *Dico apud Pontifices: nego iſtam adoptionem Pontificio jure factam. Primum, quod hæ veſtræ ſunt ætates, ut is, qui te adoptavit, vel filii tibi loco per ætatem eſſe potuerit. Deinde, quod cauſa quæri ſolet adoptandi, ut is adoptet, qui quod natura jam aſſequi non poteſt, legitimo & Pontificio jure quærat: & ita adoptet, ut ne quid aut de dignitate generum, aut de ſacrorum religione minuatur. Illud imprimis, ne qua calumnia, ne qua fraus, ne quis dolus adhibeatur: ut hæc ſimulata adoptio filii quam maxime veritatem illam ſuſcipiendorum liberorum imitata eſſe videatur.* Hoc igitur ad modum legis de adoptione proprium pertinet, ut præter latorem legis, eoſque, inter quos arrogatio fiebat, adeſſent Pontifices: qui de cauſis & omni jure arrogandi cognoſcerent. In quo certo quoddam erat juramentum a Pontificibus conceptum, quod hi jurare debebant, inter quos fiebat arrogatio. Id quod A. Gellius oſtendit libro 5. cap. 19. *Ætas ejus, qui arrogare vult, an liberis potius gignundis idonea ſit: bonaque ejus qui arrogatur ne inſidioſe appetita ſint, conſideratur: juſque jurandum a Q. Mutio Pontifice maximo conceptum dicitur, quod in arrogando juraretur.* Porro autem his Pontificum interrogationibus poſtquam jurati reſponderant, inter quos fiebat adoptio, tum Pontifices approbarent cauſas adoptionis necne, publice profitebantur: ut ex Ciceronis verbis colligi poteſt, cum ita ſcribit pro domo ſuo: *Niſi forte ex te ita quæſitum eſt, num perturbare Rempub. ſeditionibus velles, & ob eam cauſam adoptari, non ut filius eſſes, ſed ut Tribunus plebis fieres, & funditus everteres civitatem. Reſpondiſti, credo, te ita velle. Pontificibus bona cauſa viſa eſt, approbaverunt.* Quod ſi omnia ſe probare Pontifices palam profeſſi eſſent, tum populus magiſtratu rogabatur, uti legem juberet. Cujus formulam ponit A. Gellius his verbis: *Arrogatio autem dicta eſt, quia genus hoc in alienam familiam tranſitus per populi rogationem fit. Ejus rogationis verba hæc ſunt: Velitis, jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius ſibi ſiet, quam ſi ex eo patre matrequefamilias ejus natus eſſet: utique ei vitæ neciſque in eum poteſtas ſit, uti pariendo filio eſt. Hoc ita ut dixi, ita vos Quirites rogo.* Ac prius quidem quam in ſuffragium mitteretur populus ad eam rogationem accipiendam, ante is, qui

A arrogabatur, rogari ſolebat, auctorne fieret, ut in alterius poteſtatem illo modo tranſiret. Cicero pro domo ſua: *Sed cum hoc juris a majoribus proditum ſit, ut nemo civis Romanus aut libertatem aut civitatem amittere poſſit, niſi ipſe auctor factus ſit. Quod tu ipſe potuiſti in tua cauſa dicere. Credo enim, quanquam in illa adoptione legitime factum eſt, nihil tamen te eſſe interrogatum auctorne eſſes, ut in te P. Fonteius vitæ neciſque poteſtatem haberet, ut in filio.* Quod vero attinet ad comitia Curiata ſacerdotum, id Cornelius Tacitus lib. 4. docet proprie fuiſſe obſervandum in creatione flaminis Dialis, ut tres patricii confarreatis nati parentibus nominarentur,
B ex quibus deinde unus legeretur. Verba ejus hæc ſunt: *Sub idem tempus de flamine Diali in locum Servii Maluginenſis defuncti legendo, ſimul roganda nova lege, diſſeruit Cæſar. Nam patricios confarreatis parentibus genitos tres ſimul nominari, ex queis unus legeretur, vetuſto more.* Hunc Taciti locum ſi conferas cum aliis T. Livii & A. Gellii locis, in quibus flamines non modo a Pontificibus inaugurari, ſed etiam Calata comitia ob eam rem haberi ſcribitur, planum erit tres patricios a Pontificibus nominari, adeoque inaugurari ſolitos: ex quibus deinde populus legeret, hoc eſt, ſuffragiis ſuis deſignaret, quem
C vellet eſſe flaminem Dialem. Neque vero flamen Dialis tantum inaugurabatur a Pontifice maximo, ſed ut omnes flamines attributi erant collegio Pontificum, ita eos omnes inaugurandi poteſtas erat penes collegium Pontificum. Id quod Lelii apud Gellium verba ſatis demonſtrant, quando, nullis deſignatis certis flaminibus, dicit flaminum inaugurandorum cauſa haberi Calata comitia. Et Cicero pro domo ſua dicit, omnes flamines patricios eſſe debuiſſe. Quod igitur ad cæteros omnes flamines attinet, id pro certo aſſerere poſſumus, comitiis Calatis eos creari per populum, quos ex patriciis Pontifices inauguraſſent. Verum tres ne confarreatis parenti-
D bus geniti nominandi eſſent, ſicut in flamine Diali, id vero nec affirmamus, nec negamus. Certe multo majore dignitate erat flamen Dialis quam cæteri: unde videri poſſet in eo creando quædam non immerito obſervari, quæ in cæteris negligerentur. Quod vero ad Curionem maximum attinet, ex iis, qui peterent, creabatur, non ſecus quam in magiſtratibus; aut quomodo poſt legem Domitiam in collegiorum ſacerdotibus fieri ſolebat. Ac de iis quidem, quæ ante ſuffragia ſpectanda videbantur, ſatis hoc in ipſis Comitiis Curiatis, quæ juſta ac non adumbrata erant, populus, poſtquam magiſtratus aut
E Pontifex expoſuerat ſuam rogationem, in ſuas cujuſque Curias diſcedebat: quæ deinde eo ordine ſuffragium dicerent, quo forte exibant. Quæ autem prima exierat, ea principium eſſe dicebatur. Sic enim Livius loquitur: *Faucia Curia principium fuit.* Hoc eſt, prima ad ſuffragium dicendum vocata eſt. Quodque plures ex triginta Curiis juſſerant, id ratum habebatur. Ac ſi primo vocatæ conſentirent, ſtatim atque ſedecim ex illis ſuffragium dixerant, finis fiebat comitiis: quia tum certum eſſet, a pluribus Curiis id juſſum eſſe, quod ſedecim Curiæ juſſiſſent. Sin diſſentirent, eo uſque vocabantur, dum ſedecim Curiæ conſenſiſſent. Sed quoniam iſta poſ-
F ſunt facile ex his, quæ de Tributis comitiis a nobis dicta ſunt, intelligi; de his plura non dicemus, ut ad interpretationem ejus loci veniamus, quem Gellius ex Lælio citat; Curiata comitia eſſe, cum ex generibus omnium ſuffragium fertur. Qui in tribus deſcripti erant, locis ac regionibus erant diſtincti: qui in claſſes, cenſu, ordinibus, ætatibuſque: at qui curiis continebantur, nulla habita iſtorum ratione, tantum ſacrorum quadam diſtinctione diſtinguebantur. Erant enim ex omnibus tribubus qui urbem incolerent, ideoque in Curias deſcripti erant. Unde fit, ut in Curiis eſſet tribuum & claſſium confuſio:

quæ tribus classesque, quoniam erant populi Rom. partes præcipuæ, ut ex eo constat, quod Censores in partibus populi describendis tribuum modo & classium rationem habuisse leguntur, idcirco cum curiatim suffragium ferebatur, confuse, & absque ulla verarum populi partium distinctione, suffragium ferri dicebatur. Idque est quod Lælius ait, quando ex generibus omnium ferri suffragium scribit: hoc est, per Curias, in quibus cujusque generis cives magna confusione continebantur. Illud etiam hoc loco quærendum est, pertineret ne lex tabellaria ad hæc etiam comitia Curiata, an non? Cui quæstioni ut satisfiat, dicendum mihi videtur, his comitiis Curiatis, quibus populus suffragium dicebat, post leges tabellarias latas, tabellis populum usum fuisse: siquidem leges generatim de suffragiis populi latæ erant, non autem nominatim de quibusdam comitiis: tantumque interesat his comitiis occultari populi suffragium quam aliis: His vero comitiis, quibus non populus suffragium dicebat, sed triginta tantum lictores, nil opus erat tabellis. Neque enim adumbratis istis comitiis quicquam opus erat occultato suffragio: quandoquidem libera non essent horum lictorum suffragia, ut qui magistratuum ministri essent, a quorum imperio discedere non poterant. Si igitur adhuc ætate Ciceronis erant justa aliqua comitia Curiata, quemadmodum probabilius esse ostendimus sacerdotum adoptionumque causa, ea tabellis curiatim diribitis fiebant, haud secus quam quomodo in Tributis fieri diximus. Sin omnia hujusmodi erant, qualia Cicero fuisse dicit, quæ ad legem de imperio magistratuum ferendam habebantur, non tabella, sed voce triginta lictores loco triginta Curiarum, quod rogati erant, jubebant: eoque modo, quod hi jussissent, ratum habebatur, perinde ac si Curiarum suffragio jussum esset. Quomodo vero effectum sit, ut lictoribus potius, quam aut Curionibus, aut aliis quibusdam gravioribus personis hæc comitia Curiata committerentur, locus est Lælii apud Gellium libro 15. cap. 27. unde id suspicari possumus. Scribit enim Curiata comitia per lictorem curiatim calari. Ex eo enim opinor factum esse desuetudine quadam & incuria populi, cum singulæ Curiæ a singulis lictoribus vocatæ non convenirent, ut ipsis lictoribus id committeretur, cujus causa Curiæ essent vocatæ. Veluti si in Universitate Parisiensi aliquid apparitorum (quos bidellos vocant) conventu perageretur, quod olim aut nationum aut facultatum comitiis fiebat. Hæc enim essent adumbrata per apparitores comitia illis plane similia. Ac de modo quidem Curiatorum comitiorum hactenus. De loco deinceps dicendum est.

CAP. V.

De loco Curiatis comitiis destinato.

Curiata comitia non fere poterant auspicato fieri, nisi intra pomœrium, idque in foro, adeoque in comitio. Camillus apud Livium lib. 5. 1. Decad. ita ad populum verba facit: *Quid alia, quæ auspicato agimus omnia fere intra pomœrium, cui oblivioni aut cui negligentiæ damus? Comitia Curiata, quæ rem militarem continent, comitia Centuriata, quibus Consules Tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi assolent, fieri possunt?* Ut in campo Martio Centuriata fieri solita erant, ita in foro Curiata comitia fieri reperimus passim in historia Livii & Dionysii. Nam ante judicium Coriolani, quo primum tempore habita sunt Tributa comitia, quoties in foro habita populi comitia reperimus? Hæc vero non poterant alia esse, quam Curiata. Et Dionysius nominatim ait, leges Curiatas, quas Brutus Tribunus celerum tulit, in foro latas fuisse. Unde etiam apud Svetonium in Augusto ita scriptum est: *Tertium nepotem Agrippam, simulque privignum Tyberium adoptavit in foro lege Curiata.* Si igitur in foro Curiata comitia haberi solita erant, ex verbis Camilli concludi potest, non fere potuisse auspicato haberi, nisi in foro. Porro quæ comitia habebantur in foro, in ea fori parte, qua erat comitium, ea haberi supra docuimus. Consequens igitur est, ut comitium dicamus locum fuisse destinatum Curiatis comitiis. Quod & Varronis verba significant, cum ait comitium inde primum nomen habuisse, quod comitiis Curiatis populus illuc conveniret. Urbe tamen a Gallis capta lex Curiata, qua revocatus est ab exilio Camillus, Veiis lata est, ut ostendit T. Livius lib. 5. Decad. 1. Hactenus de loco.

CAP. VI.

De tempore comitiorum Curiatorum.

Superest de tempore dicere. In quo nihil certo constitui potest, nisi quod non possent nisi diebus comitialibus haberi comitia Curiata. Quod vel inde perspici potest, quod comitiales dies quando a Numa instituti sunt, nulla erant comitia præter Curiata. Et sane cum populo agi, nisi comitialibus diebus, fas non erat.

DOCTISSIMI VIRI

NICOLAI GRUCHII

RESPONSIO AD BINAS

CAROLI SIGONII

REPREHENSIONES:

Unam, de binis magiſtratuum comitiis: Alteram, de Lege Curiata.

AMPLISSIMO VIRO

HENRICO MEMMIO,

Supplicum libellorum in Regia Magiſtro

NICOLAUS GRUCHIUS S. D.



ANTA *eſt tua erga omnes literarum ſtudioſos benevolentia (clariſſime Memmi) quantum ego perſpicio ex iis libris, qui a doctis hominibus in dies aut ſub tuo nomine, aut non ſine honorifica mentione tui nominis, in vulgus eduntur: ut mihi nullum inter literatos locum tenere poſſe viſus ſim, niſi aliquid etiam a me profectum ſub tuo nomine appareret. Quo & meæ erga te voluntatis atque obſervantiæ ſignificationem darem: & ingrati animi notam effugerem, ſi tuorum erga literarum ſtudia meritorum magnitudinem minus agnoſcerem. Ego igitur (clariſſime Memmi) meam ad reprehenſiones Caroli Sigonii reſponſionem ad te mitto: ſimulque rogo, ut tantiſper a gravioribus tuis ſtudiis ac negotiis animum relaxes, dum hunc libellum tibi perlegere liceat: ut pro ea eruditione, qua in antiquitatis Romanæ obſervatione plurimum excellis, graviſſimum ac certiſſimum tuum judicium in hac noſtra controverſia interponas. Tanti enim mihi erit tuum in hac re judicium, ut cujus tu ſententiam probaveris, eam & veriſſimam eſſe & omnibus ſequendam, ſim exiſtimaturus. Vale. Ex ruſtico prædio noſtro, Cal. Junii. 1565.*



UAMQUAM mihi ea nec omni ex parte probantur, quæ a Carolo Sigonio de comitiis ſcripta ſunt: nec veriora iis videntur, quæ a me ſunt tradita: maximas tamen ei gratias merito habendas duobus nominibus exiſtimo. Primum, quod antiquitatis Romanæ ſtudioſos, ut in reliquo omni jure Romanorum late & ingenioſe explicando, ita in hac comitiorum ratione breviter ac diſerte tradenda, juvare voluit. Deinde, quod ea modeſtia uſus eſt in me reprehendendo, ut cum honorifica laudis meæ præfatione, nec gloriæ nec contentionis ſtudio ductus, ſed veritatis tantum a-

A more, ad hanc diſſenſionem verius, quam reprehenſionem pertractus videatur. In quo cum perpoliti humanitatis ſtudiis ingenii ſpecimen dedit; tum vero mihi, in hac mea reſponſione quid ſequendum eſſet, præſcripſit. Itaque ego non modo extra omnem contumeliam, ſed etiam abſque ullo aſperiore dicto, ſi majorem non poſſum, at parem certe modeſtiam referre contendam. Ac primum, ut quid ſit, in quo a me diſſentiat, & quibus rationibus me reprehendat, intelligatur, totum illum locum ex ejus libro de antiquo jure Romanorum huc tranſcribam, qui ita habet: *Ut autem centuriata comitia niſi a majoribus, ſic tributa & a majoribus & a minoribus magiſtratibus haberi licuit. Quarum rerum rationem ſi quis requirat, Nicolai Gruchii pereruditos de comitiis commenta-*

mentarios perlegat. Cui viro ut multis in rebus assentior, sic in binorum comitiorum ratione explicanda valde diversus sum. Quod non gloriæ quærendæ, sed antiquitatis illustrandæ causa cujusmodi sit, hoc loco pluribus mihi exponendum putavi. Est ergo quæstio hujusmodi. Cum trina fuerint comitia, quid sit quod Cicero in 2. Agraria de binis comitiis, quibus magistratus singuli crearentur, scripsit his verbis: (Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. Nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus, cum iterum de iisdem judicabatur; ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. Nunc, quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa, curiata tantum auspiciorum causa remanserunt: hic tribunus plebis quia videbatur potestatem neminem injussu populi aut plebis habere posse, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit; tributa, quæ vestra erant, sustulit. Ita cum majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.) Hæc Cicero. Hunc igitur locum dico obscurissimum esse, & quam ex eo sententiam Nicolaus Gruchius collegit, putare me ab ipsa consuetudine Romani moris, atque ab ipsa demum rei veritate abhorrere. Quis autem ejus sensus sit, ex loci hujus lectione, quam ille ex ingenio, ut video, ac nulla antiqui libri fultus auctoritate attulit, facile intelligi potest. Est autem hæc: Nam centuriata lex consulibus ferebatur, & cæteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis: tum curiata iterum de iisdem judicabatur. Qua ex lectione apparet placere Gruchio, patricios quondam magistratus binis comitiis esse creatos, centuriatis & curiatis; plebeios item binis, tributis & curiatis: post autem curiatis comitiis obsoletis, magistratus omnes binis item comitiis declaratos, centuriatis & tributis. Quam sententiam si ille etiam alterius loci auctoritate firmaret, quod nec facit, nec facere potest; tamen, quia eam multis interjectis ex ingenio verbis inducit, ego vix in re tanta probare possem. Neque enim simile veri videtur, si singuli magistratus binis, iisque diversis fuissent comitiis declarandi, non aliquam aliquando annalium scriptores eorum inter se contentionem literis prodituros fuisse, si aut curiata aut tributa centuriatorum sententiam infirmassent. Quamobrem ego incolumi vulgata lectione ita hunc locum interpretor. Reprehendit Rullum tribunum plebis Cicero, qui Decemviros creari jubebat tributis comitiis, ita ut non omnes XXXV. tribus vocarentur, sed XVIII. tantum sorte ducerentur: deinde, ut qui novem tribubus esset designatus, lege curiata, id est, imperio ornaretur. Reprehendit autem acute magis ut solet in orationibus, quam vere; & quod tributa comitia imperfecta attulit, & quod curiata obsoleta retulit. Id quod eo gravius esse significat, quod cum majores binis quondam comitiis de omnibus magistratibus voluerint judicari, hic neutra afferat. Quæ sint autem hæc comitia bina, exponit centuriata & curiata. Nam consules (sic enim cum Gruchio legendum puto, non censores) centuriatis comitiis creabantur, quando cæteri patricii magistratus declarabantur curiatis. Deinde iterum de iisdem magistratibus judicabatur, ut priora comitia reprehendere populus posset. Quod autem ait, consules centuriatis comitiis creatos, cum cæteri patricii magistratus curiatis, recte ait. Siquidem constat, primos consules atque inde reliquos a populo per centurias convocato declaratos. Cæteros autem patricios magistratus intelligit quæstores: quos idcirco patricios vocat, quia prius patriciis ea potestas patuit, quam plebeiis. Plutarchus enim Publicolam consulem Bruti collegam Quæstores duos populo creandos permisisse ait, P. Minutium & M. Veturium, quas gentes tum patricias constat fuisse. Creatos autem esse curiatis comitiis patet primum, quia nondum tributa instituta erant: deinde, quia Gellius scribit, minoribus magistratibus comitiis tributis magistratum dari, sed justius curiatis: postremo, quia Tacitus lib. XI. prodidit, quæstores regibus imperantibus esse institutos, idque legem curiatam ostendere a L. Bruto repetitam. Quod autem ait bis judicatum esse de omnibus magistratibus, id non habet eam vim, ut significet, diversis comitiis esse judicatum, centuriatis & curiatis: sed illud vult intelligi, qui magistratus centuriatis comitiis creati erant, ut consules, de his bis centuriatis comitiis esse judicatum: qui curiatis, bis curiatis, ut qui prioribus comitiis aliquem creassent, iidem posterioribus, si pœniteret mutata sententia, abrogare eundem possent. Deinde addit: Nunc vero, quia magistratus creantur, ut non ut olim alii centuriatis, alii curiatis; sed alii centuriatis, alii tributis: curiata obsoleverunt: Nam ea propter auspiciorum religionem tantum remanserunt: Rullus autem curiata comitia, quæ non populus, sed pro populo triginta curiarum lictores ineunt, revocavit: tributa imperfecta attulit. Ita cum majores binis comitiis voluerint de eadem re judicari, Rullus ne una quidem comitia populo reliquit, nam in utrisque peccavit. Neque vero illam rationem perpetuo observatam esse, existimandum est, quam apud majores ait fuisse: ut iisdem comitiis bis de eodem candidato judicaretur, sed effigiem tantum ac similitudinem ejus retentam. Nam, cum prærogativæ centuriæ suffragationem instituissent, eam pro unis comitiis habuerunt: reliquarum autem quæ jure vocatæ dictæ sunt pro alteris. Sic enim celerius suffragia a populo iniri posse judicarunt, si eadem comitia partirentur, quam si eadem bis integra haberentur. Hoc autem intellexit & docuit Asconius his verbis in secundam Verrinam: (Prærogativæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri: quorum tribus prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri: secundæ jure vocatæ, quod in iis sequente populo, ut sæpe contingit, prærogativarum voluntatem jure omnia complerentur.) His enim verbis significat, bina quidem comitia esse habita, sed non integra: verum speciem tantum binorum comitiorum esse usurpatam. In tributis enim sorte tribum, in centuriatis ex tribu sorte centuriam eduxerunt, quæ prima suffragium iniret. Quæ centuria quoniam ante alias rogabatur, prærogativa dicta est; & tribus, unde sumpta est, prærogativa etiam appellata. Prærogativæ autem tribus vel centuriæ prærogativæ sententiam pro unis comitiis habuerunt, reliquarum quæ deinceps citabantur, & jure vocatæ dicebantur, judicium, ut dixi, pro alteris: plerumque autem fiebat, ut jure vocatæ sententiam prærogativarum sequerentur, raro autem rescinderent. Unde illud est Ciceronis pro Muræna, tantam comitiis centuriatis fuisse religionem, ut semper omen prærogativæ valuerit. Hactenus Sigonius.

Hanc Caroli Sigonii reprehensionem, video duobus potissimum capitibus contineri. Uno rejicit ac refutat meam de binis comitiis sententiam: Altero suam ex Asconio interpretationem confirmare nititur. Ad utrumque caput mea seorsum conferetur responsio: primum enim nostram tuebimur, atque amplius confirmabimus sententiam: deinde ad ejus sententiam, quæ Asconii loco tantum niti videtur, accedemus. Ego igitur bina illa comitia, de quibus scribit in 2. Agraria Cicero, affirmo fuisse in majoribus magistratibus centuriata & curiata: in minoribus, tributa & curiata: neque ego id pro meo agnosco, quod mihi placere scribit Sigonius, curiatis comitiis obsoletis, magistratus omnes binis item comitiis declaratos, centu-

riatis & tributis: sed cum adhuc justa erant curiata comitia, ea in usu fuisse cum centuriatis aut tributis existimo: cum vero adumbrata illa per triginta lictores superfuerunt curiata, illa ipsa dico ad centuriata etiam aut tributa accessisse. Eam vero esse Ciceronis illo in loco sententiam facile convincam, si locum illum ita esse restituendum, ut a me est restitutus, docuero. Ac primum consideranda est ratio, cur hæc de binis comitiis verba a Cicerone subjecta sunt. Perspicuum est enim, quia Rullus uno capite suæ legis volebat præter tributa comitia, tametsi non integra, quibus decemviri crearentur, ferri legem curiatam: propterea Ciceronem ad hanc comparationem juris a majoribus instituti, & iniquitatis legis Serviliæ, devenisse. Et cum videretur Rullus sua lege morem majorum, quod tam in usu erat, sequi velle, in eo, quod decemviris magistratum dabat tributis comitiis, quibus etiam curiatam legem adjungebat; contra Cicero id totum Rullo argutissime detrahit, ac docet, tametsi videatur majorum instituto id velle facere; eum tamen plane a more majorum discedere. Quo ut perveniat, morem majorum subjicit in toto genere magistratuum: quem hic tribunus plebis in decemvirorum magistratu observare præ se ferebat. Ex quo apparet, ut erant bina comitia, quæ fieri vellet in his decemviris Rullus, tributa & curiata: ita in omnibus magistratibus bina comitia fuisse, aut centuriata & curiata, aut tributa & curiata. Jam vero si propius considerentur illa Ciceronis verba: *Jam hoc inauditum & plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus.* Ex iis, inquam, verbis facile erit ex contrario concludere, usitati moris fuisse; cui ante datus fuisset magistratus veris quibusdam comitiis, lege curiata magistratus daretur. Unde efficitur, si justa comitia, quibus magistratus daretur, erant centuriata & tributa, & usitatum fuisse, ut ad illa justa comitia accederent curiata. Atque ut ad meam illius loci Ciceronis restitutionem veniam, ejus me auctorem habere ipsum Ciceronem, confirmo: quo minus requirenda est antiquorum librorum auctoritas. Verba illius ita habebant: *Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt: nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus: tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. Nunc, quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa, curiata autem auspiciorum causa remanserunt: hic tribunus plebis quia videbat potestatem neminem injussu populi aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis quæ vos non initis, confirmavit; tributa, quæ vestra erant, sustulit. Ita cum majores binis comitiis voluerunt vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit.* Illa verba corrupta esse nemo dubitat: verum si cum prioribus verbis sequentia recte conferantur, nullo negotio pauca verba, quæ desunt, adjicientur: & quod interturbatum erat, suo loco reponetur. Ac primum pro illo *censoribus* legendum esse *consulibus*, etiam mecum consentit Sigonius. In his vero verbis: *nam centuriata lex consulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus*, faciendam fuisse mentionem tributorum comitiorum, indicant verba paulo post sequentia: *nunc, quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa.* Cum enim Cicero in designandis illis binis omnium magistratuum comitiis, prima dicat fuisse centuriata & tributa, necesse est, secunda ex iis binis fuisse curiata, quod ipse satis indicat, cum subjicit: *curiata autem tantum auspiciorum causa remanserunt.* Unde efficitur, in superioribus illis verbis *tum iterum de iisdem* curiatorum mentionem fuisse faciendam, ita ut legendum esset *tum curiata iterum*. Hæc enim verba sunt, quibus

A secunda comitia ex binis designare voluit. Illud quoque necessario consequens est, ut in priore membro prima illa, quæ paulo post nominantur comitia, suum locum habeant, non modo factam esse mentionem centuriatorum, sed etiam tributorum comitiorum. Et quoniam centuriata patriciis magistratibus tribuuntur, plebeiis tributa esse tribuenda. Patriciis enim magistratibus plebeios opponi, nemo nescit. Ex quibus sequitur, sic omnino legendum esse: *Nam centuriata lex coss. ferebatur, & cæteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis: tum curiata iterum de iisdem judicabatur.* Atque ego hunc errorem ex librariorum imperitia ortum esse suspicor, B qui tributam legem non posse dici existimabant: ut etiam nunc sunt, qui dubitant, an lex tributa tam Latine dici possit, quam lex centuriata aut curiata. Ego igitur meæ restitutionis rationem breviter sic concludo. Verba illa *nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata & tributa*, ostendunt, Ciceronem in assumptione suæ argumentationis ita bina comitia, de quibus mentionem fecerat, distribuere, ut prima appellet centuriata & tributa: ex quo consequens est, secunda esse curiata. Necesse igitur est, in propositione ac ratione propositionis factam fuisse mentionem centuriatorum & tributorum comitiorum, C ut primorum: curiatorum vero comitiorum, ut secundorum. Aperte autem centuriata attribuit patriciis magistratibus: quibus plebeios opponi magistratus, nemo dubitat, consequens igitur est, ut tributa plebeiis magistratibus tribuantur. Et quoniam hanc meam sententiam alterius loci auctoritate firmari postulat Sigonius, ego & me ita fecisse, & facere posse contra quam ipse scribit, demonstrabo. Nam cur dissimulat locum illum Messalæ a me ex Gellio citatum ex lib. 13. c. 14. nullam causam video. Verba Messalæ hæc sunt: *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia: Ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus* D *creandis magistratibus tributis comitiis magistratus; sed justius curiata datur lege.* An non locus ille satis aperte demonstrat, ad minorum magistratuum tributa comitia accessisse legem curiatam, qua etiam justius magistratus daretur, quam ipsis tributis comitiis? Cumque adhuc erant justa comitia curiata, ac non illa tantum adumbrata per triginta lictores, cui dubium est, quin de minoribus illis magistratibus bis judicaret populus Romanus? quin haberentur de eodem magistratu comitia? Quod si minoribus magistratibus id verum esse ex illo loco perspicuum est, cur dubitabimus cum Cicerone ad omnes magistratus transferre? ac non ad eos tantum, qui E tale imperium haberent, quale iis modo magistratibus, qui exercitum ducerent, tribuit Sigonius? De quo tamen imperio quam valde ab illo dissentiam, in secunda illius reprehensione videbimus. Quod vero scribit Sigonius, non esse verisimile, si singuli magistratus binis, iisque diversis fuissent comitiis declarandi, non aliquam aliquando annalium scriptores eorum inter se contentionem literis prodituros fuisse, si aut curiata aut tributa comitia centuriatorum sententiam infirmassent; illa profecto ratio non modo infirma est, sed etiam tam valere potest ad infirmandam suam de binis comitiis sententiam, F quam meam. Nusquam enim annalium scriptores bina centuriata, aut bina curiata de eodem magistratu habita fuisse scribunt: neque usquam reperitur judicium priorum centuriatorum a posterioribus esse infirmatum: aut priorum curiatorum sententiam a posterioribus esse abrogatam. Id sane mihi non mirum videtur, si in historia non reperiamus, quod universus populus centuriatim aut tributim judicasset, a parte populi, quæ curiis continebatur, aliquando fuisse infirmatum, præsertim in magistratuum creatione. Quin tamen hoc pro suo jure populus posset ego non dubito. Ac si jus ac potestas populi quæ-

ratur, non quid aliquando ab eo factum sit; perspicuum est, vera esse Ciceronis verba, cum dicit populo reprehendendi potestatem fuisse, si eum sui beneficii pœnituisset. Nec mirum videri debet, Ciceronem ad populum verba habentem, ita populariter de causa curiatorum comitiorum locutum esse, ut, tametsi ob alias etiam causas, quam ut iterum judicaret populus de iis magistratibus, quos designasset magistratus, ornarentur lege curiata; illum tamen usum potissimum, qui populi potestatem maxime respiceret, accommodate ad suam causam acciperet. Atque ut tandem meam de binis comitiis sententiam confirmandi finem faciam, rursus totam Ciceronis argumentationem adversus Rullum propius inspiciamus. Decemviros Rullus ornabat lege curiata, hoc est, præter illa, per tribus septendecim comitia tributa, volebat de eorum imperio, quod prætorium esse volebat Rullus, ferri legem curiatam. In eo Cicero docere vult, tribunum plebis qui tantopere popularis hominis nomen aucupetur, tantum abesse ab eo, ut popularis sit, ut, quod jus a majoribus in magistratuum creatione constitutum erat, in quo populi potestas maxime constaret, hic tribunus plebis de eo jure nihil in his suis decemviris reliquerit. Nam majores bis de eodem magistratu judicandi potestatem populo faciebant, hic ne semel quidem judicandi de decemviris populo dat potestatem. Quæ enim tributa comitia de his haberi vult, ea pro nullis habenda sunt, quandoquidem major pars populi suffragio privatur: quæ adjungit curiata, ea jamdudum in usu esse desierunt, nec populus iis comitiis suffragium fert, sed triginta tantum lictores: nulla igitur Rullus sua lege populo relinquit comitia. Quod quid aliud est, quam populum jure suo privare? Cum ergo ea lex sit Rulli, qua optimo suo jure populus privetur, necesse est, & legem, & ipsum latorem legis nullo modo populares esse. Hanc argumentationem quis non videt ideo adversus Rullum valere, quia cum vetustate obsolevissent curiata comitia, tributa, quæ populo in usu erant, sua lege manca, & mutila populo dabat Rullus? Quod si integra reliquisset Rullus tributa comitia, & adhuc in usu fuissent curiata, plane in decemviris creandis morem majorum secutus fuisset: nec ullus fuisset locus huic Ciceronis argumento. Unde efficitur, eum fuisse morem majorum, quem dixi; ut scilicet ad justa comitia centuriata aut tributa in omnium magistratuum creatione adjungerent curiata: olim quidem & ad multam usque ætatem per triginta curias, posterioribus vero temporibus per triginta lictores: idque adeo, quod posterioribus temporibus de lege curiata tantum propter auspicia dicis causa retentum erat, olim justis comitiis peragi solitum fuisse. Concludatur ergo primum caput hac firmissima, opinor, ratione. Nihil obsolevisse recte dici potest, quod non aliquando in usu fuerit. Atqui ut de magistratibus lex curiata justis comitiis ferretur, id obsolevisse dicit Cicero, & tantum ad usurpationem vetustatis auspiciorum causa retentum esse: cum interim adhuc retinerentur prima illa comitia centuriata & tributa; prima, inquam, ex iis binis, quibus de singulis magistratibus apud majores populus judicabat. Necesse igitur est, ut id aliquando in usu fuerit in magistratuum creatione. Et si postremis temporibus obsolevisse dicatur, prioribus temporibus, adeoque apud majores, in usu fuisse necessario fatendum est. Nunc venio ad alterum caput: in quo demonstrare conabor, nec veram esse Sigonii de binis comitiis sententiam, nec loco Ciceronis accommodatam, nec illo, quem citat, Asconii loco ulla ex parte juvari. Quod scribit Cicero majores voluisse, ut de omnibus magistratibus binis comitiis populus judicaret, id Sigonius ita interpretatur, ut velit, qui magistratus centuriatis comitiis creabantur, binis

A centuriatis; qui curiatis, bis curiatis creatos esse. Qua interpretatione cogitur, morem illum majorum ad illa modo Reipubl. tempora referre, quibus consules tantum & quæstores Romæ creabantur, nec ulli alii præterea magistratus. Itaque cum ait Cicero, *nam centuriata lex consulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus*, illud, *cæteris patriciis magistratibus*, de quæstoribus interpretatur. Quæ interpretatio ut vera esse possit, necesse est, huic majorum instituto ad id usque tempus locum fuisse, quo ex patriciis tantum & consules & quæstores fiebant. Hic ego doctorum omnium judicium appello, an verisimile sit, Ciceronem ita
B locuturum, *majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt*, si ad duos tantum magistratus consules & quæstores id pertinuisset, aut quam sit accommodatum hoc genus loquendi, *cum curiata cæteris patriciis magistratibus*, cum unus tantum magistratus esse præter consules, qui patricius esset. Nam, quomodo convenit, cæteros patricios magistratus dicere, cum unus modo sit magistratus reliquus, de quo loquaris? Deinde vero sua interpretatione Sigonius hunc morem majorum ad id usque tempus locum habuisse significat, quo prærogativæ suffragium pro unis comitiis subrogatum est:
C idemque paulo post hunc locum, quem modo transcripsi, dicit: tum demum hanc prærogativam institutam esse, quando expletæ sunt XXXV. tribus. Atqui ex historia constat, XXXV. tribuum numerum non fuisse expletum ante finem primi belli Punici. Oportebat ergo, ut prima novissimis apte convenirent, sic locum Ciceronis interpretari, ut quod de binis comitiis magistratuum dicit, omnibus conveniret magistratibus, qui Romæ erant, usque ad illud tempus, quod dixi post finem primi belli Punici fuisse. At Sigonius non negabit, multo tempore ante primum bellum Punicum, omnes magistratus, qui quidem populi ac non plebis tantum essent,
D promiscue ex patribus & plebe creatos fuisse: ac præter consules & quæstores multos alios fuisse magistratus. Quomodo ergo apte mos ille majorum de quo loquitur Cicero, verbo coarctabitur ad patricios, tam paucos magistratus, cum re vera conveniat omnibus, qui tum erant, magistratibus, qui æque ex plebe creabantur atque ex patribus. Cum enim auctore Sigonio verum sit, magistratus, qui comitiis centuriatis fiebant, binis centuriatis fuisse creatos, ad illud usque tempus, dum prærogativa pro unis comitiis substituta est: hæc vero prærogativæ suffragatio non ante quingentesimum ad urbe condita annum eodem ipso auctore instituta sit: quid
E causæ est, cur Cicero, de hoc majorum instituto loquens, id quod in prætoribus & censoribus & omnibus consulibus, tam patriciis quam plebeiis, verum fuit, ad consules tantum, atque eos patricios, traduxerit? Et quod ad quingentesimum, & eo amplius, annum urbis cond. L. usitatum fuit, id non usque ad quadringentesimum retulerit? Constat enim ex historia, ante quadringentesimum annum urbis conditæ consules etiam ex plebe factos, cum multo ante tempore tribuni militares consulari potestate promiscue ex plebe & patribus facti essent. Quod si illa absurda videantur, nec aliunde tamen efficiantur, quam ex illa Sigonii interpretatione: reliquum
F est, ut minime accommodatam ad Ciceronis sententiam ejus interpretationem dicamus. Jam vero cum non possit Sigonius hanc prærogativæ pro unis comitiis substitutionem transferre ad illos magistratus, quos vult comitiis curiatis creatos; vellem pro binis comitiis curiatis, quid postea subrogatum sit, docuisset. An vult tamdiu fuisse bina curiata minorum magistratuum comitia, quamdiu fuerunt bina centuriata majorum magistratuum? Atqui id falsum est. Nam multo ante quam prærogativam institutam fuisse dicit, minores magistratus tributis

A comitiis creabantur. Id quod ego doceo ex ædilita-
te Cn. Flavii. Aedilem enim tributim factum esse,
historia testatur: ut a me in secundo de comitiis a-
perte ostensum est. Atqui multo ante tempore,
quam expletæ essent XXXV. tribus, ædilis fuit Cn.
Flavius. Quod si tum temporis ædiles curules tribu-
tis comitiis creabantur, cui dubium est, quin &
quæstores & reliqui minores magistratus iisdem co-
mitiis crearentur? Hoc ergo constitutum sit, multo
tempore, antequam expletæ essent XXXV. tribus,
minores magistratus tributis comitiis creari solitos.
An dicet bina curiata in solis quæstoribus in usu fuis-
se? atqui id tandiu, quandiu ex patriciis tantum
B creabantur: postea tributis creatos fuisse? Quid vero
mos ille majorum? ita ne repente abrogatus est, ut
pro binis comitiis curiatis nihil substitutum sit? Nam
prærogativæ suffragatio in tributis comitiis locum
non habuit, nec jure vocatæ in his comitiis tribus
intelligi possunt: quandoquidem semper uno modo
habita sunt tributa comitia, nempe ut forte omnes
tribus educerentur: nec ullæ unquam tribus pro suo
jure prius vocandæ fuerunt quam aliæ: quod fuit in
centuriis faciendum, pro jure ordinis, census, at-
que ætatis. Ergo, qui binis comitiis curiatis creaban-
tur quæstores, postquam admissum est, ut non mi-
C nus ex plebe quam ex patribus fierent, repente unis
comitiis tributis creari cœperunt? An non hoc est
animi causa fingere? Quid si Cornelio Tacito cre-
damus, quæstores quidem jam inde ab regibus fuis-
se, sed eos populi suffragio non fuisse creatos, nisi
sexagesimo tertio anno post reges exactos, qui an-
nus incidit in annum urbis cond. CCCVII. Coss. Sp.
Herminio & T. Virginio, ut quod de quæstoribus
scribit Plutarchus, sic interpretemur, quasi velit Pu-
blicolam legem tulisse, qua ii, qui erant quæstores
jam ante a Bruto consule nominati, ærario præfi-
cerentur. Constat enim ex Tacito, Brutum legem
curiatam retulisse de quæstoribus, hoc est, legem cu-
D riatis comitiis tulisse, non qua populus quæstores
crearet, (alioqui Tacitus sibi ipse contradiceret)
sed qua consulibus permittebatur quæstores designa-
re, perinde ut ante regibus licebat. Quæstores ve-
ro, quos primos dicit Tacitus populi suffragio fuis-
se factos, tributis comitiis declaratos ego suspicor:
ita tamen, ut auspiciorum causa lex curiata post de
eorum magistratu lata sit, quemadmodum in mino-
ribus magistratibus usitatum fuisse scribit apud Gel-
lium Messala. Cur vero illud ita esse existimem, eo
adducor, quod jamdudum in usu esse cœperant tri-
buta comitia, non modo in legibus, sed etiam in
plebeiis magistratibus, post perlatam Voleronis le-
E gem. At, si vera est Taciti historia, quis locus re-
stabit interpretationi Sigonii? Sin eorum potius se-
quamur opinionem, qui jam inde a regibus volunt
populi suffragio creatos quæstores, dicat mihi Sigo-
nius, quid causæ est, cur illud de binis comitiis cu-
riatis ad solos quæstores transferat? quando ex hi-
storia constat, alios multos magistratus, tametsi ex-
traordinarios, creatos fuisse toto illo tempore, dum
quæstores ex patriciis fiebant. Nam populi suffragio
reperimus creatos duumviros dicandis sacris ædibus,
triumviros coloniæ deducendæ, præfectos annonæ,
quæstores parricidii. Quid? quæstoresne binis, hi
F omnes singulis curiatis creabantur? At, si probabi-
lius videtur Sigonio, omnes binis, cur ad solos quæ-
stores sua interpretatione id revocat? Illud etiam ro-
go, cum perspicuum sit, usque ad legem Voleronis
perlatam, tribunos ædilesque plebis curiatis comitiis
fuisse creatos, rogo, inquam, nunquid binis tam
probabile est creatos fuisse, quam quæstores? Cur
ergo sua interpretatione ad patricios coarctabat, quod
pariter verum fuit in plebeiis? Jam vero sua inter-
pretatione Sigonius in binis comitiis nullum locum
relinquit tributis comitiis, sed tantum mentionem
facit centuriatorum & curiatorum: cum tamen Ci-
ceronis contextus plane in binis illis, quæ dixerat,
comitiis tributa numeret. Nam, quid aliud sibi vo-
lunt hæc verba, *nunc quia prima illa comitia tene-
tis centuriata & tributa*, quam ut significent, ex
binis comitiis, quæ more majorum habebantur de
singulis magistratibus, prima fuisse centuriata & tri-
buta, quæ etiam tum perinde, ut apud majores, in
usu essent? Non est igitur verbis Ciceronis accom-
modata illa interpretatio, qua tributa magistratuum
comitia excluduntur. Verum, ut magis ac magis
urgeam, ac propius cum Sigonio congrediar, illa
ipsa tempora, ad quæ nos revocat, consideremus;
ac videamus, verumne sit, primis illis Reip. tem-
poribus binis comitiis centuriatis consules creatos
fuisse. Nos ex Ciceronis verbis docuimus, usitatum
fuisse, ut magistratus lege curiata daretur ei, cui
aliis veris justisque comitiis datus erat. Ex quo con-
sequebatur, de quo magistratu lex centuriata lata
erat, usitati moris fuisse, de eo ut lex etiam curia-
ta ferretur. At, si quando lex curiata justis comitiis
lata est, primis temporibus maxime id usitatum fuis-
se, Sigonius fateatur, necesse est. Primis ergo illis
temporibus de consulibus lex curiata justis comitiis
ferebatur. Atqui, Sigonio auctore, centuriata lex
bis de iisdem ferebatur. Non igitur binis modo co-
mitiis de consulibus, ut ait Cicero, sed ternis judi-
cabant majores. Quia enim imperii consularis præ-
cipua pars in belli gerendi potestate consistebat, adeo
ut consules creare idem prope esset, quod impera-
tores creare: auctore autem Cicerone, consuli, si
legem curiatam non haberet, attingere rem milita-
rem non licebat; necessario efficitur, omnibus tum
consulibus legem curiatam ferri necessarium fuisse:
primis ergo illis temporibus cum erant justa populi
per XXX. curias comitia, lex curiata ita de imperio
consulum ferebatur, ut, nisi negare velimus libera
fuisse populi suffragia, potestas populo esset juben-
di, quod vellet de consulum imperio: atque adeo
(quemadmodum Cicero dicit) reprehendendi quod
jam decreverat, si populum beneficii sui pœniteret.
Semel igitur de consulibus a populo judicabatur cu-
riatis comitiis: quibus si cum Sigonio adjungamus
bina centuriata, relinquitur, ut non bis tantum,
(quemadmodum ait Cicero) sed ter judicaret popu-
lus more majorum de consulibus. Venio jam ad lo-
cum Asconii, quem citat Sigonius ex commentario
in 2. Verrinam. Eum locum video varie legi. Nam
in quibusdam codicibus legitur eo modo, quo legit
Sigonius, *bina omnino de iisdem candidatis*, in aliis,
bina denuo de iisdem, in aliis, atque adeo in vete-
ribus, ut testatur Hotomannus, *bina domo*, in aliis,
meo quidem judicio optime, *bina quodam modo de
iisdem*, ita ut totus locus sic legatur: *Prærogativæ
tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jure
vocatas. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis
concordia populi firmaretur, bina quodammodo de iis-
dem candidatis comitia fieri: quorum tribus primæ
prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur,
quos vellent consules fieri: secundæ jure vocatæ,
quod in iis sequente populo, ut sæpe contingit, præ-
rogativarum voluntatem, jure omnia complerentur.*
Ex his Asconii verbis colligit Sigonius, prærogati-
væ sententiam pro unis comitiis habitam fuisse: re-
liquarum, quæ jure vocatæ dicebantur, judicium
pro alteris: atque ita bina quodammodo fuisse co-
mitia de singulis candidatis, qui comitiis centuria-
tis magistratum accipiebant. In quibus habet me
quoque adstipulatorem. Verum hactenus tantum.
Nam, quod adjungit, hæc verba ad id pertinere,
quod Cicero in 2. agraria scribit de binis comitiis:
quodque ante institutam prærogativæ suffragationem
integra dicit fuisse bina centuriata; atque id ex hoc
Asconii loco se posse colligere existimat: in iis vero
omnibus longe ab illo dissentio: eaque ex Asconii,
aut verbis, aut sententia recte induci posse perne-

go. Primum enim scimus, Asconium Neronis ætate scripsisse; quo tempore nulla fiebant populi comitia, desierantque fieri jam inde a principio imperii Tiberii. Itaque cum ad filios scribat omnis rationis comitiorum ignaros, quid mirum est, si, ut de re jam longe ab eorum notitia remota, ita de prærogativis & jure vocatis tribubus scribat? Cum ergo dicit, morem olim fuisse, ut bina quodammodo comitia de singulis candidatis fierent, non est id ad vetustiorem morem referendum, quam ad eum, qui observabatur toto illo tempore, ex quo prærogativæ tribus & jure vocatæ esse cœperunt. Quoniam enim majorum instituto prærogativa justorum comitiorum omen erat, eo respiciens Asconius recte dicit prærogativæ sententiam pro unis comitiis quodammodo fuisse. Verum ut non potest ex eo, quod dicitur, prærogativa omen fuisse justorum comitiorum, recte colligi, ante institutam prærogativam fuisse pro illa justa quædam comitia, ita nec ex Asconii verbis id concludi potest. Nam, quod de populi concordia in comitiis firmanda scribit Asconius, id non eo pertinet, ut significet, ne populus ægre ferret tolli altera ex duobus comitiis, quibus de magistratibus judicare ante solitus erat, ideo prærogativæ suffragationem institutam: sed potius contra ipsa, ut scripta sunt, verba significant, cum ante non essent bina comitia, ad firmandam populi concordiam factum esse, ut quodam modo bina essent. Et certe (ut meam de hac re obiter sententiam aperiam) quod de firmanda populi concordia scribit Asconius, id ego sic esse accipiendum existimo. Non dubium est, quandiu Servii regis instituto habita sunt centuriata comitia, quin tota vis comitiorum esset penes primores, hoc est, penes eos, qui maximi censura erant. Idque adeo verum fuit, ut, quoniam equitum ac primæ classis centuriæ numero plures erant, quam reliquarum classium omnes centuriæ, vix unquam requireretur in dicendis suffragiis reliquæ multitudinis populi, quæ illis classibus continebatur, sententia. Cum ergo mutatum est Servii institutum, quod Livius libro primo docet factum esse post expletas XXXV. tribus: cumque duplicatus est numerus centuriarum a Servio institutus, perspicuum est, tum multo magis vim omnem suffragiorum illa centuriarum duplicatione in primores inclinasse. Unde efficiebatur, ut reliqua multitudo vix in partem veniret suffragiorum. Quod perquam grave ac molestum plebi futurum haud dubie erat, nisi huic incommodo prudenter subventum esset. Id vero sortitione prærogativæ effectum est. Nam, ex omni populo sorte deligebatur una centuria, quæ prima suffragium diceret: nec jam equites primi pro suo antiquo jure sententiam dicebant, nisi ita sors tulisset: sed æque in infimæ classis centurias id cadere poterat. Quocirca recte Asconius dicit, prærogativæ institutione firmatam fuisse populi concordiam. Et sane, cum in populi suffragiis instituta est prærogativa, tum nova quædam comitiorum forma indicta est, ac novum propemodum genus comitiorum in remp. invectum. Quod enim omnes tribus primum in sortem conjiciebantur, deinde omnes ejusdem tribus centuriæ, ut nullo habito delectu census aut ætatis ea prima rogaretur, quæ prima exierat; hæc, inquam, omnia nova fuerunt, & in comitiis centuriatis non ante usitata. Quandoquidem sine ulla sortitione semper vocarentur primæ pro suo jure equitum centuriæ: deinde primæ classis seniorum prius, post juniorum centuriæ. Quare non immerito dicit Asconius, cum prærogativa instituta est, bina quodammodo fuisse facta comitia de iisdem candidatis. Quod si propter prærogativæ suffragationem in rempubl. invectam bina quodammodo de singulis candidatis comitia fuerunt: idque est, quod verba Asconii significant: omnes profecto, qui recte conjicient, non id colligent ex Asconii loco, quod Sigonius colligit, ante prærogativæ suffragationem fuisse bina centuriata comitia integra: sed contra potius, cum ante non fuissent bina de iisdem candidatis comitia centuriata, prærogativæ institutione factum esse, ut quodam modo bina essent: idque ad firmandam (ut Asconius ait) populi concordiam. Postremo, cum prærogativæ suffragatio non minus ad legum ac judiciorum centuriata comitia pertinet, quam ad magistratuum comitia: rectumne videri potest, quod Sigonius hanc prærogativæ sententiam pro unis comitiis, quæ de magistratibus habebantur, substitutam fuisse affirmat? Neque enim putare eum existimo, bina etiam centuriata legibus ferendis ante institutam prærogativam fuisse habita. At, si ad omnia pariter centuriata comitia pertinuit prærogativa, cur in uno genere comitiorum pro unis comitiis dicetur substituta, in alio genere minime? Et quomodo Ciceronis loco interpretando, in quo de binis magistratuum comitiis loquitur, proprie convenire dicetur? Si ergo loco illo Asconii magis refutatur Sigonii de binis comitiis sententia, quam confirmatur: si nullo historiæ testimonio nititur: si nullo modo ad verba Ciceronis est accommodata: mea contra & historiæ testimoniis & veterum scriptorum auctoritate confirmatur, & apte illi Ciceronis loco, de quo agitur, convenit; meæ potius quam Sigonii standum esse sententiæ omnes, opinor, docti judicabunt.

Ad secundam Sigonii reprehensionem priusquam veniam, totum illud caput de imperiis mihi ex ejus libro huc transcribendum esse videtur; ut melius appareat, quibus in rebus mihi cum illo convenit, & quibus ab illo dissentio: *Nunc dicendum est de imperiis. Est enim hoc ex propositis honorum generibus tertium. Imperium autem non jam majorem quandam prehendendi & coercendi potestatem, sed exercitum habendi & belli gerendi facultatem appello; quomodo intellexit in Antonium Cicero, cum dixit: (Demus igitur imperium Cæsari, sine quo res militaris administrari non potest.) Quod imperium quantum ab illo differat, inde intelligi potest, quod imperium illud in urbe, hoc nisi extra urbem non habetur, nisi forte senatusconsulto summo illo, quo dixi; muniti fuerint consules, ut provideant, ne quid respublica detrimenti accipiat. Et magistratus quidem, qui illud habet, nullo alio honoris titulo, nisi qui magistratus nomine continetur, ornatus est: hoc qui adeptus est, idem imperatoris nomen usurpat. Et illud quidem cum magistratu, & cum fascibus ipsis mandatur, (est enim jus magistratus) hoc alia ratione, atque aliis comitiis, quam ipse magistratus, defertur. Mandatur autem aut magistratibus, aut privatis: illis, ordine, ut prætoribus, consulibus & dictatoribus: his, extra ordinem, ut qui consulatu aut prætura abierint, aut alio modo privati fuerint. Est autem operæ precium intelligere, quemadmodum cum consulatus & prætura centuriatis comitiis, dictatura vero consulis appellatione deferatur, ipsorum tamen imperium curiata lege, non centuriata firmetur. Hoc docet Livius, qui libro 5. dixit, comitia curiata rem militarem continere: & Cicero, qui in 2. agraria: (Consuli, si legem curiatam non haberet, rem militarem attingere non licere.) Item, consulibus legem curiatam ferentibus, a tribunis plebis sæpe intercessum esse. Et iterum Livius libro nono, qui scriptum reliquit, dictatori Papyrio legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidisse, quod Faucia curia principium fuerit. Ex quo suspicari facile possumus, idem in prætoribus etiam evenisse. An vero hoc perpetuum in consulibus fuerit, ut imperium habere, id est, bellum gerere, nisi lata lege curiata, nequiverint, merito revocari in quæstionem possit. Primum enim illud movet admirationem, quod ex infinita prope consulum multitudine, quos ad bella quotannis missos produnt historiæ, neminem præcipua hac curiata de imperio le-*

A *ge ornatum videmus. Deinde extant verba Ciceronis, ex quibus apparet, legem curiatam consulis rebus aptam fuisse, necessariam non fuisse. Sunt autem in epistola ad Lentulum: (Appius conf. dictitat, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam; si curiata lex non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum. Legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse. Se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. Sunt qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur.) Et libr.3. ad Fratrem: (Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum.) Et lib.4. ad Att. (Appius* B *sine lege, suo sumptu, in Ciliciam cogitat.) Quibus verbis significat, consuli fuisse utilem legem curiatam, verum non necessariam. Nam etiam sine ea imperium obtinuisse. Probe. Nam ante legem quidem Corneliam, qui provinciam habebat, si ultra annum eam obtinuisset, prorogatione imperii eguit: lege autem Cornelia, donec in urbem reversus esset, imperium (ut ille innuit) tenuit. Præterea vero, qui legem curiatam non habebat, is ne senatus quidem consulto eo ornatus fuit, quo sumptus de publico suppeditabatur: qui autem habebat, viaticum a senatu obtinuit. Quocirca legem curiatam utilem quidem appellavit, quia* C *sine ea viaticum obtineri non poterat: non necessariam vero, quia etiam sine ea haberi in provincia imperium poterat. Age vero, magistratus sine lege curiata imperium habuerunt: num vero privati eam desiderarunt? multo (ut mea fert opinio) minus. Hoc cum multa confirmant, tum maxime verba Ciceronis in secunda agraria, cum ait: inauditum & plane novo more esse, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis ante comitiis sit datus: id est, ut imperium privato lege curiata tribuatur. At, qua lege privati imperium a populo acceperunt? nempe tributa. Ut de continuando P. Scipioni imperio Livius: (Consules jussi cum tribunis plebis agere, ut, si iis videre-* D *tur, populum rogarent, quem vellent in Africa bellum gerere. Omnes tribus populi Scipionem jusserunt.) Et de Lentulo ac Stertinio: (Plebs Cornelio Lentulo & L. Stertinio procoss. imperium esse in Hispania jussit.) Sic Cn. Pompeio magno contra piratas lege Gabinia: adversus Mithridatem lege Manilia. Animadverto etiam imperium privato sæpe S. C. mandatum. Ut Cn. Pompeio proconsuli adversus Sertorium in Hispaniam: Cn. Pisoni auctore Salustio propræt. in eandem: C. Octaviano propræt. ex sententia Ciceronis adversus M. Antonium Mutinam coloniam oppugnantem. Qui autem a senatu imperium accepissent,* E *eos nomen imperii tantum, sine ullo viatici subsidio, assecutos, nescio an ex Pompeii epistola conjici possit, quam ad Senatum ex Hispania Proconsul misit; & stipendium petiit: quæ est apud Salustium: (Equidem fateor, me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum: qui, nomine modo imperii a vobis accepto, diebus quadraginta exercitum paravi.) Cur autem privati lege curiata imperium accipere non potuerunt? credo, quia curiata comitia auspicata erant. Proconsules autem & Proprætores, utpote qui, teste Cicerone, privati & sine magistratu essent, auspicia non habebant: tributis autem comitiis recte accipiebant, quæ erant, ut dixi, inauspicata. Nam P. Sci-* F *pionis, quem privatum cunctis centuriis cum imperio in Hispaniam missum esse inquit Livius, novum plane ac singulare exemplum est. Atque hæc quidem mea de imperio sententia est. Neque enim satis probare possum eruditi hominis in primis ac diserti Nicolai Gruchii opinionem, qui his duntaxat, quas proposui, auctoritatibus fretus, neminem omnino censet sine curiata lege imperium habuisse: cum tamen iisdem testimoniis privatos homines tributa lege imperium accepisse facile revincatur. Neque vero in eo etiam illi assentior, quod ait legem curiatam bis esse latam: primum, magistratus mandandi causa; deinde, imperii transmittendi. Quod quoniam unius Ciceronis ex 2. in Rullum testimonio nisus affirmat, an is fuerit in ea re Ciceronis sensus, paulo diligentius, quod etiam supra, cum de suffragiis ageremus, fecimus, exquiramus. Sic loquitur Cicero: (Primum lege curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, & plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus.) Dico igitur Ciceronem (ut sæpe alias solet) captiose agere atque argute: aliamque, quam quæ erat, Rulli sententiam demonstrare. Rullus enim decemviros agrarios legi comitiis tributis volebat, curiatis autem imperio decorari. Sed quoniam non omnes tribus ille advocari jubebat, propterea ea comitia pro nullis esse habenda existimat: ac reprehendit, quod novo more imperium detur lege curiata ei, cui magistratus nullis ante comitiis datus sit. Inde alteram captionem adfert: perinde enim verba legis Serviliæ accipit, quasi Rullus magistratum decemviris binis comitiis mandari juberet, tributis & curiatis; non autem magistratum tributis mandaret, imperium curiatis: & vitio dat, quod tributa comitia imperfecta afferat, curiata obsoleta referat. Idque eo indignius esse ostendit, quod, cum apud majores bina essent comitia, centuriata, quibus consules, & curiata, quibus reliqui magistratus crearentur, eaque bis haberentur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret, hic tamen comitia bina adhibuerit ille quidem, sed aut manca, aut obsoleta. Ex quo intelligi potest, Ciceronem aptius ad causæ, quam ad veritatis rationem ita disputasse: idque eum, cum apud imperitam multitudinem ageret, facile efficere potuisse.* Summa nostræ controversiæ est de lege curiata, quæ magistratibus ferebatur. Ego eam ad omnes magistratus, qui populi, ac non plebis modo essent, pertinuisse assero. Sigonius ad paucos, atque adeo ad eos modo, qui rei bellicæ imperium habuerint, pertinuisse existimat. Ac ne iis quidem magistratibus, quibus militare imperium erat, necessariam fuisse legem curiatam dicit. Ego contra necessariam iis fuisse, ad legitimum obtinendum imperium, confirmo. Sed quoniam tota hæc controversia nostra dirimenda est ex veterum auctorum lectione, ego aliquot locos, in quibus fit mentio legis curiatæ, subjiciam, atque ita tractabo, ut meam opinionem illis locis confirmari, Sigonii vero sententiam, aut infirmari, aut non juvari doceam. Livius libr. 5. ita loquentem inducit Camillum. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent; comitia centuriata, quibus consules tribunosque militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi adsolent, fieri possunt? Veiosne hæc transferemus? an comitiorum causa populus tanto incommodo in desertam hanc ab diis hominibusque urbem conveniet?* Ex hoc Livii loco hæc omnia videantur colligi posse. Primum, auspicata comitia hæc tantum duo fuisse, centuriata & curiata. Cum enim vellet Camillus populo dissuadere, non esse Veios Roma relicta migrandum, idque potissimum vellet docere, non posse populum, quin se religione obstringeret, id facere: hanc de auspiciis rationem attulit; quæque erant auspicata comitia, ea negat posse auspicato haberi, nisi Romæ. Quæ causa est, ut tametsi jam tum frequens usus esset tributorum comitiorum, eorum tamen nullam faciat mentionem: quia scilicet non ab omnibus comitiis argumentum duceret, sed ab iis modo, quæ auspicata essent. Illud etiam ex eo loco intelligi potest, Camillum, quo magis populum commoveret, comitiorum centuriatorum & curiatorum usum illo tempore & frequentem, & maxime necessarium populo proposuisse, cum dicit curiata comitia rem militarem continere; comitiis centuriatis consules tribunosque militares creari. Attamen si quis ex eo colligere vellet, nullum alium horum comitiorum

usum tum fuisse, conclusionem & falsam & ineptam faceret. Certum est enim, ut tum temporis multæ leges ferebantur centuriatis comitiis, ita curiatis comitiis tum in arrogationibus, tum in maximi Curionis ac Flaminum creatione, populum usum fuisse. Unde efficitur, alios etiam usus tum fuisse horum comitiorum, quam hi, quorum meminit Camillus. Illud quidem certe verum est, quod dicit Camillus, curiata comitia rem militarem continuisse: hoc est, magistratibus omnibus, qui rem militarem attingerent, adeo necessaria fuisse curiata comitia, ut non possent, nisi lege curiata de eorum imperio perlata, rem militarem attingere. Ex quo apparet, quam necessaria erat Reip. administratio rei militaris; tam fuisse necessarium usum curiatorum comitiorum. Idque, quod de lege curiata dixi, adeo verum fuit, ut non modo consulibus aut tribunis militaribus, quos solos majores magistratus adhuc populus creaverat, curiatis illis comitiis opus fuerit; sed etiam dictatori, qui absque populi suffragio fiebat. Ex quo perspicuum est, usum curiatorum comitiorum latius patuisse, quam centuriatorum: si quidem curiata de omnibus magistratibus, qui tum temporis ad bella gerenda mittebantur, haberi oportebat; non de omnibus centuriata. Quod autem de dictatore dixi, ex illo etiam Livii loco doceri potest, qui scribitur lib. 9. 1. Decad. ubi de L. Papyrio dictatore ita loquitur: *Atque ei legem curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit: quod Faucia curia principium fuit, duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis: quod utroque anno ejusdem fuerat principium. Macer Licinius tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam facit. Dictator postero die auspiciis repetitis legem pertulit.* Quem locum si diligentius perpendere velimus, non modo id perspiciemus verum esse, quod de dictatore dixi, sed etiam usitatum fuisse, ut de imperio consulum aut tribunorum militarium consulari potestate, qui ad illam usque ætatem creati erant, singulis annis lex curiata ferretur: nam, quo anno urbs capta est, tribuni militum consulari potestate erant tres Fabii Q. N. & Cæso, P. Sulpitius, Q. Servilius Fidenas, 4. P. Servilius Maluginensis. Cum facta est pax Caudina, consules erant T. Veturius & Sp. Posthumius. Et cum cæsi sunt ad Cremeram, Fabii coss. etiam erant, qui summum imperium habebant. Ex hoc igitur loco apparet & de illorum tribunorum militarium, & de horum consulum imperio latam fuisse legem curiatam, in qua Faucia curia fuit principium. Cum vero Livius ita loquitur, *quod utroque anno ejusdem fuerat principium*, nonne significat, usitatum fuisse, ut singulorum annorum consulibus aut tribunis lex curiata ferretur, in qua non Faucia, sed aliqua alia melioris ominis curia principium esset? Quo magis miror Sigonium, diligentissimum historiæ Romanæ observatorem, scribere, ex infinita consulum multitudine, quos ad bella quotannis missos produnt historiæ, neminem præcipua hac curiata de imperio lege ornatum videri. Est & alius locus Ciceronis in 2. Agraria, qui ita scribitur: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: hic qui vetat intercedi potestatem, etiamsi intercessum sit, tamen eandem constituit, quam si lata esset lex.* Hunc locum ego sic interpretor. Irridendus est Rullus, inquit Cicero, in eo, quod suis vult decemviris licere, quod ne consulibus quidem licet. Ut sit argumentum a majori ad minus, quod ita tractari possit. Consularis imperii pars potissima est in rei militaris, quam pro jure sui magistratus habet, potestate: attamen consulibus non licet absque lege curiata rem militarem attingere: atque adeo non licet ea, quam habent, potestate uti, absque lege curiata: multo ergo minus id licere debet decemviris agrariis, ut sua, quanta a Rullo datur, potestate uti possint. Ex iis ergo locis quid possit elici, quo nostra controversia dirimatur, videamus. *Consuli* (inquit Cicero) *non licet rem militarem attingere absque lege curiata.* Hoc vero si consuli non licet, multo minus prætori licet; in quo etiam mecum Sigonius consentit. Atqui hoc ipsum licere rem militarem attingere, est imperium obtinere: quod etiam concedit Sigonius. Nulli ergo consuli aut prætori licuit militare imperium obtinere absque lege curiata. Adde nunc & primum illum Livii locum, *comitia curiata rem militarem continent.* Quid est, Sigoni, comitia curiata rem militarem continere, aliud, quam sine lege curiatis comitiis perlata, nemini licuisse rem militarem attingere? An non illis verbis Camillus necessarium usum comitiorum curiatorum populo subjecit? Quod si comitia curiata ad rem militarem necessaria fuisse locus ille convincit: illa vero necessitas non possit in alia re intelligi, quam ut de lege curiata intelligatur, quæ magistratibus militare imperium habentibus ferebatur: illud profecto necessario fatendum est, quod a me libro tertio de comitiis dictum est, omnibus magistratibus, qui cum imperio in provincias mittebantur, necessariam fuisse (ut nihil per vim, aut præter leges fieret) legem curiatam. Quod vero Sigonius de Appio consule ex Cicerone profert, meam magis confirmat sententiam quam suam: fatebatur enim Appius lege curiata sibi opus fuisse, hoc est, ut jure ac more majorum imperium obtineret, eguisse lege curiata: cur enim tantopere contendisset, ut sibi curiatam legem ferre liceret? At, perverse & maligne interpretando legem Corneliam, non esse omnino necessariam sibi legem curiatam dicebat; lex enim Cornelia non de obtinendo, sed de prorogando imperio erat. At Appius ita in rem suam interpretabatur, quasi liceret ei imperium habere per legem Corneliam, etiam non observatis iis, quæ more ac instituto majorum ad obtinendum legitimum imperium erant necessaria. Quod autem dixi, si jus quidem quæratur, Appio necessariam fuisse legem curiatam, verba Ciceronis, quæ continuo sequuntur, significant: *Ego, quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: varias esse opiniones intelligo. Sunt qui putant posse te non decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur. Sunt etiam, qui, si decedas, a te relinqui posse, qui provinciæ præsit. Mihi non tam de jure certum est (quanquam ne id quidem valde dubium est) quam illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, libertatem, (qua te scio libentissime frui solere) pertinere, te sine ulla mora provinciam successori concedere,* nonne id non dubii juris fuisse Cicero significat, quia sine lege curiata Lentulo succedere volebat Appius, potuisse Lentulum imperium retinere, ac successorem non admittere? Attamen, ut de jure suo potius decedat, consulit Lentulo Cicero. Extra ordinem ergo & præter leges imperium obtinebant, qui sine lege curiata in provincias proficiscebantur; ut plane superiora illa cum his postremis collata convincunt. Quare, cum vel a populo, vel a senatu datum privato alicui imperium legimus, quia nihil aliud intelligere possumus, quam ex privato factum esse aliquem aut proconsulem aut proprætorem; id vero erat aut consulare, aut prætorium ei imperium dare: hoc porro imperium ut legitimum esset, accessione legis curiatæ opus habuit: necesse est, ut fateamur, eos omnes, qui privati in provincias cum imperio mittebantur, lege curiata ornari oportuisse. Nam si iis, qui in magistratu essent, lege tamen curiata opus fuit, multo profecto magis iis opus fuit, qui privati erant: postquam certe justis quibusdam comitiis magistratum acceperant, præsertim post legem a C. Cornelio tribuno plebis perlatam, ut pluribus docui libro 2. de comitiis. Cum enim iis, qui

cum imperio mittebantur in provincias, quas prætorias senatus nominaverat, lex curiata ferebatur; nunquid probabilius est, unam simul omnibus latam fuisse, quam vel seorsum de unoquoque, vel de quibusdam latam fuisse, de aliis minime? Atqui sæpe usuveniebat, ut in hoc numero essent multi, qui non erant ex prætorum illius anni collegio, sed vel ex proximo, vel ex aliquo etiam superiore prætorum collegio: qui quidem tum privati erant. Quam ergo probabilem causam adferre poterit Sigonius, cur illius anni prætoribus, qui in provincias ire vellent, ferretur lex curiata, aliis prætoriis, qui simul cum iis in provincias ac pari imperio mittebantur, non ferretur? Quod idem in iis etiam quæri potest, qui in eas, quas senatus consulares decreverat, mittebantur. At proprætores & proconsules (inquit Sigonius) nec magistratus erant, nec auspicia habebant. Illud falsum, hoc verum. Nam, si magistratus non fuerunt, improprie, ne dicam inepte, locutus est Cicero, qui toties hoc eos nomine appellat, cum alias, tum vero sæpe in orationibus: ubi conqueritur, a nostris magistratibus diripi provincias, a magistratibus socios vexari. Ut omittam, plane id absurdum videri, non esse eum magistratum, qui fasces, qui summum imperium, ac potestatem habere passim apud Latinos auctores legatur. Et quæstores scilicet, qui extra urbem provincias obtinebant, magistratus fuerunt: prætores provinciarum non fuerunt. Quod vero negat auspicia habuisse proconsules & proprætores, id facit auctore Cicerone libro 2. de Divinatione: neque tamen in eo mihi satis caussæ esse videtur, ut lege curiata eos ornatos fuisse negandum sit. Quibus enim consulibus provinciæ dabantur ætate Ciceronis, eas fere non administrabant, nisi peracto anno sui consulatus; unde apparet, proconsules illos suas provincias gessisse. Ad imperium tamen illud provinciale transmittendum, lege curiata iis opus fuisse demonstravi. Quanquam ergo illis provincialibus imperiis gerendis auspicia non adhiberent; iis tamen obtinendis auspicata lege curiata opus habebant. Quod ergo proconsules auspicia non haberent, non potest ratio esse, cur lege curiata non ornarentur. Tametsi enim posterioribus temporibus, nescio quo antiquæ religionis contemptu, neglecta ac plane omissa essent auspicia bellica, quæ in bellis gerendis majores servari voluerant: quin tamen auspicato crearentur ii magistratus, quibus militare imperium dabatur, id vero non dubito: eoque adducor, tum illis, quas ante adduxi, rationibus, quæ hac una conclusione comprehendi possunt: *Nullus magistratus imperium obtinere jure ac legibus potuit absque lege curiata: omnes proconsules & proprætores magistratus & fuerunt, & ab Latinis auctoribus appellati sunt. Nullus ergo horum absque lege curiata legitimum imperium obtinere potuit:* tum vero T. Livii verbis statim initio libri 6. 3. Decad. quæ ita habent: *Principio ejus anni, cum de literis L. Martii referretur, res gestæ magnificæ visæ: titulus honoris, quod imperio non populi jussu, non ex auctoritate patrum dato, proprætor senatui scripsisset, magnam partem hominum offendebat. Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus & solenne auspicatorum comitiorum in castra & provincias procul ab legibus magistratibusque ad militarem temeritatem transferri.* Verba enim illa, *solenne auspicatorum comitiorum*, non possunt de tributis comitiis intelligi, quibus tamen fere tum temporis proprætores & proconsules fiebant, ut etiam fatetur Sigonius: neque enim tributa comitia auspicata erant. At ne id quidem potest de centuriatis intelligi, quæ proconsulibus & propræt. creandis vix unquam leguntur habita, nisi in uno P. Scipione, cum procos. in Hispaniam missus est, idque novo more & extra ordinem, ut etiam recte Sigonius scribit. Restat igitur, ut de cu-

A riatis comitiis intelligatur. Quare præter illa inauspicata plebis comitia, quæ de proprætoribus a tribunis plebis fere semper tum habebantur, alia etiam comitia auspicata, atque illa curiata, habita fuisse oportet; aut verum non est, quod de proprætorum imperio loquens Livius dicit, *solenne auspicatorum comitiorum*. Sequitur nunc, ut ostendamus, non eos solum magistratus, quibus militare imperium erat, lege curiata ornatos fuisse; sed etiam alios magistratus, qui quidem populi ac non plebis tantum magistratus essent. Ac primum omnes, qui magistratuum minorum nomine continentur, illis Messalæ verbis, quæ a me citata sunt, ex A. Gellii B lib.13. cap.14. lege curiata ornatos fuisse, verba illa aperte demonstrant: *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi minores, hi majores magistratus appellantur. Minoribus creandis magistratibus, tributis comitiis magistratus, sed justius curiata datur lege. Majores centuriatis comitiis fiunt.* Nam, si eorum auspiciorum, quæ erant penes patricios, partem alteram habuerunt minores magistratus, necesse est, ut illa auspicia a populo accepta haberent, auspicatis quibusdam comitiis fuisse creatos. At tributa, quibus creabantur, auspicata non erant: non ergo justum magistratum tributis accipiebant. Quia C ergo minoribus magistratibus centuriata non adhibebantur, relinquitur, ut curiata de iis haberentur. Illudque adeo est, quod ait Messala, justius iis dari magistratum curiata lege, quam tributis comitiis. Et quod innuit Cicero in 2. Agraria, cum scribit curiata comitia tantum auspiciorum caussa remansisse. Ita enim omnino accipiendum est, ut significet, illa quidem comitia, quæ olim de magistratibus triginta curiarum suffragio habebantur, desiisse fieri; eorum tamen speciem atque imaginem retentam esse propter auspicia. Ex quibus perspicuum est, omnibus quæstoribus, omnibus ædilibus curulibus, omnibus tribunis militaribus, ac reliquis minoribus D magistratibus, iis exceptis, qui plebis tantum, non populi erant magistratus, lege curiata opus fuisse. Et quoniam non modo Messala, sed etiam Cicero hoc loquendi genere utitur, ut lege curiata magistratum dari dicat, falsa sunt illa Sigonii pronunciata: Aliis comitiis magistratum, aliis imperium dari: lege curiata imperium, non magistratum accipi. Quin potius contra, qui tributis comitiis creabantur, justius curiata lege magistratum accipiebant, quam tributis comitiis. Cicero certe pro iisdem accipit has omnes dicendi formas, *decemviros lege curiata ornari, decemviris lege curiata magistratum dari, decemviris legem curiatam ferri,* E *decemviros lege curiata potestatem habere.* Quod vero in decemviris Cicero dicit, cur non possit ad alios magistratus transferri nulla causa est. Triumviros ergo, quinqueviros, aut quotquot creari placebat, sive ad agros dividendos, sive ad colonias deducendas, cum dicemus lege curiata ornatos fuisse, hoc dicemus, quam habebant potestatem, atque adeo suum magistratum, lege curiata, quæ ad comitia tributa accedebat, accepisse. Neque enim verisimile est, quod dicit Sigonius, lege curiata hujusmodi magistratus imperium, hoc est, ut ipse interpretatur, belli gerendi facultatem accepisse. Nam, F qui non coloniæ deducendæ, sed agro tantum publico dividendo creati erant, ex urbana plebe maxime, iisque adeo civibus, qui erant e sexta classe, omni onere militiæ immuni, eos desumebant, quibus agros assignabant. Et qui in colonias nomina dabant, tametsi ex iis magna ex parte essent, qui sub iis ducibus meruerant, quorum opera in populi Romani potestatem ea oppida venerant, in quæ coloniæ deducebantur; omnes tamen in pacata jam oppida, non ad bellum gerendum se proficisci credebant. Quis vero unquam hanc nominis dationem in coloniam, aut in agrum, delectum mi-

litarem appellavit? Quis ductores coloniarum (de iis non loquor, quæ poſtremis temporibus coloniæ militares dictæ ſunt) imperatores vocavit? Quod ergo imperium militare intelligi poteſt, ubi nullus hoſtis, nullum bellum decretum, nullus delectus, nullus imperator cernitur? At ſub vexillo, inquit, deducebantur. Id quidem verum eſt. Attamen in eo ego umbram tantum ac ſpeciem imperii militaris agnoſco, verum imperium non agnoſco. Atque, ut meam tandem opinionem proferam de imperio magiſtratuum, omnes ego magiſtratus poteſtatem habuiſſe exiſtimo; quæ tam late pateret, quam jus ſui magiſtratus: hoc eſt, reipublicæ procuratio, quatenus ei publice demandata erat. Verum in ea poteſtate alii imperium habebant, alii non habebant. Imperium habuiſſe dicuntur omnes, qui pro ſuo magiſtratu, hoc eſt, qua patebat ſui magiſtratus poteſtas, jus habebant imperandi; uſqueadeo ut parendi neceſſitatem imponerent. Idque jus imperandi in quibuſdam magiſtratibus tam in rebus bellicis quam in rebus urbanis valebat: ut in conſulibus, quibus domi bellique ſuum imperium erat. Et quoniam prætores collegæ erant conſulum, illorum etiam imperium pariter ad res bellicas & urbanas valuiſſe reperitur: adeo ut verum ſit, prætoribus jus fuiſſe imperandi domi & militiæ, perinde ut conſulibus; tametſi majus eſſet conſulis imperium quam prætoris. In aliis magiſtratibus jus imperandi ad res tantum urbanas pertinebat, ut in cenſoribus, quibus in omnes cives jus fuit imperandi eatenus, quatenus cenſus agendi poteſtas pertinebat. Ac ne quis dubitet, cenſores imperium habuiſſe, citabo locum Livii ex 1. Dec. lib. 4. ubi de cenſura loquens, nomen imperii ei attribuit: verba dictatoris Æmylii, qui annuam ac ſemeſtrem cenſuram ex quinquennali facere volebat, hæc ſunt: *Se, quod intra muros agendum eſſet, libertati populi Romani conſulturum. Maximam autem ejus cuſtodiam eſſe, ſi maxima imperia diuturna non eſſent*. In aliis vero magiſtratibus jus imperandi in re tantum bellica valebat, ut in tribunis militaribus ad legiones. Nam, imperium eos habuiſſe, verba Livii oſtendunt, cum de his ita ſcribit lib. 9. Dec. 1. *Et duo imperia eo anno dari cœpta ſunt per populum, utraque ad rem militarem pertinentia. Unum, ut tribuni militum ſenideni in quatuor legiones a populo crearentur*. Hic vero libens obiter rogarem Sigonium, quomodo in his tribunis militum (quorum erat hujuſmodi magiſtratus, ut totus conſiſteret in rei militaris adminiſtratione) magiſtratum ab imperio diſtinguet, & quomodo unis comitiis magiſtratum, aliis comitiis imperium dabit? Ut ergo multa eſſent ac diverſa munera publica, in quibus magiſtratuum imperium cerneretur; verbi tamen ſignificatio una ſemper erat, ut imperium ſignificaret majorem illam reipub. gerendæ poteſtatem, in qua ineſſet coercendi cogendique facultas, quæ parendi neceſſitatem imponeret. Quod ſi in omnibus, qui in provincias mittebantur, pariter & eodem modo verum fuit, eos fuiſſe cum imperio, ita ut illud *cum imperio eſſe* una verbi ſignificatione in omnibus illis acciperetur; verum profecto non eſt illud *cum imperio eſſe* ſignificare *exercitui præeſſe*, cujus quis imperator eſſet: permultos enim legimus provincias conſulares aut prætorias obtinuiſſe cum imperio, quibus tamen nullus exercitus, cui præeſſent, decretus erat. Cur enim in pacatas provincias, & in quibus nulla eſſet belli ſuſpicio, mitteretur exercitus? At in pacatas provincias quam multi prætores miſſi leguntur? Quinetiam conſulares provinciæ interdum tales decernebantur, in quibus exercitu nullo modo opus eſſet. Svetonius in Cæſare ita ſcribit: *Eandem ob cauſam opera optimatibus data eſt, ut provinciæ futuris conſulibus minimi negotii, id eſt, ſylvæ calleſque decernerentur*. His, opinor, adminiſtrandis ignobilibus
A provinciis, quæ ſylvarum publicarum & ſaltuum publicorum, in quibus paſcerentur pecora, unde ſcripturæ vectigal conficiebatur, procurationem continebant, legionibus opus non fuit. Ex quibus efficitur, ſi illi modo imperium habuiſſe, aut cum imperio fuiſſe dicantur, qui exercitum habuerunt, cui præeſſent, quemadmodum videtur velle Sigonius, permultos fuiſſe conſules ac prætores, qui in provincias mittebantur, quos, non fuit verum dicere, cum imperio fuiſſe. Illud quidem certe verum fuit, poteſtatem eos habuiſſe exercitus comparandi, ſi quid accidiſſet in ſua provincia, cur exercitu opus eſſe videretur: at verum non fuit, omnes exercitui
B præfuiſſe. Potius ergo illud, *cum imperio eſſe*, ſignificabat talem magiſtratum obtinere, in cujus poteſtate ineſſet belli gerendi facultas, tametſi nunquam bellum attingeret; quam ut ſignificet, cujuſdam exercitus imperatorem eſſe. Jam vero cum legimus, magiſtratibus prorogatum fuiſſe imperium, ſi in eadem ſignificatione verbum *imperii* accipiatur in omnibus magiſtratibus, ita neceſſe eſt vim illius verbi interpretari, ut omnibus illis accommodari poſſit. At, ſi ita interpreteris, ut tantum ſignificet, poteſtatem ducendi exercitus, cui quis præerat, ei prorogatam eſſe, non omnibus accommodabitur, quandoquidem
C multi exercitum nullum habuerunt, quibus prorogatum fuiſſe imperium legitur. Non ergo hoc ſignificat *imperium*, quod dicit Sigonius. Et ſane, cum prorogatum imperium legimus, aliud nihil intelligere poſſumus, quam magiſtratui continuatam eſſe eam, quam habebat jure ſui magiſtratus, poteſtatem; ſive juriſdictionem, ſive rem bellicam ſpectes. Ac ſi proprætoris poteſtas non modo cernitur in rei militaris adminiſtratione, ſed etiam in juriſdictione, & omni reliqua reipub. adminiſtratione, quoad fines ſuæ provinciæ paterent: illud autem certum ſit ex 5. Philippica, cum decretum eſt Cæſari Octaviano imperium a ſenatu, proprætoris
D poteſtatem ei datam eſſe: ſic enim ſcribitur: *Demus igitur imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari, teneri exercitus, bellum geri non poteſt: & ut ſit proprætor eo jure, quo qui optimo*. Datum ergo Cæſari imperium, non ſignificat idem, quod belli gerendi poteſtatem ei datam eſſe, ſed reipub. capeſſendæ, ac muneris publici auctoritate publica gerendi datam ei poteſtatem: cujus pars eſſet rei bellicæ adminiſtratio, non tota ipſa poteſtas: omninoque illud, *Demus imperium Cæſari*, aliud nihil ſignificat, quam ex privato faciamus eum magiſtratum, atque adeo proprætorem, cujus magiſtratus
E jure prætorium imperium habeat, tam jure dicendo, quam in bello gerendo. Nam, ſi ita interpreteris, ut vult Sigonius, inepta repetitione utetur Cicero, cum dicit: demus Cæſari poteſtatem belli adminiſtrandi, ſine qua bellum adminiſtrari non poteſt. Verum, omiſſa hac de ſignificatione verbi *imperii* diſputatione, ut ad legem curiatam redeam, ego ſic rurſus communem rationem concludam: *Omni magiſtratui, cui pro jure ſui magiſtratus licuit rem militarem attingere, opus fuit lege curiata. Atqui omni dictatori, omni conſuli, aut conſularem poteſtatem habenti, omnique prætori, aut prætoriam poteſtatem habenti, licuit pro*
F *jure ſui magiſtratus rem militarem attingere. Omni ergo dictatori, omni conſuli, aut conſularem poteſtatem habenti, omni denique prætori, aut prætoriam poteſtatem habenti, opus fuit lege curiata*. Nam omnium dictatorum par fuit atque eadem poteſtas; itemque conſulum: tametſi diverſæ eſſent provinciæ, nunquam fuit poteſtas diſpar, aut unius conſulis majus imperium, quam alterius: quod item verum eſt in prætoribus. Si ergo horum quibuſdam licuit pro jure ſui magiſtratus rem militarem attingere, omnibus licuit. Quod ſi poteſtatem habere adminiſtrandi rem bellicam, tametſi nun-

quam bellum attingas, satis causæ habet, ut imperium quis obtinuisse dicatur: illa vero potestas non adventitia fuit, sed in ipso magistratu insita: certe in ipso magistratu tale imperium inerat, quale vult lege curiata datum fuisse Sigonius. Ex historiæ Livianæ lectione perspicuum est multos dictatores fuisse, qui nullum bellum externum gesserunt, ut qui ob tumultus suspicionem, qui tamen nullus fuit, creati sunt (sicuti Æmylius Mamercus, is, de quo supra mentionem feci) qui ad sedandas domesticas seditiones facti leguntur, qui ad magistratuum habenda comitia, qui clavi figendi, qui ludorum primum instituendorum causa creati produntur. Quin tamen in horum omnium dictatorum magistratu inesset belli administrandi facultas, qua, si res ita postularet, uti possent, negari non potest. Sed, quia exercitu nihil opus erat, non utebantur ea, quam habebant, potestate illa ex parte: sed quam ad rem potissimum dictatorio imperio opus esse senatus judicasset, in ea suum imperium exercebant. Ut enim magister equitum (qui magistratus, ut ipsa appellatio docet, proprie rem militarem respiciebat, nempe, quod equitum dux esset) non semper hoc munere sui imperii in bello gerendo utebatur: ita dictator, cum in sui imperii prima ac potissima parte id haberet, ut peditum dux esset; non tamen ea semper parte imperii utebatur, sed ad necessitatem reipubl. imperium suum conferebat. Quin tamen uterque, quacunque de causa creatus esset, imperium haberet militare, id vero negari non potest. Sumamus, exempli causa, L. Quintum Cincinnatum dictatorem, & C. Servilium Ahalam magistrum equitum, qui ad opprimendum Sp. Melium, regnum affectantem, creati sunt. Quod ergo illi præsidia undique in urbe disposuisse leguntur, nonne pro imperio illo militari, quod habebant, id fecisse dicendi sunt? Id vero imperium militare, qua lege, nisi curiata obtinuerunt? Non igitur verum est, quod scribit Sigonius, imperium, quod lege curiata obtinebatur, non, nisi extra urbem, obtentum fuisse. Ac, si quod lege curiata obtinebat imperium dictator, ad id imperium pertinuit, quod tam in urbe quam extra urbem habebat: id vero imperium erat illud ipsum imperium, quod in ipso magistratu dictatoris insitum erat, idque adeo, quod cum ipso magistratu obtinebatur: necesse profecto est, cum legimus de dictatoris imperio legem curiatam latam fuisse, de universo dictatoris imperio, quod jure sui magistratus habebat, intelligi; ac non de illa tantum exercitus ducendi potestate adventitia, quam solam imperii nomine intelligit Sigonius. Quod idem certe dicendum est in aliis omnibus magistratibus, de quorum imperio legimus latam fuisse legem curiatam. Id vero apertissime doceri potest ex formula legis curiatæ, qua ornari volebat suos decemviros Rullus: quam scribit Cicero hujusmodi fuisse: *Eam legem ab eo prætore, qui sit primus factus, ferri jubet. At quomodo? Ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit.* Primum enim ex iis verbis intelligimus, legem curiatam ferre de imperio decemvirorum, aliud nihil fuisse, quam de ipso decemviratu legem ferre: ita ut ornari decemviros lege curiata idem esset, quod de ipso decemvirorum magistratu legem curiatam ferre. Deinde vero, si (ut licet) hanc formulam legis curiatæ velimus ad alios magistratus transferre, hoc plane verum esse comperiemus; legem curiatam de imperio magistratuum ferre, idem valuisse, quod de ipsis magistratibus imperium habentibus legem curiatam ferre: ut scilicet ii magistratum haberent, quos populus designasset. Atque, ut ego tandem hanc de lege curiata disputationem concludam, postrema ratio, quæ Sigonium maxime urgebit, hæc erit: *Quibus magistratibus exercitum imperare licuit, eis lege curiata, auctore etiam Sigonio, opus fuit. Atqui omnibus dictatoribus, omnibus consulibus, ac omnibus prætoribus, iis etiam, qui in urbe tantum imperium obtinuerunt, exercitum imperare licuit.* Cum enim centuriata comitia haberi non possent, nisi imperato exercitu, quemadmodum in lib. de comitiis ego docui ex A. Gellii lib. 15. cap. 27. & ex T. Livii lib. 9. Decad. 4. omnes profecto magistratus, quibus centuriata comitia habere licuit, imperandi exercitus jus habuerunt. At illis omnibus, quos modo nominavi, centuriata comitia habere licuit. *Illis ergo omnibus lege curiata opus fuisse ad obtinendum etiam urbanum imperium, necessario fatendum est.* Atque illa quidem ratio id plane confirmat, quod a me scriptum est lib. 3. de Comitiis, legem illam curiatam, quam legimus latam magistratibus in provincias profecturis, postquam sui magistratus annum in urbe peregerant, aliam fuisse videri ab illa ordinaria lege curiata, quæ singulorum annorum magistratibus ferebatur: illamque legem ad transmittendum potius imperium fuisse, quam ad obtinendum: quod tamen Sigonius non probat. Et quoniam, ut in omnibus magistratibus, qui universi populi essent, id verum esse, quod dixi de lege curiata, perfecta inductione demonstratum sit; soli restant censores, in quibus separatim non docui, curiata lege eos ornatos fuisse: pauca de illis, quæ mihi probabilia videntur, subjiciam. Censoribus jus fuit lustri condendi, id vero, teste Livio lib. primo, quin ediceretur exercitus, ipseque exercitus instructus lustraretur, non potuit fieri. At illud imperium, quod in imperando lustrandoque exercitu erat, militare quoddam imperium erat. Censoribus ergo ad illud militare imperium obtinendum (vel Sigonio auctore) lege curiata opus fuit. Nam si imaginarium illud imperium, colonos sub vexillo tanquam exercitum deducendi, satis causæ habuit, cur lege curiata coloniarum ductoribus opus fuerit, quemadmodum Sigonius putat, multo profecto magis, aut non minus certe, censorem illud imperium edicendi ex omni populo exercitus, ejusque lustrandi, legem curiatam requisivisse dicendum est. Quæ si vera sunt, perfecta inductione a nobis conclusum erit, in omnibus magistratibus, tam majoribus quam minoribus, legem curiatam ferri solitam. Unde efficietur, non modo vera esse, quæ non probantur a Sigonio in secunda reprehensione; sed etiam verissima esse illa, quæ de binis comitiis a me ad primam ejus reprehensionem dicta sunt.

CAROLI SIGONII
De binis comitiis, & lege curiata posterior cum
NICOLAO GRUCHIO
DISPUTATIO.

ILLUSTRISSIMO JUVENI
NICOLAO FIERLEIO
de Dambrovicza, Joannis, Palatini Lublinensis F. Casimiriensi Præfecto,
CAROLUS SIGONIUS S.



UM *multæ sunt in tota antiquitate Romana difficiles quæstiones atque obscuræ, tum nulla meo judicio majoribus est tenebris ac difficultatibus involuta, quam quæ est de vetere binorum comitiorum & legis curiatæ consuetudine. Hanc autem primus his, ut opinor, temporibus excitavit Nicolaus Gruchius Rotomagensis, doctus vir in primis, & Græcis Latinisque literis eruditus. Cujus ab auctoritate cum ego non levissimis, ut mihi videbatur, rationibus discessissem in iis libris, quos de antiquo jure civium Rom. sexennio ante confeci, ferre hoc, ut video, gravissimus homo non potuit. Itaque librum ea de re adversus me, nescio quem, superioribus mensibus Lutetiæ divulgavit. In quo cum caussam suam summa diligentia egit, tum mihi hac de re quasi litem apud homines eruditos; quorum ille judicium interdum appellat, intendit. Quare cum pristinæ meæ tuendæ sententiæ gratia, tum ne veritas præsidio patrocinioque nudata succumberet, universam hanc quæstionem revocata totius rei memoria retractare, eamque breviter literis mandare coactus sum, ne fortasse aut inertiæ crimen subirem, si eruditum virum in me omnibus ingenii viribus irruentem perferrem, aut imprudentiæ, si falsam illius opinionem longiore oratione refellerem. Quæres nunc fortasse, Nicolae, juvenis clarissime, cur hæc ego potissimum ad te? scilicet, ut præclarum judicium de te meum apud omnes homines hoc genere monumenti testificer. Tu enim cum majorum splendore ac virtute clarissimus es, tum propriis laudibus ex bonarum præsertim artium tractatione collectis ita abundas, ut ad summam nominis tui gloriam majorum commendationem haud multum desideraturus esse videaris: quanquam merito Nicolaus, proavus tuus, qui Castellanus Cracoviensis, id est, primæ vir in senatu sententiæ fuit, & summus Polonicarum copiarum imperator ingentem ex domita Prutenorum novas res molientium gente gloriam reportavit, & Petrus avus, qui Palatinus Russiæ, ac senator, virtutem ac sapientiam ad remp. administrandam incredibilem attulit, & Joannes pater, Palatinus Lublinensis, ac summus regni Poloniæ Marescallus, plurimum te accendere aut exemplo, aut laude sua ad omnem cupiditatem excellentiæ possunt. Accedit, quod tu me Bononiensi in Academia hæc studia tractantem ita studiose audis, ut hujus unius rei caussa in Italiam ex remotissimis regionibus accessisse videaris. Neque vero tu solum hoc facis, ut me pro tua humanitate plurimum diligas, verum amore etiam tuo totius Polonicæ juventutis ingenio atque nobilitate præstantis vetus erga me studium ac benevolentiam*

acuis: ut nisi me tibi, nisi vobis omnibus hoc nomine plurimum debere confitear, aut omnis prorsus expers humanitatis sim, aut certe honoris ejus, quo maximo, vestro omnium judicio, sum affectus, ignarus. Quare si te, si tuos omnes meo qualicunque hoc ingenii monumento, tanquam non ingrati animi testimonio, ornari volo, non injuria, mea quidem sententia, facio. Vale. Bononiæ, Kalend. Februar. M. D. LXVI.

DE USU

BINORUM COMITIORUM

IN MAGISTRATIBUS.



Etsi, cum ab opinione Nicolai Gruchii de vetere comitiorum consuetudine recedebam, nunquam fore putabam, ut ipse, quo est ingenio atque judicio præditus, meam, si nosset, de binis comitiis, & lege curiata sententiam improbaret; facere tamen non potui, quin magnam paulo ante ex eleganti illius, atque erudita responsione voluptatem animo ceperim, qua suam sibi conjecturam defendendam, meam vero acrius oppugnandam suscepit. Quam ob rem, quoniam ille proprio hac de re libro, & quidem adversus me, ut ipse scripsit, inscripto, quodammodo me ad justum hujus disputationis certamen contentionemque visus est provocasse, faciam equidem non invitus, ut simul & voluntati ejus obsequar, si me scripto lacessere cogitavit, & Romanarum literarum rationibus consulam, si quid eas meæ fortasse opinionis expositione cepisse detrimenti existimavit; id est, explicabo, quid ille hoc de genere, quid ego sentiam, accuratius, ac quomodo ego illius, quomodo ille meam frangat abjiciatque sententiam, persequar studiosius, ut si non aliam honestis his afferre studiis opem possim, doctissimi saltem hominis, atque omnium sine dubio disertissimi opinione diligenter excutienda, reliquis fortasse rectius aliquid de re obscurissima statuendi caussam afferam. Brevi autem, ac moderato in primis genere orationis utar, ne forte optimum virum, optimorumque mihi studiorum societate conjunctum vexare videar velle, si eum uberiore dicendi copia, atque adeo etiam acriore impugnem.

Hic igitur in iis libris, quos superioribus annis de Comitiis luculentissimos divulgavit, de antiqua binorum comitiorum ratione ita censet: ab exactis nempe regibus usque ad imperium Cæsaris per annos prope quingentos, omnes magistratus binis comitiis esse creatos; patricios quidem centuriatis & curiatis; plebeios vero tributis & curiatis, ita ut curiata sententiam confirmare, atque rescindere possent centuriatorum ac tributorum: atque hoc factum esse, sive cum justa curiata adhibebantur, populo per triginta curias suffragante, ut primis temporibus; sive cum adumbrata, lictoribus ad usurpandam vetustatem suffragia curiarum nomine ineuntibus, ut postremis. Sententiam vero suam Ciceronis atque Messalæ confirmare conatur auctoritate. Ac Cic. quidem ex 2. agraria: *Primum lege curiata decemviros ornatos. Jam hoc inauditum, & plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus.* Ex quibus verbis elicit, si inusitatum erat, ut magistratus daretur lege curiata, cui nullis ante comitiis esset datus, sane usitatum fuisse, ut lege curiata daretur, cui aliquibus ante comitiis esset concessus. Et paulo post: *Atque hic perspicuum est, quid juris a majoribus acceperitis, quid*

A *ab hoc trib. plebis relinquatur. Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt: nam centuriata lex consulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret; nunc, quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa, curiata auspiciorum tantum causa remanserunt; hic autem trib. plebis quia videbat, potestatem neminem injussu populi, aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit: tributa quæ vestra erant, sustulit.* B *Ita cum majores binis comitiis voluerint vos de singulis magistratibus judicare, hic homo popularis ne unam quidem populo comitiorum potestatem reliquit. Sed videte hominis diligentiam; vidit, & perspexit, sine curiata lege decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti, jubet ferri de his legem curiatam.* Ex his autem, quoniam nihil colligere suæ aptum accommodatumque sententiæ potest, depravata ea a librariis esse insimulat, atque ita suo jure emendat: *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, & cæteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis, tum curiata iterum de iisdem judicabatur.* Qua lectione constante Ciceronem ita argumentari contendit: C Qui potestatem populo comitiorum adimit, non est popularis; adimit autem Rullus, quia majores voluerunt, vos binis comitiis de singulis magistratibus judicare. Nam patricii magistratus creabantur centuriatis & curiatis, plebeii vero tributis & curiatis. Addit autem, in hac propositione tributorum comitiorum mentionem esse supplendam, quia eam post in assumptione subjungit, inquiens: *Nunc, quia prima illa tenetis centuriata & tributa, curiata auspiciorum tantum caussa remanserunt.* Messalæ autem verba sunt apud Gellium lib. 13. cap. 14. *Reliquorum magistratuum minora sunt auspicia. Ideo illi majores, hi minores appellantur. Minoribus creandis magistratibus tributis comitiis magistratus, sed* D *justius curiata datur lege.* Ex quibus in hunc ille modum concludit: Si minores magistratus tributis comitiis dantur, sed justius curiatis, profecto binis comitiis dantur, tributis & curiatis. Quod si minores binis constituuntur, certe etiam majores

Atque hæc quidem illi usque adeo firma visa sunt, ut ea nulla auctoritate refelli, nullaque omnino ratione convinci posse sibi persuaserit. Mea vero longe alia mens est. Cum multa præclara ab eo in illo comitiorum commentario sint collecta, nihil tamen minus ad veritatem propensum, nihil magis a ratione alienum, nihil denique tam absonum E inveniri, quam quæ de usu binorum comitiorum & præcepit idem, & sensit. Cujus meæ sententiæ rationem quanquam breviter in libris de antiquo jure civium Romanorum explicavi, iterum tamen accuratius hoc loco, præsertim ab eo coactus, exponam; atque una auctoritatibus rationibusque ejus adversus me proximo libello prolatis, quantum ingenio consequi licebit, occurram. Ego igitur fieri potuisse nego, ut omnes magistratus binis ita comitiis declarati sint, ut ad patricios quidem centuriata cum curiatis adhibita sint, ad plebeios vero tributa cum curiatis.

Primum, quia mirum mihi videtur, cum hæc a

liberata republica usque ad oppressam, annorum ferme quingentorum intervallo ita sint factitata, nullam in rerum gestarum monumentis ejus temporis extare memoriam, quo curiata semel saltem sententiam centuriatorum, tributorumve resciderint: præsertim vero, cum ad id advocarentur, ut populus reprehendendi potestatem haberet, si forte sui beneficii pœniteret. Deinde, quia si patricii magistratus omnes, ut ille censet, lecti essent centuriatis, & omnes plebeii tributis, nemo est tam obtuso ingenio, qui non videat, futurum, ut qui tributis essent creati, omnes essent plebeii. At ædiles curules & quæstores, vel ipso teste Gruchio, tributis constituebantur; & tamen erant patricii. Quare non omnes patricii centuriatis creati sunt neque soli plebeii tributis. Præsertim vero cum patricii magistratus omnium confessione fuerint, qui prius patritiis patuerunt; plebeii vero, qui tantum plebeiis. Neque enim, quod ille opponit, plebeios magistratus accipiendos hic esse pro minoribus, est huic quæstioni satis. Quis enim Latine unquam tam corrupte loquutus est, ut plebeium magistratum pro minori, id est, pro eo, cujus auspicia sunt minora, posuerit? aut quis unquam veterum monumenta literarum adeo perverse correxit, ut novam antiqui verbi significationem nulla prisca fultus auctoritate induxerit? scilicet, quod amicus meus homo acutissimus in eo libro, in quo omnia corrigendæ antiquitatis adjumenta collegit, cum Additionem, Ablationem, Transpositionem, Extensionem, Contractionem, Distinctionem, Copulationem, Mutationemque attulerit, non vidit, id ab alio excogitatum, recipiemus? Jam vero si magistratus vere plebeii, ut tribuni, ædilesque plebis, ipsomet auctore Gruchio, singulis tantum comitiis sint declarati; quæstores autem ædilesque curules non plebeii fuerunt, sed patricii, profecto plebeii nulli binis comitiis illis sint constituti. Neque vero illud negligendum esse opinor, si curiata comitia centuriatis attexerentur, ita ut eorum sententiam ac judicium infirmarent, fore, ut populus non haberet reprehendendi potestatem, si sui beneficii pœniteret: quam ob rem? nempe, quia centuriata semper universum populum sunt complexa, curiata non semper: in centuriatis enim populus universus ex censu, & ordine, & ætate descriptus perpetuo suffragium tulit, in curiatis, ut quisque triginta curias habitavit: atqui triginta curiæ in Palatio, aut certe in urbe tantum fuerunt, quomodo igitur, qui procedentibus temporibus agrum Romanum, qui municipia, qui denique Italiam totam jam civitate donatam incoluerunt, cum essent curiis exclusi, suffragium inierunt? Verum contemnamus hoc, ac prorsus pro nihilo habeamus; num vero illud etiam vanum atque inane putabimus, quod, si ita esset, efficeretur, ut, quod alii scivissent, alii reprehenderent? quid enim? nonne accidere potuit, ut quem primæ centuriæ consulem dixissent, quæ locupletissimorum fuerunt, eundem sexdecim curiæ abrogarint, quæ quod ex civibus ultimarum forte classium centuriarumque constabant, tenuissimum hominum genus continuerunt? Age vero, quam verisimile illud videtur, qui consul propter excellentem fortasse virtutis opinionem certo judicio ab universo populo centuriatim lectus erat, aut, qui quæstor, & ædilis curulis ab universa plebe tributim, permissum esse, ut eum triginta, si diis placet, curiarum lictores suis suffragiis temere atque inconsulto repudiarent? Quæro præterea, si curiæ centuriarum decretum tollere irritumque facere potuerunt, cur tandem cum sæpe alias, tum Punico bello prærogativam centuriam, quod Otacilium, virum parum bello idoneum, consulem nominasset, principes civitatis revocarunt, atque eam precibus mutare sententiam coegerunt, cum tamen curiata centuriatis opponere liceret, & jure potius, quam precibus contendere, honestius, & triginta curiarum lictores de centuriarum reprehendenda sententia admonere, facilius esset? Hoc loco rationes, inquiet ille, probabiles istas non curo, auctoritates requiro, quibus nihil est ad constituendam antiquitatem accommodatius: assentior. Conquiramus auctoritates, testimonia veterum perscrutemur. Quid? Camillus cum dixit apud Livium: *Comitia curiata, quæ rem militarem continent; centuriata, quibus consules, tribunosque militum consulari potestate creatis, ubi auspicato, nisi, ubi assolet, fieri possunt?* nonne diserte curiata rei militari, centuriata magistratuum creationi attribuit? Nam, si consules æque curiatis creabantur atque centuriatis, cur hæc ille jura distinxit & separavit? profecto, quia centuriatis magistratum, curiatis militare imperium mandari, ut postea demonstrabimus, intellexit. Jam vero cum inquit in agraria Cicero: *Majores de omnibus magistratibus vos binis comitiis judicare voluerunt. Nam centuriata lex consulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus. Tum iterum de iisdem judicabatur:* nonne tacite ostendit, majorum illud institutum evanuisse, neque amplius observari? Ferebatur enim, inquit, lex centuriata apud majores, atque iterum de iisdem judicabatur; quasi amplius eo modo non ferretur, nec binis comitiis judicaretur, ut apud majores. At mutata est, inquis, ratio, quia majores triginta curias advocarunt, nunc triginta curiarum lictores adhibent. O rem pusillam! cur tanta constituatur superiorum & inferiorum temporum oppositio: major certe illa, ac gravior, quam ego post mea constituenda opinione aperiam. Verum leve sit hoc, ac prope commentitium: quid illud, quanti faciendum esse arbitramur? quod qui cum Gruchio sentiet, cum Cicerone dissentiat est necesse? Gruchius enim inquit, Rullum decemviros suos lege curiata ornasse, quia more majorum erat institutum, ut omnes magistratus primis comitiis declarati, secundis curiatis confirmarentur: at Cicero inquit, Rullum id fecisse, *quia vidit eos potestatem habere non posse, quoniam per novem tribus erant constituti*, id est, non ab universa plebe, ut assolebat. Age vero, si more majorum, si ex ordine magistratus omnes comitiis curiatis, Gruchi vir doctissime, sancirentur, num Rullum ipsum in eam se necessitatem adducturum existimas, ut ad decemviros suos lege curiata ornandos prætores legem curiatam ferre compelleret? at compulit: sic enim loquitur Cicero: *Jubet, qui primus prætor factus sit, eum legem curiatam ferre. Si is ferre non possit, qui postremus. Si lex curiata non erit, tum ii decemviri eodem jure sint, quo qui optima lege.* Ex quibus quis est tam hebes, qui non intelligat, legem curiatam eum ad agrarios curatores extra ordinem adhibere? At Cicero scilicet, ac Messala id voluerunt. Videamus, an ita sit, atque una eorum utriusque verba liquidius (sunt enim obscuriora) interpretemur. Primum profers hæc: *Jam hoc inauditum, ac plane novo more, uti curiata lege magistratus detur, cui nullis ante comitiis sit datus.* Atque ex his hanc conclusiunculam elicis: si inusitatum est, uti magistratus detur lege curiata, cui nullis ante comitiis sit datus, sane usitatum est, ut detur, cui aliquot comitiis ante est datus. Qua conclusione ut nihil potest esse festivius, sic nihil ad eludendum frangendumque facilius. Quis est enim in differendi ratione tam rudis, qui non sentiat, si inusitatum sit, ut magistratus lege curiata privato detur, non magis consequi, usitatum esse, uti magistratus lege curiata magistratui detur, quam uti magistratus lege curiata non detur? Quod si hoc etiam subtilitatis fortasse caussa non perspicit, illud certe, quod cæco etiam apparet, quemnam laturum existimamus, quod, quam rationem ad suos creandos decemviros adhibet Rul-

lus, ea in ejusmodi potestate ex omni parte, ut ipsa etiam potestas, extraordinaria est, propterea que ex hac non esse reliquorum magistratuum, qui ordine creentur, normam, exemplumque sumendum? Quæ si infirma fortasse videntur, consideremus porro, iis verbis oratorem infinitam illam a Rullo concessam decemviris potestatem, non eorum creationem exagitare. Nam creationem redarguerat supra, cum dixerat: *Jubet tribunum plebis creare decemviros per tribus decem & septem*. Deinde extraordinariam hanc potestatem agreditur, cum ait: *cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur, primum lege curiata decemviros ornat. Jam hoc inauditum, ac plane novo more, uti magistratus lege curiata detur, cui nullis comitiis ante sit datus.* Post autem veniat, quæso, illud quoque in mentem, lege curiata decemviros ornare, non esse decemviros magistratu afficere, verum aliquot eis ornamenta adjungere. Quod ostendit ipse, cum inquit: *Videte nunc, eos, qui a nobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat, quam omnes nos affecti sumus, quibus vos amplissimas potestates dedistis:* nimirum significans, ordinariam potestatem comitiis tributis esse decemviris datam, quam ipse nullam appellat, quia non omnes ille triginta quinque tribus adhibuit: extraordinariam vero, quam ornamenta vocat, curiatis. At Cicero dixit, lege curiata magistratum eis datum, non ornamentum magistratus. Recte admodum & scite; cur? quia ordinaria potestas est magistratus, extraordinaria est & magistratus & ornamentum magistratus, quippe quædam ordinariæ potestatis accessio. Exempli causa, curatores agrarii ex ordine omnes eo jure creantur, ut agros publicos pro arbitrio dividere possint, nunc si qui extra ordinem cum majori potestate creentur, ut decemviri a Rullo, tum major illa potestas & magistratus dici poterit, quia ad jus pertinebit, & ornamentum magistratus, quia majorem eis dignitatem, & jus amplius, quam alii ante habuerint, largietur. Magistratum autem ibi pro ornamento magistratus esse capiendum, quis non videt? Quæro enim, quod dat lex curiata, id non ne aut est magistratus, aut ornamentum ejus? negari non potest: non est autem magistratus, quia sequeretur, ut, cum dictator, aut consul ornatur lege curiata, magistratus ornaretur magistratu. Quod esse absurdum, ex eo apparet, quia dictator & consul ante legem curiatam de se latam dictatorio & consulari semper munere functi sunt. Quare lex curiata ornamentum dat magistratui, non magistratum magistratui. Quod ni ita sit, falsa hæc propositio erit: Inusitatum est, uti magistratus lege curiata detur, cui nullis ante comitiis sit datus: quia dictator, magister equitum, interrex, præfectus urbis cum nullis comitiis crearentur, tamen te auctore lege curiata omnes ornabantur. Quæres fortasse, cur magistratum dixit, non magistratus ornamentum? nempe, quia uberiorem hæc vox, quam illa, ad insectandam actionem Rulli erat præbitura materiam: neque enim si magistratus ornamentum dixisset, illa suggerere potuisset, quæ hujus vocis occasionem nactus de magistratibus infert binis comitiis apud majores creatis. Quæ a Rullo neglecta prorsus esse ad conflandum odium criminatur: in quo se gerit, ut solet, oratorie, ac prope veteratorie. At postea inquit, decemviros a Rullo curiatis comitiis confirmatos, non ornatos. Ne hoc quidem plane absurde. Nam cum lex curiata magistratui præcipue ferri soleret, factum est, ut cum est lata decemviris, magistratum eis, de quo ambigi poterat, confirmarit. Quare si certus eorum erat magistratus, is est a curiata lege ornatus; sin autem controversus, sine dubio confirmatus. Hoc fundamento, quod tu caussæ tuæ firmissimum esse putasti, concusso, jam facilius reliqua superædificata labefactabuntur. Etenim quod tu ex conficta suppletaque illius loci lectione: *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, cæterisque patriciis magistratibus, tributa plebeiis*, elicis, curiata centuriatis & tributis fuisse adnexa, quis est tam parum in hoc literarum genere exercitatus, qui, si non velit, non facile possit illudere? Scilicet tu mihi novam opinionem Romanam in antiquitatem induces, eamque ut probes, verba ex vetere nobilissima oratione alia de tuo adjicies, alia demes, alia trajicies: quæque summi tu vix beneficii loco conservanda putabis, ea contra auctoritatem omnium Latinorum ex propria significatione depelles, & quod in rebus etiam apertissimis periculosum ac lubricum est, id tu in obscurissima quæstione pro arbitrio facies, & me, si secus sensero, tacitum ferre, atque in re connivere non levissima coges? da hoc idem mihi, homini rudi, ut vides, ac plane hebeti, ut in scriptis veterum augustissimis quoties offendam, arbitratu meo addam, detraham, mutem, interpreter: nihil erit tam obscurum, nihil tantis difficultatibus impeditum, quod non planum atque explicatum me pollicear nullo negocio redditurum. At tributorum, inquis, mentio, librariorum culpa in prioribus verbis desideratur: quis te tandem hoc docuit? verba, inquis, quæ sequuntur: *Nunc quia prima illa comitia tenetis, centuriata, & tributa, curiata auspiciorum tanta caussa remanserunt:* cum enim, inquis, tributa in assumptione argumentationis sint posita, sane perspicuum est, etiam in propositione collocari oportuisse: quia inquit, centuriata & tributa prima teneri, curiata vero auspiciorum caussa retineri: probe sane, si prima comitia ita, ut tu putas, acciperentur. Verum prima comitia dici possunt, ordine & dignitate: tu de ordine intellexisti, ego de dignitate. Olim, inquit orator, antequam tributa comitia instituerentur, bina erant comitia, centuriata & curiata, quæ ad creandos magistratus advocabantur, nunc sunt trina, centuriata, curiata, & tributa: verum quia vos tributa pro curiatis introduxistis, fit, ut centuriata ac tributa prima, id est, præcipua sint, & a populo ac plebe ineantur, curiata vero nullius prope momenti sint, quippe quæ auspiciorum caussa retenta per triginta lictores ad nonnullas res tantum, non autem amplius ad magistratus, ut ante, adhibeantur: ex quo apparet, non idcirco in propositione tributorum mentionem esse supplendam; quod in assumptione tributa posuerit. Neque vero quod curiata obsolevisse inquit, propterea usu quondam receptum fuisse, ut ea centuriatis adjicerentur, efficitur, sed ut loco tributorum, cum nondum essent tributa, factitarentur, & ut justa, non autem, veluti postremo, adumbrata celebrarentur. At Messalla scilicet idem vult: *Minoribus* enim, inquit, *magistratibus tributis comitiis magistratus, sed justius curiata lege datur*. Quid? an vero minores magistratus binis comitiis mandari solitos, ille inquit, eadem ætate, an diversa; priore quidem, cum curiatis mandabantur, antequam tributa instituta essent; posteriore vero, cum tributis mandari cœpti sunt? At inquit, *Curiatis justius datur*. Concedo: dico autem Messallam, non quod suo tempore fieret, sed quod aliquando factitatum esset, nec præsentem ætatis suæ morem, sed vetustum jus ipsum comitiorum spectasse: ita ut minores magistratus tributis intermisso potius usu curiatorum, quam prorsus abrogato declararentur. Quære alia, Gruchi, vir acutissime, si qua potes: nam nemo unquam prudens ei assentietur opinioni, quæ duabus tantum, iisque obscuris, aut mendæ, ut tu censes, suspectis auctoritatibus fulciatur; plurimis autem, iisque non dubiis rationibus, ut aliena, ne omnino dicam falsa, redarguatur.

Quæret hoc loco aliquis: quænam igitur tua demum est hac de consuetudine conjectura? exponam

paucis: recte ne opiner, an secus, alii judicabunt. Ego censeo, bina adhibita esse comitia primis liberatæ reip. annis, verum non admodum multis: ut consules quidem crearentur binis centuriatis, cæteri vero patricii magistratus, qui tum erant, ut quæstores, binis curiatis; sic enim video fore, ut iisdem comitiis magistratus & creentur, & confirmentur, idemque populus potestatem habeat reprehendendi, si beneficii sui pœniteat. Atque hanc mihi videntur hæc verba continere sententiam: *Majores voluerunt, vos bis de omnibus magistratibus judicare: nam centuriata lex consulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magistratibus: tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret.* Etenim nullo verbo addito, nullo dempto, nullo mutato, nullo aliter, quam antiqui omnes accepisse videantur, accepto, ex his colligo, centuriatam legem consulibus latam eo tempore, quo curiata cæteris patriciis magistratibus ferebatur: tum iterum judicatum esse de consulibus quidem centuriatis; de cæteris vero, curiatis. Quo fit, ut eadem centuriata, aut eadem curiata suam de singulis magistratibus sententiam aut confirmarint, aut reprehenderint. Addo præterea, aliquot post liberatam remp. annos cum jam tributa pro curiatis in civitatem essent invecta, re pristinam consuetudinem esse nutatam, nomine vero retentam. Ex omnibus enim centuriis unam sorte duxerunt, quæ prima rogaretur, ac propterea prærogativa diceretur: ejus autem sententia pro unis comitiis habita est: qua pronunciata tum deinde ipsa centuriata comitia sunt perfecta, ut assolebat: hoc autem factum est, vel propter suffragandi commoditatem, ne totus populus iterum in suffragia vocaretur, vel quæcumque alia excogitari caussa possit. In hanc autem ego sententiam veni, duce Asconio: cujus locum insignem mirabar admodum a Gruchio hujus rationis universæ investigatore accuratissimo, cum de prærogativa præciperet, in libris de comitiis esse præteritum. Verba vero ejus in Verrinas hæc esse reperiebam: *Prærogativæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jure vocatas: mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri: quorum tribus prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri; secundæ jure vocatæ, quod in iis sequente populo, ut sæpe contingit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur.* Quocirca fieri quoque videbam, ut in consulibus creandis prærogativæ apud Livium memoria tantopere celebraretur. Ac de duplici quidem binorum comitiorum consuetudine in hunc modum ego. Quid affert nunc contra Gruchius? Neutram illarum probat. Objicit autem primum, quo se priorem consuetudinem abjecturum existimat, si centuriata, & curiata bis ad eosdem creandos magistratus essent allata, de ea re scriptores aliquid fuisse literis traditur os: additque, quo argumento sua a me sententia oppugnatur, eodem meam a se posse labefactari. Quod ipsum quam dissimile sit, quis non videt? ego enim ab illo postremorum temporum memoriam requiro, ille a me primorum: ego eorum, quæ notissima sunt, ille eorum, quæ obscurissima: ego ab illo rationem posco annorum amplius quingentorum, ille a me ne quinquaginta quidem: ego eorum, quibus multa evenerunt, quæ literarum monumentis consignarentur, ac consignata invenirentur, ille eorum, quibus pauca contigerunt, & si quæ contigerunt, aut propter raras iis temporibus literas haudquaquam memoriæ commendata sunt, aut incensa, ut inquit Livius, a Gallis urbe, & ipsa perierunt. Quod autem secundo loco crimini dat, id usque adeo infirmum est, ut prorsus ne attingendum quidem esse videatur. Sic enim inquit: Displicet Sigonii opinio, quia vulgata verba Ciceronis nulla facta mutatione conservat. Neque enim mentionem comitiorum tributorum, & plebeiorum magistratuum desiderari, eamque ex sequenti assumptione supplendam esse, animadvertit. *Nunc quia vos prima illa tenetis centuriata & tributa, &c.* Equidem eo me stupore oppressum esse confiteor, ut vitium istud Gruchianum non sentiam: imo vero ea mente præditus, eaque opinione imbutus sum, ut sententiam illam perfectam esse, & ex vulgata lectione eundem erui sensum, atque ex suppleta ab illo elicitur, putem. Quis enim conclusionem unquam jure hanc reprehenderit? Qui populo suffragiorum potestatem adimit, non est popularis: adimit autem Rullus, cum decemviros per dimidiam plebis partem creat, eosque lege curiata ornat, qui magistratum nullis comitiis habeant. Nam majores voluerunt, vos bis de omnibus magistratibus judicare. Quia apud eos bis centuriata lex consulibus, & bis curiata cæteris patriciis magistratibus ferebatur: nunc vero vos centuriata, & pro curiatis tributa in primis celebratis, curiata prope dimissa sunt. Rullus autem ne una quidem comitia ad decemviros attulit. Nam tributa, quæ frequentatis, ad creandos eos dimidiata adhibuit, curiata, quæ non initis, ad confirmandos. An vero, si in secunda ratione parum est firmitatis, amplius aliquid est in tertia? multo minus. Cicero, inquit ille, curiatam legem cæteris patriciis magistratibus latam dixit, tu quæstores solos attulisti, cum tamen vox cæteri ad multos referatur, non ad unos. Festive sane, quasi vero ego solos quæstores curiatis tum comitiis scripserim constitutos. At quæstores præter cæteros nominasti: confiteor. Hi enim soli tum ordine creabantur. Triumviros coloniæ, & præfectos annonæ omisisti: sane omisi. Quid enim erat, cur afferrem, cum essent extraordinarii? Quod si hi quoque tum patricii magistratus fuerunt, satis argumenti est propositionem illam tanto plus veritatis habere. At tribuni, ædilesque plebis usque ad tributorum institutionem creati sunt curiatis. Quare lex curiata non nisi solis patriciis lata: quid? ego ne solis patriciis dixi, an, ut Cicero, cæteris? Nam, quod ex mea opinione trina futura comitia, ex verbis agrariæ secundæ contendit, quid est, quod plura respondeam? cum mea ante adhibita eorum verborum interpretatio omnem hujus rationis auferat dubitationem. Atque hæc quidem adversus priorem binorum comitiorum a me inductam consuetudinem ille. Quanquam non hoc omnino ordine, sed paulo, quod in tanto præsertim viro mirari solitus sum, perturbatiore. De secunda vero, quæ prærogativam centuriam pro unis comitiis affert, ut exultare, dii boni, quasi victor, ac prope triumphare gaudio videtur? quanquam id, mea quidem sententia, jure: nam si, quod ille criminatur, ego scripsissem, quisnam tanta orationis copia, aut tanta doctrinæ facultate instructus inveniretur, qui hunc unum locum defendere posset? Etenim, posteaquam prærogativam centuriam, & comitia, quæ illi consequentia sunt, bina quodammodo fuisse comitia est confessus, quod tamen ille, ut dixi, in sua illa copiosissima disputatione silentio præterierat, vitio vertit, quod scripserim prærogativam institutam esse, postquam triginta quinque tribus expletæ sunt, quæ ultra annum ab ube condita quingentesimum sunt expletæ. Quorum tale nihil apud me esse, verba mea testimonio erunt, quæ nescio, cur ab eo significata potius sint, quam prolata. Primum enim doceo, bina fuisse de consulibus centuriata, binaque de cæteris patriciis magistratibus curiata comitia. Deinde addo, eam rationem perpetuo non esse servatam, sed effigiem tantum ejus, ac similitudinem retentam. Nam cum prærogativæ, inquam, centuriæ suffragationem instituissent, eam pro unis comitiis habuerunt, reliquarum autem, quæ jure vocatæ dictæ sunt, pro alteris. Atque hoc

verbis Asconii supra commemoratis confirmo. *Praerogativae tribus, &c.* Quae verba interpretans, quoniam ille tribuum fecerat mentionem, subjungo: His verbis ille significat, bina quidem comitia esse habita, sed non integra, verum speciem tantum binorum comitiorum esse usurpatam: sorte enim tribum, & ex tribu sorte centuriam eduxerunt, quae prima suffragium iniret, &c. Post autem reddens quasi rationem, cur Asconius praerogativas tribus dixisset, non autem, ut reliqui omnes, praerogativas centurias, ostendo factum id esse, quia tribus, postquam ad numerum triginta quinque pervenissent, ad centuriata traductae comitia essent, idque his verbis: Est autem intelligendum, tribus ex Servii instituto nihil ad centuriata comitia pertinuisse, post expletas autem triginta quinque tribus, cum omnis populi honos in iis consisteret, mutatam esse Servii rationem, & tribus ad centuriarum divisionem esse traductas. Ut autem ante populus in sex classes, & centum tres ac nonaginta centurias divisus vocabatur, sic postea in triginta quinque tribus dispertitus citari coeptus est; ita tamen, ut singulae tribus suas classes, suasque centurias haberent. Quocirca supra diximus, ex triginta quinque tribubus unam esse sorte eductam; atque ex ea, cum uniuscujusque tribus quinque essent classes, omnium vero classium multae centuriae, unam ex omni centuriarum numero lectam centuriam, vel juniorum vel seniorum, quae prima rogaretur, & praerogativa diceretur. Quae cum scripsi, noli putare, me sensisse, tum cum primum introducta praerogativa est, eam ex triginta quinque tribuum aliqua esse eductam: verum, posteaquam tribus ad centuriata comitia sunt translatae, praerogativam ex aliqua triginta quinque tribuum sumtam. Verum fac me scripsisse, praerogativam ex triginta quinque tribubus esse ductam, antequam triginta quinque numerus expleretur, num si id me Ciceronis exemplo fecisse dixero, parum idoneam facti mei, quod a te tam valde reprehenditur, rationem attulero? non, opinor. At is in agraria dixit, quotiescunque curatores agrarii creati fuerunt, semper per triginta quinque tribus esse creatos, & tamen ante triginta quinque tribus expletas, cum saepissime creati sint, nemo per triginta quinque tribus est constitutus, verum per omnes, quae tum erant, cum creabantur. Age vero, si tu hoc tam grave esse crimen existimasti, cur rationibus potius, quae aliqua eludi ratione possunt, id tibi refutandum, quam gravissima, quae nullo modo frangi vitarive potest, Livii auctoritate, duxisti? qui mentionem multo ante id tempus praerogativae fecit in tribunis militum consularibus, & consulibus: ut lib. 5. *P. Licinum Calvum praerogativa tribunum militum non petentem creat*. Et lib. 10. *Q. Fabium & praerogativa, & primo vocatae omnes centuriae consulem cum L. Volumnio dicebant*. Hoc igitur, ut dixi, quasi de me triumpho relato, tum ille, nescio quo modo in hanc argumentationem erumpit. Quaestores aut a populo primum creati sunt anno 60. post reges exactos, ut vult Tacitus, aut multo ante sub regibus, ut Junius Gracchanus. Si primum, profecto tributis creati sunt, non curiatis, quia tum curiata non erant in usu; si secundum, absurdum est, cum *caeteris* dicat Cicero, intelligere de solis quaestoribus, cum etiam duumviri, triumviri, praefecti annonae a populo sint creati, ut verisimile est, aut singulis, aut binis curiatis. Hic ego primum quaero, quorsum haec hoc loco de quaestoribus, quae ad priorem sc. pertinent quaestionem? deinde, si de me, quid de his potissimum sentiam, quaerit, dico, me cum Junio Gracchano sentire, quem testem adhibet Ulpianus, quaestores creatos esse a populo, & rerum potientibus regibus, & iisdem dominatu imperioque remotis, eoque vehementius, quod Plutarchus auctor est, Poplicolam consulem primum aerarium instituisse, & quaestores duos populo creandos permisisse. Quorum duorum auctoritatem, nescio, cur non anteponam Taciti testimonio, qui multos post annos floruit, quam Junius, qui quidem cum C. Gracccho vixit, atque ab ejus amicitia Gracchani cognomen invenit, & commentarios de his rebus ex instituto conscripsit. Post autem illud ex ipso etiam scire cupio, cur, postquam de quaestoribus, & priore consuetudine, multa non suo loco repetens inculcavit, praerogativam iterum, de qua dicere instituerat, novis argumentis invadat? quid, quaeso, spectet, quid in animo habeat? Neque enim illum disserendi elegantiam odisse, confusionem, perturbationemque disputationis amare, nobilis ille comitiorum commentarius indicat, in quo omnia distincte atque ordinate disposuit. Quid autem ait? Bina quidem ea quodammodo esse comitia, una praerogativae, altera jure vocatarum: verum eam rem ad locum Ciceronis, & ad bina centuriata, quae ante praerogativae institutionem sunt celebrata, non pertinere. Primum, inquit, quia Asconius ejus rei auctor Neronis tempore vixit, cum jam nulla erant comitia populi, & propterea, quae de binis scribit comitiis, non refert ad vetustiorem morem, de quo Cicero, sed ad posteriorem, postquam in comitia praerogativa erat inducta; deinde quia praerogativa instituta est, ut populi concordia firmaretur; postremo, quia praerogativa non minus ad leges, & judicia, quam ad magistratus adhibebatur. Quibus ego, ne me quidem bina praerogativae, & jurevocatarum comitia ad locum Ciceronis retulisse, ex eo perspici posse, quod priorem consuetudinem ex Cicerone collegi, posteriorem ex Asconio, ac diversam esse utranque ostendi. Assentior autem & ipse, Asconium de posteriore more locutum, non de antiquissimo illo, ac seculorum prope multitudine obsoleto. Quod vero de populi concordia opponit, necessario non efficit, ut non alia etiam de caussa excogitari praerogativa potuerit, cum Festus aliam longe ab Asconiana diversam prodiderit. Atque hoc idem etiam de judiciis, & legibus esse censeo respondendum, si modo ad leges, & judicia praerogativa pertinuit. Quae cum ita sint, neminem jam opinor esse tam hebetem, qui non intelligat, quam parum in illa de binis comitiis opinione insit roboris, atque nervorum.

DE USU
LEGIS CURIATAE
DE IMPERIO.



ALTERA res est, de qua haudquaquam mihi cum Gruchio convenit, lex curiata de imperio. Nam legem curiatam multis de rebus ferri constat. Quid vero potissimum feratur, cum magistratui lex curiata de imperio fertur, illud in controversiam venit. Ego enim duplicem fuisse vim imperii dico, unam civilem quandam magistratus auctoritatem, alteram militarem ac bellicam. Sic autem statuo, omnes magistratus & urbanos & provinciales civilem potestatem habuisse, verum alios majorem, alios minorem. Quae minor fuit, eam praecipue potestatem dictam; quae major, non potestatem solum, sed interdum etiam imperium appellatam. Idque ex eo liquere, quod de tribunis quidem plebis, atque aedilibus nunquam, nisi potestatem dixerunt,

A xerunt, in consulibus autem, ac prætoribus & potestatem & imperium usurparunt. Unde in II. Verrina dixit Cicero: *Erit tum Consul Hortensius cum summo imperio ac potestate, ego autem ædilis, hoc est, paulo amplius quam privatus*. Et Livius in secundo, tribunum plebis privatum esse sine imperio, ac sine magistratu prodidit. Addo autem, potestatem in auspicio & judicio fuisse positam; unde sanxit noster ille idem in legibus: *Magistratus omnes judicium, & auspicium habent*. Cum dico autem *auspicium*, *potestatem intelligo omnibus magistratibus impertitam servandi de cœlo*. Quod ostendit Varro in Rhetoricis, teste Nonio: *Eo die cis Tiberim redeundum est,*
B *quod de cœlo auspicari jus sit nemini præter magistratum*. Et Cicero in Antoniana secunda: *Augures nunciationem solum habent, consules & reliqui magistratus etiam spectionem*. Et Gell. lib.13. cap.14. *In edicto consulum, quo edicunt, quis dies comitiis centuriatis futurus sit, scriptum fuit: ne quis magistratus minor de cœlo servasse vellet*. Nimirum ne minorum magistratuum obnunciatione centuriata comitia impedirentur. Cum dico autem *judicium*, intelligo *potestatem decretum interponendi, ac juris dicendi*. Et quoniam magistratus alii prehensionem tan-
C tum habuerunt, alii & prehensionem & in jus vocationem, alii neutrum, ut ex Varrone prodit idem Gellius, quorum primi viatore usi sunt, alteri lictore, tertii servo publico, propterea horum etiam hoc modo potestatem distingui posse existimo. Neque vero dubito, quin his ita constitutis dictatores, consules, prætores & urbani & provinciales, ea fuerint potestate instructi, quæ maxima esset, atque verius imperium, quam potestas diceretur. Atque hoc imperium ego dico fuisse ejusmodi, ut totum jus magistratus amplexum sit. Quare neminem dictatorem, consulem, prætoremque fuisse, quin hanc potestatem, sive potius hoc imperium obtinuerit: simul illud etiam adjungo, hoc imperium dictatores acce-
D pisse tum, cum a consulibus dicti sunt, consules, prætoresque cum comitiis centuriatis a populo declarati sunt. Alterum vero imperium, nempe rei militaris attingendæ potestatem, neminem horum sine senatus consulto, ac lege administrare non solum in urbe, sed neque in provincia potuisse affirmo. Quæ lex, quia curiatis comitiis lata sit, curiata est appellata. Quod quidem placet in singulis indicare. De Dictatore testis Livius est lib.9. *Papyrio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis. Macer tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abo-*
E *minandam eam facit. Dictator postridie auspiciis repetitis pertulit legem*. Ex his enim verbis apparet, dictatorem sine lege curiata magistratum dictaturæ gessisse. Quomodo enim agere cum populo potuisset, si privatus quidem fuisset? ergo, si pertulit legem de imperio, non de civili imperio pertulit, sed de militari: apparet etiam legem curiatam de imperio pertinuisse ad rem militarem, propter clades bellicas, lege curiata de imperio lata, acceptas; cujus lationis semper Saucia curia principium fuerat. De consulibus & tribunis militum consularibus idem locus esse testimonio potest: quia clades ad Cremeram, & ad
F furcas Caudinas consulibus ducibus est accepta, captæ Romæ tribunis militum consulari potestate: & alter in quinto: *Centuriatis comitiis consules tribunique militum consulari potestate creantur, curiata rem militarem continent*: quasi vero velit dicere, magistratum iis dari centuriatis, imperium vero militare curiatis; & Cicero in secunda Agraria: *Consuli, si legem curiatam non habet, attingere rem militarem non licet*. Item: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est*; & in epist. ad Lentulum: *Appius consul dixit in senatu, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam*; & lib.4. ad Attic. *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse, & suus competitor Domitius cum consulibus fecisset, uti ambo sestertium quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset; & duos consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset*. Ex quibus item percipitur, tum consules ante legem curiatam latam consulatum gessisse, quippe qui legem eam ad populum tulerint, tum legem curiatam fuisse de imperio non civili, sed militari ac provinciali. Ut autem lex curiata consulibus in provincia militare dedit imperium; sic in urbe senatusconsultum illud: ut viderent ne quid detrimenti resp. acciperet: de quo Salustius in Cat. *Senatus decrevit darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet: ea potestas per senatum more majorum magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis cives, atque socios, domi, militiæque summum imperium, ac judicium summum habere: aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli jus est*. Quæ verba hanc nobis lucem afferunt, ut intelligamus, consules jure consulatus exercitum parare, bellumque gerere non potuisse, neque domi militiæque summum imperium habuisse, quod certe habuissent, si imperium unum tantum esset, idque centuriatis comitiis cum magistratu ipso delatum esset. At vero, cum, nisi in atroci negocio, mandatum non sit, sane intelligi potest, duo eorum fuisse imperia, unum civile, alterum militare. Jam vero prætores urbanum & peregrinum, quique publicas quæstiones exercuerunt, priore item tantum imperio fuisse affectos affirmo, posteriore nego: provinciales autem omnes utrunque habuisse contendo, civile quidem, nempe jurisdictionis lege centuriata, militare vero ipsum sine dubio curiata: sic enim Cicero testatur in oratione de suppliciis, de Verre Siciliæ prætore loquens: *Cum tibi prætori sorte obtigisset, ut jus diceres, quantum negocii, quid oneris haberes, nunquam cogitasti: sequuta provincia est: in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi iccirco fasces, & secures, & tantam imperii vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi, & auctoritate omnia repagula juris perfringeres: in qua te ita gessisti, ut, cum omnibus teneare rebus, ad bellum fugitivorum confugias*. Hic enim locus docet, non esse idem imperium prætoris urbani, ac provincialis: vocat enim curationem urbanam negocium & onus, provincialem vero imperium; quippe quia provincialis prætor non solum jus in provincia diceret, ut Romæ urbanus, sed etiam rem militarem administraret: & Cæsar lib.1. belli civilis: *In reliquas provincias prætores mittuntur, neque expectant, quod superioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, paludatique votis nuncupatis exeunt*; quibus verbis nonne aperte admonemur, prætores provincias a senatu, imperium a populo accepisse? Præter hos autem fuerunt alii quidam consulares, atque prætorii, qui provincias quidem obtinuerunt post magistratum, verum non continuo ex ipso magistratu, ut Cic. & Bibulus aliquot post consulatum annos Ciliciam & Syriam, & Cato aliquot post præturam annos Siciliam. De his autem idem judicium est; quanquam enim ex privatis in provincias missi sunt, tamen quia jure magistratus Romæ gesti provincias eas adepti sunt, eodem modo in provinciis & potestatem, & imperium habuisse censeo, potestatem in jure dicundo, imperium in re militari: quam ab omnibus iis, quos nominavi, administratam constat, ita ut Cicero & Bibulus de triumpho etiam cogitarint. Ut autem provinciam ex S. C. & sorte obtinuerunt, sic eosdem imperium lege curiata accepisse opi-

nor. Relinquuntur quidam, qui neque ex magistratu, neque post magistratum, sed ex privatis non in provincias, sed ad bella cum imperio mittebantur aut consulari aut prætorio, unde proconsules, aut proprætores dicebantur: mittebantur autem aut S. C. aut lege, ut P. Scipio procos. in Hispaniam, C. Octavius pro prætore in Galliam. Hos igitur, atque ejusmodi alios magistratus fuisse nego, cum imperio fuisse dico; sed tamen non lege curiata accepto. Magistratus non fuerunt, quia neque auspicium neque judicium habuerunt. Auspicium non habebant, quia a populo non acceperant, ut testis est Cicero in libris de Divinatione; nam præter Scipionem reliqui omnes tributis comitiis, quæ erant inauspicata, imperium acceperunt. Judicium autem non habebant, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant: nam cum Scipio in Hispaniam missus est, Hispania nondum erat provincia, cum Octavius in Galliam, Gallia a D. Bruto procos. tenebatur: præterea in senatusconsulto, quo ille proprætore esse jubetur, hæc sunt verba apud Ciceronem: *Demus imperium C. Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*, non autem *sine quo jus in provincia dici non potest*. Cum imperio ergo appello, cum potestate exercitus habendi, bellique gerendi: quod tum verbis his Ciceronis confirmo, tum iis quæ sunt in oratione de suppliciis: *Cum paulo ante nunciatum esset de Tempsano incommodo, atque inveniretur nemo, qui in illa loca cum imperio mitteretur*: nimirum enim imperium militare significat, non jurisdicendi potestatem: neque enim Tempsanum illud incommodum cognitione prætoris eguit, sed exercitus auxilio. Adde quod qui civilem adeptus potestatem erat, quæ magistratum ipsum attingebat, is in urbe manebat; qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi potestatem obtinebat, idque parum civili tutum libertati putabatur, is statim ex urbe egredi, & aut in provinciam, aut ad bellum delatum proficisci, aut ad urbem cum imperio manere jubebatur; ubi vero ex provincia, belloque reversus erat, aut statim urbem privatus ingredi, aut, si de triumpho cogitabat, ad urbem morari solebat. Quod si triumphum impetrasset, tum, quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem militare in urbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio ejus diei ferebatur. Ac de imperio quidem ipso ad urbem multi loquuntur, sed in primis Asconius: *Ad urbem esse dici solet de iis, qui cum potestate provinciali aut nuper e provincia revertissent, aut nondum in provinciam profecti essent*. Et Cicero pro Sextio: *Erat Pompeius ad portas, erat cum imperio*: recte, nam Hispanias procos. obtinebat: & Salust. in Catilina: *Metellus, & Marcus erant imperatores ad urbem, impediti paucorum invidia, ne triumpharent*. Et Cic. in 4. Verrina: *Verres, simul atque ei sorte provincia Sicilia evenit, statim Romæ, & ad urbem, antequam proficisceretur, &c.* Iterum Asconius in orationem pro Scauro: *Horum magna pars per tabulas laudaverunt, quia aberant: inter quos Pompeius quoque: nam quod erat pro consule, extra urbem morabatur*: & Dio: *Pompeius extra pomœrium populum evocavit: nam imperium proconsulare habebat, nec poterat in urbem ingredi*. De imperio vero, quod uno die triumphantes habebant in urbe, sic Livius: *Paullo, Anicio, & Octavio decretus est ab senatu triumphus: mandatumque Q. Cassio prætori, cum tribunis plebis ex auctoritate patrum ageret, rogationem ad populum ferrent, ut iis, quo die autem triumphantes inveherentur, imperium esset*: & alibi: *Tribuni plebis ex auctoritate patrum ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset*.

Quibus omnibus ex locis neminem esse existimo, quin videat, duo elici posse, tum *imperii* nomine rei

A militaris administrationem præcipue notari, tum idem imperium non semper lege curiata mandari. Etenim & iis, qui ex privatis ad bella cum imperio proficiscebantur, nullo modo necessaria lex curiata erat; iis, qui ex magistratu in provinciam ad jus dicendum, bellumque, si res tulisset, gerendum mittebantur, non omnino: id quod Cicero significavit, cum dixit in epistola ad Lentulum: *Appius consul dixit in senatu, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam, si curiata non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum, legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse: se, quoniam ex S.C. provinciam*

B *haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiisset: sunt qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur*: & libro tertio ad fratrem: *Appius sine lege curiata confirmat, se Lentulo nostro successurum*: & libro 4. ad Atticum: *Appius sine lege, suo sumptu, in Ciliciam cogitat*. Quibus ex verbis colligi mihi posse videtur, consulem, qui ex S. C. provinciam habebat, sine lege curiata imperium habere potuisse, quia legem curiatam de imperio ferre consuli opus fuerit, necesse non fuerit: usque adeo, ut qui legem curiatam haberet, publico sumptu in provinciam proficisceretur, qui non habe-

C ret, suo, ut Appius facere decreverat. Atque eodem etiam pertinere verba Cn. Pompeii ad Senatum, a quo missus adversus Sertorium erat, opinor, cum a senatu stipendium peteret: *Equidem fateor, me ad hoc bellum majore studio, quam consilio profectum, qui nomine modo imperii a vobis accepto diebus quadraginta exercitum paravi*. Quasi vero velit dicere, se accepto modo a senatu nomine imperii, quo jus adeptus est exercitum comparandi, & bellum gerendi, suo sumptu in Hispaniam esse profectum. Atque hoc quidem meum est de lege curiata, imperioque judicium. Gruchius autem longe aliter opinatur. Legem enim curiatam duplicem esse censet; unam, quæ omnibus

D lata sit magistratibus, alteram, quæ iis præcipue, qui exierint in provincias: atque utraque idem imperium impertitum. Imperium autem ipse appellat summam cujusque magistratus auctoritatem: quoniam autem ad summam dictatorum, consulum, prætorum, proconsulum, & proprætorum auctoritatem pertinet, ut præter jurisdictionem bellum etiam gerere possint, id totum fuisse imperium arbitratur. Hoc autem imperium consules, & prætores accepisse comitiis centuriatis, & curiatis: fuit enim jus ipsum magistratus, quod binis hic comitiis transmissum existimat. Quod si iidem consules, prætoresque in provincias, quas ex

E S. C. obtinuerint, proficisci voluerunt, eos necessario nova curiata de imperio lege ornari oportuisse existimat. Eodemque modo privatos omnes idem imperium primum senatusconsulto, deinde lege curiata accepisse: eosdem etiam, quamvis sine provincia fuerint, magistratus habitos esse, quia imperium, id est, magistratus auctoritatem, obtinuerint. Ex quibus intelligi potest, quinque potissimum de rebus inter nos, & quidem maximis, discrepare; una, quod ille magistratibus omnibus in provincias profecturis necessariam utique fuisse legem curiatam existimat, nos non utique; altera, quod potestatem belli gerendi privatis concessam ille magistratum, nos im-

F perium appellamus; tertia, quod ille privatis etiam ad bellum, provinciasque tendentibus omnino necessariam fuisse eandem curiatam de imperio legem putat, nos nullo modo; quarta, quod imperium ille jurisdictionis & rei militaris unum statuit, atque iisdem comitiis delatum opinatur, nos alterum ab altero distingui, atque diversis comitiis mandari dicimus; quinta, quod ille duplicem curiatam facit, unam, quæ magistratibus omnibus det imperium cuique magistratui accommodatum; alteram, quæ potissimum provincialibus: nos unam tantum statuimus, quæ provincialibus. De quibus quæstionibus placet de-

inceps eodem hoc qualicunque, quo ille inſtituit, ordine differere, argumentis noſtrum utriuſque inter ſe conferendis. Primum ergo duas ille Livii profert auctoritates, cum mihi non incognitas, tum minime omnium me lædentes; nam, quæ ex iis eruit, ea meæ potius, quam illius opinioni convenientia ſunt. Earum una illa eſt e lib.5. *Comitia curiata, quæ rem militarem continent:* altera e nono: *Dictatori legem curiatam de imperio ferenti triſte omen diem diffidit, quod Saucia curia principium fuit:* atque hanc quidem in me convertit, qui ſcripſeram, mirari me, quod non curiatæ legis de imperio frequentior in veteribus annalium monumentis mentio inveniretur, ſi ea magiſtratibus omnibus eſſet utique neceſſaria: atque ex tribus cladibus ibi a Livio memoratis, ad Cremeram, captæ urbis, & Caudinæ pacis, quas omnes decretum curiarum præceſſerit, hoc quotannis, atque in ſingulis magiſtratibus ſervatum eſſe contendit. Qui locus neque mihi fuerat ignotus, & ſingularis eſt, nec meam prórſus admirationem tollit, qui rem tantam non uno in loco, obiter, & obſcure, ſed in multis, ex inſtituto, atque aperte tradi cupiebam.

His autem rebus expoſitis primam ille quæſtionem aggreditur: An omnibus magiſtratibus in provincias profecturis lex curiata de imperio neceſſaria fuerit. Neceſſariam autem omnino fuiſſe duabus adductus auctoritatibus putat; una Ciceronis: *Conſuli, ſi legem curiatam non habet, rem militarem attingere non licet;* altera Livii: *Curiata comitia rem militarem continent:* ex quibus elicit, legem curiatam omnino fuiſſe conſulibus neceſſariam, quod res militaris in primis ad eos pertineret. Ego autem dico, conſulibus, prætoribuſque legem curiatam de imperio fuiſſe neceſſariam, non ut magiſtratum, quemadmodum ille inquit, gererent, ſed ut rem bellicam, & provincias, quæ eis ordine committebantur, adminiſtrarent, verum non ubique: atque hoc ex ſententia Appii conſulis, qui dixit: *Conſuli legem curiatam ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe:* quem locum in hunc modum interpretatur: Appium conſulem legem curiatam poſtulaſſe, ut legitime imperium obtineret, maligne autem legem Corneliam interpretatum eſſe, quæ eſſet non de obtinendo, ſed de prorogando imperio: quare dixiſſe, ſe non violaturum legem Corneliam, ſi, quæ ad legitimum imperium obtinendum neceſſaria eſſent, non obſervaſſet. Ego vero dico, Appium legem curiatam popoſciſſe, non tam ut legitimum haberet imperium, quam ut ornatam viatico provinciam obtineret: atque hoc ſignificare verba illa ejus: *Conſuli legem curiatam ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe*, id eſt, utilem quidem eſſe, verum non ita neceſſariam, ut omnino ſine illa provincia cum imperio obtineri non queat. Sic enim locutus eſt etiam in libris de Oratore: *Tertium genus etiam ſi opus eſt, tamen minus eſt neceſſarium*, cum de genere demonſtrativo loqueretur utili potius civitati, quam neceſſario. Non eſſe autem utique neceſſariam, in hunc modum dico ab Appio confirmari. Qui provinciam ex S. C. obtinet, is imperium habet, habebitque ex lege Cornelia, donec in urbem reverteretur: atqui ego provinciam habeo ex S. C. ergo habebo etiam ex lege Cornelia imperium ſine lege curiata: verum non ita commode: nam meo mihi ſumptu, ſine publico viatico erit proficiſcendum: ſi quidem alio loco hoc ipſum declarat, cum inquit: *Appius ſine lege, ſuo ſumptu in Ciliciam cogitat:* atque hanc conſuetudinem, neſcio, an Dio quoque attigerit libro 52. cum de provinciarum rectoribus ſcripſit: *Antiquitus qui munus publicum gerendum ſuſcipiebant, ii omnia, quæ ad imperium pertinerent, de ſuo ſuppeditabant. Auguſto autem imperante illi certam accipere mercedem cœperunt.* At Cicero, inquit Gruchius, paullo poſt ſubjicit: *Sunt,*

A *qui putent, te non poſſe decedere, quia ſine lege curiata tibi ſuccedatur:* ex quo declaratur, legem curiatam non utilitatis gratia neceſſariam fuiſſe, ſed juris. Quid? nonne Appius conſul quoque jus novit: at hic & in ſermonibus, & in ſenatu dixit, Conſuli legem curiatam ferre opus eſſe, neceſſe non eſſe. Quod ſi, ut confitetur Gruchius, imperium interdum ſine lege curiata haberi extra ordinem potuit, & ſi triumphaturi, ut ſupra declaravimus, unius diei imperium comitiis tributis non centuriatis obtinuerunt, & , ſi lex curiata in provincias exeuntibus utilis potius, quam utique neceſſaria fuit, non tam ut haberent imperium, quam ut ornatius,
B atque etiam auſpicatius obtinerent, ſatis argumenti eſt, legem curiatam non ſemper fuiſſe habendo imperio neceſſariam. Altera quæſtio ſequebatur, An privati, cum imperio ornabantur, id ipſum ex lege curiata aſſequerentur. Affirmat hoc Gruchius, idque duobus argumentis; uno, Si magiſtratus eguerunt curiata, multo magis privati; altero, cum lex curiata prætoribus provincialibus ferebatur, æque omnibus ferebatur: quare cum eorum multi multos ante annos præturam geſſiſſent, privatis quoque multis fuerit lata, neceſſe eſt. Quibus ego: Si magiſtratus, ut probavi, non utique eguerunt curiata, neque pri-
C vati: magiſtratus autem non eguerunt, quia provinciam, & in ea imperium ex S. C. habuerunt; neque privati, quia ad bellum cum imperio, aut S.C. aut plebiſcito miſſi ſunt. Prætorii vero illi, quanquam privati, id eſt, ſine magiſtratu erant, tamen quia jure magiſtratus, quem in urbe geſſerant, provincias obtinuerant, eadem prope in cauſſa fuerunt, atque ii, qui ex prætura ſtatim in provincias abierunt.

Proconſules præterea, & proprætores magiſtratus eſſe negaveram. Refellit hoc ille deinceps aliquot argumentis in tertia quæſtione. Eorum autem omnium brevi hac allata diſtinctione facilis eſt diſſolutio. Pro-
D conſules, & proprætores alii in provincias ad jus dicendum, & bellum, ſi res tuliſſet, gerendum miſſi ſunt, qui magiſtratus fuerunt, ut Cn. Pompeius procoſ. in Aſiam, M. Cicero in Ciliciam: alii vero ad bellum tantum, & hi magiſtratus non fuerunt, ſed cum imperio fuiſſe dicti ſunt, ut P. Scipio procoſ. in Hiſpaniam, & C. Octavius in Galliam. Non fuiſſe autem magiſtratus, auctor non contemnendus eſt Livius, qui de P. Scipione ita loquitur: *Ob res geſtas magis eſt tentata triumphi ſpes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphaſſe, qui ſine magiſtratu res geſſiſſet, conſtabat.* De C. Octavio
E Cicero: *Demus imperium Cæſari, ſine quo res militaris adminiſtrari non poteſt:* non enim dixit, *ſine quo jus dici non poteſt*. Neque enim ſola militaris juriſdictio plenum attuliſſe imperatori magiſtratum videtur, quia Livius nunquam Scipionem procoſ. ſine magiſtratu fuiſſe aſſeruiſſet, neque Svetonius ſcripſiſſet in Tiberio: *Nemine cum imperio, aut magiſtratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret:* nec Livius iterum libro 42. *Locuſtarum tantæ nubes a mari vento repente in Apuliam illatæ ſunt, ut examinibus ſuis agros late operirent: ad quam peſtem frugum tollendam Cn. Sicinius prætor deſignatus cum imperio in Apuliam miſſus, ingenti agmine hominum ad*
F *colligendas eas coacto aliquantum temporis abſumpſit.* Neque enim illud Sicinii imperium, magiſtratus imperium dici poteſt, cum ille magiſtratum nondum iniſſet, ſed adhuc deſignatus prætor eſſet. At proconſules, & proprætores faſces habuerunt: non repugno: illud dico, non jus faſcium, ſed auſpicium & judicium magiſtratum afferre: ſiquidem multi magiſtratus fuerunt ſine faſcibus, & multi faſces habuerunt ſine magiſtratu, ſed tamen non ſine imperio. At iidem proconſules a Cicerone magiſtratus vocantur. Sit id ſane, quod nullo modo eſſe contendo: quid? nonne idem Cicero tribunum

plebis magistratum appellat, quem tamen Livius ac Plutarchus certis rationibus magistratum non esse convincunt? certe: quid ita? nempe quia aliter loquimur in historia, cum artem quasi veteris memoriæ prodimus, aliter in orationibus, cum clientis caussam vincendi caussa defendimus: ibi enim propria vocabula usurpantur, hic translata fere, ac sæpe homonyma conquiruntur. Quod si tribuni plebis non sunt magistratus, quia antiquitus, ut inquit lib. 13. Gellius, creati sunt non juri dicundo, neque caussis, querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent; profecto neque proconsules & pro prætores isti magistratus erunt, quia non juri dicundo, sed rei gerendæ delecti sunt, quippe qui provinciam non habeant, cui jus dicant, sed in hostili fere agro, aut in aliena provincia bellum gerant. At proconsules, inquit, & proprætores auspicia habuerunt: proconsules, quia in provincias profecturi legem curiatam comitiis auspicatis latam habuerunt: proprætores, quia cum L. Martium in castris pro prætore milites delegissent, graviter id tulit Senatus, quod (teste Livio) diceret, rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solenne auspicatorum comitiorum in castra transferri. Acute Hercle, atque ingeniose, quis negat? at parum tamen ad vetustatis veritatem accommodate. Primum enim, cum dicimus proconsules caruisse auspiciis, non loquimur de iis, qui provincias ex consulatu obtinuerunt, sed de iis, qui privati ad bellum cum imperio missi sunt: deinde cum dicimus proconsules, & proprætores auspicia non habuisse, utrosque non inauspicato creatos esse, sed rem inauspicato gessisse intelligimus: postremo addimus, quicunque auspiciis usi non sunt, eos neque auspicia a populo accepisse: quoniam autem proconsules, & proprætores auspicia non adhibuerunt, propterea effici, ut neque ea a populo acceperint; quo posito sequitur, ut nemo proconsulum, ac proprætorum, qui ad bellum cum imperio missi sint, curiatis comitiis, quæ auspicata erant, imperium acceperit, sed tributis. Atque hæc omnia, quæ dicimus, ex Ciceronis sententia dicimus, qui in 2. de divinatione ita scriptum reliquit: *Deiotarus auspiciis semper utebatur, nos nisi dum a populo auspicia habemus quam multum iis utimur? bellicam rem administrari majores nostri nisi auspicato noluerunt: quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent? itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur.* Ex quibus verbis quis est, qui non intelligat, proconsules, & proprætores, qui ad bella missi sunt, auspicia idcirco non habuisse, quia a populo non acceperant? At teste, inquit, Livio, accipiebant, quia de L. Martio proprætore in castris lecto questus est Senatus, rem mali exempli esse, solenne auspicatorum comitiorum in castra esse translatum. Egregie sane. Est tamen intelligendum, querelam illam Senatum ad ea, quæ antea factitata essent, non quæ postea fieri cœpta sunt, retulisse. Ante Martium enim, qui a populo imperium acceperant curiatis comitiis omnes acceperant, consules, prætores, ac dictatores. Nam de privatis ante P. Scipionem vix quenquam invenias, quem unico etiam exemplo centuriæ procons. in Hispaniam eodem anno, quo in castris L. Martium milites, delegerunt. Quare Senatus graviter ferebat, curiatorum comitiorum auspicia prope in castra esse translata, quibus ante prætores, non privati homines consuessent ornari.

Deinceps quintam de lege curiata disputationem aggreditur, eamque statim, longo de imperio, nescio quo modo, sermone injecto, dimittit, haud ita post multo repetiturus. Nos autem ad omnia, quæ ab eo de lege curiata dicuntur, post uno loco responsuri, latius nunc de imperio, quæ quarta fuit

A quæstio differemus. Primum ergo unum ille tantummodo imperium statuit summam cujusque magistratus auctoritatem. Atque hoc modo consules, itemque prætores duplici imperio præditos fuisse; uno civili, altero militari: censores autem civili, tribunos militum militari tantummodo asserit. Ego vero consules ipsos proprio sui magistratus officio civilium tantum rerum administrationem habuisse aio, nempe potestatem auspicandi, juris dicendi, in jus vocandi, prehendendi, cum populo agendi, ad Senatum referendi, & si quid aliud fuit ejusmodi: militare vero imperium, id est, sacramento

B milites adigendi, exercitum habendi, bellumque gerendi jus in urbe quidem sine summo Senatusconsulto, extra urbem vero sine provincia, aut lege curiata nequaquam consequi potuisse. Ac de Senatusconsulto quidem auctorem esse, ut supra dixi, Sallustium, de cæteris vero Ciceronem, & Livium. Quod si eorum omissis auctoritatibus ad rationem res revocetur, nego militare imperium eadem, qua consulatum, lege delatum, atque adeo cum ipso consulatu fuisse confusum. Primum, quia si consules jure magistratus rei militaris facultatem habuissent, magistratum autem æque curiatis comitiis, atque centuriatis adepti essent, efficeretur,

C ut imperium ipsum militare non magis curiatæ legi, quam centuriatæ deberent: at curiatæ legi imperium acceptum retulerunt, centuriatæ magistratum. Quis ergo dubitat, quin militare imperium a consulari fuerit separatum? deinde, quia si lex curiata consulare imperium impertiret, sequeretur, ut consules consulare munus nullum obire ante legem curiatam de suo imperio latam possent. At legem ipsam curiatam de se cum tulerunt, opus consulare maximum peregerunt: ergo imperium lege curiata acceptum non consulare fuit, sed bellicum, atque ab illo longe sejunctum. Ad hæc vero, si consulatus solus, non provinciæ adeptio,

D aut legis curiatæ de imperio latio, consules ipsos exercitu instruxisset; certe Cæsar & Bibulus tum, cum in consulatu de rep. diffidebant, non edictis, & obnunciationibus consularibus, sed exercitibus, & armis inter se contendissent: nullus autem consul ex omni memoria, aut adversus cives, aut contra hostes arma cepit, nisi aut summo S. C. armatus, aut provinciam, imperiumque ex consulatu adeptus. Quare, qui potestatem rei militaris cum ipso consulatu confundit, is se vetera reip. Rom. instituta parum cognita habere ostendit. Prætores porro imperium civile duntaxat habuisse assero, ut

E in urbe alii inter cives, alii inter cives & peregrinos jus dicerent, alii publicorum criminum quæstiones exercerent; militari vero imperio nullo fuisse præditos, nisi extra ordinem fortasse dato confirmo.

Nam quin provinciales prætores juris dictionem, reique militaris potestatem habuerint, verum illam centuriatis comitiis, hanc curiatis acceptam, plane non dubito. Jam vero de censoribus quid dicam, cum id totum sit a me, nihil habeo. De militari vero tribunorum militum imperio respondeo, militare imperium duplex fuisse; unum ducis, qui suis auspiciis rem gessit, alterum ministri, qui

F mandato ducis obtemperavit. Non fuisse autem idem utrunque, quanquam utrunque rem militarem attigerit, ex eo apparere, quod bello Punico secundo Minucii magistri equitum cum suo dictatore Fabio nova lege æquatum imperium est. Quod profecto non esset factum, si par magistri equitum, ac dictatoris sui fuisset. Quod si magister equitum non eodem militari imperio ornatus fuit, atque dictator, profecto neque tribunus militum eodem, atque imperator. Hic enim belli gerendi potestatem habet, illum mandatis ejus obedire oportet, sed præfectis minoribus ac militibus im-

perare. Unde scivit Cic. in Legibus: *Militiæ, quibus jussi erunt, imperanto, eorumque tribuni sunto*. In his autem tribunis militum idem est militare imperium, ac jus ipsum magistratus, quia remota militia nihil eis, in quo magistratum suum exerceant, relinquitur. Atque hoc ipsum jus eis non lege curiata, sed tributa defertur. Esse autem imperatoris, & ministri ejus imperium longe diversum, ostendit quoque Cicero in oratione de provinciis: *Macedoniam tenui præsidio, etiam sine imperio per legatos nomine ipso populi Romani tuebamur*. Quomodo enim sine imperio, si per legatos? nonne enim legati a prætore suo jurisdictionem, & rei gerendæ jus acceperunt? sane. At aliud est suis auspiciis rem gerere, aliud alienis. Neque enim a populo Rom. provincia mandabatur, imperiumve legato, sed proconsuli: quare absente proconsule provincia esse sine imperio dicebatur: nam imperium belli gerendi jus esse, idque soli duci convenire, contendimus.

Age vero, non placent hæc Gruchio. Num vero probatur illud, *cum imperio esse*, significare, *exercitui præesse, cujus quis sit imperator*? multo minus. Cur tandem? quia multi, inquit, in provincias profecti sunt cum imperio, qui tamen exercitui non præfuerunt, quod in loca pacata proficiscerentur. Hoc loco ex eo scire cupio, primum, quo modo aliquis possit esse imperator exercitus, qui non præsit exercitui? Deinde quomodo si, teste Cicerone, exercitus sine imperio haberi non potuit, imperium sine exercitu ullum esse militare potuerit? at pacata, inquit, fuit provincia, ut opus exercitu, imperioque non fuerit. Quid? si provincia fasces securesque Rom. prætoris perosa, ut sæpe, defecisset, aut a finitimis hostibus bello petita fuisset, an vero illius retinendæ atque tuendæ gratia prætori Romam redeundum ad accipiendum imperium fuit? minime vero. Ergo prætores omnes provinciales & imperium & exercitum aliquem pro ratione provinciæ aut quietæ, aut infestæ habuerunt. Argumento est, quod omnes paludati exibant, id est, insigni imperii militaris ornati. Quis hoc testatur? omnes, sed maxime Cæsar lib. 1. belli civilis: *In reliquas provincias prætores mittuntur, paludatique votis nuncupatis exeunt*. Quin etiam Theophylus in Institutionibus docet, prætores hyemem jurisdictioni, æstatem rei militari dicasse. At sylvæ, inquis, & calles aliquando consulibus provincia dabatur, ergo sine imperio, id est, sine exercitu. Lubricus sane locus. Sed non deest, quid respondeam. Primum audi quæso, quid scribat Tacitus lib. 4. *Erat in iisdem regionibus Curtius Lupus, cui provincia, vetere eo more, calles evenerat: is disposita classiariorum copia cœptantem tum maxime conjurationem disjecit*. Num vero hic caruisse dici potest imperio, quamvis calles sortitus esset, qui classiarios conscripsit, conjurationemque compressit? Quid? Cn. Sicinius adversus locustas cum imperio extra ordinem missus est, consules in calles & sylvas provinciam ordine mittentur sine imperio? non equidem puto. Quid est enim tam absurdum, quam aut provinciam sine imperio aut imperium sine exercitu constituere? nisi vero ut senatori legatio aliquando sine mandato honoris caussa concessa est, sic magistratui militare imperium sine militari munere sit transmissum, & ut senatores quidam fuerunt, qui jus dicendæ sententiæ non habuerunt, sic imperatores exiterunt, qui jure imperatorio caruerunt. Habuerunt quidem inquis, potestatem exercitus comparandi, si opus fuisset, verum exercitui non præfuerunt. Habeo quod volo, si habuerunt potestatem exercitus conficiendi, sane militare imperium habuerunt, si exercitui justo non præfuerunt, quod eo opus non fuit, at legatos, tribunosque militum, & præfectos in usum rei militaris secum duxerunt, at cohorti saltem ipsi prætoriæ præfuerunt; neque enim sine his prætor aliquis provinciam ullam administravit. Verum hæc fortasse ferenda. Quid quod imperium etiam potestatem esse exercitus habendi negat? negat? imo vero argumentis refutat. Quæ sunt ista? Unum: Si imperium est potestas exercitus, cui præsit, non omnibus accommodabitur, quia multi nullum exercitum habuerunt, quibus prorogatum imperium dicitur. Cui ego: duos fuisse, quibus imperium prorogatum legamus, magistratus provinciales, ut proconsules ac prætores, & imperatores, ut proconsules ac proprætores. Cum autem prorogatum his imperium legimus, intelligendum est, prorogatum id totum esse, quod habebant, ut provincialibus provinciæ administrationem, quæ in juris dictione & re militari consumitur, imperatoribus rei militaris tantum.

Qui vero urbanum magistratum gerentes in alterum annum reficiebantur, iis non prorogatum imperium dici, sed magistratum continuatum, ut sæpius Mario consulatum. Et si imperio militari fortasse præditi fuissent, post etiam imperium prorogatum. Quibus vero consulibus imperium prorogatum dicitur, iis non magistratum continuatum, ut consules in insequentem annum essent, sed rei bellicæ administrationem prorogatam, ut pro consulibus rem gererent. Quod docet his verbis Livius lib. 8. *Actum cum tribunis plebis est, ad populum ferrent, ut cum Publilius Philo consulatu abisset, pro consule rem gereret*. Et paulo post: *Duo singularia hæc ei viro contigere, prorogatio imperii non ante in ullo facta, & acto honore triumphus*. Neque vero impedit, quin alicui prorogari imperium, id est, potestas habendi exercitus possit, quamvis exercitum non habeat. Nam conficere potest. Si modo imperium cuiquam unquam est prorogatum, qui exercitui omnino nulli præesset. Alterum argumentum ejus est: Si proprætoris potestas in jurisdictione, & reliqua provinciæ administratione versatur, & cum imperium datur, is proprætore esse jubetur, profecto imperium non est belli facultas. Ain tandem? Proprætorum omnium potestas in jurisdictione, & provinciæ administratione est? At C. Octavius in Gallia, quam tenebat Brutus, invaserat Antonius, quam tandem jurisdictionem exercuit? Nam qui provinciæ administrationem, non rei militaris, in provincia obtinuerunt, eos jurisdictionem cum imperio assecutos tum, cum provinciam Senatusconsulto, vel tributa lege adepti sunt, confitemur. De illis, qui ad bellum tantum sine provincia missi sunt, repugnamus. An vero illud consequens est, habet imperium, sine quo res militaris administrari non potest, ergo jurisdictionem? nonne enim multi cum imperio subsidio consulibus missi sunt, qui jurisdictione tamen caruerunt, nisi æquato cum iis fortasse imperio fuerint, ut Pompeius cum Metello in Hispania contra Sertorium? An vero, cum inquit Cicero: *Demus imperium Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*, inepte, ut tu arguis, repetit idem? An potius, quæ in voce imperii inclusa tenebantur, aperit, atque dilatat, eaque ad caussam suam oratorum more accommodat, & quasi imperii definitionem per partes affert?

Reliquum est, ut ultimo loco ei respondeam quæstioni, quam ipse de lege curiata appellat. Ea vero est, an lex curiata magistratui sit necessaria, an imperium, quod lege curiata defertur, in ipso magistratu sit insitum. Necessariam ille esse arbitratur ex verbis Messalæ supra recitatis. Ex quibus in hunc modum argumentatur: Majores & minores magistratus habuerunt auspicia, illi majora, hi minora. Majora dicta, quæ magis rata; minora, quæ minus: si ergo minores habent auspicia, profecto habent ex curiatis comitiis: nam tributa, quibus creantur, inauspicata sunt. Itera dum eadem ista mihi,

Gruchi. Quid enim ais? Magistratum habere auspicia, est ne comitiis auspicatis creari, an potius posse in comitiis auspicari, id est, de cœlo servare, & sua nunciatione comitia impedire? hoc certe. Quia omnibus hoc magistratibus licuit. Cum tamen omnes auspicato non crearentur. Unde edictum consulum extitit in comitiis consularibus: Ne quis minor magistratus de cœlo servasse vellet. Et majores magistratus majora, id est, magis rata auspicia habuisse dicuntur, quia ratum erat magis, quod nunciabat major, quam quod minor. Quid ergo proficis aut assequeris, cum ita urges? Omnes magistratus habuerunt auspicia, ergo comitiis auspicatis creati sunt. Nihil, aut parum, opinor. Cur ita? quia alio modo accipimus auspicia, cum dicimus, *magistratus omnes habere auspicia*: alio cum dicimus, *auspicatis eosdem comitiis declarari*. Illo observationem de cœlo intelligimus, qua magistratus in omnibus comitiis usi sunt, ut Jupiter ne fulserit, an tonuerit fulminaritve, attenderint; hoc inspectionem avium, quam augures ad bina tantum comitia curiata & centuriata adhibuerunt. Quare dixit Cic. in epist. ad Att. lib. 4. *Nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset*. Ex quo fit, ut magistratus omnes auspicia quidem habuerint, id est observationem de cœlo, at auspicatis comitiis non omnes tamen creati sint. Quia nonnulli tributis creati sunt. Quæ quanquam non omnino inauspicato habita sunt, quia observationem de cœlo habuerunt, unde illa de Cæsare: *Ille autem, qui comitiis tributis auspicatus erat, centuriata habuit*; attamen inauspicata dicuntur, quia augurum auspiciis caruerunt. At Cicero, inquit, in agraria dixit, magistratum lege curiata dari, & triumviri coloniæ deducendæ lege curiata fuerunt ornati; & tamen imperium militare non habuerunt. Quid me ista, Gruchi, lædunt? qui & verba Ciceronis, quo modo essent accipienda, ostendi; & triumviros lege curiata fuisse ornatos, nullo loco scripsi. Nam quod eos sub vexillo deduxisse colonos in libris de jure Italiæ prodidi, id longe est ab eo, de quo nunc agimus, alienum.

Eos vero, & lege curiata, & militari imperio caruisse, nisi quid extra ordinem latum sit, ut de decemviris suis tulit Rullus, affirmo.

Insitum porro in ipso magistratu fuisse imperium ille censet, qui lege curiata mandatur, atque id his argumentis confirmat. Primum, inquit, omni dictatori, consuli, aut consularem potestatem habenti, prætori, aut prætoriam potestatem habenti, ut rem militarem pro jure sui magistratus attingeret, opus fuit lege curiata. At lex curiata dat imperium, id est, rei militaris attingendæ potestatem, ergo legis curiatæ imperium in ipso magistratu fuit inclusum. Repeto id, quod jam sæpe dixi, (sic enim me facere institutus ab illo hujus ordo disputationis cogit.) Magistratui nemini pro jure suo rem militarem tractare licuisse; si tractare voluerunt, novo eis Senatusconsulto, ac nova lege opus fuisse. Quare militare imperium in ipso magistratu haudquaquam fuisse insitum. Quod si lex curiata jus magistratus expleret, non autem potius aliquid adventitii juris adjungeret, fore ut dictatores, consules, prætoresque cum populo agere, aut publicum obire munus ullum non ante possent, quam curiatam legem de suo imperio pertulissent.

Pergit inde & ait: *Dictatores multi fuerunt, qui nullum bellum gesserunt, ut seditionis sedandæ, clavi figendi, senatus habendi, & alii; quibus tamen pro jure magistratus bellum gerere licuit, ut etiam magistri equitum. Ex quo intelligi potest, imperium militare in ipso magistratu hæsisse*. Nullius argumenti tam expedita mihi videtur, ac tam facilis explicatio. Quis enim tam parum de his studiis cogitans, qui non legerit, aut certe non fando aliquando au-

A diverit, dictatores ob id institutos fuisse; ut esset, qui, temporibus reipublicæ postulantibus, rempublicam cum majori, quam qua consules essent, potestate, nempe sine provocatione, administraret? atque hanc eos potestatem accepisse tum, cum a consulibus dicti sunt? Nam, si rem administrare bellicam voluerunt, eos præterea legem curiatam de suo imperio pertulisse, atque eandem tum potestatem in urbe habuisse, quam consules dicebantur habere, cum senatusconsulto illo summo armati erant, supra statuimus. Quis est item a veteri memoria cognoscenda tam alienus, qui non animadverterit, magistri equitum jus duplex fuisse, unum in urbe, B ut pari jure esset cum eo, qui esset juris disceptator, idemque cum populo patribusque jus agendi haberet, id quod in Legibus suis Cicero scriptum reliquit; alterum, & magis proprium, in bello, ut equitatui imperaret? Quare quod adjicit: *Si quod lege curiata obtinebat imperium dictator, ad id imperium pertinuit, quod tam in urbe, quam extra urbem habebat. id vero imperium erat illud ipsum imperium, quod in ipso magistratu dictatoris hærebat, & quod cum ipso magistratu obtinebatur. Sane cum lex de dictatoris imperio lata est, de toto imperio ejus, & non de militari tantum est lata*; hoc totum, C inquam, quam leve atque infirmum sit, jam profecto nemo non videt. Neque enim imperium, quod per legem curiatam adipiscebatur dictator, ad universum dictatorium imperium pertinebat, cum dictator ante legem curiatam perlatam dictatorio munere fungeretur, primum cum de rebus divinis in senatu referebat, deinde cum legem ipsam curiatam de imperio, aut de equo ascendendo rogabat, ut de M. Junio Livius: *Dictator rebus divinis perfectis, latoque ad populum, ut equum ascendere liceret, &c.*

Siquidem hanc quoque legem de equo ascendendo curiatam fuisse Gruchius in commentario comi- D tiorum existimat. Aliud: *Cum Rullus, inquit, ornavit decemviros lege curiata, ornavit eos magistratu, ergo curiatæ legis imperium in ipso inclusum est magistratu*. Hic ego: Cum Rullus ornavit lege curiata decemviros, non ornavit eos magistratu, sed imperio, id est, adventitia quadam habendi exercitus potestate. Portenta mihi, inquies, mera narras. Atqui hæc portenta loquitur auctor non contemnendus in Cicerone Plutarchus, cum inquit, Rullum lege sua decemviris permisisse pecuniam ex ærario sumere, στρατιώτας τρέφειν καὶ καταλέγειν ὁπόσων δέοιτο: id est, exercitum alere, & conscribere, quanto opus E esset; cumque eos αὐτοκράτορας constitutos inquit. Eadem portenta loquitur ipse Cicero, cum inquit: *Dat potestatem verbo prætoriam, re vera regiam. Definit in quinquennium, facit sempiternam. Tantis enim confirmat opibus & copiis, ut invitis eripi nullo modo possit*. Si enim Rullus prætoriam potestatem in provinciis Romanorum tribuit decemviris, certe non potestatem prætorum urbanorum tribuit, sed provincialium, quos per legem curiatam imperium militare diximus habuisse. Si confirmat opibus, certe pecunia. Nam *sumptum*, inquit, *haurit ex ærario*; si copiis, ergo exercitu. Urget postremo vehementius, sic enim ipse loquitur, & ait: *Consules, prætoresque comitia centuriata in ur-* F *be habuerunt, quibus imperabatur exercitus. Censores item lustro faciendo exercitum imperarunt, neque id sine militari imperio; quomodo ergo militare imperium sevocabis a magistratu?* Quo argumento nullum ego imbecillius esse judico. Qui enim fieri tandem potest, ut qui comitia centuriata habuerunt, vere militare imperium habuerint, cum neque potestatem belli gerendi, neque exercitus habendi, sed populum in centurias divisum, quasi quendam exercitum convocandi, atque cum eo agendi habuerint? id quod ex eo perspicuum est, quia qui militare impe-

rium habuit, adegit ſacramento militari exercitum, omneſque milites in ſua verba jurare coegit. Qui vero comitia, non item. Ut omittam, ſi vera illa, non adumbrata, ſpecies quædam exercitus eſſet, ne illud quidem imperium in urbe, ut inquit ille, futurum, cum comitia centuriata non in urbe, ſed in campo extra pomœrium haberentur. Quid? an vero cenſorum imperium verum fuit, cum populum quaſi exercitum in campo luſtrarunt? multo minus. Cur? quia aliud fuit, cenſorio more populum luſtrare, aliud imperatorio exercitum. Ad cenſum convenerunt patresfamilias, ut familiam fortunaſque ſuas jurati profiterentur: ad delectum juniores, quorum plerique filiifamilias, ut nomina ſua in militiam profeſſi, ſe ſolenni, & quidem longe ab illo diverſo ſacramento obſtringerent. Addit, ſi triumviri, quia ſub vexillo colonos deduxerunt, imperium militare habuerunt, multo magis cenſores: quorum utrunque nego. Ut enim non vexillum, ſic neque luſtratio cauſſam attulit, ut aut triumviri, aut cenſores militari imperio fuerint inſigniti. Nam vexillum imaginarium fuit, & luſtratio illa tota non militaris fuit, verum cenſoria. Atque ex his quidem perſpicuum eſt, nihil tam obſcurum eſſe, quam id, quod ipſe ſe perfecta inductione planum feciſſe gloriatur, omnibus magiſtratibus, ut magiſtratus ſui jus plenum haberent, opus lege curiata fuiſſe. Quas enim protulit auctoritates non magiſtratibus omnibus, ſed tantum dictatoribus, conſulibus, prætoribuſque, quibus res militaris eſſet reipublicæ cauſſa tractanda, & provinciarum rectoribus neceſſariam fuiſſe convincunt. Qua de re inter nos convenit. Rationes autem, quibus, remotis auctoritatibus, utitur, reprehenſione antecedentis, aut conſequentis, aut certe brevi & minime fucata diſtinctione franguntur omnes, & eluduntur. Hæc habui, quæ breviter de his quæſtionibus ſcriberem. Quæ tantum abeſt, ut ad Gruchii, hominis de his literis optime meriti, imminuendam auctoritatem ediderim, ut ob id potiſſimum me ad ſcribendum adductum eſſe confitear, ne graviſſimum hominem deſpicere, præſertim acrius in me invehentem, ſi ſine reſponſo dimiſiſſem, viderer.

De Gruchio & Sigonio.

Antiquata jacent veteris quæ culmina Romæ,
Fractaque disjectis mœnia ruderibus,
Et linguæ accuſant & barbara prælia dextræ:
Sic ut vix ſit pes quod fuit ante caput.
At nunc doctarum linguarum mite duellum,
Et cædes hoſti non nocitura ſuo,
Inſtaurant Romam, quæ vos, Gruchi atque Sigoni,
Mavult quam pacem bella movere ſibi.

Q. Septimius Florens Chriſtianus.



NICOLAI GRUCHII
AD POSTERIOREM
CAROLI SIGONII
de binis magistratuum Romanorum comitiis, & de lege curiata disputationem, refutatio.

VIRO CLARISSIMO,
FRANCIÆ CANCELLARIO
MICHAELI HOSPITALI
NICOLAUS GRUCHIUS S. P. D.



N gravissimorum negotiorum infinita prope multitudine, quæ pro tui magistratus munere abs te, maximo reip. Gallicæ commodo, eximia cum laude geruntur, locum tamen aliquem humanarum literarum commentationi relinquere, omnes quibus tu probe notus es, & sciunt & prædicant. Quin etiam horas subcisivas, si quas potes arripere, te mansuetioribus musis dare, omnes testificantur, qui otii ac negotii tempora quam præclare sint apud te dispertita, observarunt. Itaque si meam cum Carolo Sigonio, viro in primis erudito, disputationem, quæ tota versatur in antiquitatis Romanæ illustratione, qua tu plurimum, pro tua singulari in hoc genere eruditione, oblectaris, ad te ultro misissem: mihi verendum non erat, ne aut ingratum tibi esset hoc literarium munusculum, aut indignum videretur cujus tu lectione aliquando delectarere. Est enim ut valde obscura, ita acerrimo limatissimoque tuo judicio haud indigna, quæ inter nos agitatur, de binis magistratuum Romanorum comitiis, & de lege curiata, quæstio. At ego certe non modo iniquum, sed prope contumeliosum existimabam, patronum mutare, quem mihi in priore responsione ad Caroli Sigonii reprehensiones asciveram: clarissimum præsertim ac doctissimum virum: mihique ob eam, qua me complectitur, benevolentiam magnopere observandum: nisi suo jure sua sponte cessisset, ultroque mihi auctor fuisset, ut meam hanc refutationem ad posteriorem Sigonii disputationem ad te mitterem, & sub tuo nomine divulgarem. Is est Henricus Memmius, tibi ob singularem doctrinam egregiamque virtutem carissimus. Qui tamen in eo profecto non tam suo jure cessisse videtur, quam ad utilitatum ornamentorumque sui clientis procurationem, potentiorem patronum sibi adjungere voluisse. Tu igitur, benignum ac liberalem in me omni, qua potest, ratione juvando animum Henrici Memmii, pro summa illa, qua tibi conjunctus est, amicitia complexus, posthac Nicolaum Gruchium in tuorum clientum numero habeto: primamque summæ observantiæ, qua te prosecuturus est, significationem, in hoc libello, qui ad te mittitur, accipito. Ac si suo auctorisque sui nomine, minus fortasse tibi satisfaciat, homini & gravissimo & eruditissimo: in Henrici Memmii, hominis tibi amicissimi, commendationem, ut animum intendas, te etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiæ Idibus Julii M.D.LXVII.

ΙΑΝΟΥ ΜΟΝΛΑΜΒΗΡΙΟΥ ΕΙΣ ΓΡΟΥΧΙΟΥ τε ὲ Σιγονίου διατριβὴν ἐπίγραμμα.

Τῆμελέας ἄνδρας μενοείκεα ταῦτα πορουῦτας
Δῶρα φρονησάντων ἄξια πολλὰ βροτῶν.
Πίσια ζητῦντας κοινῷ πρεσβεῖα λογισμῷ,
Ὡς πρέπον, ἀλλήλοις τῷ δὲ λόγῳ πολεμεῖν.
Προίκιος ἀμφοτέροις χάρις ἔσσεται, αἱ δ' ἀπόδεκται,
Φρόντιδες ἀμφοτέροις ὐ πόνος, ἀλλὰ βίος.
Ὕστερον ἀμφότερος μάλα τιμήεστατος ἔσαι,
Ἄχρι βίου πολιὺς ὅς γ' ἀνέθηκε νόμους.
Ὧν ποτε σωφροσύνην εὐφημήσουσι λέγοντες,
Οὐ μεῖζον θνητοῖς δῶρον ἐφημερίοις.

Τοῦ αὐτοῦ εἰς Γρουχιον φιλόσοφον εὐσεβῆ.

Ἄκρα μερίμνησαν πολλοὶ πάμπολλα σοφισαὶ
Ἀθανάτου ψυχῆς, ὃς δὲ τέθηκε Θεόν.
Τοῖον ἀρ' ἐν γε σοφοῖς λέγομεν μέγα κῦδος ἔχοντα,
Οὔτινος ἦτορ ἀεὶ Ζεὺς ἐς ὄλυμπον ἄγει.

Quod



UOD ego initio eorum librorum, quos de comitiis ante annos duodecim conscripseram, sum professus, maximam me doctis hominibus gratiam habiturum, qui non modo nostra refutassent, sed etiam de hoc genere veriora in vulgus edidissent: Id ego etiam nunc adeo mihi tenendum existimavi, ut etiam iis, qui non sine meorum reprehensione veriora edere conati, dignum conatu exitum non sunt assecuti, maximas egerim ac nunc quoque agam gratias. Ut enim in omni, quæ rationum momentis nititur, disputatione, libera hominum judicia esse debent: ita in hoc eruendæ antiquitatis studio, quod totum in conjecturis potius, quam in certa argumentorum consecutione positum est, liberrima esse non modo æquum est, sed etiam nolle in hoc genere reprehendi, aut a nostra sententia discedi, vel nimium præfidentis, vel nimium imperiosi ingenii esse judicandum est. Itaque ego posteriorem Caroli Sigonii disputationem tanta sum benevolentia complexus, ut, tametsi tota sit in accucuratiorem ac vehementiorem mei reprehensionem collata; tamen præclari ingenii, singularis modestiæ, exquisitæ eruditionis laudem ei tribuendam esse libenter prædicem. Ac, si aut veris, aut probabilioribus, quam meæ sunt, rationibus, mihi ejus disputatio niti videretur; non modo me ad ejus sententiam adductum palam professus essem, sed etiam, quam bene de me, omnibusque studiosis literarum meritus esset, literarum monumentis consignassem: tantum abest, ut me ab eo esse reprehensum moleste ferrem. Sed quoniam acutum hominem, & in antiquitatis Romanæ cognitione imprimis versatum, conquisitis magna & accurata diligentia rationibus, nihil video effecisse, cur mihi a pristina mea opinione discedendum esse videatur: eo magis persuasus sum mihi in mea sententia esse permanendum. Atque ut omnibus etiam auctor essem, quo meam potius, quam Sigonii in hac, quæ inter nos agitur, quæstione opinionem sequantur; propterea hanc mihi refutationem necessario suscipiendam esse putavi: præsertim cum Sigonii in hoc illustrandæ antiquitatis studio exercitatissimi auctoritas periculoso quodam præjudicio veritatem magis labefactaret. In quo ego solitam meam in scribendo modestiam retinebo: ne in hominis optimi, & ob studiorum societatem summa mihi benevolentia ac necessitudine conjuncti, offensionem ullo modo incurram. Sic enim volo cogitet Sigonius, idem mihi in hac refutatione institutum fuisse, quod in sua disputatione suscipienda sibi fuisse propositum scribit: nolle me hominis, de literis optime meriti, auctoritatem imminuere; sed, dum studiosis literarum consulimus, præclara hujus ætatis hominum ingenia excitare, ad certius aliquid de hac nostra, haud facili, quæstione statuendum. Quod dum expectamus, disputationem illius ego ita excutiam, ut ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς (inquit ille) de posteriore disputationis parte prius agam, quæ est de lege curiata, quam ad priorem deveniam, quæ est de binis comitiis. Idque eo libentius facio, quod in responsione mea ordinem ac dispositionem non semel requirere videtur: quæ tamen & non fuit tam anxie in exili opusculo postulanda, & satis accurate pro instituta illic disputatione a me est observata. Atque illa quidem caussa est, cur de lege curiata disputationem priore loco exagitem: quia & latius patet, & totam pene de binis comitiis quæstionem continet. Nam si omnibus, qui populi suffragio creabantur, Romanis magistratibus adhibitam fuisse legem curiatam post prima, quibus creabantur, comitia probatum sit, simul confectum erit, quod de binis comitiis a Cicerone scribitur, potius intelligendum esse de centuriatis & curiatis, aut de tributis & curiatis, quam de ullis aliis, quæ fingi aut excogitari possunt, binis comitiis. Ego autem singulos disputationis locos, ad quos mihi conferenda potissimum mea refutatio visa est, numeris notavi, non modo ut perturbatæ orationis querelam Sigonio præciderem; sed etiam, ut facilius conferri possent, quæ a me dicerentur, cum iis, quæ a Sigonio scripta sunt, cum ea singulatim designata ac denotata conspicerentur.

CAP. I.

Idque ex eo liquere, quod de tribunis quidem plebis atque ædilibus nunquam, nisi potestatem dixerunt.

IMMO de tribunis plebis dixerunt Latini scriptores *imperium*. Florus de seditione Tiber. Gracchi loquens ita scribit: *Sic triumvir creatus dividendis agris, cum ad perpetranda cœpta, die comitiorum prorogari sibi vellet imperium*. Et Paterculus lib. 2. *Octavioque collegæ pro bono publico stanti, imperium abrogavit*. Multiplex sane verbum est *imperium*. Uno modo cum latissime patet ejus significatio, ad omnes pertinet, qui quoquo modo præsunt, sive privatim, sive publice: privatim, ut paternum imperium, herile imperium: publice, ut Populus Romanus, cujus summum fuisse imperium semper legitur, omninoque cum passim Romanum imperium appellatur, & omnes cujusque generis magistratus. Sunt enim magistratus, qui publice præsunt. Cicero de leg. lib. 3. *Videtis igitur, magistratus hanc esse vim, ut præsit, præscribatque recta, & utilia, & conjuncta cum legibus: ut enim magistratibus leges, ita populo præsunt magistratus*. Omnes ergo, qui populo præsunt cum quadam jubendi auctoritate, & magistratus sunt, & imperium habere dicuntur. Atque hæc jubendi auctoritas si est legitima, tum veri sunt ac legitimi magistratus; si præter leges, aut absque ullis legibus, tum nec veri, nec legitimi. Cicero eodem in loco paulo post: *Nihil porro tam aptum est ad jus conditionemque naturæ (quod cum dico, legem a me dici intelligi volo) quam imperium: sine quo nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest*. Et paulo post: *Magistratibus igitur opus est, sine quorum prudentia ac diligentia esse civitas non potest, quorumque descriptione omnis reip. moderatio continetur. Neque solum iis præscribendus est imperandi, sed etiam civibus obtemperandi modus. Nam, qui bene imperat, paruerit aliquando necesse est: & qui modeste paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus esse*. Et paulo post cum primam legem statuit: *Justa imperia sunto*: Quis non videt omnium magistratuum jussa, ea lege appellari? Fuit ergo communis quædam significatio *imperii*, quæ in magistratibus illam imperandi potestatem omnibus communem significabat. In qua significatione verum fuit, minimos etiam magistratus imperium habuisse. Et ut Græcis τῶν ἀρχῶν καὶ τῶν ἀρχόντων nomine omnes comprehendebantur; ita Latinis magistratus, hoc est, qui imperandi jus potestatemque haberent, dicuntur: in eaque significatione cum accipitur imperium, non fuit a potestate diversum, sed idem plane fuit magistratus imperium, & magistratus potestas. Idque est, quod significat Paulus JC. ff. de verborum significatione, cum scribit, potestatis verbo in persona magistratus imperium significari. Ex ea etiam imperii significatione ortum est illud genus loquendi, quo imperia sæpe pro magistratibus ipsis accipiuntur. Ut cum scribit Livius lib. 9. dec. 1. *Et duo imperia eo anno dari cœpta per populum*. Et cum apud Cicer. lib. 9. ad Att. ea

ſcribuntur, quæ apud Gellium lib.13. c. 14. ex Meſſala citantur: *Majus imperium a minore rogari non eſt jus*. Interdum *imperii* nomine ipſum juſſum magiſtratus, ejuſque adeo, qui imperandi jus habet, ſignificat: ita ut *imperium* ſit πρόσταγμα aut πρόσταξις. In qua ſignificatione tam frequenter occurrit, ut ſupervacaneum ſit exempla apponere. Interdum, ut regnum locum ſignificat, in quo regnatur; ita imperium ſæpe magis locum ſignificat, quantuſcunque eſt, cui imperatur, quam ipſum jus ac poteſtatem imperandi; ut cum Romanum Imperium appellatur totus ille gentium, nationum, locorum ambitus, qui ſub populi Romani erat ditione: quod etiam apud Latinos ſcriptores frequentiſſime reperitur. Eſt vero & alia ſignificatio imperii, qua major quædam jubendi, cogendi, coercendique poteſtas intelligitur: in qua ſignificatione cum accipitur, merito negantur omnes magiſtratus imperium habuiſſe; tametſi omnes jubendi poteſtatem haberent. In ea ſignificatione accipitur apud Varronem cum ſcribit, Magiſtratus aut vocationem habere ut coſſ. cæteroſque qui imperium habent. hujus vocabuli ea vis paſſim obſervatur apud Livium, Saluſtium, Cæſarem, Ciceronem, ceteroſque Latinos ſcriptores, ut in majoribus magiſtratibus ſæpiſſime imperium tantum, nonnunquam imperium ſimul & poteſtatem uſurpent, in minoribus poteſtatem. In hac ſignificatione Paulus, l. 2. ff. de in jus vocando, accipit *imperium*, cum ſcribit: *In jus vocare non oportet neque conſulem, neque præfectum, neque prætorem, neque procoſ. neque ceteros magiſtratus, qui imperium habent, qui & coercere aliquem poſſunt & jubere in carcerem duci*. Nam, ſi *imperii* nomine omnes magiſtratus complecteretur, falſum diceret Paulus: quandoquidem multi minorum magiſtratuum in jus vocari potuerunt, ut omnes qui poteſtatem neque vocationis populi viritim habebant, neque prehenſionis, teſte Varrone apud Gell. lib.13. cap.13. Neque vero ignoro, apud juriſconſultos poteſtatis nomen interdum anguſtiſſime accipi, ut eos modo ſignificaret, penes quos eſſet merum imperium: ut Ulpianus ſcribit, ff. in l. *imperium*. Interdum latiſſime, ut latius pateat poteſtatis nomen, quam magiſtratus, quomodo accipitur in edicto prætoris, quod eſt in l.1. ff. Quod quiſque juris: *Qui magiſtratum poteſtatemve habebit, ſi quid in aliquem novi juris ſtatuerit, ipſe quandoque adverſario poſtulante, eodem jure uti debet, ſi quis apud eum, qui magiſtratum poteſtatemve habebit, aliquid novi juris obtinuerit*. Quia enim ad legatos etiam proconſulum, qui magiſtratus non erant, edictum hoc pertinebat; propterea, poſtquam magiſtratum dixerat, ſubjunxit poteſtatem. Cum enim proconſules, quique merum imperium habebant, ipſi Ulp. magiſtratus eſſent, quorſum opus fuiſſet verbo *poteſtatis* uti, poſtquam *magiſtratum* dixerat? Ceterum apud hiſtoriæ & orationum aliarumque rerum veteres ſcriptores Latinos, qui ætate JC. illos præceſſerunt, vix ac ne vix quidem, unquam reperies, nomen *poteſtatis*, in iis quidem, qui quoquo modo reip. præeſſent, appellari: niſi ad ſignificandam illam publicam jubendi auctoritatem, quæ in magiſtratibus ineſſet, ita ut apud eos non modo ſacerdotes negentur poteſtatem habuiſſe, (quia procuratio ſacrorum in iis verius diceretur quam poteſtas) ſed etiam legati, qui vel in provincias cum magiſtratibus, vel alio mittebantur, in nomine *poteſtatum* non comprehendantur. Argumento eſt lex illa Cicer. 3. de legibus: *Imperia, poteſtates, legationes, cum ſenatus creverit, populuſve juſſerit, ex urbe exeunto*. Nam, *imperiorum* nomine eos intelligit, qui cum imperio, in provincias mittebantur: *poteſtatem*, alios magiſtratus, ut quæſtores, alioſve extraordinarios magiſtratus, qui ad aliquod negotium mittebantur: tum vero, quaſi aliquid ab iis diverſum, aut ſub iis non comprehenſum, ſubjicit, *legationes*. Et libr. tertio in Verrem: *Pertinere hoc ad commodum ſenatorium, pertinere ad utilitatem eorum qui judicent, qui in provinciis cum poteſtate, aut cum legatione ſe futuros aliquando arbitrentur*. Et lib.4. *Neminem, qui cum poteſtate aut legatione in provinciam eſſet profectus*. Utroque enim loco prætores quæſtoreſque, qui magiſtratus erant, nomine eorum, qui cum poteſtate eſſent, intelligit: adjungit vero illud *cum legatione*, ob legatos, qui magiſtratus non erant: quod ea verba indicant, quæ paulo poſt ſequuntur: *Poſtremo etiam in cellam magiſtratibus & legatis imperetur*. Porro autem illius imperii, quod in magiſtratuum majore illa cogendi poteſtate cerni dixi, pars fuit illud imperium, ex quo imperatores cognominabantur, quod in ducendi exercitus, belliqne gerendi poteſtate poſitum erat: quod vel inde intelligi poteſt, quod nemo unquam illud obtinuit, quin magiſtratus eſſet, (ut poſtea nos docebimus.) Ac ſi quando Cicero vult verbum imperii coarctare ad ſignificandam imperatoriam poteſtatem, tum ſolet adjungere, aut *exercitus*, aut *belli*, aut *militaris* nomen, ut facile eſt cum multis ex locis, quos omnes citare nimis longum eſſet, tum vero ex eo, quod ſcribit pro Balbo: *Quos igitur prudentiſſimos interpretes fœderum, quos peritiſſimos bellici juris, quos diligentiſſimos in exquirendis conditionibus civitatum atque cauſſis eſſe arbitramur? eos profecto qui jam imperia ac bella geſſerunt*. Et pro Sextio, & pro domo: *Erat Cæſar ad portas cum imperio & exercitu*. Et pro lege Manil. *Et quoniam auctoritas multum in bellis quoque adminiſtrandis atque imperio militari valet*. Et paulo poſt: *Ego enim ſic exiſtimo, Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & ceteris magnis imperatoribus, non ſolum propter virtutem, ſed etiam propter fortunam, ſæpius imperia mandata atque exercitus eſſe*. Quod vero de imperio dixi, ex quo imperatores appellabantur, in eo volo nomen *imperatoris* accipi pro omni duce exercitus, non ad eum modo coarctare, qui re demum bene geſta ab exercitu honoris cauſſa imperator eſſet appellatus. Eſt enim ex Latinorum ſcriptorum lectione perſpicuum, duobus modis accipi nomen *imperatoris*, uno modo, ut muneris nomen eſſet, alio, ut titulus honoris. Illo modo, latiſſime patebat, omnibuſque, qui exercitus duces eſſent, conveniebat: hoc modo, illi tantum *imperatoris* nomen ſibi vendicabant, qui re bene geſta ab exercitu ita appellati erant. Itaque, qui in provincias cum exercitu miſſi erant, cum vel publice, vel privatim ſcribebant, nomen magiſtratus tantum adſcribebant, ut ſe vel procoſſ. vel proprætt. appellarent, niſi poſtquam ab exercitu ob rem bene geſtam imperatores appellati erant. Tum enim in literis præter nomen magiſtratus adſcribebant, *Imperator*: hoc modo, Cicero procoſ. imper. Hæc latius paulo de *imperii* ac *poteſtatis* vocabulis ob id diſputavi: primum, quia mihi magno uſui futura ſunt ad ea, quæ poſt a me adverſus Sigonium diſputabuntur. Deinde quia antiquitatis quadam illuſtratione præſtat noſtram diſputationem eſſe refertam, quam nudis & ab omni lectorum utilitate vacuis diſputationis aculeis ſcatere. Poſtremo, ne ob verborum ambiguitatem in eorum forte incurreremus reprehenſionem, qui de horum verborum ſignificatione nos aliter ſentire exiſtimarent, quam a probatiſſimis auctoribus ſcriptum ſit.

CAP. II.

Et Livius in ſecundo, tribunum plebis privatum eſſe ſine imperio, ac ſine magiſtratu, prodidit.

QUÆ tu citas ex Livio, Sigoni, verba ſunt Appii conſulis adverſus Lectorium tribunum plebis in atroci inter eos contentione prolata. Multa vero in hujuſmodi altercationibus καθ' ὑπερβο-

A λὴν dicuntur, quæ aut plane falſa ſunt, aut quadam ex parte vera eſſe ſatis eſt. Tribunus plebis, ut paulo ante hunc, quem citas, locum dixerat Appius, non populi, ſed plebis tantum magiſtratus erat. Ac ſi primam tribunatus inſtitutionem ſpectes, potius ad aliorum magiſtratuum imperia cohibenda inſtitutus videbatur, quam ad imperandum, ut Dionyſius, Gellius, & Plutarchus docent. Hac ergo ex parte ſatis eſt, vera eſſe, quæ dicit Appius, ſine imperio, ſine magiſtratu eſſe tribunum. At omni ex parte & ſimpliciter vera eſſe non neceſſe eſt. Sophiſma eſt, Sigoni, ea, quæ καθ' ὑπερβολὴν aut κατὰ σύγκρισιν dicuntur, ita accipere, quaſi omnino vera B eſſe oporteat. Eſt enim hoc ἐκ τοῦ κατά τι τὸ ἁπλῶς συλλογίζεσθαι.

C A P. III.

Addo autem poteſtatem in auſpicio & judicio poſitam fuiſſe: unde ſanxit noſter ille idem in legibus: magiſtratus omnes judicium & auſpicium habento. *Et paulo poſt: Cum dico judicium, intelligo poteſtatem decretum interponendi & juris dicendi.*

C MULTA hic ſunt, in quibus mihi Sigonius falli videtur. Primum, quod poteſtatem in auſpicio & judicio poſitam fuiſſe dicit. Fuit enim magiſtratuum poteſtas in publica illa jubendi auctoritate potius poſita, atque adeo in eo, quo publice imperare poſſent, quam in iis rebus, quæ acceſſiones poteſtatis fuerunt, atque ornamenta potius, quam quod magiſtratus eſſentia in iis conſiſteret. Deinde quod parum ſe memorem eorum, quæ modo dixerat oſtendit. Tribunum plebis modo dixerat magiſtratum non eſſe, nunc poteſtatem magiſtratus judicio & auſpicio definit, quorum utrumque etiam tribunis, illa, quam dat, interpretatione, conve-D nit: obnunciandi enim atque adeo de cœlo ſervandi, itemque decretum interponendi, ac juris dicendi poteſtatem tribuni habuerunt. Sane, quia Cicero in numero magiſtratuum, in ſuperioribus legibus, tribunos plebis poſuerat, non dubium eſt, quin hanc legem ad eos etiam pertinere voluerit. Sed in hoc longe fallitur Sigonius, quod exiſtimat, quas Cicero leges ponit, eas omni ex parte legibus Romanis eſſe accommodatas. Suæ enim, quam ſibi fingebat, reip. leges tradit, non Romanas leges recenſet: ut facile eſt cum ex multis videre, tum ex eo, quod de cenſoribus jubet, cum eos toto quinquennio vult imperium habere. Poſtremo, in eo E quoque mihi graviter peccare videtur, quod *judicium* illo loco interpretatur, poteſtatem decreti interponendi ac juris dicendi: ut enim doctiſſimo viro Jo. Bodino, cæteriſque Juriſconſultis hanc tecum dirimendam controverſiam relinquam, verumne fuerit omnes Romanos magiſtratus, decreti interponendi, juriſque dicendi poteſtatem habuiſſe: non eſt profecto eo loco ita accipiendum *judicii* nomen: ſed judicium illo loco ſignificat, poteſtatem exercendi apud populum judicii, diſceptatore ac judice populo damnandi, pro ea, quam quiſque magiſtratus haberet, poteſtate. Habuerunt enim omnes Ro-F mani magiſtratus eam cum populo agendi, reumque apud populum faciendi, poteſtatem, quam nemo privatus habebat. Idcirco in hiſtoria quæſtores, ædiles tam curules quam plebeii frequenter reperiuntur, multos ad populum & vocaſſe & damnaſſe. Sed, quoniam multos etiam alios video ad hunc ſcopulum naufragium feciſſe, magis mihi elaborandum eſt, ut me adhuc ſolum inde ſalvum evaſiſſe demonſtrem. Ego vero non aliunde, quam ex ipſo Cicerone, veram ac germanam hujus loci interpretationem ſumam. Cicero recitatis ſuis legibus, legum a ſe poſitarum cum rationes cauſſaſque ſubjicit, ita de hac lege ſcribit: *Deinceps igitur omnibus magiſtratibus auſpicia & judicia dantur. Judicia, ut eſſet populi poteſtas, ad quam provocaretur.* Ex iis verbis dico, neceſſario colligi, nomine judiciorum illo loco ſignificari illas, quas dixi, ad populum vocationes. Dicit enim magiſtratibus data in lege ob id judicia, ut per illa judicia oſtenderetur ſtatueretque ſumma illa populi poteſtas, quæ in provocatione poſita erat. Hoc vero jus ad populum provocationis, omnes ac ſoli magiſtratus habebant. Poſtremo parum mihi ſibi conſtare videtur Sigonius, quod cum tam provincialibus, quam urbanis magiſtratibus poteſtatem tribuerit, ex eoque neceſſario ſequatur, provinciales etiam magiſtratus & auſpicia & judicium habuiſſe, per hanc Ciceronis legem, quam omni tribuit poteſtati: ipſe tamen permultis provincialibus magiſtratibus auſpicia, nonnullis etiam judicium, hoc eſt, juris dicendi poteſtatem adimit. Sed hoc poſtea accuratius examinabimus.

C A P. IV.

Alterum vero imperium, nempe rei militaris attingendæ poteſtatem, neminem horum ſine ſenatuſconſulto, ac lege, adminiſtrare non ſolum in urbe, ſed neque in provincia potuiſſe affirmo; quæ lex, quia curiatis comitiis lata ſit, curiata eſt appellata.

MULTA ſunt, quæ hic mihi videntur reprehenſione digna. Primum, quod hanc rei militaris poteſtatem, alterum facit imperium, ab imperio magiſtratus diverſum: cum fuerit aut imperii in quibuſdam magiſtratibus pars, aut totus ipſe magiſtratus in aliis: deinde, quod ſine S. C. ac lege curiata nullum magiſtratum dicit hoc imperium militare habuiſſe, neque in urbe, neque in provincia. Nam ſive S. C. accipiat Sigonius pro nobili illo S. C. ut viderent magiſtratus, ne quid detrimenti reſp. caperet, ſive pro alio quovis ordinario; effugere non poteſt, quin aut falſum dicat, aut ſibi ipſe repugnet. Nam nulli magiſtratui licuiſſe, rem militarem attingere, abſque illo nobili S. C. aut lege curiata, plane falſum eſt: nulli autem omnino licuiſſe abſque S. C. ac lege curiata rem militarem attingere, omnino repugnat ei, quod ipſe ſentit, conſulem ſolo illo nobili S. C. armatum abſque lege curiata rem militarem gerere potuiſſe. Sed dicet fortaſſe, in ſuis verbis conjunctionem pro disjunctione ſumendam eſſe, ut intelligatur ſine S. C. ac lege pro eo, quod eſt, ſine S. C. aut lege. Itaque hac omiſſa reprehenſione, ad prius illud amplius ſtudioſiuſque refutandum, meamque de ea re confirmandam ſententiam venire præſtat. Eſt enim id, in quo propemodum tota noſtræ controverſiæ ſumma conſiſtit, ut rei militaris imperium doceatur pars fuiſſe imperii magiſtratus, aut vero in ipſo magiſtratus imperio inſitum, non autem acceſſionem ejus quandam, quaſi aliquid ab eo diverſum. In quo docendo ſi longior ſim, meus haud facilis conatus inveteratæ & jam dudum multorum doctorum hominum concenſu receptæ opinionis tollendæ, ac funditus evertendæ, aut culpam feret, aut veniam promerebitur. Ego igitur primum docebo, omnes, qui leguntur paſſim in hiſtoriis cum imperio fuiſſe, aut miſſi cum imperio, aut imperium in provincia obtinuiſſe, aut in imperio fuiſſe, non modo eſſe magiſtratus hoc ipſo, quod cum imperio fuiſſe dicerentur, ſed etiam ita appellatos fuiſſe. Deinde ſingulatim oſtendam, conſules, dictatores ac prætores in ſuo magiſtratu inſitam habuiſſe illam rei militaris adminiſtrandæ poteſtatem. Ex quibus convincam, verbi *imperii* unam ſemper notionem, unamque ſignificationem in omnibus hujuſmodi locutionibus eſſe dicendam; *cum imperio eſſe*, vel *miſſum eſſe*, vel *in*

imperio esse, *imperium datum*, *mandatum*, *prorogatum esse*, *imperii insignia*, *pro imperio aliquid agere*: nempe, ut nihil intelligatur aliud, quam vehementior illa imperandi potestas, qua uti in gerendo publico negotio sibi publice commisso quisque poterat. Ac primum magistratus definitio, quantumvis repugnantem convincere potest, omnes fuisse magistratus qui cum imperio fuisse leguntur. Cicero Aristotelem secutus in libr. 4. polit. magistratus definit eos, quibus data esset publice consulendi, judicandi atque jubendi, imprimisque ac maxime jubendi, potestas. Atqui dicere, quenquam unquam cum imperio missum, cui non esset potestas in negotio publico imperandi, summæ pervicaciæ aut potius summæ impudentiæ esset. Omnes ergo hi fuerunt magistratus. Sed, quoniam mavult in hac antiquitatis pervestigatione auctoritatibus agi Sigonius, quam rationibus, agedum testes citemus. Esse inter se contraria hæc duo, *privatum esse*, & *in magistratu esse*, nemo negare audeat. Si ergo ex veterum scriptorum auctoritate docuero, hæc duo *in imperio* aut *cum imperio esse* ac *privatum esse*, pro contrariis usurpari, hoc profecto a me quoque demonstratum erit, aut idem fuisse *in magistratu esse*, & *cum imperio esse*, aut certe hoc in illo ita contineri, ut quicunque in imperio esset, magistratus esset; tametsi non contra necesse esset, quicunque in magistratu esset, cum imperio fuisse. Livius statim initio lib. 2. dec. 1. *Penes Collatinum imperium esse. Nescire Tarquinios privatos vivere*. Et paulo post: *Regium genus, regium nomen, non solum in civitate, sed etiam in imperio esse*. In iis verbis quis non videt hæc inter se opponi, *privatum vivere* & *in imperio esse*? Idem Livius lib. 10. dec. 3. scribit: *Circumactum anni tempus & nullo prorogante imperium, privatus T. Claudius classem Romam reduxit*. Ex eo loco perspicuum est, cui prorogatum fuerat imperium, post circumactum annui magistratus tempus, non fuisse privatum. Hic enim T. Claudius, qui cos. superiore anno fuerat, propterea privatus dicitur reduxisse classem, quia non erat ei prorogatum imperium. Et libr. 2. dec. 4. *Sub idem tempus L. Manlius Acidinus, ex Hispania decedens, prohibitus a M. Porcio Læcca, tribuno plebis, ne ovans iniret, cum ab senatu impetrasset, privatus urbem ingrediens*. Quia hic Manlius obtinere non potuit, ut lex perferretur, ut ei, quo die ovans urbem iniret, in imperio esse liceret; propterea dicit Livius, eum privatum urbem ingressum. Quod si privatus dicatur, quia non licuit ei esse cum imperio, perspicuum est, hæc inter se esse contraria, *cum imperio esse* & *privatum esse*. Idem Livius lib. 4. dec. 4. loquens de duabus coloniis, quæ ductæ sunt in Brutios & in agrum Thurinum, ita scribit: *His deducendis triumviri creati, quibus in triennium imperium esset*. Quid quæso hic aliud significat *in triennium imperium obtinere*, quam quod ejusdem dec. lib. 2. dixerat, cum de aliis triumviris loqueretur: *Triumviri deducendis iis, qui per triennium magistratum haberent, creati*. Quod enim uno in loco dixerat, *in triennium magistratum habere*, dixit in alio, idem plane, ut perspicuum est, significare volens, *in triennium imperium obtinere*. Idem lib. 3. dec. 4. *Auctoritas seniorum valuit, negantium exemplum proditum memoriæ esse, ut imperator, qui perduellibus devictis, confecta provincia, exercitum reportasset, sine curru & laurea privatus inhonoratusque urbem iniret*. Quis non videt, privatum hic ei opponi, qui cum imperio esset, more omnium triumphantium? Idem Liv. 5. dec. 5. de Pauli Æmilii triumpho ita inducit loquentem M. Servilium: *Servius*, inquit, *Sulpicius non triumphum impedire debuit, sed postero die quam triumphatum est, & cum privatum eum visurus esset, nomen deferret*. Paulo ante Livius dixerat, actum esse cum tribunis plebis de ferenda rogatione, ut iis, de quorum trium-

A pho agebatur, quo die urbem triumphantes ingrederentur, imperium esset. Unde perspicuum est, *privatum esse* & *cum imperio esse* contraria esse. In eadem illa oratione paulo post: *Lucius Paulus privatus, tanquam rure rediens, a porta domum ibit?* hic rursum *privatum* opponit *ei qui cum imperio esset*. Cicero in prima epistola ad Lentulum: *Crassus tres legatos decernit, nec excludit Pompeium: censet enim etiam ex iis, qui cum imperio sunt. Bibulus tres legatos ex iis, qui privati sunt*. Hoc fuit discriminis inter Bibuli & Crassi sententiam, quod ille tres quidem legatos, sed eos ex privatis tantum

B decernebat. Hic tres etiam legatos, sed eos, qui cum imperio essent, non excludebat. Ex quo efficitur, neminem, qui cum imperio esset, privatum fuisse. Idem lib. 3. in Verrem: *Non hoc nunc audit privatus de inimico, reus ab accusatore. Jam antea in sella sedens prætor cum provinciam Siciliam obtineret, cum ab omnibus non solum id, quod commune est, propter imperium; sed etiam id, quod istius præcipuum est, propter crudelitatem metueretur, millies audivit*. Eo in loco non modo privatum opponit ei, qui in provincia imperium obtineret, sed etiam aperte negat, Verrem proprætorem fuisse privatum. Et lib. 5. *Verum esto, sit tibi illud liberum omne tempus, quo cum

C imperio fuisti: etiam ne privatus? etiam ne reus? etiam pene damnatus, hostium duces privata in domo retinuisti?* Et pro lege Manilia: *Quod si Romæ Cn. Pompeius privatus esset hoc tempore; tamen ad tantum bellum is erat deligendus atque mittendus*. Negat privatum esse Pompeium, qui tum proconsul bellum piraticum gerebat. Et pro Sextio: *Ex quibus unum habere exercitum in Italia maximum, duo qui privati tum essent*. De tribus loquitur, Cæsare, Pompeio & Crasso: hos duos dicit privatos: illum in privatis non numerat, quia procos. exercitum haberet, quem in Galliam ducturus erat. Eum vero paulo post cum imperio fuisse scribit.

D Idem pro Sextio: *De me uno patres conscripti decreverunt, ut qui provincias cum imperio obtinerent: qui quæstores legatique essent, salutem & vitam custodirent*. De eodem illo S. C. loquens in Pisonem ita scribit: *Me idem senatus exteris nationibus, me legatis magistratibusque nostris commendavit*. Quid, quæso, apertius est, quam magistratuum nomine hic appellari, quos illic cum imperio provincias obtinere, aut quæstores esse dixerat? Svetonius in Cæsare: *Sed cum edictis jam comitiis ratio ejus haberi non posset, nisi privatus introisset urbem*. Hic manifesto privatum opponit ei, qui ad urbem cum

E imperio erat, triumphum expectans. Idem Svetonius paulo post: *Cum M. Cato denunciaret delaturum se nomen ejus, simul ac primum exercitum dimisisset, cumque vulgo fore prædicaret, ut, si privatus rediisset, Milonis exemplo circumpositis armatis caussam apud judices diceret*. Hic rursum privatum opponit ei, qui exercitum haberet. Sed quoniam eos, qui in provinciis cum imperio fuerunt, non modo fuisse magistratus, me demonstraturum receperam, sed etiam ita fuisse appellatos a Latinis scriptoribus, citabo aliquot locos, ex quibus id erit apertissimum. Cicero libr. 2. in Verrem de iis loquens, qui cum imperio in Siciliam mitti sole-

F bant: *Magistratuum autem nostrorum injurias ita multorum tulerunt*. In eodem lib. paulo post: *Quid est turpius ingenuo, quid minus libero dignum, quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere?* Quod a Verre proprætore factum erat, id a magistratu factum fuisse dicit. Et paulo post de iis loquens, quæ a successore Verris Metello facta erant contra Verris acta: *Si tibi magistratum abrogasset, minore ignominia te affecisset, quam cum ea, quæ in magistratu gessisti, sustulit*. Paulo post: *Nisi forte id agimus, non ut magistratibus nostris morem accipiendi, sed ut sociis caussam dandi au-*

ferre videamur. Continuo post hæc verba: *Rogant & orant Siculi patres conſcriptos, ut noſtri magiſtratus poſthac decumas lege Hieronica vendant*. Item: *Taurominitani, qui maxime ab injuriis noſtrorum remotiſſimi conſueverant eſſe*. Et lib. 3. *Sunt homines Siculi non contemnendi, ſi per noſtros magiſtratus liceat*. Et paulo poſt: *Antea, cum equeſter ordo judicaret, improbi & rapaces magiſtratus in provinciis inſerviebant publicanis*. Et paulo poſt: *In hac tam miſera & iniqua conditione vitæ, ne hoc quidem retinebimus, ut magiſtratibus noſtris in obtinendo jure noſtro ne contemptiſſimi eſſe videamur?* Et paulo poſt: *Si, quemadmodum ſocii populi Romani a magiſtratibus noſtris tractentur*. Paulo poſt: *Cum ſenatus publicanos uſura ſæpe juviſſet, magiſtratus a publicanis pecuniam pro uſuris auderet auferre?* Paulo poſt de cerario a Verre primum inducto: *Quomodo hoc nomen ad rationes magiſtratus, quomodo ad pecuniam publicam allatum eſt? Ex hujuſmodi principio atque ex liberalitate, atque accommodatione magiſtratuum, conſuetudo æſtimationis introducta eſt. Quod videtur concedendum magiſtratibus noſtris eſſe, ut iis, quo loco velint, frumentum accipere liceat. Hoc enim magiſtratus in provincia aſſequi poteſt, ut ibi accipiat, ubi eſt cariſſimum. Neque enim eſt fere quicquam, quod homines palam facere audeant in magiſtratu, quamvis improbi, quin ejus facti rationem afferre ſoleant. Placet ne vobis in cellam magiſtratibus noſtris frumentum Siculos gratis dare? Ne poſthac tantas pecunias magiſtratibus noſtris decerneremus. Populo Romano ferat potius, quam noſtris magiſtratibus: magiſtratibus tantundem detur in cellam, quantum ſemper datum eſt. Placet ita geri magiſtratus ut geruntur? Poſtremo etiam in cellam magiſtratibus & legatis imperetur*. Et lib. 4. *Licuit poſſe domeſticis copiis, cum magiſtratum aut aliquem ſuperiorem invitaſſet, ornare & apparare convivium*. Et lib. 5. *Neque moleſte ferebant, abeſſe a foro magiſtratum, non jus dici. Ne mœrore parentum ac propinquorum magiſtratibus noſtris quæſtui poſſet eſſe. Parumque multa mercatoribus neceſſario pericula ſubeunda fortunæ, niſi etiam hæ formidines a magiſtratibus noſtris impendebunt? hac una tamen fiducia civitatis non modo apud noſtros magiſtratus*. Et pro lege Manilia: *Difficile eſt dictu, Quirites, quanto in odio ſimus apud exteras nationes, propter eorum, quos ad eas hoc anno cum imperio miſimus, injurias ac libidines: quod enim fanum putatis in illis terris, noſtris magiſtratibus religioſum?* Eo in loco magiſtratus perſpicue appellat eos, quos dixerat in provincias cum imperio miſſos fuiſſe; & pro Flacco: *Verum eſto, negotiari libet: cur non Pergæ, Smyrnæ, Trallibus, ubi & multi cives Romani ſunt, & jus a noſtro magiſtratu dicitur?* Et paulo poſt: *Mitto etiam, quod a noſtris magiſtratibus in integrum reſtituta*. Idem Cicero in illa ad Quint. fratrem longa & nobili epiſtola: *Et quoniam mihi caſus urbanam in magiſtratibus adminiſtrationem reip. tibi provincialem dedit*. Quo in loco Cicero magiſtratuum nomine appellat non minus eos, qui provincialem adminiſtrationem haberent, quam qui urbanam. Ac ne exiſtimes, Ciceronem modo oratorie magis, quam ad veritatem, ut ſcribit Sigonius, nomine magiſtratuum eos appellaſſe; citabo etiam hiſtoricos, imprimiſque T. Livium. Is ita ſcribit lib. 3. Decad. 5. de S. C. loquens, quod in Græciam miſſum eſt, per legatos C. Popilium, & Cn. Octavium: *Nequis ullam rem in bellum magiſtratibus Romanis conferret, præterquam quod Senatus cenſuiſſet*. Cui dubium eſt, quin nomine magiſtratuum omnes comprehendat, qui cum imperio provincias obtinerent? Item Livius eodem in libro: *Ita præteritis ſilentio obliteratis, in futurum conſultum ab ſenatu Hiſpanis, quod impetrarunt, ne frumenti æſtimationem magiſtratus Romanus haberet*. Nonne planum eſt, hoc S.C. ad omnes, qui cum imperio Hiſpaniam obtinebant, pertinuiſſe? Et paulo ante de Hiſpanorum legatis loquens: *Ii de magiſtratuum Romanorum avaritia conqueſti*. Et initio lib. 2. Decad. 5. *Ideo magiſtratus mulis, tabernaculiſque, & omni alio inſtrumento militari ornabatur*. Et aliquanto poſt: *Aliam impenſam ſocii in magiſtratus Romanos non faciebant*. Certe, ut ad omnes, qui cum imperio proficiſcerentur, hæc pertinebant; ita non veretur Livius omnes appellare magiſtratus. Item Saluſtius in Jugurtha de iis loquens, qui in illa ætate in Africam cum imperio mittebantur: *Igitur bello Jugurthino pleraque ex Punicis oppida, & fines Carthaginenſium, quos noviſſime habuerant, populus Romanus per magiſtratus adminiſtrabat*. Ex iis eſt perſpicuum, non modo procoſſ. & proprætores fuiſſe magiſtratus, ut etiam Ulpianus affirmat ff. de juriſdictione, in l. eum qui: *Magiſtratus autem is eſt, qui in poteſtate aliqua ſit, ut puta proconſul, vel prætor, vel alii, qui provincias regunt*: ſed etiam neminem fuiſſe, qui cum imperio eſſe diceretur, quin magiſtratus eſſet. Sed quoniam horum imperium intramuranum (ut loquitur Aſconius) nullum erat, ita ut ſtatim urbem ingreſſi privati eſſent; propterea fit, ut in proconſulum & proprætorum triumphis lex de eorum imperio ferenda eſſet: erat autem de eorum imperio legem ferre aliud nihil, quam lege lata efficere, ut ne privati eſſent eo die, quo triumphantes urbem inirent: unde illud Ulpiani l. ultima, ff. de officio proconſ. & legati: *Proconſul portam Romæ ingreſſus deponit imperium*. Hinc illud Livii lib. 26. de Q. Fulvio procoſ. *Cui, ne minueretur imperium, ſi in urbem veniſſet, decrevit ſenatus, ut Q. Fulvio par cum coſſ. imperium eſſet*. Qui vero triumphabant in conſulatu, aut prætura, de eorum imperio lex illa non ferebatur. Cum ergo apud Livium, Valerium Maximum, alioſve ſcriptores legimus, propterea negatum fuiſſe triumphum Scipioni procoſ. quia ſine magiſtratu res geſſiſſet, ita ſumendum eſt nomen *magiſtratus*, ut ad eos modo pertineat, qui in urbe imperium obtinebant, quique velut primarium magiſtratum gerebant: non etiam ad eos, qui primarii magiſtratus vices gererent, cujus generis hi erant: ideoque non conſules, ſed procoſſ. non prætores, ſed proprætores vocabantur, quaſi qui conſulum prætorumque vicem gererent. Nam quod Sigonius ex Ciceronis lib. 3. de legibus adfert: *Magiſtratus omnes judicium & auſpicium habento*: id vero parum valet ad id probandum, quod inſtituerat. Primum, quod iis magiſtratibus, quorum urbana eſſet adminiſtratio, eam legem, non etiam provincialibus, ponit: ut cauſſa legis ponendæ, quam ipſe adfert, ſatis indicat: propterea enim ſe dicit omnibus magiſtratibus dare auſpicia, ut eſſent probabiles moræ impediendorum comitiorum, per auſpiciorum obnuntiationem: deinde certum eſt, Ciceronem legibus inſtituere eam, quam ſibi ipſe finxerat, rempubl. non autem leges tradere, quæ in repub. Romana obſervarentur. Longe ergo multumque errat, qui omnes leges Ciceronis ita ad Romanam rempubl. referre conatur, quaſi omnia, quæ ab eo traduntur, in ea rep. recepta eſſent. Vult ergo Cicero, ſuæ reipub. omnes magiſtratus auſpicia habere: at non dicit, omnes Romanos magiſtratus auſpicia habuiſſe.

Quod vero ex Ciceronis 2. de divinatione adfert, ubi ſcribit procoſſ. & proprætores auſpicia non habuiſſe, id vero non ad jus auſpiciorum pertinet, ſed ad uſum tantum: hoc eſt, non negat Cicero his verbis procoſſ. & proprætt. jus auſpiciorum habuiſſe, ſed neglectu religionis deſiiſſe auſpicia obſervare. Nam ſi proconſulum & proprætorum nomine etiam eos comprehendamus, quibus ex conſulatu & prætura prorogatum erat imperium, non dubium eſt, quin, quo quidem tempore erant religionis auſpiciorum obſervantes Romani imperatores, quos ſecum duxerant pullarios, tandiu ſecum reti-

nerent, quandiu in imperio erant: ex quo perspicuum est, aut id frustra fuisse, aut idem jus auspiciorum retinuisse. Sin proconsulum ac proprætorum nomine dicamus eos modo Ciceronem intellexisse, quibus privatis datum erat imperium (quod tamen haud verisimile esse vel hinc intelligi potest, quod ita Cicero non, quod docere vult, magnum illic ostenderet religionis neglectum; siquidem hujusmodi procoss. & propraett. non nisi extra ordinem raroque fierent) eos profecto si demonstravero olim usos fuisse auspiciis; relinquetur, quod dicit Cicero, illos non habuisse auspicia, ad posteriorum temporum contemptum auspiciorum, quibus ne consules quidem in bellis administrandis tum utebantur, referendum esse. Titus Livius lib. 6. Decad. 3. in prima illa concione, quam habuit Scipio procos. Hispaniæ ad suos milites, ita loquentem ipsum inducit. *Nunc dii immortales imperii Romani præsides, qui centuriis omnibus, ut mihi imperium juberent dari, fuere auctores, iidem auguriis auspiciisque, & per nocturnos etiam visus læta ac prospera portendunt.* Quid? his verbis non satis significat Scipio, se deorum voluntatem auguriis auspiciisque captasse? Idem Liv. lib. 8. Dec. 3. sic suos milites, qui seditionem moverant, alloquentem inducit: *An milites appellem? qui imperium auspiciumque abnuistis, sacramenti religionem rupistis.* Et paulo post: *Quin mihi ne hodie quidem scire videmini, quid in deos sacramenti testes, quid adversus auspicia, sub quibus militastis, ausi sitis.* His certe verbis indicat, sua fuisse Scipioni procos. auspicia. Atque inde profecto natum est illud apud Latinos scriptores vulgatissimum dicendi genus, cum de imperatoribus loquentes dicunt, *ductu auspicioque alicujus gesta esse aliqua:* quia scilicet primi illi duces exercitus, nihil nisi auspicato facerent: quod tamen per κατάχρησιν postea cœpit ad eos transferri etiam, qui auspicia negligerent.

CAP. V.

Quod in dictatorum, consulum & prætorum magistratu esset insita potestas administrandæ rei militaris: ita ut hanc potestatem omnes haberent jure sui magistratus.

CONSULIBUS regiam fuisse potestatem, omnes historici fatentur; neque Valeriis legibus aliud quicquam ademptum est ex regia potestate, quam quod demptis securibus fasces præferebantur, & ab iis provocatio esset ad populum, quandiu intra pomœrium erant. Dico autem *intra pomœrium*, quia etiam in campo Martio, qui suburbanus erat, summum illud jus vitæ ac necis habebant. Id quod ex Livio doceri potest cum ita scribit lib. 4. Dec. 3. *Cum T. Octacilius ferociter eum continuare consulatum velle vociferaretur, atque obstreperet, lictores ad eum accedere consul jussit: & quia in urbem non ierat, protinus in campum ex itinere profectus, admonuit, cum securibus sibi fasces præferri.* Ultimo supplicio animadvertendi sibi potestatem esse significat Fab. cos. cum admonet sibi cum securibus fasces præferri. Livius certe lib. 3. Decad. 1. scribit, non fuisse provocationi locum longius ab urbe mille passuum. Si ergo in regio imperio insita erat belli gerendi potestas, nec verum est hujusmodi imperium regibus adventitium fuisse, relinquitur, in omnium etiam consulum magistratu id adeo insitum fuisse, ut verum fuerit, consules hoc ipso, quod consules essent, hanc rei bellicæ administrandæ potestatem habuisse; hoc vero Cicero 3. de legibus aperte demonstrat, cum de coss. ita scribit: *Regio imperio duo sunto iique præeundo, judicando, consulendo, prætores, judices, consules appellantor. Militiæ summum jus habento.* Quis consulum proprium munus illic a Cicerone

A describi non videt? quomodo ergo jus illud militiæ adventitium consulibus fuisse dici aut cogitari potest? Quid? nomen prætoris, quod his proprium fuisse scribunt & Livius & Cicero, nonne satis argumento est, jus belli gerendi ad eos pro jure sui magistratus pertinuisse? siquidem ea erat apud veteres, auctoribus Asconio, Varrone, & Sex. Pompeio, propria prætoris significatio, ut eum significaret, cui pareret exercitus. Quid, quod Cicero pro L. Muræna scribit, ob id suffragationem militarem plurimum valuisse in consule declarando, quod imperatores comitiis consularibus deligerentur? quod item frequens est apud Livium, tum belli duces deB ligi, cum coss. deligebantur: Et Salustius in conjuratione Catilinæ de Coss. loquens: *Post, ubi regium imperium, quod initio conservandæ libertatis, atque augendæ reipublicæ fuerat, in superbiam dominationemque se convertit, immutato more, annua imperia binos imperatores sibi fecere.* Quid, quod Polybius libro sexto cum describit coss. officium, toties eis tribuit σχεδὸν αὐτοκράτορα ἐξουσίαν τῆς περὶ πολέμου κατασκευῆς. Quid, quod idem ipse, cum rationem habendi delectus per consules, tribunorum militarium ministerio, describit, hæc verba adjungit: Ἐπὰν δὲ μέλλωσι ποιεῖσθαι τὴν καταγραφὴν τῶν στρατιωτῶν οἱ C τὰς ὑπάτους ἔχοντες ἀρχὰς, προλέγουσι ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ δεήσει παραγενέσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἡλικίαις Ῥωμαίους ἅπαντας· ποιοῦσι δὲ τοῦτο καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν. hoc, inquit, singulis annis faciunt, ut edicto omnes juniores evocent ad habendum delectum. Qui sane locus non modo ad id probandum valet, quod hic est propositum, propriam scilicet muneris consularis fuisse rei militaris administrationem: sed etiam legem curiatam, qua imperium militare magistratibus datum fuisse vult Sigonius, fuisse omnibus singulorum annorum consulibus necessariam. Jam vero, si consulibus adventitium fuit imperium militare, ac non in ipso magistratu insitum, quid, D quæso, tum relictum est consulibus, quod sui magistratus proprium esset, cum prætor creatus est? nam creato prætore jurisdictio, quæ consulum fuerat, ad prætorem est translata; hac vero detracta, si etiam militare imperium non fuisse οὐσιῶδες consularis muneris dicatur, nihil plane reliquum sit, quod proprie ac pro jure sui magistratus ei conveniret. Sed, quid rationibus opus est, quando diserte Livius scribit lib. 10. Dec. 1. de L. Posthumio cos. cum M. Attilio: *Non ita*, inquit, *patres conscripti, vestræ majestatis meminero, ut me consulem esse obliviscar. Eodem jure imperii, quo bella gessi, bellis* E *feliciter gestis triumphabo.* Non hic diserte affirmat, consularis imperii jure se bella gessisse? Et libro quarto Decad. 3. In concione Fabii Maximi cos. his verbis munus consulum describit: *Hodie consules creatis, quibus sacramenta liberi nostri dicant, ad quorum edictum conveniant, sub quorum tutela atque cura militent.* Quod si, uti demonstravimus, in consulum magistratu insitum fuit militare imperium, multo profecto magis id verum fuit in dictatoribus, ut qui domi bellique summum imperium, pro jure sui magistratus, habuisse dicantur. Neque vero spectandum est, cujus rei caussa creatus esset dictator, ut, quæ esset hujus magistratus essentia, intelligaF tur; sed quacunque de causa creati essent dictatores, omnes pariter dictatores fuerunt: atque adeo, quod ad dictaturæ jus attinet, pari omnes potestate. Itaque qui rei gerendæ caussa creatus erat, non magis erat dictator, quam qui vel clavi figendi, vel ludorum caussa creatus erat. Nam, si in constituenda hujus magistratus essentia, caussæ essent spectandæ, primum tot magistratus eo modo constituerentur, quot caussæ reperiuntur apud Romanos scriptores creandi dictatoris fuisse: nec verum erit, unam quandam magistratus speciem fuisse dictatorem. Deinde, qui rei gerendæ caussa creatus erat,

iis tibi, Sigoni, dicendus erit non modo pro jure A sui magistratus imperium militare obtinuisse, sed etiam aliud nihil ejus magistratum fuisse, quam belli gerendi potestatem. Quomodo ergo hic tu imperium a magistratu separabis? quomodo verum erit, a consule, a quo dictus erat, magistratum accepisse, lege vero curiata imperium militare? Quid enim? qui rei gerendæ caussa dictus erat, nonne belli gerendi caussa dictus erat? de eo ergo cum lex curiata lata erat, nihil, quod ad jus magistratus attinet, ei, quod non habuisset, per legem accedebat. Postremo ex historiæ lectione perspicimus, multos dictatores aliam publici negotii partem gessisse, quam cujus caussa creati erant: ut apud Titum B Livium libro 3. Decad. 1. L. Quinctius Cincinnatus, qui rei adversus Latinos gerendæ caussa creatus erat, judicio præest M. Volscii falsi testis, quod seditiose a tribunis plebis impediebatur. Et lib. 4. Mamercus Æmilius, qui belli Hetrusci gerendi caussa creatus erat, legibus ad rempublicam constituendam ferendis occupatur. Et lib. 6. M. Furius Camillus seditionis sedandæ caussa creatus, minatur, si pergerent tribuni plebis non cedere collegarum intercessioni, sacramento omnes juniores adacturum, exercitum extemplo ex urbe deducturum: quibus haud dubie verbis aperte ostendit, ei dictatori, qui sedi- C tionis sedandæ caussa dictus esset, jus fuisse exercitus extra urbem, quo vellet, ducendi. Ex quo consequens est, non eum tantum dictatorem, qui rei gerendæ caussa creatus esset, imperium militare habuisse; sed eos etiam, qui alia de caussa dicti erant. Et libro 7. L. Manlius imperiosus clavi figendi caussa dictator dictus, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit. Et lib. 10. decad. 3. P. Sulpicius creatus dictator, ad revocandum pro jure majoris imperii cos. Cn. Servilium in Italiam, reliquum anni, cum M. Servilio magistro equitum, circumeundis in Italia urbibus, quæ bellis alienatæ fuerant, noscendisque singularum D caussis, consumpsit. Si ergo dictatores pro jure sui magistratus aliam publici negotii partem administrare potuerunt, quam cujus caussa creati reperiuntur, perspicuum est, caussam creationis, non jus magistratus facere; sed cum idem esset semper ejusdem magistratus jus, aliæ atque aliæ esse potuerunt caussæ, cur judicaretur reipubl. necessarius magistratus. Nam, si ex gesto in magistratu negotio jus magistratus ita judicare velimus, ut hoc ei demum jus fuisse dicamus, quod reipsa gessit; profecto multos consules negabimus jus habuisse vocandi senatus, leges ferendi, legatos exterarum gentium in sena- E tum introducendi: quandoquidem multi reperiuntur, qui nihil horum toto suo consulatu egerunt: ut qui aut bellis, aut aliis publicis negotiis impediti essent. Verum, in consulibus fortasse ac dictatoribus de eo multi cum Sigonio non dubitabunt, quin pro jure sui magistratus militare imperium omnes obtinerent: at in prætoribus hærebunt. Ego vero, prætores omnes insitam in suo magistratu hanc rei militaris potestatem habuisse, multis ac variis rationibus confirmabo. Primum enim una fuit magistratus forma, una notio, quæ præturæ intelligebatur. Quare, ut omnes pariter prætores fuerunt, sic omnes oportuit una quadam definitio- F ne comprehendi. Si ergo verum fuit, quibusdam prætoribus hoc ipso, quod prætores essent, convenisse jus rei bellicæ administrandæ: id in omnibus verum fuisse necesse est. At iis omnibus, quibus extra urbem provincia obtigisset, hoc jus fuisse, inter omnes constat: hoc vero jus non sors, non senatus provincias decernendo, tribuebat: sed tantum inter ejusdem juris magistratus negotia publica dividebat: alioqui non verum fuisset, populum magistratum dedisse: sed verius fuisset, senatum & sortem magistratum creasse. Cum vero prætores creabat populus, an non æquo jure omnes creabat? Si ergo provinciarum diversitas speciem magistratus non variabat, necesse est, quod ad jus magistratus attinet, idem omnibus ejusdem generis magistratibus jus reipublicæ administrandæ fuisse. Quapropter, si præturæ ratione iis prætoribus, qui in provinciam proficiscebantur, jus fuit rei militaris administrandæ, omnibus certe prætoribus hoc idem fuisse fatendum est. Sed quoniam in omni antiquitatis controversia potius auctoritate pugnandum est, quam rationibus: quæ vero in prætore urbano & peregrino est de hac re dubitandi caussa, non tam bene adhibitis communibus rationibus tollitur, quam si testes citemus Romanæ historiæ scriptores, qui illud ipsum præcipue in iis prætoribus verum fuisse doceant: ego aliquot T. Livii locos adferam, ex quibus perspicietur, prætores urbanos & peregrinos hoc administrandæ rei militaris jure usos fuisse. Lib. 7. de M. Popilio consule cum L. Scipione loquens ita scribit: *Quatuor expletis legionibus, quod superfuit militum P. Valerio Poplicolæ tradit, auctor patribus scribendi alterius exercitus: quod ad incertos belli eventus subsidium reip. esset.* Eo tempore unus Romæ prætor erat, cui & milites dantur, & delectus habendi negotium. Paulo post: *Consul duabus legionibus urbi præpositis, octo cum L. Pinario prætore divisis, memor paternæ virtutis, Gallicum sibi bellum extra sortem sumit: prætorem maritimam oram tutari, Græcosque arcere littoribus jussit.* Et lib. 10. postquam dixit, jussu senatus delectum omnis generis habitum fuisse, subjungit hæc verba: *Summæ rerum prætor Pub. Sempronius præerat.* Et Appius Claudius consul cum L. Volumnio prætor in sequentem annum factus eundem retinet prætor, quem habebat consul, exercitum: quod certe fieri non potuisset, nisi perinde licuisset prætori rem militarem gerere, atque consuli. Idemque Appius prætor, mortuo in prælio Pub. Decio consule, Decianum exercitum ducit, & cum Volumnio res gerit. Et 1. libro decad. 3. Caius Attilius prætor cum una legione mittitur ad ferendum L. Manlio prætori Galliæ auxilium. Et lib. 2. decad. 3. quo anno clades Cannensis est accepta, P. Furius Philus prætor peregrinus, classis dux, in Africam trajicit. Et lib. 3. dec. 3. M. Valerio Levino prætori peregrino legiones decernuntur, quæ ex Sicilia rediissent. Et Quinto Fulvio Flacco prætori urbano classis datur ad tutanda littora suburbana. Et quinto anno belli Punici secundi, Quinto Fulvio, prætori urbano, duæ legiones ad urbis præsidium relinquuntur. Et septimo anno hujus belli, P. Cornelio Syllæ, qui utramque jurisdictionem sortitus erat, delectus militum mandatur. Est vero & alius insignis locus apud Livium lib. 6. dec. 3. *In Hetruriam C. Calpurnius post præturam prorogato in annum imperio missus.* Urbanam jurisdictionem habebat C. Calpurnius. Is prorogato imperio in Hetruriam, ut eam cum duabus legionibus provinciam obtineret, mittitur. Quoniam ergo non ei imperium dari, aut cum imperio mitti dicitur, sed imperium prorogari; manifesto apparet, vim eandem imperii ei fuisse, cum urbanus esset prætor, & cum pro prætore in Hetruriam missus est. Nam si hoc imperium ab illo fuisset diversum, ita ut alterum in altero non inesset, non recte prorogatum imperium diceret Livius: neque enim cuiquam prorogari imperium illud potest, quod non habet: sed dixisset Livius datum ei imperium: præsertim cum nullam rei militaris partem attigisse legatur toto suæ præturæ anno. Quod si hunc locum attentius considerasset Sigonius, non ita ab imperio consulum & prætorum, quod pro suo magistratu habebant, militare imperium distinxisset, quasi rem ab illo diversam: sed hoc imperium militare, quasi partem illius imperii esse dixisset, mecumque sensisset (id

quod illum posthac facturum spero) in ipso magistratu ita fuisse insitum illud imperium, ut nemo unquam illud obtinuisse reperiatur, quin non modo magistratus esset, sed etiam minimum consularis aut prætoriæ potestatis vim obtineret; tametsi alio quodam nomine suo eorum magistratus appellaretur: veluti, cum M. Antonio & Cneo Pompeio infinitum illud imperium datum legitur, eorum magistratus, præfectura annonæ appellabantur: verum in eo magistratu proconsulare imperium habuerunt. Et Rullus, sub nomine decemvirorum agrariorum, prætorium imperium dabat, ut docet Cicero. Et duumviri navales apud Livium, sub hoc magistratus nomine, prætorium imperium habebant. Neque vero uno tantum illo in loco ita loquitur Livius, sed etiam lib. 7. decad. 3. *Prorogatum & C. Hostilio Tubulo est imperium, ut proprætor in Hetruriam ad duas legiones succederet C. Calpurnio*. Hic autem Hostilius fuerat prætor urbanus: paulo post hunc locum, scribit Livius P. Licinio Varo prætori urbano quinquaginta navium classem datam, quæ oram maris vicinam urbi tueretur. Et initio lib. 2. dec. 4. *Prorogata imperia* (sic enim est legendum) *prætoribus prioris anni: Cn. Sergio, ut militibus, qui in Hispania, Sicilia, Sardinia stipendia per multos annos fecissent, agrum assignandum curaret*. Fuerat hic Cn. Sergius Plancus priore anno prætor urbanus. In quo mihi obiter id notandum videtur, quod propter assignationem agrorum imperium ei prorogatum fuisse reperitur: unde videtur colligi posse, fuisse cum imperio agrarios magistratus. Eodem libro L. Cornelius Lentulus prætor urbanus, ad conjurationem Setinam quærendam atque opprimendam missus, obvios in agris sacramento rogatos arma capere & sequi jubebat. Hic ego Sigonium rogo, an repens hujus conjurationis judicium, aut subita per senatum prætoris ad eam opprimendam missio, aliquid dedit imperii prætori, quod non haberet? habuit ergo suæ præturæ ratione potestatem hanc, sacramento rogandi milites ad eum numerum, quem judicasset ad id negotium, quod gerebat, administrandum necessarium: verius ergo est, jam tum, cum præturam urbanam iniit, latam de ejus imperio fuisse legem curiatam, quam cum forte temere hoc se obtulit negotium, repente occasione ejus legis ferendæ data, eam tum demum perlatam: quid enim futurum fuit, si tum dies comitiales non essent? aut si die comitiali auspicia non addixissent? Quod vero de hoc prætore urbano hic dictum est, idem lib. 3. decad. 4. dicitur de M. Acilio prætore peregrino, qui quidem in Hetruriam ad servorum conjurationem opprimendam cum una legione ex duabus urbanis missus est. Et lib. 5. decad. 4. prætoribus Fulvio & Scribonio (quibus, ut jus dicerent Romæ, provincia erat) negotium datum, ut centum quinqueremes pararent. Et lib. 6. M. Junio Bruto prætori urbano simul & peregrino negotium datum est, ut veteres naves, quæ in navalibus erant, reficeret & armaret, & in eam classem socios navales libertinos legeret. Et lib. 7. L. Aurunculeio prætori urbano negotium datum est, ut triginta quinqueremes, viginti triremes faceret. Et lib. 9. decad. 4. *Consules, dum ipsi quæstionibus impediebantur, T. Mænium delectui habendo præfecerunt*: erat enim T. Mænius prætor urbanus. Quid? habendi delectus potestas nonne imperii est militaris? Item lib. 10. decad. 4. *Et prætoribus Q. Petilio & Q. Fabio imperatum est; ut Petilius duas legiones Romanorum tumultuarias scriberet, & omnes minores quinquaginta annis sacramento rogaret: Fabio, ut sociis Latini nominis quindecim millia peditum, octingentos equites imperaret*. Erant autem hi prætores: ille urbanus, hic peregrinus. Eas legiones paulo post sedato tumultu jussi sunt dimittere. Et lib. 1. dec. 5. M. Titinius cum prætor urbanus esset, legionem primam Ariminum convenire jubet. Idemque Romæ delectum habuit. Sed paulo post exercitus dimissus, & delectus omissus. Idemque M. Titinius anno sequenti missus est in Hispaniam prorogato imperio. Et lib. 2. decad. 5. *In præsentia tamen Cn. Sicinium prætorem, cujus inter cives & peregrinos jurisdictio erat, scribere milites placuit*. Huic eidem classis & exercitus cum provincia Macedonia, prorogato in annum imperio, datur. Et C. Licinius prætor urbanus reficit paratque classem navium quinquaginta, & socios navales cives Romanos libertini ordinis in viginti quinque naves scribere jubetur. Et paulo post: *C. Sulpicio Galbæ prætori negotium datur, ut quatuor legiones scriberet urbanas, iisque quatuor tribunos militares ex senatu legeret, qui præessent*. Et lib. 3. dec. 5. *Duo millia militum in eas naves sunt imposita, quæ Q. Mænius prætor ex Senatusconsulto in ea parte Italiæ, quæ objecta Illyrico est, conscripsit*. Erat autem, ut ex historia planum est, prætor peregrinus. Et paulo post delectus habendi negotium a consulibus ad prætores transfertur. Et a C. Sulpicio prætore urbano quatuor legiones scriptæ leguntur. Quod ergo hi prætores urbani ac peregrini delectum habent, quod classem instruunt, id ad imperium militare pertinuisse non negabit, opinor, Sigonius: sed id extra ordinem factum fuisse dicet. In quo illi ego assentior, modo illud *extra ordinem* ita accipiat ut significet, extra quam usitatum singulorum annorum prætoribus esset, extra quam fieri singulis annis soleret; non autem ut id extra jus horum magistratuum esset. Neque enim quotannis aliquid accidebat, cur urbanis prætoribus negotium daretur habendi delectus: ut nec provincialibus toto suæ administrationis anno semper aliquid accidebat, cur eis conscribendus esset exercitus: sed tamen eis non minus jus fuit hujus rei; quo jure, cum opus esset, uterentur: alioqui senatum hoc jus dedisse dicendum erit, tum cum negotium illud decernebat. Quod in iis certe prætoribus non magis verum est, quam in coss. & aliis prætoribus. Nam consulibus suas quotannis provincias quasdam habere jus fuit: neque hoc jus provinciæ habendæ senatus dabat, sed quas habere eos e rep. esset, id modo decernebat. Idque ut ita fieret, non modo post legem Semproniam necesse fuit: sed etiam jam inde a prima consulum origine. Cum enim ante legem Semproniam designatis demum consulibus, ac sæpius post initum magistratum, provinciæ decerni solerent, lex Sempronia ante eos designatos jussit singulis annis decerni. Nunquam ergo jus provinciæ obtinendæ a senatu datum est coss. sed tantum, quas obtinerent, definiebat; sors deinde suam cuique, aut pactio, præfiniebat: quod idem in prætoribus & quæstoribus verum fuisse, omnis testatur historia. Ex his, quæ a nobis adhuc confirmata sunt, facile quivis intelligere potest, vera esse ea, quæ a nobis in nostra ad Sigonii reprehensiones responsione scripta sunt: Si verbi *imperii* significatio modo quæratur, ac non singulatim partes exquirantur, in quibus imperium consisteret: si non quibus gerendis rebus occuparetur, qui imperium habebat, spectare velimus, sed quid ipsum verbum *imperii* significaret, semper uno modo in illis omnibus dicendi generibus accipi, ut significet imperandi ac dominandi potestatem, quacunque in re consisteret. Nam, quod hic majus imperium habet, ille minus: Itemque, quod in hac re sit hujus imperandi potestas posita, illius in altera: hoc vero non mutat vocabuli significationem, sed ejus manet semper eadem notio. Hanc vero imperandi potestatem quicunque ex jure suo habuit, ex eo ipso magistratus fuit. Dixi autem ex jure suo, quia consulum ac prætorum legati, quique a magistratu, ut præ-

cirent

essent provinciis, relinquebantur, fuerunt illi quidem in ea, quam habebant, reipub. gerendæ potestate privati; & ut id, quod gerebant, non suis, sed alienis auspiciis gerere dicebantur, non suo ac sibi proprio, sed delegato ac demandato (ut Jurisconsulti loquuntur) imperio: ita nec proprie dicuntur fuisse cum imperio, nec imperium habuisse, nec omnino magistratus fuisse: tametsi interdum pro prætoribus esse dicantur. Sal. in Jugurth. *Albinus, Aulo fratre in castris pro prætore relicto*. Et Livius lib. 10. *Præposito castris L. Scipione pro prætore*. Atque illa quidem caussa est, cur Cicero de provin. cons. dicit, eam provinciam, quæ a legato administraretur, sine imperio fuisse: quia a nullo administraretur, qui suo jure imperium obtineret. Et Livius lib. 27. postquam dixit a consule Claudio relictum fuisse Q. Tadium legatum, qui castris præesset, paulo post dicit, sine imperio castra fuisse. Et lib. 5. dec. 4. *Cum verius esset, T. Sempronio imperium habenti tradi exercitum, quam legato*. Planum enim est, a Livio negari M. Marcellum legatum, quem exercitui præfecerat Cos. L. Cornelius, imperium habuisse, cum T. Sempronius, quia procos. esset, imperium haberet. Idem Livius lib. 9. dec. 4. *Literis de morte proprætoris recitatis senatus censuit, mittendum, qui ad Lunæ portum C. Calpurnium prætorem consequeretur, nunciaretque, senatum æquum censere, ne sine imperio provincia esset, maturare eum proficisci*. Et libro 10. ejusdem decad. *Nam ulterior Hispania morte P. Sempronii proprætoris sine imperio fuerat*. Quod ergo ad omnem provinciæ administrationem attinet, sive rem bellicam spectes, sive jurisdictionem, æqua erat legati potestas atque proconsulis aut proprætoris; unum ei hoc deerat, quod, cum magistratus non esset, imperium ei defuisse dicitur: hoc est, primaria illa in publico negotio imperandi potestas, quam quis suo jure, non autem alieno nomine ac velut precario obtineret. Sed hæc satis sint, aut certe ad fastidium usque plus satis.

CAP. VI.

Ex iis verbis apparet, dictatorem sine lege curiata magistratum dictaturæ gessisse: quomodo enim agere cum populo potuisset, si privatus quidem fuisset? ergo si pertulit legem de imperio, non de civili imperio pertulit, sed de militari.

QUID ais Sigoni? Hic Papyrius nunquid ad rem gerendam dictus erat Dictator? hujus ergo dictatura in re gerenda potissimum consistebat: quomodo ergo magistratum dictaturæ gessisse sine lege curiata concludis? quasi vero magistratus dictaturæ in eo consisteret, ut cum populo agere liceret. At si hujus dictatura maxime posita erat in rei gerendæ potestate, hanc vero potestatem consulis nominatione non haberet, sed per legem demum curiatam (ut tu vis) eam accepit: concludendum tibi fuit, tum demum pleno jure, atque optima lege, magistratum dictaturæ accepisse, cum lex curiata perlata est. Ego vero longe aliter sentio, quod imperium hic dictator nominatione consulis habuerat, illud ipsum ei lege curiata confirmari; ita ut *legem de imperio suo ferre*, aliud nihil esset, quam *populi judicio ei magistratum confirmari, quem nominatione consulis acceperat*. Quid enim si populus hanc rogationem antiquasset, an tu hunc Papyrium dictaturæ magistratum, quo senatus opus esse judicaverat, nihilominus obtinuisse dicere audeas? immo, nihil ei profuturam fuisse consulis nominationem existimo: sed omnino ei fuisse deponendam dictaturam, aut certe non potuisse optima lege dictaturam gerere. Meus sane sensus hic semper fuit, verius magistratum lege curiata confirmari, quam dari: quia jampridem iis demum video attributam legem curiatam, qui aut justis quibusdam aliis comitiis a populo creati essent, aut justa quadam alterius magistratus nominatione inaugurati; ita ut, ob quandam auspiciorum, opinor, religionem, hæc legis curiatæ accessio creandis magistratibus necessaria judicaretur. Attamen, quia lego Messalam ac Ciceronem de hac re ita loqui, ut dicant, lege curiata magistratum dari: ego quoque non vereor ita loqui. Quin tamen ea verba illam interpretationem admittant, ut in hoc genere *dari magistratum* pro eo accipiatur, quod est, *confirmari magistratum*, ego non repugno: quin potius ea in re quoque Ciceronem auctorem sequor: qui in agraria ita loquitur, curiatis comitiis potestatem decemviris confirmari. Verum, quia hoc ipsum, *confirmari magistratum*, eam habet vim, ut ad totum potius confirmandum ipsum magistratum pertineat, quam ad quandam partem magistratus, aut vero ad aliquam adventitiam magistratui accessionem: idcirco dico magistratui, ut optima lege ac pleno jure magistratus esset, legem curiatam fuisse necessariam. Quod vero rogas, quomodo agere cum populo potuisset, si privatus fuisset; respondeo, satis fuisse nominationem illam consulis, ut agendi cum populo potestatem haberet: id tamen non ostendere, pleno jure dictaturæ magistratum obtinuisse. Immo vero, Sigoni, arcanum antiquitatis Romanæ objiciam, (quod a me non est omissum in primo libro de Comitiis) nempe quosdam, qui tantum designati magistratus essent, hoc jus habuisse agendi cum populo. Comitiis enim consularibus si unus tantum designatus esset cos. quia cæteri competitores centurias non explessent, qui designatus erat, collegam sibi rogabat: id quod me docuit Livius lib. 7. dec. 4. cum scribit C. Lælium consulem comitia habuisse, quibus M. Fulvius Nobilior consul unus creatus esset, *cum cæteri*, inquit, *centurias non explessent: isque postero die Cn. Manlium Lepido dejecto (nam Messala tacuit) collegam dixit*. Ut etiam alio loco lib. 3. legimus, Pontificem maximum habuisse comitia, quibus tribuni plebis creati sunt. Non est igitur in eo, quod quis cum populo egit, satis argumenti ad probandum magistratum esse: tantum abest, ut satis sit ad docendum, dictatoriam potestatem quempiam habuisse. Ex iis apparet illud tuum: *Ergo si pertulit legem de imperio, non de imperio civili pertulit, sed de re militari*: ut ex falsis sumptionibus confectum est, ita haud verum esse. Quam enim legem de imperio tulit, eam de dictatoris imperio sibi confirmando tulit; non de militari imperio tantum, ut tu perperam soles verbum imperii interpretari. Nec veriora sunt, quæ tu continuo subjicis: *Apparet etiam legem curiatam de imperio pertinuisse ad rem militarem, propter clades bellicas lege curiata de imperio lata acceptas*. Quid ais, Sigoni? estne hæc tuo ingenio digna conclusio? Clades, de quibus hic mentio est, acceptæ sunt in re bellica; sunt autem acceptæ, cum lata esset lex illa curiata de imperio eorum magistratuum, sub quorum imperio acceptæ sunt: ergo lex illa curiata ad imperium tantum militare pertinuit? Potuisti tu quidem concludere, eos magistratus, sub quibus illæ clades acceptæ sunt, imperium militare habuisse, quia bellicæ fuerunt illæ clades: legemque curiatam, quæ de eorum imperio lata legitur, magistratibus latam fuisse, qui belli duces fuerunt: at non illud, quod tu vis, efficitur; tantum ad dandum imperium illud militare legem illam de imperio latam fuisse.

CAP. VII.

Centuriatis comitiis consules tribunique militares creantur, curiata rem militarem continent: quasi vero velit dicere, magistratum iis dari comitiis, imperium vero militare curiatis.

IMO debuisti ex verbis Livii concludere, quoniam curiata comitia rem militarem continere dicantur, eos non potuisse pleno jure magistratum obtinere, tametsi centuriatis comitiis creati essent; nisi etiam curiatis comitiis populus de iis judicasset. Quis enim consulem optima lege fuisse credat, qui nullam haberet rei militaris potestatem? quasi non esset hoc primarium consulum munus, quod in repub. administranda gererent, ut bellicam rem administrarent. Verum id ego supra satis multis docui: certe verba Camilli apud Livium, aliud nihil significant, quam comitia curiata tam fuisse reip. Romanæ necessaria, quam necesse erat, rem bellicam diligenter, nullaque omissa religionis parte, nulla veteris moris observatione neglecta, administrari. Quia scilicet majorum vetus institutum, auspiciorumque religio, id postulabat; ut omnibus magistratibus, qui rei militaris potestatem haberent, legem curiatam ferri oporteret; sive populi justis suffragiis creati essent, sive alio modo. Hæc vero curiata comitia non poterant auspicato, nisi intra pomœrium, haberi: ex quo Camillus efficere volebat, non posse eos sine magno ac pernicioso religionis ad rem militarem necessariæ contemptu, Roma relicta, alio migrare.

CAP. VIII.

Ex quibus item percipitur, tum consules ante legem curiatam latam consulatum gessisse: quippe qui legem eam ad populum tulerint.

FALLERIS in eo, Sigoni, quod semper existimas ipsos sibi consules, qui rem bellicam administrarunt, legem de suo imperio curiatam tulisse, postquam jam inissent magistratum: cum ex antiquitatis observatione verius esse videatur, eos ipsos, qui comitia habebant creandis magistratibus, legem curiatam tulisse. Primum enim multos reperimus consules, cum absentes consulatum inissent, rem gessisse, ut Marium in tertio consulatu: nonnullos cum præsentes designati essent, ante tempus ineundi consulatus in provinciam profectos, ut inito statim consulatu bellum gererent, ut C. Flaminium in secundo consulatu. Hos vero omnes non potuisse de suo imperio legem ferre curiatam, quæ intra pomœrium ferenda erat, perspicuum est. At rem gerere sine ea non potuisse etiam Sigonius fatetur. Quem ergo eam tulisse consulibus legem suspicari potes, præter ipsum consulem qui designasset? nisi curiatam legem, quæ quotannis de consulum imperio ferebatur, dicamus semel ab altero consulum, qui præsens esset, aut cui id obtigisset, ita ferri solitam, ut ad totum collegium pertineret, haud secus, quam quæ prætoribus, ad totum simul prætorum collegium; quæ quæstoribus, ad totum quæstorum collegium. Verum parum ad id, quod agitur, interest, utro modo dicamus eos scilicet ipsos, qui magistratus creabant, etiam legem curiatam illis ipsis tulisse, quos creassent: (ut mihi vel ex eo verius videtur, quod consules lego fere omnes statim inito magistratu aliquid rei bellicæ gessisse, quod non potuissent, nisi hac lege perlata: eam vero nisi die comitiali perferre non poterant: qui dies comitialis nullus fuisse reperitur interjectus inter initi

A magistratus diem, & illum quo rem bellicam gerere comperiuntur: ex quo efficitur, eam fuisse perlatam antequam inirent magistratus: ut omittam quod passim in historia leguntur divisi exercitus a Senatu consulibus ac prætoribus, primo statim die, quo magistratum inierant: quod frustra facere visus fuisset Senatus, si ii, quibus ea decernebat, jam tum non habuissent potestatem rei gerendæ: & consules Claudius Nero & Livius Salinator, antequam inirent magistratum, provincias sortiuntur & exercitus) an vero ab altero consulum eam ipsam legem sibi ac suo collegæ communem primo quoque die comitiali fuisse perlatam; idem enim hic

B dicam, quod supra in dictatore: eam legem pertinuisse ad confirmandum consulibus magistratum, ita ut optima lege, pleno jure, consules non fuerint, nisi ea perlata. Nam, quos tu e Cicerone locos adfers, ii mihi potius videntur ad legem curiatam pertinere, quæ ad transmittendum auspicato imperium iis ferebatur, qui post gestum magistratum in provincias ituri erant, quam ad illam, qua initio iis consulare imperium confirmabatur. Nisi forte per intercessiones, aut obnunciationes, hos consules, de quibus mentionem facit Cicero, dicamus fuisse impeditos, quominus ferrent eam legem,

C quam ordine ac more majorum, in designandis magistratibus, aut statim inito magistratu perlatam fuisse oportebat: idque impedimentum a tribunis plebis aut aliis magistratibus, extra quam fieri soleret, ac præter usitatum in repub. morem, propterea fuisse oblatum, ut, quacunque possent ratione, prohiberent eos jure sui magistratus uti. Quandoquidem eo modo efficiebant, ut non possent more majorum, iisque adeo observatis, quæ per religionem auspiciorum erant observanda, provinciarum sibi decretarum administrationem suscipere. In quo efficiebant, ut nec pleno jure sui magistratus uti possent, nec eo jure quod sibi datum erat a Senatu,

D cum consulibus designandis per legem Semproniam provincias decrevisset. Certe, si fateamur, Romanos postremis illis reip. temporibus, postquam legi curiatæ ferendæ adumbrata tantum per triginta lictores comitia usurpari cœperunt, in mandando primum consulibus magistratu centuriatis comitiis fuisse contentos: atque in eo interdum a veteri instituto desciviisse, quod lege curiata post initum demum magistratum ad imperium iis per auspicia confirmandum, tantum dicis causa uterentur, unam nos quidem illo modo legem curiatam consulibus dabimus, quam semel iis latam fuisse satis esset; veruntamen

E illud semper verum manebit, curiatam legem ad magistratum jure optimo & optima lege obtinendum consulibus fuisse necessariam: non autem proprie pertinuisse ad obtinendum imperium militare, quasi rem a magistratu extrinsecam. Id quod mihi videtur posse his rationibus demonstrari: Dion lib. 41. scribit: *Anno insequenti Romæ duplices magistratus, contra quam leges ferrent, habuit. Eodemque anno prælium ingens commissum est. Romæ duo coss. Cæsar & P. Servilius, prætores quoque & alii legitimi magistratus delecti erant. Qui vero Thessalonicæ degebant, nihil horum constituerunt: quamvis, ut quidam auctores sunt, ibi cum coss. ducenti senatores*

F *agerent, & ad præscriptum legis locum ad auspicia capienda publicum fecissent: ut penes eos populus, atque ipsa civitas universa ibi esse censeretur, in causa tamen fuit, quominus novos magistratus crearent, quod lex curiata a consulibus lata non erat: itaque iisdem, quibus ante, usi sunt magistratibus: appellationibusque tantum mutatis, eos proconsules, proprætores, proquæstores dixere: Morum enim patriorum magnam adhuc curam gerebant, quamvis correptis armis, patriaque relicta non omnia, quæ ad rem præsentem requirebantur, neque omnino secundum instituta patria perficere possent.* Dionis verba diserte hoc affirmant,

consules Lentulum & Marcellum ob id non creasse novos magistratus Thessalonicæ, quia ab iis non erat lata lex curiata: cum tamen reliqua omnia iis suppeterent, quæ ad justam magistratuum creationem viderentur necessaria. Habebant enim justum numerum Senatorum ad Senatusconsultum faciendum, habebant locum consecratum & inauguratum, in quo auspicato creare possent: qui erant cum illis, justus populus censebatur, ita ut eorum suffragia populi Rom. suffragia merito censeri possent: denique nihil deerat, quominus Romana civitas potius existimanda esset Thessalonicæ esse, quam Romæ: unum, inquit, hoc deerat, quod lex curiata a consulibus lata non erat. Jam vide Sigoni, quid ex eo loco concludam. Primum, legem curiatam omnibus consulibus ferendam fuisse, idque non, ut imperium militare, quod jure sui magistratus non haberent, obtinerent: sed omnino, ut optima lege consules essent. Si enim hi consules non satis se juris habere ad subrogandos magistratus existimarunt, quia non tulerant legem curiatam, hoc vero munus subrogandorum magistratuum nihil ad rem militarem pertinet, quinpotius civile imperium plane respicit; necessario efficitur, non proprie ac solum ad militare imperium pertinuisse legem curiatam, sed ad ipsum omnino consulatum pleno jure obtinendum. Hos enim consules ex historia intelligimus nobili illo S. C. armatos fuisse, ut viderent, ne quid Resp. detrimenti caperet, jam inde a septimo Iduum Januarii, cum Calendis magistratum iniissent: ex quo mirum videri non debet, si statim rem bellicam gerunt, tametsi legem curiatam non haberent. Sed id potius observandum est, ac diligenter excutiendum, quæ causa sit, cur hi consules non sibi ferrent legem curiatam Thessalonicæ, ut nihil eis deesset ad plenum jus sui magistratus obtinendum. Hæc haud dubie caussa est, quod nusquam alibi auspicato ferri poterat lex curiata, quam intra pomœrium: præsertim cum urbani populi, atque adeo ipsius urbis & agri Rom. partes essent curiæ, ideoque urbana proprie auspicia populi penes curias erant. Atque illa quidem certe mihi videtur caussa fuisse, cur jam inde a principio annuorum magistratum non existimarint Romani fas esse intermittere usum curiatorum comitiorum in iis creandis magistratibus, tametsi institutum esset, ut centuriatis comitiis fierent: nempe, ut urbanorum auspiciorum religio simul cum ipsa urbe nata retineretur: quæ quidem religio in curiarum comitiis ex Romuli instituto cernebatur. Quinetiam, postquam populus contentus prioribus comitiis, quibus magistratus mandaverat, desiit velle rursum ad rem eandem curiatim convenire, usque eo noluerunt horum curiatorum comitiorum usum perire, ut adumbrata comitia retineri voluerint per triginta lictores, qui numerum XXX. curiarum referrent: idque, ut Cicero scribit, auspiciorum caussa. Ac si locum illum Ciceronis ex 2. agraria attentius intueri velimus, nos profecto comperiemus, principalem caussam ferendæ de magistratibus legis curiatæ in auspiciorum religione fuisse. Cum enim illo in loco de nulla alia lege curiata agatur, quam de ea, quæ magistratibus ferebatur, quod dicit curiatorum comitiorum umbram retentam auspiciorum caussa, aperte indicat, fuisse in iis curiatis comitiis quandam auspiciorum religionem, quam usque eo negligere Romani noluerint, ut retinendam saltem eorum comitiorum speciem quandam necessarium existimaverint. Quod si illorum adumbratorum comitiorum usus, qui mandandis magistratibus necessarius est judicatus, in auspiciorum modo religione positus erat; profecto, si regredi velimus ad superiora tempora, quum adhuc justis comitiis curiatis ferebatur lex curiata, hanc potissimum caussam ferendæ illius legis fuisse judicabimus, ut religio auspiciorum, quæ proprie ac præcipue in curiarum suffragiis inerat, observaretur: ac non eam solam, quam oratorie Cicero, & magis accommodate ad suam caussam, quam ad veritatem affert, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret: non quod hæc non esset revera populo potestas reprehendendi; sed certe hæc non fuit sola, nec princeps caussa horum curiatorum comitiorum. Deinde vero ex illo Dionis loco id præterea colligo, si his consulibus non fuit potestas subrogandi magistratus, quia non tulerunt legem curiatam: omnibus contra consulibus quibus licuit comitia subrogandis magistratibus habere, fuisse perlatam legem curiatam. Atqui in omni historia Romana passim videmus, singulorum annorum consules simul cum provinciis sortiri aut comparare inter se, utri subrogandorum magistratuum negotium obtingeret: ex quo intelligitur, jam tum eos eam potestatem habuisse: unde efficitur, legem curiatam jam tum iis fuisse perlatam. Quo magis confirmor in ea, quam supra attigi, opinione; veterem illum ac usitatum morem fuisse, ut ipsis magistratibus lex curiata ferretur, statim iis designatis, aut certe statim, postquam inierant magistratum. Postremo, Dionis ille locus fidem nobis facere potest, Dictatorem etiam, qui comitiorum caussa creatus esset, lege curiata ornandum fuisse. Quid enim adferri potest, cur hac in re liceat Dictatori aliquid, quod consuli non licebat? non igitur verum est, iis modo Dictatoribus, qui rei gerendæ caussa creati essent, legem curiatam fuisse attributam. Est vero & alius apud Dionem locus lib. 39. ubi agitur de P. Clodio, qui Ædilis factus L. Philippo, Cn. Marcellino coss. statim ubi ædilitatem iniit, Miloni diem dixit, eumque de vi ad populum postulavit: *non quod* (inquit Dion) *speraret se posse Milonem damnare, sed ut, sub accusandi Milonis inimici sui prætextu, Pompeium etiam & Ciceronem Milonis defensores, suosque adversarios, conviciis agitare posset.* Tum hæc verba subjicit: ὁ γὰρ Κλώδιος, ὅπως ἐπὶ πλεῖον ποιῇ, οὐκ εἴα τὸν φρατριατικὸν ἐσενεχθῆναι νόμον, οὔτε δίκην οὐδεμίαν ἐσαχθῆναι ἐξῆν, hoc est, *Clodius, ut diutius in hoc conviciandi proposito perstaret, non sinebat legem curiatam perferri, neque ullum judicium peragi licebat.* Hic locus, Sigoni, tuam de lege curiata opinionem non modo labefactat, sed funditus evertit. Ecce enim Clodius ædilis dicitur, cum accusationem Milonis diu ducere, ac non statim judicium perfici vellet, id quod volebat, impedienda legis curiatæ latione, fuisse assecutum. Quam legem curiatam hic fingere possumus, quæ perferenda esset, priusquam liceret ullum judicium peragere, nisi solennem illam legem curiatam, quæ singulorum annorum magistratibus ferri solebat, auspiciorum caussa? Excutiamus, quæso, ex annalibus Romanorum omnia, quæ nobis lucem aliquam adferre possunt. Consules hujus anni Martius Philippus, & Cn. Lentulus Marcellinus, & prætores a superioris anni consule Metello Nepote creati erant: sed propter obnunciationes perpetuas non potuerat ædiles creare, ut notum est ex epistola 4. libri 4. ad Atticum: sed mense Januario ad II. Calend. Feb. ab hujus anni consulibus ædilium curulium comitia habita sunt: quod ex Cicer. 2. epistola libro 2. ad Q. fratrem intelligitur: hæ vero conviciosæ conciones Clodii adversus Pompeium cum Miloni reo ad populum adesse vellet, a Cicerone docentur initio mensis Februarii habitæ, in 3. epistola ejusdem libri, octavo scilicet Idus Febru. In eademque epistola docet Clodium diem judicii produxisse ad Quirinalia, quæ erant 13. Calend. Martias; & in 6. ejusdem libri epistola, rursus reperitur dies judicii producta ad Nonas Maias. Jam illud consideremus, de quibus

A judiciis intelligendum videatur id, quod dicit Dion, non licuisse ea peragi, nisi perlata lege curiata. Certe hoc judicium, quod Miloni a Clodio intendebatur, populi judicium erat, ut ex Cicerone apparet, & Asconio in comment. Milonianæ: non autem ex iis, quæ apud prætores quæstionum perpetuarum exercebantur: id est, non apud eum prætorem, qui hoc anno de vi quærebat, reus factus erat Milo a Clodio; sed ad populum, pro jure sui magistratus, vocaverat. Si ergo de iis modo judiciis dicamus Dionis verba intelligi, quæ ad populum fiebant; illud tamen efficietur, curiatam legem fuisse perferendam, ut peragendi ad populum judicii B potestatem haberent magistratus. Sin de omnibus judiciis, multo magis efficietur, ne prætoribus quidem fuisse exercendorum judiciorum potestatem, nisi lege illa perlata. Hanc vero quibus dices fuisse perferendam, nisi ipsis magistratibus, qui judiciorum exercendorum potestatem habebant? An de lege curiata, quia imperium militare daretur, hæc esse accipienda dices? ut Dion velit, nisi perlata ante, de consulum imperio militari, lege curiata nullum judicium potuisse peragi? id vero plane falsum est. Cum enim certum sit, exercendorum judiciorum munus ordinarium adeo fuisse, ut in singulos annos incurreret, ac re ipsa exerceretur, nisi siquando ad C aliquod tempus indictum justitium fuisset: fatendum quoque tibi, Sigoni, esset, singulorum annorum consules necessario imperium militare extraurbanum obtinuisse, hoc est, ut tu interpretaris, exercitus imperatores in aliqua provincia extramurana fuisse: quod & falsum est, & tu quoque non verum esse affirmas. Plurimi enim consules reperiuntur, qui totum consulatum in urbe gesserunt, nec in provinciam ex consulatu profecti sunt. Quibus si perinde atque aliis, quin in provincias proficiscebantur, ferendam fuisse legem curiatam, ex hac judiciorum ratione ostenditur, verum esse non potest, quod affirmat Sigonius, non alium fuisse usum legis curia- D tæ, quam ad dandum imperium provinciale. Certius ergo est id, quod a me de lege curiata scriptum est; omnibus omnium annorum consulibus ferendam fuisse legem curiatam, idque ad sui magistratus confirmationem potius, quam ad obtinendum aliud quoddam adventitium rei militaris imperium. Sed quoniam ex iis Ciceronis locis, quos citat Sigonius ex epistola ad Lentulum Spintherem, & ex libro 4. epistolarum ad Atticum, intelligimus, Appium consulem ad finem anni sui consulatus tantopere laborare de lege curiata sibi ferenda, ut etiam infamem illam pactionem, quam detexisse Mem- E mius scribitur, ob id fecerit cum candidatis consulatus in annum insequentem, ut quam reipsa ferre non poterat legem curiatam, trium augurum testimonio perlatam fuisse ementiretur: & rursus, quoniam ex historia comperio, ante hoc tempus, quo nondum lata fuerat lex curiata ab Appio, multa judicia fuisse facta, ut C. Catonis, P. Vatinii, M. Scauri, A. Gabinii: Hæc, inquam, mihi argumento sunt, hanc legem curiatam, quam sibi ferri tam studiose contendebat Appius, aliam quandam fuisse ab ea, quæ magistratibus initio anni, vel tum cum designabantur, perlata erat: quæ scilicet ad transmittendum in provinciam proficiscenti imperium vi- F detur necessaria.

CAP. IX.

De quo Salustius in Catilina: Senatus decrevit, darent operam consules, ne quid resp. detrimenti caperet. Ea potestas per senatum more majorum magistratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis cives atque socios: domi militiæque summum imperium, ac judicium summum habere. Aliter sine populi jussu nullius earum rerum consuli jus est. *Quæ verba nobis hanc lucem adferunt, ut intelligamus, consules jure consulatus exercitum parare, bellumque gerere non potuisse, neque domi militiæque summum imperium habuisse, quod certe habuissent, si imperium unum tantum esset.*

IN hoc uno Salustii loco tractando multipliciter peccat Sigonius. Id quod facilius apparebit, si veram interpretationem primum subjecerimus. Quia nobilis hujus senatusconsulti, quo plerunque in atroci negotio senatus uti soleret, mentionem fecerat, idcirco, quam vim haberet illud senatusconsultum, continuo docere voluit. Itaque hujus eam vim fuisse dicit, ut legibus soluti consules dictatorium plane imperium sub nomine consulum obtinerent, quemadmodum ostendit Plutarchus in vita Gracchorum; ubi Opimium consulem dicit sub nomine consulis dictatoriam potestatem obtinuisse. Et Livius lib. 6. cum scribit adversum Manlium non dictatorem dictum, ut adversus Sp. Melium factum erat, sed hoc senatusconf. usum senatum: *Decurritur ad leniorem verbis sententiam, vim tamen eandem habentem, ut videant magistratus, ne quid ex perniciosis M. Manlii consiliis Resp. detrimenti caperet.* Hoc dicit Livius, vim eandem habuisse hanc sententiam decernendi illius nobilis S. C. quam si decretum esset, ut dictator diceretur. Obtinebant ergo per hoc S. C. consules extraordinarium quoddam imperium, quod a Salustio particulatim exponitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis cives atque socios, domi militiæque imperium atque judicium summum habere: quibus verbis indicat consules hoc S. C. armatos omnibus legibus solutos fuisse, quibus repressum moderatumque erat eorum imperium ordinarium: cujusmodi leges erant de provocatione; leges Porcia & Sempronia, quibus vetabatur, ne omnimodam coercitionem haberent coss. quam hoc S. C. accipiebant: de non imperando intra pomœrium exercitu: de junioribus tantum in delectu sacramento cogendis: denique de non habendo summo ac legibus soluto in judicando imperio. Neque vero hoc imperium dictatorium consulibus dare fuit in sola senatus potestate: sed etiam interdum a populo extraordinarium hoc imperium acceperunt, ita ut solutum legibus imperium perinde per legem, quam populus jussisset, obtinerent, ac si nobili illo S. C. armati fuissent. Quod quia in historiæ Romanæ lectione non observavit Sigonius, propterea in multos ac varios errores se induit. Ac de eo quidem quod legibus solvere consulem posset populus ita, ut sub nomine consulis dictatoriam potestatem obtineret, non ambigit, opinor, Sigonius: at id factum aliquando esse, exemplis doceri vult. Apud Livium lib. 4. dec. 1. ad vindicandam cædem M. Posthumii trib. mil. consulari potestate, per seditionem a suo exercitu occisi, consulibus A. Cornelio Cosso, & L. Furio Medullino, plebiscito negotium mandatur, quærendi animadvertendique ultimo supplicio in omnes cædis Posthumianæ conscios. Hac lege extraordinaria potestas consulibus data est in hoc gerendo negotio: populusque per hanc legem judicium summum absque provocatione in consules transtulit, (ut indicant verba Livii, cum de sanguine & supplicio plebis eam legem appellat) quod alioqui erat solius populi proprium: quinetiam, si vi armata opus esse judicassent consules adversus hujus seditionis conscios, per hanc legem eis id licuisse haud dubium est: quod alioqui consules per ordinariam suam potestatem non potuissent. Idem autem imperium extraordinarium obtinuisse consules censendi sunt, quoties in decretam a populo quæstionem

in hiſtoria legimus. De vita enim civium, omnique de ipſorum ſtatu, injuſſu populi agi non poterat: ex quo apparet, tum populum ſuo quodam jure cedere, cum eam dat alicui poteſtatem, quæ legibus moribuſque Romanis ipſius propria eſſet: juſſumque populi, quod hic intervenire ſolet, eo pertinet, ut legibus hac ex parte ſit ſolutus is, cui ea poteſtas datur, quam alioqui jure ſui magiſtratus non haberet. Apud Livium lib. 9. dec. 4. ambobus conſulibus, Sp. Poſthumio Albino, & Q. Martio Philippo, quæſtio de clandeſtinis conjurationibus adverſus bacchanalia decreta eſt. Ea poteſtate accepta, quam multos cives extremo ſupplicio affecerunt? Hoc vero fuit imperium majus dare conſulibus, quam pro jure ſui magiſtratus. Hos vero Coſſ. Cicero 2. de leg. ſcribit exercitu adhibito quæſtionem hanc exercuiſſe. Poſt interfectum Tiberium Gracchum, conſulibus ejus anni, qui proxime inſecutus eſt, Popilio, & Rupilio quæſtio decreta eſt adverſus Gracchanæ ſeditionis conſcios. Cum Pompeius tertium coſ. factus eſt ſolus, ei a populo ſub nomine conſulis datum eſt imperium dictatorium, ut ex hiſtoria perſpici poteſt. Nam quod illo anno S. C. illud nobile decretum fuiſſe comperimus, id vero jam ante factum erat, quam coſ. eſſet Pompeius. Sic enim docet Aſconius, factum fuiſſe hoc S. C. ut interrex & tribuni pleb. & Cn. Pompeius, qui procoſ. ad urbem erat, viderent, ne quid detrimenti reſp. caperet: delectum autem Pompeius tota Italia haberet. Hoc vero eſt, quod dicit Saluſtius, ſine populi juſſu, i. niſi lata nominatim ad eam rem lege, nulli conſuli jus fuiſſe earum rerum, quas enumeraverat: quibuſque ſummum quoddam ac legibus ſolutum imperium extraordinarium deſcripſerat; præter quam quod nobili illo S. C. idem jus accipiebat. ita ut duos omnino modos, quibus majus quoddam imperium, quam pro magiſtratu coſſ. acciperent, hic nobis ſignificet; unum, a Senatu per hoc nobile S. C. alterum, a populo per legem ſpecialiter (ut I. C. loquuntur) de ea re perlatam. Errat igitur primum in eo Sigonius, quod contra omnium exemplarium fidem verba Saluſtii corrumpit. Legit enim: *Aliter ſine populi juſſu nullius earum rerum conſuli jus eſt*. Cum in omnibus impreſſis codicibus, etiam iis, qui a Paulo Manutio nuper ex manuſcriptorum librorum fide ſumma diligentia editi ſunt, legatur: *Aliter ſine populi juſſu nulli earum rerum conſuli jus eſt*: ut Saluſtius ſuo ac ſibi in verbis tranſponendis uſitato more loquendi dicat, nulli conſuli jus fuiſſe earum rerum ſine populi juſſu: ſane, beneficio viri clariſſ. & doctiſſ. Henrici Memmii, facta eſt mihi copia videndi quatuor venerandæ antiquitatis manu ſcripta Saluſtii exemplaria, in quibus omnibus uno conſenſu legitur, *nulli earum rerum conſuli jus eſt*; ad quæ acceſſit quintum, mihi a Dionyſ. Lambino, viro omni doctrinæ genere præſtantiſſimo, utendum datum, plane cum illis congruens & concordans. Quantum vero interſit, hoc ne an illo modo legatur, hinc perſpici poteſt, quod, qui cum Sigonio leget, *nullius earum rerum*, mendacii aut ignorationis Saluſtium arguet, ut paulo poſt docebo. At, ſi ea relinquatur, quæ eſt in omnibus exemplaribus lectio, & veriſſima, & ad id, quod agit, maxime accommodata, Saluſtii ſententia retinebitur, ut a me paulo ante explicatum eſt. Deinde vero, quis poteſt hanc Sigonii interpretationem ferre, ut *populi juſſu* in hoc Saluſtii loco ſignificet *legem curiatam*? ut verba Saluſtii eum ſenſum habeant, aliter ſine lege curiata nullius earum rerum conſuli jus eſt. Quid? an neſciebat Saluſtius, jamdudum nullis populi comitiis ferri legem curiatam? Et hoc ſcilicet appellavit juſſum populi, ubi nullus fieret populi conventus ad aliquid jubendum? Verum fingamus cum Sigonio, Saluſtium, aut moris Romani, qui ſua ætate obſer- A varetur, ignarum fuiſſe, aut vero ita improprie locutum, ut juſſum populi in ea re appellaret, in qua nullum populi judicium exſpectaretur; ſed triginta tantum lictores, ad ſpeciem quandam & uſurpationem vetuſtatis, ſuffragium ferrent: id potius quæramus, verumne eſſe poſſit id, quod ex hac ſua interpretatione colligit Sigonius: hoc eſt, verumne ſit, nullius earum rerum, quas dixerat, conſuli jus fuiſſe abſque lege curiata. Nonne domi ſummum imperium habere ex numero eſt earum rerum, quas enumerat Saluſtius? Atqui nullius earum conſuli jus fuit, inquit Sigonius, ſine lege curiata. Ut ergo B ſummum in urbe imperium conſul obtineret, lege curiata opus ei fuit. At omnes conſules, quia conſules eſſent, ſummum hoc in urbe imperium habuiſſe omnes Latini ſcriptores affirmant, & Sigonius fatetur. Fuit ergo omnibus conſulibus neceſſaria lex curiata, ut conſules eſſent: quod tamen ne fateri cogatur, tantopere laborat Sigonius. Ita, quam ex hoc loco confirmare ſe putat poſſe de lege curiata ſententiam, eam plane ſua interpretatione refellit. Jam vero, ſi in verbis Saluſtii eam agnoſcamus ſententiam, quam dicit Sigonius, ut ſcilicet duos modos deſignet Saluſtius, quibus imperium militare conſulibus daretur: unum, in urbe per S. C. illud nobile C raro uſitatum, & quod ultimæ ſemper neceſſitatis habitum eſt, (inquit Livius:) alterum, non in urbe, ſed in provincia tantum, per legem curiatam: quo jure ergo dicemus, multos magiſtratus, quibus, ut in urbe manerent, provincia obtigerat, aut vero, quibus, ut urbi præeſſent, collegis ad bella externa profectis, negotium mandatum erat: quo, inquam, jure dicemus uſos fuiſſe, cum ſæpe eos reperimus delectum habuiſſe, per loca urbis plurima præſidia diſpoſuiſſe? & maxime, ſi tumultus aliquis alicunde exiſteret. Nam illius extremæ neceſſitatis S. C. nullam tum mentionem faciunt hiſtorici: hoc vero imperium militare non fuit pro- D vinciale, ſed plane urbanum, ideoque non per legem curiatam (ut quidem Sigonius exiſtimat) obtentum. Nos ergo per Sigonii interpretationem mendacii arguemus Saluſtium, ut qui duos tantummodos obtinendi militaris imperii nobis induxerit, cum a magiſtratibus Romanis ſæpe videamus fuiſſe geſtum, abſque eorum altero modo. Sed præſtat, ſumptis ex hiſtoria exemplis, velut in rem præſentem venire. Atque ut a principio liberatæ regio dominatu reip. exordiar, quamdiu populi urbis Romæ vicini fuerunt, tamdiu videmus per portas & muros, aliaque urbis munita loca, armatorum præſidia collocari; at vix, ac ne vix quidem, toto illo tempo- E re reperies, illo nobili S. C. uſum fuiſſe ſenatum. Dic mihi (amabo te) Sigoni, quo jure hoc intra urbem militare imperium obtinuerunt illi magiſtratus, qui horum militum duces erant? Nam curiata lex, inquis, ad extramuranum imperium pertinet. Jam vero profectis ab urbe conſulibus quam ſæpe legimus præfectos urbis delectum habere, & omnia imperii militaris munera intra pomœrium obire? An dices præfecto urbis id licuiſſe pro jure ſui magiſtratus; conſulibus, quorum erat velut legatus tantum, non licuiſſe? Livius ſcribit lib. 3. conſulem T. Quintium ab Algido, quo cum exercitu adver- F ſus Æquos profectus erat, in urbem reverſum: cumque repente in fines Romanos Æqui invaſiſſent, magnumque in urbe tumultum feciſſent, præſidia portis impoſuiſſe. Rogo te, Sigoni, qui hoc T. Quintio licuit? nam curiata lex provinciale tantum imperium ei dederat, ut tu vis. At S. C. Livius hoc loco non facit mentionem: anno vero conſequenti hoc S. C. uſum fuiſſe ſenatum docet. Quid? P. Valerius conſul eo anno, quo Herdonius Capitolio occupato ſervile bellum concitare voluit, quo jure id facit quod apud Livium ſcribitur: *Ultimum orationis fuit, ſe arma capere, vocare omnes Quiritei ad*

arma ? Idem enim Titus Livius docet, hæc Valerium apud populum dixiſſe, cum ſe ex curia proripuiſſet, nullo adhuc facto Senatuſconſulto. Quo jure id ei dicere licebat, aut potius id ipſum continuo facere quod dixerat, quo jure potuit? Nam delectum habuiſſe, & ſacramento plebem, quam adverſus hoſtem ſtatim duxit, addixiſſe illic ſcribitur. Anno inſequenti Coſſ. Q. Fabio & L. Cornelio Maluginenſi ſcribit Livius conſules partitos fuiſſe provincias, Fabio, ut Antium legiones duceret, datum: Cornelio, ut Romæ præſidio eſſet, ne qua pars hoſtium, qui Æquis mos erat, ad populandum veniret. Dic mihi, Sigoni, potuitne urbis præſidium Cornelio adverſus armatum hoſtem committi abſque militari imperio? At curiata lex (inquis) imperium extramuranum tantum dedit. Quid? quod idem Cornelius paulo poſt ſcribitur, poſtquam mœnibus Romanis jam pulſo hoſte periculum eſſe deſierat, & ipſe a Roma profectus? An ei repente natum eſt imperium militare, quod non habebat? An lex curiata tum demum ei lata, cum ante alteri modo conſuli lata fuit? Quid eſt aliud animi cauſſa fingere? Apud Livium lib.4. Coſſ. C. Julio iterum, & L. Virginio, cum Fidenates adjunctis Veientibus Anienem tranſiſſent, atque haud procul Collina porta ſigna haberent, ſcribitur Julius conſul in aggere muriſque copias explicare, interim dum a Virginio ſenatus conſulebatur. Dic mihi, Sigoni, quod agit Julius Coſ. nonne imperii militaris eſt? At non fuerat armatus nobili illo S. C. ſed ut dictator crearetur, ſenatui placuit. Et eodem libro paulo poſt Coſſ. C. Sempronio Atratino, Q. Fabio Vibulano, Q. Fabius, cum ei provincia obtigiſſet, ut in urbe maneret, profecto adverſus Volſcos collega, ſcribitur ante portas ſtationem agere, cum terror urbi invectus eſſet, ob famam adverſæ ſui collegæ pugnæ, caſtrorumque deſertorum eo perlatam. Et paulo poſt: Trib. mil. conſulari poteſtate cum eſſent L. Sergius Fidenas, M. Papyrius Mugillanus, & C. Servilius, ita ſunt a ſenatu decretæ illis provinciæ, ut duo ad bellum proficiſcerentur, unus res Romæ curaret: quam provinciam extra ſortem habuit C. Servilius. De eo ita ſcribit Livius: *Cum allata eſſet duorum tribunorum, qui in caſtris erant, diſcordia, Q. Servilium, patrem hujus C. Servilii, velut haud dubia clade imminente inſtitiſſe filio, ut milites ſcriberet, & arma pararet*. Rogo te, Sigoni, cum hujus Servilii urbana eſſet provincia, jure ne id facit, ad quod patris tum privati conſilio adductus eſt? certe, ſi curiata, ut tu vis, lex non aliud imperium dedit quam externæ provinciæ, nullum autem S. C. factum eſſet, ut ex hiſtoria apparet, militare hoc imperium contra leges arripuit. At, ſi jure ſui magiſtratus habuit, nihil ſane dici aut fingi poteſt, cur non pariter omnes habuiſſe credantur, qui reperiuntur, cum foris tranquillæ res eſſent, toto anno ſui magiſtratus in urbe fuiſſe. Idem Tit. Livius libro ſexto, in quarto tribunatu Camilli, ita docet fuiſſe partitas provincias inter ſex collegas, ut Camillus cum Valerio legiones duceret adverſus hoſtem Antiatem, Q. Servilius altero exercitu inſtructo paratoque ad urbem (ſic enim legendum, non *in urbe*) caſtra haberet: tertius exercitus ex cauſariis ſenioribuſque a L. Quintio ſcriberetur, qui urbi mœnibuſque præſidio eſſet: L. Horatius arma, tela, frumentum, quæ bellica tempora poſcunt, provideret: Sergius Cornelius præſes eſſet conſilii publici, cuſtoſque religionum, comitiorum, legum, rerum omnium urbanarum. Vide, Sigoni, quo modo ex hoc te loco expedias. Ex his ſex tribunis militaribus tres ſunt, quibus nulla eſt externa provincia. Tua igitur opinione hi tres curiata lege non fuerunt ornati, quo ergo jure rem militarem attingere licuit Quintio & Horatio? Et paulo poſt ita ſcribit Livius: *In ſequenti anno Sp. & L. Papy-*

A *rii novi tribuni militum conſulari poteſtate Velitras legiones duxere, quatuor collegis S. Cornelio Maluginenſi 4. Q. Servilio, C. Sulpicio, L. Æmilio quartum tribunis ad præſidium urbis, & ſi qui ex Hetruria novi motus nunciarentur, relictis*. Dic mihi, Sigoni, puteſne his quatuor tribunis mandatum fuiſſe urbis præſidium, abſque imperio militari, præſertim adverſus novos motus Hetruſcorum? Et paulo poſt de tribunis militum conſ. pot. L. Æmylio, P. Valerio 4. C. Veturio, Ser. Sulpicio, L. & C. Quintiis Cincinnatis, ita ſcribit Livius: *Iiſdem opibus obtinuere, ut adverſus Latinos Volſcoſque, qui* B *conjunctis legionibus ad Satricum caſtra habebant, nullo impediente omnibus junioribus ſacramento adactis, tres exercitus ſcriberent: unum, ad præſidium urbis: alterum, qui, ſi qui alibi motus extitiſſet, ad ſubita belli mitti poſſet: tertium, longe validiſſimum P. Valerius & L. Æmilius ad Satricum duxere*. Hic rurſum quatuor tribuni milit. conſ. poteſtate in urbe manent, & tamen duorum exercituum duces eſſe ſcribuntur. Ac, ne te nimium multis onerari exemplis dicas, hanc tibi adferam ex omni reliqua hiſtoria Livii rationem: in qua paſſim reperimus, urbanas relinqui legiones ad urbis præſidium, & ad omnes novos motus: eaſque modo a conſulibus, C qui in urbe manſiſſent, modo a prætoribus, urbano aut peregrino, ſcriptas legimus. Vide, quæſo, Sigoni, quomodo tuam hic defendes ſententiam de imperio militari, quod tu nullum in urbe agnoſcis, niſi per nobile illud S. C. quodque in ipſo magiſtratu non eſſe inſitum putas, ſed extrinſecus advenire per legem curiatam, in iis tantum, qui externas provincias obtinerent. Ex his, quæ diximus, perſpicuum eſt, nec veram eſſe Sigonii interpretationem, nec ullo modo ad locum illum Saluſtii accommodatam. Poſtremo, in hujus nobilis S. C. ac legis curiatæ uſu, pariter errat Sigonius. Tam enim falſum eſt, per illud S. C. obtineri imperium in ur- D be tantum, non etiam in externa aliqua provincia: quam non verum, per legem curiatam externum tantum, non etiam urbanum imperium militare demandari. Apud Livium lib.3. cum Poſthumio alteri conſulum negotium datur, videret, ne quid detrimenti Reſpublica caperet: adverſus Æquos hoc S. C. armatus eſt, adverſus quos paulo poſt legitur cum exercitu exiſſe. Et, quod S. C. factum eſt in conjuratione Catilinæ, nonne C. Antonio conſuli imperium militare dedit, quo extra urbem uſus eſt adverſus Catilinam & reliquos cives conjurationis ſocios? Certe hoc S. C. imperium extraordinarium E obtinebatur, curiata lege ordinarium. Id vero eſt, in quo fallitur Sigonius, quod hæc duo extraordinarii facit imperii: unumque urbanum, alterum provinciale facit, quaſi ſuas quaſdam dari conſulibus provincias ad imperium extraordinarium conſulum pertineret, ac non potius per legem Semproniam neceſſe eſſet ipſis, antequam deſignati eſſent, provincias decerni: & ante legem Semproniam non eſſet id uſitatum, ut ſingulorum annorum conſulibus ſuæ decernerentur provinciæ. Neque vero dici poteſt, conſules minus habuiſſe illud jus provincialis imperii, quod quidam reperiuntur in provincias ſibi decretas ire noluiſſe: alioqui con- F ſulum voluntas jus facere diceretur. At, ſi hoc ordinarium fuit, illud vero, quod S. C. demandabatur, plane extraordinarium, cui, præterquam Sigonio, probabile videtur, Saluſtium hic voluiſſe hæc duo inter ſe conferre? ac non potius duos modos obtinendi ſub nomine conſulum extraordinarii imperii, ſignificare voluiſſe?

CAP. X.

Jam vero prætores urbanum & peregrinum, quique publicas quæstiones exercuerunt, priore item tantum imperio fuisse affectos affirmo, posteriore nego.

SUPRA satis demonstravi, in suo magistratu hos prætores insitum habuisse militare imperium, quo uterentur, ubi reip. gerendæ necessitas postularet: idque perspicue apparebat, si profectis ab urbe consulibus, aliquis tumultus aut Gallicus, aut Italicus repente existeret: erant enim tum hi prætores, quibus rei bellicæ negotium incumbebat: idque pro jure sui magistratus: alioqui novum jus eis attulisse tumultus, repente ortus, diceretur.

CAP. XI.

Provinciales autem omnes utrumque habuisse contendo: civile quidem, nempe jurisdictionis, lege centuriata: militare vero ipsum sine dubio curiata.

VELIM mihi certum aliquid diceret Sigonius, quid prætorum provincialium nomine intelligat. Nam, si omnes, qui prætorio imperio in provinciis fuerunt, sive prætores essent, sive proprætores tantum, hoc verbo intelligantur; hoc habeo, quod volo, (in quo tamen a me dissentit) omnes magistratus, qui cum imperio in provincias irent, lege curiata ornatos fuisse: neque tamen verum est, omnes istos lege centuriata imperium ullum accepisse: sed plurimi plebiscito scribuntur imperium obtinuisse. Sin eos modo intelligat, qui prætores cum essent, eo ipso anno quo prætores erant, in provinciis fuerunt; primum nihil ejus verba ad eos provinciales magistratus pertinebunt, qui toto illo tempore, quod fuit post quæstiones perpetuas in remp. inductas, provincias ex prætura obtinebant: quia verum non sit, centuriatam legem, quæ non poterat plusquam annuum magistratum dare, imperium civile eis dedisse, in quo ipsum magistratum situm esse vult Sigonius: præsertim cum eos velit jam tum magistratus esse desiisse. Deinde verum non erit, omnes prætores illos jurisdictionem habuisse; siquidem verum sit, quod dicit Sigonius, eos modo jurisdictionem habuisse, qui in eas regiones mittebantur, quæ jam essent in provinciæ formam redactæ; quam multi enim missi reperiuntur in sua prætura in eas regiones, quæ totæ adhuc in hostium ditione erant? quam multi leguntur provinciam habuisse incertam, quo senatus vellet? quam multi provinciam habuerunt, ut classi præessent? An minus hi provinciales magistratus fuerunt, quam cæteri, qui in pacatas provincias mittebantur?

CAP. XII.

Hic enim locus docet, non esse idem imperium prætoris urbani ac provincialis: vocat enim curationem urbanam, negotium & onus; provincialem vero imperium.

NON possum satis mirari, quid Sigonio venerit in mentem, ita pervertere veterum scriptorum monumenta. Cicero (inquit) in prætura urbana appellanda *negotii & oneris* verbo utitur: in provinciali, *imperii:* ergo prætor urbanus imperium non habuit, sed negotium & onus: provincialis vero, imperium. Est ne hæc digna Sigonio conclusio? quasi vero omnes ejusdem magistratus collegæ non idem jus imperii haberent; aut quasi negotiorum, quæ magistratibus obtigissent, dissimilitudo, totidem magistratus species faceret, quot erant

A negotia, quæ iis demandata essent? quid? eum ne ferre quisquam possit, qui ita concludet, majoris negotii est hujus, quam illius provincia; ergo majus imperium hic habet, quam ille? consules in urbe fasces habebant sine securibus. Iisdem statim urbe profectis secures cum fascibus præferebantur, non modo si cum exercitu urbe exirent, (inquit Dionysius lib. 10.) sed etiam si ob aliam quamvis caussam: veluti ad res sociorum spectandas, quæstiones per Italiam exercendas, agros publicos a privatis disterminandos. Tu ne ex eo, Sigoni, concludes, aliud imperium obtinuisse consules in urbe, aliud B extra urbem? Certe securium accessio vim quandam imperii majorem indicabat; at ipsius imperii speciem nullo modo immutabat. Id vero fuit Sigonio in verbis Ciceronis observandum, quod prætori provinciali dati fasces cum securibus, vim imperii majorem, quam in urbe, habuisse indicabant. At non id fuit colligendum, quod male ipse concludit, aliud imperium unius prætoris fuisse, quam alterius: secures adjectæ fascibus, meri imperii, ac sublatæ provocationis insignia erant: sed ut idem magistratus specie manebat, ita necesse fuit idem specie imperium permanere: hoc tantum intererat, quod in urbe astrictum certa quadam lege erat, qua extra C urbem solutum erat.

CAP. XIII.

Et Cæsar lib. 1. belli civilis: In reliquas provincias prætores mittuntur: neque expectant (quod superioribus annis acciderat) ut de eorum imperio ad populum feratur, paludatique votis nuncupatis exeunt: *quibus verbis nonne aperte admonemur, prætoris provincias a senatu, imperium a populo accepisse?*

D EX historiæ non satis accurata observatione fallitur hoc etiam loco Sigonius: verba Cæsaris continuo ante hunc locum, ista sunt: *De reliquis rebus S. C. perscribuntur, provinciæ privatis decernuntur, duæ consulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. Paulus & Marcellus* (sic enim legendum est) *privato consilio* (nisi potius *pravo consilio* sit legendum) *prætereuntur, neque eorum sortes dejiciuntur.* Mox ea sequuntur, quæ a Sigonio citantur: quod si cum superioribus hæc posteriora conjunxisset, statim intellexisset, quia hoc anno privatis tantum datæ sunt provinciæ, propterea oportuisse de eorum imperio ad E populum ferri: quod aliud nihil est, quam ex privatis magistratus facere. Hoc sane est, quod Cæsar reprehendit: præcipitem scilicet senatus festinationem in mittendis proconsulibus & proprætoribus: eorum, qui mittebantur, præproperam profectionem: ut qui, cum privati omnes essent, non tamen expectarunt dum ad populum ferri posset de dando illis imperio. In quo a legibus & more majorum discessisse significat Cæsar, cum scribit: *Quod superioribus annis acciderat.* Dion enim libr. 40. scribit Coss. Cn. Domitio Calvino, & M. Valerio Messala, qui erat quartus annus ante hunc, quo hæc gesta sunt, de quibus loquitur Cæsar, factum fuisse S. F C. ut nemo consul aut prætor in provinciam mitti posset, nisi quinquennio post, quam magistratum gessissent. Ex quo S. C. apparet, nullos nisi privatos superioribus illis annis in provincias missos fuisse. Sed, cum omnes expectassent, dum ad populum de eorum imperio ferretur, hoc reprehendit Cæsar, quod non hi quoque id expectarunt, sicut superioribus annis factum erat. Quod vero ferendum fuisse significat de eorum imperio ad populum, id ad justa populi centuriata comitia, aut potius tributa pertinet, non ad legem curiatam, quæ tum tempo-

ris absque populi suffragio ferebatur. Nam, si de lege tantum curiata intelligatur, quemadmodum velle videtur Sigonius, necesse erit, ut fateatur lege curiata magistratum dari potuisse iis, quibus nullis aliis comitiis ante datus esset magistratus: quod novum atque inauditum esse docet Cicero in 2. agraria, præsertim in iis magistratibus, quos a populo mandari jus esset. Deinde, quoniam imperium tantum militare, non etiam civile lege curiata dari existimat, necessario efficietur, omnibus hujus anni provincialibus magistratibus imperium tantum militare datum fuisse, nullum civile imperium, id est, nullam juris dicendi potestatem habuisse: quo quid absurdius est? postremo, quomodo audet, ubicunque de lege curiata scripsit, negare, iis, qui privati in provincias mittebantur, necessariam fuisse moribus Romanis legem curiatam? quando ita hunc Cæsaris locum interpretatur; ut dicat reprehensionem Cæsaris eo conferri, quod legem curiatam de his prætoribus provincialibus non tulerint, quam more majorum ferri oportebat: cum ex eodem ipso loco certum sit, omnes hos privatos fuisse missos in provincias.

CAP. XIV.

De his autem idem judicium est: quanquam enim ex privatis in provincias missi sunt, tamen, quia jure magistratus Romæ gesti provincias eas adepti sunt, eodem modo in provinciis & potestatem & imperium habuisse censeo.

TE ne hoc censere, quod loqueris, existimem, Sigoni doctissime? Consulares & prætorii si vel decennio post gestum magistratum in provincias irent, id eos fuisse adeptos jure magistratus Romæ gesti? Quid? toto illo decennio, nonne tam privati fuerunt, quam alius quivis, qui nullum unquam magistratum gessisset? an auspicia & jus imperii in ullo privato permanserunt? an toto decennio intermortua, postea ob eam solum caussam revixerunt, quia voluit tanto post intervallo in provinciam aliquis proficisci, qui ante noluerat? Quin melius ac tutius committerentur provinciæ iis, quibus per leges & ætatem licuisset remp. in magistratu administrare, quam iis, qui nullam adhuc publici imperii partem capessere aut noluisent aut non potuissent, id vero negari non potest. Sed quod ullam imperii partem illi potius quam hi retinerent, hoc plane est ab omni juris antiqui cognitione alienum.

CAP. XV.

Ut autem provinciam ex S.C. & sorte obtinuerunt, sic eosdem imperium lege curiata accepisse opinor.

ROGO te, Sigoni, nunquid provincias hi, quos tu dicis ex S.C. provinciam obtinuisse, sine imperio (ut tu vocas) civili obtinere potuerunt? si non potuit sine imperio duntaxat civili provincia obtineri, satis autem juris fuit in senatu ad dandam provinciam, potuit ergo suo jure senatus imperium civile dare. Hoc vero te auctore est, in quo proprie magistratus consistebat: fuit ergo in potestate senatus, magistratum creare. Quo quid magis est ab juris Romani scientia alienum? Sin provinciam absque ullo imperio nec civili nec militari obtinuerunt a senatu, totum ergo, quod habuerunt, imperium, legi curiatæ acceptum ferendum fuit. Itaque verum non erit, quod tu tam sæpe nobis inculcas, legem curiatam proprie pertinuisse ad dandum imperium militare, quod extra magistratum esset.

A

CAP. XVI.

Relinquuntur quidam, qui neque ex magistratu, neque post magistratum: sed ex privatis, non in provincias, sed ad bella cum imperio mittebantur aut consulari aut prætorio: unde proconsules ac proprætores dicebantur.

PERMULTA sunt in his paucis verbis, quæ reprehendam: primum, quod non videtur Sigonius intelligere significationem vocabuli provinciæ, quando hæc duo sumit quasi opposita, aut certe longe diversa, *in provincias mitti*, & *ad bella mitti*. B Provinciæ nomine Latine intelligitur omne munus alteri delatum, omne negotium alteri mandatum, idque sive privatim, sive publice: in re privata sæpe Cicero hoc verbo usus est, ut pro Cælio: *Sed non dubito, quin sint pergraves, qui primum sint talis fœminæ familiares, deinde qui eam provinciam susceperint, ut in balneas contruderentur*. Et paulo post: *Hoc fuit totum consilium mulieris, hæc istorum provincia, qui rogati sunt*. Et lib. 6. in Verrem: *Ascendit in oppidum Artagathus homo nobilis, qui a suis & amari & diligi vellet: ferebat graviter illam sibi ab isto provinciam datam*. In publico vero negotio, quodC cunque alicui mandatum esset, sive in urbe, sive extra urbem, provinciæ nomen usurpari, non est ad probandum ei difficile, qui apud Livium observare voluerit in singulorum annorum decernendis provinciis, perinde urbana negotia provinciarum nomine appellari, atque externa: & quibus jurisdictio tantum obtigerat, non minus suam sortiri provinciam dici, quam quibus bellicum negotium obtigisset. Cicero eo ipso in loco, quem paulo ante citavit Sigonius ex 5. lib. in Verr. de prætura urbana loquens ita scribit: *Neque illud rationis habuisti, si forte expergefacere te posses, eam provinciam, quam tueri singulari prudentia atque integritate difficile esset*. Et D pro Muræna: *Egregia & ad consulatum apta provincia*. Contra vero, quibus bellicum tantum negotium datum erat, obtinuisse provinciam, ubique apud Historicos scribuntur: alioqui toto illo tempore, quo nulla adhuc regio fuerat in formam provinciæ redacta, non recte dicuntur consules singulis annis in provincias mitti, siquidem ad bella tantum mittebantur. Qui adversus Ligures tam multis annis missi leguntur, qui adversus reges Macedoniæ, Illyrii, Asiæ, Epiri, Ponti: qui adversus Carthaginenses, adversus piratas, aut gladiatores missi in historia scribuntur, nonne omnes verum fuit in provincias misE sos? & tamen ad bella tantum mittebantur. Quorsum igitur illa Sigonii verba pertinent, *Non in provincias, sed ad bella cum imperio mittebantur?* Quasi vero *ad bellum cum imperio mitti*, non sit *in provinciam mitti*. Cum enim illi non magis haberent provinciam, in qua jus dicere possent, quam hi, pariter utrique negandi fuerunt provinciam obtinuisse, aut pariter utrique dicendi suam habuisse provinciam. Nisi forte jurisdictionem in prioribus illis agnoscat in eo, quod in suo exercitu jus dicerent. At si imperium, quod in jurisdictione fuit situm, in eo satis agnosci possit, quod illi suis militibus juris dicendi potestatem haberent, (ut certe habebant: F ex quo recuperatores dare, jusque, in castris præsertim, cum in hibernis essent, dicere sæpe in historia reperiuntur) nihil adferri potest, cur non eadem ratione hi, qui ex privatis ad bella missi sunt, jurisdictionem habuisse concedantur. Nullus enim imperator unquam exercitus fuit, qui non eam potestatem haberet, suis militibus juris dicendi. Ex quo efficitur, perinde his tribuendum esse civile (quod Sigonius vocat) imperium, atque illis. Deinde illud mihi probari non potest, quod scribit: *Unde proconsules ac proprætores dicebantur*. Videtur enim præcipuam significationem proconsulis ac proprætoris in his

his agnoscere, quæ non eadem sit in aliis: quasi alio modo proconsules aut proprætores appellarentur, qui statim ex magistratu aut aliquo post magistratum tempore, in provincias mittebantur, quam qui plane ex privatis. Et quasi alia verbi proconsulis notio sit, cum dico, *Pompeium proconsulem fuisse in Hispania adversus Sertorium*, & cum eundem dico *adversus piratas proconsulem fuisse*. Et quasi proconsulatus significatio sit diversa in Scipione, cum dicitur in Hispania proconsul fuisse, & cum postea prorogato ex consulatu imperio in Africa proconsul fuisse scribitur: aut quasi aliud genus imperii in primo proconsulatu hi obtinuerint, quam in secundo. At si proconsulis & proprætoris una in his omnibus fuit ac simplex notio, non aliam debuit rationem constituere Sigonius in his, quam in aliis, frustraque contendit, hos ita diversos inter se facere, ut alios fuisse magistratus concedat, alios neget, alios imperium civile habuisse cum militari existimet, alios militari tantum ornatos fuisse imperio censeat. Postremo, cum ejus provincialium imperiorum divisionem intueor, perspicere non possum, ad quod ex his tribus, quæ facit, generibus referendi sint hi, qui quæstores missi sunt in provinciam cum imperio prætorio, ut de Cn. Pisone scribit Salustius: itemque, qui ex quæstura & tribunatu proprætores creati sunt, ut de M. Catone in Cyprum misso a Clodio legitur. Hi enim quia magistratum Romæ gesserant, non possunt dici ex plane privatis missi in provinciam: quare ad tertium genus non pertinebunt. At ne primum quidem genus, consulum ac prætorum proprium, ad hos pertinere potest: relinquitur ergo, ut in secundo genere sint: fatendum igitur erit, Sigoni, jure gesti in urbe magistratus, in provincia potestatem in jure dicendo habuisse. Quod quam ridiculum sit, nemo non videt. Quod enim quæsturam, aut tribunatum Romæ gesserunt, id non potuit eis prætorium jurisdictionis imperium attribuere: fuit ergo facienda quadripartita divisio Sigonio, ut omnia, quæ fingit, genera complecti posset.

CAP. XVII.

Judicium non habebant, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant.

QUOD magistratus fuisse negat, satis superque a me supra haud verum esse demonstratum est. Itemque de illis Ciceronis locis ex lib. de legibus ac divinatione, multa a me disputata sunt, ut ea male a Sigonio esse intellecta docerem. Nunc pauca de juris dicendi potestate adjiciam ad ea, quæ paulo ante a me de ea re dicta sunt. Magistratus non fuit, inquit Sigonius, qui judicium non habuit. Quicunque autem provinciam non habebant, in qua jus dicerent, judicium non habuerunt. Ex his non vides, Sigoni, quid necessario efficiatur? Quicunque ergo provinciam non habuerunt, in qua jus dicerent, magistratus non fuerunt? Atqui tu idem scribis in ea demum provincia jus dici, quæ in formam provinciæ redacta esset. Omnes ergo, qui in Macedoniam, qui in Hispaniam aliasque provincias missi sunt, priusquam in provinciæ formam redactæ essent, magistratus non fuerunt: tametsi consules aut prætores eas provincias obtinuerunt. Non vides, Sigoni, in quæ tu te induas incommoda? Ego vero contra ex historia docere possum, eos jus dixisse, qui exercitum habebant in iis regionibus, quæ in formam provinciæ nondum erant redactæ. T. Flaminius cum jam quinto anno in Macedonia esset, quo adversus Philippum regem profectus erat, scribitur a T. Livio lib. 4. dec. 4. totum hyemis tempus jure dicendo consumpsisse. Atqui Macedonia non facta est provincia, nisi post victum a Q. Metello Macedonico Pseudophilippum. Quid,

A si illum ipsum Scipionem, qui pro exemplo abs te sumitur, doceam jus in Hispania dixisse in illo suo primo proconsulatu? A. Gellius 1. cap. lib. 7. de P. Scipione Africano priore, ex Oppii & Higini historiis, ita scribit: *Assidebat oppugnabatque oppidum in Hispania situ mœnibusque ac defensoribus validum & munitum, re etiam cibaria copiosum: nullaque ejus potiundi spes erat. Et quodam die jus in castris sedens dicebat, atque ex eo loco id oppidum procul videbatur. Tum ex militibus, qui in jure apud eum stabant, interrogavit quispiam ex more, in quem diem locumque vadimonium promitti juberet. Et Scipio manum ad ipsam oppidi, quod obsidebatur, arcem* B *protendens: Perendie, inquit, sese sistant illo in loco: atque ita factum. Die tertio, in quem vadari jusserat, oppidum captum est. Eadem die in arce ejus oppidi jus dixit.* Hanc eandem historiam narrat Valer. Max. lib. 3. cap. 7. his verbis: *Nam, cum oppidum Badiam circumsederet, tribunal suum adeuntes, in ædem, quæ intra mœnia hostium erat, vadimonium in posterum diem facere jussit; continuoque urbe potitus, & tempore & loco, quo prædixerat, sella posita jus eis dixit.* Vadimonia promitti, jus dici tum in castris tum in oppido, nunquid videntur, Sigoni, ad jurisdictionem pertinere? Jam C vero, Sigoni, cum erant Romani in fœderatis aut stipendiariis oppidis, (ut erant permulta illis in locis, in quibus bellum gerebatur, antequam tota regio provincia facta esset) non multas oriri potuisse controversias existimas inter fœderatos aut stipendiarios illos ac cives? itemque inter socios Latini nominis & cives? postremo, inter ipsos cives de castrensi peculio, de legatis a commilitonibus factis, & hujus generis aliis rebus? At, de iis rebus decernere, aut judices dare, quid erat aliud, quam jurisdictio? Si ergo hujus juris dicendi potestatem habuerunt omnes imperatores Romani, necessario efficitur utriusque prætoris Romani, urbani inter cives, D peregrini inter peregrinos & cives, potestatem jurisdictionis penes omnes Romanos imperatores fuisse: tantum abest, ut nullam jurisdictionem habuerint. Ac si velit Sigonius nominatim sibi probari, Octavianum ipsum, in quo suæ opinionis firmamentum niti videtur, juridictionem habuisse, cum in Galliam missus est, ita habeto. Verba S. C. erant, ut C. Cæsar esset proprætor eo jure, quo qui optimo: nullus ergo unquam proprætor plus juris habuit, quam C. Cæsar: ex quo efficitur, aut non optimo jure proprætorem fuisse, aut nullam partem imperii prætorii ei defuisse. Quin autem juris dicendi potestas prætorii imperii pars esset, nemo ambigit. E Relinquitur ergo, C. Cæsarem juris etiam dicendi potestatem habuisse.

CAP. XVIII.

Cum imperio ergo appello, cum potestate exercitus habendi bellique gerendi.

IMMO vero ego supra demonstravi, illud *cum imperio esse*, aut *mitti*, significare idem quod *esse*, aut *mitti cum majore quadam coercendi imperandique potestate*: quæ potestas vim, essentiamque magistratus constituit. Ita, ut *imperium dare* idem sit, F quod *ex privato magistratum facere*, ut publicam imperandi potestatem habeat, qui ante non habebat. In hoc vero imperio quin inesset rei militaris potestas in quibusdam magistratibus, non nego: sed non esse hanc significationem verbi *imperii* contendo. Sed quia nemo potuit suis auspiciis bellum gerere, quin magistratus esset, propterea *dari imperium*, aut *cum imperio mitti*, hoc est, fieri magistratum prius oportuit, quam quisquam rei bellicæ potestatem haberet: neque aliud verba Ciceronis significant, cum dicit sine imperio exercitum haberi, bellum geri,

geri, rem militarem administrari non posse. Illud enim *sine imperio* significat, *sine publica rempubl. gerendi auctoritate*, atque adeo *sine magistratu*. Quia enim privatus nemo poterat jure ea facere, quæ C. Cæsar fecerat, idcirco eum faciendum esse magistratum censuit Cicero, ut jam jure liceret, quod ante non licebat. Neque vero alia judicanda est verborum significatio in eo loco, quem citat Sigonius ex oratione de suppliciis in Verrem: *Cum inveniretur nemo, qui in illa loca cum imperio mitteretur*. Verbum enim *imperii* eandem habet eo in loco significationem, quam sexcentis aliis in locis: ut scilicet publicam jubendi, coercendique potestatem significet, quodcunque negotium pro imperio gerendum esset, ipsa vero negotia, quæ pro imperio geri poterant, non constituunt vocabuli *imperii* notionem. Dic, quæso, bona fide, Sigoni, an aliud significat nomen *imperii* hoc loco, quam cum in eadem oratione scribitur: *Non tibi idcirco fasces & secures, & tantam vim imperii?* quid enim est *vis imperii* aliud, quam *vis illius potestatis imperandi*, quæ publice Verri data erat? Item cum scribit: *Cum penes te prætorium imperium ac nomen esset*. Quid *imperium prætorium* aliud sibi vult præter *potestatem imperandi talem, qualis in prætore esset?* Item, cum scribit: *In ea provincia, quam cum imperio obtinebas*, an aliud intelligi potest nomine *imperii* quam *major illa jubendi coercendique potestas, quam Verres habebat in provincia administranda?* proferre tibi innumerabiles prope locos possum, ex omnibus Latinis scriptoribus, in quibus *imperium* hoc semper uno modo sumitur. Retinenda ergo tibi fuit illa cum omni antiquitate *imperii* significatio, non fingenda nova quædam hujus verbi notio; ut negotia, quæ pro imperio gererentur, ipsius imperii significationem constituere diceres.

CAP. XIX.

Adde, quod qui civilem adeptus potestatem erat, quæ magistratum ipsum attingebat, is in urbe manebat: qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi potestatem obtinebat, idque parum civili tutum libertati putabatur, is statim ex urbe egredi, & aut in provinciam, aut ad bellum delatum proficisci, aut ad urbem cum imperio manere jubebatur.

Hic ego subtilitatem Sigonii in explicanda Romana antiquitate multipliciter requiro. Cum enim certum sit, omnes singulorum annorum consules ac prætores civilem potestatem fuisse adeptos, oportuit ex Sigonii decretis, omnes singulorum annorum consules ac prætores in urbe manere. Quod est contra omnem historiæ fidem. Deinde vero ex iis, quibus provinciæ decretæ erant, etiam cum jam eas fortiti essent, nonnullis videmus liberum fuisse in provinciam non ire, ut Ciceroni & Hortensio: nonnullos legimus sua deprecatione fuisse excusatos, ne in provinciam irent, ut apud Livium lib. 1. dec. 5. M. Popilius cum Sardiniam sortitus esset: alios, cum in concione jurassent, se solenni sacrificio prohiberi, ita provincias suas deposuisse, ut apud eundem Livium eodem illo in loco P. Licinius Crassus citeriorem Hispaniam, & M. Cornelius ulteriorem. Et cum, post legem Semproniam, consulibus jam, antequam designati essent, decretæ essent provinciæ; tamen postremis temporibus consules in provincias extremo demum sui consulatus anno proficisci solitos legimus. Quid? quod sæpe peregrinis prætoribus simul cum jurisdictione aliam quandam reip. provinciam mandatam reperimus? Quid? quod consules quosdam legimus, cum provincias sortiti essent, aliis negotiis fuisse impeditos, ne in provinciam irent? Apud Livium lib. 2. dec. 5. L. Posthumius Albinus Conf. Ligures provinciam habet, legiones ei decretæ sunt; & tamen ad recognitionem agri publici missus, consumpta æstate in recognoscendis agris, ne visa quidem provincia, comitiorum caussa Romam rediit: neque ei prorogatum imperium legitur, sed consulibus anni insequentis eadem provincia decreta est. Quid? quod apud eundem Livium lib. 1. dec. 5. de C. Claudio Pulchro consule scribitur, cum jam Histriam sortitus esset, scripsissentque proconsules M. Junius & A. Manlius Histros a se esse devictos, pacem petere obsidesque dedisse: *Hæc*, inquit Livius, *cum Romæ cognita literis proconsulum essent: C. Claudius consul veritus, ne forte ea res provinciam exercitumque sibi adimeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus uno omnium certiore facto collega, nocte profectus, præceps in provinciam abiit*. Si adimi potuit jam decreta alicui provincia atque exercitus, ut hæc verba significant, ob eamque caussam præceps in provinciam abiisse dicatur C. Claudius; idemque paulo post Romam ex provincia rediisse scribatur, ad solennia vota in Capitolio nuncupanda, paludatosque lictores accipiendos: hæc, inquam, omnia nonne argumento sunt, profectionis in provincias tempus in voluntate magistratuum fuisse? non autem eam ob caussam statim in provinciam exire jussos, quod ab iis periculum libertati communi immineret? Nam, si quando aliquos apud Livium reperimus, primo quoque tempore in provincias ire jussos aut ad maturandum, ut in suas provincias pervenirent, monitos: numquam hujus extraordinariæ jussionis aut admonitionis ea redditur caussa, quæ a Sigonio fingitur, quia parum tutum civili libertati putaretur, diutius in urbe manere eum, qui exercitus habendi potestatem haberet, sed quia in ea, quam sortiti erant, provincia aliquid accidisset, cur primo quoque tempore eo, quod acciderat incommodo Rempub. sublevare, magistratus oporteret: alioqui exeundi in provincias tempus fuit magistratibus semper liberum. Quam enim ridiculum sit, quod fingit Sigonius, ad evitandum illud periculum, quod imminebat libertati civili ab iis, quibus erat potestas exercitus habendi, idcirco eos statim ex urbe egredi jussos, vel hinc intelligi potest, quod rempub. Romanam hoc modo facit nunquam metu, qui a suis magistratibus immineret, liberam fuisse: nullus enim annus erat, quo non in provincias aliqui cum imperio mitterentur, aut certe, quin aliquæ magistratibus provinciæ decernerentur. Deinde vero cum data erat potestas habendi exercitus, quem vel in provinciam ex delectu Italiæ duceret, aut in ipsa provincia conscriberet, aut advocatis aliunde auxiliis conficeret, non simul dabatur potestas exercitum intra urbem habendi: sed ea perpetuo lex erat omnibus observanda, qua vetabatur, ne intra urbem exercitum imperare, classemque procinctam intra pomœrium habere liceret: ut hoc omittam, quod cum destinato tantum hoste bellum mandabatur, certis finibus provincia definiebatur, numerus exercitus, omnisque in eum sumptus præfiniebatur. Quid ergo civili libertati ab hoc exercitu, qui in locis longe ab urbe remotis fere semper indicebatur, metuendum erat? Nam si exercitum prope urbem esse periculosum fuit, quomodo jubendo imperatorem urbe exire eo se metu liberabat respublica, cum ut scribit Sigonius, licuit ei imperatori ad urbem cum imperio manere? quasi minus periculi sit ab eo, quem ad urbem cum exercitu esse licebat, quam ab eo, cui si in urbe maneret, non licebat exercitum habere. Postremo, cur tu ab omnibus, qui cum imperio in provincias mittebantur, pariter metuendum fingis? quasi omnibus decerneretur exercitus, qui in provincias cum imperio mittebantur: aut quasi omnibus pro suo arbitrio liceret, quantum vellent, exercitum in Italia scribere.

CAP. XX.

Quod si triumphum impetrasset, tum quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitum autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem militare in urbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio ejus diei ferebatur.

DEUS bone, quid audio? Sigonius antiquitatis Romanæ diligentissimus observator hæc scriptis mandare non erubuit? Triumphare sine exercitu nemo poterat? An quoties in Liviana historia legimus, quosdam triumphasse, qui non deportassent exercitum? quoties diserte scriptum reperimus, sine ullo militum comitatu triumphasse? ut lib. 1. dec. 4. L. Furius prætor de Gallis nullis sequentibus militibus triumphavit. Et libro 4. dec. 4. M. Helvius de Hispania ulteriore, in qua exercitum reliquerat, ovans urbem ingressus est, ejusque successor Q. Minutius de eadem paulo post triumphavit, cum consuli M. Catoni exercitum tradidisset. Item, libro 8. dec. 3. C. Cladius una cum M. Livio collega triumphavit sine militibus, cum ejus exercitus, Annibali ut esset oppositus, in provincia mansisset. Item libro 9. ejusdem decadis L. Manlius proconsul ex Hispania reversus sine exercitu, ovans urbem iniit. Eodemque illo in loco Livius aperte docet, quibusdam licuisse triumphare non deportato exercitu, modo perdomitam pacatamque provinciam successori tradidissent. Ejus hæc verba sunt: *Rerum gestarum magnitudo impetrabilem faciebat triumphum, exemplum obstabat; quod ita comparatum more majorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet: nisi perdomitam pacatamque provinciam tradidisset successori.* Quod vero eos, qui ovantes urbem ingrediebantur, sine exercitu omnes fere reperimus ovasse, satis argumenti est, eam legem, quæ de imperio eorum ferebatur, non eo pertinuisse, quo dicit Sigonius, ut exercitum habere liceret: ferri vero legem de imperio etiam ovantibus docet Livius cum de M. Marcello ita loquitur libro 6. dec. 3. *Tribuni plebis ex auctoritate senatus ad populum tulerunt, ut M. Marcello, quo die urbem ovans iniret, imperium esset.* Dixerat autem paulo ante eum jussum fuisse successori exercitum tradere. Quod si observasset diligentius Sigonius, in omni historia nunquam reperiri legem hanc de imperio, iis fuisse latam, qui sui magistratus anno triumphabant; sed iis modo, qui proconsules aut proprætores essent: hujus legis perferendæ eam caussam esse agnovisset, quam ego supra demonstravi. nempe, ut quos legibus Romanis urbem ingressos oportebat esse privatos, ii, ut ne eo die, quo urbem triumphantes aut ovantes inirent, privati essent; sed magistratum eo die retinerent. Qui enim dictatores, consules aut prætores erant, imperium toto sui magistratus tempore retinebant, tam in urbe, quam extra urbem: ideoque ut eis imperium esset, non erat rogandus populus: sed tantum S. C. opus erat, quo triumphus eis decerneretur; aut, si quando impetrare a senatu non poterant, interdum ad populum confugiebant, non ut de eorum imperio juberet, sed de triumpho tantum. Atque ut posthac credat Sigonius, legem illam de triumphantium imperio ferre, non significare id, quod dicit, de militaris rei gerendæ potestate, locum adducam ex Valerio Maximo, unde id perspicere poterit: locus est in 3. cap. lib. 2. *Moris erat, ab Imperatore triumphum ducturo COSS. invitari ad cœnam: deinde rogari, ut venire supersedeant: ne quis eo die, quo ille triumphaverit, majoris in eodem convivio sit imperii.* Si consules urbanum tantum imperium, ut vult Sigonius, habuerunt, qui vero triumphabat, tantum militare imperium, quid fuit verendum, ne si consules adessent, majus in convivio imperium esse putaretur? neque enim majus imperium in tam diverso genere imperii intelligitur: sed unum genus imperii in utrisque intelligi necesse est, tu verum sit, hunc majoris imperii esse, quam illum. Significat ergo imperium, illam imperandi potestatem, quam quis, quia magistratus esset, habebat; quam potestatem, quia Coss. omnium maximam habebant, ne præsentia consulum vim imperii in triumphante imminuere videretur, idcirco, ne convivio adessent, rogabantur.

CAP. XXI.

Et Cic. pro Sextio: Erat Pompeius ad portas, erat cum imperio. *Recte. Nam Hispanias procos. obtinebat.*

HOC est μνημονικὸν ἁμάρτημα, Sigoni. Nihil tale de Pompeio extat in illa oratione: sed nec esse potuit. Nam Hispanias ex secundo consulatu obtinuit, oratio vero pro Sextio habita est Marcellino & Philippo Coss. anno superiore, quam iterum consul esset Pompeius. Sed hæc quæ significas, de Cæsare scribuntur, qui Gallias provinciam habebat.

CAP. XXII.

Atque eodem etiam pertinere verba Cn. Pompeii ad senatum, a quo missus adversus Sertorium erat, cum a senatu stipendium peteret: Equidem fateor me ad hoc bellum majore studio quam consilio profectum.

PRÆCIPITEM suam in provinciam profectionem accusat illa in epistola Pompeius: quod præ nimia parendi celeritate non providerat de suorum militum stipendio a senatu decernendo: tantum, ut exercitu repente comparato in provinciam primo quoque tempore veniret, maturasse: nec, cum attribueretur sibi ad exercitum retinendum pecunia, expectarat. Itaque locus ille debuit Sigonium admonere, dispensationem ærarii plane in senatus potestate fuisse, ita ut ubicunque sumptus ex ærario faciendus esset, senatus decreto indigerent, qui in hoc genere aliquid obtinere vellent; tametsi imperium a populo obtinuissent, ac lege etiam curiata ornati essent. Neque enim lex curiata quicquam pertinuit ad ærarii dispensationem, sed ad religionem quandam auspiciorum tantum. Itaque hæc mera sunt somnia, quæ scribit Sigonius, eum qui legem curiatam haberet, publico sumptu in provinciam profectum fuisse; qui non haberet, suo: quasi vero de sumptu aut stipendio lege curiata aliquid juberetur, ac non totum id pertineret ad S. C. de ornandis provinciis, de quo tam frequens est mentio apud Latinos scriptores. Sed hæc postea amplius disputabuntur. Nunc satis sit docuisse, ridiculam esse illam conclusionem, quam elicit ex illa Pompeii ad senatum epistola.

CAP. XXIII.

Quod si iidem consules prætoresque in provincias, quas S. C. obtinuerint, proficisci voluerunt, eos necessario nova curiata de imperio lege ornari oportuisse existimat.

EGO vero, Sigoni, nego, me unquam existimasse id, quod dicis; sed iis modo, qui non in magistratu, sed post magistratum erant provincias administraturi, ad transmittendum imperium, aliam quandam legem curiatam fuisse perla-

tam: idque ita mihi probabile videri semper scripsi, non asseveranter affirmavi: cum alterum ego semper affirmaverim, ut ego nunc quoque magis ac magis confirmo: omnibus magistratibus, qui quidem populi essent, ac non plebis tantum, præter justa comitia centuriata aut tributa, legem curiatam fuisse adhibitam propter quandam auspiciorum religionem. De illo altero rationes aliquot attuli, quæ in eam partem ut potius inclinem me adducunt; ego tamen ita semper assensionem sustinui, ut non pertinaciter asseverem, sed tantum mihi probabilius ita videri dixerim, ut in eo me amplius doceri facile passurus sim: maximamque habiturus ei gratiam, qui me ex illa dubitatione ad certam fidem revocaverit: tantum abest, ut mutare sententiam in ea re sim veriturus.

CAP. XXIV.

An omnibus magistratibus in provinciam profecturis lex curiata de imperio necessaria fuerit.

AD illas rationes, quas in prima responsione attuli, nihil addam; tantum, quam evidenter doceant, necessariam fuisse magistratibus, qui rem bellicam gererent, legem curiatam demonstrabo. Cum scribit Cic. consuli, si legem curiatam non habet, rem militarem attingere non licet: Dic mihi, Sigoni, quam vim habet illud *non licere* aliam, nisi ut significet, per jus, per mores, per instituta majorum non posse consulem attingere rem militarem sine lege curiata? Jam vide quid concludam: Consuli non licet rem militarem attingere sine lege curiata. Ergo si quis unquam obtinuit rei bellicæ gerendæ ordinariam potestatem sine lege curiata, id obtinuit quod non licebat. Et si quis unquam voluit absque lege curiata hanc potestatem se habere, voluit quod sibi jure non licebat. Locus etiam T. Livii, qui a me ex concione Camilli citatus est, idem hoc aperte demonstrat. Quomodo enim verum erit comitia curiata rem militarem continere, si jure potuit geri res militaris a magistratibus absque ullis comitiis curiatis? Aut si carere comitiis curiatis in re militari potuerunt Romani, si nullo juris auspiciorum incommodo potuerunt a magistratibus rem bellicam gerentibus omitti: quam vana ac futilis est ratio Camilli, qua ex eo conatur persuadere, non posse salva auspiciorum religione mœnia urbis Romæ relinqui, quia curiata comitia, quæ rem militarem continerent, non possent auspicato alibi haberi, quam ubi assolerent? Neque vero satis mirari possum inconstantiam Sigonii: qui cum paulo ante Salustii locum, ubi dicit, nullius earum rerum consuli jus esse sine populi jussu, ita interpretatus sit, ut dicat præter illud S. C. nobile, nullam fuisse aliam imperii militaris obtinendi rationem, quam per legem curiatam, nunc repente mutata sententia, non fuisse ad illud imperium jure obtinendum necessariam consuli legem curiatam scribat. Age vero, Sigoni, num tibi hæc ajentia & negantia videntur, nulli consuli jus fuit ullam partem rei bellicæ attingere extra urbem sine lege curiata, & alicui jus fuit sine lege curiata bellicum imperium obtinere in provincia? Debuisti ergo, ut tibi constares, sic interpretari verba Salustii: consuli non fuit jus, id est, non fuit commodum, non fuit utile rei privatæ ipsius, propter sumptum, qui ei ex privato faciendus erat, nisi curiatam legem pertulisset. Sic enim hæc posteriora cum prioribus convenissent. Sed illam interpretationem neminem fuisse laturum perspicis. Quapropter necesse est, ut te aut præfracte pertinacem esse fateare, qui contradicentia defendas, aut valde obliviosum, quia quod ante dixeris, paulo post te id dixisse non memineris.

CAP. XXV.

Ego vero dico Appium legem curiatam poposcisse, non tam ut legitimum haberet imperium, quam ut ornatam viatico provinciam obtineret.

SI vera sunt, quæ modo diximus, nulli consuli licuisse, nulli consuli jus fuisse rem militarem attingere sine lege curiata, id quoque verum sit, necesse est; Appio nec licuisse, nec jus fuisse, rem militarem attingere absque lege curiata: ut ergo legitimum imperium obtineret, opus ei fuit lege curiata. Quod si hoc jus fuit: præter jus erat, id quod dictitabat Appius. Itaque quod adversus hoc jus, legis Corneliæ obtentu utebatur, id aut verum hac in re non fuit, quia jus legis Corneliæ non tollebat jus legis curiatæ: aut lege Cornelia dicendum est, abrogatum fuisse jus legis curiatæ, quod falsum esse, vel hinc intelligi potest, quod si per legem Corneliam abrogata fuisset lex curiata, tanto studio non contendisset Appius, ut sibi legem curiatam perferre liceret: nec vera fuissent eo tempore, quo pronunciantur, verba Ciceronis in 2. agraria: *Consuli, si legem curiatam non habet, rem militarem attingere non licet.* Erat enim octodecim ante annis lata lex Cornelia, quam Cicero consul esset. Non debuit ergo Sigonius, ex eo, quod reperitur Appius aliquid novum atque inusitatum contendisse, novum jus facere adversus perpetui juris tenorem; sed potius ita Appii factum interpretari, ut jus perpetuum conservaret, Appium vero accusaret in eo, quo falso obtenderet legem Corneliam ad jus novum sibi constituendum. Quod enim novum jus sibi constituere vellet Appius, ea caussa est, cur de eo videmus quasi de nova quadam re Ciceronem ad amicos scripsisse, Lentulum, fratrem & Atticum.

CAP. XXVI.

Sic enim locutus est etiam in libris de oratore: Tertium genus etiam si opus est, tamen minus est necessarium *: cum de demonstrativo genere loqueretur utili potius civitati, quam necessario.*

HIC ego Grammaticos appello, Sigoni, an illud *opus esse* eam habeat in illo Ciceronis loco significationem quam dicis: num potius eandem, quam ubique apud Latinos scriptores, vim habeat: ut *opus esse* id dicatur, quo in re quaque requiritur ac desideratur, quod convenit, quo indigemus, quo carere non possumus. Verba sunt Antonii in 2. de Oratore, quæ citat Sigonius, quæ ita habent: *Nam illud tertium, quod & a Crasso tactum est, & ut audio, ille ipse Arist. qui hæc maxime illustravit, adjunxit, etiam si opus est, tamen minus est necessarium.* Quid? quod genus laudativum opus esse dicit, utrum significat civitati utile esse? an potius ad perfectionem quidem artis oratoriæ, eo genere carere nos non posse, sed tamen non esse necesse, ut in dividenda artis materia, unum per se genus constituat? idque ita esse, quæ ab eo paulo post dicuntur, cum rationem reddit hujus suæ rejectionis, contra Arist. Crassique sententiam, aperte indicant. In nullum certe ego unquam locum incidi, in quo illud *opus esse*, aliud significet, quam ut id, quod facere res postulat, facere opus esse dicatur: quodque mihi aliter facere non licet, id mihi facere opus esse: omninoque id, quo carere non possum, id mihi opus esse dicitur. Cicero lib. 2. epist. ad famil. ad Curionem scribens: *Dux nobis & auctor opus est:* id est, reliqua omnia cum nobis suppetant, duce & auctore egemus, nec tantum utilem esse ducem & auctorem vult Cicero, sed plane hic requiri, ut carere non possit. Apud Salustium *mature facto opus*

est. Cicer. 2. de Orat. paulo post hunc locum: *Si, ut Græci scripserunt, summi, inquit Catulus, oratoris, si ut nostri, nihil opus est oratore: satis est non esse mendacem*. Cum Diogenem rex Alexander rogabat, ut diceret, si quid sibi opus esset: hoc scilicet rogabat, an aliqua re indigeret.

CAP. XXVII.

Ergo habebo etiam ex lege Cornelia imperium sine lege curiata. Verum non ita commode. Nam meo mihi sumptu sine publico viatico erit proficiscendum. Siquidem alio loco hoc ipsum declarat: cum inquit, Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat.

PRÆTER legem curiatam magistratibus in provincias profecturis, senatusconsulto opus fuit, quod S. C. de ornandis provinciis appellabatur: unde apud Livium libro 3. dec. 4. *Disceptationem inter prætorem legatumque, consulum relatio interrupit: qui suas ornari provincias, priusquam de prætoris exercitu ageretur, æquum censebant*. Hos vero consules, A. Posthumium Albinum, & C. Calpurnium Pisonem paulo ante dixerat, Ligures provinciam habere: idem Livius libro 2. decadis 5. *Ante hunc consulem, nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit. ideo magistratus mulis tabernaculisque, & omni alio instrumento ornabantur*. Hinc etiam illud Suetonii de Cæsare: *ex prætura, ulteriorem sortitus Hispaniam retinentes creditores interventu sponsorum removit. Ac neque more, neque jure, antequam provinciæ ornarentur* (sic enim legendum; non, ut legitur, *ordinarentur*) *profectus est*. In quo Suetonii loco observandum est, Cæsarem, tametsi jam sortitus esset provinciam Hispaniam, ob id tamen dici neque more, neque jure profectum fuisse, quod sine S. C. de ornandis provinciis sit profectus. Apud Ciceronem vero hujus S. C. frequens est mentio. Ut libro 4. ad Att. *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse & suus competitor Domitius cum consulibus fecisset: uti ambo Hs. quadragena consulibus darent si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset: & duos consulares, qui se dicerent in ornandis provinciis consularibus scribendo affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset*. Qui sane locus admonere potuit Sigonium, vehementer Appium laborasse, non modo ut legem curiatam, sed etiam ut S. C. obtineret de ornandis provinciis: quando ob utrumque illud, ad infamem illam pactionem devenerit. Ex quo etiam potuit Sigonius intelligere, verba Ciceronis, quæ ab eo ex alia epistola citantur, *Appius sine lege, suo sumptu, in Ciliciam cogitat*, sic esse accipienda: ut quod dicitur *sine lege*, ad curiatam legem referat; quod vero *suo sumptu*, ad Senatusconsultum de ornandis provinciis. Hujus Senatusconsulti meminit ad finem libri 3. ad Att. Cicero, in tota illa epistola, cujus initium est; *Antea cum ad me scripsissetis, vestro consensu consulares provincias ornatas esse*. In tertia etiam epistola lib. 2. ad Q. Frat. *Interim rejectis legationibus in idus, referebatur de provinciis quæstorum, & de ornandis prætoriis*. In Pisonem: *Provincia exercitu & pecunia instructa & ornata*. Quo etiam pertinet illud, quod apud Livium scriptum est libro 7. dec. 1. de C. Martio Rutilio primo dictatore de plebe dicto: *Id vero patribus indignum videri, etiam dictaturam jam in promiscuo esse: omnique ope impediebant, ne quid dictatori ad id bellum decerneretur, parareturve. Et promptius cuncta, ferente dictatore, populus jussit*. Quia enim ærarii dispensatio erat in senatus potestate, propterea inanem dictaturam Rutilii plebeii ita se existimabat redditurum senatus, si nihil decerneret ad bellum Hetruscum, cujus terrore ut dictator diceretur, decreverat. Quod vero id scribit Rutilium obtinuisse a populo, quod a Senatu non potuerat; id argumento est, extra ordinem id factum esse. Quo magis id verum esse confirmatur, quod dixi, ordinarium id fuisse, ut penes senatum esset omnis dispensatio ærarii: quemadmodum etiam diserte docet Polybius.

CAP. XXVIII.

Atque hanc consuetudinem nescio an Dio quoque attigerit libro 51. cum de provinciarum rectoribus scripsit: Antiquitus qui munus publicum gerendum suscipiebant, ii omnia, quæ ad imperium pertinerent, de suo suppeditabant. Augusto autem imperante, illi certam accipere mercedem cœperunt.

NON te pudet, Sigoni, quæ tu animi caussa finxeris, ea bonis scriptoribus attribuere? an unquam tale aliquid scripsit Dion, quale tu ei affingis? ante Augusti tempora, qui in provincias mittebantur, de suo suppeditasse omnia, quæ ad imperium pertinebant? quo nihil falsius est. Quid enim? pecunia attributa magistratibus in provincias ituris, de qua tam frequens mentio apud scriptores omnes, quo pertinebat? Quid frumentum, quod magistratibus in cellam decernebatur, & hujus frumenti nomine, præstitutum a senatu pretium? Quid? quod paulo ante ex Livio citavi, mulier tabernacula, quæ consulibus decerni ex publico mos erat? Quid? quod Cicero lib. 5. epist. ad famil. scribit ad Mescinium Ruffum, qui suus in Cilicia quæstor fuerat; *Tu de Hs. centum æquo animo ferre debes, & existimare, eo minus ad te vel de tuis cibariis, vel de mea liberalitate pervenisse*. Numquid ille locus aperte indicat, cibariorum nomine magistratibus & eorum comitibus, pecuniam decerni solitam, qua ipsi pro arbitrio uterentur? idem in frumentaria scribit, magistratibus & legatis frumentum in cellam imperari solitum. Dionis locus, quem significat Sigonius, ita habet: *Λαμβανέτωσαν δὲ μισθὸν πάντες οὗτοι οἱ τὰς ἔξω τῆς πόλεως ἀρχὰς ἐπιτρεπόμενοι, πλείω μὲν οἱ μείζους, ἐλάττω δὲ οἱ καταδεέστεροι, μέσον δὲ οἱ μέσοι· οὔτε γὰρ ἀπὸ τῶν οἰκείων οἷόν τε ἐστὶν αὐτοὺς ἐν τῇ ἀλλοτρίᾳ ἀποζῆν, οὔτ᾽ ἀορίστῳ καὶ ἀσταθμήτῳ ἀναλώματι ὥσπερ νῦν χρῆσθαι*. Quæ verba sunt Mecænatis consilium dantis Cæsari Augusto, ne imperium deponat: simulque rationem, qua optime Remp. Romanam administrare posset, præscribentis: quibus verbis Mecænas suadet certam mercedem ex publico magistratibus provincialibus esse assignandam pro sui cujusque imperii ratione: idque ad immensam illam ærarii impensam minuendam, qua ad hunc diem usi erant magistratus, cum pro suo quisque arbitrio in rationibus referendis expensos ærario referret, quoscunque sumptus fecissent: ut enim attributæ omnis pecuniæ magistratibus rationes reddendæ essent; in suos tamen sumptus quamlibet summam in suas rationes referre propemodum liberum erat: Quod vero de rescindendis immensis illis sumptibus consilium daret Mecænas, verba illata satis indicant, *οὔτ᾽ ἀορίστῳ καὶ ἀσταθμήτῳ ἀναλώματι ὥσπερ νῦν χρῆσθαι*: illud enim *ὥσπερ νῦν*, aperte demonstrat, immensa ac nullo modo definita impensa uti solitos fuisse magistratus: tantum abest, ut verum sit, quod scribit Sigonius, de suo omnia suppeditasse, quæ ad suum imperium pertinerent. Hoc ergo novi moris inducere volebat Mecænas, ut singulis magistratibus pro sui imperii modo decerneretur merces, ac velut certum stipendium: quod nunquam ante factum erat. Quod enim ante iis decernebatur, non mercedis stipendiive loco decernebatur, sed de omni, quam attigerant, publica pecunia rationes his reddendæ erant, neque ullum caput rationum erat, quo in magistratus sti-

pendium expensum ferretur quippiam: neque enim merere stipendia ipsos magistratus ad illum diem auditum erat. Hac vero ratione Mecænas singulari prudentia & magistratibus consulebat, ne illis faciendus esset de privato ullus sumptus: & ærario interim providebat, detracto immenso illo sumptu, qui a magistratibus fieri solitus erat. Hæc sunt longe diversa a tuis commentis, Sigoni: quæ tamen Dionis germanum sensum aperiunt.

CAP. XXIX.

At Cicero, inquit Gruchius, paulo post subjicit: Sunt qui putent, te non posse decedere, quia sine lege curiata tibi succedatur. *Ex quo declaratur, legem curiatam non utilitatis gratia necessariam fuisse, sed juris.*

NON est in his verbis argumenti mei vis, quæ a Sigonio recitantur: sed in iis, quæ ab eo omissa sunt, cum scribit Cicero continuo post hæc verba: *Mihi non tam de jure certum est (quanquam ne id quidem valde dubium) quam illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentissime frui solere, pertinere; te sine ulla mora provinciam successori concedere.* His verbis dico Ciceronem aperte indicare, si jus modo quærendum esset, id non dubii juris fuisse, quin posset Lentulus, si vellet, manere in provincia, aut ei aliquem præficere, quia sine lege curiata ei succederetur ab Appio. Unde efficitur, ad legitimum obtinendum imperium legem curiatam pertinuisse, ac non utilem modo rei privatæ ipsius magistratus fuisse.

CAP. XXX.

Quid? Nonne Appius consul quoque jus novit? At hic & in sermonibus, & in senatu dixit, consuli legem curiatam ferre opus esse, necesse non esse.

CERTE, Appius noverat jus, ob idque omni ratione contendebat, ut legem curiatam ferre posset. At sæpe præter jus nobis cognitum aliquid novi juris inducere contendimus. Appius ille, qui Cæcus est appellatus, nesciebat scilicet lege Æmilia octodecim mensibus censoriæ potestatis tempus finitum fuisse. Attamen quod ille novi juris inducebat, ex lege duodecim tabularum defendebat, qua lege cautum erat, ut quod postremum populus jussisset, id jus ratumque esset. Quod vero a populo censor creatus esset, id populum jussisse multo post legem Æmiliam perlatam: ideoque se illa lege Æmilia teneri non posse. Idem tibi judicandum fuit, Sigoni, de hoc Appio consule, quod de illo Appio censore. Cum enim uterque nosset, quid juris ordinarii esset, per calumniam & vitiosam alterius juris interpretationem, novum sibi jus facere volebant.

CAP. XXXI.

Proconsules, & proprætores alii in provincias ad jus dicendum, & bellum, si res tulisset, gerendum missi sunt, qui magistratus fuerunt. Ut Cn. Pompeius procos. in Asiam, M. Cicero in Ciliciam. Alii vero ad bellum tantum: & hi magistratus non fuerunt, sed cum imperio fuisse dicti sunt.

HÆC omnia satis superque sunt a me refutata. Unum hoc non potui hoc loco præterire, quod scribit, Cn. Pompeium proconsulem in Asiam missum, ad jus dicendum simul & ad bellum gerendum. Quis enim historicus scripsit legem Maniliam de alia re fuisse, quam de bello Mithridatico Pompeio demandando: sed ita ut etiam in alienis provinciis imperium haberet? Quasi vero in provinciis, quæ tum pacatæ erant, & a Mithridate non occupatæ, non essent alii proconsules, qui ibi jus dicerent eodem tempore, quo bellum Mithridaticum gerebat Pompeius: ut Glabrio in Bithynia, & Martius Rex in Cilicia. Illud vero cui persuadebis, Sigoni, magistratum fuisse Pompeium per L. Maniliam; non fuisse magistratum, quando lege Gabinia adversus piratas missus est? lege enim Gabinia ad bellum, non ad jus in provincia aliqua dicendum mittebatur. Et Q. Metellus, qui consul ad bellum Creticum missus est, non erat magistratus scilicet, quia provinciam, ubi jus diceret, non obtinebat.

CAP. XXXII.

Neque Svetonius scripsisset in Tiberio: Nemine cum imperio, aut magistratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret.

HIC Svetonii locus parum te juvat, Sigoni: omnes enim, qui in provincias ibant cum imperio, magistratus etiam fuerunt; sed non contra, qui cum magistratu in provincias ibant, omnes cum imperio fuisse, verum est: cujus generis erant quæstores, qui cum magistratu in provinciis erant; at cum imperio, id est, cum majore illa coercendi potestate, non fuerunt. Vult ergo Svetonius non modo eos, qui cum imperio in provincias ibant, Rhodum divertisse ad visendum Tiberium, sed etiam eos, qui cum magistratu, in quo imperium non esset.

CAP. XXXIII.

Nec Livius iterum lib. 42. Locustarum tantæ nubes a mari vento repente in Apuliam illatæ sunt, ut examinibus suis agros late operirent: ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius prætor designatus, cum imperio missus ingenti agmine hominum, ad colligendas eas, coacto, aliquantum temporis absumpsit. *Neque enim illud Sicinii imperium, magistratus imperium dici potest, cum ille magistratum nondum iniisset, sed adhuc designatus prætor esset.*

MISSUM esse Sicinium cum imperio, Sigoni, estne cum belli gerendi potestate missum esse? Dignum certe imperatore, dignum legionibus negotium. Erat scilicet ei cum locustis bellum gerendum grave & periculosum. Magno hic duce opus erat, & armato exercitu: ne scilicet inermes a locustis arroderentur. At, si illud cum imperio mitti, quam vim habet, recte intelligeres, in hæc tam absurda non incideres. Aliud enim nihil significat *mitti cum imperio*, quam *mitti cum quadam jubendi coercendique potestate:* quæ profecto fuit ad hoc negotium necessaria: neque enim illa hominum omnis generis multitudo a privato cogi potuit, ut ad locustas colligendas conveniret: sed hic imperio, hoc est, publica jubendi auctoritate opus fuit: quam auctoritatem publicam imperandi habere, quia idem est, quod magistratum esse, idcirco hunc Sicinium dico, cum huic negotio præfectus est, factum fuisse ex privato magistratum: sed qui certe magistratus nihil ad præturam, quam sequenti anno gessit, jure inter cives & peregrinos dicendo, pertinuit: sed hoc peracto negotio Romam rediit, non ad triumphum, Sigo-

ni, magnus imperator, re bene gesta: sed ad præturam ineundam, ad quam jam ante designatus erat. Ex quibus efficitur, tuam conclusiunculam captiosam esse: *nondum Sicinius magistratum inierat, ergo quod datum est ei imperium, magistratus imperium non fuit*: quasi vero, nisi prætor esset, non potuit esse magistratus: ne extraordinarius quidem, qualis certe fuit hic Sicinii magistratus.

CAP. XXXIV.

At iidem proconsules a Cic. magistratus vocantur. Sit id sane: quod nullo modo esse contendo.

PERMULTOS ego supra locos citavi ex Cicerone, ex quibus verum esse intelliget Sigonius, quod contendit nullo modo esse.

CAP. XXXV.

Est tamen intelligendum, querelam illam senatum ad ea quæ antea factitata essent, non quæ postea fieri cœpta sunt, retulisse. Ante Martium enim, qui a populo imperium acceperant, curiatis comitiis omnes acceperant, consules, prætores, ac dictatores. Nam de privatis ante P. Scipionem vix quenquam invenias.

QUERELA senatus erat, teste Livio, quod Martius proprætorem se scripsisset, cum hunc honoris titulum ab exercitu, a quo non licebat, accepisset, ac non a populo, cujus solius erat imperium dare: itaque subjicit: *Rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solenne auspicatorum comitiorum in castra & provincias procul ab legibus magistratibusque ad militarem temeritatem transferri.* Ex his verbis perspicuum est, iniquam esse querelam senatus, si fieri potuit, ut aliter quis imperator fieret quam comitiis populi. Et quoniam non fuit satis Livio dixisse *comitia*, nisi epitheton *auspicatorum* adderet, ex eo colligitur, auspicatis quibusdam comitiis imperatores creari solenne fuisse. Hoc vero solenne fuisse, quid aliud significat, quam non fuisse fas per religionem, non fuisse ex legibus moribusve Romanis æquum aliter imperatores creari quam auspicatis comitiis? Nam, si vel Martius, vel alius quivis proprætoris imperium obtinere potuit sine auspicatis comitiis, injusta est querela senatus, qui aliquid novi juris in caussa Martii postulet. Quod vero scribit Sigonius, vix quenquam inveniri, qui ex privato imperium obtinuerit ante hunc annum, quo P. Scipio in Hispaniam missus est, id vero est insignis Romanæ historiæ ignorationis. Livius lib. 10. decadis primæ: *Alii duo exercitus haud procul urbe, Hetruriæ oppositi: Unus in Falisco, alter in Vaticano agro. Cneus Fulvius & L. Posthumius Megillus proprætores ambo stativa in iis locis habere jussi.* Et lib. 3. *Proconsulem T. Quinctium subsidio castris cum sociali exercitu mitti*: & lib. 3. dec. 3. T. Octacilius 4. anno secundi belli Punici, postquam ex Sicilia, quam biennio, prætor quidem priore anno, posteriore proprætor obtinuerat, Romam reversus est: ibique duumvir factus ædem Mentis dedicavit; post eam dedicationem rursus scribitur missus in Siciliam cum imperio, ut classi præesset. Ex quo apparet, ex privato eum hoc imperium obtinuisse. T. etiam Manlius Torquatus bis quidem consul censorque fuerat, sed tum certe privatus erat, quando missus est cum imperio in Sardiniam, ad rem gerendam, quoad Mutius, qui prætor illam provinciam obtinebat, convaluisset. Jam ego te rogo, Sigoni, hi omnes nonne ante hunc annum, quo Scipio in Hispaniam est missus, a populo illa imperia obtinuerunt, cum privati essent? At, si tributis tantum comitiis imperium obtinuerunt, verum non fuit, ante Martii proprætoris tempus omnes imperatores auspicatis comitiis fuisse creatos: necesse ergo est, ut aut fuisse auspicata comitia tributa, quibus a populo imperium obtinuisse comperiuntur, dicas; aut fateare, præter tributa, adjuncta etiam fuisse curiata. Nam, privato alicui solis curiatis comitiis tum datum fuisse imperium, ex eo verum non esse convincitur, quod passim in historia legimus, plebiscito & data & prorogata hujusmodi imperia fuisse. Porro autem privatorum duo genera fingere, ut alios dicas privatos esse, qui nullum adhuc magistratum gesserunt, alios qui gesserunt, & ridiculum est, & ad hanc rem nihil pertinet. Quam enim fingere caussam possit Sigonius, cur, cum pariter ad bellum gerendum mitterentur, ac pari imperio utrique, aliis bina comitia adhiberentur tributa & curiata, alii unis tantum comitiis tributis crearentur?

CAP. XXXVI.

Militare vero imperium, id est, sacramento milites adigendi, exercitum habendi, bellumque gerendi jus, in urbe quidem sine summo senatusconsulto, extra urbem sine provincia aut lege curiata nequaquam consequi potuisse.

QUÆ est ista disjunctio, Sigoni, sine provincia aut lege curiata? satisne fuisse existimas, alterum horum consules habere, ut militaris imperii jus obtinerent? Ergo, si provincia consuli decreta esset, ipsa datio provinciæ jus militaris imperii conferebat, etiam absque lege curiata: aut vero si curiatam legem haberet, tametsi nulla ei decreta provincia, tamen militare imperium obtinuit. Vide, quæso, Sigoni, quæ inde consequantur incommoda: primum enim tollitur funditus ex Rep. usus legis curiatæ in consulibus, præsertim post legem Semproniam de consularibus provinciis perlatam: nulli enim post illam legem consules esse potuerunt, quibus non essent suæ decretæ provinciæ, antequam designarentur. Habuerunt ergo imperium militare consules antequam designati essent. Deinde, ut regrediamur ad illa tempora, quæ ante legem Semproniam fuerunt, paucissimos consules reperies, quibus non vel iis designatis, vel statim inito magistratu decernerentur provinciæ: habuerunt ergo a senatu omnes imperium militare, nec populi jussu ullo modo ad id jus obtinendum eis opus fuit: planeque jus imperatorum creandorum in senatus, non in populi aut plebis potestate fuit. Jam vero, si per legem curiatam absque provincia obtinuerunt imperium militare extra urbem, dic, quæso, Sigoni, quorsum illud imperium? aut quo profecturus erit cum imperio, qui nullam provinciam habet? An unquam fando auditum est, magistratum extra urbem bellicum imperium habuisse, nulla ei decreta provincia? An infinitum imperium habuit belli extra urbem quocunque in loco, & adversus quoslibet gerendi? an potius meræ hæ nugæ sunt?

CAP. XXXVII.

Efficeretur, ut imperium ipsum militare non magis curiatæ legi, quam centuriatæ deberent: at curiatæ legi imperium acceptum retulerunt, centuriatæ magistratum.

QUOMODO hæc cum superioribus conveniunt, Sigoni? Paulo ante dixisti, dationem provinciæ jus dare imperii militaris; legem vero curiatam non ad jus imperii pertinuisse, sed ad privatam magistratuum utilitatem; nempe, ut ne suo

sumptu in provincias irent: nunc dicis, magistratus imperium militare legi curiatæ acceptum retulisse.

CAP. XXXVIII.

Ad hæc vero, si consulatus solus, non provinciæ adeptio aut legis curiatæ de imperio latio COSS. ipsos exercitu instruxisset; certe Cæsar & Bibulus tum, cum in consulatu de Republ. dissidebant, non edictis & obnunciationibus consularibus, sed exercitibus & armis inter se contendissent.

HOC argumento nihil levius est, Sigoni, nihil magis futile: neque enim qui potestatem rei militaris in provincia habuit, erat legibus solutus, ut intra pomœrium posset instructum exercitum habere. Quod enim Cæsar fecisse legitur, ut armis obnunciantem collegam foro expelleret, id nec jure, nec more fecit: tametsi jam ante a senatu ei decreta esset provincia sylvæ & calles, ut inquit Suetonius: nec dubium est, quin Bibulus, si armis vincere se posse Cæsarem sperasset, per vim repulsurus fuisset vim a Cæsare factam. At cum vi superior esset Cæsar, propterea domi se continuit Bibulus, tantum (id quod jam solum ei restabat) per edicta obnunciabat.

CAP. XXXIX.

Nam, quin provinciales prætores jurisdictionem reique militaris potestatem habuerint, verum illam centuriatis comitiis, hanc curiatis acceptam, plane non dubito.

QUID ais, Sigoni? qui non statim ex prætura in provincias ibant, ii non æque erant prætores provinciales atque illi, qui in prætura profecti erant? An non simul & jurisdictionem, & rei bellicæ potestatem pariter atque illi habuerunt? hanc ergo jurisdictionem ut eos centuriatis comitiis obtinuisse? at nos plebiscito illos cum imperio missos apud Historicos legimus. An jus magistratus, quem vel decennio ante gesserant, in iis conservatum est, ut nullo populi jussu opus esset ad obtinendum nunc magistratum? At extraordinaria fuerunt hæc omnia imperia: ut de suo in Cilicia proconsulatu aperte indicat Cicero: ex quo efficitur, legibus solvi oportuisse, qui eos magistratus obtinebant. Atqui legibus solvi nisi a populo nemo poterat, & vetere jure, & jure a C. Cornelio tribuno plebis relato: non potuerunt ergo sine populi jussu hi magistratum jure obtinere. Sed quoniam contra jus vetus interdum senatus absque populi jussu legitur quosdam legibus solvisse, multo magis consentaneum erat Sigonium dicere, a senatu eos magistratum accepisse, quam centuriatis comitiis.

CAP. XL.

De militari vero tribunorum militum imperio respondeo.

QUÆ scribit Sigonius de imperio tribunorum militum, vera sunt; sed meam adversus illum objectionem magis impediunt quam dissolvunt. Quod enim de tribunis militum objectum a me fuerat, eo pertinebat, ut docerem, militare imperium in magistratibus non semper rem esse diversam a magistratu, quemadmodum scripserat Sigonius. Siquidem tribuni militum imperium militare haberent, & in eo ipso magistratus eorum totus positus erat. At, non habebant, inquit, imperium ducis, sed ministri, qui ducis mandato obtem-

A peraret. Hoc est imperii vim majorem in uno esse docere, quam in altero, Sigoni, non autem rationem reddere, cur, cum uterque magistratus esset, qui imperium habere diceretur, in uno tamen esset in ipso magistratu insitum imperium, in altero non esset; quæ erat mea quæstio: verum ne tibi hoc relinquatur effugium, quid de duumviris navalibus dicturus sis, cogita. Hi enim imperium militare habuerunt, quod ad rem militarem pertinebat, (inquit Livius eodem illo in loco, ubi tribunis militum tribuit imperium) neque vero illorum fuit ministri imperium, sed ducis. In his ergo quomodo militare B imperium a magistratu sejunges? Quomodo hic unis comitiis magistratum dari, aliis comitiis imperium excogitabis? Hos enim & belli gerendi jus habuisse, & bellum suis auspiciis gessisse Livius tum alibi docet, tum vero apertissime statim initio libr. 1. dec. 5. & libr. 10. dec. 4. cum ita scribit: *Duumviri navales creati Cn. Matienus & C. Lucretius, navesque iis ornatæ sunt: Matienoque, cujus ad Gallicum sinum provincia erat, imperatum, ut classem in Ligurum oram duceret.* Et paulo post: *Et a Matieno duumviro naves ejus generis in Ligustica ora triginta duæ captæ sunt.*

C

CAP. XLI.

Hoc loco ex eo scire cupio, primum, quomodo aliquis possit esse imperator exercitus, qui non præsit exercitui.

QUI castris, aut provinciæ præficiebantur a magistratu, hi exercitui præerant, cujus tamen imperatores dici proprie non poterant: quia penes eos, quorum auspiciis rem gerebant, imperium esset. Propterea ego non satis esse putaveram dixisse, *exercitui præesse*, nisi adjunxissem, *cujus* D *quis esset imperator*: ne scilicet quispiam cogitaret de iis, qui demandato imperio exercitui præerant, sed ad eos referret, qui suo ductu suisque auspiciis bellum gererent. At Sigonius ita mea verba invertit, quasi ego dixissem, aliquem potuisse esse imperatorem, qui non præsit exercitui. Quid, quæso, aliud est calumniari, si hoc non est?

CAP. XLII.

Lubricus sane locus: sed non deest quid respondeam: primum audi, quæso, quid scribat Tacitus libro 4. E Erat in iisdem regionibus Curtius Lupus, cui provincia, vetere ex more, calles evenerat. Is disposita classiariorum copia, cœptantem tum maxime conjurationem disjecit. *Num vero hic caruisse dici potest imperio, quamvis calles sortitus esset, qui classiarios conscripsit conjurationemque compressit?*

HIC toto, ut ajunt, cœlo errat Sigonius. Taciti locus totus ita habet: *Eadem æstate mota per Italiam servilis belli semina fors oppressit. Auctor tumultus T. Curtisius, quondam prætoriæ cohortis miles, primo cœtibus clandestinis apud Brundisium,* F *& circumjecta oppida; mox positis propalam libellis, ad libertatem vocabat agrestia per longinquos saltus & ferocia servitia: cum velut munere deum tres biremes adpulere ad usus commeantium illo mari. Et erat iisdem regionibus Curtius Lupus quæstor, cui provincia, vetere ex more, calles evenerat. Is disposita classiariorum copia, cœptantem tum maxime conjurationem disjecit. Missusque a Cæsare propere Staius tribunus, cum valida manu ducem ipsum & proximos audaciæ in urbem traxit.* Primum igitur in citando illo Taciti loco, cur aut negligenter, aut potius malitiose omisit Sigonius verbum illud, *Quæstor*? Hic Curtius Lupus quæ-

stor

ſtor erat, Sigoni: & quam hic provinciam habebat, quæſtoria tantum provincia erat. Quid? habueruntne quæſtores militare imperium? & quanquam ille claſſiariis ex illis tribus biremibus forte oblatis uſus eſt ad opprimendam ſervilem conjurationem, ex eone, quod extra ordinem, ac non jure ſui imperii fecit, æquum eſt colligere, eum cum imperio, hoc eſt, cum poteſtate belli gerendi, fuiſſe? poſt occiſum a Parthis M. Craſſum ejus quæſtor C. Caſſius reliquum ex clade exercitum collegit, poſteaque rem bene geſſit adverſus Parthos: quid? tune ex eo quæſtorem Caſſium imperium militare habuiſſe colliges? Sed quoniam illum locum a paucis intellectum eſſe video, non pigebit meam de eo ſententiam hic proferre. Ex ſaltibus & callibus id vectigal a Romanis colligebatur, quod ſcripturæ nomine continebatur. Erant autem hujuſmodi ſaltus & calles publicorum paſcuorum, in Apulia & extremis illis Italiæ regionibus frequentes, ut & per ſe notum eſt, & docet Livius libro 9. decad. 4. cum ita ſcribit: *Magnus motus ſervilis eo anno in Apulia fuit: Tarentum provinciam L. Poſthumus prætor habebat: is de paſtorum conjuratione, qui vias latrociniis paſcuaque publica infeſta habuerant, quæſtionem ſevere exercuit.* Jam vero nemo neſcit, quæſtorum hoc fuiſſe munus, ut publicas pecunias a vectigalium redemptoribus publicanis acciperent, in ærariumque referrent. Ut ergo legitur, quæſtoria quædam fuiſſe aquaria provincia in Italia, quæ in portoriis redigendis cernebatur: ita ad ſcripturæ vectigal ex illis extremis Italiæ regionibus exigendum, non dubium eſt, quin quæſtor mitti ſolitus ſit, cujus provincia calles diceretur. Calles enim dicebantur loca illa, in quibus erant paſcua publica: ab eo, ut inquit Varro, *quod pecudum callo calcarentur:* quemadmodum etiam admonuit doctiſſimus noſter Turnebus lib. 3. Adverſariorum. Dicit ergo Tacitus, vetere ex more, Curtio quæſtori obtigiſſe provinciam calles, hoc eſt, publicorum in eo tractu ſaltuum adminiſtrandorum munus, ex quibus redigebatur ſcripturæ vectigal, propter pecorum in publicis paſcuis paſtionem.

CAP. XLIII.

Quid Cn. Sicinius adverſus locuſtas cum imperio extra ordinem miſſus eſt? conſules in calles & ſylvas provinciam ordine mittentur ſine imperio.

NON dico, Sigoni, conſules ſine imperio miſſos, cum in provinciam ſylvas & calles mittebantur: imo vero, quia mitti cum imperio una ſignificatione, in omnibus, qui in provincias mittebantur, ſumi oportet, ſi in his non poteſt ſignificare cum exercitu ac belli gerendi poteſtate mitti, ex eo, concludo, nuſquam id ſignificare: ſed mitti cum imperio communi ſignificatione accipi pro eo, quod eſt, mitti cum quadam jubendi coercendique poteſtate, quæ parendi neceſſitatem adferat. Certe, vel hi duo loci, quos adfers, potuerunt te de perverſa tua opinione deducere, ut non exiſtimares, *cum imperio mitti*, ſignificare, *cum exercitus ducendi ac belli gerendi poteſtate mitti*. Nam Sicinius adverſus locuſtas miſſus eſt cum imperio; & tamen, ſi ad eam rem ei exercitum datum cogitas, aut ſi de belli adminiſtratione in eo negotio tibi aliquid in mentem veniat, plane ridiculus ſis. Idemque de conſulibus, quibus provincia decreta erat ſylvæ & calles, haud dubie judicandum eſt. Aut, ſi cui Pontinæ paludes ſiccandæ, provincia data erat. Ut Coſs. M. Cornelio Cethego An. Urb. 593. auctore Floro in epit. 46. Hos enim cum imperio fuiſſe, ut omnes, qui in provincias mittebantur, certum eſt: & tamen, quia hujus generis erat provincia, in qua adminiſtranda nec exercitu, nec belli duce opus eſſet: idcirco illud *cum imperio eſſe*, in his non poteſt ſignificare imperatorem eſſe exercitus. Neque enim imperator ſine exercitu (ut tu ipſe fateris) intelligi poteſt. Tu vero idem ſcribis, imperatoris nomen uſurpaſſe omnem magiſtratum, cui illud, quod fingis, imperium acceſſiſſet. Illa ſane verba Suetonii tibi ponderanda fuerunt, Sigoni, cum illas provincias minimi negotii provincias appellat: neque enim illud minimi negotii intelligi poteſt, in ea provincia, quæ ſine exercitu adminiſtrari non poteſt, ſed in ea, quæ otioſa, omnis laboris ac periculi expers eſſet. At paludati, inquit, hi omnes exibant, id eſt, inſigni imperii militaris ornati. Quid? putaſne omnes, qui paludati in provincias proficiſcebantur, exercitus duces fuiſſe? Hoc vero eſt, quod tibi probandum fuit, ſolos imperatores paludamento fuiſſe ornatos, cum urbe exibant. An nunquam legiſti id, quod Livius ſcribit libro 5. dec. 5. in concione M. Servilii pro triumpho L. Æmilii Pauli? *Conſul proficiſcens prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum, vota in Capitolio nuncupat.* Illo in loco diſerte aſſeverat, lictores etiam horum provincialium magiſtratuum paludatos fuiſſe. Illudque obſervandum eſt, Sigoni, quod utraque hic conjunxit, *in provinciam & ad bellum*, ne omnes fuiſſe belli duces exiſtimares, qui paludati exibant. De paludatis vero lictoribus mentio eſt etiam l. 1. dec. 5. ubi de C. Claudio conſule ita ſcribit: *Claudius COS. veritus, ne forte ea res provinciam exercitumque ſibi adimeret: non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, præceps in provinciam abiit.* Et paulo poſt: *Quod non more majorum ſecundum vota in Capitolio nuncupata, lictoribus paludatis profectus ab urbe eſſet.* Et paulo poſt: *Non ultra triduum moratus Romæ paludatis lictoribus, votiſque in Capitolio nuncupatis in provinciam abit.* Jam vero, ſi hoc fuit paludamentum Latinis, quod Græcis chlamys, ut recte docet ex Plinio & Tacito Lazarus Bayfius: erunt, Sigoni, omnes imperatores, qui chlamydati Roma exibant. Varro certe l. 6. inſignia & ornamenta militaria eſſe dicit: *Ideo ad bellum cum exit imperator, ac lictores mutant veſtem, & ſigna incinuerunt, paludatus dicitur proficiſci: quæ propterea, quod conſpiciuntur, qui ea habent, ac fiunt palam, paludamenta dicta.* Attamen, ſi quis ex eo colligat, omnes fuiſſe imperatores, qui paludamento induti eſſent, perinde errabit, ac ſi omnes magiſtratus eſſe dicat, qui toga prætexta ornati erant, quia legitur toga prætexta magiſtratus ornamentum fuiſſe. Certum enim eſt, multos ſacerdotes toga prætexta uſos, & magiſtros vicorum, ut docet Livius initio lib. 4. dec. 4. qui magiſtratus non fuerunt. Quinetiam Livius l. 1. paludamentum vocat veſtem Curiatii ab Horatio occiſi: *Cognitoque, ſuper humero fratris, paludamento ſponſi.* At nemo imperatores fuiſſe ſcribit aut Horatios aut Curiatios.

CAP. XLIV.

Habuerunt quidam, inquis, poteſtatem exercitus comparandi, ſi opus fuiſſet; exercitui non præfuerunt. Habeo, quod volo. Si habuerunt poteſtatem exercitus conficiendi, ſane militare imperium habuerunt. Si exercitui juſto non præfuerunt, quod eo opus non fuit, legatos tribunoſque militum, & præfectos in uſum rei militaris ſecum duxerunt. At cohorti ſaltem ipſi prætoriæ præfuerunt. Neque enim ſine his prætor aliquis provinciam ullam adminiſtravit.

MULTUM intereſt, Sigoni, utrum dicamus magiſtratus, qui in provincias ibant, in eo ſummo, quod habebant, imperio ſimul habuiſſe inſitam rei militaris poteſtatem: an vero reipſa eos omnes imperatores fuiſſe, propter acceſſionem cujuſ-

dam imperii, quod non modo esset magistratui adventitium, sed quod non posset intelligi sine aliquo exercitu, cujus dux esset. Illud meum est, hoc tuum, Sigoni. Quantum autem intersit, ex eo perspici potest, quod illud ἐν τῇ δυνάμει consistit, ita in ipso imperii aut consulari aut prætorio est insitum: hoc vero ἐν τῇ ἐνεργείᾳ positum est: eoque non semper necesse fuit, ipso actu imperatorem fuisse, qui consulare aut prætorium imperium habuit. Pompeius cum eo anno factus est annonæ præfectus, quo Cicero ab exilio est revocatus, hunc magistratum habuit cum imperio proconsulari, ut ex historia notum est. At, legiones ei decretas esse ad hanc curationem, nemo scripsit. Quid ergo, Pompeium cum imperio proconsulari præfectum annonæ fuisse, fuit aliud, quam ministerium hoc ei datum esse, cum insignibus imperii consularis, sive numerum fascium cum securibus, sive legatorum numerum, cæteraque imperii consularis ornamenta spectes? at, legiones ei decretas fuisse, aut vero in hoc ministerio imperatorem exercitus fuisse, nec verum est, nec a quoquam memoriæ proditum. Quin tamen, si vi armata alicui opus esset in hoc peragendo negotio, exercitum pro jure illius sui imperii parare posset, non dubito. Ergo cum imperio tum fuisse Pompeium recte scribit Cicero in prima ad Lentulun epistola: at, imperatorem exercitus tum fuisse Pompeium, est falsum: non igitur idem fuit *cum imperio esse*, quod *rei bellicæ cum exercitu præfectum esse*. Reliqua Sigonii verba insignem ejus in exquirenda antiquitate negligentiam ostendunt. Primum, quod omnes prætores provinciales dicit tribunos militum, & præfectos, ac legatos, ad usum rei militaris secum duxisse. Deinde, quod cohorti prætoriæ eos præficit, quasi imperarores exercitui. De cohorte prætoria paulo post videro; nunc prius illud exagitemus. Qui in provinciis erant cum imperio, suos habuisse legatos verum est: sed ad usum tantum rei militaris eos habuisse, falsum est. Nam, ut omnino publici ministerii adjutores essent magistratui, decernebantur legati. Ideoque a Cicerone in Vatinium ministri muneris provincialis appellantur. Et in 1. ad Q. Fratrem epistola legatos Q. Fratris ministros sui imperii appellat. Et paulo post de legatis & de quæstore loquens, his verbis eos describit: *Quos tibi comites & adjutores negotiorum publicorum dedit ipsa Respub.* Ac, si prætores quidem cum exercitu missi erant, in hoc quoque negotio legati adjutores fuerunt: at, si in pacatas provincias sine exercitu mitterentur, jurisdictionis administri fuerunt, quatenus ab ipso magistratu demandata erat, ut verba Ciceronis in eadem illa ad Fratrem epist. significant, cum scribit: *Sed tamen parvi refert, abs te ipso jus dici æqualiter & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris*. Ut omittam, quæ a jurisconsultis de officio legati scribuntur, ea satis indicare multo magis horum legatorum munus in jurisdictione positum fuisse, quam in rei bellicæ administratione. Verum, quod de legatis dicit Sigonius, tolerabile est: quia verum fuit, omnes provinciales hujusmodi magistratus suos legatos habuisse: at illud, quod de tribunis militum & præfectis dicit, si de iis quidem præfectis intelligitur, qui aut equitum alis, aut cohortibus auxiliaribus præfecti erant, ac non de iis, qui ex domesticis a prætoribus alicui negotio in provinciali administratione præficiebantur, quique ex cohorte prætoria erant) omnino ferri non potest, Quibus enim datus erat exercitus, eos legimus hos tribunos militum præfectosque habuisse: ut Ciceroni Ciliciæ proconsuli datus erat exercitus duarum legionum, cum equitibus M. M. DC. si Plutarcho credimus. Hujus etiam trib. mil. legitur fuisse Q. Fuffidius, præfectus evocatorum Antonius, præfectus Fabrum Q. Lepta: & ut, qui fuerint, non legeretur, tamen satis sua sponte notum esset,

A illas legiones sine tribunis militum, sive centurionibus, ac cæteris militaribus officiis non fuisse. Itemque illos equites suos præfectos habuisse, qui singulas alas ducerent. At eos, qui in provincias sine exercitu missi erant, tribunos militum duxisse, aut præfectos vel socialis exercitus, vel equitum, non modo ridiculum est, sed etiam ab omni ratione alienum. An nescis, Sigoni, χιλίαρχον fuisse Græcis eum, qui Latinis tribunus militum vocatus est? ex quo intelligitur, minimum mille militibus præfuisse. Ubi ergo sunt mille illi milites; qibus præsit tribunus militum? Quorsum, quæso, alarum præfecti, ubi nullus equitatus? Quorsum præfecti co-
B hortium auxiliarium, ubi nulla auxilia, nullus a sociis scriptus exercitus? Nunquamne observasti ex Romana antiquitate tribunos militum viginti quatuor a populo creari solitos, qui quatuor illis ordinariis legionibus consularibus provinciis destinatis præessent? Quod si aliæ legiones scriberentur, illis a magistratibus ipsis præficiebantur tribuni militum ii, qui Rufuli dicebantur Itaque erant non populi, sed magistratuum beneficia. At certe neutrum genus tribunorum in usu fuit, nisi in legionibus. Ex quo apparet, qui exercitum non haberent magistratus, nullos quoque tribunos militum habuisse. Profecto, in actio-
C nibus in Verrem videmus, cohortis prætoriæ legatorum & quæstorum, qui cum Verre prætore fuerunt, sæpe mentionem fieri: tribunorum militum, aut hujus generis præfectorum, nulla unquam mentio. Cumque Cicero ad Fratrem enumerat muneris provincialis comites, legatos, quæstorem, & cohortem prætoriam appellat; tribunos militum, aut præfectos, nunquam; quos profecto non fuit omissurus, si quos secum in Asiæ administratione habuisset Q. Frater: nec immerito. Erat enim, ut scribit Cicero ad Fratrem, non magna varietas negotiorum in administranda Asia, sed ea tota maxime jurisdictione sustinebatur. Venio jam ad cohortem prætoriam:
D quam a cohorte militari longe diversam fuisse, quod nunquam animadvertisti, valde miror. Non fuit, Sigoni, hæc cohors prætoria ex armatis militibus, qui sacramento adacti cum imperatore ad rem bellicam mitterentur: sed, ut Cicero ad Q. Fratrem scribit, ex domesticis convictoribus & necessariis apparitoribus constabat. Sic enim scribit: *Quos vero aut ex domesticis convictoribus, aut ex necessariis apparitoribus tecum esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent, horum non modo facta, sed etiam dicta omnia præstanda nobis sunt*. In hac erant lictores, scribæ, accensi, medici, aruspices, præ-
E cones, pictores, & hujus generis ministri, qui magistratibus provincialibus apparebant. Cujus rei testis est locupletissimus Cicero, cum in Verrem toties ei objicit, datos ex cohorte sua prætoria judices, lib. 2. *Comites illi tui dilecti, manus erant tuæ, præfecti, scribæ, medici, accensi, aruspices, præcones, manus erant tuæ: quo quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur. Cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ attulit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit*. Et paulo post: *Cum hos sibi quæstus constituisset magnos atque uberes, ex his causis, quas ipse instituerat in consilio,*
F *hoc est, cum sua cohorte, cognoscere*. Et paulo post: *Hæc copia, quam dico, judicum, cohors non Q. Scævolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris*. Et alibi: *Quidquid ab eo peteretur, judicem de sua cohorte daturum*. Cumque in judicio Sopatri Verrem solum cum sua cohorte nequissima relictum dixisset, paulo post subjicit: *Hominem innocentem a Sacerdote absolutum, indicta causa de sententia scribæ, medici, aruspicisque condemnavit*, Et lib. 3. *De cohorte mea rejicies, inquit. Quid? ista cohors quorum hominum est? Volusii aruspicis & Cornelii medici, & horum canum, quos tribunal meum vides lam-*

dici, & horum canum, quos tribunal meum vides lambere. Item: *Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses viri fortissimi judicium se passuros esse dicebant: ingerebat iste Artemidorum medicum, pictorem Tlepolemum, & hujusmodi recuperatores*. Et paulo post: *Hic tu medicum & aruspicem & præconem tuum recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianum judicem habebas, si qua res major esset, Papyrium Potamonem*. Ex his locis nonne vides, Sigoni, hanc cohortem prætoriam non militum fuisse: sed in ea cohorte omnes prætoris ministros & apparitores ita numerari, ut non ad bellum ea uteretur, sed ad cætera pro suo quisque munere, aut arbitrio prætoris, ministeria? Non igitur ex eo, quod magistratus habuerunt cohortem prætoriam, ex suis ministris constantem, debuit Sigonius colligere eos fuisse imperatores. Alioqui omnes fuisse belli duces fatendum esset, qui stipatores corporis habuisse in magistratu leguntur. Sed alia certe multa fuerunt, in quibus potestas rei bellicæ administrandæ in his provincialibus magistratibus agnosci potuit. Veluti in eo, quod de Flacco Asiæ prætore scribit Cicero, eum classem civitatibus Asiæ ex formula fœderis imperasse, & præsidii caussa habuisse. Idemque a cæteris Asiæ prætoribus factitatum docet, præterquam a Q. Fratre, qui Flacco successit. Itemque in eo, quod classem imperatam a Verre in Sicilia scribit, Cleomenemque ei præfectum: quod prætorum Siciliæ hanc fuisse consuetudinem dicit, ut naves civitatibus certusque numerus nautarum militumque imperaretur: quod bellum maritimum prætori Siciliæ fuisse administrandum scribit: quod sub Verris imperio P. Cæsetius quæstor & P. Tadius legatus decem navium classe navigasse, navemque prædonum unam cepisse scribuntur: denique in eo, quod præsidiorum imperandorum, mutandorum, dimittendorum, prout suæ cujusque provinciæ ratio postulabat, penes hos provinciales magistratus potestas erat. Ex his, inquam, omnibus multo melius, quam ex cohorte prætoria doceri potuit, hos provinciales magistratus imperium militare habuisse. Verum de ea re nulla mihi est cum Sigonio controversia, omnes enim pro jure sui magistratus hoc imperium habuisse confirmo: sed de eo tantum, quod una hac brevi argumentatione concludam. Imperatorem & ducem idem omnino significasse notum est. Ducem autem (inquit Livius l. 4. dec. 1.) non novimus, nisi cujus auspicio bellum geritur. Nec dux ergo nec imperator ullus intelligi potuit, ubi nullum bellum gereretur. Atqui in pacatis plane provinciis nullum bellum gerendum fuit, ideoque sine exercitu hujusmodi provinciæ obtineri dicuntur a Livio l. 10. decad. 4. *Quæro, inquit Tib. Sempronius, de te, L. Minuti, cum confectam provinciam nunties, existimesne Celtiberos perpetuo in fide mansuros, ita ut sine exercitu ea provincia obtineri possit?* Qui ergo pacatis omnino provinciis præfuerunt, imperatores ducesve non fuerunt. Attamen, qui talibus provinciis præfuerunt, omnes cum imperio fuisse dicuntur. Non ergo illud, *cum imperio esse*, significat *imperatorem ducemve exercitus esse*, quemadmodum affirmat Sigonius.

CAP. XLV.

Qui vero urbanum magistratum gerentes in alterum annum reficiebantur, iis non prorogatum imperium dici, sed magistratum continuatum, ut sæpius Mario consulatum: & si imperio militari fortasse præditi fuissent, post etiam imperium prorogatum.

EGO supra demonstravi, in eo, qui prætor urbanus fuisset, Livium usurpasse non semel hoc genus loquendi, ut prorogatum ei imperium dicat, cum insequenti anno in provinciam mitteretur: eosque, qui in provincias mittebantur, Romanos fuisse magistratus, communi quidem illa & generali verbi significatione, docui. Sed, quoniam in urbe magistratum hi non habebant, propria autem ac primaria significatione, hi soli magistratus Romani dicerentur: quibus etiam in urbe Roma imperium esset, idcirco factum est, ut diverso loquendi genere uterentur, in urbanis & extramuranis magistratibus, ita ut in iis, qui magistratus in urbe essent, proprie continuari, reficique magistratum dicerent: in aliis, qui, nisi extra urbem, magistratus non essent, prorogari imperium proprie loquerentur. Hæc loquendi genera sic fuerunt Sigonio observanda, non ea, quæ hic scribit, proferenda. Nam, qui prætor in provinciam profectus erat, in qua jus diceret, ei cum prorogabatur imperium, potestas eadem continuabatur quam superiore anno habuerat. At Sigonio potestas juris dicendi magistratus est. Revera ergo magistratus continuabatur: neque secus de consulibus dicendum est, quibus in provincias profectis, in quibus jurisdictionem haberent, si anno proximo sequente eis prorogaretur imperium, certum est, non minorem hoc anno potestatem habuisse, quam superiore. Quod ergo prorogatum eis dicebatur imperium, id non ad militare tantum imperium pertinebat, sed etiam ad jurisdictionis imperium. Et eis ergo re vera magistratum fuisse continuatum Sigonio fatendum est. Cum igitur re non distinguerentur *continuare magistratum, & prorogare imperium*; verbo tamen ac loquendi genere sejuncta sunt: ut in iis modo, quibus imperium postero etiam anno in urbe continuatum esset, continuatus magistratus diceretur: in aliis vero, quibus tantum extra urbem imperium, quod habebant, continuatum esset, prorogatum modo imperium diceretur. Tametsi L. Florus de Tib. Gracchi seditione loquens in tribuno plebis, qui refici voluit, scribat: *Die comitiorum cum prorogari sibi vellet imperium*. Ciceronem profecto & Livium haud ita fuisse locuturos, opinor.

CAP. XLVI.

Si modo imperium cuiquam unquam est prorogatum, qui exercitui omnino nulli præesset.

ETIAMNE ambigis in re apertissima, Sigoni? Q. Fratri nescis prorogatum fuisse imperium, quando triennium Asiæ præfuit? At tota ejus provincia in jurisdictione fuit, teste Cicerone: tantumque abest, ut exercitum habuerit, ut ne classem quidem imperari ab aliis præter solitam ipse imperare voluerit. Cic. ad Q. Fratrem: *Quod si tibi bellum administrandi prorogatum imperium viderem, intelligerem etiam fortunæ potestatem in nos prorogatam. Nunc vero ea pars tibi reip. concessa est, in qua aut nullam, aut perexiguam partem fortuna tenet*. Et quæ sequuntur, plane indicant, nullum exercitum habuisse. Quid? semperne iis, qui pacatam omni ex parte provinciam obtinuissent, successor missus est? Verum, quid ad rem pertinet, quod dicit Sigonius? Ut enim dicamus omnes exercitui præfuisse, quibus prorogatum sit imperium, an propterea prorogatum iis quod dicitur imperium, ad militare tantum pertinuit imperium? an propterea in hoc dicendi genere imperium significabit tantum belli gerendi potestatem? ac non potius omnem, quam habebant in provinciæ administratione, potestatem: cujus sane hoc imperium pars erat? At, si eadem fuit in eo, cui prorogatum dicitur imperium, potestas, quæ priori anno fuerat, (hoc dempto, quod in urbe nullum habebat imperium) nunquid verius est, imperii nomine omnem illam potestatem significari, quam partem tantum? Certe, si quid de ea,

quam habebat, poteſtate poſt annum ſui magiſtratus exactum deperiiſſet, ita ut tantum rei bellicæ poteſtas remaneret, non dubium eſſet, aliud nihil ſignificare *prorogare imperium*, quam *bellicæ rei adminiſtrandæ poteſtatem proferre*. At nihil deperiſſe etiam Sigonius fatetur. Cur ergo ad partem modo ſignificandam verbi *imperii* appellationem in hoc loquendi genere coarctat?

CAP. XLVII.

Nam, qui provinciæ adminiſtrationem, non rei militaris, in provincia obtinuerunt, eos juriſdictionem cum imperio aſſecutos tum, cum provinciam ſenatuſconſulto, vel tributa lege adepti ſunt, confitemur. De illis, qui ad bellum tantum ſine provincia miſſi ſunt, repugnamus.

HIC Sigonius ſe immemorem eſſe indicat eorum, quæ paulo ante ſcripſerat, neminem in provinciam cum imperio miſſum fuiſſe, qui imperium militare non haberet: imo vero, qui non exercitum aliquem haberet. At exercitum ſemper habuiſſe falſum eſſe docui. Poteſtatem rei bellicæ omnes habuiſſe veriſſimum eſt. Quod ergo hic dicit, falſiſſimum eſt. Reliqua, quæ ab eo hic dicuntur de iis, qui ad bellum ſine provincia mitterentur, ſunt a me ſupra refutata: totuſque ille ex 5. Phil. Ciceronis locus abunde excuſſus.

CAP. XLVIII.

Si ergo minores habent auſpicia, profecto habent ex curiatis comitiis: nam tributa, quibus creabantur, inauſpicata ſunt.

HIC locus poſtulat, quoniam Sigonio rationes meæ non ſatisfecerunt, ut amplius id confirmemus: minoribus creandis magiſtratibus adhibendam fuiſſe legem curiatam. Scribit Livius ad finem libri 6. in concione Appii: *Penes quos ſunt auſpicia more majorum? nempe penes patres. Nam plebeius quidem magiſtratus nullus auſpicato creatur: nobis adeo propria ſunt auſpicia, ut non ſolum, quos populus creat, patricios magiſtratus, non aliter quam auſpicato creet, ſed nos quoque ipſi ſine ſuffragio populi auſpicato interregem prodamus, & privatim auſpicia habeamus, quæ iſti ne in magiſtratibus quidem habent.* Plebeios auſpicia non habere oſtendit Appius, ſed ea propria eſſe patriciorum, quia & privatim, & in magiſtratibus auſpicia haberent patricii: plebeii vero nec privatim, nec in magiſtratibus. Quod autem in magiſtratibus auſpicia non haberent plebeii, ex eo id concludit, quod nullus plebeius magiſtratus auſpicato creatur: contra vero patricios habere auſpicia in magiſtratibus, probat, quod omnes patricii magiſtratus auſpicato creantur: hæc vero concluſio ut id, quod vult, efficiat, neceſſe eſt, generale illud pronunciatum verum fuiſſe, nulla in iis magiſtratibus fuiſſe auſpicia, qui auſpicato non crearentur: ideoque quicunque magiſtratus auſpicato non creabantur, eorum nulla fuiſſe auſpicia. Ex quo conſequens eſt, quorumcunque magiſtratuum fuerunt auſpicia, omnes auſpicato creatos. Atqui minorum magiſtratuum (qui quidem populi, ac non plebis tantum magiſtratus eſsent) ſua fuerunt auſpicia, ut aperte demonſtrant verba Meſsalæ, quæ ab A. Gellio recitantur lib. 13. c. 14. Poſtquam enim dixit patriciorum auſpicia in duas dartes eſse diviſa, attribuitque majora auſpicia majoribus magiſtratibus, ſubjungit hæc verba: *Reliquorum magiſtratuum minora ſunt auſpicia, ideo hi minores, illi majores magiſtratus appellantur.* Neceſse igitur eſt, auſpicato creatos fuiſse. Porro illud certum eſt, populi comitiis creatos fuiſſe minores magiſtratus. Si ergo tributa comitia, quibus illi creabantur, non fuiſſe auſpicata demonſtravero, efficitur, aliis quibuſdam comitiis auſpicatis opus fuiſſe: quæ ſi non centuriata fuerunt, ut apertum eſt, relinquitur, ea curiata fuiſſe. Jam vero cum ſcribit Livius, quos populus creat magiſtratus patricios, non aliter, quam auſpicato creari, certum eſt, patriciorum magiſtratuum nomine contineri omnes reliquos magiſtratus, qui tum erant, præter plebis proprios magiſtratus, atque adeo omnes magiſtratus, quos patriciis capere licebat: tametſi ad eos etiam plebeii homines admitterentur. Ex quo efficitur, quatuor illos quæſtores, qui tum quotannis creabantur, auſpicato fuiſſe creatos. Auſpicata igitur iis creandis comitia fuiſſe adhibita, neceſſe eſt: non centuriata, ergo curiata: atque ea vel ſola, ſi nondum tributis creabantur, vel una cum tributis, ſi jam tum in iis mandandis magiſtratibus locum habuiſſe dicamus; ut mihi magis veriſimile ex eo videtur, quod jamdudum frequentari cœperant tributa comitia. Neque enim, quod per legem Publiliam factum eſt in plebeiis magiſtratibus, ut non, ſicut antea, auſpicatis comitiis crearentur, idem hic factum eſſe dici poteſt: nec vero ulla juſta cauſſa adferri, cur poſt hoc tempus deſierint quæſtores auſpicato creari: & quæ tum ſervanda erant huic mandando magiſtratui auſpicia, poſtea uſque eo neglectui habita fuiſſe, ut jam auſpicatis nullis comitiis daretur. Cum ergo certum ſit, poſtea tributis comitiis, quæ auſpicata non erant, datum fuiſſe hunc magiſtratum, neceſſario relinquitur, aut plane in hoc mandando magiſtratu neglecta fuiſſe auſpicia, aut ad retinenda quæ ante adhibita fuerant, auſpicia, retenta etiam fuiſſe curiata comitia. Age vero locum Ciceronis ex 2. de divinatione conſideremus, ubi ſcribit, Romanos non fere uti ſolitos auſpiciis, niſi dum a populo ea accepta haberent. Id enim minime dubium eſt, minores magiſtratus auſpiciis uſos fuiſſe. Ergo ea a populo accepta habuerint, neceſſe eſt. Atqui nemo aliter a populo accipere poterat auſpicia, niſi per comitia, atque ea auſpicata: & quorum patricii (penes quos erant omnia Romana auſpicia) auctores fuerant. Porro autem nulla erant auſpicata comitia, & quorum patricii auctores eſſent, præter centuriata & curiata, ut docet Cicero pro domo ſua, & Livius in eadem illa Appii concione, quam paulo ante citavi: nemo igitur auſpicia a populo accipiebat, niſi per centuriata aut curiata comitia. Si ergo minorum magiſtratuum ſua fuerunt auſpicia, atque adeo ea auſpicia, quæ erant penes patricios, ut paulo ante docui, ex Meſſalæ verbis, quæ a Gellio citantur, neceſſario ſequitur, altero horum comitiorum accepta habuiſſe: non centuriatis, ergo curiatis. Ac nequis de eo dubitet, quod dixi, tributa comitia non fuiſſe auſpicata, Dionyſ. Halicarnaſſeus l. 9. id aperte demonſtrat, cum de Voleronis Publilii lege agit, qua jubebatur, ut pro curiatis comitiis tributa comitia adhiberentur plebeiis magiſtratibus creandis: hoc enim inter hæc comitia docet interfuiſſe, quod tributis comitiis nec S. C. opus eſſet, nec augurum & ſacerdotum interventu, quæ utraque curiatis comitiis erant neceſſaria: atque eam fuiſſe cauſſam docet, cur hi tribuni plebis Volero & Lectorius voluerint, plebeios magiſtratus dari tributis comitiis, non amplius curiatis. Idemque paulo poſt ſcribit, ad ſuam uſque ætatem ita plebeios magiſtratus fuiſſe creatos tributis comitiis, abſque auſpiciis aut ulla religioſæ ceremoniæ obſervatione. Quod idem ex Meſſalæ teſtimonio confirmari poteſt, cum ſcribit, juſtius curiata lege magiſtratum dari minoribus magiſtratibus, quam tributis comitiis. Nam ſi ſuffragiorum rationem ſpectes, nunquam verum fuit, juſtiora fuiſſe comitia curiata, quam tributa; in eoque non dubito quin adſtipulator

mihi futurus sit Sigonius. Restat igitur, ut propter solam auspiciorum rationem hæc illis justiora esse dicantur. Nam, si etiam auspicata fuisse tributa comitia dicamus, omni ex parte fuisse justiora curiatis verum erit. Unde efficietur, nullo modo posse defendi, quod scribit Messala, justius curiata lege magistratum dari, quam tributis comitiis. Illud quidem certe negari non potest, habendis tributis comitiis fuisse observandum illud commune augurum decretum, jam inde ab Romulo receptum, ut testis est Cic. in Vatinium, quo Jove fulgente aut tonante cum populo agi vetabatur. Censebantur enim jam inde a Roma condita omnes cum populo actiones vitiosæ, si fulgur visum, aut tonitru auditum esset. Neque id lege Ælia, quæ multis post Romam conditam seculis lata est, sanciebatur: sed ut omnino pareretur obnunciationi: hoc est, sive re vera de cœlo servatum esset, sive per mendacium ita denunciatum esset, religioni auspiciorum parendum esset. Ac si quando apud Romanos scriptores reperiantur tribuni aut ædiles plebis abdicasse, quod vitio creati fuissent: de hoc contra commune vetusque augurum decretum vitio intelligi debet. Livius ad finem libri 10. ita scribit: *Exacto jam anno novi tribuni plebis magistratum inierant: iisque ipsis, quia vitio creati erant, quinque post dies alii suffecti*. Et lib. 10. dec. 3. P. Ælius Tubero & L. Lectorius, ædiles plebis vitio creati, magistratu se abdicarunt. Fuit enim hoc unum in auspiciorum religione vitium, quod comitiis plebeiorum magistratuum intervenire potuit. Neque tamen ob hoc commune omnium cum populo actionum vitium, quod in iis etiam comitiis locum habuit, existimandum est, plebeiorum magistratuum comitia fuisse auspicata: alioqui falsum esset, quod dicit apud Livium Appius, plebeium nullum magistratum auspicato creari. Jam vero si docuero, ætate Ciceronis quæstores, tametsi tributis comitiis crearentur, lege tamen curiata ornatos fuisse, nihil caussæ erit, cur non idem in cæteris minoribus magistratibus usitatum fuisse credamus. Cicero Philip. 2. de quæstura Antonii ita scribit: *Quæstor es factus. Deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi*. His verbis Cicero Antonii factum reprehendit, quod aliquid præter usitatum morem fecerit: alioqui ineptus esset, qui id vitio verteret Antonio, quod a nullo alio quæstore postulandum esset. Cum ergo usitatum esset, ut quæstoribus S. C. provinciæ decernerentur, deinde ut sortirentur, postremo ut lex aliqua de eorum potestate ferretur; accusatur merito Antonius, qui hæc omnia neglexerit: hæc vero lex non potuit alia esse, quam curiata. Cum legem intelligere hic oporteat, quæ more & instituto majorum quæstoribus ferri soleret, non autem quæ extra ordinem: alioqui existimaretur Cicero falso & inique reprehendere Antonium, in eo quod sine lege ad Cæsarem profectus esset. Porro autem extra ordinem ferri legem quæstoribus nunquam fando auditum, nunquam legendo cognitum est. Quæstores quosdam legimus missos esse pro prætore in provincias, ut eas cum imperio obtinerent: in eoque populi rogatione opus fuisse, verum est: præsertim post legem a C. Cornelio tribuno plebis perlatam. At, ut quis non majorem potestatem, quam quæstoriam obtineret, populum rogatum fuisse, nulla in omni historia extat memoria. Relinquitur ergo, usitatam hanc legem, ob cujus neglectum culpatur illo loco Antonius, fuisse curiatam illam, qua dicis caussa, propter auspiciorum religionem, ornari magistratus solebant. Quoque minus dubitent de ea re cum Sigonio Romanæ antiquitatis studiosi, citabo alium Ciceronis locum, ex quo apertissime convincam, minores magistratus lege curiata ornatos fuisse. Locus est in 2. Agraria, in quo ita scribit Cic. *Nunc, quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa: curiata autem tantum au-*

A *spiciorum caussa remanserunt*. Quod dicit Cic. curiata auspiciorum caussa remansisse, nonne ut in eo, de quo agitur, persistatur, & ut apte hæc posteriora cum prioribus conveniant, necesse est, de magistratuum comitiis intelligi? Quod si rogem Sigonium, cum hic dicit Cic. teneri comitia centuriata & tributa, qua in re teneri ea intelligendum sit? respondebit, opinor, ut hæc cum iis, quæ paulo ante præcedunt, consentanea sint, in magistratuum creatione illa comitia teneri necessario intelligendum esse. Et illud ergo necesse est, cum dicit curiata auspiciorum caussa remansisse, hoc velle Cic. in mandandis magistratibus (quia id est de quo agitur) curiata comitia remansisse. Illud ergo ex hoc Cic. loco fatendum est adumbrata illa per 30. lictores comitia, quæ in locum justorum comitiorum curiatorum successerant, in magistratibus creandis adhuc illa ætate locum habuisse; idque propter auspiciorum religionem. Nam si plane sublata essent curiata in mandandis magistratibus comitia, falsum esset, quod dicit Cicero, saltem auspiciorum caussa remansisse. Et, ut admittam Sigonii de binis comitiis interpretationem, quam adfert ad illa, quæ paulo ante præcedunt, verba, eaque ita legam, quemadmodum ipse legit: *Nam centuriata lex coss. ferebatur, cum curiata certis patriciis magistratibus: tum iterum de iisdem judicabatur*: Nempe, ut velit Cicero, consules binis centuriatis olim fuisse creatos: perspicuum est, saltem in quæstoribus creandis curiata comitia oportuisse remanere. Quid enim illud *tantum auspiciorum caussa remansisse* aliud significat, quam *quibus in magistratibus olim justis populi comitiis usurpabantur, in iisdem illis umbram quandam illorum comitiorum propter auspicia esse retentam?* Atqui te auctore, Sigoni, quæstoribus bina comitia olim data sunt, atque eam tu Ciceronis sententiam in illis verbis esse affirmas: adumbrata igitur illa per triginta lictores comitia, in quæstoribus creandis remansisse fateare necesse est. At, si propter auspiciorum religionem in quæstoribus locum habuerint, an non pari ratione, non modo probabile, sed propemodum necessarium est, cæteris minoribus populi magistratibus mandandis ea adhibita fuisse? Hos locos si attentius considerare voluisset Sigonius, mecum profecto sensisset, Messalæ illa verba: *Minoribus creandis magistratibus, tributis comitiis magistratus, sed justius curiata datur lege*: non aliam habere sententiam, quam quæ a me jamdudum in libris meis de comitiis allata est; ac nuper in eo libello, quo ad ejus reprehensiones respondi, confirmata: neque ad eludenda mea argumenta tam ineptam & parum convenientem, ne dicam ridiculam, interpretationem horum Messalæ verborum induxisset. Sic enim scribit Sigonius: Messalam, non quod suo tempore fieret, sed quod aliquando factitatum esset, nec præsentem suæ ætatis morem, sed vetustum jus ipsum comitiorum spectasse. Ex quibus apparet, Messalæ verbis hunc sensum a Sigonio tribui, minoribus magistratibus, nunc quidem tributis comitiis magistratus datur, sed justius olim curiata lege dabatur, cum curiatis comitiis illi magistratus creabantur. Ego te, Sigoni, hoc primum rogo, quem tu grammaticum eam interpretationem laturum putas, ut verbum præsentis temporis ad præteritum transferatur, & *datur*, quod dixit Messala, tu *dabatur* interpreteris? *datur* lege curiata magistratus, id est, *dabatur*. Deinde, quos tu novi hujus generis interpretandi auctores habeas, ut cum aliquis scriptor uno communi verbo usus est, quod ad duo membra pertineat, ad unum tamen membrum præsens tempus significare dicatur, ad alterum vero præteritum? Messala hic uno verbo (*datur*) usus est: quod communiter ad utrumque id, de quo loquitur, refertur, perinde ac si repetito bis verbo diceret, magistratus tributis comitiis datur, sed justius curiata lege datur:

A ſic tamen tu interpretaris, ut in illo priore membro præſens tempus ſignificet, in poſteriore præteritum. Poſtremo, cui verba Meſſalæ accuratius ſpectanti perſuadere te poſſe exiſtimes, ſi id, quod tu, dicere voluiſſet, eo modo fuiſſe loquuturum, quo loquutus eſt? ac non potius geminato ad duo tempora ſignificanda verbo hoc modo? Minoribus magiſtratibus tributis comitiis magiſtratus datur: ſed juſtius olim curiata lege dabatur: præſertim cum lege curiata magiſtratum dari tot jam (ut tu exiſtimas) ſeculis in uſu eſſe deſiiſſet: & primis tantum illis reip. temporibus uſurpatum. Nunc vero, cum verbum *datur* ad utrumque pertineat, id plane eum ſenſiſ- B ſe dicendum eſt, quod verbis elocutus eſt, minoribus magiſtratibus tributis comitiis magiſtratus datur, ſed juſtius curiata lege datur.

CAP. XLIX.

Et triumviros lege curiata fuiſſe ornatos, nullo loco ſcripſi.

HÆC tua ſunt verba, Sigoni, ex libro 2. de antiquo jure Italiæ cap. 2. ubi tu accuratiſſime de coloniis diſputas: *Creabantur autem comitiis tributis omnibus tribubus advocatis. Quare Rullo vitio vertit Cicero, quod decemviros ſuos per ſeptemde-* C *cim tribus ſorte eductas crearet. Atque his quidem comitiis magiſtratum tantum, id eſt, poteſtatem ac juriſdictionem accipiebant: imperium vero, id eſt, belli gerendi facultatem curiatis. Quod enim imperio ornari ſoliti fuerint, docet Livius, cum ad deducendos in agrum Thurinum colonos, triumviros, quibus in triennium imperium eſſet, creatos prodit. Curiatis autem comitiis eos fuiſſe affectos, cum vetus mandandi imperii conſuetudo, tum Rullus ipſe ſua lege oſtendit, cum decemviros ſuos agrarios per ſeptemdecim tribus creatos curiata lege de imperio lata decoravit. Imperio autem opus fuit, quod ſub vexillo colonos tamquam exercitum deducerent.* D Unde tibi tanta inconſtantia, Sigoni? Quid tibi in mentem venit, cur ſententiam nunc mutares? At ego profecto tibi auctor ſum, de imperio quidem quod dicis, ut ſententiam mutes: de lege curiata, quod ſcribis, in eo ut conſtantiſſime perſtes. Quod enim his agrariis magiſtratibus imperium militare tribuis, in eo falleris: atque in eum te errorem induxit inveterata illa de ſignificatione verbi *imperii* opinio: qua, ubicumque nomen *imperii* occurrit, ſtatim de rei bellicæ poteſtate cogitas: ob idque apud Livium interpretaris, *in triennium obtinere imperium*, id eſt, *belli gerendi facultatem*. At *triennium imperium obtinere* idem valet (quemad- E modum ego ſupra ex eodem Livio docui) quod *triennium magiſtratum obtinere*: fuiſſe autem iis legem curiatam neceſſariam, ipſa tibi auſpiciorum ratio perſuadere debuit. Cum enim (ut etiam recte doces ac probas) in coloniis deducendis omnia fuerint auſpicato peragenda, atque adeo pullariis in hoc negotio haud ſecus adhibitis, quam quomodo in actionibus bellicis ab imperatoribus eos adhibitos legimus: ex eo neceſſario efficitur, hanc auſpicandi primariam, ac maxime ſolennem poteſtatem, a populo fuiſſe accipiendam: quam certe tributis plebis comitiis accipere non potuerunt. Relinquitur ergo, ut curiatis acceperint: ſiquidem hic de centuriatis aliquid F cogitare omnino eſt alienum.

CAP. L.

Aliud: cum Rullus, inquit, ornavit decemviros lege curiata, ornavit eos magiſtratu: ergo curiatæ legis imperium in ipſo incluſum eſt magiſtratu.

HIC rurſum aut non aſſequitur vim argumenti mei Sigonius, aut veteratorie diſſimulat. Meum erat hoc argumentum. Ex nulla re melius intelligi poteſt, quid lege curiata ferretur, quam ex ipſa formula legis curiatæ: omninoque neceſſe eſt, de ea re fuiſſe legem curiatam, quæ ipſa legis perſcriptione contineretur. Atqui legis curiatæ, qua ſuos decemviros ornabat Rullus, ea fuiſſe formula a Cicerone ſcribitur, *ut ii decemviratum haberent, quos plebs deſignaſſet*. Horum autem verborum perſcriptio non de acceſſione imperii militaris ad decemviratum, ſed de ipſo decemviratu, hanc legem fuiſſe indicat. Decemviratus vero totus fuit ipſe magiſtratus; de ipſo ergo toto magiſtratu, non de adventitia acceſſione, fuit lex curiata, quam Rullus ferri volebat. Atqui legis curiatæ, quæ fuit formula in his decemviris, eadem fuit in aliis magiſtratibus, qui lege curiata ornabantur. Quid enim cauſſæ fingi poteſt, cur ejuſdem legis perſcriptio alia atque alia eſſet, ac non, velut præſcriptis verbis, in omnibus eadem permaneret? Relinquitur ergo, ad ipſum magiſtratus totum jus, ſolenni auſpiciorum religione ornandum, legem curiatam potius pertinuiſſe, quam ad aliquod jus, quod extra magiſtratum eſſet obtinendum. Inter hanc rationem, & eam, quam nobis hic proponit Sigonius, multum intereſſe perſpicuum eſt.

CAP. LI.

Hic ego. Cum Rullus ornavit lege curiata decemviros, non ornavit eos magiſtratu, ſed imperio, id eſt, adventitia quadam habendi exercitus poteſtate.

DICAT hoc, quantum volet, Sigonius, certe Cicero aliud dicit: nempe legem curiatam ſic a prætore ferendam fuiſſe ex legis Serviliæ præſcripto, ut ii decemviratum haberent, quos plebs deſignaſſet: ornari ergo decemviros lege curiata, fuit hoc, quod dicit Cicero de iis ferri a prætore, aut primo aut poſtremo: non quod dicit Sigonius, adventitia quadam exercitus habendi poteſtate ornari. Nam, ſi vel ante primam illam deſignationem a plebe, hoc ipſum imperium jam habituros fuiſſe eos docuero, id quoque confecero, non pertinuiſſe legem curiatam, quæ de his poſtea ferre jubebatur, ad dandum hoc imperium, quod adhuc non haberent. Attende ergo, Sigoni. Si legem ſuam pertuliſſet Rullus, jam ante decemviros deſignatos, omnis, quæ lege continebatur, poteſtas horum decemvirorum, juſſu populi conſtituta ac confirmata, lege ſciſcenda fuiſſet. Cum ergo uno aut altero capite legis Serviliæ prætorium imperium cum iis omnibus ornamentis, quæ a Cicerone recitantur, decemviris daretur, neceſſario efficitur, ut decemviri, quicumque deſignati eſſent, ex eo, quod jam ante lex Servilia accepta fuiſſet, omnem haberent poteſtatem, quæ lege continebatur. At prætorium illud imperium, præſertim quod ad extramuranam provinciam pertineret, non fuit ſine rei militaris poteſtate. Jam ergo ante deſignationem decemviri Rulliani populi juſſu militare imperium habuiſſent. Quod vero ex Plutarcho affert Sigonius, pertinet ad docendam immenſam illam poteſtatem extraordinariam, quam ſuis decemviris Rullus dare volebat: in qua poteſtas etiam conſcribendi exercitus, ſi opus eſſet, inerat: in quo plane cum Cicerone congruit, cum eis ſæpe ſummum imperium a Rullo iis datum ſcribit: verumtamen ſi Plutarchi verba ita interpretetur Sigonius, quaſi velit hos decemviros decem exercituum imperatores fuiſſe, hoc profecto erit Plutarcho imponere, & a rei veritate longe lateque aberrare. Neque enim belli duces volebat creare Rullus, ſed agrarios curatores: verum, cum imperii quadam majore vi, quam quæ hujus generis magiſtratibus dari ſolita eſſet: ita ut vi armata in munere ſuo fungendo, ſi qua opus eſſet, uti poſſent: eoque iis prætorii imperii ornamenta concedi volebat.

CAP. LII.

Si copiis, ergo exercitu.

DEUS bone, quid audio! copias illo Ciceronis loco significare exercitum, cum scribit: *Tantis confirmat opibus & copiis, ut invitis eripi nullo modo possit*. An *tantis copiis* significat *tam magnis exercitibus*? hic scilicet immensus Xerxis exercitus nobis intelligendus est, cui nulla vi resisti posset. At ubi legionum in agrariis illis orationibus omnibus unquam fit mentio? Quid? cum ita scribit Cicero pro Cluentio: *Omnis testium copia, quæ futura est, a matre initio est adornanda, a matre nunc omnibus ejus opibus & copiis comparatur*. De exercitu scilicet, quem haberet mater Cluentii, intelligere oportet? cum ad Att. ita scribit: *Moderatori reip. beata civium vita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honesta sit*. Et de senectute. *Tibi propter opes & copias tolerabilis senectus videtur*. Et in officiis: *Id conducit ad facultates rerum atque copias, ad opes, ad potentiam*. His opinor, in locis omnibus Sigonius *copias* interpretabitur *exercitus*. Sane non minus ridiculum est in hoc agrariæ loco ita *copiarum* nomen pro *exercitu* accipere, quam in illis omnibus aliisque innumeris, in quibus *opes* & *copiæ* apud Latinos scriptores conjunguntur. Nisi forte magnos istos exercitus constituit in ducentis illis finitoribus ex equestri ordine, qui in annos singulos dabantur decemviris, ut corporis stipatores, ac potestatis ministri & satellites essent, ut paulo ante in cohorte prætoria belli duces agnoscebat.

CAP. LIII.

Qui enim fieri tandem potest, ut qui comitia centuriata habuerunt, vere imperium militare habuerint; cum neque potestatem belli gerendi, neque exercitus habendi, sed populum in centurias divisum, quasi quendam exercitum convocandi.

CENTURIATORUM comitiorum habendorum potestas sine rei militaris potestate nec esse, nec intelligi potuit. Vexillo enim in arce posito, comitiorum caussa exercitus edici qui potuit sine imperio militari? At Livius lib. 9. dec. 4. in concione Sp. Posthumii Albini cos. omnibus id comitiis centuriatis solemne fuisse docet. Deinde, quod Gellius lib. 15. cap. vigesimo septimo scribit, centuriatis comitiis omnibus exercitum imperari præsidii caussa solitum, nonne aperte indicat, urbanos illos magistratus, quibus jus esset imperandi exercitus, præsidii caussa, non fuisse sine imperio militari? Quod enim præsidii caussa fuisse scribitur, armatorum hominum hunc exercitum fuisse demonstrat. Quid? hujus armati exercitus conscriptio factane est sine delectu? sine sacramenti adactione? denique sine rei militaris potestate? his adde, quod Dion scribit libro trigesimo septimo idem hoc quod Gellius, comitiis centuriatis oportuisse in Janiculo armatorum hominum præsidium collocari, quod illic tantisper esset, dum peracta comitia essent? Spectanda est etiam ratio, quam reddit Gellius ex Lælio Felice, cur centuriata comitia haberi intra pomœrium nefas esset: nempe, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem imperari jus non sit. Rogo te, Sigoni, cujus fuit imperare exercitum, nisi ejus, qui militare imperium haberet? Præterea verba Dionysii, quæ lib. 7. de centuriatis comitiis scribuntur, manifesto indicant, nisi ab eo, qui militare imperium haberet, hæc haberi comitia non potuisse. Verba ejus hæc sunt: Ἐκάλεν μὲν οἱ ὕπατοι τὴν λοχῖτιν ἐκκλησίαν; ἱερὰ πρότερον ἐπιτελέσαντες, ἃ νόμος αὐτοῖς ἐςι ϗ μέχρι τȣ̃ καθ' ἡμᾶς χρόνȣ,
A τινὰ ἐξ αὐτῶν ἔτι γίνεται, συνήει δὲ τὸ πλῆθος εἰς τὸ πρὸς τῆς πόλεως ἄρειον πεδίον ὑπό τε λοχαγοῖς ϗ σημείοις τεταγμένον, ὥσπερ ἐν πολέμῳ: sub centurionibus ac signis, tamquam in bello, convenire centuriatis comitiis populum affirmat. Dic ergo, Sigoni, qui pro jure sui magistratus vocare sub centurionibus & signis populum potuit, militaris imperii expers fuisse dici potest? Postremo, auspiciorum militarium ratio, quæ in his comitiis observabatur, satis argumenti est, ut horum comitiorum habendorum potestatem in quodam militari imperio positam esse, credamus: capiendi tabernaculi auspicium quis non videt proprie militare fuisse? perenne auspicium in amnibus
B transeundis Cicero de divinatione ostendit militare fuisse. At utroque genere auspiciorum usos fuisse magistratus ad habenda comitia facile doceri potest. De auspicio capiendi tabernaculi frequens est apud Ciceronem, & Livium & Valerium Maximum mentio: de peremni auspicio testis est Festus, cum ita scribit: *Peremne auspicatur, qui amnem aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit. Sic magistratus in campum euntes, ut aliquid agerent, Petroniam in Tiberim profluentem auspicato transibant, quod genus auspicii peremne vocabant*. Quoniam ergo his argumentis convincimur, ut negare non possimus,
C eos magistratus, quibus centuriata comitia vocandi jus esset, non potuisse hoc jure uti, quin rem militarem attingerent: militarem autem rem attingere magistratui non licuit sine curiata lege, ut ex Ciceronis ac Livii verbis intelligitur: ex iis profecto necessario concluditur, curiata lege ornatos fuisse omnes magistratus, quibus centuriata comitia habendi jus esset: neque ulla sua cavillatione effugere potest Sigonius, quin ei sit concedenda hæc conclusio.

CAP. LIV.

D *Ut omittam, si vera illa, non adumbrata, species quędam exercitus esset, ne illud quidem imperium in urbe, ut inquit ille, futurum: cum comitia centuriata non in urbe, sed in campo extra pomœrium haberentur.*

HÆ sunt argutiæ, indignæ Sigonio: hoc est, homine & literato & valde erudito. Quid? magistratus comitia centuriata habiturus, in campo Martio accipiebat, ibidemque peractis comitiis deponebat imperium? Quid? delectus & sacramenti adactionum intra pomœrium, in Capitolio, aut in foro, fieri solebat? hæc vero quis negat, propria militaris imperii fuisse? Habito certe in urbe
E delectu sacramentoque dato, locus ad conveniendum exercitui armato extra pomœrium edici debuit: sed in hoc tantum edicendi jure, non etiam in iis, quæ prius facta essent, imperium militare constituere, tam est ab omni ratione alienum, quam si quis imperium militare non agnoscat nisi in hoste vincendo. Ego vero (quæ mea est de tua eruditione opinio) semper hæc a te cavillandi potius studio quodam scripta existimabo, quam quod ita plane sentires. Neque enim inducere animum possum, sedulo ista te serioque scripsisse.

F

CAP. LV.

Quid? an vero censorum imperium verum fuit, cum populum quasi exercitum in campo lustrarunt? multo minus, &c.

NON satisfacit Sigonio mea ratio, quam in perfecta inductione colligenda de censoribus attuli ex lustri condendi ratione. Et tamen, ut non id quod volo, διὰ ἀποδείξεως efficiat, ἐξ ὑποθέσεως tamen necessario concludit.

A Ego enim eo accepto, quod tu de agrariis curatoribus scripsisti, curiata lege ob id ordinandos fuisse hos magistratus, quia sub vexillo colonos deducerent, argumentatus sum, pariter ac multo etiam magis censores curiata lege fuisse ornandos: quandoquidem imperii militaris species multo magis in lustro condendo apparuit, quam in colonorum deductione. Sed quoniam tu mihi videris revocare illud, quod præclaris literarum monumentis consignatum est, in libro abs te edito de antiquo jure Italiæ, jam alia argumenta accipe. Primum, quod Varro de lingua Latina lib. 5. ubi de Inlicio vocando agit, scribit censoribus fuisse jus, in lustro condendo exercitum convocandi, & ad urbem sub vexillo ducendi. Deinde, quod centuriata comitia habendi censoribus jus fuisse ex eo Livii loco possum B demonstrare, ubi lib. 9. dec. 1. ita loquentem inducit P. Sempronium tribunum plebis adversus Appium Claudium censorem: *Urbs eo lustro capta, quo demortuo collega C. Julio, censor L. Papyrius cursor, ne abiret magistratu, M. Cornelium Maluginensem collegam subrogavit.* Neque enim potuit Papyrius censor sibi collegam subrogare, nisi comitiis centuriatis. Quod vero juris habuit pro suo magistratu hic censor, pariter omnes censores habuerunt. Si ergo habendorum comitiorum centuriatorum jus magistratus obtinere non potuit, qui lege curiata ornatus non fuisset, reliquum est, ut concedamus, censores lege curiata ornandos fuisse.

CAP. LVI.

Quas enim protulit auctoritates non magistratibus omnibus, sed tantum dictatoribus, consulibus, prætoribusque, quibus res militaris esset reip. caussa tractanda, & provinciarum rectoribus, necessariam fuisse convincunt: qua de re inter nos convenit.

ROGO te, Sigoni, atque obtestor, ut in eo, quod hic dicis, perstes: quando fateris meas rationes convincere, fuisse necessariam legem curiatam dictatoribus, consulibus ac prætoribus, quibus res militaris committeretur, atque omnibus provinciarum rectoribus. Nam & hoc pariter fateare necesse est, si rectores provinciarum etiam ii fuerunt, qui plane privati in provincias missi interdum leguntur, fuisse etiam iis necessariam legem curiatam, ut P. Scipioni, cum in Hispaniam missus est, & iis, qui successores illi in eandem provinciam missi sunt, L. Lentulo & L. Manlio Acidino, & Cn. Pompeio, cum in Hispaniam adversus Sertorium missus est, & M. Catoni, cum in expeditionem Cypri est missus, & Cn. Pisoni, cum in Africam missus est; quod tu tamen paulo ante negabas: ut etiam Coss. non fuisse necessariam, ex Appii Coss. verbis in epistola ad Lentulum, ostendere conareris.

NICOLAI GRUCHII
AD POSTERIOREM
CAROLI SIGONII
disputationem, refutatio: De binis magistratuum comitiis.



VENIO jam ad disputationis Sigonii priorem partem: quæ C est de usu binorum comitiorum in magistratibus. In qua refutanda eadem ratione usurus sum, qua in superiore: ut ad singulos locos numeris notatos meam refutationem accommodem. Sed priusquam id aggrediar, paucis mihi videtur subjicienda communis ratio, qua doceam meam de binis comitiis sententiam, ex iis, quæ de curiata lege dicta sunt, ac multis argumentis confirmatam, plane stabiliri: Sigonii vero opinionem D funditus everti. Quia enim ex veterum scriptorum Romanorum monumentis docuimus, magistratus, qui centuriatis comitiis aut tributis creati essent, lege præterea curiata fuisse ornatos: in quo bina de singulis magistratibus comitia agnoscuntur: at quod unquam aut binis centuriatis, aut binis curiatis, ulli magistratus creati sint, nulla in omni historia extat memoria: ex eo manifeste apparet, meam sententiam certo antiquitatis testimonio esse obsignatam: Sigonii contra opinionem nullo antiquitatis testimonio nixam, pro mero figmento habendam esse.

CAP. I.

Ab exactis nempe regibus usque ad imperium Cæsaris, per annos prope quingentos, omnes magistratus binis comitiis esse creatos, patricios quidem centuriatis, & curiatis, plebeios vero tributis & curiatis.

QUOD mihi numquam in mentem venit, mihi adscribit hoc loco Sigonius. Ego enim nunquam dixi, jam inde ab exactis regibus, omnes magistratus binis comitiis esse creatos: sed majores magistratus dixi, qui a populo quidem crearentur, jam inde ab exactis regibus lege curiata ita ornatos fuisse, ut postquam centuriatis creati essent, ad confirmandum illis quadam auspiciorum religione magistratum, curiata etiam adhiberentur. Quod vero ad minores attinet, nunquam eos binis creatos comitiis existimavi, nisi postquam cœperunt tributis comitiis creari; idque propter eandem auspiciorum religionem. Postquam enim tribus latius patere cœperunt, quam curiæ, propter municipia Italiæ, colonias ac præfecturas, quæ tribubus adscripta erant, nec curiis continebantur: tum factum est, ut justiora populi comitia haberentur, quæ tribuum suffragio peragerentur, quam quæ curiarum: ideoque ut magis ac magis populi beneficium magistratus esse censerentur, effectum est, ut tributis creari cœperint: sed quoniam inauspicata E erant tributa comitia, ne plane intermissa aut neglecta auspiciorum religio in his magistratibus mandandis videretur, curiarum suffragio, ut post designationem ornarentur, ad speciem veteris moris ac religionis retinendam, constitutum erat. Hæc mea sunt, Sigoni, longe ab iis diversa, quæ tu mihi falso adscribis. Nam, de patriciorum magistratuum pro majoribus, & plebeiorum pro minoribus facta a me usur-

usurpatione, paulo post, ut eam tibi probem, disputabo.

CAP. II.

Primum, quia mirum mihi videtur, &c.

DIC mihi, Sigoni, an non fuit jure vocatis tribubus potestas rescindendi id, quod prærogativa jussisset? Cur ergo tibi mirum non videtur, nullam in rerum gestarum monumentis extare memoriam, ubi centuriatis comitiis reprehensa sit prærogativæ sententia? Quin Cicero pro Muræna scribit, tantam comitiis centuriatis fuisse religionem, ut semper omen prærogativæ valuerit. Certe, si semper valuit omen prærogativæ, nunquam reprehensa est prærogativæ sententia. At, nisi aliquam extare memoriam reprehensæ prærogativæ a jurevocatis Sigonius videat, non credet reprehendendi potestatem jurevocatas habuisse. Quanquam in curiatis comitiis multo justior ratio reddi possit, cur nulla extet memoria reprehensorum priorum comitiorum a curiatis, quam in prærogativa: quia scilicet justa curiarum comitia jamdudum obsoleverant, ac pro his substitutus erat triginta lictorum conventus. At prærogativæ & jurevocatarum suffragium, quadringentorum minimum annorum spatio, observatum est. Desinat ergo mirari Sigonius, in curiata lege id exiguo tempore non accidisse, (quantum nos quidem ex historiæ lectione perspicere possumus) quod tam longo temporis spatio in prærogativa non legitur usuvenisse.

CAP. III.

Deinde, quia si patricii magistratus omnes, ut ille censet, lecti essent centuriatis, & omnes plebeii tributis, &c.

FALLAX & captiosa est Sigonii conclusiuncula ex vocabuli ambiguitate. Patricii enim magistratus pro majoribus a me accipiuntur, idque me posse facere auctoribus gravissimis postea docebo. Sigonius ita argumentatur; quasi patriciorum nomine omnes comprehenderim magistratus, qui patriciis patuerunt: itaque Callipides multum sese movet, sed nihil promovet.

CAP. IV.

Præsertim vero cum patricii magistratus omnium confessione fuerint, qui prius patriciis patuerunt; plebeii vero, qui tantum plebi.

NE omnium confessione sibi persuadeat Sigonius, patricios magistratus eo modo semper sumi, ut omnes complectantur, in quibus patriciis locus fuit, docebo ex Cicerone, patricios magistratus interdum eos modo significare, qui majores magistratus essent. Cum apud Cic. scribitur in orat. pro domo: *Auspiciaque populi Romani, si magistratus patricii creati non sint, intereant necesse est*. Et in 4. ad M. Brutum epistola: *Dum erit unus patricius magistratus, auspicia ad patres redire non possunt*. Illis, inquam, Ciceronis in locis contendo, necessario patricios magistratus pro majoribus tantum magistratibus esse accipiendos: idque ita doceo. Si patriciorum nomine etiam minores illi magistratus, qui hominibus patriciis patuerunt, illis in locis comprehenderentur, quamdiu vel quæstores tantum in rep. fuissent, non potuisset res ad interregnum redire. Atqui ex historiæ observatione ad

A interregnum sæpe res dicitur rediisse, cum majores nulli essent magistratus, tametsi essent quæstores, aliique minores magistratus: patriciorum ergo magistratuum nomen ad majores magistratus tantum pertinuit; cum ita Romani loquebantur, non posse rem ad interregnum redire, quamdiu sit ullus in Rep. patricius magistratus. Livius lib. 3. mortuis Coss. P. Servilio & L. Ebutio scribit, rem ad interregnum rediisse. At tum in rep. quæstores fuisse, ne Sigonius quidem negare audeat.

Erat tum annus ab urbe cond. CCXC. Et lib. 4. Cum annus trecentesimus decimus ageretur, tribuni B militares consulari potestate creati sunt: iique tertio, quam inierant, mense augurum decreto perinde ac vitio creati honore abiere, tumque res ad interregnum rediisse dicitur. Quis tum Romæ quæstores fuisse nescit? at quamdiu unus erat patricius magistratus, ad patres auspicia redire non poterunt. Non fuit ergo quæstura patricius magistratus, ea significatione, qua accipi debet, cum dicitur, non potuisse auspicia ad patres redire, quamdiu ullus esset patricius magistratus: aut cum apud Livium alio loco ejusdem lib. scribitur, Remp. sine patricio magistratu esse, quia sine curuli magistratu esset: qui curulis magistratus nondum eo tempore C nisi in majoribus magistratibus locum habuerat. Et lib. 5. *Consulibus morbo implicitis placuit Senatui, ut Coss. magistratu se abdicarent, itaque per interregnum renovarentur auspicia*. Atqui jam tum quatuor Romæ quæstores fuisse ex iis, quæ Livius lib. 3. scripserat de duplicando quæstorum numero, facile intelligi potest. Hi loci aperte ostendunt, quæstores cæterosque minores magistratus non fuisse impedimento, quo minus res ad interregnum rediret. Ex quo consequens est, cum dicimus, quamdiu sunt in rep. patricii magistratus, non posse rem ad interregnum redire, minores illos magistratus in numero patriciorum magistratuum non posse intelligi. D Unde necessario efficitur, a Latinis scriptoribus patricios magistratus interdum pro majoribus magistratibus acceptos fuisse. Et plebeios ergo, qui illis patriciis opponerentur, pro minoribus omnibus magistratibus interdum sumptos fuisse, perspicuum est.

Quæ ergo a Sigonio mihi objiciuntur de nova antiqui verbi significatione, a me nulla prisca auctoritate fulto usurpata, ejus negligentiam, ne dicam ignorationem coarguunt; meum peccatum nullum reprehendunt. Nam, quæ de homine acutissimo amico suo, qui omnia corrigendæ antiquitatis adjumenta collegit, hic inseruit, ut ad rem nihil plane faciunt; tamen, quoniam Robortellum E hominem litteratissimum significari existimo, a quo ipse non modo acriter, sed sæpe contumeliose est multis in locis reprehensus, hominis bonitatem animique moderationem atque æquitatem libenter agnovi: quo magis spero, erga me longe placabiliorem futurum, a quo ne verbo quidem ullo graviore unquam læsus est: nisi se lædi putat, cum ejus non probatur sententia.

CAP. V.

F *Neque vero illud negligendum esse opinor, si curiata comitia centuriatis attexerentur ita, ut eorum sententiam ac judicium infirmarent, &c.*

QUO tempore curiatis comitiis populus suffragium dicebat, ac non adumbrata illa per triginta lictores comitia pro veris illis comitiis substituta erant, Pop. Romanum universum perinde comprehenderunt curiæ atque classes aut tribus. Unde apparet, non minus populi judicium fuisse, cum curiatim suffragium dixerat, quam si aut centuriatim aut tributim convenisset: ut omit-

tam, quod ne imperium quidem militare dictatores aut conſules a populo obtinuiſſe, iſta Sigonii ratione dici poſſet. Atqui omnes magiſtratus & urbanos & militares, a populo datos fuiſſe, & Dionyſius & Polybius ſcribunt: & omnis teſtatur hiſtoria. Ut ergo hos accepiſſe a populo imperium, cum curiata lege acceperunt, Sigonius fatetur, ita judicium populi hac in re agnoſcere debuit, cum comitiis curiatis de jam deſignato a ſe magiſtratu, velut dicis cauſſa judicabat.

CAP. VI.

Atqui triginta curiæ in palatio, aut certe in urbe, tantum fuerunt: quomodo igitur qui præcedentibus temporibus agrum Romanum? qui municipia?

SIGONIUS recte docuit in tertio cap. primi libri de antiquo jure Romanorum, triplicem fuiſſe curiarum ſignificationem: ut locum, jus, & cœtum curialium ſignificent: cum locus ſignificatur, id verum eſt, quod dicit, triginta curias aut in palatio, aut in urbe tantum fuiſſe. Cum vero civium Romanorum cœtus ſignificatur, falſum eſt, urbis tantum, non etiam agri Romani, habitatores curiis fuiſſe comprehenſos: idque quia antiquitatis obſervator diligentiſſimus Sigonius neſciit, ſic habeto. Dionyſius lib. 4. de Tullii regis deſignatione loquens ſcribit: Προεῖπεν ἡμέραν ἀρχαιρεσιῶν, εἰς ἣν ἐκέλευσε καὶ τοὺς τῶν ἀγρῶν ἅπαντας παρεῖναι, συνελθόντος δὲ τοῦ δήμου κατὰ τὰς φράτρας ἐδίδου κατὰ μίαν τὰς ψήφους. Hicne locus ſatis aperte demonſtrat, eos qui in agro Romano habitabant, curiarum diviſione fuiſſe comprehenſos, & curiatis comitiis ſuffragium dixiſſe? Et cum exacti ſunt reges, undique ex agro Romano conveniſſe docet idem Dionyſius, ferendis illis curiatis legibus, quas Brutus adverſus reges ferebat, ac de tota Reipublicæ conſtitutione. Certe municipia, coloniæ, præfecturæ, quæ poſtea augeſcente civitate cives etiam Romanos complectebantur, ut neque urbem neque agrum Romanum incolebant, ita curiis non comprehendebantur; ſed tribubus tantum, atque claſſibus: eamque ego docui cauſſam fuiſſe, cur procedentibus curiatorum comitiorum uſus ſit prope totus intermiſſus; niſi quod propter auſpiciorum religionem adumbrata quædam illorum ſpecies retenta eſt: præſertim in magiſtratibus mandandis, quos aliis creare juſtis comitiis, centuriatis aut tributis, inſtitutum erat: in aliis vero rebus, quæ urbis aut agri Romani habitatorum jus proprie reſpiciebant, ut in arrogationibus, Curionum Flaminumque inauguratione, ad ultima uſque Reipub. tempora, populi curiatim convocati retenta eſſe ſuffragia exiſtimo.

CAP. VII.

Num vero illud etiam vanum atque inane putabimus, quod ſi ita eſſet, efficeretur, ut quod alii ſciviſſent, alii reprehenderent?

FACILIS eſt ex ſuperioribus reſponſio; quia enim primis illis temporibus omnes cives curiæ comprehenderent, haud ſecus quam claſſium centuriæ, nullus Sigonianæ objectioni locus relinquitur, verum, hoc ſilentio præterire non poſſum: quod mihi egregia Sigonii doctrina indignum plane videtur: cum enim Livius lib. 2. loquens de ea rogatione, quam Volero tribunus plebis promulgaverat, ut non amplius curiatis comitiis plebeii magiſtratus ſed tributis fierent, ita ſcribat: *Haud parva res ſub titulo prima ſpecie minime atroci ferebatur, ſed quæ patriciis omnem poteſtatem per clientum ſuffragia cre-*

A *andi, quos vellent, tribunos, auferret*: ex quibus verbis vim ſuffragiorum penes patricios fuiſſe in curiatis comitiis intelligitur: quomodo adverſus Livii ſententiam in tenuiſſimorum hominum poteſtate hæc comitia fuiſſe deſcribere audeat? profecto, verum eſt, in patriciorum maxime poteſtate hæc comitia fuiſſe, non modo per ſuos clientes, ut ſcribit Livius, ſed etiam ratione auſpiciorum: ſiquidem auctores horum comitiorum patricios eſſe oportuit; teſte eodem Livio & Cic. pro domo.

B

CAP. VIII.

Age vero quam veriſimile illud videtur, qui conſul propter excellentem, &c.

ANDABATARUM more pugnat Sigonius: ſuum ipſe commentum, ac non meum ullum dictum oppugnat. Neque enim ullo unquam loco dixi, nec mihi unquam in mentem venit, adumbrata per triginta lictores comitia liberam habuiſſe ſuffragandi poteſtatem: ut poſſent id quod rogabantur, pro ſuo arbitrio jubere, aut non jubere. Sed, ut tantum dicis cauſſa adhibebantur, ita nul-
C la hic ſuffragiorum libertas eſt agnoſcenda. At, cum adhuc comitia illa inibat populus, ego cum Cicerone affirmo, reprehendendi poteſtatem fuiſſe, ſi populum beneficii ſui pœniteret. Nam, ut ad imperii militaris jus legem curiatam, quæ conſulibus olim ferebatur, tantum pertinuiſſe cum Sigonio dicamus; attamen vel populum libertate ſuffragiorum privatum fuiſſe, contra omnem juris populi cognitionem dicat, oportet, vel potuiſſe rogatione antiquanda ei non dare imperium, qui propter excellentem etiam virtutem cos. creatus, ad illud imperium obtinendum deſtinatus erat. Si ergo in hac ſuffragiorum libertate aliquid fuit incommodi, non
D poteſt effugere Sigonius, quin eadem in incommoda ſit illi incurrendum, quæ mihi objicit.

CAP. IX.

Quæro præterea, ſi curiæ centuriarum decretum tollere, &c.

FACILE hoc argumentum diſſolvet, qui ex falſa hypotheſi natum eſſe conſpiciet. Nam, triginta curiarum lictores centuriarum ſententiam po-
E tuiſſe reprehendere, quaſi a me conceſſum accipit: quod verum non eſt.

CAP. X.

Nam, ſi conſules æque curiatis creabantur atque centuriatis, cur hæc ille jura diſtinxit & ſeparavit?

EX mea reſponſione, quam ad ejus reprehenſiones ſcripſeram, potuit intelligere Sigonius cauſſam, cur hæc jura diſtinxit Camillus, non fuiſſe eam, quam adfert: ſed eam, quæ a me poſi-
F ta eſt: nempe quia latius patebant curiata comitia, quam centuriata: ut quæ dictatoribus creandis neceſſaria eſſent: cum centuriatis nullis comitiis, ſed ſola conſulis dictione deſignati eſſent. Hactenus ergo verum fuit, curiata comitia rem militarem continere, quatenus nullus magiſtratus rem militarem attingere potuit ſine lege curiata: in quo ſumma horum comitiorum neceſſitas in Rep. Romana a Camillo demonſtratur; ſed quod unis comitiis magiſtratum acciperent, aliis imperium, hoc vero nec dixit Camillus, nec de ea re unquam cogitavit Livius.

CAP. XI.

Gruchius enim inquit, Rullum decemviros suos lege curiata ornasse, quia more majorum erat institutum.

HIc se acriter pungere me putat Sigonius, in eoque valde exultat: sed, ut suo gaudio modum faciat, quid ad hæc dicturus sum, attendat. Primum dico communem legis curiatæ caussam, quæ in Ciceronis 2. agraria attingitur, cum eam auspiciorum caussa remansisse scribit, eam ipsam Rullo etiam caussam fuisse, cur suis creandis decemviris adhiberetur: nempe, ut auspicato creati a populo, auspicia ad gerendum suum magistratum necessaria haberent: quod auspiciorum jus ipse, ne si integris quidem tributis comitiis eos creasset, eis, plebis concilio designandis, dare non potuisset. Nam, si auspiciorum religio legis curiatæ retinendæ communis caussa fuit, ut Cicero docet; cui dubium esse potest, Rullo hujus caussæ habendam rationem fuisse? Deinde hoc addo, perperam a Sigonio verba Ciceronis accipi, quasi serio dicta essent, cum per ironiam ab eo dicta esse minimo negotio doceri possit: *Sed videte hominis religionem & diligentiam. vidit & perspexit sine curiata lege decemviros habere potestatem non posse: quoniam per novem tribus essent constituti*. Religionem & diligentiam cum tribuit Rullo, serione, an iocose loquitur? Cum ergo, quæ continuo subjicit, verba, propositam hanc ironiam exponant, cui recte interpretanti dubium esse potest, quin εἰρωνικῶς quoque accipienda sint? inducit ergo Cicero quasi confitentem Rullum, & suam culpam agnoscentem, in eo, quod novem tantum tribus adhibuerat: sed ut id peccatum suum corrigat, eo scilicet curiatam legem induxisse. At Cicero ita eum oppugnat, ut doceat, eum non id, in quo peccaverat, emendare: sed altero vitio vitium cumulasse: quandoquidem ita legem curiatam ferri jubebat, ut tamen alio capite illam ipsam legem curiatam tolleret: cum eodem jure esse, si ferri lex curiata non posset, suos decemviros volebat, ac si lata fuisset. Hic est totius illius loci germanus sensus, Sigoni: vidit & perspexit sine lege curiata decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti: id est, Rullus pro ea, qua præditus est, religione, jam peccasse se agnoscit in eo quod novem tantum tribus adhibuit; verum pro sua diligentia scilicet, id per legem curiatam emendabit: itaque jubet ferri de his legem curiatam, qua resarciat, si quid offenderit in priore designatione. Quod vero per jocum hæc Rullo attribuat Cicero, non autem, quod hic revera sensus esset Rulli, ex eo intelligi potest, quod haud dubie Rullus nullum hic suum peccatum agnoscebat: quandoquidem suos decemviros perinde populi suffragiis creabat, sicuti collegiorum sacerdotes creari solebant: neque revera censebat Rullus suos decemviros primis illis tributis comitiis nullam potestatem accepisse: sed, quam illis acceperant, lege curiata pro more confirmari volebat, siquidem obtinere posset, ut lex ferretur: sin minus obtinere id posset, ut primis eos comitiis creasse satis esset, contendebat: tantum abest, ut nullam potestatem primis illis comitiis eos accepisse agnoscat. Postremo, iniquum esse reprehensorem Sigonium confirmo. Ut enim non sint per εἰρωνείαν dicta hæc, quæ ex Cicerone citat Sigonius, sed reapse hæc fuerit Rullo caussa ferendæ legis curiatæ; an propterea efficitur, eam fuisse solam caussam hujus legis ferendæ? propria hæc fuerit Rullo quædam caussa, cur decemviros lege curiata ornari vellet: quia non per universam plebem eos designasset: ideone nullæ aliæ communes caussæ, cur id ei faciendum esset, potuerunt esse? Quis est in ratione differendi tam rudis, ut non videat, ex eo, quod aliquid caussa sit, non effici, ut id solum caussa sit?

CAP. XII.

Ex quibus, quis est tam hebes, qui non intelligat, &c.

NON sunt hebetes, qui hoc non intelligunt, quod dicis, Sigoni: sed tu nimium acutus, qui id vides, quod nusquam est. Fuit quidem decemvirorum magistratus, ut omnium agrariorum, extraordinarius: multaque suis decemviris ornamenta Rullus tribuebat præter ordinem, id est, extra quam aliis agrariis dari solitum esset, at ex hac parte, qua eos lege curiata ornabat, nihil extra ordinem fecit: ut vel ex eo intelligi potest, quod ei nunquam id objicit Cicero, cum caput legis Serviliæ de lege curiata oppugnat: quo profecto nullum gravius argumentum habere potuit: si id objecisset Cicero, cum toties agrarii magistratus creati Romæ essent, nunquam factum esse, ut lege curiata ornarentur, sicuti novo & inaudito more, suos decemviros ornari volebat Rullus. Neque enim reprehendit Cicero, quod lege curiata eos ornabat, sed quod, cum nullis justis comitiis designati essent, hac lege eos ornabat.

CAP. XIII.

Jam hoc inauditum & plane novo more, ut curiata lege magistratus detur, cui nullis comitiis ante sit datus.

HIC ego omnes dialecticos appello, nunquid semper sit necessaria conclusio in privantibus: qua si vere enuncietur de aliquo privatio, concluditur de illius opposito, habitum oppositum vere enunciari: exempli caussa: Si non parere legibus iniustum est: legibus ergo parere justum: & contra. Si nullis legibus Remp. regere est inauditum, ergo legibus quibusdam Rempub. regere est auditum, & contra. Si non creari in campo Martio magistratus novum est, eos ergo in campo Martio creari vetus est. Si nullis jactis fundamentis ædificare est absonum; jactis ergo fundamentis ædificare consentaneum est. Cum ergo *usitatum* & *inusitatum* contraria sint ex genere privantium, idem hoc concludendi genus hic valere necesse est. Si igitur verum est, *dari magistratum lege curiata ei, qui nullis ante comitiis sit designatus*, esse inusitatum; id quoque verum sit, necesse est, *dari magistratum lege curiata ei, qui justis quibusdam comitiis ante sit designatus*, esse usitatum. Neque vero ex hac tantum privantium consecutione conclusionis meæ necessitas demonstrari potest: sed etiam ex pronunciatorum reciprocatione. Ac primum ex verbis Ciceronis omnes hæ enunciationes veræ sunt: *Moribus Romanis nulli non designato justis quibusdam comitiis lege curiata magistratus datur*. Et: *Cuicunque datur magistratus lege curiata, eum oportet quibusdam justis comitiis ante designatum esse*. Et: *Soli designato justis quibusdam comitiis moribus Romanis datur magistratus lege curiata*. Hæc, inquam, tria effata vera sunt, si verum est, quod scribit Cicero, quod profecto in magistratibus, qui populi suffragio mandabantur, accipiendum est, ne quis de dictatore, magistro equitum, & interrege adversus Ciceronem insurgat, & ut non verum esse doceat, quod scribit, novum & inauditum esse lege curiata alicui magistratum dari, qui nullis ante comitiis datus sit. Cum enim de iis agat magistratibus Cicero, qui beneficio populi mandantur, id erit sophistice ejus verba captare, si in aliud genus magistratuum transeatur, ut in eo mendacii coarguatur. Sit ergo hoc constitutum, in iis quidem magistratibus, qui toti erant populi suffragiis commissi, novum atque inauditum fuisse, ut lege curiata magistratum quis acciperet, qui non ante justis comitiis accepisset. Ex eo ef-

ficitur, tria illa, quæ modo dixi, effata vera eſſe. At ſi verum eſt, *ſoli deſignato juſtis quibuſdam comitiis uſitato more dari magiſtratum lege curiata:* conſequens eſt, ut converſo verborum ordine vera quoque ſit de toto genere affirmatio: *Cuicunque uſitato more datur magiſtratus lege curiata, eum juſtis quibuſdam comitiis deſignatum fuiſſe.* Nam, ſi verum eſt, ſolum hominem ridere, verum quoque eſt, omnem ridentem eſſe hominem; eodemque modo in hujus generis omnibus, ſemper excluſivam ſequitur converſo verborum ordine univerſalis affirmatio: jam vero univerſalis affirmatio in partem reciprocatur: ſi ergo verum eſt, omnem ridentem eſſe hominem: & id quoque verum eſſe oportet, aliquem hominem ridere. Quod ſi nullus homo rideret, aut nihil plane eſſet quod rideret, tres illæ enunciationes veræ non eſſent: *Solus homo ridet, Omnis ridens homo eſt, Aliquis homo ridet.* Quoniam igitur eandem eſſe rationem omnium hujus generis pronunciatorum neceſſe eſt, illud quoque relinquitur, ſi nulli unquam magiſtratus lege curiata datus eſt, aut, ſi verum ſit, nulli juſtis comitiis ante deſignato lege curiata magiſtratum dari: tria illa pronunciata mentiri: *Soli deſignato juſtis comitiis datur magiſtratus lege curiata: Cuicunque datur magiſtratus lege curiata, juſtis comitiis ante fuit deſignatus: Alicui juſtis comitiis ante deſignato datur magiſtratus lege curiata.* Atqui illa tria ſunt Ciceronis. Vera ergo cenſenda. Hæc vero Sigonii ſunt, *nulli juſtis comitiis ante deſignato dari magiſtratum lege curiata:* imo *lege curiata magiſtratum nunquam dari.* Falſa ergo exiſtimanda. Age vero, Sigonii concluſiunculam, quam meæ opponit, quamque propter ſubtilitatem ſubdubitare videtur ne a me perſpici non poſſit, excutiamus, & nos, quæ tandem iſta ſit tanta ſubtilitas, eruamus. *Quis eſt,* inquit, *in diſſerendi ratione tam rudis, qui non ſentiat, ſi inuſitatum ſit, ut magiſtratus lege curiata privato detur, non magis conſequi uſitatum eſſe, uti magiſtratus lege curiata magiſtratui detur, quam uti magiſtratus privato lege curiata non detur?* Hic ſunt quatuor contraria, Sigoni; *uſitatum, inuſitatum, privatus, magiſtratus.* Oportet ergo, ſiquidem ſubtilis tua dialectica cum rudi noſtra eadem eſt, ex hac propoſitione, *Privato magiſtratum dari lege curiata inuſitatum eſt,* hanc neceſſario conſequi, *magiſtratui dari curiata lege magiſtratum uſitatum eſt.* Quoniam autem *magiſtratus eſt non privatus,* hæc infiniti nominis affirmatio ſimul conſequatur neceſſe eſt, *Non privato dari magiſtratum lege curiata uſitatum eſt.* Et rurſum, quoniam ex affirmatione nominis infiniti ſemper negatio ſimplex conſequitur, vera ſit hæc quoque negatio neceſſe eſt, *magiſtratum privato lege curiata non dari uſitatum eſt.* Quæ ſubtili ſua dialectica negat Sigonius inter ſe eſſe conſequentia, ea ſummus rationis diſſerendi magiſter Ariſtoteles eo, quo dixi, modo inter ſe conſequi affirmat. Videndum igitur eſt Sigonio, ne, dum ſubtilis videri vult, futilis appareat.

CAP. XIV.

Poſtea veniat, quæſo, illud quoque in mentem, lege curiata decemviros ornare, non eſſe, magiſtratu afficere; verum aliquot eis ornamenta adjungere. Quod oſtendit ipſe, cum inquit: Videte nunc eos, qui a vobis nihil poteſtatis acceperint, quanto majoribus ornamentis, *& cætera.*

VERBA, quæ proxime apud Ciceronem antecedunt, aperte docent, hanc legem curiatam ad ipſius magiſtratus conſtitutionem pertinuiſſe: *Sint igitur decemviri neque veris comitiis, hoc eſt, populi ſuffragiis, neque illis ad ſpeciem atque ad uſurpationem vetuſtatis per triginta lictores auſpiciorum cauſſa adumbratis conſtituti.* Hæc tranſitio, quæ fit per epilogum eorum, quæ ante diſputaverat, nonne aperte oſtendit, quæ hactenus dixerat, ad conſtitutionem & creationem decemvirorum pertinuiſſe? cum ergo ſubjecit de eorum ornamentis nunc ſe velle dicere, in his verbis, *Videte nunc, quanto majoribus ornamentis afficiat,* in iis ornamentis non contineri legem curiatam neceſſe eſt. Jam enim erat abſoluta omnis de lege curiata diſputatio. Male ergo ex hoc Ciceronis loco Sigonius, non ad magiſtratus creationem, ſed ad extraordinarium ornamentum, legem curiatam pertinuiſſe, colligit. Quid quod magnam prodit ſuam inconſtantiam? Paulo enim ante ex illis Ciceronis verbis, *Vidit ac perſpexit eos poteſtatem habere non poſſe, quoniam per novem tribus eſſent conſtituti,* probare conabatur cauſſam legis curiatæ ferendæ Rullo fuiſſe, ut poteſtatem haberent decemviri, quam per novem tribus habere non potuiſſent: quod erat aliud nihil, quam decemviros ipſos facere, atque adeo eis magiſtratum dare. Nunc, mutata repente ſententia, oſtendere conatur, ad magiſtratus conſtitutionem nihil pertinuiſſe legem curiatam: ſed in adjunctis præter magiſtratum ornamentis eſſe reponendam. At verbo *ornandi* Cicero uſus eſt, cum dixit: *Primum lege curiata decemviros ornat.* Eſto: verum, quid ſignificaret illud *ornare decemviros lege curiata,* ipſe interpretatus eſt; nempe, ut ſignificet, magiſtratum eis dare lege curiata, poteſtatem eis lege curiata confirmare, lege curiata decemviros conſtituere. Quid ergo opus eſt, Sigoni, aliam interpretationem fingere, quando ipſum Ciceronem ſuæ ſententiæ interpretem habes? Sit ergo conſtitutum, priora Rulli comitia ad decemvirorum deſignationem pertinuiſſe, poſteriora, quæ in lege curiata de eis ferenda poſita erant, ad confirmationem ac veluti inaugurationem ſpectaſſe: ita ut tota hæc binorum comitiorum ratio, ipſo Cicerone auctore, in conſtituendis decemviris poſita eſſet: ut etiam verba ejus indicant, cum de utriuſque Rulli comitiis ita loquitur: *Reges conſtituuntur, non decemviri, Quirites, iique ab his initiis fundamentiſque naſcuntur, ut non modo cum gerere cœperint, ſed etiam cum conſtituentur, omne veſtrum jus, poteſtas, libertaſque tollatur.* Reliqua, quæ poſt exagitat, ornamenta magiſtratus ſunt: in quibus reprehendendis, magis magnitudinem ornamentorum, quam ipſa ornamenta vitio vertit. Nam ſumptum agrariis magiſtratibus ex ærario decernere ordinarium erat: ſed immoderati, & prope immenſi ſumptus faciendi poteſtatem dare, ærariumque propemodum totum exhaurire, id vero erat extraordinarium, inuſitatum ac minime ferendum; agros dividere, colonos deducere, proprium erat munus agrariorum magiſtratuum: at permittere, ut omnes, qui ubicunque ſint, agri dividantur, ut quæcunque in loca vellent decemviri, colonos deducere poſſent, id erat plane extra ordinem. Sicut ergo in aliis omnibus provincialibus magiſtratibus lex curiata præter ornamenta erat, ita ut illa lex magis jus populi in magiſtratu dando reſpiceret, ornamenta ad S. C. de ornandis provinciis referrentur: ſic ſane in decemviris Rullianis lex curiata præter ea, quæ proprie magiſtratus ornamenta dicerentur, fuiſſe judicanda eſt. Ex iis perſpicuum eſt, omnia, quæ hic Sigonius adfert de magiſtratu, & ornamento magiſtratus, non modo vana atque inania eſſe, ſed a Ciceronis ſenſu plane aliena.

CAP. XV.

Quod ni ita ſit, falſa hæc propoſitio erit: Inuſitatum eſt uti magiſtratus lege curiata detur, cui nullis ante comitiis ſit datus: quia dictator, magiſter equitum.

PAULO ante dixi, non eſſe veteratorie verba captanda, ſed, pro re ſubjecta, eſſe omnium ſemper ſcriptorum verba intelligenda. Itaque,

quoniam de magistratibus, qui populi beneficia essent, a Cicerone agi manifestum est, in iis verba ejus sunt intelligenda, non ad dictatorem cæterosque magistratus, qui raro admodum in usu tum erant, producenda.

CAP. XVI.

At tributorum, inquis, mentio librariorum culpa in prioribus verbis desideratur.

ANIMI ingenuitatem in Sigonio hic ego requiro. Quod enim me dixi suspicari, id, quasi asseveranter dixerim ita, reprehendit. Quum enim attentius in verba Ciceronis intuens, necessario comperissem, faciendam ei fuisse tributorum comitiorum mentionem in propositione, quandoquidem in assumptione eorum facta mentio inveniretur; caussamque hujus omissionis, quæ locum plane corruptum coargueret, investigarem: meam dixi hanc esse conjecturam, hunc locum, ut multa alia, ab imperito librario fuisse corruptum, quod tributam legem non posse Latine dici existimaret: ideoque ad suum sensum ita invertisse ac perturbasse totum locum, ut legis centuriatæ & curiatæ tantum mentio fieret: tributa lex, quasi barbarum verbum, rejiceretur. Si in locis manifesto vitiatis suam conjecturam, ad eos restituendos, adferre omnibus licet, quid a me, Sigoni, peccatum est, ut in me tam acriter ac vehementer insurgas? At, vel disrumparis licet, ego tamen etiam atque etiam confirmo, quia necesse est, in ratione propositionis, a Cicerone centuriata & tributa comitia pro prioribus comitiis posita esse, curiata vero pro posterioribus, ad docendum, binis comitiis olim populum judicasse de omnibus magistratibus: (hæc enim sola binorum comitiorum, de eodem magistratu habitorum, ratio reperitur apud Romanos in omni historia fuisse.) idcirco Ciceronis locum omnino ita legendum esse, ut a me legitur: *Nam centuriata lex COSS. ferebatur, & cæteris patriciis magistratibus; tributa plebeiis: tum curiata iterum.* Aut vero, si displicet illud *plebeiis* accipi pro *minoribus magistratibus*, legatur: *tributa, aliis.* Aut denique, si patriciorum magistratuum nomine nolimus hic solos intelligi maiores magistratus, ut interdum apud Ciceronem accipi a me demonstratum est: sed omnino eos, in quibus fuit patriciis locus, ad excludendos eos, qui tantum plebi patuerunt: tum vero locum parva mutatione sic restituendum esse existimo: *Nam centuriata lex aut tributa consulibus ferebatur ac cæteris patriciis magistratibus, tum curiata iterum de iisdem judicabatur.* Quæ sane lectio multis fortasse haud temere magis arridebit.

CAP. XVII.

Probe sane, si prima comitia ita, ut putas, acciperentur: verum prima comitia dici possunt ordine & dignitate: tu de ordine intellexisti, ego de dignitate.

CUM scribit Cicero: *Nunc, quia prima illa comitia tenetis centuriata & tributa*, interpretatur Sigonius: *prima illa*, id est, *præcipua & dignitate præstantia, comitia.* In quo argumentum meum eludit, non solvit. Ut enim *primum* interdum id significet, *quod dignitate præstat*, hic tamen non accommodate ita accipitur. Nam, quibus in rebus est locus excellentiæ virtutis, in iis verum est *primum* pro eo, *quod virtute præstat*, interdum accipi. At, in quibus nullus est virtuti locus, *primum* pro eo accipi, *quod dignitate præstat*, est inauditum

A ac plane ridiculum. Ubi enim dignitati nullus est locus, quomodo alterum alteri præstare dignitate potest? at, quæ dignitas, nisi in usu virtutis, intelligi potest? quomodo ergo dignitate excellere alia comitia aliis possunt, si in hac comitiorum ratione nullus sit dignitati locus? Certe, si ordinem Cicero significare noluisset, non dixisset, *prima* illa comitia, sed vel *justa*, vel *vera* comitia, ut semper alibi, dixisset. At, quia de binis agebatur comitiis, quorum alia priora, alia posteriora essent, vocabulo usus est ordinem significante. Devenerat enim Cicero ad disputationem de binis comitiis, sumpta occasione ex binis illis comitiis, quibus decemviros creari volebat
B Rullus: quorum binorum comitiorum priora erant tributa, posteriora curiata. Quia igitur jamdudum receptum erat, ut de omnibus magistratibus patriciis bis populus judicaret, semel centuriatis aut tributis; iterum lege curiata ferenda curiatis: (quemadmodum in superiori disputatione a me demonstratum est) idcirco verius est habita ejus ordinis ratione, quem in propositione designaverat, prima in assumptione appellari comitia: quam novam verbi significationem fingere, qua sequentium cum præcedentibus connexio tollitur. Dixerat enim initio hujus disputationis de lege curiata, fuisse inusitatum, ut curiata lege magistratus daretur, cui nullis ante co-
C mitiis datus esset: ex quo efficiebatur, jamdudum receptum fuisse, ut curiata comitia ad alia priora accessio essent. Quod si, quæ fuerint priora illa, quæ dicit, comitia, Sigonium roges, non poterit alia dare, quam centuriata & tributa. Relinquitur ergo, Ciceroni prima fuisse centuriata & tributa, secunda vero curiata.

CAP. XVIII.

Olim, inquit orator, antequam tributa comitia in-
D *stituerentur, bina erant comitia, centuriata & curiata, &c.*

PERMULTA hic Ciceroni adscribuntur, quæ sunt ab ejus sensu aliena. Primum, quod dicit: *Olim, antequam tributa comitia instituerentur.* Cicero enim dicit, hoc jus jam inde a majoribus acceptum, in creandis magistratibus populi fuisse, ut de omnibus bis sententiam ferret: quod jus tum demum cœpit in omnibus populi magistratibus locum habere, quando minores patricii magistratus tributis comitiis creati sunt. Nam in majoribus patriciis jam inde ab eorum institutione id ob-
E servatum erat, ut de iis bis judicaret populus. Tantum abest, ut illud, *antequam tributa comitia instituerentur*, pro suo agnoscat Cicero. Deinde illud est plane adscriptitium: *Curiata vero nullius prope momenti sint, quippe quæ auspiciorum caussa retenta per triginta lictores ad nonnullas res tantum, non autem amplius ad magistratus, ut ante, adhibeantur.* Verba enim Ciceronis sunt, curiata comitia auspiciorum caussa remansisse, in ipsa scilicet creatione magistratuum (est enim id de quo agitur) Sigonius dicit, ex magistratuum creatione plane sublata esse. At, quis illam ferre interpretationem potest, ut,
F quod Cicero dixit, remansisse, tu interpreteris, nullum jam locum habere, plane in hac re sublata esse? non potuisse propter auspiciorum religionem omnino tolli, sed ob eam ipsam caussam umbram eorum comitiorum esse relictam, hoc est, quod dicit Cicero, ea, duntaxat auspiciorum caussa, remansisse. Quæ ergo Sigonius ex diametro cum his repugnantia loquitur, quomodo ad sensum Ciceronis explicandum esse accommodata credemus?

CAP. XIX.

At inquit, curiatis justius datur: concedo: dico autem Messalam non quod suo tempore fieret, sed quod aliquando.

In superiori, de lege curiata, disputatione satis est a me refutata hæc verborum Messalæ interpretatio, quam dat Sigonius. Unum hoc loco adjiciam, mihi videri, quæ a Sigonio hic dicuntur, contentionis potius studio dicta esse, quam quod revera ita existimet. Ut enim præfinire annum, quo primum patricii minores magistratus cœperunt creari tributis comitiis, non possimus: tempus tamen designare possumus, quo in Repub. Romana jam receptum esset, ut tributis comitiis crearentur. Nam, ex Livii verbis, quæ sunt ad finem lib. 9. ubi de Appii Cæci censura loquens, dicit, Appium humilibus per omnes tribus divisis forum & campum corrupisse, colligi potest, jam tum, cum Appius fuit censor, qui fuit annus urb. 442. tributa comitia multum in usu fuisse. Neque enim forum & campum hac humiliorum per tribus divisione corrupta fuisse intelligere possumus: nisi, quod illa distributione effectum erat, ut comitia, quæ tribuum suffragio fiebant in campo aut foro, in humillimorum potestate essent: quemadmodum indicant etiam verba ejusdem Livii, cum scribit, hunc Appii errorem a Q. Fabio correctum ita fuisse, quia sua ad quatuor tribus urbanas humilium redactione effecerat, ut jam comitia humillimorum in manu non essent. Quod vero idem Livius scribit, Cn. Flavium ædilem curulem factum fuisse a forensi factione, Appii Claudii censura vires nacta; manifesto argumento est, in ædilibus curulibus creandis tributa comitia jam tum usurpari solita. Quod si in ædilibus curulibus id fuit, par aut certe major ratio est, ut in quæstoribus ac tribunis militum idem fuisse factitatum credamus. Cum ergo Sigonius non ignoret, si hoc tempus cum tempore, quo scripsit Messala, conferatur, intercedere plusquam trecentorum annorum spatium: haud verisimile est, eum serio existimare, Messalam ita fuisse locuturum, de re trecentesimo jam anno intermissa & plane sublata, ut diceret, *lege curiata magistratus datur*, id est, *ante annos ter centum dabatur*. Atque ut reapse ita sentiat; nullum tamen, opinor, eum sectatorem prudentem habiturum.

CAP. XX.

Addo præterea aliquot post liberatam Remp. annos, cum jam tributa pro curiatis in civitatem invecta essent, re pristinam consuetudinem esse mutatam, nomine vero retentam. Ex omnibus enim centuriis unam forte duxerunt.

Cum omnia, nullo auctore, in hac sua dicenda sententia, Sigonius profert; tum plurima adfert plane ridicula. Nullus enim illi auctor est in eo, quod dicit, consules binis centuriatis comitiis aliquando esse creatos. Pariterque in eo, quod dicit, binis curiatis patricios minores magistratus aliquando esse creatos. In ridiculis vero, quis non reponat id, quod dicit, tributorum pro curiatis invectionem, caussam attulisse mutandæ pristinæ consuetudinis binorum centuriatorum in mandando consulatu habendorum? Quid quæso commune tributis cum centuriatis? &, cum tributa pro curiatis invecta sunt, quid hoc ad consulum creationem attinuit? Quid par, quid simile habuit minoribus creandis magistratibus pro binis curiatis substituere unica tributa? & prærogativæ sortitionem in centuriatis instituere? Quid porro magis ridendum, quam ex eo, quod Asconius bina quodam modo agnoscit comitia in prærogativa & jurevocatis, colligere bina fuisse integra centuriata, priusquam prærogativa instituta esset? potius enim contra colligendum erat, nullam binorum comitiorum speciem fuisse, antequam sortitio prærogativæ instituta esset.

CAP. XXI.

Cujus locum insignem mirabar admodum a Gruchio, hujus rationis universæ investigatore accuratissimo, cum de prærogativa præciperet in libris de Comitiis, esse præteritum.

Tametsi verba Asconii a me non sunt recitata in libro de comitiis; ego tamen non semel locum hunc indicavi, auctoremque Asconium laudavi, cum de prærogativa & jure vocatis disputarem. Nulla itaque caussa est, cur toties scribat Sigonius, mirari se, quod locus ille sit a me præteritus. Mihi profecto justa admirationis caussa est, quo modo tam male locus ille ab eo intellectus sit. Ut omittam, quod ex variis hujus loci lectionibus, quas in mea responsione indicavi, eam ille probavit, quæ omnium maxime suam illam de binis comitiis sententiam tollit: non modo illa, quam proximo numero dixi, ratione; sed etiam, quia eum sensum verba, ut leguntur, referunt, ut etiam post prærogativæ institutionem, bina integra comitia de iisdem candidatis habita fuisse significent. Quid enim verba hæc, *Mos fuerat bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri*, aliud significant, quam vel semper ita in more fuisse, ut bina haberentur comitia: vel morem fuisse, ut bina omnino comitia, id est, tota atque integra bina comitia fierent? illud enim, *Omnino*, nullum hic locum habet, nisi ut vel totum tempus indicet, vel totam rem, de qua agitur. cum ergo subjicitur: *Quorum tribus prærogativæ:* relativum illud *quorum* necesse est, ut referat *comitiorum*, quæ omnino bina fiebant. Quæ profecto absurda sunt. Unde efficitur, tollendum esse illud (*omnino*) ac legendum, ut a me legitur: *Bina quodam modo de iisdem candidatis comitia fieri.*

CAP. XXII.

Ille a me ne quinquaginta quidem.

Quinquagesimus, post primos consules, annus ex Sigonii fastis est annus ab urbe condita 284. Coss. A. Virginio, T. Numicio. Vult ergo Sigonius, jam ante hunc annum binorum comitiorum usum fuisse sublatum. Certe Publilia lex, ut plebeii magistratus tributis comitiis crearentur, biennio ante perlata erat, T. Quintio & Ap. Claudio Coss. Quare mihi sic videtur Sigonius sentire, eodem tempore desiisse patricios minores magistratus curiatis comitiis fieri, quo plebeii. Atqui, quo anno lex Publilia perlata est, nec ædiles curules erant, nec tribuni militum adhuc populi suffragio creati erant: nec ulli alii ordinarii magistratus minores, qui patriciis paterent, fuisse comperiuntur præter quæstores. Relinquitur ergo, Sigonio auctore, nunquam ædiles curules, tribunosque militum lege curiata fuisse creatos. At, cum a Messala appellantur minores magistratus in iis verbis, *Minoribus magistratibus* tributis comitiis magistratus, *sed justius curiata datur lege:* ædiles tribunosque militum contineri, nemo ambigit: ita ergo, necesse est, interpretetur verba Messalæ Sigon. *Justius curiata datur lege*: id est, justius dabant olim curiata lege iis, qui primis tantum Reip. temporibus curiatis comitiis

creati sunt. At, cui persuadebit Sigonius, primos illos ædiles curules, qui patricii fuerunt, nihilo magis auspicato fuisse creatos, quam plebeios magistratus? præsertim cum auspiciorum illo adhuc tempore religio inviolate sanctissimeque coleretur. Hic ergo necesse est, propter auspiciorum religionem, ut vel sola curiata iis creandis adhibita fuisse dicam, vel (quod mihi magis est verisimile) tributis eos fuisse designatos, sed propter auspicia curiatis comitiis fuisse confirmatos: id quod ego conjicio ex verbis Livii, cum scribit, omnium ejus anni comitiorum patricios auctores fuisse. Certum enim est, centuriatorum tantum & curiatorum patricios auctores fuisse. At comitia, quibus creati sunt a Camillo quintum dictatore ædiles curules primi, fuerunt ex illius anni comitiis. Vel centuriata ergo, vel curiata fuisse oportet. Fuit autem hic annus in fastis Sigonii 387. Ab illo autem, quem designat, quinquagesimo post liberatam Remp. anno, usque ad hunc annum, centeni ac terni anni intercedunt. Ex quo efficitur, post centesimum ac quinquagesimum annum adhuc in usu fuisse curiata comitia creandis minoribus magistratibus: nec posse id defendi, quod scribit Sigonius, ne quinquaginta quidem annis, post liberatam regio dominatu Rempublicam, morem illum fuisse servatum. Cur vero mihi magis verisimile videatur, ædiles illos non solis curiatis fuisse creatos, sed etiam tributis, hæc caussa est. Illo tempore jam erant viginti septem tribus Romanæ, in quibus magnus civium numerus continebatur, curiarum divisione non comprehensus. Nisi igitur totum civium numerum in patriciorum magistratuum minorum creatione suffragandi potestate privatum fuisse dicamus, necesse est, ut altero genere eorum comitiorum, quæ omnes cives Romanos complectebantur, illos magistratus datos fuisse concedamus. At, centuriatis fuisse creatos, non est probabile. Restat igitur, ut tributis creati sint: verum ea conditione, ut lege curiata statim ob auspicia magistratus illis confirmaretur. Plane enim locus Livii indicat, ædilibus primis creandis adhibita fuisse quædam comitia, quorum patricii auctores essent: quæ alia, quam curiata, intelligi non possunt.

CAP. XXIII.

Neque enim mentionem comitiorum tributorum, &c.

QUOD necesse fuerit tributorum comitiorum facere mentionem in explicanda illa propositione, *Majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt*, vel ex eo intelligi potest, quod, donec patricii minores magistratus tributis comitiis creari cœperunt, nunquam verum fuit populum de iis bis judicasse. In Coss. quidem jam inde ab initio verum fuit, populum de iis bis judicasse, primum, centuriata lege, deinde, curiata: in aliis minoribus magistratibus creandis secundi populi judicii, propter auspicia inducendi, nulla fuit justa & prudentia Romanorum digna ratio, nisi postquam inauspicatis comitiis creari cœperunt. Ut ergo recte probaret, de omnibus magistratibus bis populum majorum instituto judicasse, propter accessionem legis curiatæ ad priora quædam comitia, quibus designatus esset magistratus, necesse est, ut suam probationem contulerit ad illud tempus, quo in minoribus patriciis magistratibus tributa comitia priora fuerunt, posteriora curiata. Nam, si in consulibus creandis, tametsi justissimis comitiis & auspicatissimis creati essent, judicarunt tamen, jam inde ab hujus magistratus institutione, lege curiatis comitiis lata, magistratum iis confirmandum esse, idque propter auspiciorum religionem, (ut in superiore disputatione docuimus) multo certe magis iis magistratibus, qui inauspicatis comitiis creati essent, legem curiatam fuisse necessariam, prudentissimos illos ac religionis observantissimos veteres Romanos judicasse, credendum est. Aut ergo in ratione propositionis reddenda mancam fuisse Ciceronis probationem dicendum est, quia non doceat, in omnibus magistratibus bis populum de iis judicasse: aut tributorum comitiorum in ea mentionem factam fuisse oportuit. At mancam ei probationem tribuere sine injuria non possumus. Relinquitur ergo, ut, quemadmodum in assumptione non solum centuriata comitia pro primis comitiis nominavit, sed etiam tributa: ita in ratione propositionis ab eo utraque appellata esse credamus. Quod vero dixi, nullam fuisse justam caussam, Romanorum prudentia dignam, cur de minoribus magistratibus bina haberent comitia curiata, hinc perspici potest; quod legis curiatæ, de iis magistratibus ferendæ, qui aliis comitiis creati essent, caussam in omnibus unam fuisse verisimilius est, quam in aliis aliam. Atqui in consulibus nullam possumus justam caussam reperire, cur de iis lex curiata ferretur, nisi auspiciorum quandam religionem, quæ in curiarum suffragio inesse judicabatur. Cur ergo in minoribus magistratibus, cum curiatis comitiis tantum designabantur, ob hæc curiarum auspicia lex curiata desideraretur, nulla caussa erat. Hanc enim modo rationem adferre, binis curiatis eos fuisse creatos, ut populus bis de eodem magistratu judicaret, ut Romanorum prudentiæ non convenit, ita quæstioni caussam justissimam relinquit, si jus suffragiorum populi, bis de eodem magistratu judicandi, satis haberet caussæ, cur binis comitiis curiatis eundem magistratum daret, cur cum tributis comitiis dari cœperunt, bina tributa comitia de eodem magistratu populus non habuit, sicut ante bina curiata habebat? Dic, Sigoni, si potes aliquam caussam, cur tributorum comitiorum inductio suo jure populum privavit? Nam, in centuriatis tu aliquam fingis juris retenti umbram in prærogativa, quam pro binis centuriatis substitutam esse cogitas. At in tributis cum nullam retenti juris umbram possis invenire, ne interdicto *Unde vi* tecum contendat populus Romanus, non times? Sortitio prærogativæ centuriæ hic suam populo possessionem restituere non potest. Et, quia non minus sortito curiæ vocabantur, quam tribus: si fuit prærogativa in tributis comitiis, in curiatis pariter fuit. Non fuerunt ergo bina tota curiata comitia potius habenda, quam bina tributa: & si primo vocata sortito tribus pro unis comitiis haberi potuit, nihil caussæ est, cur non eadem ratione primo vocata sorte curia pro unis comitiis haberi debuerit. Vide ergo, Sigoni, quomodo justo sacramento cum populo Romano tibi contendere licebit, cum interdicto suam possessionem repetet. At Cicero scribit, iterum de iisdem magistratibus judicatum fuisse, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. Hæc est popularis caussa, Sigoni, & ad concitandum Rullo odium accommodata, ideoque huic loco satis apta: verum, aliam etiam veram ac multo justiorem caussam legis curiatæ ferendæ fuisse, facile est ex ipso Cicerone & aliis scriptoribus docere: ut a me in priore refutatione demonstratum est. Itaque non recte ex hoc loco, ubi oratorie ac prope veteratorie agit Cicero, hanc solam fuisse caussam legis curiatæ, colligitur. Quinetiam, ut illa sola fuerit binorum comitiorum caussa, nempe, ut bis populus de eodem magistratu judicaret; mea tamen sententia, qua dico, bina illa comitia fuisse centuriata & curiata, aut tributa & curiata, cum eo, quod in Repub. Romana observatum est jam inde a prima fere post liberatam Rempublicam vetustate magis convenit, quam id, quod dicit Sigonius nullo auctore, bina illa comitia fuisse bina centuriata, aut bina

curiata: quæ etiam non toto quinquagesimo, post liberam Rempublicam, anno in usu fuerint.

CAP. XXIV.

Cicero, inquit ille, curiatam legem cæteris patriciis magistratibus latam dixit.

TUA est, Sigoni, hæc sententia, ad annum prope quinquagesimum, post reges exactos, omnes magistratus ita binis comitiis fuisse creatos, ut qui centuriatis creabantur, binis centuriatis; qui curiatis, binis curiatis, factos fuisse affirmes: quam opinionem ut cum verbis Ciceronis haud convenire, atque adeo merum esse Sigonii figmentum, docerem, hac ego ratione utebar: certum est, quinquaginta illis annis nullum alium magistratum centuriatis comitiis creatum fuisse præter consules, ex quo efficitur, quod de binis centuriatis dicitur, ad solos consules referendum esse. Quod ergo de binis item curiatis dicitur, necesse est, reliquos omnes complectatur magistratus, qui illis quinquaginta annis fuisse comperiuntur præter Coss. Atqui præter multos extraordinarios magistratus, ut dedicandis ædibus sacris & annonæ præfectos, & coloniæ deducendæ magistratus, reperiuntur ordinarii fuisse magistratus tribuni ædilesque plebis & quæstores: (si verum est, a populo fuisse creatos quæstores, ante annum urb. cond. 306. quo anno eos primum a populo creatos, Tacitus docet, cum ante consulum beneficium esse quæstura, sicut ante regum fuerat, haud secus quam in tribunis militum, qui ad annum usque 393. populi suffragiis creati non erant.) Hos ergo omnes opinione Sigonii binis curiatis fuisse creatos, fatendum est. Nam, præter id, quod generaliter loquitur, cum dicit omnes, qui tum temporis curiatis creati sunt, binis curiatis fuisse factos: tum vero, ne fingi quidem potest ulla probabilis caussa, cur in quibusdam populus haberet jus binorum comitiorum, in aliis non haberet. Ex iis ego sic concludo: si id voluit Cicero, quod dicit Sigonius, non scripsisset: *Cum curiata lex cæteris patriciis magistratibus*: sed, ut omnes magistratus præter consules complecteretur, dixisset: *Cum curiata lex cæteris omnibus magistratibus*: absque illo verbo *patriciis*. Cum ergo addiderit illud *patriciis*, reliquum est, Ciceronem aliud dicere, Sigonium aliud. Rursus ego Sigonium ita aggredior: Quamvis Cicero in hoc secundo membro usus sit illo verbo *patriciis*; tamen, quia etiam *cæterorum* verbo usus est, dixitque *cæteris patriciis* magistratibus, non est verisimile, solos quæstores hoc secundo membro voluisse intelligere, sed alios quosdam patricios magistratus, qui præter consules fuerunt. Facito ergo etiam ædiles curules simul cum quæstoribus intelligi. At, si ad id usque tempus progrediare, quo fuerunt ædiles curules: jam non verum erit *cæteris*, præter consules, *patriciis* magistratibus latam fuisse legem curiatam; quandoquidem censores ac prætores jam tum essent, quos centuriata lege factos fuisse, est indubitatum. Ad extremum ego sic urgeo: Faciamus, ut intellexerit Cicero *cæterorum patriciorum magistratuum* nomine solos quæstores, ita ut, quod dicit bis populum judicasse de omnibus magistratibus, coarctetur ad illud tempus, quo nulli adhuc fuerunt plebeii magistratus, sed consules tantum, ac quæstores patricii. Quomodo ergo defendet Sigonius suum illud spacium circiter quinquaginta annorum? Asconius enim docet, idque ex fastis etiam apparet, sedecim annis post reges exactos plebis magistratus fuisse creatos. Vix ergo sedecim annorum spacio faciet Sigonius, verum fuisse illud, quod de binis comitiis loquitur Cicero, ut sit ad ejus verba Sigonii interpretatio accommodata. At, quam excogitare potest rationem, cur tantulum temporis eo jure binorum comitiorum populus usus sit? Ex iis quisque intelligere poterit, meæne rationes, quas hic cavillis eludere conatur, sint a Sigonio dissolutæ, an potius magis ac magis tergiversandi studium indicarit.

CAP. XXV.

Quod si hi quoque tum patricii magistratus fuerunt, &c.

NE postea dubites, Sigoni, etiam plebeios in his extraordinariis magistratibus locum habuisse, ego ex Livii lib. 2. docebo, M. Lectorium, qui ex gentibus patriciis non erat, jussu populi præfectum annonæ factum esse, ædisque Mercurii dedicationem a populo accepisse. Hic ergo obiter quæro, curiatis comitiis cum datus sit ei hic magistratus (nondum enim erant tum visa tributa ulla comitia: eratque illud tempus ante secessionem plebis in sacrum montem) quæro, inquam, nunquid binis comitiis ei datus sit magistratus? At, si binis hic etiam plebeius accepit magistratum, non solum in patriciis magistratibus verum fuit, binis curiatis fuisse creatos. Cur ergo illud, *patriciis*, addit Cicero in jure populi explicando, quod pariter in plebeiis & patriciis locum habuit? præsertim, cum enumeratio ei facienda esset in omnibus, qui olim (ut tu vis) binis facti sunt comitiis. At Cicero non dixit, solis patriciis magistratibus. esto: sed, quia non sine caussa addidit illud, *patriciis*, qua caussa non potest alia excogitari, quam ad plebeios excludendos, idem fecit appellandis hac in re patriciis, ac si exclusiva particula usus esset.

CAP. XXVI.

Nam, quod ex mea opinione trina futura comitia ex verbis agrariæ secundæ contendit, &c.

RATIO mea erat hujusmodi, Sigoni: Certum est, ex historia jam inde a primis reipubl. temporibus, consulibus latam fuisse legem curiatam. Atqui non poterat justis comitiis ferri lex curiata consulibus, quin de iis populi judicium esset.

Si ergo binis tum comitiis centuriatis (ut tu vis) creabantur, necessario efficitur, ter populum judicasse de iisdem consulibus. Bis enim centuriata lex ferebatur, te auctore. At, teste omni antiquitate, etiam lex curiata de iis ferebatur. Ternis ergo comitiis de consulibus populus judicabat. Neque vero ad dissolvendam hanc argumentationem satis est dicere, legem curiatam ad dandum imperium militare pertinuisse. Faciamus hanc solam vim fuisse legis curiatæ. An propterea minus verum fuit, populi de consulibus judicium fuisse, quando rogationem legis curiatæ pro suo arbitratu jubere vel antiquare potuit? Proponamus nobis primum consulem Brutum. Isne videtur tibi pleno jure consul futurus, si belli gerendi potestatem non habuisset? in danda ergo illa potestate, quæ muneris consularis princeps fuit, de consulatu Bruti, quis non videt populi judicium fuisse? Ter ergo de eo populum judicasse, quæcunque legis curiatæ caussa fuerit, tibi necessario fatendum est. At nos supra ex Dione demonstravimus, legem curiatam, quæ consulibus ferebatur, non præcipue ac singulariter ad imperium militare adventitium pertinuisse; sed omnino ad ipsum consulatum optima lege obtinendum, atque adeo ad ipsum consulatum auspiciorum religione confirmandum: docuimus etiam insitum in consulatu fuisse militare imperium; non potuit ergo libera

libera esse populi potestas, in lege curiata de consulibus ferenda, quin de ipso consulum imperio, qua consules essent, populus judicaret. Ex quo efficitur, toto illo tempore quo bina fuisse centuriata comitia Sigonius scribit, de omnibus consulibus ter populum judicasse.

CAP. XXVII.

Vitio vertit, quod scripserim, prærogativam institutam esse postquam triginta quinque tribus expletæ sunt.

TANTUM abest, ut Sigonio id vitio vertam, quod scripserit prærogativam institutam esse post expletas triginta quinque tribus, ut meam profitear esse hanc sententiam. Sed, quoniam, quod recte scripsit in libr. de antiquo jure Romanorum, ipse nunc revocat, ne meis adversus sua bina comitia rationibus cedere cogatur: conabor id, quod revocat, verum esse docere. Ex quo intelliget rursus sibi statuendum esse hanc de prærogativa opinionem: illam vero de binis comitiis suam sententiam plane ei esse abjiciendam. Ac mihi quidem ista de prærogativa disputatio tota maxime videtur hac una conclusione posse confici. Si nunquam fuit prærogativa centuria, quin esset tribus prærogativa: non fuit autem tribus prærogativa, nisi post expletas triginta quinque tribus: necessario relinquitur, prærogativam centuriam non fuisse nisi post expletas triginta quinque tribus. Non fuisse tribum prærogativam ante expletas triginta quinque tribus, sic confirmabitur. Tribus prærogativa nec fuit, nec intelligi potuit, nisi postquam classium centuriæ ad divisionem tribuum pertinuerunt. Etenim tribus, quæ prima sorte exierat, non potuit centuriatim suffragium dicere, si nullæ essent in quaque tribu centuriæ. Atqui verba Livii ex lib. 1. aperte indicant, tum demum Servii mutata divisione, ad tribuum distributionem pertinuisse classium centurias, postquam expletæ sunt 35. tribus. Sic enim scribit: *Nec mirari oportet, eum ordinem, qui nunc est post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero, centuriis juniorum seniorumque ad institutam ab Servio Tullio summam non convenire: quadrifariam enim urbe divisa regionibus collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit: ut ego arbitror ab tributo. Nam ejus quoque æqualiter ex censu conferendi ab eodem inita ratio est: neque hæ tribus ad centuriarum distributionem numerumque quicquam pertinuere.* Quoque minus laborem in docendo id quod dixi, ex verbis Livii esse colligendum, Sigonium habeo adstipulatorem, cum ita scribit lib. 1. de antiquo jure Romanorum: *Est ergo intelligendum ex Servii instituto, tribus nihil ad centuriata comitia pertinuisse. Post expletas autem triginta quinque tribus, cum omnis populi honos in iis consisteret, mutatam esse Servii rationem: & tribus ad centuriarum divisionem esse tractas.* Ac ne id quoque ut alia, posthac revocet Sigonius, etiam ratione confirmabo, non posse Livii verba conservari, si ante dicamus aliquid ex Servi instituto mutatum fuisse. Pone enim tum tribus classium centurias cœpisse traduci, cum numerus tribuum primum auctus reperitur, videlicet, cum apud Livium lib. 2. legimus viginti unam tribus factas esse. Sane, ut quæque tribus binas tantum habeat secundæ classis centurias, unam seniorum, alteram juniorum, efficiuntur quadraginta duæ centuriæ secundæ classis, qui numerus jam plus duplo major est numero a Servio instituto. Si ergo, prout numerus tribuum auctus est supra eum, qui a Servio factus fuit, ita dicas, centuriarum numerum, ut ad tribuum distributionem referretur, accrevisse: non debuit Livius dicere, post expletas 35. tribus, sed, post auctum tribuum numerum a Servio institutum: quia jam tum verum esset, duplicatum centuriarum, a Servio institutarum, numerum: ideoque non convenire ad summam, ab eo primum factam. Sit ergo hoc constitutum Livii testimonio, non prius pertinuisse classium centurias ad tribuum distributionem, quam Romæ triginta quinque tribus fuerunt. Ex quo consequens est, non potuisse prius prærogativam tribum esse, quam triginta quinque tribus Romæ fuerunt: quæ fuit meæ conclusionis propositio. Itaque superest, ut assumptionem confirmemus: nempe, centuriam prærogativam simul cum tribu prærogativa fuisse institutam. Quod his rationibus suadeo: primum, quod video centuriam prærogativam a Cicerone partem unius tribus appellari. Quod intelligi non potest, nisi in una tribu plures centuriæ esse ponantur. aut igitur non semper verum fuit, quod de prærogativa dicit Cicero, aut non fuit prius centuria prærogativa, quam tribus prærogativa. Deinde, si prius centuria prærogativa dicatur, quam centuriæ ad tribuum divisionem traductæ sunt, necesse est, ut constituamus centum nonaginta tres sortes pro numero centuriarum, quæ ad unam ex omni illo numero educendam, in cistellam conjicerentur: eamque postea sortitionem rursus fuisse mutatam postquam tribus prærogativa instituta est. Itaque a Servii instituto facta mutatio non ea sola dicetur, quam significat Livius, de duplicato centuriarum numero post expletas triginta quinque tribus: sed etiam illa, quæ fuit in sortitione prærogativæ centuriæ instituenda: cum sine sorte equites primi, tum primæ classis centuriæ, atque ita deinceps ex Servii instituto vocandi essent. Quod sine ullo auctore asserere, non modo periculosum, sed etiam temerarium. Quæ enim justa caussa intervenire potuit, cur relicto centuriarum numero, a Servio primum instituto, ratio ferendi centuriatim suffragii ab eo item instituta, mutanda videretur? ut enim centuriatorum comitiorum usus a Servio profectus est; ita institutum creandorum magistratuum illis comitiis, ex ejus commentariis sumptum fuisse, Livius scribit & Dionysius, & omnes historici. Probabilius igitur est, si verum fuit, binis comitiis centuriatis creatos magistratus, id quoque ab ejus comentariis desumptum fuisse, quam, ut præter ejus institutum novo quodam more a L. Bruto inductum fuisse, nullo auctore, dicamus. At, sive a Servio, sive a Bruto binorum comitiorum centuriatorum usus est in remp. invectus, id sine aliqua justa caussa, & prudentiæ Romanæ digna, factum fuisse, haud consentaneum est. Quæ ergo nova paulo post extitit prudentia, quæ incommodum vidit binorum comitiorum, quod, aut Servius jam inde a prima horum comitiorum origine, aut Brutus, cum eum morem induxit, non præviderat? An nimis longum fore bina integra comitia eidem creando magistratui adhibere, non viderant aut Servius aut Brutus; alius, nescio quis, multo scilicet acutior, & prudentior perspexit? Hanc enim prærogativæ inducendæ caussam comminiscitur Sigonius, præter omnes eas, quæ vel ab Asconio, vel a Varrone, vel a Verrio apud Festum datæ sunt; *quia eo modo celerius suffragia a populo iniri posse judicarunt: si eadem comitia partirentur, quam si eadem bis integra haberentur.* Quid ais, Sigoni? ea ne fuit prærogativæ inducendæ caussa, ut celerius suffragia inirentur? An tu in Rep. Romana homo peregrinus, tanto post tempore, in suffragiorum ratione vitium animadvertisti binorum comitiorum, in eo, quod nimis longum esset, tota habere bina ejusdem formæ comitia: hominibus Romanis ipsis auctoribus comitiorum, hoc vitium in mentem venire non potuit? Certe, ut binorum, ejusdem generis, comitiorum inventum, totum est Sigonianum, ita quod vitium fuit, in illa odiosa comitiorum iteratione, totum est Sigonio attribuendum: ac non illa nota imprudentiæ veteribus illis Romanæ Reip. auctoribus inurenda;

potiusque debuit Sigonius dicere, jam inde a prima consulum creatione, prærogativæ sortitionem institutam fuisse, ad vitandam odiosam illam ac molestam comitiorum ejusdem generis iterationem, quam imprudenter illam iterationem fuisse inductam: quæ paulo post, animadverso peccato, minime ante præviso, tolleretur. Neque vero ex eo, quod apud Livium non reperit prærogativæ factam mentionem ante annum 357. debuit Sigonius potius colligere, non fuisse jam inde ab initio prærogativam, quam eo demum anno fuisse institutam, quo primum in comitiis centuriatis, a Livio usurpata est. Nam, si non præcise dicat, eo circiter anno prærogativam fuisse institutam, cur, quove auctore fingit, eam in Rempub. fuisse invectam octoginta circiter annis, ante hanc primam Livii mentionem, potius, quam alio quovis tempore, aut vero jam inde a primo consulatu? Quid est aliud in re seria jocari? Etenim, haud sine probabili ratione dixisset, videri institutam fuisse prærogativam circiter ea tempora, quibus describendis Livius primum ejus meminisse conspicitur. At, cum binorum comitiorum usum vix ad quinquagesimum annum a primis consulibus producit, ac pro unis comitiis prærogativam ex eo tempore inducit, necesse est, ut nullo plane auctore, octoginta prope annis prærogativam invehat, antequam ulla sit ejus memoria apud Livium, aut alium scriptorem. Quod si jam ad se redeat, ac dicat, circiter illud tempus, quo primum apud Livium fit mentio prærogativæ, verisimile esse, eam institutam fuisse: videndum illi est, quomodo suam de binis comitiis sententiam defendet. ad illud enim usque tempus binis centuriatis comitiis omnes magistratus, qui centuriatis comitiis mandabantur, creatos fuisse, illi fatendum esset. Atqui censores quadragesimo, & eo amplius, anno, ante hoc tempus centuriatis comitiis fiebant: binis ergo centuriatis comitiis etiam censores fuisse creatos, dicat, oportet. Quomodo ergo verum erit, quod dicit Cicero, ut a Sigonio verba leguntur, cæteris patriciis magistratibus latam fuisse legem curiatam; cum Coss. centuriata ferebatur? censura enim patricius fuit magistratus, nec de eo ambigit Sigonius. Sed quoniam ex uno atque altero loco T. Livii videtur probabili ratione ductus ad dicendum, prærogativæ centuriæ sortitionem multo ante fuisse institutam, quam expletæ essent triginta quinque tribus, locos illos accuratius perpendamus. Primus locus est lib. 5. *Haud invitis patribus P. Licinium Calvum prærogativæ tribunum militum creant, moderationis expertæ in priore magistratu virum: cæterum jam tum exactæ ætatis omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni refici apparebat, L. Titinium, P. Menenium, Cn. Genutium, L. Attilium: qui priusquam renunciarentur jure vocatis tribubus, permissu interregis P. Licinius Calvus ita verba fecit.* Hoc primum dico, Sigoni, ut apud scriptores alios, sic apud Livium etiam, sæpe nomen *prærogativæ* ita usurpari, ut significet priorem quandam suæ voluntatis ac judicii significationem: ut lib.3. dec.1. *Icilius ubi audivit, tribunos militum in Aventino creatos, ne comitiorum militarium prærogativam urbana comitia iisdem tribunis plebis creandis sequerentur:* & statim initio dec.3. *in Asdrubalis locum haud dubia res fuit, quin prærogativam militarem favor etiam plebis sequeretur.* Et lib.8. dec.3. *equites L. Veturium, & Q. Cæcilium legatos magnis tulisse laudibus, hortatosque esse plebem, ut eos consules in proximum annum crearent: adjecisse equitum prærogativæ auctoritatem consules.* Ex quo intelligitur, quoties apud Livium prærogativæ nomen reperitur, non semper de centuria prærogativa, quæ forte educeretur, esse cogitandum: sed interdum etiam prærogativarum nomen appellari centurias equitum, ac primæ classis, quæ Servii instituto pro suo jure ac non sorte, priores vocabantur: ita ut *prærogativas* dicere & *primo vocatas* idem sit: quomodo accipiendum esse in hoc Livii loco affirmo: nec posse aliter accipi hoc modo confirmo. Primum, si voluisset specialiter Livius significare unicam illam sorte eductam centuriam, quæ alibi apud eundem *prærogativæ* nomine vocatur, non dixisset in plurali numero *prærogativæ creant* P. Licinium; sed, ut alias solet, *prærogativa* P.Licinium *creat*. Neque enim ferendus Sigonius, qui in hac sua contra me disputatione hunc locum corrumpit, & contra omnium exemplarium fidem legit: *P. Licinium Calvum prærogativa tribunum militum non petentem creat.* Quin etiam ipse Sigonius in T. Livio a se ex veterum exemplarium fide (ut ipse ait) restituto, legit, *prærogativæ creant*, atque in scholiis sic omnino legendum esse affirmat his verbis: cæterum *prærogativæ* non *prærogativa* legendum est. quoniam ergo Livius dixit, *prærogativæ creant*, omninoque ita legendum est, perspicuum est, noluisse hic Livium significare unam quandam, sorte eductam, centuriam, quæ ante reliquas omnes suffragium diceret, sed prærogativas omnino sumpsit pro primæ classis centuriis primo loco vocatis. Quo etiam modo loquitur libro decimo: *Cum primo vocatæ Q. Fabium consulem omnes dicerent centuriæ.* Nec alio modo intelligendum est, quod scribit eodem libr. 10. *Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur; eumque prærogativæ & primo vocatæ omnes centuriæ consulem dicebant.*

Sic enim ille locus in omnibus exemplaribus legitur, & ita ipse in suo Livio Sigonius legendum docet. Quo sane in loco Livius utroque verbo ideo usus est, ut posterius interpretatio prioris esset: ac si diceret, *eumque prærogativæ, id est, primo vocatæ omnes centuriæ.* Atque ut magis credas, Livium noluisse hoc loco proprie usurpare nomen *prærogativæ*, ad designandam unam sorte eductam centuriam, argumento tibi esse possunt verba ultima hujus loci, *qui priusquam renunciarentur jure vocatis tribubus.* in his enim verbis jure vocatæ tribus non possunt proprie accipi pro singularum tribuum centuriis, pro jure census, ætatis, atque ordinis ad suffragium vocandis. Nos enim paulo ante probavimus, ante expletas triginta quinque tribus, centuriatim non fuisse distributas tribus: sed, ut sæpe omnes scriptores multis verbis abutuntur κατὰ πρόληψιν, ita Livius hoc loco, tametsi nondum essent jure vocatæ tribus, nec prærogativa tribus; abutitur tamen jure vocatarum tribuum nomine ad reliquas populi centurias significandas, quæ vocandæ erant post primo vocatas. Neque id novum est, apud Livium tribuum nomine significari populum ipsum non tributim, sed centuriatim suffragantem, ut ipse etiam Sigonius recte admonuit: ut libr. 6. omnes tribus bellum adversus Veliternos jussisse scribuntur, cum certum sit, centuriatis comitiis bellum decerni solitum. Certe, si proprie hic sumi dicantur jure vocatæ tribus, fatendum erit, in prærogativarum appellatione ipsas tribus prærogativas intelligi. quod absurdum est, non modo, quia in his centuriatis comitiis plures tribus suffragium non dixerunt, sed etiam, quia jam tum oportuisset distributionem centuriarum per tribus fuisse factam.

Quod nos paulo ante falsum esse docuimus. Quo enim anno hæc facta sunt, tantum erant viginti una tribus Romanæ, ut ex Livianæ historiæ progressu apparet. Quod vero Livium dixi interdum abuti vocabulis per anticipationem, ex ipso consulum nomine intelligi potest. Appellantur enim ab eo jam inde ab initio consules; cum tamen certum sit, prætores initio dictos, post judices, tandemque consules appellari solitos fuisse. Sic apud Gellium libr. 10. cap. 16. Higinus docet multa κατὰ πρόληψιν historiæ dici. Neque vero ad nostram hanc disputationem quicquam refert, fueritne primaria prærogativæ significatio, in appellanda illa sorte educta centu-

ria unica, quæ ante jure vocatas ſuffragium diceret, ex qua nativa ſignificatione per κατάρχησιν ad alia deinde hoc vocabulum translatum ſit: an vero, cum prima & nativa ejus ſignificatio eſſet, ut omnis priore loco data ſui judicii ſignificatio hoc prærogativæ verbo intelligeretur, ex qua deinde ſignificatione ad præcipuam quandam & ſpecialem hujus ſortito eductæ centuriæ appellationem ſit traductum: nihil, inquam, ad noſtram diſputationem intereſt. Semper enim verum illud manet, in his Livii locis, quos ex prima decade citat Sigonius, prærogativas non proprie ad ſorte eductam centuriam pertinere: ſed nihil aliud ſignificare, quam priore loco vocatas centurias, in qua ſignificatione ſemper verum fuit, in centuriatis comitiis fuiſſe quaſdam prærogativas centurias: quia ſemper prius aliæ vocatæ ſint quam aliæ. Ex quo apparet, fruſtra Sigonium velle ex illis locis concludere, ante fuiſſe prærogativam centuriam illam, quæ unica ſorte educta, ante alias omnes centurias ſuffragium dicebat, quam expletæ eſſent triginta quinque tribus. Jam ergo paucis totam hanc diſputationem colligamus. Probavimus initio, Livii aperto teſtimonio non prius fuiſſe prærogativam tribum, quam expletæ ſunt triginta quinque tribus. Atqui non fuiſſe prærogativam centuriam abſque prærogativa tribu, modo multis argumentis docuimus. Relinquitur ergo, non fuiſſe prærogativam centuriam ante id tempus, quo erant Romæ triginta quinque tribus. In ſua autem de binis comitiis opinione, Sigonius ad illud uſque tempus bina integra centuriata comitia creandis magiſtratibus fuiſſe dicit, donec prærogativæ centuriæ ſuffragatio pro unis comitiis in Rempublic. invecta eſt. Id igitur etiam neceſſe eſt, bina centuriata ad illud uſque tempus in uſu fuiſſe, quo triginta quinque tribus Romæ fuerunt. Cum ergo bina apud Ciceronem comitia, Sigonio interprete, de iis intelligantur binis integris comitiis, quæ habita ſunt de ſingulis magiſtratibus, uſque ad illud tempus, quo prærogativæ ſuffragio inſtituta eſt: neceſſario efficitur, verba Ciceronis vera eſſe oportere in omnibus magiſtratibus, quæ Romæ erant ad id uſque tempus, quo Romæ expletus eſt numerus triginta quinque tribuum. Verba autem Ciceronis ſunt: *Centuriata lex conſulibus ferebatur, cum curiata cæteris patriciis magiſtratibus: tum iterum de iiſdem judicabatur.* Oportuit ergo cenſores prætoreſque lege curiata creari. Quandoquidem in cæteris, præter conſules, patriciis magiſtratibus hi continentur. Tum vero binis curiatis & hos & omnes patricios minores magiſtratus creatos oportuit, ad illud uſque tempus expletarum triginta quinque tribuum. Quæ omnia ſunt abſurdiſſima, & ab omni hiſtoriæ veritate alieniſſima.

CAP. XXVIII.

Quibus ego: ne me quidem bina prærogativæ & jure vocatarum comitia ad locum Ciceronis retuliſſe.

NUNQUID, Sigoni, tua interpretatio ad Ciceronis locum, tota nititur unico illo Aſconii loco? nunquid bina tota comitia apud Ciceronem primis temporibus fuiſſe ex verbis Aſconii colligis? in quibus binorum comitiorum umbra retenta perhibetur, quando ſcilicet prærogativa inſtituta eſt pro unis comitiis? Quid? eſtne hoc referre locum Aſconii ad locum Ciceronis? Quid? ſi unico hoc loco deſtitutus eſſes, (quemadmodum ego docui non pro te, ſed plane contra te facere) nunquid tibi fatendum eſſet, quod tu de binis comitiis dicis, plane tuum commentum eſſe, nulla probabili ratione, nullo antiquitatis teſtimonio fultum? Atque illa quidem ſunt, quæ mihi pluribus ſcribenda viſa ſunt ad poſteriorem Sigonii contra me diſputationem: non modo, ne ſe aut contemni putaret vir clariſſimus & ſtudiorum ſocietate mihi conjunctiſſimus, aut nimium ſibi veritatem a ſe ſtare perſuaderet, ſi ad ea, quæ ſcripſit, nihil reſpondiſſem: ſed etiam, quia, cum ſit obſcuriſſima quæſtio de iis rebus, in quibus noſtra controverſia verſatur, tum vero digniſſima eſt, quæ a nobis, qui hanc primi quæſtionem exagitavimus, accuratius pertractetur. Quæ omnia tali accipi animo ab eo rogo & obſecro, quali (vel ita me Deus bene amet) a me profecta ſunt: candido ſcilicet, benevolo, minime contentioſo, cæterum veritatis inveniendæ imprimis ſtudioſo.

CAROLI SIGONII

de lege curiata magiſtratuum, & imperatorum, & jure eorum, liber

AD

NICOLAUM GRUCHIUM.

CAROLUS SIGONIUS

ILLUSTRI JUVENI

JOANNI RICCIO

Politiano equiti Portugalliæ S. P. D.



X omnibus quæſtionibus, quæ his temporibus doctorum hominum ingeniis excitatæ in aliqua politiorum litterarum tractatione verſantur, haud ſcio, an ulla alia aut genere ipſo nobilior, aut uſu fructuoſior ſit, quam quæ jamdiu inter me, & Nicolaum Gruchium agitatur: quippe quæ ſit, ut te optime noſſe puto, de re non ſolum in antiquitatis, ſed etiam in philoſophiæ ſtudio maxima. Nam verbo quidem de antiquo uſu legis curiatæ contendimus, at re vera de jure ſenatus, populique R. de jure magiſtratuum, atque imperatorum, de obſcuriſſimis probatiſſimorum ſcriptorum locis diſputamus. Neque tritas jampridem in ſcholis quæſtiones aliquot, cum eorum, qui audiant, faſtidio retractamus, ſed novas, atque huic ſæculo inauditas controverſias edimus: unde non Romanarum ſolum rerum, ſed civilis etiam diſciplinæ ſtudio dediti utilitatis, atque adeo etiam voluptatis capere non minimum poſſint. Hujus autem concertationis initium inductum eſt a me, qui cum breviter quid hac de tota ratione ſentirem, non refellendi hominis gratia, ſed indagandæ veritatis cauſſa annos abhinc decem expoſuiſſem, eruditum hominem, atque acutum ſtudio reſponſionis uſque adeo incendi, ut ipſe quaſi legitimo aliquo hujus rei judicio conſtituto, ac reo comperendinato, una atque altera actione totam cauſſam ſibi ſumpſerit perorandam. Quarum actionum quando ego uni paucis ante annis reſpondi, putavi mihi faciendum, ut nunc quoque alteri reſponderem. Quamobrem te hortor adoleſcentem præſertim ut opibus, & fortuna, ſic ingenio, ſtudioque florentem, ut partem aliquam temporis de honeſtiſſimis tuis ſtudiis demas, atque ad hujus quæſtionis cognitionem traducas: nam eodem tempore cum vetuſtiſſima, eademque pulcherrima populi R. jura cognoſces, tum difficillimos illuſtrium auctorum locos, eoſque noſtris adhuc parum hominibus notos intelliges. Qua notitia neque liberalius, atque honeſtius, neque ætati, fortunæve tuæ quidquam eſſe convenientius poteſt. Atque ut hoc ipſe acriore tibi ſtudio faciendum exiſtimares, cepi hoc tibi opus dicandi conſilium. Quod ut facerem, primum præcipuo quodam meo erga te ſtudio, deinde excellenti Jacobi Falconii juvenis eruditiſſimi prædicatione impulſus ſum. Nam & ego te, cum Bononiæ ad me audiendum accederes, ac non dubia præſtantis tuæ erga me voluntatis teſtimonia dares, ita jam tum amare inſtitui, ut omnia officia me propterea tibi debere putem, & Falconius ipſe, qua eſt humanitate præditus, ea mihi de admirandis tuis ad omnem dignitatem, laudemque progreſſibus retulit, ut te hoc potiſſimum honoris genere, qui non niſi egregiis adhibetur hominibus,

decorandum existimem, scilicet ut nomen tuum domesticis multis apud nos laudibus, virtutibusque clarissimum latius mea quantulacunque commendatione propagem, ac bonis quasi auspiciis præclaram augescentis in te virtutis indolem apud homines non obscuro hoc monumento commendem. Vale. Bononiæ ibid. Junii. M.D.LXIX.



CUM legissem libros nuper a te de comitiis Romanorum in lucem editos, Nic. Gruchi, cum aliis rebus multum, tum illustri quadam eximiæ ac minime vulgaris ingenuitatis tuæ significatione plurimum sum affectus: qui cum multa præclare de antiquissima illa consuetudine præcepisses, ea tamen haudquaquam ita te amplexari diceres, ut pro oraculis habenda censeres, immo vero maximam te habiturum esse doctis hominibus gratiam prædicares, qui non modo tua refutarent, sed veriora etiam in vulgus ederent. Quibus ego vocibus, ut vere dicam, impulsus, cum forte eodem tempore de antiquo civium R. jure perscriberem, atque a te in quæstione omnium, quæ in tuo tractantur libro, gravissima ac difficillima dissentirem, eo facile me adduci sum passus, ut tua exposita sententia meam & ipse quasi aliud agens ascriberem; non ut tibi contradicerem, sed, quemadmodum tum testatus sum, ut litterarum studia nobilissima explicanda quæstione & ipse pro virili parte mea juvarem. Hunc tu locum cum legisses, ad eum tibi respondendum duxisti, ac præcipuum ea de re librum adversus me divulgasti: in quo cum caussam tuam accuratissime agis, tum me ad respondendum doctorum hominum quasi judicio quodam constituto lacessis. Quid quæris? quanquam ut nec opinata, sic non jucunda admodum illa mihi provocatio accidit, ut qui omnem curam jam meam alio, cogitationemque converteram; respondi tamen, sed paucis, ne omnino eruditum hominem, & me honestissimo certamine provocantem, viderer contemnere. Verum qua me ratione molestia liberasse existimavi, ea mihi magis fuit adversaria: ecce enim post annum, non exiguum, ut ante, libellum, sed justum prope volumen edis: in eoque cum multis verbis eadem omnia repetis, quæ superiore disputatione tractaras, tum præter rem multa alia infers, ac sophistica quadam ratione concludis, &, quod magis mihi mirum accidit, sævo adeo atque impotenti animo interdum adversus me loqueris, ut quodam etiam in loco pro summo mihi beneficio tribuas, quod non me asperius ac contumeliosius appellaris. Bone Deus, tu ne ille Gruchius es, qui paullo ante maximam te doctis hominibus gratiam habiturum esse, qui tua refutassent scripta, scripsisti? Nam si ego opinionem tuam aliquando invito fortasse te improbavi, tua illa tota culpa est, qui me, ut id facerem, invitasti; si ceteros omnes præter unum me ad hoc officium advocasti, næ ego posthac diligentius de ista contumelia videro. Neque enim ea te res perturbare potest, quod ego in te aut in disputando acrior, aut in scribendo contumeliosior fuerim, cum tertio quoque verbo tanta te cum laude appellem, ut tu ipse scripseris, *magnas te mihi eo nomine habere gratias, quod ea modestia usus sim in te reprehendendo, ut cum honorifica laudis tuæ præfatione nec gloriæ, nec contentionis studio ductus, sed veritatis tantum amore ad hanc dissensionem verius, quam reprehensionem pertractus videar.* Cum autem hanc, quam tu vocas, modestiam non solum in libris de jure civium R. sed etiam in responsione mea servarim, ita ut semper tibi plus, quam mihi tribuerim, & me tantum aliter, quam te de

A rebus iis, quæ tum agerentur, sentire dixerim, satis mirari non possum, cur tu ab illa, quam tu in aliis tantopere laudas, animi moderatione discesseris, atque in disputando acerbiorem te interdum, quam acutiorem esse malueris: neque severa interea hominum judicia exhorrueris, qui te fictam ac simulatam illam moderati hominis personam opportune deposuisse existimaturi sunt, ut ceteros ab ejusmodi auctoritatis tuæ lædendæ cogitatione averteres: qua de re tu quodam in loco videris non mediocriter laborare. Sed his omissis, feci non invitus, ut tuæ voluntati obtemperarem, ac tibi iterum responderem. B feci fortasse brevius, quam voluminis magnitudo, cui respondeo, postulabat: neque enim quæ ab utroque nostrum in superiore disputatione dicta sunt, ea mihi nisi necessario repetenda duxi: & si qua res nova incidit, eam vero, quam potui, brevissime sum complexus: inciderunt autem præclaræ nonnullæ, quod tu, credo, ut, quam valeres ingenio, demonstrares, omnia prope decreta mea sigillatim tibi aggredienda sumsisti, quasi opima quædam de me spolia relaturus, si te C mihi insultare copia ingenii tui perterritus permisissem.

CAP. I.

De lege curiata magistratuum Gruchii opinio.

VERUM, ut ad rem veniam, omnis nostra in eo est posita controversia, quæ sit lex curiata, cujus meminit Cicero in secunda agraria. D Ego enim existimo, legem hanc duplicem fuisse; unam, quæ ferretur olim magistratibus patriciis jam designatis, quæ postea obsoleverit, neque, nisi extra ordinem plebiscito aliquo revocata, in republica hæserit: alteram, quæ magistratibus in provinciam & ad bellum cum imperio profecturis sit lata, ac postremis etiam temporibus observata: tu vero legem curiatam & magistratibus urbanis, & iis, qui in provinciam profecturi erant, omni tempore latam putas, verum primis temporibus ad triginta curias, postremis ad triginta curiarum lictores duntaxat. Utra vero probabilior, at- E que ad veritatem propensior opinio sit, iterum, quoniam tu ita vis, consideremus; verum sine pertinacia. Est enim in tua responsione illud mirabile, quod tu tanto contentionis studio duceris, ut mihi ne in tua quidem referenda assentiri sententia velis. Etenim cum ego opinionem tuam recitans scripsissem, te censere, ab exactis regibus usque ad imperium Cæsaris per annos prope quingentos omnes magistratus binis comitiis esse creatos, patricios quidem centuriatis, plebeios vero tributis F & curiatis, negasti, te ita scripsisse, verum *jam inde ab exactis regibus majores magistratus, qui a populo crearentur, lege curiata ita esse ornatos, ut postquam centuriatis creati essent, ad confirmandum illis quadam auspiciorum religione magistratum curiata etiam adhiberentur; minores vero nunquam binis comitiis creatos, nisi postquam cœperunt tributis comitiis creari, idque propter eandem auspiciorum religionem.* In quo sane non video, quid querari: an quod dixi, *curiatis comitiis magistratus creatos*, non autem *lege curiata ornatos?* at in prima responsione ita scripsisti: *Ego bina comitia affirmo fuisse, in majoribus*

magistratibus centuriata, & curiata; in minoribus tributa, & curiata. an quod scripsi, *magistratus patricios*, & *plebeios?* quid? non ne tu ex Ciceronis auctoritate, ut postea demonstrabitur, has voces induxisti? ut patricii idem essent, ac majores, plebeii iidem, ac minores? an quod dixi, *Ab exactis regibus*, quod non sit verum in omnibus magistratibus, cum quo tempore exacti sunt reges, nondum omnes magistratus essent instituti? queri non debes. neque enim hoc ego tibi vitio verto. tum enim solemus negare, nos ita loquutos, cum graviore aliquo. ex eo dicto ab adversario urgemur incommodo. quid igitur? scilicet, ut mecum singulis gradibus pugnes: nam hoc suscepisse in hac responsione videris. Itaque cum hoc doleo, tum illud miror, te interea dum hæc alienato prope ad contentionem, ut mihi videris, animo effundis, scripsisse, *minores magistratus, ut quæstores, binis comitiis creari cœptos, postquam cœperunt tributis comitiis creari. id est, postquam* (sic enim interpretaris) *tribus latius patere cœperunt, quam curiæ, propter municipia Italiæ, colonias, & præfecturas, quæ tribubus ascripta erant, nec curiis continebantur*. miror, quia municipia nulla nisi post annum fere quadringentesimum urbis in tribus conjecta sint; coloniæ, & præfecturæ non nisi post annum sexagesimum secundum supra sexcentesimum, ut ego in libris de jure Italiæ demonstravi: ex quo efficitur, minores magistratus binis comitiis non esse creatos, nisi paullo ante annum quadringentesimum, cum tamen tu alio loco scribas, creari cœptos paullo post reges exactos, tum cum tributa comitia ad magistratus creandos sunt advocata.

Deinde vero cum dicerem, verum non videri, patricios magistratus, & plebeios centuriatis, & tributis comitiis designatos, iterum curiatis confirmatos; si patricii omnes lecti essent centuriatis, & omnes plebeii tributis, sequeretur, ut, qui tributis essent creati, omnes essent plebeii. at ædiles curules, & quæstores tributis constitutos esse, cum essent patricii. quare non omnes patricios centuriatis, neque solos plebeios tributis: siquidem patricii essent, qui prius patriciis patuissent, plebeii vero, qui tantum plebi. cum ita, inquam, agerem, respondisti, te patricios magistratus cepisse pro majoribus, plebeios vero pro minoribus: nam Ciceronem etiam in oratione pro domo, & in epist. ad Brutum patricium magistratum pro majori usurpasse: neque interea vidisti, te quæstioni meæ haud cumulate satisfecisse. neque enim si patricii magistratus aliquando majores sunt magistratus, propterea efficitur, ut plebeii sint minores. Patricii enim, ut ambo confitemur, alii majores sunt, alii minores: majores, quorum auspicia majora; minores, quorum minora: plebeiorum nulla est ejusmodi differentia, quia carent auspiciis. Quamobrem si patricius est magistratus, intelligo, quid sequatur: nempe, aut majorem esse, aut minorem; si plebeius, nihil tale. Quare multo minus efficietur, patricii magistratus sunt majores magistratus, ergo plebeii sunt minores: neque enim quisquam unquam aut quæsturam, aut ædilitatem curulem magistratus patricios, quia minores essent magistratus, plebeios vocavit. Si ergo manet vetus illud, patricios magistratus esse, qui prius patuerunt patriciis, plebeios vero, qui solis plebeiis; nec quia patricii aliquot majores sunt, propterea plebeios minores esse cogimur confiteri, si tu hoc idem intelligens aliam, atque aliam, quam postea demonstrabo, Ciceroniani loci lectionem excogitasti, quid est, quod ex maledicto risum quærens adversus me dicas, *Callippides multum se movet, sed nihil promovet*, cum hic meus Callippides usque adeo promoverit, ut te de loco, id est, de sententia suscepta dimoverit?

At vero cum adderem, si curiata comitia centuriatis perpetuo attexta essent, ita ut eorum sententiam A infirmarent, futurum fuisse, ut populus non haberet reprehendendi, quemadmodum inquit Cicero, potestatem: quia centuriata universum populum continent, curiata non item, cum neque agrestes homines, neque municipes in triginta curiis, quæ erant in urbe, continerentur; occurristi, *antequam curiata comitia per triginta lictores haberentur, ita triginta curias comprehendisse populum universum, ut classes, & tribus ipsæ comprehendebant*: item, *curias hic non pro locis, sed pro cœtibus esse accipiendas*. Quorum primum qui fieri possit, non video, cum municipia nunquam in curias, perinde atque in classes, & tribus descripta sint. id quod tu quoque in B prima responsione confirmas, cum scribis, *tibi mirum non videri, si in historia non reperiamus, quod universus populus centuriatim, aut tributim judicasset, a parte populi, quæ curiis continebatur, fuisse infirmatum*. Qui, etiam si tum, cum L. Papirius dictator legem sibi curiatam tulit anno urbis CDXLIV, ut scribit Livius libro nono, nondum curiata ad triginta lictores erant translata, te doctore in libris de comitiis, & ante id tempus municipia constitui erant cœpta, quomodo verum futurum sit, non dispicio, antequam comitia ad lictores triginta traducerentur, curias ita populum omnem comprehendisse, ut classes, C & tribus comprehendebant, cum ipsæ nulla municipia continerent, quæ plurima eo tempore erant, ut a me in libris de jure Italiæ demonstratum est. De altero vero, quin fieri potuerit, non repugnaro, nimirum, ut curiæ cœtus quidam fuerint, qui non solum urbanos, sed etiam agrestes comprehenderint. at tu secus tradidisti in libro tertio de comitiis capite primo. *Curiæ*, inquis, *erant incolarum urbis partes non modo loco, sed sacris sibi familiaribus distinctæ: nam qui in coloniis, & municipiis cives R. habitabant, sua quædam in suis urbibus sacra habebant, quæ deserere non poterant. curiata vero comitia, in quibus populus curiatim suffragium dicebat*. & initio D capitis tertii: *Comitiis curiatis jus habebant suffragii non omnes, qui cives R. erant, sed ii tantum, qui in curias descripti erant, quas supra ostendimus eorum tantum fuisse, qui urbem habitabant*.

Jam quod dixi: Qui cum Gruchio sentiet, cum Cicerone dissentiat, necesse est. Gruchius enim inquit, Rullum decemviros lege curiata ornasse, ut decemviros confirmaret; at Cicero, quia vidit, eos potestatem habere non posse, quia per novem tribus erant constituti; respondes, *communem legis curiatæ caussam, quæ ferebatur auspiciorum caussa, Rullo etiam caussam fuisse, cur eam suis decemviris adhiberet, nempe, ut creati auspicato a populo auspicia ad* E *gerendum suum magistratum necessaria haberent: quod auspiciorum jus ne integris quidem tributis comitiis dare potuisset. sed Ciceronem in illa altera caussa lusisse*. Ego vero non repugno, quin in hac ludere orator potuerit; illud miror, quomodo auspicia caussam afferre potuerint, ut curiata centuriatis adderentur, cum centuriata auspicatissima sint: siquidem in oratione pro Milone dixit: *Illa augusta centuriarum auspicia*. & pro domo: *Centuriata comitia maxime majores justa dici, haberique voluerunt*. Adde, quod si erat ordinarium, ut curatores agrarii, & reliqui magistratus tributis comitiis constituti curiata lege auspi- F ciorum caussa ornarentur, ut ais, quid erat, cur Cicero hac de re populum admoneret, ut nova? & si Rullus, ut inquis, quod peccarat in tributis, id emendare voluit curiatis, cur legem curiatam pro remedio adhibuit, cum te auctore lex curiata tam ipsi ferenda esset, si non peccasset, quam si peccasset? Et si, ut inquis, Cicero lusit, cum dixit: *Vidit, sine lege curiata decemviros habere potestatem non posse, quoniam per novem tribus essent constituti*, cur non lusit potius in communi, & vera caussa auspiciorum, cum jocus æque in illa fuerit processurus?

Quod autem addidi, Si ex ordine magistratus omnes

A Ciceronis ætate curiatis comitiis confirmati essent, Rullus nunquam ad decemviros suos lege curiata ornandos, prætores legem curiatam ferre jussisset: cum autem jusserit, satis ostendit, legem curiatam eum extra ordinem ad agrarios curatores adhibuisse, respondes, *Rullum lege curiata decemviros extra ordinem non ornasse, apparere ex eo, quia id ei Cicero nunquam objecit*. Non est hoc satis: cur enim objiciat id, quod ille jure facere potest, ut legem roget de ferenda lege curiata? non enim Rullus confirmabat decemviros lege curiata, quæ obsoleverat, sed ad plebem ferebat, ut sibi id liceret: quo plebiscito accepto tam hoc ei licuisset, quam cum maxime. ut B omittam, eum non fuisse dicturum, Rullum comitia curiata intulisse, quæ non inirentur a plebe, si id quotidie in cæteris observaretur.

At Cicero, inquis, *& Messalla hoc volunt*. immo nihil minus. verba Ciceronis sunt hæc: *Majores de omnibus magistratibus bis vos judicare voluerunt. nam centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus. tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret*. num tu ex his verbis id ipsum, quod afferis, plane elicis? minime. quid ergo? locum hunc sententiæ tuæ insigni facta mutatione accommodas, hoc modo: C *Nam centuriata lex consulibus ferebatur, ac cæteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis; tum curiata iterum de iisdem judicabatur*. Quod cum facias contra fidem omnium librorum, nemini erudito probatum iri confido. mihi certe homini rudi non probas. immo ne me quidem argumentationibus tuis exterres, nedum verbis illis, quibus te præfracte nimis hanc tueri sententiam velle significas. *Vel disrumparis*, inquis, *licet, ego tamen etiam atque etiam confirmo, locum Ciceronis omnino ita legendum esse, ut a me legitur: (Nam centuriata lex consulibus ferebatur, & ceteris patriciis magistratibus, tributa plebeiis, tum curiata iterum de iisdem judicabatur.) aut si displicet illud* D *(plebeiis) accipi pro minoribus magistratibus, legatur, (tributa aliis:) aut denique si patriciorum magistratuum nomine nolimus hic solos intelligi majores magistratus, sed omnino eos, in quibus fuit patriciis locus, ita legatur: (Nam centuriata lex, aut tributa consulibus ferebatur, ac ceteris patriciis magistratibus, tum curiata iterum de iisdem judicabatur.)* Messallæ vero verba ab A. Gellio recitata sunt hæc: *Minoribus magistratibus creandis magistratus tributis comitiis, sed justius curiata datur lege. majores centuriatis comitiis fiunt*. Oro te, quis tibi affirmavit, Messallam dicere, suo tempore magistratus majores E & minores primum comitiis centuriatis, aut tributis creatos, deinde lege curiata necessario fuisse confirmatos? non ne enim fieri potest, ut significet, majores magistratus fieri centuriatis, quibus auspicia accipiunt, minores vero tributis, sed si ferretur eis lex curiata, justius fieri lege curiata? An vero siquis dicat, Cæsaris tempore, magistratus dantur a Cæsare sed justius a populo, significet, a Cæsare primum, deinde a populo eosdem eodem tempore dari, an potius qui dantur a Cæsare, si, ut mos erat, darentur a populo, justius datum iri. Adde, quod cum Messalla inquit, *Majores fiunt centuriatis comitiis, minores tributis, sed justius curiata lege*, omnino F unum tantum genus comitiorum in singulis observatum agnoscit, centuriata in majoribus, tributa in minoribus. nam si auspicia requiruntur, centuriata auspicatissima sunt usque adeo, ut qui centuriatis creati sunt, auspiciorum ratione curiatis non egeant. tributa vero auspicata illa quidem, sed curiata auspicatiora. quare qui tributis creantur, juste quidem creantur, sed justius, si curiata lege confirmarentur. quomodo vero tributa auspicata sint, tu docuisti, cum locum illum Ciceronis in libris de comitiis exposuisti: *Cæsar, qui comitiis tributis auspicatus erat, centuriata habuit*. Age vero, Cicero in agraria nullo modo ita scripsit, ut tu; Messalla vero aliter sentit, ac tu: an vero Cicero in secunda, quam profers, Philippica idem significavit, ac tu interpretaris? multo minus. *Quæstor*, inquit, *es factus: deinde continuo sine S. C. sine sorte, sine lege ad Cæsarem cucurristi*. tu *sine lege* interpretaris *sine lege curiata*, ut Antonium dicat, postquam tributis comitiis factus est quæstor, antequam curiatis confirmaretur, sine S. C. sine sorte, sine curiata lege in provinciam esse profectum. Quo nihil esse potest alienius: est enim eadem ratio quæstoris, ac consulis, quod ad provinciam obtinendam pertinet, ut in libris de jure Provinciarum ostendi. Consul enim primum accipiebat magistratum centuriatis comitiis, deinde ex S. C. sortiebatur provinciam, aut si neque S. C. neque sors intercedebat, lege obtinebat: ut Cæsar, qui neque S. C. neque sorte, sed lege Vatinii tribuni plebis Galliam adeptus est: sic quæstores primum tributis comitiis accipiebant magistratum, deinde ex S. C. sortiebantur provincias, aut si neque S. C. neque sors observaretur, extra ordinem lege aliqua, id est, plebiscito eas sibi parabant. objicit ergo Antonio Cicero, quod quæstor factus neque S. C. neque sorte, quæ erant ordinaria, neque lege, quod fiebat extra ordinem, sed uno Cæsaris vocatu in Galliam ad Cæsarem proconsulem venerit. Atque hoc declaratur ex epistolis ad Atticum, ubi scribit: *Pompeius Q. Cassium quæstorem sine sorte delegit, Cæsar Antonium, ego Cœlium sorte datum offenderem?* Quam enim legem nominat Cicero, ea pertinet ad provinciam quæstori mandandam, non ad auspicia quæstori danda, aut ad quæstorem confirmandum: tua vero interpretatione non dabatur Antonio quæstori provincia, sed privato quæstura. quasi vero quæstura post S. C. & sortem provinciæ fuerit confirmanda: quo nihil ineptius.

Age vero prior legis curiatæ a te excogitata consuetudo titubat, at posterior est & auctoritate, & ratione firmissima. neutrum. Consuetudo est hæc: *Ciceronis ætate, non curiis triginta, ut olim, convocatis, sed lictoribus curiarum triginta tantum legem curiatam latam esse*: auctoritas autem una est ipsius Ciceronis in eodem agrariæ loco: *Sint igitur decemviri neque veris comitiis, hoc est, populi suffragiis, neque illis ad speciem, atque usurpationem vetustatis per triginta lictores auspiciorum caussa adumbratis constituti*. Cum autem ego contra hanc consuetudinem sic egissem, non esse verisimile, qui consul propter excellentem virtutis opinionem certo judicio ab universo populo centuriatim lectus erat, permissum esse, ut eum triginta curiarum lictores suis suffragiis inconsulto repudiarent, tu ita respondisti, ut negares, te ullo loco dixisse, adumbrata per XXX. lictores comitia liberam habuisse suffragiorum potestatem, ut possent, id quod rogabantur, pro suo arbitratu jubere, aut non jubere, &, quod gravius est, addidisti, me non tuum dictum, sed meum commentum oppugnare, atque antabatarum more pugnare. Verum de isto antabatarum more alias: nunc, quod instat, videamus, lex ne curiata a lictoribus juberi, aut antiquari potuerit. antiquari potuisse judicat, ut supra dixi, Rullus, qui timens, ne antiquaretur, cavit in lege sua, si curiata lex lata non esset, ut decemviri optimo jure essent. At nulla erat ad XXX. lictores ferenda lex curiata: neque hæc fuit sententia Ciceronis, triginta lictores pro curiis triginta suffragium tulisse. quid enim futurum erat turpius, quam prætorem, consulem, dictatorem agere cum XXX. lictoribus, ut cum universo populo? aut quid absurdius, quam legem curiatam de adoptione a triginta curiis, etiam te teste, esse jussam, de imperio magistratuum a triginta lictoribus? & cum in his de imperio comitiis cætera servarentur, quæ in justis servantur comitiis, obnunciatio, intercessio, & reliqua, hoc unum excipi, quod non a populo inirentur? Quid autem vo-

luit Cicero? dicét aliquis. nimirum hoc. Rullus decemviros creat comitiis tributis, sed imperfectis, quia per XVII. tribus creat: eosdem confirmat lege curiata, sed ita confirmat, ut si lex curiata lata non erit, etiam sine ea justum decemviratum habeant. quo fit, ut neque vera tributa afferat, neque curiata etiam falsa. quibus reprehensis concludit permissione rhetorica, quæ tum adhibetur, cum ad aliud transire volumus, quod gravius esse putamus, quam id, quod permittimus, & ait: *Sint igitur decemviri constituti neque veris, neque saltem in speciem per xxx. lictores auspiciorum caussa adumbratis comitiis:* id est, non adhibuerit non modo tribus omnes, sed neque etiam curias ullas: neque solum non curias, sed neque lictores quidem curiarum ad speciem advocaverit auspiciorum caussa, id est, ut auspicia obtineret, quæ initio comitiorum captantur. nam ut cætera falsa essent, quæ sequuntur, & auspicia, ex quibus deorum voluntate ipsa approbari comitia intelligitur, rite captata initio comitiorum essent, satis justa futura fuisse videbantur. quod ille prætermisit. Rullus enim nulla omnino adhiberi comitia curiata voluit, tum cum sine lege curiata decemviros magistratum habere voluit: quasi vero officio suo satisfacturus fuerit, si saltem curiata comitia in speciem triginta curiarum lictoribus advocatis adumbrasset, ut postea Cæsar dictator in comitiis suis, de quibus Lucanus:

—— *Fingit solemnia campus,*
Et non admissæ dirimit suffragia plebis,
Decantatque tribus, & vana versat in urna.
Nec cœlum servare licet. tonat augure surdo.
Et lætæ jurantur aves bubone sinistro.

Rullus autem ne triginta quidem lictores, ne dum triginta curias advocabat. Quæ si ita sunt, jam satis intelligi posse arbitror, uter nostrum antabatarum a te commemorato more se gerat.

CAP. II.

De lege curiata magistratuum Sigonii opinio.

HACTENUS de tua opinione sit dictum, nunc de mea agamus. Sane cum locum Ciceronis obscurum haud temere immutandum existimarem, dedi operam, ut incolumi vulgata lectione aliquem inde sensum eruerem. itaque excogitavi illum, de quo dixi: antiquitus bina comitia esse habita centuriata de consulibus, & bina curiata de ceteris patriciis magistratibus. hæc autem curiata non ita multo post obsolevisse, neque ad ullos magistratus creandos, aut confirmandos adhibita esse. cum autem hanc sententiam more paraphrastæ (sic enim res admonebat) exponerem multis verbis, in iis tu vitio vertisti, quod multa ascripserim Ciceroni, quæ non sint Ciceronis. quæ sunt ista tandem? *olim*, inquam, *antequam tributa comitia instituerentur, bina erant comitia, centuriata, & curiata:* non ne hoc verum? negare non potes. est enim a te traditum. si verum, quomodo repugnat Ciceroni? *At Cicero*, inquis, *dicit, jus a majoribus acceptum in creandis populi magistratibus, ut de omnibus bis sententiam ferret*. num ego aliter? *quod jus in majoribus magistratibus observatum est jam inde ab eorum institutione, in minoribus, quando minores magistratus patricii tributis comitiis creari cœpti sunt*. jam hæc tua sunt. quibus neque mea verba repugnant. Etenim si te interprete majores magistratus, ut consules, a sua institutione creati sunt centuriatis, & curiatis comitiis, aliquot annis antequam tributa comitia instituerentur, atque adeo etiam antequam minores tributis legerentur, quo modo hoc non potest agnoscere pro suo Cicero, antequam tributa instituerentur, bina comitia fuisse, centuriata, & curiata? Jam vero cum dico ex persona Ciceronis: *Verum quia vos tributa pro curiatis introduxistis, fit,*
A *ut centuriata, ac tributa prima, id est, præcipua sint, & a populo, ac plebe magistratuum caussa ineantur, curiata vero nullius in mandandis magistratibus momenti sint, quippe quæ auspiciorum caussa remanserunt, id est, hæserunt in rep. religionis caussa non in magistratibus, sed in rei militaris imperio mandando*. quid horum est, quod repugnet Ciceroni? an vero quia ab interpretatione tua discedo, me ab ipso Cicerone discedere argues? credo. siquidem jam tum te Ciceronem esse tibi persuasisti, ex quo quæ in oratione Ciceronis verba deessent, quæ superessent, quæque suo loco mota essent, mira felicitate ingenii divinasti. At *remanserunt*, inquis, sublata sunt
B interpretaris. immo vero retenta sunt. Quamobrem quod quæris, cujus auctoritate mea hæc opinio innitatur, respondeo, niti auctoritate non contemnenda Ciceronis, & quidem expressa, non extorta, ut tua. Cum autem scripsissem, hanc consuetudinem ne per quinquaginta quidem annos usurpatam, occurris, ut ostendas, curiata comitia plus quam per ducentos annos usurpata, & ais, *quanquam anno urbis CCLXXXII. lex Publilia lata est, ut plebeii magistratus posthac tributis comitiis, non curiatis crearentur, ex quo tempore etiam quæstores creari cœptos verisimile est, tamen ædiles curules, qui post id*
C *tempus instituti sunt, curiatis creati videntur*. ex quo apparet, ab eo tempore curiata omnino non esse intermissa. Probe. Neque vero omnino ego intermissa scripsi, sed intermissa in magistratibus iis, qui tum erant, creandis, ita ut si qui postea magistratus patricii instituti sint, curiatis etiam comitiis creari potuerint, quousque tandem tributis creati sunt.

Instas inde varie, *Si Cicero, cum dixit legem curiatam ceteris patriciis magistratibus latam, intellexisset omnes alios præter consules, dixisset, ceteris omnibus magistratibus absque illo verbo Patriciis, ita ut etiam tribunos, & ædiles plebis comprehenderet*. præclare. quasi vero tribuni, & ædiles sint patricii, aut
D ego etiam tribunos, & ædiles significatos dixerim. Item, *Si Cicero dixit, ceteris, non intellexit solos quæstores*. immo solos quæstores ex ordinariis, non solos, si extraordinarios complectaris. Item: *Si vera hæc propositio sit, de omnibus magistratibus bis a populo judicatum esse, id maxime tempus animo concipiendum est, quo nulli magistratus plebeii in rep. fuerunt. quod fuit sexdecim tantum annorum*. Noli quæso illa in me tela jacere, quæ ego in temet retorquere nullo negotio possim. non enim & tu hanc propositionem veram esse de patriciis solis sive majoribus, sive minoribus confiteris? Item, *Eodem*
E *tempore*, inquis, *M. Lætorius plebeius dedicationem ædis a populo accepit, ergo curiatis. si binis comitiis, ergo non soli patricii*. Quid si curiatis, sed non binis? quid si sacerdos fuit Lætorius, & non magistratus? Item, *Si de primis consulibus bis judicasset populus centuriatis comitiis, ter judicasset, non bis. nam præter hæc etiam lex curiata lata est de imperio militari, quod est in magistratu insitum*. nego esse insitum, atque hoc me refutaturum esse infra polliceor.

An igitur censes, inquies, hanc Ciceronis esse sententiam? hanc omnino, si ita, ut vulgo legitur, locus ille legatur, at si ut in veteribus libris legi-
F tur, & ut mihi recte legi videtur, aliquanto secus. sic autem, ut nonnulli quoque litteris prodiderunt, in iis scriptum reperitur: *Nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur*. Mirum est autem, quantum una vox *cum* addita lucis veræ sententiæ excogitandæ afferat. quam spero, te, ubi cognoveris, pro judicii tui magnitudine arrepturum, ac pro æquitate animi probaturum. neque enim a tua sententia omnino recedit, & meam etiam aliqua ex parte attingit. neque tam multis, ut aliæ a nobis excogitatæ, meo quidem judicio laborat incommodis. Est autem hæc. De omnibus magistratibus

tibus majores bis vos judicare voluerunt. Nam cum centuriata lex censoribus jam designatis ferebatur, cum curiata item ceteris patriciis magistratibus pariter jam designatis ferebatur, eo tempore secundum judicium faciebat populus, ut posset reprehendere, si beneficii sui prioribus comitiis delati pœniteret. Non erat autem idem designare magistratum, & legem ei centuriatam, aut curiatam jam designato ferre. nam prioribus comitiis si consules, exempli gratia, creandi essent, populus rogabatur his verbis, *Quos vultis consules fieri?* posterioribus, quibus lex eis curiata ferebatur, his, *Velitis jubeatis ne, ut ii consulatum habeant, quos populus designavit?* quod ostendit Asconius, cum scribit: *Prærogativæ tribus dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri*, & Cicero in agraria: *Curiatam legem ab eo prætore, qui sit primus factus, ferri jubet. at quo modo? ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit.* Prioribus autem comitiis designabantur, posterioribus lege confirmabantur. Hoc autem jus primum senatus habuit. ut scripsit Dionysius, & significavit, ut tu quoque notasti, Livius in Numa, cum scripsit: *Quirites regem create. ita patribus visum. patres deinde, si dignum, qui secundus a Romulo numeretur, crearitis, auctores fient.* & post: *Regem populus jussit. patres auctores facti.* & libro VI.: *Omnium comitiorum eo anno patres auctores facti sunt.* Significavit autem, patres eo anno magistratus omnes, quos populus plebsve designasset, id quod non quotannis accideret, comprobasse. Verum hoc jus senatus diu tenere non potuit, ut innuit Cicero pro Plancio: *Quod patres apud majores nostros tenere non potuerunt, ut reprehensores essent comitiorum, id haberent judices. tum enim magistratum non gerebat is, qui ceperat, si patres auctores non erant facti.* Hac autem consuetudine sublata, deinde hanc inductam facile possumus suspicari, quam nunc Cicero, omnis antiquitatis peritissimus, prodit, ut populus ipse magistratus a se designatos confirmare, aut infirmare vellet. Verum & hanc sua ætate obsolevisse idem hoc loco indicat. Itaque Rullus in decemviris suis creandis veterem consuetudinem renovavit. tulit enim, ut prætor legem curiatam ferret, ut ii decemviratum haberent, quos plebs designavisset, ita tamen, ut etiam sine lege curiata jure optimo decemviros esse vellet. siquidem verba legis Rulli hæc fuerunt: *Tribunus plebis, qui hanc legem tulerit, comitia creandis decemviris habeto. tribus septemdecim sorte educito. per eas decemviros creato. ut quem novem tribus fecerint, is decemvir sit. item, eodemque modo, ut in comitiis pontificis maximi. Qui petet, præsens profitetor. Prætor, qui primus factus erit, legem curiatam ferto, ut ii decemviratum habeant, quos plebs designaverit. Sin is ferre non poterit, qui postremus erit. si lex curiata lata non erit, tum ii decemviri eodem jure sunto, quo qui optima lege. Tribuni plebis prætori legem curiatam ferenti ne intercedunto. si intercesserint, decemviri eadem potestate sunto, ac si lata lex esset. Decemviri auspicii coloniarum deducendarum caussa pullarios habento, quos habuerunt tresviri lege Sempronia, in quinquennium potestatem habento. apparitores, scribas, librarios, præcones, architectos habento. mulos, tabernacula, canterios, supellectilem ab ærario sumunto. custodes corporis ex ærario ducentos in singulos annos habento. X. viris vectigalia populi R. alienare liceto. summum judicium habento. &c.* Hanc autem legem reprehensurus Cicero, quattuor sibi culpanda suscepit, designationem decemvirum, confirmationem, ornamenta, & potestatem. In designatione vitio in primis vertit, quod decemviros per tribus XVII. crearet, i. per partem populi. qua re absoluta finxit, se de potestate illorum infinita loqui velle. quod gravissimum omnium crimen erat, & ad plebem maxime pertinebat, &, ut verisimile videtur, a plebe avide expectabatur. & propterea, ut ejus cupiditati in speciem satisfaceret, dixit, *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur.* Quo dicto, in sermonem de lege curiata ingreditur, quæ ad confirmationem pertinet, non autem ad potestatem. atque ita plebem, & nos fefellit. Primum ergo reprehendit, quod lege curiata decemviros ornet, cum esset inusitatum, ut magistratus daretur lege curiata ei, cui nullis comitiis ante esset datus, id est, privato. nulla enim comitia vocat, quæ per XVII. tribus tantum erant habita. & quoniam ferebat, ut *prætor legem curiatam ferret, ut ii decemviratum haberent, quos plebs designavisset*, utraque comitia ab eo adhibita reprehendit, tributa, quia imperfecta allata sint, curiata, quia, cum obsoleta essent, nec a plebe magistratuum caussa amplius inirentur, ab eo renovata sint. Itaque addit: *Videte, quid juris a majoribus acceperitis, quod ab hoc tribuno plebis vobis relinquatur. majores de omnibus magistratibus bis vos sententiam ferre voluerunt. nam cum centuriata lex censoribus ferebatur, cum curiata ceteris patriciis magistratibus, tum iterum de iisdem judicabatur, ut esset reprehendendi potestas, si populum beneficii sui pœniteret. nunc quia prima illa tenetis comitia centuriata, & tributa, curiata auspiciorum caussa remanserunt. hic autem tribunus plebis quia videbat, potestatem neminem injussu populi, aut plebis posse habere, curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit, tributa, quæ vestra erant, sustulit.* Ex quibus verbis apparet, Ciceronis ætate, populum R. magistratuum caussa sola comitia centuriata, & tributa tenuisse, curiata auspiciorum caussa tantum in usu fuisse. id est, populum magistratus designatos curiata lege non amplius, ut olim, confirmasse. quod vero Rullus in decemviris fieri voluit, id ex vetere consuetudine a se revocata ipsum sumpsisse, contra, atque tu putas. siquidem ait: *Curiatis eam comitiis, quæ vos non initis, confirmavit.* nimirum significans, populum ad confirmandam decemvirum potestatem, ut ante, amplius non convenire. cujus rei argumento est, quod si curiata comitia magistratuum caussa in usu fuissent, non erat, cur Rullus, ut supra etiam dixi, juberet, prætores legem curiatam ferre, & si lex curiata lata non esset, ut etiam sine ea potestatem habere statueret. Est autem quærendum, cum dicat orator, *curiata remansisse auspiciorum caussa*, quid velit. ac video quidem te censere, *remansisse auspiciorum caussa* significare, remansisse, ut magistratibus his comitiis auspicia darentur. quod non procedit. siquidem neque consulibus, neque prætoribus, neque censoribus ferenda esset lex curiata, cum centuriatis comitiis essent designati, quæ erant auspicatissima, sed solis minoribus magistratibus. & si populus conveniret curiatim non ad confirmandos magistratus, ut ante, sed ad auspicia eis tribuenda, tamen magistratuum caussa curiata comitia iniret, contra quam Cicero dixit: *Quæ vos non initis.* neque enim ferre possum responsionem illam tuam, non convenisse populum, sed lictores. Lubricus ergo locus. ego tamen, *curiata auspiciorum caussa remansisse*, putarim esse, mandandorum militarium auspiciorum caussa curiatam adhuc legem consuevisse ferri, quemadmodum a principio fuerat institutum. quemadmodum postea pluribus demonstrabitur, cum de imperatoribus disputabitur. ubi hujus loci quoque mentio necessaria renovabitur. Postquam autem explicavit, quæ ad legem curiatam reprehendendam pertinebant, tum de ornamentis agit, ab illo loco: *Videte nunc, eos, qui a vobis nihil potestatis acceperint, quanto majoribus ornamentis afficiat.* postremo de potestate, ab illo: *Perspicite, quanta potestas permittatur.* quod dicturus visus fuit jam tum, cum proposuit: *Cognoscite nunc, quæ potestas, & quanta detur.*

His expositis, sequitur, ut agam de consuetudine binorum comitiorum, quæ a prærogativa centuria, & jure vocatis fiebant. Ego vero cum apud Asconium talium comitiorum mentionem reperissem,

A quorum tu in libris de comitiis non meminisses, quanquam prærogativæ memineras, addidi, cum prima illa comitia, quibus bis de iisdem magistratibus judicatum scribit Cicero, satis constaret evanuisse, verisimile videri, in eorum locum invectam esse alteram consuetudinem binorum comitiorum, prærogativæ, inquam, centuriæ judicium, & jurevocatarum. cujus consuetudinis quamvis initium esset obscurum, usus tamen vel maxime pateret. Hanc autem consuetudinem his verbis in priore responsione expono: *Aliquot post liberatam remp. annos cum jam tributa pro curiatis essent invecta, re pristina consuetudo est mutata, nomine vero retenta. ex omnibus* B *enim centuriis unam sorte duxerunt, quæ prima rogaretur, ac propterea prærogativa diceretur. ejus autem sententia pro unis comitiis habita est. qua pronunciata tum deinde ipsa centuriata comitia sunt perfecta, ut assolebat. hoc autem factum est vel propter suffragii ferendi commoditatem, ne totus populus iterum in suffragia mitteretur, vel quæcunque alia excogitari caussa possit. in hanc autem ego sententiam veni duce Asconio. cujus locum insignem mirabar admodum a Gruchio, cum de prærogativa præciperet, in libris de comitiis esse præteritum. verba vero ejus in Verrinas hæc esse reperiebam: Prærogativæ tribus sunt, quæ primæ suffragium ferunt ante jurevocatas. mos* C *enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri. quorum tribus prærogativæ dicebantur, quod primæ rogarentur, quos vellent consules fieri, secundæ jurevocatæ, quod in iis sequente populo, ut sæpe contingit, prærogativarum voluntatem, jure omnia complerentur. Quocirca fieri quoque videbam, ut in consulibus creandis prærogativæ apud Livium memoria tantopere celebraretur.* Quæ verba mea tu tibi multis modis oppugnanda duxisti, & quidem, ut video, modeste admodum, & minime aspere. Primum enim, *in ridiculis*, inquis, *quis non reponat, id quod* D *dicit, tributorum pro curiatis invectionem caussam attulisse mutandæ pristinæ consuetudinis binorum centuriatorum in mandando consulatu habendorum?* Quod quam ridicule feceris, alii judicent. neque enim ego, quia tributa pro curiatis essent invecta, sed cum jam tributa pro curiatis essent invecta, mutatam esse pristinam consuetudinem dixi. Deinde, *quid magis ridendum*, inquis, *quam ex eo, quod Asconius bina quodammodo agnoscit comitia in prærogativa, & jure vocatis, colligere bina fuisse integra centuriata, priusquam prærogativa instituta esset?* In quo tu etiam atque etiam ridiculus appares. neque enim apud me est, me ex loco Asconii colligere, E ante prærogativam institutam bina fuisse centuriata, sed ex loco Ciceronis, si ita, ut vulgo legitur, legeretur. quod etiam in censoribus observatum lectio, quam protuli, vetusta convincit: secundam vero consuetudinem, quam dixi, invectam post tributa comitia instituta, me elicere ex Asconii loco. qui cum sit locus insignis, & in primis notandus, & in quo uno binorum comitiorum mentio aperte fiat, tamen a te est prætermissus in magno illo comitiorum commentario, ita ut neque jurevocatarum, quæ fuerint, mentionem facias. tantum illud libro I. cap. IV. ascribas: *Apud Livium, & Asconium legi prærogativam tribum, & jurevocatas, ubi de comitiis centu-* F *riatis agitur*. quod tamen non in criminis loco pono: quid enim hoc me attingit? sed ut intelligas, me non sine caussa locum hunc ad rationem, disquisitionemque revocasse. *At locum illum non intellexisti*, inquis. cur non? *quia cum vulgo legatur, (Mos fuerat bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri,) ego vero te admonuerim, in aliis libris legi (bina denuo,) in aliis (bina domo,) in aliis (bina quodammodo,) tu vulgatam*, inquis, *omnium pessimam, (omnino) retinuisti. quod verbum vel totum tempus significat, vel totam rem: quorum utrumque falsum.* Ego vero si retinuero, *omnino*, (nam me repudiasse, *quodammodo*, mea verba non indicant) sed si retinuero, dicam, hanc fuisse sententiam Asconii, morem fuisse, ut de iisdem candidatis bina comitia fierent omnino, idest, necessario. quod est, majores magistratus creari non potuisse, nisi prærogativæ judicium jurevocatarum suffragia subsequerentur: ni ita fierent, vitiosa fore comitia; neque, si ita dixero, ridiculi aliquid me dicturum, sed ridiculum potius, qui refragetur, existimavero.

Quæris inde, quando primum abrogata priore binorum comitiorum consuetudine posterior hæc prærogativæ, & jurevocatarum inducta sit? si dicam, quemadmodum tu scriptum reliquisti, & me in libris de jure civium R. vel invitum scripsisse vis, post expletas XXXV. tribus, quæ fuerunt expletæ post annum urbis quingentesimum, tum me in multas difficultates, atque angustias quasi quasdam disputationis impellis; si ante tribus XXXV. expletas, tum me quasi reum stultitiæ facis, qui a summa tua auctoritate recedam. itaque quo me vertam nescio, cum ita te egisse videam, ut omnes mihi aditus evadendi occluseris. tentemus, an vi aliqua laqueos tuos frangere, si solvere non liceat, istos possimus. Prærogativam institutam esse post XXXV. tribus institutas & scripsisti in libris de comitiis, & nunc etiam ut cum maxime asseris. argumentaris autem hoc modo: *Prærogativa centuria non potest esse sine tribu prærogativa, tribus prærogativa non fuit, nisi postquam classium centuriæ ad divisionem tribuum pertinuerunt: atqui verba Livii libro primo aperte indicant, tum demum Servii mutata divisione classium centurias ad tribuum distributionem pertinuisse, postquam expletæ sunt XXXV. tribus*. Nihil validius. quid tamen, si propositionem utranque negem, non me doctis probaturum existimas? quid si tibi ipsi, nisi pertinax esse volueris, illud idem persuadeam? Nam quod prærogativa centuria non fuerit sine tribu prærogativa, unde educebatur, id quidem postremis temporibus convinci Ciceronis auctoritate video. quin autem primis sine tribu esse non potuerit, ut omnes centuriæ non aliter, quam omnes tribus in sortem conjicerentur, ita ut quæ prima sorte exisset, prima sententiam rogaretur, ne tu ipse quidem, ut puto, verisimile esse negabis. Verum non sit in hoc controversia. sit, ut est, in eo, quod inquis, ex Livii auctoritate, prærogativam non fuisse, nisi post triginta quinque tribus expletas. Verba Livii sunt hæc: *Nec mirari oportet, hunc ordinem, qui nunc est, post expletas quinque & triginta tribus, duplicato earum numero centuriis juniorum, seniorumque ad institutam ab Ser. Tullio summam non convenire. quadrifariam enim urbe divisa, regionibus, collibusque, quæ habitabantur partes, tribus eas appellavit. neque hæ tribus ad centuriarum distributionem, numerumque quicquam pertinuere*. Dico, te rectam horum verborum sententiam non assequi. primum enim inquis, centurias Servii regis tempore ad tribuum distributionem, numerumque non pertinuisse, atque hoc etiam in libro de comitiis repetis, cum Livius dicat, *tribus ad centuriarum distributionem numerumque*. &, quod mirabilius est, inquis, te me hujus rei adstipulatorem habere, cum in verbis, quæ profers, meis, ego tribus ad centurias, non centurias ad tribus traductas dicam. Interest autem plurimum, utro modo dicas. nam si dicas, centurias traductas ad tribuum distributionem & numerum, tribuum numerum auctum concludas, non centuriarum; si tribus ad centurias, centuriarum, non tribuum. Livius intelligit, numerum centuriarum majorem postea esse factum, quam qui a Servio fuerat institutus. Adde, quod, *duplicato earum numero*, interpretaris multiplicato centuriarum numero, atque in utroque, ut nunc demum sentio, laberis. neque enim de centuriis

intelligit Livius, sed de tribubus, nec multiplicatum centuriarum numerum, sed vere duplicatum tribuum numerum. Nam cum Servius præter quattuor tribus urbanas, quarum hic meminit Livius, multas etiam rusticas constituisset, ut omnes essent XIX. quemadmodum ego Livii, & Dionysii opinioni convenienter factum probavi in primo de jure civium R. cumque post aliæ, atque aliæ deinceps additæ sint, quarum nomina sunt apud Livium, ita ut factæ sint XXXV. vere dixit Livius, post expletas XXXV. tribus numerum tribuum esse duplicatum, cum a XIX. ad XXXV. pervenerint. Loquitur enim Livius de numero centuriarum, qui quoniam major erat ætate sua, quam fuerat ætate Servii, & hæc res poterat admirationem afferre, inquit: *Noli mirari, ordinem centuriarum, qui nunc est post expletas XXXV. tribus, non convenire summæ centuriarum institutarum a Servio: etenim cum duplicatus sit numerus tribuum, & tribus sint traductæ ad divisionem centuriarum, contra atque Servius instituerat, propterea auctus est numerus centuriarum*. Neque vero post XXXV. tribus expletas existimare debes, tribus præcipue traductas esse ad distributionem centuriarum, quia traduci etiam ante id temporis cœperant, sed maximum centuriarum numerum præcipue evasisse post expletas XXXV. tribus. Quamobrem noli quæso ea conclusione uti, qua uteris, cum inquis: *Sit ergo constitutum Livii testimonio non prius pertinuisse classium centurias ad tribuum distributionem, quam Romæ tribus XXXV. fuerunt. ex quo consequens est, non potuisse prius prærogativam tribum esse, quam XXXV. tribus Romæ fuerunt*. noli, inquam, ita concludere. immo quoniam Livius non centurias ad divisionem tribuum, sed tribus ad centuriarum pertinuisse dixit, collige, maximum centuriarum numerum, qui admirationem facere rem ignoranti poterat, post expletas demum XXXV. tribus fuisse, non autem prærogativam tribum post expletas XXXV. tribus institutam esse. præsertim vero cum Livius prærogativæ, & jurevocatarum multo ante expletas XXXV. tribus idem meminerit. ut libro V. anno CCCLVIII. *Haud invitis patribus P. Licinium Calvum prærogativa tribunum militum creat: omnesque deinceps ex collegio ejusdem anni refici apparebat. qui priusquam renunciarentur, jurevocatis tribubus permissu interregis P. Licinius ita verba fecit*. & libro decimo: *Cum primo vocatæ Q. Fabium consulem dicerent omnes centuriæ*. & post: *Nemini dubium erat, quin Q. Fabius omnium consensu destinaretur, eumque prærogativa, & primo vocatæ omnes centuriæ consulem dicebant*. Nam quod objicis, ut hunc scopulum vites, prærogativæ nomen his in locis improprie usurpatum non pro centuria sorte educta, sed pro priore quadam judicii sui significatione, & jurevocatas per prolepsim dictas, in eo neminem, ut spero, habebis sectatorem. Cum enim opponat prærogativæ jure vocatas, ut fecit Asconius loco commemorato, & ipse post libro vigesimo septimo, cum dixit: *Galeria juniorum, quæ forte prærogativa erat, Q. Fulvium consulem dixerat, eodemque jurevocatæ inclinassent*, satis ostendit, se eodem modo sumere, quo alias sumpsit. præsertim vero cum P. Licinium interregis permissu prius, quam collegæ renunciarentur, quos refici appareret, ad jurevocatas locutum inducat, ut eas ab eo consilio deterreret. quæ inania essent omnia, si jurevocatæ jam tum non essent institutæ, aut si jam tum mos non fuisset, ut jurevocatæ omen ipsius prærogativæ sequerentur, aut denique si prærogativam removeres, & jurevocatas improprie dictas defenderes. Neque vero est, quod ea te res moveat, quod in his locis vulgo legatur *prærogativæ*, non *prærogativa*, eamque lectionem ego ante annos XIV. in quinto libro laudarim. nam utraque lectio est veterum librorum, & ut nunc sentio, rectius legitur, *prærogativa*, quam *prærogativæ* utroque in loco. ut primo vocatas in decimo dixerit, quæ primæ post prærogativam vocarentur, ut ibi dixi. Cum ergo constet, prærogativam, & jurevocatas extitisse, tum cum P. Licinius ad eas locutus fertur, qui fuit annus CCCLVII. verisimile, aut certe improbabile non est, per ea tempora, quæ annum illum præcesserunt, institutas esse, ut quanquam certum hujus institutionis annum, quem a me curiose nimis exquiris, tradere nequeamus, tamen obscuros temporum eorum limites assignare possimus. & sive ea caussa instituendi fuerit, quam Festus, sive ea, quam Varro prodiderunt, nihil impedimenti est, quin ad ceteras ea quoque adjungi potuerit, quam ego tradidi, de qua tu plus, quam æquum est, laborare videris. quasi vero tu non aliam binorum comitiorum caussam tradideris, quam Cicero, atque eam probabiliorem esse, non ausus sis affirmare. Plura in hanc sententiam dicerem, nisi vetus Ciceroniani loci prolata lectio, quam ego germanam esse censeo, per se multas tuas reprehensiones etiam me tacente refelleret. Et his autem, quæ dicta sunt, illud statuo, genus unum binorum comitiorum fuisse, cum curiata lex ferebatur, ut ii magistratum haberent, quos populus, aut plebs centuriatis aut tributis comitiis designasset, quod primis temporibus observatum post obsolevit; alterum, cum prærogativæ centuriæ judicium jurevocatarum suffragia subsequuta sunt. quod a primis temporibus usque ad postrema permanavit. quorum alterum Cicero significavit in agraria, alterum Asconius, accedente Livii, & Ciceronis testimonio aperte prodidit. Ac de lege quidem curiata magistratuum hactenus.

CAP. III.

De lege curiata imperatorum.

DEINCEPS sequitur, ut agam de lege curiata, quæ magistratibus ad bellum, aut in provincias profecturis est lata. qua de re integra adhuc mihi tecum remanet controversia. Est autem quæstio ejusmodi. Cum Cicero scribat, *curiata comitia auspiciorum caussa remansisse*, satis autem constet, ipsius tempore, quo obsoletam priorem de magistratibus legem curiatam diximus, curiatam alteram de imperio usurpatam, quænam hujusce legis vis, ac sententia sit. Cum autem hæc lex nemini lata inveniatur nisi dictatoribus, consulibus, & prætoribus, cum ad bella & in provincias ire vellent, cumque eadem *rem militarem continuisse*, eadem *militaris fuisse* dicatur, facile in eam opinionem jampridem adductus sum, ut credam, hanc legem de imperio, ut dixi, militari auspicato mandando esse latam. siquidem qui auspicato rem gesserunt, auspicia illa a populo accepisse, auctor, ut postea ostendemus, est Cicero. Tu vero eandem esse putas, quæ magistratibus omnibus imperium primum in urbe dederit, deinde idem in provincia continuaverit. imperium autem militare ut in ipso magistratu insitum, sic cum ipso etiam magistratu mandatum censes. ego vero & a magistratu sejunctum, & alio modo, quam magistratum ipsum, delatum opinor. Quare haud levi de re instituitur disputatio, cum sit quærendum, idem ne sit magistratus, atque imperium, idem ne consul & prætor, atque imperator. Quoniam autem hæc expediri quæstio non potest, nisi ante quid magistratus, & quid imperium sit, cognoscatur, primum de magistratu, deinde de imperio statuamus.

CAP. IV.

Quid sit magistratus.

MAGISTRATUS igitur voco potestates omnes eorum, qui res humanas, quæ quidem ad remp. pertinerent, publica auctoritate

curarunt. Horum autem quatuor ferme fuerunt jura, unum imperandi, alterum jurisdicendi, tertium agendi, quartum auspicandi. Imperium tribus in rebus fuit positum, in edicendo, in vocando, in prehendendo. Edictorum duo genera fuere, unum, quo jurisdictionis suæ formulam initio magistratus proponebant, alterum, quo pro magistratus auctoritate, ut res tulisset, quæ videbantur, imperabant. Qui porro vocationem habuerunt, ii etiam jus prehensionis assecuti sunt, atque lictoribus, & viatoribus, & servis publicis usi sunt; qui prehensionem tantum, ii viatorem tantum cum servo publico adhibuerunt; qui neutrum, ii servis publicis duntaxat stipati incesserunt. Jurisdictio vero duas habuit partes, unam decretum, alteram judicii dationem. nam cum jus dicere nihil aliud esset, quam jus, quod in legibus, aut in edictis contineretur, ei, qui id poposcisset, reddere, profecto tum jus reddebant, cum aut ipsi re sine consilio cognita decernebant, aut judices, qui rem cognoscerent, dabant, atque eis judicandi formulam præscribebant. Actio vero eam habuit vim, ut qui hoc jus habuerunt, ii & ad senatum referre, & ad populum ferre possent de iis, quæ ad remp. pertinerent. Auspiciorum autem ratio triplex. una fuit observatio de cœlo, quæ ad comitia sive impedienda, sive vitianda pertinuit. altera avium inspectio, quam in omni ferme re publice aggredienda adhibuerunt. tertia pullorum tripudium, quæ militiæ inprimis est observata. Hæc autem jura convenerunt ita magistratibus, ut non omnes tamen his præditi fuerint, verum imperii, ac jurisdictionis partem aliquam omnes consecuti sint. De edictis res nota est, & a me aliis in libris tractata. De vocatione, & prehensione, quia res flagitat, recitabo verba Varronis ex Gellio. *In magistratu habent*, inquit, *alii vocationem, alii prehensionem, alii neutrum; vocationem, ut consules, & ceteri, qui habent imperium; prehensionem, ut tribuni pl. & alii, qui habent viatorem; neque vocationem, neque prehensionem, ut quæstores, & ceteri, qui neque lictorem habent, neque viatorem. qui vocationem habent, iidem prehendere, tenere, abducere possunt. & hæc omnia, sive adsunt, quos vocant, sive acciri jusserunt. tribuni pl. vocationem habent nullam, quod*, ut ibi inquit Gellius, *antiquitus creati videntur non juridicundo, nec caussis, querelisque de absentibus noscendis, sed intercessionibus faciendis, quibus præsentes fuissent, ut injuria, quæ coram fieret, arceretur, ac propterea jus ad se vocandi ademptum, quoniam ut vim fieri vetarent, assiduitate eorum, & præsentium oculis opus erat.* item alio loco ex eodem Varrone: *Qui potestatem neque vocationis populi viritim habent, neque prehensionis, eos magistratus a privato in jus quoque vocari est potestas. M. Lævinus ædilis curulis a privato ad prætorem in jus est eductus. nunc stipati servis publicis non modo prehendi non possunt, sed etiam ultro summovent populum.* Ex quibus intelligi potest, qui minorem coercitionem habuerunt, eos potestatem habuisse, qui majorem, imperium. Itaque dictatoris, consulum, ac prætorum non potestas solum, sed etiam imperium extitit; tribunorum vero pl. & ædilium curulium, & quæstorum, potestas tantum. quia aut prehensionem tantum, aut neque prehensionem, neque vocationem habuerunt. Hæc autem cum ita esse multo mecum ante constituissem, quoniam imperii vocem non solum ad magistratum sed etiam ad imperatorem pertinere videbam, propterea de imperio imperatoris acturus, ne vocis homonymia errorem pareret, prioris initio responsionis ita scripsi: *Ego duplicem imperii significationem dico, unam civilem quandam magistratus auctoritatem, alteram militarem, ac bellicam. sic autem statuo, omnes magistratus & urbanos, & provinciales civilem potestatem habuisse, verum alios majorem, alios minorem;*

A *quæ minor fuit, eam præcipue potestatem dictam; quæ major, non potestatem solum, sed interdum etiam imperium appellatam. idque ex eo liquere, quod de tribunis quidem plebis, atque ædilibus nunquam nisi potestatem dixerunt, in consulibus autem, & prætoribus & potestatem, & imperium usurparunt. unde Livius in secundo tribunum pl. privatum esse, sine imperio, ac sine magistratu prodidit.* Tu vero quid ais? unum ex his reprehendis, quod dixi de tribunis nunquam imperium dictum. ac mihi Florum, & Paterculum objicis, quorum alter prorogatum, alter abrogatum tribunis imperium dixit. atque hoc primi, ejusque gravissimi criminis loco das. Quod B ego miror in primis. neque enim intelligere videris, Florum, & Paterculum ibi imperium pro magistratu ipso cepisse, eosdemque improprie locutos esse, cum tamen ipse & ibi imperium sæpe pro magistratu usurpatum, & Ciceronem, aut Livium haudquaquam ita locuturos fuisse capite XIV. scribas. miror autem multo etiam magis, cum te eundem ita scribentem animadverto: *Est alia significatio imperii, qua major quædam jubendi, coercendique potestas intelligitur, in qua significatione cum accipitur, merito negantur omnes magistratus imperium habuisse, tametsi omnes jubendi potestatem haberent.* C *in ea significatione accipitur apud Varronem, cum scribit, magistratus aut vocationem habere, ut consules, ceterosque, qui imperium habent. hujus vocabuli ea vis passim observatur apud Livium, Sallustium, Ciceronem, ceterosque Latinos scriptores, ut in majoribus magistratibus sæpissime imperium, nonnunquam imperium simul ac potestatem usurpent, in minoribus potestatem.* miror, inquam, quia ipse usque adeo cæcus videris, ut non videas, te idem tradere, quod ego. tu enim minores magistratus potestatem habuisse scribis, non imperium, ego tribunos plebis, quos etiam sine magistratu esse dixit Livius, potestatem habuisse, non imperium. potesta- D tem autem uterque nostrum intelligit minorem cogendi, & coercendi facultatem. Quod vero dixit Livius, *tribunum pl. privatum esse, sine imperio, ac sine magistratu*, ex ea parte reprehendis, quod a Livio non sit proditum, sed apud Livium ab Appio consule pronunciatum, atque oratorie auctum. quod prorsus refutat Plutarchus in Problematis, qui historice, non oratorie quærens, cur prætexta alii magistratus uterentur, tribunus pl. non uteretur, respondet, *an quia tribunus pl. magistratus non est? neque enim ex sella tribuni jus dicunt, neque lictores præferunt, neque creato dictatore abdicant, sicut alii magistratus, quasi ipsi magistratus non sint, sed* E *alium ordinem obtineant.*

Deinceps vero declarans, quid esset potestas magistratus, dixi, eam in auspicio, & judicio fuisse positam, teste Cicerone in Legibus, qui scripsit: *Magistratus omnes judicium, & auspicium habento.* quod dictum cum tu tibi multis nominibus accusandum susceperis, videtur esse faciendum, ut omnes reprehensiones tuas, quam possim, brevissime planissimeque refellam. Primum autem crimen est, quod Ciceronis testimonio in Legibus utar, quæ omni ex parte non sint legibus Romanis accommodatæ. quod crimen puto esse tum levissimum, tum mihi tecum, & cum omnibus, qui in hoc genere disputationis versantur, commune. verum, age. cur non sunt F accommodatæ? quia statuit, inquis, ut censores quinquennio magistratum gerant, cum per XVIII. menses tantum gesserint. quid? non ne primis temporibus quinquennalis censura fuit? non ne ipse Cicero aperte scribit, se multas leges ponere, quæ si non essent in legibus Romanis, tamen erant in more majorum, qui tum, ut lex, valebat?

Alterum crimen est, præcipuam magistratus potestatem non in judicando, & auspicando collocatam fuisse, sed in imperando. Quod quanti faciendum

sit, non est difficile intellectu. neque enim sola imperandi potestas magistratum constituit, quanquam sine ea magistratus esse non potest, nam etiam sacerdotes pro jure sacerdotii, & legati pro jure curationis suæ imperarunt aliquid, quos tu tamen magistratus non vocas. & qui magistratui judicium, i. jurisdictionem attribuit, eidem etiam imperandi potestatem ascribit. nam si potestas imperandi, te interprete, est potestas coercendi, magistratus, qui jurisdictionem habet, idem etiam coercitionem habuerit, necesse est. nam quomodo plene jus dicet, si quis in jus vocatus non paruerit, neque prehendi potuerit? Etenim ut scripsit Paulus D. de jurisdictione, *Jurisdictio sine modica coercitione nulla est*. Coercitione autem sola magistratum non constitui, inde apparet, quod multi magistratus neque vocationem, neque prehensionem habuerunt, in quibus coercitio est versata, si auctoritati Varronis stamus. Jam quod addis, *me parum memorem esse, quod cum dixerim, tribunum magistratum non esse, post dicam, potestatem esse in auspicio, & judicio, quorum utrunque conveniat in tribunum*, non vereor illam culpam. neque enim dixi, tribunum non esse magistratum, sed imperium de tribuno non dici, cognosci ex Livio, qui dixit, *tribunum privatum esse, sine imperio, ac magistratu*. Verum fac, me dixisse, tribunum pl. non esse magistratum, eumque iterum esse magistratum, inconstantiæ culpam non extimescam. primis enim temporibus dicam non fuisse magistratum, quia auspicium non habuit, & jus non dixit, ut Plutarchus loco prolato, & Gellius libro XIII cap. XII. scribunt; postremis fuisse magistratum, quia & auspicium habuit, & jus dixit. nam auspiciorum jus quoddam accepit post decemviros abrogatos, auctore Zonara, & jus dixit in subselliis, ut testis est Asconius, & tu confiteris.

Tertii criminis loco deinde objicis, quod apud Ciceronem interpreter, *judicium* jurisdictionem, i. potestatem decreti interponendi, ac judicis dandi. atque hoc reprehendis bifariam, primum negans magistratus omnes habuisse potestatem decretum interponendi, & judicis dandi, deinde negans, verba Ciceronis eam, quam dixi, sententiam continere. utrique reprehensioni occurram paucis, ac prius priori. Dico igitur, magistratus omnes aut statuisse aliquid pro auctoritate magistratus sui, aut judicem, qui cognosceret, dedisse. audi eum, qui scripsit Rhetorica ad Herennium. *Judicatum est*, inquit, *de quo aut sententia lata est, aut decretum interpositum*. sententiam enim refert ad judicem, decretum ad magistratum. & Appium decemvirum consularem apud Livium: *Ut jam sciret, non id petulantiæ suæ, sed Virginio absenti datum, jus eo die se non dicturum, neque decretum interpositurum*. i. neque judicem, qui cognoscat, daturum, neque ipsum aliquid decreturum. Siquidem Ulpianus D. de jurisdictione scribit: *Jurisdictio est etiam judicis dandi licentia*. audi denique Ciceronem in Verrem ita loquentem: *An dubitabit quisquam, quin is venalem in Sicilia jurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum, atque omnia decreta vendiderit, & quin ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavium ob jus dicendum poposcerit?* Atqui omnes magistratus si non judicem dederunt, decretum saltem interposuerunt. cur enim ad eos privati confugerent, si ipsi pro auctoritate sua decernere nihil possent? mitto ceteros. sumo tribunos pl. quos sine magistratu aliquando fuisse innuit Livius, non ne hos & decretum interposuisse, & tutores æque, ac prætores dedisse lege Atilia constat? at Ulpianus D. de jurisdictione, *Jusdicentis*, inquit, *officium latissimum est. nam & bonorum possessionem dare potest, & pupillis non habentibus tutores confirmare*. Ex quo sequitur, magistratus omnes potestatem decreti interponendi habuisse.

Quod vero negas, verba Ciceronis eam sententiam habere, quam ego dixi, ac novam ipse affers, puto utile esse, utranque expositionem inter se conferre, ut, utra verior sit, judicari facilius possit. Verba legis, quam de magistratibus in universum Cicero ponit, hæc sunt: *Justa imperia sunto, iisque cives modeste, ac sine recusatione parento. magistratus nec obedientem, & noxium civem mulcta, vinculis, verberibusque coerceto, ni par, majorve potestas, populusve prohibessit, ad quos provocatio esto*. Sequuntur inde leges de singulis magistratibus, quibus expositis infert: *Omnes magistratus auspicium, judiciumque habento. ex queis senatus esto*. atque hæc verba inde ipse interpretans ita subjicit: *Omnibus magistratibus auspicia, & judicia dantur. judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur, auspicia, ut multos inutiles comitiatus probabiles impedirent moræ*. His verbis ego dico exprimi fere, quæ in universum ad magistratuum jura pertineant, primum jus edicendi, deinde coercendi, tum ad populum accusandi, postremo auspicandi, & judicandi. Edicta magistratuum justa esse statuit; coercitionem ejusmodi, ut si quem aut mulctaverint, aut prehendi, aut verberari jusserint, obediant provocationi, si is, quem illi coercuerint, aut ad collegam, aut ad majorem potestatem, aut ad populum provocaverit. accusationem vero esse talem, ut si cui ad populum mulctam pœnam irrogarint, de ea cognoscat populus; auspicia vero se eis concedere ait ob id, ut cum de cœlo se auspicatos esse dixerint, ea obnunciatione comitia inutilia dirimantur; judicia postremo, ut sit aliqua populi potestas, ad quam confugiant, qui jus suum persequuntur. nam populi potestatem interpretor magistratuum populi, & provocare ad potestatem populi, a magistratu judicium postulare, ut postea ostendam. Ob id ergo dat judicia magistratibus, ut privati habeant populi potestatem, ad quam provocent, i. cujus auxilium quocunque modo læsi implorent. auxilium autem dabit magistratus aut decretum interponendo, aut judices dando. Atque hæc quidem mea est expositio. tua vero ista a te his verbis expressa: *Judicium illo loco significat potestatem exercendi ad populum judicii, disceptatoreque, ac judice populo damnandi, pro ea, quam quisque magistratus haberet, potestate. habuerunt enim omnes magistratus eam cum populo agendi, reumque ad populum faciendi potestatem, quam nemo privatus habebat. ego vero non aliunde veram, ac germanam hujus loci interpretationem sumo. Cicero recitatis suis legibus legum a se positarum cum rationes, caussasque subjicit, ita de hac lege scribit: (Deinceps omnibus magistratibus auspicia, & judicia dantur, judicia, ut esset populi potestas, ad quam provocaretur) ex his verbis dico, necessario colligi, nomine judiciorum illo loco significari, illas, quas dixi, ad populum vocationes. dicit enim magistratibus data in lege ob id judicia, ut per illa judicia ostenderetur, statueretурque summa illa populi potestas, quæ in provocatione posita erat. hoc vero jus ad populum vocationis omnes, ac soli magistratus habebant*. Hæc tu. ex quibus apparet, te censere, Ciceronem velle, magistratus omnes potestatem habere accusandi ad populum, & mulctam irrogandi, ita tamen ut provocare liceat ad populum. Ego vero dico, hæc ex omni parte falsa esse, atque a sententia Ciceronis aliena. primum, quia si Cicero vellet, magistratus omnes habere potestatem accusandi ad populum, sequeretur, ut vellet, omnes jus habere agendi cum populo. at in eadem lege hoc jus concedit tantum consuli, prætori, dictatori, magistro equitum, interregi, & tribuno pl. ergo non omnibus accusandi ad populum dedit potestatem. Siquidem accusare ad populum est agere cum populo. Adde, quod si hoc vellet, quæ supra scripta sunt, in tam brevi lege sine caussa repeteret.

ſupra vero ſcripſit de provocatione ad populum, & de irrogatione mulctæ. neque eſt veriſimile eadem in eadem lege paucis interjectis verbis iteraturum. Huc accedit, quod idem haud ſibi conſtaret, ſi daret irrogationem magiſtratui, quo conſtitueretur provocatio ad populum. quia irrogatio valet ad perniciem, provocatio vero ad ſalutem. Etenim ſi ſupra dixit, *Si magiſtratus irrogaſſit, per populum mulctæ pœnæ certatio eſto*. item, *Magiſtratus civem mulcta coerceto, ni populus prohibeſſit, ad quem provocatio eſto*, præclare utrunque dixit. at hoc abſurde. Do magiſtratibus mulctæ irrogationem, iccirco ut ad populum provocatio ſit. quod eſt nihil aliud, quam ſancio, ut magiſtratus civibus vulnus inferre poſſint, quo a populo ſanari queant. Jam vero cum judicia ad populum fiant duobus modis, uno, ſi quis a magiſtratu damnatus ad populum provocet appellando vel collegam ejus, vel majorem magiſtratum, a quo producatur ad populum, (neque enim privatus, ut tu optime ſcis, agere ad populum, aut cum populo poteſt, niſi productus a magiſtratu) altero, cum magiſtratus iratus alicui ei diem dixit ad populum, ac mulctam irrogavit, de qua cognoſcat populus. unde Livius libro III. *C. Julius decemvir Sextio diem dixit, & accuſator ad populum extitit, cujus rei legitimus judex erat*. Si ſecundum modum repetitum putas, temere putas, quia in ſecundo modo provocatio non incidit; ſi primum, ergo judicium ibi ſignificabit, ut ego ſcripſi, poteſtatem decernendi. non enim neceſſaria eſt provocatio, niſi præceſſit judicium magiſtratus, quod ego appello Decretum. neque enim provocabant ad populum, poſtquam magiſtratus eos accuſarat ad populum, ſed poſtquam eos ſuo decreto damnarat. Addo præterea, magiſtratus omnes habere judicia eodem modo, quo habent auſpicia. at habent auſpicia ita ut auſpicando de cælo impediant inutilia comitia, id eſt, proſint reip. ſic etiam habent judicia, ut ſuis judiciis ſublevent eos, qui ad ſe provocarint, i. auxilium ſuum implorarint. at tu magiſtratibus das judicium, i. accuſationem ad populum, ut civibus nocere poſſint. Ut autem auſpicia impediunt inutilia comitia, ſic judicia defendere civium injurias debent. Quid plura? genus ipſum orationis aperte tuam, ut video, ſententiam reſpuit. nam ſi de provocatione ad populum intelligeret, non ſcripſiſſet, *Ut eſſet populi poteſtas, ad quam provocaretur*, ſed *ad quem*. neque enim dicunt Latini provocare ad poteſtatem populi, ſed ad populum. poteſtas autem populi eſt idem ac magiſtratus. quin etiam poteſtas pro magiſtratu ſæpiſſime ponitur. Aſconius in IV. Verrinam: *Romæ appellari tribuni poſſunt contra omnem poteſtatem*. Svetonius in Cæſare: *Quod compellari apud ſe majorem poteſtatem paſſus eſſet*. Cicero in hac lege: *Ni par, majorve poteſtas, populuſve prohibeſſit, ad quos provocatio eſto*. Dixit autem Cicero provocare ad magiſtratum pro eo quod veteres juriſconſulti dicunt provocare ad judicium magiſtratus. quod eſt nihil aliud, quam poſtulare judicium. Cajus D. de judiciis: *In tribus iſtis judiciis familiæ erciſcundæ, communi dividundo, & finium regundorum quæritur quis actor intelligatur, quia par cauſſa omnium videtur. ſed magis placuit, eum videri actorem, qui ad judicium provocaſſet*. Ulpianus ibidem: *Sed cum ambo ad judicium provocant, ſorte res diſcerni ſolet*. Et tamen cum hæc ita ſint, adeo tibi in hoc places, ut eo modo ſcribas, quo ne Varronem quidem ipſum, ſi reviviſceret, arbitrarer eſſe ſcripturum. *Quoniam multos*, inquis, *etiam alios video ad hunc ſcopulum naufragium feciſſe, magis mihi elaborandum eſt, ut me adhuc ſolum inde ſalvum evaſiſſe demonſtrem*. Quo quid magis poteſt eſſe ventoſum? Gaude igitur, quod ſolus ſalvus emerſeris ex hoc oceano, & me cum reliquis omnibus, quorum judicium tu præ tuo, ut video, pro nihilo ducis, perire æquo animo patere. Nam quod poſtremo adjungis, me non mihi conſtare, qui urbanis, & provincialibus magiſtratibus auſpicia, atque judicium adimam, falſo objicis. nam eos cum imperio quidem, ſed ſine magiſtratu eſſe, Liviana nixus auctoritate, dico. Ac quid ſit quidem magiſtratus, ex his intelligi poſſe, quantum ad noſtram diſputationem pertinet, arbitror.

CAP. V.

Quid ſit imperium.

NUNC de imperio loquamur, quod militare dicimus, cujus cauſſa hæc omnis eſt oratio inſtituta. Non eſt autem dubium, quin imperium præter ceteras ſignificationes ſit poteſtas, ac jus imperatoris. Cum autem imperator ſit, teſte Cicerone in primo de oratore, *adminiſtrator belli gerendi, ſive dux*. Dux autem, ut ſcribit Livius libro quarto, ſit *qui bellum ſuis auſpiciis gerit*, ſane imperium jus erit adminiſtrandi, ac ſuis auſpiciis gerendi belli. unde illud eſt Ciceronis de Cæſare Octavio: *Demus imperium Cæſari, ſine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris adminiſtrari non poteſt*. Hæc autem auſpicia accipiebantur a populo curiatis comitiis, cum legebantur imperatores, e Capitolio, cum paludati exituri erant. A populo accepta oſtendit Cicero in libris de divinatione, cum ſcripſit, *proconſules bella gerere, cum non haberent auſpicia, quæ acciperentur a populo*. Curiatis comitiis accepta docet idem, cum in or. de lege agraria dixit, *curiata auſpiciorum cauſſa remanſiſſe*, & Livius cum legem de imperio *curiatam* nominat, atque curiata comitia rem militarem continentia auſpicata fuiſſe ait. E Capitolio accepta, cum idem libro XXI. de Flaminio conſule ſic ſcribit: *Quod conſuli juſtum imperium, quod auſpicium eſſet, magiſtratus id domo publicis, privatiſque penatibus, Latinis feriis actis, ſacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis ſecum ferri*. & libro XLV. *Conſul, prætorve proficiſcens paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum vota in Capitolio nuncupat*. & libro XLI. *Quod non more majorum ſecundum vota in Capitolio nuncupata lictoribus paludatis profectus ab urbe eſſet*. Si ergo imperator eſt adminiſtrator belli gerendi, aut qui tales jus accepit, adminiſtrare vero eſt ſuis auſpiciis gerere, auſpicia vero a populo, & e Capitolio accipiebantur, profecto ad imperatorem lex curiata ad populum lata, ſacrificium, vota, & paludamenta e Capitolio pertinent. & qui hæc non habuerit, aut nullus imperator, aut certe juſtus non erit.

CAP. VI.

An imperium in magiſtratu fuerit inſitum.

NON idem autem fuiſſe imperium, ac magiſtratum, neque in ipſo magiſtratu fuiſſe incluſum, ex eo apparere poteſt, quod ipſa eodem modo neque capiebantur, neque inibantur, neque gerebantur, neque prorogabantur, neque eodem in loco exercebantur.

Quod dixi de capiendo, ſatis conſtat, alio modo magiſtratus creatos, atque imperatores conſtitutos. nam magiſtratus mandabantur comitiis, imperium lege aliqua, aut ſenatuſconſulto. inter quæ illud interfuit, quod in comitiis ex multis petentibus pauci legebantur, in rogatione legis uni nominatim imperium deferebatur. unde ſcripſit Feſtus: *Cum imperio eſſe dicebatur, cui a populo nominatim mandatum erat imperium*. Indicat utriuſque actionis formula. in conſulibus enim creandis rogabatur po-

pulus, *Quos vellent consules fieri*. tum deinceps respondebant centuriæ, ex iis, qui petere professi erant, hunc, aut illum. unde Asconius, ut dixi: *Prærogativæ tribus dictæ, quod primæ rogabantur, quos vellent consules fieri*. in imperatoribus autem legendis rogabatur, *Vellent, juberent ne, ut huic consuli, aut postquam consulatu abisset, in hoc bello, aut in illa provincia imperium esset*, aut, *Ut hic consul, aut proconsul rem gereret*. respondebant plerunque curiæ, *Uti rogas*. unde Livius libro XXVI. *Omnes centuriæ P. Scipioni imperium in Hispania esse jusserunt*, & libro IX. *Actum cum tribunis pl. est, ad populum ferrent, ut, cum Philo consulatu abiisset, pro consule rem gereret*.

In ineundo vero quanta diversitas fuerit, non est necesse pluribus demonstrare. Etenim magistratus inibant, ut satis constat, K. Jan. sacrificio in Capitolio facto, prætexta sumpta, lictoribus togatis prælatis: imperium vero alio, ut se obtulerat, die, altero in Capitolio sacrificio facto, votis nuncupatis, paludamento sumpto, & paludatis lictoribus prælatis. unde etiam togam prætexta mutare, ex privato magistratum fieri, paludamentum prætexta mutare, ex magistratu imperatorem fieri dicebant, ut ego in libris de Provinciis demonstravi. Itaque vix risum continere potui, cum te scribentem legi, *ex paludamento imperium non posse concludi, quod etiam lictores paludati essent, qui tamen non essent imperatores*. risi vero, quod non videres, si lictores ante togati incesserunt, dum prætextato consuli apparuerunt, postquam autem consul imperium, & insigne imperii paludamentum accepit, & ipsi paludati præcesserunt, illud paludamentum lictoris ad consulem referri, non ad lictorem. Quare quod inquis, probare me debuisse, solos imperatores paludamento ornatos fuisse, nihil est. quia paludamentum lictorum, non lictorum erat insigne, sed magistratuum, quatenus erant imperatores. quemadmodum fasces non erant lictorum fasces, sed eorum, quibus præferebantur. *At dixit Livius*, inquis: *Consul proficiscens prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum, ne omnes fuisse belli duces existimaremus, qui paludati exibant*. egregie. scilicet dubitavit prudens historicus, ne lictores pro imperatoribus sumeremus. hos enim unos tu præter consules, & prætores, aut alio modo duces, paludamento ornatos attulisti. Quod si consul dimissis lictoribus pro privato est habitus, certe antequam eos sumeret, pariter fuit privatus. Unde dixit Plutarchus in Fabio: *Fabius dictator obviam prodeunte altero consule, viatore misso lictores dimittere eum jussit, atque insignibus magistratus abjectis privatum ad se venire*. si hoc in consule, profecto etiam in imperatore. non enim imperator ante est, quam imperatoria accepisset insignia, quæ a consularibus diversa constat fuisse.

De dissimilitudine vero administrationis hæc habemus. Illud sane perspicuum est, imperium populi R. ex civibus R. & sociis provincialibus constitisse, atque utrique eorum varium jus esse concessum. Hoc autem jus qui reddiderunt, ii jus dicere, & magistratus esse dicti sunt. jus autem dixerunt aut de privatis controversiis, quæ proprie jurisdictio nominatur, aut de publicis, quæ præcipue quæstio appellatur. Ac Romæ quidem separati fuerunt magistratus, qui de privatis, & de publicis caussis cognoverunt. in provinciis autem idem utranque procurationem obivit. quod si cives aut socii potestate magistratus propria coerceri non potuerunt, quæ potestas in lictoribus, & vocatione posita fuit, tum ad extremum auxilium vim armatam venerunt. quoniam autem exercitus haberi sine imperio non poterat, novum jus magistratui fuit addendum, quo exercitum habere, & qui non obedirent armis cogere posset. & quia socii contineri procul ab domo armorum metu remoto non potuerunt, & multæ provinciæ hostibus vicinæ teneri sine exercitu nequiverunt, propterea omnibus præsidibus etiam in pacatas provincias euntibus militare imperium tribuerunt. Neque vero negatur, quin imperator aliquam & ipse jurisdictionem habuerit, sed eandem habuisse refellitur. Jus enim & ipse dixit civibus, aut sociis, verum non ut cives, aut socii erant, sed ut milites a se sacramento adacti erant. neque lites eorum cognovit, aut in eos animadvertit, ut prætor, sed ut imperator. Omnino autem cum tria magistratibus committerentur, jurisdictio, quæstio, & rei militaris administratio, intelligendum est, hæc ita inter se fuisse subjecta, ut nisi speciali lege in eodem conjungi non possent. Siquidem ut qui habebat jurisdictionem, non habebat propterea etiam quæstionem; sic qui habebat jurisdictionem, & quæstionem, non continuo habebat etiam militare imperium. itaque ut jurisdictio competebat provinciali magistratui jure magistratus, sic quæstio specialiter lege, aut senatusconsulto conveniebat. Quod vero dixi de jurisdictione, & quæstione, id est apud Papinianum D. de officio ejus, cui mandata est jurisdictio. *Quæcunque specialiter*, inquit, *lege, vel S. C. vel constitutione principum tribuuntur, mandata jurisdictione non transferuntur. quæ vero jure magistratus competunt, mandari possunt. & ideo videntur errare, qui cum publici judicii habeant exercitionem lege vel S. C. delegatam velut legis Juliæ de adulteriis, & si quæ aliæ sunt similes, jurisdictionem suam mandant*. Quid plura? non ne minus est habere quæstionem, quam rei militaris administrationem? certe. at neque consul, neque prætor urbanus, neque peregrinus injussu populi quæstionem habent, ergo multo minus rei militaris administrationem. nam primis temporibus ut quæque res capitalis commissa erat, ita ejus rei quæstio aut consuli, aut prætori lege mandabatur, postremis, cum prætores sortiri quæstiones cœperunt, tum ex legibus de iis latis eas exercuerunt. Quod si consul insitum in se militare imperium habuisset, certe multo potius Cæsar, & Bibulus armis inter se contendissent, quam edictis. Nemo autem consul cum inimico suo bello contendit, nisi aut summo S. C. ornatus, ut Q. Catulus cum Lepido, & C. Antonius cum Catilina, aut ex S. C. provinciam cum imperio adeptus, ut Sylla, & Cæsar cum inimicis suis. Itaque Octavius cum neque S. C. summum, nec provinciam haberet, imperio a senatu extraordinario est affectus. Cæsar autem, & Bibulus, quia nondum provincias habebant, in consulatu edictis concertaverunt. Quid? jurisconsulti, ubi de officio consulis, aut proconsulis agunt, num aliud, quam urbanam, aut provincialem jurisdictionem attingunt, aut aliquid rei militaris tradunt? non certe.

Jam vero prorogatio procurationis quam in utroque diversa fuerit, ex hoc cognosci potest, quod cum magistratum, ut consulatum prorogarunt, dixerunt *continuare magistratum*, cum militare imperium continuarunt, dixerunt *prorogare imperium*. cui vero ex urbano magistratu prorogatum erat imperium, is tantum rem militarem, quam in magistratu tractaverat, pro magistratu tractabat. Quod apparet ex formula ipsa prorogationis imperii, quæ est apud Livium libro VIII. *Actum cum tribunis plebis est, ad populum ferrent, ut, cum Philo consulatu abiisset, proconsule rem gereret*. & post de eadem re: *Singulare hoc ei accidit prorogatio imperii non ante in ullo facta*. Tu vero intramuranos magistratus proprie magistratus, extramuranos imperia nominatos, atque hæc dicendi genera re eadem, verbo sejuncta esse contendis. quocunque enim modo dicatur, semper intelligi magistratus potestatem prorogatam. Quod ego concoquere non possum. urbanas enim provocationes magistratus scio vocari,

A quia jurisdictionem, quæ propria est magistratus, continent; extramuranas vero imperia nominari, quia ad jurisdictionem rei militaris imperium omnium maximum habent adjunctum. re autem distincta esse, ex eo apparet. fit enim consul. hic habet jurisdictionem, cum senatu, & cum populo actionem, quæ sunt propria consulatus, & si legem curiatam de imperio habeat, etiam militare imperium. reficiatur in posterum idem consul, eadem erit auctoritate, eodemque jure, quo anno superiore, & consul iterum vocabitur, quippe continuato magistratu. in tertium inde annum prorogetur illi imperium, quæro a te num vocabis eum consulem tertium?
B minime vero, sed proconsulem. an dices habere jurisdictionem eandem, actionem eandem? multo minus. an jus idem belli gerendi? idem omnino. si quidem latum est, ut proconsule possit rem gerere, quod est, non jus dicere, sed bellum administrare. quomodo ergo imperium prorogare est idem, atque magistratum continuare? & imperium non est a magistratu diversum? Nam quod dixisti, *prætoribus aliquot urbanis imperium prorogatum a Livio*, respondeo prorogatum esse militare imperium, quod in prætura urbana extra ordinem obtinuissent, quamvis Livius de eo verbum nullum fecerit, sic enim
C assuevit.

Quod autem extremo proposui, diversa magistratuum, & imperatorum in administrando loca, quam eorum diversa jura fuerint, demonstrare, id in priore responsione multis verbis edocui: quæ necessario hic repetenda sunt, ut singulas tuas, quibus oppugnantur, rationes sigillatim hoc loco refellam. *Qui civilem*, dicebam, *adeptus potestatem erat, quæ magistratum ipsum attingebat, is in urbe manebat; qui cum imperio erat, quoniam exercitus habendi potestatem obtinebat, id quod parum civili tutum libertati putabatur, is statim ex urbe egredi, & aut in provinciam, aut ad bellum delatum proficisci, aut ad urbem*
D *cum imperio manere jubebatur: ubi vero ex provincia, belloque reversus erat, aut statim urbem privatus ingredi, aut, si de triumpho cogitabat, ad urbem morari solebat. Quod si triumphum impetrasset, tum quoniam triumphare sine exercitu non poterat, exercitus autem haberi sine imperio non licebat, imperium autem militare in urbe non concedebatur, propterea lex ad plebem de imperio ejus diei ferebatur*. Adversus hæc tu quidem multa, sed illud in primis: *Si sic esset, futurum, ut omnes consules, quoniam civilem potestatem habebant, in urbe manere oportuisset*. Quod non est ita. Non enim omnes ego consules dixi oportuisse manere in urbe, sed mansisse; qui vero imperium ad-
E eptus esset, eum oportuisse ex urbe exire. his autem nihil aliud volui, quam magistratui in urbe esse licuisse, imperatori vero non licuisse. Addis, *Non omnes consules, qui provinciam sortiti essent, in provincias profectos, sed liberum eis fuisse, manere ne in urbe, an in provinciam ire vellent*. Concedo. verum aliud est, sortiri provinciam, aliud accipere imperium in provinciam: nam post sortitionem provinciæ sequebatur latio legis curiatæ de imperio, inde acceptio imperii per insignia in Capitolio. ego vero dico, non post sortitionem provinciæ, sed post accepta imperii insignia urbe esse egressos. Quos porro consules profers in provinciam non profectos, eos provinciam
F post sortitionem, non post imperii acceptionem deposuisse dico. atque hæc ex eodem, quem tu profers, Livii loco, cognosci possunt: *C. Claudius consul veritus, ne forte ea res provinciam, exercitumque sibi ademeret, non votis nuncupatis, non paludatis lictoribus, nocte profectus præceps in provinciam abiit*. & post: *Romam ex provincia rediit ad solemnia vota in Capitolio nuncupanda, paludatosque lictores accipiendos*. Itaque, quorsum illa tua pertineant, non video; nempe profectionis in provincias tempus in voluntate magistratuum fuisse. an enim hoc agimus, accepisse imperii insignia, cum libuit, an urbe egredi jussos, postquam imperium acceperunt? quanquam ne illud quidem ipsorum in potestate fuit. siquidem scribit Cœlius: *Consules, quia verentur, ne senatusconsultum illud fiat, ut paludati exeant, omnino S. C. fieri nolunt*. Adjungis, *si consules urbe egredi jussi essent, quod ab eorum imperio periculum libertati fuisset, Romanam remp. nunquam metu, qui a suis magistratibus immineret, liberam futuram fuisse*. Quo loco ego quæro de te, cur periculosum putarint, cis Rubiconem, qui tum erat Italiæ finis, exercitum adducere, atque, id ne fieret, decreto sanciendum putarint? cur denique exercitum in Gallia citeriore habere parum tutum existimarint, atque eam postremo hac de caussa Triumviri libertate, teste Dione & Appiano, donarint, ne quis provinciæ nomine in Italia exercitum haberet? Quod si imperatorem esse cum exercitu in Gallia, atque cis Rubiconem exercitum adducere libertati Romanæ periculosum putarunt, ergo in urbe exercitum habere, & cum imperio esse, tutum duxerunt? *Non poterant*, inquis, *timere de imperatore, quia vetabatur lege, ne intra urbem exercitum imperare, classemque procinctam intra pomœrium habere liceret*. immo vero in eo vel maxime se timere valde significabant, cum imperatorem urbe exire volebant, eundemque in urbe exercitum imperare vetabant. Sed quæcunque caussa egrediendi fuerit, consul imperio accepto cum urbe exivit, satis demonstravit, non idem fuisse consulatum, atque imperium. Quod autem præterea reprehendis, quod *triumphare sine exercitu, qui triumphum impetrasset, non posse* dixi, & uteris exclamatione, miror: tum enim exclamatio locum habet, cum res aut falsa aperte est, aut indigna. *Bone deus*, inquis, *Sigonius mandare scriptis non erubuit, triumphare sine exercitu neminem potuisse*. Falsum est enim, me scripsisse, triumphare sine exercitu nemini licuisse. Scripsi quidem, triumphare sine exercitu, qui triumphum impetrasset, non potuisse. quod autem scripsi, id ex vetere triumphi instituto sumpsi: sic enim observatum esse docet Zonaras, ubi omnem triumphi pompam exponit: sic Cicero in Pisonem, ubi agit de triumpho: *Quid clamor militum, quid tota illa pompa?* Sic Livius de Paulli triumpho: *Militum propria est caussa, qui & ipsi laureati triumphum nomine cient, suas & imperatoris laudes canentes per urbem incedunt*. Quid quod multis negatus est triumphus, quod exercitum non deportassent? *Exemplum*, inquit Livius, *obstabat, quod ita comparatum more majorum erat, ne quis, qui exercitum non deportasset, triumpharet*. at aliquot, inquis, non deportato exercitu triumpharunt. quid si majorum instituta non servarunt? Addis, qui ovantes urbem ingrediebantur, sine exercitu omnes fere inisse. nolo nunc quærere, plures ne sine exercitu, an cum exercitu ovantes inierint: illud volo te scire, quod scribit Dionysius libro quinto: *Differt*, inquit, *ovatio a triumpho, quod qui ovans ingreditur, urbem ingreditur pedibus, exercitu præcedente*. Neque vero si ovatio semel, aut iterum est concessa, quod exercitus non esset deportatus, nos cogere debet, ut dicamus, qui ovantes inirent, sine exercitu id fecisse; immo vero si triumphus est negatus, quod exercitus non esset deportatus, concludi potest, exercitum ad triumphum more majorum necessarium fuisse, & qui hoc neget, ut in aperto mendacio erubescere debere. Adjicis, legem de proconsulum triumphantium imperio latam fuisse, ne privati triumpharent. non improbo. Illud tamen scire de te cupio, cur triumphare privati non potuerint? nempe quia imperium non habebant, non civile, (neque enim eo opus erat) sed militare: verum cum in urbe militare imperium haberi non posset, relinquebatur, ut a lege in eam diem duntaxat petendum esset. Postremo concludis, legem de triumphantium imperio, non de

rei

rei militaris poteſtate fuiſſe, apparere ex verbis Valerii, qui inquit: *Moris erat, ab imperatore triumphum ducturo conſules invitari ad cœnam: deinde rogari, ut venire ſuperſedeant, ne quis eo die, quo ille triumphaverit, majoris in eo convivio ſit imperii*. neque enim ſi imperium, inquis, militare ille habuiſſet, conſulibus in convivio, qui civilem tantum auctoritatem haberent, conceſſiſſet. Non eſt hoc magni. fieri enim potuit, ut triumphantes in convivio privati fuerint: ſiquidem veriſimile eſt, ut urbe exituri ſacrificio facto in Capitolio imperium ſuſcipiebant, ſic etiam reverſos ſacrificio facto depoſuiſſe. convivium autem, teſte Zonara, poſt ſacrificium fiebat. aut ſi in convivio imperium retinuerunt, tamen more majorum conſulum majorem fuiſſe reſpectum, quam ejuſmodi imperatoris, qui tribus poſt horis privatus eſſet futurus: ſiquidem Plutarchus in Problematis rationem hujus inſtituti reddit, quia triumphanti in cœna primus locus debebatur, quem præſentibus conſulibus concedere jus non erat.

Quanquam autem hæc adeo firma ſunt, ut refelli non poſſint, tu tamen his poſthabitis imperium in magiſtratu inſitum, & cum ipſo magiſtratu mandatum inquis. Quod ut efficias, in conſulibus, dictatoribus, prætoribus & cenſoribus jus militare fuiſſe demonſtrare aggrederis: ac de conſulibus quidem in hunc modum. *Conſulibus regia fuit poteſtas, maxime, quia ſcripſit Cicero in Legibus, regio imperio duo ſunto: at reges belli adminiſtrandi jus habuerunt, ergo & conſules*. Quam autem falſa hæc concluſio ſit, declarat Q. Fabius apud Livium, cum inquit: *Ego P. Cornelium reip. vobiſque, non ſibi ipſi privatim creatum conſulem exiſtimo. exercituſque ad cuſtodiam urbis, atque Italiæ ſcriptos eſſe, non quo regio more per ſuperbiam conſules, quo terrarum velint, trajiciant*. at conſules bella adminiſtrarunt. adminiſtrarunt, imperio lege curiata accepto. cum ab initio eo jure eſſent, ut ipſis bella gerenda decernerentur, non autem ut jure conſulatus ſine S. C. ſine lege bellum regio more gerere poſſent. Quod autem Ciceronem in Legibus teſtem producis, inique certe facis. quaſi enim oblitus videris, te tribus ante verſibus Legibus Ciceronis auctoritatem abrogaviſſe, quia a legibus Romanis eſſent alienæ, meque earum teſtimonio ſeveriſſime interdixiſſe. Addis, *Conſules dicuntur prætores: at prætor ſignificat eum, cui pareat exercitus, ergo conſules ex jure conſulatus bellicum habent imperium*. Hoc, ut puto, ſumpſiſti a Varrone, qui libro quarto ſcribit: *Prætor dictus, qui præiret jure, & exercitu*. Præclare utrunque. jure præfuit, populi ſcito centuriatis comitiis, exercitu lege curiata; aut præfuit exercitui, quod ad annuos delectus habendos pertinuit, non quod ad rem pro ſuo jure gerendam. Ad reliqua; quæ adjungis: *Cicero ſcribit, imperatores comitiis conſularibus delectos, Livius belli duces legi, cum conſules legebantur, Salluſtius loquens de conſulibus, annua imperia, binos imperatores factos ſcribit*: ad hæc, inquam, ita reſpondeo, ut ſupra; cum conſules deligebantur, eos eſſe delectos, quibus præcipue, ſi opus fuiſſet, imperium militare committeretur, non qui ſine alia lege imperatores eſſent. Adjicis: *Conſules delectum habuerunt quotannis, ut ſcribit Polybius, ergo militare jus habuerunt*. Dico jus militare duplex eſſe poſſe, imperfectum, & perfectum. imperfectum eſt magiſtratus, ut delectum annuum habeat, quo copiam juniorum, qui ſtipendia faciant, inſpiciat. perfectum eſt imperatoris, ut exercitui præſit, & bellum gerat. illud habuerunt conſules, ut conſules, hoc vero ut imperatores. qui vero imperatores fuerint, ſupra demonſtratum eſt. Jam verba L. Poſtumii conſulis ita loquentis: *Non ita veſtræ auctoritatis P. C. meminero, ut me conſulem eſſe obliviſcar, eodem jure imperii, quo bella geſſi, bellis feliciter geſtis triumphabo*: hæc, inquam, verba, niſi oratorie potius a Poſtumio, quam vere, ut tu de Appii verbis dicebas, prolata ſint, ego in hunc modum interpretor. quoniam triumphus, qui a ſenatu concedi ſolet, ab eo mihi negatur, triumphabo juſſu populi, qui me & conſulem, & imperatorem fecit, conſulem centuriatis comitiis, imperatorem lege curiata. Quare eodem imperii jure dixit, id eſt, accepto a populo, non a ſenatu. nam illud ſequitur, *his dictis eum reliquiſſe ſenatum*. ita quoque ad reliqua. Negabis hæc fortaſſe, quia liquidiore nulla auctoritate firmentur. immo vero firmantur. audi Servium in VIII. Æneidos: *Antonius Cleopatræ prætoria caſtra conceſſit, quorum qui potiebatur imperio, ipſe vocabat exercitum. unde eſt de Cleopatra: Patrio vocat agmina ſiſtro. nam Antonius conſulare tantum ſibi detinuit imperium, in quo ſola eſt poteſtas jubendi. ille enim ducit exercitum, qui habet in poteſtate caſtra prætoria*. Quod autem quæris, ſi imperium militare non fuit inſitum in conſulum magiſtratu, quid eis relictum ſit, poſtquam prætore inſtituto ad eum tranſlata juriſdictio eſt, non eſt difficile reſpondere. nimirum hoc relictum eſt, ut, cum opus eſſet, accepto, ut dixi, imperio bella gererent, ut cum ſenatu, & cum populo agerent, ut Lavinii ſacrum facerent, ut Latinas indicerent ac celebrarent, ut legatis ſenatum darent, ut pernicioſis tribunorum actionibus obviam irent, ut magiſtratus crearent, ut multis de rebus, ſi res poſceret, jus dicerent, ut demum reip. ipſi univerſæ præeſſent.

Tranſis inde ad dictatorem, & ais, imperium militare in ejus magiſtratu fuiſſe inſitum, quacunque de cauſſa eſſet creatus, ita ut omnes dictatores pari poteſtate fuerint, nec magis imperium militare habuiſſe, qui rei gerendæ cauſſa creatus eſſet, quam qui clavi figendi, aut ludorum cauſſa. Ego vero dico, dictatores quacunque de cauſſa creatos, ubi dictatores dicti ſunt, ac magiſtratum inierunt, dicturæ jus, quodcunque legibus contineretur, accepiſſe præter imperium militare, eo vero nunquam affectos niſi poſt legem curiatam. neque vero cum legimus dictatorem dictum rei gerendæ cauſſa, intelligere debemus, ea nominatione imperium militare eſſe tranſmiſſum, verum cauſſam, cur extraordinario hoc magiſtratu reip. opus eſſet, bellum fuiſſe, quod ei gerendum eſſet, ubi lege curiata imperium accepiſſet. nam ſi nominatione conſulis imperium militare accepiſſet, quid nova amplius de imperio lege fuiſſet opus, quam tamen, ut ſupra dixi, latam invenimus? *At multi*, inquis, *dictatores aliam publici negocii partem geſſerunt, quam cujus cauſſa creati erant, ut Cincinnatus, qui rei gerendæ cauſſa creatus judicio præfuit M. Volſcii, & Mamercus, qui in legibus ferendis occupatus eſt*. ſit ita. quid tum? ergo militare imperium in eorum magiſtratu fuit inſitum? quo modo hoc ſequitur? *At Camillus*, inquis, *ſeditionis ſedandæ cauſſa creatus minatus eſt ſacramento omnes adacturum, & exercitum extemplo educturum*. minatus eſt ſcilicet, aut lege curiata jam ſibi lata, aut quia de ejus latione non dubitavit. ſacramento vero adegit cives dictator jure dictatorio, quacunque de cauſſa eſſet creatus, bellum geſſit jure legis curiatæ, quam ipſe ſibi tulit, ut ante diximus. Atque cum hoc idem dicam in ceteris, quos tu anxia prope cura quadam collegiſti, ſatis doceo, cauſſam creationis non jus facere magiſtratus. neque enim hoc ego ullo loco aut ſcripſi, aut ſenſi, ſed omnes æquo jure eſſe, & ſi bellum gerere vellent, lege curiata, ſi ordine res ageretur, eguiſſe.

Jam vero de prætoribus ita agis: *Prætorium omnium una fuit ratio, una forma. at prætores provinciales, eo quod prætores fuerunt, jus militare habuerunt. ergo & qui in urbe magiſtratum geſſerunt*. Ego

vero: Prætorum omnium una fuit ratio, ita ut postquam a populo creati essent, & antequam provincias sortiti essent, æquo omnes jure essent ad negocia publica populi R. gerenda, quæ ipsis aut forte evenissent, aut senatusconsulto mandata essent. postquam autem sortiti provincias sunt, alii eam auctoritatem nacti sunt, ut jus inter cives dicerent, alii ut inter cives, & peregrinos, alii ut inter provinciales, aut, veluti postremis temporibus, ut quæstiones publicas exercerent. nemo autem horum imperium militare accepit tum, cum creatus est, sed cum lex curiata ei est lata. Itaque Varro libro quinto de lingua Latina scripsit: *Prætor, qui quærit, nulla alia de caussa, quam comitiorum caussa, urbanum convocare exercitum potest*. *At multi prætores*, inquis, *ex iis, qui urbanam, & peregrinam jurisdictionem sortiti erant, exercitum habuerunt, & in bello versati sunt*. nam hoc etiam, quasi magnum aliquid esset, plurimis Livii locis tibi confirmandum putasti. Quid? si re cogente privato imperium militare sæpe plebiscito delatum est, cur non potuit dari etiam prætori, qui jurisdictionem sortitus erat, lege curiata? *At hujus legis Livius non meminit*. concedo. verum neque etiam ejus curiatæ meminit, quam tu postremis etiam temporibus quotannis initio magistratibus omnibus ferri contendis. & si meminisset, nullam caussam contentionis reliquisset. *At C. Calpurnius prætor urbanus, teste Livio libro* XXVI. *post præturam in Etruriam prorogato in annum imperio missus est, item Hostilius, & Sergius alio, ergo in prætura urbana militare imperium fuit inclusum*. Non me hoc movet. fieri enim potuit, ut ardente Punico bello Italia, cum multis ducibus opus esset, prætores urbani militari imperio ornarentur ad omnia subita belli consilia expedienda. atque hoc item apud Livium sit omissum. nam etiam legem Oppiam abrogatam scribit, nec tamen latam scripserat. & sæpe censores lustrum fecisse inquit, quos creatos non dixerat. atque alia ejusmodi multa. De Varo vero prætore urbano, cui S.C. ora maris tuenda data erat, itemque de ceteris, quos addis, multis sic respondeo, eodem S.C. quo extra ordinem provinciam illam acceperunt, etiam imperium militare potuisse accipere, ut Pompeius contra Sertorium eodem S.C. & missus, & cum imperio missus est. Jam illa, *quod consules T. Mælium prætorem urbanum delectui habendo præfecerint, aut Petellio, & Fabio prætoribus urbano, & peregrino, & si qui alii ejusmodi fuerunt, imperatum sit, ut exercitum scriberent*, plane levia sunt. Etenim si consules privatum præficere consulari negocio potuerunt, ut legatum, cur non etiam magistratum? Quod autem consules, & prætores, quia jus centuriatorum comitiorum habuerunt, concludis jus imperii militaris habuisse, id jam quale sit, perspici potest. Sic enim agis: *Centuriatorum comitiorum habendorum potestas sine rei militaris potestate nec esse, nec intelligi potest: quia vexillum in arce ponebatur, quia exercitus præsidii caussa imperabatur, quem exercitum sacramento adigi oportuit, quia centuriata comitia intra pomœrium haberi nefas esset, quia populus sub signis, & centurionibus tanquam in bello conveniret, quia militaria auspicia observabantur*. Hæc quin vera sint, non nego, ex his effici, perfectum imperium ipsos habuisse, illud vero nunquam assensero. Jus enim comitiorum centuriatorum habuerunt consules & prætores, tanquam magistratus, militare vero perfectum tanquam imperatores. Quod si quicunque centuriata comitia habuerunt, imperium etiam militare haberent, non solum interreges, sed etiam pontifices maximi ejusmodi imperio præditi essent, qui te potissimum auctore jus comitiorum habuerunt. & tamen imperium habuisse non legimus. speciem igitur aliquam hi omnes militaris habuerunt imperii, ut non exercitum, sed quasi exercitum ducerent, nec imperatores, sed quasi imperatores essent, cum omnia, quæ in comitiis fierent, simulacra essent rei militaris, non vere rem militarem attingerent. Neque vero qui vexillum habet, aut comitiorum caussa exercitum urbanum imperat, est imperator, sed qui belli caussa, eo modo, quo diximus: *At præsidii caussa*, ut inquit Gellius, *in comitiis exercitum imperarunt*. concedo. ergo imperatores propterea fuerunt. ne tu quidem concedis in primo de comitiis capite tertio: *Neque moveri oportet*, inquis, *quod exercitum imperare comitiis centuriatis oportuit, ut ait Gellius, pontificibus autem maximis exercitum imperandi jus non esset. neque enim ab eo, qui comitia habebat, dicit Gellius imperari exercitum oportuisse*. Dico igitur talem imperationem exercitus imperium militare plenum non desiderasse, aut si ab alio, quam ab eo, qui comitia habebat, imperari exercitus potuit, ab eo imperatum, qui tale imperium habuit. Nam quod conscriptionem adhibitam, & sacramenti adactionem putas, sane rem ut inauditam, sic operosam inducis, ut quotiescunque comitia centuriata habenda essent, quod vel magistratuum, vel legum, vel judiciorum caussa fiebat prope quotidie, toties universus populus esset conscribendus, & sacramento adigendus. nam belli caussa juniores tantum citabantur, qui stipendia emerita non haberent. comitiorum caussa & juniores, & qui stipendia emerita haberent, conscribendi erant, & sacramento adigendi. deinde vero quo sacramento? ne acie excederent, ne furtum facerent. hæc enim militari sacramento continebantur; plane ridiculum. At exercitus comitiorum caussa in urbe imperari non poterat, perinde atque belli caussa, idem sub signis, & sub centurionibus conveniebat, ut etiam belli caussa. ergo imperium fuit idem? minime vero, sed simile. sic enim dixit Dionysius, *multitudinem convenisse sub signis, & centurionibus tanquam in bello*. At auspicia eadem adhibebantur. sit ita. non tamen actio illa propterea erat bellica. docet Festus: *Peremne*, inquit, *auspicatur, qui amnem, aut aquam, quæ ex sacro oritur, auspicato transit, sic magistratus in campum euntes, ut aliquid agant, Petroniam in Tiberim profluentem auspicato transibant. Ut aliquid agerent*, inquit, non ut præcipue exercitum convocarent comitiorum caussa. alioquin quicunque magistratus in campum profectus esset, is militari imperio ornatus fuisset; siquidem militare auspicium captasset. Quod vero quæris, an magistratus comitia centuriata habiturus, in campo acceperit imperium, ibidemque peractis comitiis deposuerit, quorsum pertineat, non video, cum ego ne in campo quidem imperium tale habuisse constituam.

Quod autem tertio loco affers de censoribus, *ipsos lustrandi populi causa exercitum imperasse, sub vexillo duxisse, comitia centuriata habuisse, quare etiam imperio insignitos fuisse*, id totum eadem ratione, qua de consulibus dixi, everti potest. siquidem, ut dixi, aliud est censorio more populum lustrare, aliud imperatorio exercitum. ad censum convenerunt patresfamilias, ut familiam, fortunasque suas jurati profiterentur, ad delectum juniores, ut nomina sua in militiam darent, ac longe diverso sacramento se obstringerent. Quod autem consuli, ac censori licuisse inquis, idem etiam prætori quæsitori permisum esse, Varro scribit libro quinto; quem tamen non ob hoc prætorem dixeris: *Sed ad comitia, inquit, tum vocatur populus. ideo alia de caussa hic magistratus non potest exercitum urbanum convocare. censor, consul, dictator, interrex potest. quod censor exercitu centuriato constituit quinquennalem cum lustraret, & in urbem ad vexillum ducere debet. dictator, & consul in singulos annos, quod hic exercitum imperare potest, quo eat, id quod per*

centuriata comitia imperare solent. Quid plura? tantum abest, ut censor imperium militare habuerit, ut ne coercendi quidem potestatem habuisse videatur. siquidem lictores non habuit, sed servos publicos tantum. Unde Livius: *Censores signatis tabellis publicis, clausoque tabulario, & dimissis servis publicis, negarunt, se quidquam publici negocii gesturos*. Atque hos etiam servos publicos apparuisse ædilibus curulibus, qui coercitionem non haberent, scripsit apud Gellium idem Varro.

De tribunis autem militum quod inquis, respondeo, aliud esse tribunorum imperium, atque id, de quo agimus. agimus autem de imperio ducis. tribunus autem non dux est, sed minister ducis. *At non differt*, inquis, *imperium ab imperio, nisi quod ducis majus est imperium, quam ministri*. immo vero eo etiam, quod imperium tribunatus est imperium magistratus, imperium ducis est aliquid amplius. itaque tribunicium imperium iis comitiis mandatur, quibus magistratus, & eo modo, quo magistratus, ducis imperium lege curiata, ut post apertius apparebit. Quare qui ab initio consul, aut prætor tantum erat, antequam acciperet imperium, post accepto imperio imperator, ut jam dixi, vocabatur. tribunus ubi primum creatus erat, jus suum obtinebat, neque legem aliam desiderabat.

Quod postremo duumviros navales opponis, eosque ducis imperium in magistratu insitum habuisse scribis, plane absurdum est. Neque enim duumviri navales duces fuerunt, cum suis auspiciis bellum non gesserint. neque enim satis est, eos in bello esse versatos, ut auspicia habuisse concludamus. quoniam quæstores etiam in bello versati sunt, & tamen auspiciis caruerunt. Et si duumviri duces fuerunt, a populo cum ea potestate creati sunt, ut rei navali præessent, & ea curarent, quæ ad naves faciendas, aut reficiendas pertinerent, & de ea re jus dicerent. at vero si imperium habituri erant, lege curiata acceperunt, cum essent magistratus, nisi extra ordinem aliquid actum est. Atque hæc quidem de propria vi magistratus, atque imperii dicta sint.

CAP. VII.

De imperio eorum, qui in magistratu, aut ex magistratu bellum gesserunt, aut in provincias profecti sunt.

CUM ergo imperium esset a magistratu sejunctum, institutum erat, ut id lege curiata magistratus acciperent cum bellum geri senatui, aut populo placuisset. Hi vero fuerunt consul, & prætor, &, qui consulum loco creari extra ordinem solebat, dictator. Quod si consuli, aut prætori post magistratum prorogandum imperium fuisset, tum plebiscito prorogabatur, sin autem peracto magistratu in provinciam eundum esset, imperium lege curiata dabatur, si prorogandum, plebiscitum adhibebatur. Probemus autem de singulis. Ac de consulibus quidem, ac dictatoribus locus unus Livii satis magno documento est. is est libro nono. *L. Papirio dictatori legem curiatam de imperio ferenti triste omen diem diffidit, quod Saucia curia fuit principium duabus insignis cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis. Macer tertia etiam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam facit. dictator postridie auspiciis repetitis pertulit legem*. Ex hoc loco illud primum elicitur, quod hanc maxime quæstionem continet, legem curiatam de imperio alicui ferre, esse militare imperium ei lege curiata tribuere. Id quod quia controversiam facit, hoc modo mihi probandum videtur. Sane illud perspicuum est, imperium quattuor modis esse mandatum, senatusconsulto, plebiscito, lege centuriata, & lege curiata. quod si cum primis tribus modis imperium est mandatum, militare imperium est mandatum, certe etiam quarto, cum lege curiata transmissum est. Senatusconsulti exemplum sit illud Ciceronis: *Demus imperium Cæsari, sine quo exercitus haberi, bellum geri, res militaris administrari non potest*. Plebiscití illud Livii libro XXXI. *Plebs Cn. Cornelio, & L. Stertinio procos. imperium esse in Hispania jussit*. Legis centuriatæ illud libro XXVI. *Omnes centuriæ P. Scipioni imperium in Hispania esse jusserunt*. De magistratu enim intelligi non posse, illud est argumento, quod magistratus nominatim non mandaretur, sed imperium tantum, ut supra docui. Quod si alicui cum prorogatur imperium, is rem gerere pro magistratu jubetur, certe etiam cum datur imperium magistratui, is in magistratu rem gerere jubetur. Et si formula legis curiatæ de confirmandis magistratibus fuit, Velitis, jubeatis, ut ii magistratum habeant, quos populus, sive plebs designavit, sane formula legis curiatæ de imperatoribus constituendis erit, Velitis, jubeatis, ut mihi in hoc bello, aut in illa provincia, aut ut illi in hoc bello, aut in illa provincia imperium sit? Itaque cum postremis temporibus lex curiata ad imperia militaria mandanda maxime adhiberetur, præcipuo nomine lex militaris appellata est. siquidem Dio de adoptione Torquati agens libro XXXIX. legem curiatam legem militarem nominavit, cum tamen de re militari minime loqueretur. Quin etiam ex eodem Livii loco colligitur, antiquissimam hanc legis curiatæ de imperio ferendæ consuetudinem extitisse. siquidem lata est non multo post exactos reges Fabio consuli, qui male pugnavit ad Cremeram, & post anno CCCLXIII. tribunis consularibus, qui ad Aliam fusi sunt, & post aliis consulibus, qui ad furcas Caudinas sub jugum missi sunt. præterea vero illud etiam elicitur, dictatorem a lege curiata non dictaturam accepisse. Siquidem Papirius ante dictator fuit, quam legem curiatam de suo imperio tulerit. nam si lex curiata Papirio dictaturam dedisset, certe legem ipsam ferre non potuisset, quia agere cum populo, & legem rogare est una res, quæ maxime jus dictaturæ continet. Hic tu respondes, si modo verba tua intellexi, nam obscura admodum mihi videntur, Papirium, cum dictator rei gerendæ caussa creatus esset, non potuisse esse dictatorem ante legem curiatam, verum tum demum pleno jure fuisse dictatorem, cum lex curiata est lata, neque magistratum dictaturæ in eo constitisse, ut cum populo ageret. Ego vero dico, cum dictator aut rei gerendæ, aut seditionis sedandæ, aut alius rei præcipuæ agendæ caussa creatus legitur, non id solum, cujus caussa creatus dicitur, agere potuisse, sed etiam omnia alia. inter quæ præcipuum illud erat, ut cum populo ageret, ut tu multos fecisse multis sine caussa collectis exemplis docuisti. tantumque abesse, ut actio cum populo ad dictaturam non pertineat, ut si id juris ei adimatur, non sit futurus dictator. Siquidem Cicero in Legibus posuit, dictatorem jus cum patribus populoque agendi habere. tu vero optimus auctor censes, omnes magistratus habere jus accusandi ad populum, quare etiam agendi cum populo. quia qui accusat, populum rogat. quod non negas. Addis nominationem consulis dedisse dictaturam, legem curiatam confirmasse, ita ut si populus eam rogationem antiquasset, una etiam magistratum dictaturæ abrogaturus fuerit. Ego vero dico, ex tuis pulchris decretis populum (sic enim triginta lictorum conventum vocemus) antiquare non potuisse. legem autem curiatam non confirmasse dictaturam, sed imperium ad bellum, quod esset gerendum, attulisse, & antiquata lege curiata dictatorem dictaturam habiturum, sed non imperium, id est, dictatorem quidem, sed non

Qqq ij

imperatorem futurum. Neque vero est, quod sententiam tuam tueri velis loco Ciceronis ex agraria, & Messallæ apud Gellium. nam satis demonstratum est, de alia ibi curiata agi, antiqua illa scilicet, & obsoleta. quæ ne dictatoribus quidem, & interregibus est lata quondam, quia neque ita populus bis de illis magistratibus judicasset, cum eorum neuter a populo creatus sit, verum alter a consule dictus, alter a patriciis proditus. Adjungis, ut dictator agere posset cum populo, satis fuisse nominationem consulis, quanquam dictator magistratus nondum esset; nec meminisse videris, te in primo de comitiis constituisse, firmiterque sanxisse, neminem agere cum populo potuisse, nisi magistratum, & ex sacerdotibus pontificem maximum. nunc medium quendam statum excogitasti, hominis scilicet, qui neque privatus sit, neque in magistratu, qui & ipse agere cum populo possit. Quod ut confirmes, addis, consulem etiam designatum aliquando collegam dixisse. siquidem Livius libro XXXVII. scribit, C. Lælium consulem comitia habuisse, quibus M. Fulvius Nobilior consul unus creatus esset, *cum ceteri*, inquit, *centurias non explessent. isque postero die Cn. Manlium Lepido dejecto, nam Messalla tacuit, collegam dixit.* atque hoc arcanum Romanæ antiquitatis appellas. Me miserum, qui nunc primum hæc augusta mysteria discam. ego enim jampridem legeram, Fulvium collegam dixisse, id est, nominasse sine comitiis, quomodo consules dictatorem dicunt. Siquidem hoc etiam in tribunis observatum est. Livius libro IV. *Tribuni pl. facti quinque, aliis tribus non explentibus, sibi collegas alios quinque cooptarunt.* Quid quod tu aliter in secundo de comitiis cap. IV. scripsisti? *Cum ceteri candidati*, inquis, *centurias non explessent, tum ille, qui unus erat designatus postea alio die collegam sibi ut subrogaret, lege jubebatur.* nam si lege jubebatur, ergo non vi designationis. Quare tuus iste nec privatus, nec magistratus a te nuper ex arcanis, ut ais, antiquitatis erutus, vanus prorsus est ac commenticius. Atque hæc quidem, quæ de lege curiata consulibus ferenda dixi, ita esse, ut dixi, indicat præterea apertissime dictator Camillus apud Livium libro quinto, cum anno CCCLXIII. ita loquutus est: *Comitia curiata, quæ rem militarem continent, centuriata, quibus consules, tribunosque militum consulari potestate creatis.* Ex his enim verbis quis est, qui non intelligat, consulibus magistratum datum centuriatis comitiis; imperium militare, si bellum gerendum esset, curiatis: id est, consules a populo factos centuriatis, eosdemque imperatores lege curiata? Quæ verba etsi ita plana sunt, ut nihil possit esse planius, tu tamen, ut tuam defendas opinionem, ea torques, atque dilaceras. & ais debere concludi, quoniam comitia rem militarem continent, eos non potuisse pleno jure magistratum obtinere, tametsi centuriatis comitiis creati essent, nisi etiam curiatis populus de iis judicasset, quod consules non essent optima lege, qui rei militaris potestatem non haberent. Quæ responsio repugnat iis, quæ a te supra sunt constituta. Primum enim si imperium militare continetur, ut dixisti, in majore coercendi potestate, & ea comitiis centuriatis mandata est, certe etiam imperium militare mandatum est. quare consules sine lege curiata pleno jure fuerunt. Item si lex curiata confirmat consulatum, confirmat non magis jus rei militaris, quam reliqua jura consularia, ergo Camillus non plus debuit dicere, comitia curiata rem militarem continere, id est, confirmare, ut tu exponis, quam alia jura. Postremo cum inquis, *Consules non esse, qui rei militaris potestatem non habent*, sane ostendis, lege curiata non confirmari magistratum, sed dari imperium militare. atque ita in meam opinionem imprudens laberis. Quid ergo vult Camillus? Romanos, si Romam reliquerint, neque consules, neque tribunos consulares, neque eosdem imperatores habituros, quia nisi auspicato creari non possent, illi centuriatis, hi curiatis, quæ auspicia nisi Romæ concipi non poterant. Quod idem Cicero sensisse videtur, cum in secunda agraria dixit: *Consules si legem curiatam non haberent, rem militarem attingere non potuisse*, quasi vero alias omnes actiones obire consules sine lege curiata potuerint hac una militari excepta.

Atque hæc quidem dicta eo pertinent, ut ostendatur, consulibus in consulatu legem curiatam, si bellum gerere voluerunt, opus fuisse. Jam vero ut ostenderem, eosdem, si post consulatum in provincias ire vellent, eandem legem curiatam desiderasse, proferebam duos Ciceronis locos, unum in agraria: *Consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum est*; alterum in epistola ad Lentulum: *Appius consul dixit in senatu, sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam, se, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem redisset.* His autem probabam idem, quod antea, consules ante legem curiatam consulatum gessisse. atque ejus rei argumento esse, quod ipsi legem curiatam sibi tulissent, quæ rem militarem continet, & quod cum consulibus legem curiatam ferentibus sæpe intercessum esset, non tamen ipsi consules esse desissent. & quod Appius transacto maxima ex parte consulatu suo de lege curiata sibi ferenda loquutus sit, deque ejus perlatione dubitaverit. Quod si lex curiata eo tempore magistratum confirmasset, consules, quibus intercessum erat, non fuissent consules, & Appius in discrimen venisset, non de provinciali imperio, sed de consulatu. Tertium inde locum ex epistolis ad Atticum producebam. *Consules flagrant infamia, quod C. Memmius candidatus pactionem in senatu recitavit, quam ipse & suus competitor Domitius cum consulibus fecisset, uti ambo sestertium quadringena consulibus darent, si essent ipsi consules facti, nisi tres augures dedissent, qui se affuisse dicerent, cum lex curiata ferretur, quæ lata non esset, & duos consulares, qui se dicerent, in ornandis provinciis consularibus affuisse, cum omnino ne senatus quidem fuisset.* Ex quibus verbis dicebam percipi posse, tum consules ante legem curiatam latam consulatum gessisse, quippe qui post aliquot menses, quam inierant, legem eam ad populum tulissent, tum legem curiatam fuisse de imperio non urbano, sed provinciali, ac militari. His autem tu locis omnibus multas responsiones affers. quod est argumento, te in tota hac controversia titubare, nec certi, quod opineris, aliquid habere. Prima responsio est, falli me, qui existimem, consules, qui rem bellicam administrarunt, semper ipsos sibi legem curiatam tulisse de suo imperio, postquam jam inissent magistratum, quia C. Flaminius absens secundum consulatum iniit, & Marius tertium, atque uterque bellum gessit, neque sibi legem curiatam pertulit. ex quo concludis, legem latam ab eo, qui eos designavit. Ego vero nego, me scripsisse, consules semper sibi legem curiatam tulisse, postquam inissent, sed cum in superioribus Ciceronis locis scriptum sit, consules legem sibi curiatam tulisse, satis argumento esse, legem eam non magistratum attulisse, sed militare imperium. De Flaminio vero quid scribat Livius, attende: *Cum Cn. Servilius de rep. rettulisset, redintegrata in C. Flaminium invidia est. duos se consules creasse, unum habere. quod enim illi justum imperium, quod auspicium esset magistratus, id a domo, publicis, privatisque penatibus, sacrificio in monte perfecto, votis rite in Capitolio nuncupatis secum ferre, nec privatum auspicia sequi, nec sine auspiciis profectum in externo ea solo nova, atque integra concipere posse.* Si ergo Flaminius, ut inquis, legem curiatam habebat ab eo, qui ipsum designarat, latam,

& lex curiata auspicatum imperium attulit, ut tu alio loco dixisti, quomodo Livius scripsit, Flaminium justo imperio, atque auspicio caruisse? De Mario item possum dicere, quemadmodum contra leges tertium consulatum cepit, sic contra leges iniisse. Secunda tua responsio est, fieri potuisse, ut lex curiata a collega, qui præsens esset, ferretur, quemadmodum lata est toti collegio prætorum. Quod inculcas de collegio prætorum, ut notum, nescio unde expiscatus sis. neque enim hoc probas: nec quæ de prætoribus dixisti, hoc aliqua ex parte attingunt. Quod vero inquis de lege lata a collega præsente, id certe exemplo Flaminii reprobatur. quem nunquam questi essent Romani justum imperium non habere, si justum imperium tradi a collega Romæ præsente ipsi absenti potuisset. Nam quod adjicis, te invenire, *Consules aliquid rei bellicæ gessisse statim inito magistratu, quod non potuissent, nisi perlata lege. ex quo apparere, legem latam esse ab iis, qui ipsos designassent*, concedam, dummodo & ipse concedas, consulem rem militarem attingere non potuisse sine lege curiata sive ab ipso, sive ab alio lata. Quod autem adjungis, *Neronem, & Salinatorem, antequam inirent consulatum, provincias & exercitus esse sortitos*, non est satis. non enim qui sortitur provinciam & exercitum, statim habet imperium, quia provinciæ imperat, cum accessit ad eam; exercitui imperat, ubi imperii insigne, atque adeo exercitum ipsum accepit. Tertiam responsionem affers, legem curiatam confirmasse consulatum, non dedisse, ita ut consules fuerint etiam ante eam legem, sed non optimo jure. quæ responsio quam infirma, atque inconstans sit, satis ex iis, quæ supra dicta sunt, puto liquere. Quarta est, duplicem esse legem curiatam de imperio, unam, quæ initio fertur magistratui ad confirmandum magistratum, alteram, quæ transmittit imperium auspicato, & in locis a me allatis, quibus consules pene confecto consulatu legem sibi curiatam ferunt de imperio, secundam esse intelligendam. Hic ego primum quæro, quid habeas dicere, cur si eædem curiæ primam, & secundam legem jubent, auspicatum sit magis imperium, quod secunda lege transmittitur, quam quod prima. & si sola lex secunda transmittit auspicato imperium, cur non omnes ii, quibus lex lata est ab iis, qui ipsos designarunt, inauspicatum imperium sint habituri, contra quam tu supra constituisti. nisi eos eodem die, atque eadem hora binas leges curiatas tulisse dicas, alteram inauspicatam ad confirmandum magistratum, in quo etiam te auctore inest militare imperium, alteram auspicatam ad transmittendum. quo nihil potest esse perversius. Ultima tandem est, fieri potuisse, ut consules illi, quos nominavi, initio magistratus non potuerint per intercessiones, & obnunciationes eam legem ferre, quam in designandis magistratibus, aut postquam iniissent, ferri oportebat. neque hujus responsionis attendis incommodum. nam si lex illa initio magistratus ferri non potuit, ergo magistratus eorum lege non est confirmatus. si ita, ergo consules illi per te pleno jure consules non fuerunt. immo vero ne consules quidem fuerunt: nam supra dixisti, sine lege curiata magistratum nullum fuisse. at consules hos magistratum gessisse sine lege illa constat, ergo lex illa non ad magistratum pertinuit, sed ad aliquid magistratui adventicium, id est, ad bellicum, si opus fuit, imperium committendum. Verum illud demiror imprimis, te legem curiatam ferri non potuisse dicere, cum supra scripseris, triginta lictores, ad quos ferebatur, facere non potuisse, quin legem acceperint, neque in eorum potestate fuisse, ut antiquarent.

Postquam hæc responsa dedisti, quoniam ea infirma atque imbecilla esse intelligis, duobus ea tibi locis Dionis communienda suscipis. unus est hic: *Qui Thessalonicæ erant, novos magistratus non crearunt, quamvis ad præscriptum legis locum ad captanda auspicia publicum fecissent: in caussa fuit, quod legem curiatam consules non intulerant. itaque iisdem, quibus ante, usi sunt magistratibus, appellationibusque tantum mutatis, eos proconsules, proprætores, & proquæstores dixere.* Hic ais, cum Dio scribat, Lentulum, & Marcellum consules novos magistratus non creasse Thessalonicæ, quia legem curiatam non intulerant, satis apparere, legem curiatam consulibus ferendam esse, ut optimo jure consules essent. Ego vero dico, Lentulum, & Marcellum consules, qui Thessalonicæ in castris erant, neque consules, neque prætores novos in annum sequentem creasse, quibus imperium traderent, quia intelligebant, si imperium militare, quo maxime opus erat, eis mandare ordine vellent, per legem curiatam dari oportere, quam ipsi non intulerant: itaque veteribus magistratibus imperia prorogasse, ut mos erat, plebiscito, non lege curiata, quanquam autem locum auspiciorum pararant, tamen id tantum valuisse videtur ad centuriata comitia, quibus consules, & prætores creandi erant. Nam si dicas, novos magistratus non esse creatos, quia lex curiata a consulibus non esset lata, quæri poterit, cur consules centuriata comitia parassent, quod erat operosius, curiatam vero non tulissent, quam tu censes ad triginta lictores latam antiquari non potuisse. Ergo probabilius videtur dictu, eos rationem centuriatorum comitiorum habendorum iniisse, qua consules, & prætores crearent, non autem centuriatæ legis ferendæ, qua eosdem imperatores constituerent: nam lex curiata apud Dionem, ut dixi, lex militaris vocatur. Itaque prorogando veteribus magistratibus imperio assequutos esse quod voluerunt, ut imperatores haberent, quos proconsules, & proprætores appellarent. Qua sententia constituta tolluntur omnia, quæ tu ad tuam opinionem accommodata ex hoc loco colligis. Alter locus est, ubi agitur de P. Clodio, qui ædilis curulis factus L. Philippo, Cn. Marcellino coss. ubi primum ædilitatem inivit, Milon diem dixit, eumque de vi ad populum postulavit, non quod speraret, se Milonem posse damnare, sed ut sub accusandi Milonis inimici sui prætextu Pompeium etiam, ac Ciceronem Milonis defensores, suosque adversarios conviciis agitare posset. *Clodius enim*, inquit ille, *ut plus in hac re perstare non sinebat legem curiatam ferri, neque judicium ullum fieri licebat*. Hunc autem locum tu ita interpretaris, Clodium ædilem legem curiatam non esse passum ferri magistratibus ad confirmandum eis magistratum. Cum autem te interprete Clodius hoc tentarit mense Februario, non vides, si per mensem Februarium lex curiata magistratibus, ut consulibus, & prætoribus non erat lata, futurum, ut eo mense nulli consules, nullique prætores essent: hoc autem falsum esse, colligitur ex epistolis primis Ciceronis ad Lentulum, quas hoc anno Januario, ac Februario mense scripsit, cum senatum sæpe habitum per consules dicat, & consules reliqua consularia munera obiisse significet. Adde, quod ædilicia comitia fuerunt XI. Kal. Feb. quibus Clodius ædilis est factus, & quidem, ut tu censes, comitiis tributis, & lege curiata: est autem absurdum in primis Clodio, qui medio Januario mense ædilis designatus est legem curiatam per consules esse latam, consulibus vero, & prætoribus superiore anno designatis eandem ne post multos quidem dies ferri per Clodium licuisse: simul etiam quærendum, quinam legem curiatam Clodio ædili tulerint, qui non etiam consulibus, & prætoribus potuerint: & si consules, ac prætores nulli erant, aut non optimo jure erant, qui tandem legem curiatam hanc tulerint, quæ a plebejo magistratu ferri non poterat. Vide ergo, quando hoc tempore lex curia-

A ta magiſtratuum obſoleverat, ne legem alteram curiatam intelligat, ut qua dabatur imperium Pompeio eo tempore ad rem frumentariam delecto, qui ſine lege exire, quamvis cupiens, honeſte non poſſet. Quæ cum ita ſint, laudo ingenium tuum, qui coactus, credo, ſuperioribus auctoritatibus tandem confiteris, quod verum eſt, legem hanc diverſam eſſe ab illa prima. illa enim confirmari magiſtratum, hac in provinciam proficiſcenti tranſmitti imperium. cui & ipſe aſſentior, quemadmodum demonſtravi.

Ubi vero de iis, qui in conſulatu, & qui ex conſulatu ad bella, & in provincias profecti eſſent, B dixi, agebam deinceps de prætoribus. & quoniam de iis, qui primis temporibus in prætura provincias, & bella ſortiebantur, exempla non ſuppetebant, quibus legem curiatam eis latam demonſtrarem, proferebam exempla eorum, qui continuo poſt præturam, & quidem jure præturæ in eas exiſſent. ſiquidem ab initio inſtitutum fuerat, ut provinciæ mandarentur iis duntaxat, qui conſulatum, & præturam geſſiſſent. quod Cæſar ſignificavit libro primo, cum quæſtus eſt, *in ſe jura magiſtratuum commutari, ut non ex prætura, & ex conſulatu, ut ſemper, ſed per paucos probati, & electi in provincias mitterentur*. Hos igitur, quicunque eſſent, provinciales C prætores duplex imperium habuiſſe dixi, civile, nempe juriſdictionis, comitiis centuriatis, & militare ipſum lege curiata. De primis prætoribus ne tu quidem dubitas. eos autem, qui prætura Romæ in juriſdictionibus, & quæſtionibus exercendis tranſacta poſtero anno in provincias miſſi ſunt, negas a centuriatis comitiis aliquid accepiſſe. Ego vero dico, vim centuriatorum comitiorum non ſolum ad præturam Romæ actam, ſed etiam ad eam, quam poſt in provincia geſſerunt, pertinuiſſe. ſiquidem lege, ut videtur, ſanctum erat, ut qui Romæ præturam adminiſtraſſent, ii poſtea provinciam regerent. itaque ut primi in prætura, ſic hi ex prætura obtine- D re provinciam dicebantur. Ut autem conſules in conſulatu legem curiatam belli cauſſa ſibi tulerunt, itemque ſi in provinciam poſt conſulatum proficiſci voluerunt, ſic etiam prætores feciſſe, veriſimile eſt. Res autem acta eſt in hunc modum. Prætores cum centuriatis comitiis creati ſunt, poteſtatem jus dicendi in univerſum obtinuerunt. deinde cum ex S. C. urbana ſortiti munera eſſent, alii ut civibus, alii ut peregrinis jus dicerent, alii ut de criminibus quærerent, obtinuerunt. quo munere perfuncti in alterum annum ex S. C. alii hanc, alii illam provinciam ſortiti ſunt. id eſt, ut juriſdictionem, quam centuriatis comitiis acceperant, in hac potius, quam E in illa provincia exercerent. ut autem bellum, ſi opus eſſet, gererent, ejus rei jus acceperunt a lege curiata. ergo juriſdictionem quidem habuerunt a centuriatis comitiis, juriſdictionem vero in hac provincia a ſorte ex S. C. profecta, imperium militare a lege curiata, ornamenta imperii ab altero S. C. quod legi conjunctum erat, ut poſt dicemus. Neque impedit, quod multi, ut inquis, prætores in provincias populo R. non obedientes miſſi ſint, ita ut jus eis dicere non potuerint. prætores enim miſſi ſunt duabus de cauſſis in provincias, id eſt, ſi provinciæ parerent populo R. juriſdicendi cauſſa, ſi arma tenerent, belli gerendi. ut autem in pace jus F militare habuerunt, ſic etiam in bello juris dicendi poteſtatem habere potuerunt, non quod eo opus eſſet, ſed quia cum haberent, non erat cauſſa, cur ſpoliarentur. Ut autem probarem, prætores, qui prætura in urbe acta provincias ſortiti eſſent, imperio militari ornatos fuiſſe, proferebam exemplum Verris Siciliæ prætoris ex Cicerone: *Cum tibi prætori ſorte obtigiſſet, ut jus diceres, quantum negocii, quid oneris haberes, nunquam cogiſtati. ſequuta provincia eſt. in qua tibi nunquam venit in mentem, non tibi iccirco faſces, & ſecures, & tantam imperii vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, ut earum rerum vi, & auctoritate omnia repagula juris perfringeres. in qua te ita geſſiſti, ut cum omnibus teneare rebus, ad fugitivorum bellum confugias*. Ex quibus verbis dicebam intelligi poſſe, non eſſe idem imperium prætoris urbani, & provincialis. quod Cicero vocet curationem urbanam negocium & onus, provincialem vero imperium. quippe quia provincialis prætor non ſolum jus in provincia diceret, ut Romæ urbanus, ſed etiam rem militarem adminiſtraret. Cum autem hæc adeo aperta & manifeſta ſint, tu tamen me dixiſſe arguis, prætorem urbanum imperium non habuiſſe, ſed negocium & onus, provincialem vero habuiſſe. & prætorem provincialem majus imperium habuiſſe, quam urbanum. atque in has concluſiones ita inveheris, ut in eo non minus humanitas, quam acumen tuum deſideretur. *Non poſſum*, inquis, *mirari, quid Sigonio venerit in mentem ita pervertere vetera monumenta*. *Cicero*, inquis, *in prætura urbana appellanda negocii & oneris verbo utitur, in provinciali imperii, ergo prætor urbanus imperium non habet, provincialis habet*. Item: *Quid? eum ne ferre quiſquam poſſit, qui ita concludit: majoris negocii eſt hujus, quam illius provincia, ergo majus imperium habet, quam ille*. Dii boni, quid dices Nicolae Gruchi? ubinam ego negavi prætorem urbanum habere imperium, ac rurſus habere quidem dixi, ſed minus, quam provincialem? Verum, fac me dixiſſe, provincialem majus habuiſſe imperium, quam urbanum, num me uſque adeo rudem harum litterarum exiſtimas, ut hoc etiam tueri neſciam? Age enim. quæ ſunt imperii provincialis partes? nempe juriſdictio, quæſtio, & rei militaris adminiſtratio. quæ urbani? juriſdictio tantum. non tibi videtur, qui tria hæc habet, majus habere imperium, quam qui horum unum. reſpondes, majorem habet vim imperii, non majus imperium. at in quo hæc differunt? neque enim credo, ipſa ſatis intelligis. inquis tamen, majorem vim imperii provincialis indicabant ſecures cum faſcibus, quæ ſublatæ provocationis inſignia erant. probe. an vero dictator majus imperium ob unam, qua caret, provocationem habebit, quam conſul, & prætor; provincialis vero ob eandem rationem non majus imperium, ſed majorem vim imperii, quam urbanus, habere dicetur? aut magiſtratus unus majorem poteſtatem, quam alter, habebit, imperium vero majus non habebit. ſic enim Cicero: *Ni par, majorve poteſtas prohibeſſit*. Porro autem, ut probarem, prætores in provinciam exituros lege curiata imperium accepiſſe, teſtem adhibebam Cæſarem, qui in primo Civilium ſcribit: *De reliquis rebus ſenatus conſulta ſcribuntur. provinciæ privatis decernuntur, duæ conſulares, reliquæ prætoriæ. Scipioni obvenit Syria, L. Domitio Gallia. Paullus, & Marcellus privato conſilio prætereuntur. neque eorum ſortes dejiciuntur. in reliquas provincias prætorii mittuntur, neque expectant, quod ſuperioribus annis acciderat, ut de eorum imperio ad populum referatur, paludatique votis nuncupatis exeunt*. Ex quibus verbis hanc ſententiam colligebam, prætores provincias a ſenatu, imperium a populo accepiſſe. Tu vero inquis, quia provinciæ & conſulares, & prætoriæ privatis datæ erant, propterea oportuiſſe de eorum imperio ad populum ferri, id eſt, ex privatis magiſtratus facere. Habet autem duas difficultates iſta interpretatio, unam, quod eoſdem & ſenatus conſulto, & ſorte, & plebiſcito in provincias mittit, cum in magiſtratu ſatis ſemper fuerit ordine ſenatus conſultum cum ſorte, extra ordinem plebiſcitum ſine ſorte; alteram, quod eos, quos Cæſar in provincias miſſos queritur, omnino privatos facit. quia ſenatusconſultum quarto ante anno factum eſſet, ut nemo conſul, aut prætor in provinciam mitteretur, niſi quinquennio poſtquam magi-

ftratum geffiffet. quod videtur effe alienum. quia fi fenatus confultum illud ex omni parte obfervabatur, cur queritur Cæfar, Paullum, & Marcellum confules in fortitione provinciarum præteriri, neque eorum fortes dejici? Cur *pravo* (fic enim ipfe corrigis) id *confilio* fieri? quomodo pravum illud effe confilium poteft, quod fenatus confulto per quattuor ante annos obfervato conveniens eft? Quod fi S. C. illud obfervatum in alio non eft, ut in Scipione, qui tertio, non quinto poft confulatum anno provinciam fortitus eft, non ne merito poterimus dubitare, ne in prætoribus etiam obfervatum non fit? Sed fuerint omnes ut confulares, fic prætorii, qui mittebantur, dico habendam eam fuiffe rationem eorum, qui ex S. C. poft quinquennium provincias fortirentur, quam magiftratum Romæ geffiffent, atque eorum, qui continuo ex magiftratu: nam vi gefti magiftratus fortiebantur, atque ire cogebantur. quare non minus eis feretur lex curiata de imperio, atque eis lata fit, qui nullo interpofito fpatio ex prætura fortiti funt. Ut enim confules, qui creato dictatore abdicaverant, ac privati fuerant, depofita a dictatore dictatura, magiftratum ex privatis refumebant fine novis comitiis, vi legis de dictatura a principio latæ, ut fcribit Dionyfius, fic confules, & prætores vi fenatus confulti, poftquam privati fuerant, jurifdictionem in provincia continuabant. Quod vero negas, verba Cæfaris, *neque expectant, dum de imperio eorum ad populum referatur*, de lege curiata accipi poffe, quia lex curiata non ad populum, fed ad triginta lictores ferretur, plane, ut dixi, ridiculum eft, & jam fatis explofum. Eademque ratione quod addis, fi de lege curiata intelligatur, fore, ut me repugnante lege curiata datus fit magiftratus iis, quibus nullis comitiis ante erat datus, non procedit. neque enim ego imperium voco proprie magiftratum. & hos ergo privatos conftituo tantum ex ea parte, quod tum non gererent magiftratum, cum fortiebantur, at quod ad jus provinciæ ex magiftratu obtinendæ, non item. multoque minus id, quod adjungis, fore, ut omnes provinciarum ejus anni rectores habuerint tantum imperium militare, non civile. fiquidem cum eos fenatus fortiri provincias juffit, nihil aliud juffit, quam ut fortirentur, in qua provincia exercerent jurifdictionem, quam acceperant centuriatis comitiis ea lege, ut poft præturam Romæ actam eam exercerent in provincia aliqua. Neque vero de plebifcito videtur poffe intelligi. fiquidem plebifcitum extra ordinem adhibetur, tum vero res ordine acta eft, mutato tamen vetere inftituto. & cum plebifcitum adhibetur, fors locum non habet. At vero fi hi prætores ex S. C. fortiti funt provinciam, & poft fortem provinciæ de eorum imperio ad populum latum eft, certe curiata lex lata eft, ut folebat, non plebifcitum. quia cum plebifcito res agebatur, neque fenatus confulti, neque fortis mentio incidebat. Quæ fi vera funt, facile genus omne reprehenfionum tuarum refutare etiam me tacente poffunt.

Atque hæc quidem cum difputaffem de confulibus, & prætoribus, in magiftratu, aut poft magiftratum in provincias, aut ad bella ordine proficifcentibus, quibus legem curiatam neceffariam fuiffe demonftrabam, tum deinceps agebam de iis, qui & in urbe, & extra urbem fine lege curiata imperium, nec tamen plebifcito obtinuiffent. Eorum genus unum erat, qui fummo S. C. ornati effent: *Videant, ne refp. aliquid detrimenti capiat.* alterum eorum, qui legem Corneliam inique interpretabantur. De quibus quoniam tu a me longe diffentis, videtur faciendum, ut pluribus difputetur. De iis, qui fummo S. C. ornati erant, cum dicerem, utebar auctoritate Salluftii, qui ita fcribit: *Senatus decrevit, darent operam confules, ne quid refp. detrimenti caperet. ea poteftas per fenatum more majorum magiftra-*

A *tui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis cives atque focios, domi militiæque fummum imperium ac judicium fummum habere. aliter fine populi juffu nullius earum rerum confuli jus eft*. Quo loco prolato, ego fic addebam: *Hæc verba nobis hanc lucem afferunt, ut intelligamus, confules jure confulatus exercitum parare, bellumque gerere non potuiffe, neque domi, militiæque, fummum imperium habuiffe. quod certe habuiffent, fi imperium unum tantum effet, idque centuriatis comitiis cum magiftratu ipfo delatum effet. at vero cum nifi in atroci negocio mandatum* B *non fit, fane intelligi poteft, duo eorum fuiffe imperia, unum civile, alterum militare*. Hæc autem verba tu ita reprehendis, ut in his multipliciter me peccaffe dicas. Primum autem objicis, me Salluftii verba falfa rettuliffe: *Aliter fine populi juffu nullius earum rerum confuli jus eft.* cum in omnibus libris legatur, *nulli*. Ego vero culpæ maximæ me affinem effe confiterer, fi aliam fententiam ex voce, *nullius*, quam ex *nulli* ad te refutandum collegiffem. Verum utro modo legas, non *confuli*, ut tu, eam vocem attribuo, fed *rerum*. atque hujus habeo opinionis focium Joannem Rivium, qui ita fcribit: *Manufcripta duo: Nullius earum rerum.* C *nifi quis* nulli *vetufte pofitum malit pro* nullius. *quomodo Comicus dixit: Tam iners, tam nulli confilii. & in Truculento Plautus: Coloris ulli, pro ullius. nec τῷ confuli addendum puto*. Habeo etiam Vincentium Caftillioneum, apud quem ita fcriptum eft: *Diverfæ hic funt opiniones. alii enim Nulli cum fubftantivo conjungunt. ut fit, nulli confuli jus eft. alii Nullius pro nulli legere malunt. nifi Nulli antiquo more pro Nullius pofitum fit. ego tamen dativum effe puto, Nulli earum rerum confuli jus eft, pro in nullam rem earum rerum*. Hic animadvertere potes, horum neutri placere, quod tibi tantopere arridet: *Nulli confuli.* & certe, qui ita dixerit, nove admo- D dum dixerit. Sed, ut dixi, five *nulli*, five *nullius* legatur, eandem femper elicio fententiam. Addis deinceps, fi dicam, nullius earum rerum, quæ in hoc S. C. continentur, jus effe confuli fine lege curiata, Salluftium falfa effe loquuturum, & inftitutorum fui temporis rudem appariturum, quod fciret legem curiatam a lictoribus juberi, non autem a populo. In quo ego primum rideo. quis enim, quæ de lictoribus iftis tam fæpe repetis, audiens, rifum contineat? deinde obftupefco. ubi enim hoc ego fcripfi? ubi legis curiatæ in hoc S. C. interpretando mentionem feci? ego enim ex hoc S. C. fenatus poteftatem collegi non populi. Non eft hoc fa- E tis. Cum ego diferte fcripferim, militare imperium extra urbem haberi per legem curiatam, apparere ex locis fuperioribus, in urbe per S. C. fummum, ex hoc loco Salluftii, tu me dixiffe crimineris, in urbe haberi tantum per fummum S. C. extra urbem tantum per legem curiatam, ac multis exemplis & rationibus, more tuo, credo, ut multum fapere videaris, cum multa dicas, probare contendis, & in urbe lege curiata, & extra urbem fenatus confulto imperium effe mandatum. ac perinde in hoc multus es, quafi victoria in hoc pofita fit. Ego vero illud, *tantum*, non addidi, & cum ita fcripfi, quæ F apertis nitebantur auctoritatibus, fcripfi. neque ita locutus fum, ut in urbe per legem curiatam aut plebifcitum, extra urbem per fummum S. C. haberi poffe negaverim. Verum hoc ferendum. addis, me putare, imperium legis curiatæ effe extraordinarium, cum tamen ubique ordinarium effe clamarim, & Salluftium duos modos imperii tranfmittendi inter fe contuliffe, cum nihil tale animo quidem finxerim. Quamobrem toto hoc capite five confulto, five temere plus jufto in me iniquior extitifti. Confideremus autem quæfo diligentius, quid Salluftius his verbis velit, & uter noftrum rectius

hoc S. C. intellexerit. Sane cum inquit, *Maximam potestatem hoc S. C. permitti magistratui*, extraordinariam intelligit potestatem, id est, majorem, quam quæ ordine dabatur magistratibus. hæc vero versabatur in coercendo. in judicando, in bello gerendo. cum ergo consul sine hoc S. C. in urbe coercere, judicare sine provocatione, atque exercitum belli gerendi caussa habere non posset, illud hoc S. C. adeptus est, ut ea etiam Romæ posset. Nam ordine si Romæ consul aut vinculis, aut verberibus, aut mulcta coercuisset, ac civem damnasset, erat provocatio ad collegam, aut ad populum, hoc vero senatus consulto accepto, nulla erat. siquidem maximam earum rerum habebat potestatem. Hoc igitur posito, video, te vehementer peccasse, qui peccatum aliis objicis. Tu enim consules dicis dictatoriam potestatem hoc S. C. assecutos, perinde ac si dictatores jure dictaturæ etiam sine S. C. in urbe exercitum belli gerendi caussa imperarint. cum tantum comitiorum caussa, ut etiam consules, imperarint, teste, ut supra demonstravi, Varrone. At Plutarchus, inquis, & Livius prodidere, consules hoc S. C. armatos eandem vim habuisse, ac si dictatores dicti essent. recte. respexerunt enim seditionem, motumque civilem, de quo tum loquebantur, ad quos compescendos opus erat magistratu, qui coercere, atque animadvertere sine provocatione posset, cujus caussa dictatura erat illata. siquidem scribit Dionysius, caussam dictatoris creandi primum fuisse legem Valerii, quam tulerat de provocatione & consulatus potestatem minuerat. at in bello majorem fuisse dictatoris, quam consulis potestatem, cum uterque sine provocatione esset, nescio, ubinam inveneris. certe hoc S. C. nisi in vi tribunicia, in perniciosis legibus, in secessione populi, templis locisque superioribus occupatis non factum, prodit Cæsar lib. I. belli civilis. Addit Sallustius: *Aliter sine populi jussu nulli earum rerum consuli jus est*. Quid est populi jussus? nempe plebiscitum, aut lex. quæ sunt res eæ? coercere omnibus modis, parare exercitum, bellum gerere, domi militiæque summum judicium, ac summum imperium habere. Ergo si populus jusserit, magistratibus domi, militiæque hæc facere licebit? sane. sed extra ordinem. quid est autem magistratum habere summum judicium? nempe, ut Cicero dixit in agraria, habere cognitionem sine consilio, pœnam sine provocatione, animadversionem sine auxilio. Itaque Livius recte scripsit, C. Julium decemvirum consularem, qui sine provocatione erat, cum Sextium de cæde ad populum accusasset, cujus rei legitimus judex erat, de suo jure decessisse. Si autem summum judicium habere est posse sine consilio condemnare, ut cum Cincinnatus dictator Sp. Mælium jure cæsum pronunciavit, video te errare multo, quam antea, gravius, dum me antiquitatis ignoratione in multos incidisse errores arguis. inquis enim, summum hoc judicandi imperium, quod ipse appellas dictatorium, consules non solum a senatu, sed etiam a populo extraordinarium accepisse. & profers Livium qui scripsit, quæstionem cædis Postumianæ Cosso & Medullino consulibus a populo esse mandatam, & quæstionem Bacchanalium Albino & Philippo consulibus a senatu. erras autem trifariam (sic enim tuo exemplo jam libet loqui) primum, quod dictatorium judicium, & id, quod his consulibus mandatum ais, idem esse putas, cum sit diversum. dictatores enim sine consilio cognoverunt, hi consules ex judicum, quos coegerunt, sententia pronunciarunt. deinde, quod eodem S. C. utrumque judicium commissum significas, cum sint diversa. nam dictatorium judicium senatus consulto extraordinario mandatum est, illud alterum ordinario, tum cum quæstiones certos non habebant quæsitores, sed a senatu, aut a populo, prout res inciderat, mandabantur. postremo, quod judicium man-

A datum plebiscito illis consulibus extraordinarium vocas, cum esset iis temporibus maxime ordinarium, quibus quæstiones certos, ut dixi, non habebant prætores, sed modo consulibus, modo prætoribus, modo dictatori committebantur. unde scripsit Pomponius D. de origine juris: *Quia de capite civis R. injussu populi non erat lege permissum consulibus jus dicere, propterea quæstiones constituebantur a populo qui capitalibus rebus præessent*. Atque ita ordine factum est, quoad prætores has quæstiones sortiri cœperunt, ut scis, post L. Pisonem tr. pl. qui primus legem de pecuniis repetundis tulit, & quæstionem eam perpetuam fecit. B *Summum* ergo *domi judicium* significat, non ut cum consilio judicum cognoscerent, sed ut pro suo arbitrio de re decernerent. Quocirca cum dixi, consulibus non fuisse jus belli gerendi in urbe sine summo S. C. extra urbem sine provincia, aut sine lege curiata, non incommode dixi. neque enim illud intellexi, quod objicis, extra urbem habitum duobus modis, aut cum provincia sine lege curiata, aut sine provincia per legem curiatam, verum illud, sine provincia non habitum, quia imperium ordine non deferebatur nisi ei, qui provinciam ex s. c. sortitus esset, aut sine lege curiata, quia non erat satis, sortitum esse C provinciam ex s. c. nisi imperium etiam ex lege curiata accederet. ex quo apparet inania omnia illa incommoda esse, quæ tu ex hac oratione deducis. Ac de iis quidem, qui summo s. c. ornati sunt, hactenus.

De iis autem, qui legem Corneliam male interpretati, sine lege curiata se in provinciis, quas ex s. c. obtinerent, imperium habere posse existimarunt, res in hunc modum administrata est. Cum Cornelius Sylla dictator legem tulisset, ut qui ex s. c. provinciam obtinuisset, in ea imperium haberet, quoad in urbem revertisset, atque hac ratione prorogationem imperii sustulisset, dedit occasionem D Appio consuli legem Corneliam perverse interpretanti, ut etiam sine lege curiata se imperium in provincia habere posse existimaret, ac legem curiatam utilem potius, quam necessariam diceret. credo, quod qui legem curiatam non haberet, a senatu viaticum impetrare non posset. Locus hic est in epistolis ad Lentulum. *Appius consul dixit in senatu, sese, si licitum esset, legem curiatam ferre, sortiturum cum collega provinciam, si curiata non esset, comparaturum cum collega, & tibi successurum. legem curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse, quoniam ex S. C. provinciam haberet, lege* E *Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introisset. sunt qui putent, te non posse decedere, quod sine lege curiata tibi succedatur*. & libro III. ad fratrem. *Appius sine lege curiata confirmat se Lentulo nostro successurum*. & ad Atticum. *Appius sine lege suo sumptu in Ciliciam cogitat*. Si ergo Appius sine lege curiata, suo sumptu, in provinciam ire voluit, quam ex s. c. obtinuerat, si dixit, legem curiatam consuli opus esse, necesse non esse, & se sine ea per legem Corneliam imperium habiturum, profecto legem curiatam utilem esse judicavit, non necessariam, utilem autem, quod potestatem daret viatici a senatu impetrandi. Tu vero cum hæc omnia negas, incon- F stantiam tuam duabus rationibus indicas; una quod cum quodam in loco scripseris, te dubitare, an lex curiata in provinciam exituris fuerit necessaria, nunc dicis, eam sine ulla omnino exceptione necessariam esse; altera, quod cum III. de comitiis ita scriptum reliqueris: *Necesse erat suo sumptu Appium proficisci, quando sine hoc de provinciis ornandis S. C. profecturus erat, cui locus esse non poterat, nisi post legem curiatam*, nunc negas, legem curiatam jus dedisse viatici postulandi. nec sentis, si te interprete lex curiata jus obtinendi a senatu sumptus dedit, atque sine ea Appius suo sumptu ire cogitavit, eam utilem ex Appii interpretatione fuisse,

fuisse, non necessariam. Quam sententiam ego secutus, verba illa, *Curiatam opus esse, necesse non esse*, utilem, non necessariam esse sum interpretatus. quomodo Cicero idem locutus esset in oratore: *Aristoteles adjunxit tertium genus, quod si opus est, tamen minus est necessarium.* hoc sensu. Aristoteles adjunxit arti rhetoricæ genus demonstrativum, quod etiamsi utile est cognoscere civili oratori propter copiam, & facultatem orationis, quæ in eo sese effundit, tamen sine eo esse civilis perfectus orator potest. civilem autem oratorem dico, qui in consiliis, & judiciis, quæ duo continent civitatem, versatur. aut si utile est civitati ad laudandos fortes viros, non tantam tamen habet necessitatem, ut civitatem contineat, quantam reliqua duo, quæ utili, & justo continentur. quorum consociatio civitatem effecit, teste in Politicis Aristotele. Tu vero cum negas opus esse significare utile esse, sane ostendis, non meminisse Græcos quoque ἔργον, & πάρεργον in hanc significationem accepisse, ac necessarium etiam ipsum aliquando pro utili posuisse. Quod autem *opus esse* interpretaris, carere non posse, videamus, an recte, sed grammaticis iisdem ante appellatis, quos tu in hac quæstione opportune appellas. *Genus*, inquis, *laudationum, quod adjunxit Aristoteles, etsi est ejusmodi, ut eo carere non possimus, tamen non est necessarium. aut, quoniam necessarium, teste in Partitionibus Cicerone, est sine quo esse non possumus; genus demonstrativum est, quo carere orator non potest, sed esse sine eo potest.* an hæc si dixeris, auditum admissi risum teneatis amici? Quæ vero disputas, post legem curiatam opus fuisse s. c. quo ornamenta provinciæ decernebantur, neque provincias lege curiata fuisse instructas, sed senatusconsulto, quanquam vere, tamen sine caussa disputas. nam & ego iden in libris de provinciis tradidi, neque nunc legem curiatam sumptum dedisse, sed jus sumptus a senatu obtinendi scripsi. Quis autem hic sumptus fuerit, non video inter nos convenire. tu enim ornamenta omnia provinciæ uno sumptus nomine complecteris, stipendium, cibaria, & reliqua, ego vero viaticum, id est sumptum, & apparatum itineris tantum. De quo viatico dixi videri Dionem loqui, cum scripsit: *Antiquitus qui munus publicum gerendum suscipiebant, ii omnia, quæ ad imperium pertinebant, de suo suppeditabant. Augusto autem imperante illi certam accipere mercedem cœperunt.* Quæ verba miror te apud Dionem reperiri negare, & me affingere Dioni, quæ non sint Dionis, asserere, cum hæc apud Dionem inveniantur. Καὶ τὴν μισθοφορὰν κὴ ἐκείνοις, κὴ τοῖς ἄλλοις δίδοσθαι τοῦτο ἐνομίσθη. τὸ μὲν γὰρ πάλαι ἐργολαβοῦντες παρὰ τοῦ δημοσίου πάντα σφίσι τὰ πρὸς τὴν ἀρχὴν φέροντα παρεῖχον. ἐπὶ δὲ δὴ τοῦ Καίσαρος πρῶτον αὐτοὶ ἐκεῖνοι τακτὸν λαμβάνειν ἤρξαντο. Quæ ita convertit Xilander: *Certum etiam stipendium & his, & aliis dari tum institutum est. antiquitus enim qui aliquod a rep. munus suscepissent, omnia suis ipsi stipendiis agebant. sub Cæsare primum accipere stipendium cœperunt.* Tantum autem abest, ut in hoc tecum sentiam, ut si a me discessero, ne tecum quidem esse velim. tu enim sumptum quencunque, quem prætores in provinciis facerent, significatum scribis. siquidem pecuniam attributam numeras, quæ teste Asconio militi in stipendium dabatur, frumentum, quod in cellam prætoris æstimabatur, cibaria, quæ quæstori data sunt. & apud Dionem, nescio quo alio in loco, quem tu ex tenebris eruisti, interpretaris, Mæcenatem Augusto suasisse, certam mercedem ex publico magistratibus provincialibus esse assignandam pro sui cujusque imperii ratione. idque ad immensam illam impensam ærarii minuendam, qua ad eam diem usi erant magistratus, cum pro suo quisque arbitrio in rationibus referendis expensos ærario referrent, quoscunque sumptus fecissent: *Ut enim*, inquis, *attributæ omnis pecuniæ magistratibus rationes reddendæ essent, in suos tamen sumptus quamlibet summam in suas rationes referre propemodum liberum erat.* Ego vero non quencunque sumptum, ut tu censes, Appium intellexisse arbitror, sed itineris. quod viaticum appellavit Cicero, cum ad Cassium scripsit: *Cetera, cujusmodi sint, ex hoc judica, quod legato tuo viaticum eripuerunt.* Erat autem viaticum sumptus in mulos, vehicula, & tabernacula, & cetera ejusmodi instrumenta. Livius bello Persico: *Magistratus mulis, tabernaculisque, & omni alio instrumento militiæ ornabantur, ne quid tale imperarent sociis.* Hæc autem publice, sumpta ex ærario pecunia, locabantur. indicat P. Ventidius, qui, ut scribit Gellius, victum quæsivit comparandis mulis, & vehicula magistratibus, qui sortiti essent provincias, præbenda publice conduxit. Itaque Augustum refert Suetonius instituisse, *ut ad mulos, & tabernacula, quæ publice locari solebant, pecunia constitueretur.* atque hoc sine dubio voluit Dio, Augusto imperante institutum, ut certa pecunia magistratibus provincialibus constitueretur ad mulos, & tabernacula sibi paranda, non quencunque sumptum faciendum, quod antiquitus nonnulli ab ærario conducentes omnia, quæ ad imperium pertinerent, de suo præberent. ut sit ἐργολαβοῦντες ἀπὸ τοῦ δημοσίου, ab ærario redimentes. siquidem Plutarchus in censura Catonis ejusmodi redempturas ἐργολαβίας vocavit. Ex quo intelligere potes, quæ tu de pecunia attributa, de frumento, deque cibariis, inculcas, huc non pertinere, ac multo minus Mæcenatem suasisse, ut singulis magistratibus pro sui imperii modo decerneretur merces, ac veluti certum stipendium; cum ad eam diem magistratum stipendia merere auditum non esset. Neque enim Mæcenas stipendium reddi magistratibus voluit, quasi militiæ præmium, sed certam pecuniam pro viatico, quod publice locaretur, assignari.

CAP. VIII.

De imperio eorum, qui ex privatis in provincias missi sunt.

QUÆRIS postremo, quid sentiam de iis, qui non statim ex prætura in provincias ibant, quomodo jurisdictionem a populo habuerint centuriatis comitiis, cum plebiscito in provincias missi sint. Ego vero censeo, non solum qui multis post magistratum annis, sed etiam, qui in magistratu plebiscito in provinciam missi sunt, ab ipso plebiscito omnia adeptos, & provinciam & imperium, & ornamenta. Quod autem ipse judicas, jurisdictionem a senatu potius, quam a populo esse tributam, id mihi non persuades. sic enim fieret, ut senatus mandaret magistratum, non populus. quod falsum esse, apparet ex eo, quod senatus neminem jussit sortiri provincias, nisi cui populus ante magistratum mandasset. quare aut a populo acceperunt juris dicendi potestatem, aut si a senatu, quatenus eos populus idoneos reddiderat, quibus jurisdictio a senatu mandari posset. Quod autem tu hoc in loco inculcas legem C. Cornelii, vix intelligo, quorsum. & nisi ad secundum tuum de comitiis librum confugissem, nunquam intellexissem. scribis enim hoc loco sic. *Atqui legibus solvi nisi a populo nemo poterat, & vetere jure, & jure a C. Cornelio tr. pl. relato.* in libro autem de comitiis in hunc modum. *At si provinciæ decernerentur extra ordinem, tum vero populi suffragiis opus erat ad creandos magistratus præsertim post legem Corneliam a C. Cornelio tr. pl. perlatam. qua lege, ut scribit Dion. lib. XXXVI. cavebatur, ut esset quidem in senatus potestate imperia extra ordinem dare, omninoque legibus solvere, sed ita ut post rogatio ad populum vetere more*

de ea re ferretur, quam rogationem omnino a populo juberi necesse esset. hoc enim idem est cum eo, quod *Asconius de hac lege Cornelia scribit, caussam, inquam, fuisse, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti affuissent, neve quis intercederet, cum de ea re ad populum ferretur.* Ignosce mihi quæso, Gruchi, si quæ tu verborum tela paullo ante injuste in me jaciebas, ea nunc ego in te juste rejecero. sic enim agebas. *Non te pudet Sigoni, quæ tu animi caussa finxeris, ea bonis scriptoribus attribuere? an unquam fando tale aliquid finxit Dion, quale tu ei affingis?* injuste autem ita egisti. quia verba, quæ tu apud Dionem esse omnino negabas, erant tamen, sed ea tu diligentia tua reperire non potueras, cum consilium Mæcenatis Augusto datum me cepisse pro ipso Augusti instituto insimulares, ego vero justissime dixero. Non te pudet, Gruchi, qui pudorem aliis sine pudore offers, quæ tu apud bonos scriptores non intelligis, ea bonis scriptoribus attribuere? an unquam fando tale aliquid scripsit Dion, quale tu ei ascribis? sumamus verba Dionis. Ο Κορνήλιος γνώμην ἐποιήσατο, μὴ ἐξεῖναι τοῖς βουλευταῖς μήτε ἀρχὴν τινὶ ἔξω τῶν νόμων αἰτήσαι τι διδόναι, μήτε ἄλλο μηδὲν τῷ δήμῳ προσηκόντων ψηφίζεσθαι. τοῦτο γὰρ ἐνομοθέτητο ἐκ πανὺ ἀρχαίου, οὐ μέν τοι καὶ τῷ ἔργῳ ἐτηρεῖτο. Nonne hæc verba, si Latine reddantur, hoc valent? *Cornelius rogationem tulit, ne liceret senatoribus neque magistratum alicui contra leges petenti dare, neque aliud ullum eorum, quæ ad populum pertinerent, vulgare. id enim antiquitus lege cautum erat, non tamen re observabatur.* Quid est ergo, quod inquis Gruchi? an lex Cornelii fuit de imperiis provincialibus, (nam tu de his loqueris) an potius de urbanis magistratibus? nam ἀρχὴ & imperium, & magistratum significat. an ut senatus daret imperia provincialia extra ordinem, an potius ne permitteret, magistratus peti a populo contra leges? quæ erant, ut certa ætate, ut deinceps peterentur magistratus, ne nisi certis annis interpositis iterum peterentur. an vero provinciæ unquam ad populum pertinuerunt, magistratus vero ad senatum? si, ut inquit Asconius, *Cornelius tulit, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti adessent*, propterea ne tulit, ut provinciæ extra ordinem a senatu dari possent, cum provinciæ semper in senatus potestate fuerint, ut magistratus semper in populi? Etenim magistratum senatus mandavit nunquam, at jus petendi contra leges dedit. & hoc est quod lex Cornelia vetuit, ne concedi posset, nisi ducenti adessent, & ne quis intercederet, cum de ea re ex auctoritate senatus ad populum ferretur. Quare quid tibi vis, cum inquis? *At si provinciæ decernerentur extra ordinem, tum vero suffragiis populi opus erat ad creandos magistratus, præsertim post legem Corneliam.* quis est enim, qui decernit provincias? nempe senatus. quando decernit extra ordinem? quoties eas neque consulibus, neque prætoribus decernit, sed privatis. quo tempore opus suffragiis populi fuisse ais ad creandos magistratus. at lege Cornelia cautum est, ut rogatio ferretur ad populum, ut, qui peteret, contra leges petere posset. Itaque non magis post legem Corneliam, quam ante eam, opus fuit suffragiis populi ad creandos magistratus, verum ad solvendos legibus, qui peterent ex senatus auctoritate, & populi jussu opus fuit post legem Corneliam. num quid ergo tua ista sententia potest esse absurdius?

CAP. IX.

De imperio eorum, qui ex privatis ad bella missi sunt.

DIXI de iis, qui ex privatis in provincias missi sunt. nunc dicam de iis, qui ad bella. de quibus tu non idem, atque ego, sentis. Quamobrem faciamus, ut rem totam collatis inter se opinionibus iterum diligentius ad communem omnium utilitatem excutiamus. Hæc igitur hac de re in superiore responsione mea fuerunt verba. *Relinquuntur quidam, qui neque ex magistratu, neque post magistratum, sed ex privatis non in provincias, sed ad bella cum imperio mittebantur, aut consulari, aut prætorio, unde proconsules, & proprætores dicebantur. mittebantur autem aut lege, aut S. C. ut P. Scipio procos. in Hispaniam, C. Octavius proprætore in Galliam.* In quibus tu multa reprehendis, ac multis. ac primum illud, *Non in provincias, sed ad bella.* reprehendis autem, quia etiam qui bella sortiti sunt, provinciam sortiri dicti sunt. cum provincia dicatur omne munus alteri delatum sive privatim, sive publice. quod quia credis mihi esse ignotum, ut rem valde obscuram, multis more tuo tibi auctoritatibus suscipis comprobandum. Ego vero dico, provinciæ significationes esse multas, easque a me in libro de provinciis indicatas. verum unam illam esse propriam, regionem a populo R. ut inquit Festus, provictam, & jure provinciali donatam. unde illud emanavit, *Redigere in formam provinciæ*, atque ab hac reliquas omnes esse profectas, ita ut quibus bella quocumque modo essent mandata, iis provinciæ mandatæ, aut cui negocium publicum delatum esset, eidem quoque provincia delata diceretur. Quamobrem cum scripsi, *Qui non in provincias, sed ad bella mittebantur*, provinciam in propria significatione accepi. quomodo fecit Livius lib. XLV. *Consul proficiscens, prætorve paludatis lictoribus in provinciam, & ad bellum. Ad bella* enim cum dixi, tempus id intellexi, cum imperatores in regionem suo imperio non subjectam bellandi caussa mittuntur, *in provinciam* vero, cum ad regionem populo R. obtemperantem administrandam proficiscuntur, in qua etiam, si res posceret, bellum gerere possent. Itaque mirarer, cur tu, quasi magnum aliquid excogitasses, tam multa verba faceres, ut probares, qui ad bella mitterentur, in provincias missos, nisi te ambos omnino pro iisdem falso accipere intelligerem. sic enim concludis: *quasi vero ad bellum cum imperio mitti, non sit in provinciam mitti. cum enim illi non magis haberent provinciam, in qua jus dicere possent, quam hi, pariter utrique negandi fuerunt provinciam obtinuisse, aut pariter utrique dicendi suam habuisse provinciam.* Quibus verbis significas, qui in regionem hostium cum imperio mittitur, idem jus habere in ea, atque illum, qui in regionem a populo R. in provinciæ formam redactam. cum tamen longe aliter sit. nam qui provinciam populi R. obtinuit, in ea conventus agit, ac jus provinciæ dicit, qui hostilem, minime. Itaque Cæsar, cum citeriorem, & Narbonensem Galliam provinciam nactus esset, in iis conventus egit, ut quæ jampridem formam provinciæ acceperant, in comata, quam ipse bello primus aggressus est, nequaquam. nisi fortasse postquam eam in provinciæ formam rettulit. At *ambo*, inquis, *pariter exercitui jus dixerunt*. non nego. illud dico, militarem jurisdictionem pertinere ad proconsulem, quatenus exercitui, non quatenus provinciæ præest. siquidem ut jus imperatorium differt a consulari, sic etiam a proconsulari. consul ut consul jurisdictionem quandam habet in cives, quatenus cives sunt, ut autem imperator jurisdictionem habet in cives, quatenus milites sunt. itaque quod est prætor urbanus in urbe, id est in provincia proconsul. exercitui vero præest, non ut proconsul, sed ut imperator. Unde illud est Paterculi de Quinctilio Varo: *Germani in summam socordiam adduxere Quintilium usque eo ut se prætorem urbanum in foro jus dicere, non in mediis Germaniæ finibus exercitui præesse crederet.* significat enim, Varum se gessisse pro prætore, cum tamen esset imperator tantum. neque enim Germania in provinciæ formam erat redacta, ut ei jus dicere posset, sed tantum ex-

ercitui in ea præerat, ut eam subigeret. Quod apertius etiam expressit Florus: *Ausus agere conventum, in castris jus dicebat*. cum enim *ausum* dicat *agere conventum*, profecto innuit, non consuevisse proconsules hostibus jus dicere, nisi postquam pacati, & in provinciæ formam redacti essent. Quamobrem inanis prorsus est illa tua conclusio, *Imperatores, qui ex privatis exercitui præpositi sunt, exercitui jus dicunt æque atque proconsules, qui ad regendas provincias ex magistratibus missi sunt, ergo idem habent imperium*. Habent enim idem imperium ex ea parte, qua exercitui præsunt, at quatenus provinciæ præsunt, non item. ut supra quoque est demonstratum. Reprehendis secundo loco, quod scripserim, *Unde proconsules, ac proprætores dicebantur*, atque interpretaris, me velle, solos, qui ex privatis imperium acceperint, non item qui ex magistratibus, proconsules, & proprætores esse nuncupatos. quod non est ita. Ego enim innuere volui, privatos ornatos esse imperio consulari, ac prætorio, liquere ex eo, quod non minus proconsules, ac proprætores dicerentur, atque ii, qui ex magistratibus provincias obtinuissent. neque enim mirabitur quisquam, eum, qui ex consulatu in provinciam missus sit, proconsulem dici, neque qui ex prætura, proprætorem, sed qui ex privato ad bellum, aut in provinciam exeat, proconsulem, aut proprætorem vocari, id vero fortasse mirabitur. hoc autem factum dixi, quia cum imperio, aut consulari aut prætorio missi essent. Postremo vero cum tria genera fecerim eorum, qui in provincias cum imperio missi sunt, unum eorum, qui in magistratu, alterum, qui ex magistratu, tertium, qui ex privatis, quæris cui nam horum trium ascribam Cn. Pisonem, & M. Catonem, quorum ille s. c. in Hispaniam, hic plebiscito in Cyprum, ex quæstura ambo missi sunt. Cui respondeo, in eorum numerum me referre, qui ex privatis missi sunt. neque enim quæstura vim ullam attulit, ut mitterentur. nam æque missi fuissent, si omnino quæstores non fuissent. siquidem extra ordinem missi sunt, alter senatusconsulto, alter plebiscito. nam Pisonem senatus, Catonem Clodius amandare a rep. per speciem honoris voluerunt, ut Sallustius, & Asconius prodidere. Senatusconsulto autem, & plebiscito omnia jura, nihil quæsturæ debuerunt. Miror autem, cur non probaris, his lege curiata imperium esse transmissum, cum ego senatusconsulto, aut plebiscito tantum id ipsos obtinuisse scripserim, ac legem curiatam ab his omnino repulerim.

CAP. X.

An proconsules, & proprætores, qui ex privatis ad bella missi sunt, ut cum imperio, sic cum magistratu fuerint.

HOC autem loco quæstio existit, quæ principium hujus disputationis attingit, an, qui ex privatis ad bella mittebantur cum imperio, aut consulari, aut prætorio, magistratus essent. qua de re in priore responsione meam ipse opinionem his verbis exposui. *Hos, atque ejusmodi alios magistratus fuisse nego, cum imperio fuisse dico, sed tamen non lege curiata accepto. magistratus non fuerunt, quia neque auspicium, neque judicium habuerunt. auspicium non habebant, quia a populo non acceperant. ut testis est Cicero in libris de divinatione. nam præter Scipionem reliqui omnes tributis comitiis, quæ erant inauspicata, imperium acceperunt. judicium autem non habebant, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant*. & post: *Proconsules, & proprætores alii in provincias ad jus dicendum, & bellum, si res tulisset, gerendum missi sunt, qui magistratus fuerunt, ut Cn. Pompeius procos. in Asiam, alii vero ad bellum tantum, & hi magistratus non fuerunt, sed cum imperio fuisse dicti sunt, ut P. Scipio procos. in Hispaniam, de quo Livius. Magis est tentata triumphi spes, quam petita pertinaciter, quia neminem ad eam diem triumphasse, qui sine magistratu res gessisset, constabat*. Hæc autem incredibile dictu est, quibus modis oppugnes. Primum enim, quia Livio fidem abrogare non potes, confugis ad distinctionem, & alios magistratus primarios fuisse ais, alios primariorum vicem gerentes. Scipionem autem rem gessisse sine primario magistratu. Verum heus tu. quis est iste primarius magistratus? nempe is, qui judicium, atque auspicium habet. Scipio vero si auspicium habuit, quia novo & singulari exemplo centuriata lege imperium in Hispaniam accepit, certe judicium, id est, jurisdictionem civilem non habuit, sed tantum imperatoriam. itaque dempto jure imperatorio, quibus jus diceret, non habebat. id quod, si magistratum habuisset, habiturus erat. Habuisset autem magistratum, si aut consul in urbe, aut proconsul sive prætor in provincia fuisset. at ille tantum erat imperator in bello, usque adeo ut solis militibus, & iis, qui cum militibus lites contractas haberent, jus dicere posset. quod jus a principio imperium proprie, non magistratum vocarunt. Agis inde contra auspicia, & judicia, quibus hos carere proposui, ac locum Ciceronis de divinatione aliter, quam ego, exponis. est autem hic: *Deiotarus auspiciis semper utebatur, nos, nisi dum a populo auspicia habemus, quam multum iis utimur? bellicam rem administrari majores nostri auspicato voluerunt. quam multi anni sunt, cum bella a proprætoribus, & proconsulibus administrantur, qui auspicia non habent. itaque nec amnes transeunt auspicato, nec tripudio auspicantur*. Cum autem dicat Cicero, proconsules, & proprætores bella gessisse, quia auspicia non habent, tu exponis, eos accepisse quidem jus auspiciorum, sed uti noluisse. o præclarum interpretem! Jamdudum proconsules bella gerunt, qui non habent auspicia, quæ accipiuntur a populo. id est habent quidem auspicia, sed non utuntur. nam quod inquis, eos habuisse, quia Scipio habuit, plane infirmum est. Scipio enim solus centuriatis comitiis lectus est, reliqui omnes tributis. ergo reliqui non habuerunt, quia non acceperunt. neque enim aut centuriatis, aut curiatis, sed tributis imperium acceperunt, quæ sola erant inauspicata. quare pervertisti sententiam Ciceronis, dum exponere voluisti, cum *Habere* idem esse dixisti, quod *Uti*, *Non habere* idem quod *habere*, sed *non uti*. quo nihil ineptius. Mihi vero dubium non est, quin proconsules, & proprætores, qui ex privatis missi sunt, auspiciis caruerint, quod tributis comitiis lecti sint. nam si auspicia habuerunt, qui ea acceperunt a populo, curiata vero lex remansit auspiciorum caussa, certe, qui legem curiatam non habuerunt, auspicia non habuerunt. habuerunt autem soli magistratus, & qui ex magistratibus missi sunt. Itaque Cicero cum proconsules, & proprætores bella gerere, qui auspicia non haberent, dixit, certe, non qui ex magistratibus, sed qui ex privatis profecti sunt, accepto per plebiscitum imperio, intellexit. Hic tu L. Martium opposuisti, quem cum milites ex privato ducem legissent in castris, atque ipse se proprætorem appellasset, questus apud Livium senatus erat, *rem mali exempli esse, imperatores legi ab exercitibus, & solemne auspicatorum comitiorum in castra, in provincias transferri*. Quod ego ita interpretor, questum senatum, quod cum proprætores legi solerent ex prætoribus, imperio auspicato per legem curiatam accepto, Martius creatus esset ex privato imperio lege inauspicata accepto, tu vero addis, quod Martius non a populo, sed ab exercitu imperium accepisset. quod non improbo..

sed id solum senatus querelam expressisse non puto. quoniam si ita esset, non erat, cur Livius diceret, *solenne auspicatorum comitiorum*, sed satis habuisset dicere, *solenne comitiorum*. Quod autem dixi, vix quemquam inveniri, qui ante Scipionem, qui Martio summissus est, ex privato imperium acceperit, noli putare, me omnino nullos intellexisse, verum admodum paucos. exemplum autem, quod ipse T. Quinctii affers, non est simile Martio, cum ipse sit non ex omnino privato, sed ex consule proconsul subsidio castris missus, ut inquit Livius, multoque minus me existimare, si qui ex privatis proconsules facti sint, auspicatis comitiis esse creatos. teneo enim illud Ciceronis, *proconsules bella gessisse, qui non haberent auspicia, non habuisse autem, quia a populo non accepissent*; non accepisse vero, quia tributis comitiis, id est, plebiscito lecti essent, verum usque adeo parum sæpe ante Scipionem eam lectionem usurpatam, quæ post eum frequentata est fere quotannis, cum opus fuit, ut senatus doloris, atquæ iræ plenus rationem Martii habendam non esse censuerit, simulque imperatorem & ex privato legi, & inauspicatos legi, & a militibus in castris legi, conquestus sit. Hactenus de auspiciis. de judicio vero quod dixi, respondes, satis te ostendisse, quemadmodum locus Ciceronis de legibus, ubi de judiciis magistratuum sancit, male a me sit intellectus - quod quam feliciter feceris, aliorum volo esse, non tui judicium. Addebam, proconsules hoc judicium non habuisse, quia provinciam, in qua jus dicerent, non habebant. contra tu T. Flamininum profers, qui proconsule in Macedonia jus dixit, & P. Scipionem, qui in Hispania, antequam utraque provincia facta esset: neque vides, primum exempla esse dissimilia. quia Flamininus non ex privato, sed in consulatu missus est. & uterque ut imperator jus dixit, non ut proconsul, atque uterque militibus, & sociis, qui cum militibus litigarent, quod ad imperatorem attineret, jus dixit.

Tu vero hos & magistratus esse, & appellari vis. idque probas hoc pacto: *Magistratus est, cui data est facultas imperandi. at ii, qui cum imperio esse dicuntur, cum facultatem habuerint imperandi, magistratus quoque fuerint, necesse est*. Cui ego. Qui cum imperio esse dicitur, aut est cum potestate imperandi quocumque modo ad jus dicendum, aut cum potestate imperandi exercitui, ad bellum gerendum. illo modo magistratum vere esse, hoc vero imperatorem. fieri tamen posse, ut idem sit & magistratus, & imperator, verum magistratus comitiis centuriatis, aut tributis, imperator ordine lege curiata, extra ordinem plebiscito, aut senatus consulto. Adjungis in eandem sententiam, *Privatum esse, & in magistratu esse, contraria sunt*. item, *privatum esse, & in imperio esse contraria sunt, ergo idem est in magistratu esse, & in imperio esse*. Quo argumento nihil dico esse posse infirmius. sume enim alias voces. vitium facilius videbis. Acutum est contrarium obtuso, ut acutum ferrum obtuso. item acutum est contrarium gravi, ut vox acuta gravi. ergo acutum, & grave sunt idem. nihil minus. quid igitur? nempe, ut inquit Aristoteles in Topicis, ergo acutum duo significat, unum, quod opponitur obtuso, alterum, quod gravi. sic ex tua argumentatione; ergo privatus duos significat, unum, qui opponitur magistratui, alterum, qui imperatori. ex quo apparet, in magistratu esse, & in imperio esse, non aliter differre posse, quam obtusum, & grave. ecce enim. Legatus proconsulis non est privatus, quia est cum imperio, & tamen non est magistratus, ut tu ipse definis alio loco. an vero propterea est imperator? nequaquam. quia non suis auspiciis rem gerit, sed imperatoris ejus, cujus est legatus. Ex quo intelligi potest, quæ tu tam multa tuo more affers, ut probes, privatum esse opponi ipsi in imperio esse,

A vel cum magistratum, vel cum imperium militare significat, & propterea idem esse magistratum, atque imperium militare concludis, inania prorsus esse, atque non necessaria. Adjungis inde auctoritates aliquot, quibus doces, qui cum imperio in provinciis fuerunt, magistratus appellatos esse, ex eoque colligis, imperium idem esse, ac magistratum. ad quas sic respondeo. Ex Livii, & ceterorum, quos tu non necessario tam multos collegisti, auctoritate qui cum imperio erant, ut proconsules, & proprætores, vocabantur magistratus, contra ex ejusdem Livii, & aliorum, quod tu non negas, auctoritate, sine magistratu esse dicuntur, ergo aut B magistratus, aut tempora distinguenda sunt. Nam si quicumque negotium publicum gessit, aut publice imperavit, aut quocumque modo jus dixit, est magistratus, certe proconsules, & proprætores in bellis sunt magistratus. sin autem, qui non aut civibus Romanis, aut sociis jus dixit, quæ jurisdictio vere magistratum constituit, non est magistratus, profecto magistratus non sunt. eademque ratione si prima tempora repetemus, proconsules, & proprætores magistratus esse negabimus, ut etiam tribunos plebis; si postrema, fortasse non recusabimus.

C Quod autem exemplum eorum, qui ad bellum gerendum, & jus dicendum ex privatis in provincias missi essent, protuli Pompeium, cum Asiam obtinuit, & bellum Mithridaticum, qui vero ad bellum tantum, P. Scipionem, cum Hispaniam, utrumque reprehendis. primum enim inquis, *neminem historicum scripsisse, legem Maniliam de alia re fuisse, quam de bello Mithridatico Pompeio demandando*. quod mihi permirum accidit. oblitus enim videris, Pompeium Lucullo successisse, cum ex consulatu Asiam obtinuisset, deinde Plutarchum, & Dionem ostendis non legisse, qui produnt, legem Maniliam latam, ut Pompeius provinciam, cui Lucullus præ-D fuisset, obtineret, & præterea Bithyniam, quam Glabrio, & Ciliciam, quam Marcius obtinebat, haberet, ut Mithridati bellum faceret. ac lege primum repugnatum esse, quod Marcio, & Glabrioni ante tempus imperium finiretur. Quare neque in Asia, neque in Bithynia, neque in Cilicia fuit Pompeius, ut in alienis provinciis, sed ut in suis, ita ut ibi jus dicere, & bellum gerere potuerit. Deinde vero Scipionem confiteris sine magistratu quidem fuisse, sed sine magistratu urbano. quod cum sit, ut opinor, idem atque sine magistratu primario, ut alio loco respondisti, satis supra refutatum esse existimo.

E Ut porro probarem cum imperio esse, & cum magistratu esse, inter se differre, proferebam verba Svetonii in Tiberio: *Nemine cum imperio, aut magistratu tendente quoquam, quin Rhodum diverteret*. quibus verbis magistratus, qui imperatores essent, & qui non essent, intellexit. quos cum tu voces majores, & minores, haud longe a me recedis. præterea vero interpretabar, *Cum imperio esse*, in his esse idem, atque esse cum potestate belli gerendi, & exercitus habendi, non autem juris dicendi. idque apparere dicebam ex verbis Ciceronis; *Demus imperium Cæsari, sine quo res militaris ad-F ministrari, teneri exercitus, bellum geri non potest. sit proprætore eo jure, quo qui optimo*, cum perpenderem verba illa, *Demus imperium*, non sine quo jus dici, sed sine quo res militaris administrari non potest. tu vero arripiens sequentia: *Sit proprætore eo jure, quo qui optimo*, interpretaris, *optimo jure esse*, qui omnia jura prætoria consequutus sit. quod est longe aliter. est enim hoc loco *optimo jure*, quod est in orat. de lege agraria, *optima lege*, cum inquit: *Si lex curiata non erit, tum ii decemviri sint, quo qui optima lege*. item; *Ut sine lege curiata idem juris haberent, quod haberent, si optima lege a populo creati essent*; id est, legitime creati

essent. Cum enim Octavius prætor non fuisset, juste non poterat mitti proprætor. at censet Cicero, ut etiamsi prætor non fuerit, tamen optimo jure lectus fuisse dicatur. quod ostendunt verba senatusconsulti. *Senatui placere C. Cæsarem proprætorem, senatorem esse. sententiamque loco prætorio dicere, ejusque rationem, quæcunque appetet, ita haberi prout haberi lege liceret, si anno superiore quæstor fuisset.* Præterea vero *sine imperio exercitum haberi non posse* interpretaris, sine publica remp. gerendi potestate, ac sine majore coercendi potestate. neque istam tuam expositionem aperte a Cicerone repudiari sentis, qui in iisdem libris dixit, *Decrevi Cæsari imperium, quod quanquam videbatur ei ætati honorificum, tamen erat exercitum habenti necessarium. quid est enim sine imperio exercitus?* item *Cæsari extraordinarium imperium non darem? aut exercitus adimendus, aut imperium dandum fuit. qui enim fieri potest, ut sine imperio teneatur exercitus?* Hic si dicas, *sine imperio*, id est, sane majore coercitione, quæ in lictoribus præferendis posita fuit, rem certe novam atque admirabilem dicis, Octavio duodecim lictorum potestatem a senatu illo s. c. tantum esse permissam. si sine publica administrandi auctoritate dicis, ut Cæsarem eo s. c. ex privato magistratum fecerint, quomodo extraordinarium imperium illud fuit, cum omnes ex privatis magistratus fiant. Extraordinarium enim illud in hoc fuit, non quod privatus factus sit magistratus, sed quod privatus factus sit imperator: cum imperia magistratibus ordine mandarentur. neque enim si Cæsar ex prætore proprætor missus ad bellum esset, extraordinarium imperium fuisset. siquidem extraordinaria imperia eodem loco vocat, quæ privatis mandata sunt. sic enim ait: *De Cn. Pompeii imperiis tribuni plebis tulerunt. nam Sertorianum bellum a senatu privato datum est, quia consules recusabant, cum L. Philippus pro consulibus se eum mittere dixit, non pro consule.* Quod si tu hoc in loco imperia Cn. Pompeii magistratus Pompeii interpretaris, etiam tres consulatus comprehendas necesse est, de quibus consulatibus tribuni non tulerunt, & si ibi imperia non sunt magistratus, quia magistratus nominatim non mandatur, sed imperium militare, profecto neque hoc etiam in loco. neque in illo in Verrem: *Cum nunciatum esset de Tempsano incommodo, atque inveniretur nemo, qui cum imperio in illa loca mitteretur.* neque enim Tempsanum illud incommodum resarciri coercitione potuit, quæ fiebat per lictores, sed exercitu eguit, cui præesset imperator. Item in illo altero in orat. de provinciis: *Macedoniam tenui præsidio etiam sine imperio per legatos nomine ipso populi R. tuebamur.* Neque enim est verisimile, Ciceronem dicere, Macedoniam esse retentam per legatos sine imperio; id est, sine lictorum coercitione, sed sine duce, qui haberet imperium, & rem suis auspiciis gereret, non autem alienis, ut legati.

Jam vero cum ego aliquando definissem, *Cum imperio esse*, in his proconsulibus, & proprætoribus significare, exercitui præesse, cujus quis esset imperator, hoc tu improbasti in prima responsione, his verbis: *Si in omnibus, qui in provincias mittebantur, pariter, & eodem modo verum fuit, eos fuisse cum imperio, ita ut illud cum imperio esse, una verbi significatione in omnibus illis acciperetur, verum profecto non est, illud cum imperio esse, significare exercitui præesse, cujus quis sit imperator. permultos enim legimus provincias consulares, aut prætorias obtinuisse cum imperio, quibus tamen nullus exercitus, cui præessent, decretus erat. cur enim in pacatas provincias, & quibus nulla esset belli suspicio, mitteretur exercitus?* post autem cum ego de te quæsissem, quomodo posset aliquis esse imperator exercitus, qui non præesset exercitui, respondisti, *quia multi exercitui præfuerunt, cujus tamen imperatores proprie*

A *dici non poterant, ut qui castris, aut provinciæ præficiebantur a magistratu.* & tamen cum tam diffidentes inter se responsiones afferas, me tua pervertere, atque calumniari quereris. Itaque cum in superiore perstans responsione, opposuisses, consules eos qui Sylvas, & calles provinciam sortiti essent, atque eos cum imperio quidem, sed sine exercitu eam provinciam obtinuisse dixisses, ego vero Taciti locum objecissem, qui libro IV. scribit, *Curtium, cui provincia vetere ex more Calles evenerat, classiariorum copia conscripta, servilem conjurationem compressisse*, respondisti, me errare toto cœlo. quia Curtius ille quæstor fuerit, non prætor, eamque rem B extra ordinem peregisse. neque intellexisti, si quæstor, atque extra ordinem hoc ille fecit, multo magis prætorem ordine facere potuisse. nisi vero cum inquit Suetonius, *datam operam, ut Calles, & Sylvæ provincia futuris consulibus decerneretur*, eos imperatores futuros non putas, quia exercitum secum Roma non eduxissent, aut in provincia non accepissent. Quod autem quæstorem, de quo loquitur Tacitus, ordinarium quæstorem fuisse conjicis, qui vectigalia illa exigeret, nescio quam vere id facias. ac non potius quæstor fuerit prætoris ejus, qui eam provinciam haberet. ut enim quæstor dabatur eis, qui ceteras provincias sortiti essent, sic C ei, qui Calles, & Sylvas. neque enim dixisset, *Erat in iis regionibus Curtius quæstor, cui provincia vetere ex more Calles evenerat*, si de ordinario quæstore, qui quotannis in eas regiones mitteretur, intellexisset, sed significat, revocatum eo anno morem antiquum in calles mittendi prætores cum quæstore. Quare quod ille conscripsit classiarios, & compressit conjurationem, fecisse videtur ex imperio non magistratus sui, sed prætoris sui, ipso absente fortasse prætore, ut alii multi, quorum te exempla non fugiunt. Quod autem occurris, *consules, qui in Sylvas provinciam proficiscuntur, profecturos quidem cum* D *imperio, sed non militari, verum cum potestate coercendi, quæ necessitatem afferat. & si in his imperium potestatem militarem non significet, neque etiam in ceteris significaturum*, cum est absurdum, tum doctrinæ tuæ contrarium. siquidem libro III. cap. II. de comitiis ita scribis. *At enim neminem prætorio, aut consulari imperio in provincia fuisse, qui belli gerendi potestatem non habent, dubitari non potest.* Ex quibus intelligo, te non quidem cœlo toto errare, quod proclive est, præsertim non contemplanti, sed domi tuæ te errare, atque in ipsis doctrinæ tuæ sedibus hospitari. Ego vero eos cum imperio militari fuisse dico, exercitum actu habuisse E non assero. idemque dico de iis, quibus paludes siccandæ datæ sunt, quod de Sicinio adversus locustas cum imperio misso dixi. nec tam provinciam, quam hominum habitam esse rationem, nec deteriore jure essent, quam ceteri proconsules solerent. Etenim si consules jus militare habuerunt, ut tu censes, injuria eis fieret, si cum proconsules mitterentur, id juris eis adimeretur, quod potius adaugendum esset. Quamobrem miror, cur tu dicas, Sylvas provinciam minimi negocii a Suetonio appellari, quæ sine exercitu possit obtineri. non enim eos justo exercitui actu præfuisse, sed jus exercitus habendi habuisse volo. Ceterum quod dixi de F Sicinio prætore designato cum imperio adversus locustas misso, quam comice dii boni exagitas, quam lepidus in hoc, & non sine aculeo facetus videri cupis? de bello prætorio contra locustas, de triumpho de locustis. nosti locum. scilicet indignum esse concludis, adversus locustas missum esse imperatorem, decorum autem missum esse magistratum populi R. nam imperium ibi interpretaris majorem coercendi potestatem. quasi vero expeditio in locustas convenientior magistratui populi R. futura fuerit, quam imperatori. Ego vero, cum Sicinius præ-

tor designatus missus sit extra urbem, cum maximo missum esse imperio arbitror. maximum autem est militare, quippe sine provocatione, non quidem ut locustas bello persequeretur, sed ut homines nec obedientes non solum coercere, sed etiam armorum terrore cogere posset.

Cum autem concessissem, qui in pacatas provincias missi essent, exercitum actu non habuisse, sed jus comparandi habuisse, atque iccirco legatos, tribunos militum, præfectos, & cohortem prætoriam aliquam secum duxisse, eique præfuisse, hæc tu omnia verberare aggressus es, sed ita tamen, ut vix me attigeris. Nam quod Cn. Pompeium affers, qui cum præfectus esset annonæ factus cum imperio proconsulari, exercitum non habuerit, sed jure tamen parare potuerit, si opus esset, totum est a me. neque enim diversa facio, habere exercitum, & posse sine ulla nova lege habere. eadem enim est auctoritas, idem imperium. nam qui actu imperat exercitui, & qui, cum libet, imperare potest, idem est imperator. Quod autem legatos negas habuisse in usum rei militaris, quia legati publici ministerii adjutores fuerint, non me lædit, dummodo legatos habuerint, quorum opera, si usus foret, ut in jure dicendo, sic in re gerenda uti possent. Quod tribunos militum negas habuisse, quia exercitum non habuerint, respondeo, habere potuisse in eum usum, ut, si res armis gerenda esset, ne Roma evocare eos necesse haberent. Nam quod inquis, *tribunus militum est Græce χιλίαρχος. id est, qui mille militibus præest*. *ergo ubi milites mille non fuerint, tribunus esse non poterit*, perinde est, ac si dicas, prætor est, qui præest exercitui. non est exercitus, ergo non est prætor. Quare ut in tota hac disputatione vacillas, sic de tribunis militum perverse sentis, ac præcipis. Inquis enim, *tribunos militum, qui quattuor legionibus præessent, a populo creari solitos. si aliæ legiones scriberentur, illis a magistratibus præpositos fuisse tribunos, qui dicerentur Rufuli*, cur autem perverse? quia qui ordinariis legionibus præfuerunt, non minus magistratuum aliquando beneficio, quam populi suffragiis id assecuti sunt. audi Livium anno urbis CCCXCI. *Cum eo anno primum placuisset, tribunos militum ad legiones suffragio fieri, (nam & antea sicut nunc, quos Rufulos vocant, imperatores faciebant.) Torquatus secundum locum in sex tenuit:* & anno CCCCXLII. *Tulerunt tribuni plebis, ut tribuni militum seni deni in quattuor legiones a populo crearentur, quæ ante perquam paucis suffragio populi relictis locis dictatorum, & consulum ferme fuerant beneficia*. At Cicero, inquis, in prætura Verris legatorum, & quæstorum ejus meminit, tribunorum militum non meminit. optime. cur non meminit? *quia non habuit*, inquis. O rem ridiculam. Verres bellum fugitivorum gessit, ut inquit in septima Cicero, ergo solus gessit, quomodo solus? quia non habuit exercitum quomodo non habuit exercitum? quia non habuit tribunos militum. Ecce tandem aliquando imperator sine exercitu, quem tu tanta cura exquiris, & inveniri posse negas. Sed hoc ferendum. Cum Verrem prætorem cohortem prætoriam habuisse inficiari non posses, eo delapsus es, ut dicas, cohortem prætoriam non ex armatis militibus, sed ex domesticis convicto-

A ribus, & necessariis apparitoribus constitisse. quorum utrumque falsum. audi Festum. *Prætoria cohors est dicta, quod a prætore non discedebat. Scipio enim Africanus primus fortissimum quemque delegit, qui ab eo in bello non discederent, & cetero munere militiæ vacarent, & sesquiplex stipendium acciperent;* & Ciceronem de quæstore Verre. *Dedi stipendia cohorti prætoriæ*. Ex quo apparet, scribas, præcones, & alios ministros ejusmodi improprie ex cohorte prætoris dictos. quod ipse significavit in epistola ad fratrem. *Quos vero aut ex domesticis convictoribus, aut*
B *ex necessariis apparitoribus esse voluisti, qui quasi ex cohorte prætoris appellari solent*. nimirum eos appellans non ex cohorte prætoris, sed quasi ex cohorte prætoris. ex quo efficitur, cohortem prætoris proprie ex militibus constitisse, improprie ex ministris, & apparitoribus prætoris. Ciceronem vero ad contumeliam Verris cohortem ejus totam ex humilibus apparitoribus potius, quam ex militibus constitutam significasse. Quod autem addis, non cohortem prætoriam argumentum potestatis bellicæ administrandæ fuisse, sed quod prætores clasem ex fœderis formula imperarunt, & præsidii causa habuerunt, ut de Flacco Asiæ prætore dixit Cicero, id totum alienissimum est. neque enim Flaccus, ut imperator ex
C fœdere clasem imperavit, sed ut prætor. Ut enim prætor urbanus Romæ civilis juris erat custos, sic in provincia provincialis. quod si ille ex fœdere imperavit, fecit id, quod erat in jure. quod idem de Verre judicandum est, qui naves Siculis imperavit.

Addis postremo, *ubi non est bellum, non est imperator, in pacatis provinciis non est bellum, ergo neque imperator, & tamen est aliquis cum imperio. quare esse cum imperio non est esse imperatorem*. O plumbeum pugionem. Ubi non est bellum, non est fortasse imperator, qui actu præsit exercitui, at est, qui, si opus sit, præesse potest. frustra enim
D imperium accepisset, ac paludatus exisset. Tales autem alia ratione proconsules dicti sunt, alia imperatores; proconsules, ut jus dixerunt, imperatores, ut rem bellicam administrarunt, aut jus administrandi habuerunt. Quid ergo tandem constituis? operæ pretium est audire. *Qui cum imperio in provincias profecti sunt, magistratus fuerunt, non autem qui magistratus fuerunt, etiam cum imperio omnes fuerunt*. *siquidem quæstores*, inquis, *magistratus fuerunt, verum sine imperio*. O præclarum decretum, & undequaque verissimum. at legati nonne cum imperio fuerunt, & tamen, te auctore, magistratus non fuerunt? & quæstores ipsi non etiam cum imperio fue-
E runt, cum coercendi potestatem habuerint, quam tu vocas imperium? siquidem quæstores provinciales lictores cum fascibus prætulerunt, ut ostendit Cicero in Verrem: *Quæstores utriusque provinciæ, qui isti prætori fuerant, cum fascibus mihi præsto fuerunt*. Quæ si ita sunt, profecto ad id nos redisse sentis, quod ab initio tractare cœpimus, & in quo hujus disputationis summa versatur, imperatorem longe esse a magistratu diversum, neque imperium in magistratu ipso esse inclusum. Qua de re quoniam jam bis ab utraque parte, quasi comperendinata causa satis est peroratum, reliquum est, ut aliquando tandem judices in consilium mittamus, atque huic controversiæ finem imponamus.

ANTIQUITATUM ROMANARUM PAULI MANUTII

LIBER DE SENATU.

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO

JACOBO BONCOMPAGNO,

Duci Soræ, Marchioni Viniolæ, &c.



UIS erga te parentis mei amor, dum viveret, quanta in te observantia, quodnam studium exstiterit, plerique omnes norunt; omnium illius viri similium amore, observantia, studio dignissime, JACOBE BONCOMPAGNE, *Illustrissime; norunt, inquam, ex amicis utrique vestrum communibus fere omnes, itemque omnes ii, qui ejus epistolam ad Te, qua suum Commentarium in orationem Ciceronis pro Archia Tibi* προσεφώνισε, *legere minime gravati sunt. Quamobrem hæc pluribus commemorare, probareque aliis haudquaquam necesse existimo. Tantum hoc loco illud, non Teipsum, qui mei sensum de Te, propensionemque adversus Te animi mirificam minime ignoras, verum alios admonitos velim; Si ego patris ut fortunarum, sic quoque amicitiæ, quæ ei cum pluribus fuit, hereditatem adii, quo jure non parva mihi Tecum conjunctio intercedat necesse est, sique hanc conjunctionem tanto mihi usui, atque ornamento esse voluisti, ut non mihi Mæcenas, (nam id nomen levius mihi Tuis singularibus, ac prope divinis in me esse meritis videatur) verum, ut Augustus Maroni, Deus aliquis appellandus sis, qui me ab inferis pæne revocaris, Tua quidem certe semper commemoranda liberalitate afflictum excitaris, nonne ingratissimus omnium, atque omnis expers humanitatis esse videar, si, cum Tibi prope quidquid sum secundum Deum* Opt. Max. *uni acceptum referre debeam, non me, fortunasque meas, ingeniique mei monumenta, vitamque ipsam dicare velim? Nam, ut ea, quæ mihi abs Te profecta sunt, quotidieque proficiscuntur commoda, taceam, ex quibus maximam rei familiari, dignitati, ac laudi meæ accessionem fieri sentio, Tu mihi illius omnis auctor otii, quidquid illud est, quod ad litterarum studia confero, unde hauriam quæ studiosis grata, atque utilia futura sint, Tuque mihi facultatis illius elargitor, qua non meas solum, sed etiam alienas lucubrationes typis mandare, & ad communem omnium utilitatem in lucem proferre possim. Quod si ego mea, cur non item patris mei monumenta nondum edita in Tuo nomine prodire, Tibique nuncupari velim? qui, mihi Tecum ante institutam amicitiam ut quoad possem officiis tuerer, eaque mihi nihil carius, nihil honestius, nihil ad omnia mea studia, atque ad omnem vitam præclarius esse ducerem, sæpissime admonebat. Ego igitur, qui illas tantum non postremas voces, præcepta, inquam, illa postremæ ejus voluntatis, quæ ut pie, sancteque coli a nobis ac servari debeant, tam multa a sapientibus caventur, religiose ad hunc usque diem servarim, & coluerim, atque in amicitia, & unius Tui patrocinio omnia posuerim, in posterum a me ipso desciscam? Dii meliora. Quid igitur? Interpretatione usus sum, ut puto, fideli, ut ex verbis patris*


mentem conjicerem, quænam esset. Cum enim inter quædam ejus scripta, quorum partim ab ipso inchoata, partim etiam affecta, relicta sunt, esset hic de Senatu Romano libellus; inii consilium ejus mandandi typis, justisque, ut dixi, de caussis Tuo Illustrissimo nomini nuncupandi. Quod si rem gratam unquam patris manibus feci, me gratissimam nunc facturum certo scio, qui Te huic commentario, his ejus vigiliis, quarum partem maximam Tibi fuisset consecraturus si diutius vixisset, patronum adlegerem. Suscipe igitur munus hoc, quod non solum meo, sed patris ipsius nomine ad Te mitti velim existimes. Quod etsi longe serius aliis ejusdem argumenti commentariis, a doctis viris conscriptis, editur, longe tamen prius ab ipso scriptum scias velim; ne putes, in quibus ipsi cum aliis convenit, ea surripuisse ab aliis. in quibus enim aliter sentit, ut nulli suspicioni locus est, sic ego doctorum relinquam judicio, cuinam standum sit; atque ipsis, qui patrem semper fecerunt maximi, & in antiquarum rerum Romanarum cognitione permultum ei detulerunt, caussam integram defero. Tu, quod reliquum est, me, ut facis, ames, ac foveas, deprecor: atque Sanctissimo, ac sine controversia Beatissimo Pontifici GREGORIO, *cujus virtute, doctrina, ac sanctimonia si sæculum unquam ullum, hoc certe nostrum* AUREUM *vocari jure meretur, aliquando meam in eum singularem observantiam in memoriam redigere ne dedigneris. Fortunet Deus Opt. Max. consilia Tua. Venetiis, Kal. Jan. M. D. XXC.*

Illustriss. atque Excellentiss. D. T.

Devinctissimus,

ALDUS MANUTIUS.

PROOEMIUM.



IN omni re, atque in omni sermone, nisi ea, quæ agimus, aut eloquimur, ita componamus, ac digeramus, ut suis singula locis constituantur, nihil unquam neque venuste, neque pro nostra voluntate perficitur. primum enim abest decorum illud, quod ex partibus apte cohærentibus exsistere, elucereque videmus: deinde fit, ut, qui nostris consiliis propositus est finis, eum consequi sine ordine, hoc est, sine ratione, non liceat. qua in re philosophiam, omnium recte dictorum, recteque factorum parentem, satis pro ejus merito ac dignitate laudare nemo poterit. quæ nobis eas caussas, unde ordinis origo fluxit, suo lumine patefecit. quod nisi ita esset, & nisi ea duce uteremur, magnis in tenebris, magnisque in erroribus versari necesse erat. Ego igitur, cum ad urbis Romæ instituta memoriæ prodenda, quo nullum esse argumentum illustrius intelligebam, animum adjunxissem, feci, quod ab iis, quibus ipsa philosophia magistra fuerat, esse factum animadverteram: cogitavi primum ad ipsam rem, de qua scripturus essem: tum ad ordinem, quem in explicanda re sequi conveniret. quod ad rem attinet, occurrebant illa, ei, qui aliquid ita litteris mandet, ut posteritati consultum optime velit, non satis esse, quid actum sit, explicare: sed operam simul esse dandam, ut, & a quibus, & ubi & quando quidque actum sit, studio atque industria persequatur. erat igitur mihi accurate cogitandum, ut il-

A lustria quæque de hominibus, de locis, de temporibus, de rebus exponerem. cumque in hanc sententiam ipsa me ratio perduxisset: tum multo sum vehementius incitatus, posteaquam M. Varroni, Romanorum omnium doctissimo, idem placuisse, apud Augustinum in eo libro animadverti, qui de civitate Dei inscriptus est. Cum enim ille vir, quo nemo unquam inter Latinos neque plura, neque meliora scripsit, rerum humanarum divinarumque notitiam litteris consignare, posterisque tradere instituisset, universi operis argumentum ab hominibus,
B a locis, a temporibus, a rebus derivavit. cur autem homines ante loca, & loca ante tempora & tempora ante res collocarit: hoc, quia pertinebat ad ordinem, de quo post inventam rem considerari a me oportere dixi, examinandum, & quam liceret accurate, investigandum constitui. sic igitur cogitavi: ubi pluribus in rebus, quæ nobis tractandæ sint, ordinem quærimus, tum naturam spectari solere, tum dignitatem. quæ natura priora sunt, ea, quod ad naturam attinet, priorem quidem locum sibi jure vindicant: sed, quia nonnunquam ab iis, quæ po-
C steriora sunt, dignitate vincuntur, dignitati natura cedit & ignobilioribus nobiliora in ordinis ratione præponuntur: quæ vero ejusmodi sunt, ut simul nata, simulve fuisse videantur, ea, quia, quod est naturæ, in eo paria sunt, dignitatis habita ratione disponuntur. Cum igitur M. Varro, homo peracutus, & quod illius scripta declarant, in Aristotele versatus, hominem & locum consideraret, hominemque esse loco natura posteriorem intelligeret, quia omnis homo est in loco, &, quod al-

aliqua re continetur, ipsa re, quæ continet, posterius est, omissa natura, dignitatem secutus est, hominemque loco, natura posteriorem, quia tanquam locatum continetur a loco, dignitate priorem, quia rebus inanimatis animatæ præstant, antepofuit. sequebatur post hominem & locum loci & temporis comparatio. in his, cum natura potius, quam dignitate, differant: non ad dignitatem, sed ad eam, qua una differunt, naturam spectari necesse fuit. Patet enim, tempus esse non posse, nisi locus sit: quia tempus est mensura motus, & omnis motus est in loco: locus autem ut cum tempore sit, necesse non esse: quia nihil ad definitionem loci tempus affert. quod si tempus a loco pendet, locus autem a tempore non item, non tempus loco, sed locum tempore natura priorem esse constat. verum, quia, ut ante tempus locus esset, non tamen necessario sequebatur, ut tempus ante rem, (poterat enim ita tempus esse post locum, ut non tamen proxime sequeretur) in his quoque habita naturæ ratio est: &, quia non esse res sine tempore, tempus autem sine re esse potest, ex utriusque natura patuit, ita ante rem constitui tempus oportere, quemadmodum ante tempus locum, & ante locum hominem esse collocandum, ipsa jam ante ratio demonstraverat. Recte igitur Varro prius de hominibus, quam de locis, ex dignitate: & prius de locis, quam de temporibus; de temporibus, quam de rebus, ex natura, sibi agendum putavit: recte igitur & ipsi fecimus, quod in nostris Romanarum antiquitatum libris eundem, quem Varro probaverat, ordinem secuti sumus, non tam hominis auctoritate & exemplo, quam, ut ostendimus, ipsa ratione & veritate commoti. Romana respublica, ut homo ex anima & corpore, sic ipsa e senatu & populo constituta, cæteris respublicis tantum antecelluit, quantum homo cæteris animantibus. sed, quia communis quasi quædam lex est in omnibus rebus, ut ordinem diuturnitas, perturbationem interitus consequatur: propterea, quamdiu veteres leges, & instituta majorum in urbe Roma viguerunt, tamdiu stetit imperii dignitas, neque rempublicam aut externæ vires affligere, aut ulla debilitare domestica seditio potuit. ubi vero extraordinariis imperiis locus esse cœpit, & civium animos pecuniæ cupiditas infusa corripuit, aut gratia delenivit: tum, primo quidem de suo statu moveri, ac leviter quasi nutare respublica cœpit: deinde, cum ad eam confirmandam aliis animus, aliis consilium deesset, vehementius labefactata, ad extremum tota corruit. qua in cogitatione cum & diu & perattente essem versatus: ipsa mihi ratio facile persuasit, ordinis & conservationis caussam a senatu emanasse, perturbationis & interitus a populo. quare, ut nos quoque ordinem tueamur, qui quanti sit, exemplo magnarum rerum intelligimus, de senatu primum, mox de populo narrabimus: tum, quæ ad explicandam Romanarum rerum notitiam pertinet, reliqua, suo quidque loco, persequemur.

CAP. I.

De origine Senatus.

ROMULUS, primus rex, & creator urbis, matre Rhea Silvia, virgine Vestali, incerto patre natus, cum Numitori, materno avo, regnum Albæ, cæso ejus fratre Amulio, restituisset: magna quædam animo spectans, fatis ducentibus ad urbem condendam cum tribus hominum millibus Alba profectus, in Palatino colle, ubi a Faustulo pastore, ejusque uxore Laurentia fuerat educatus, optimo augurio sedem constituit. Ibi parvæ urbis, quæ domina gentium futura erat, jactis fundamentis, cum se suosque muro circumducto muniisset; universam multitudinem in tres partes, quas tribus appellavit, distribuit, & unamquamque partem in denas, quas curias nominavit: ut ex tribus tribubus triginta omnino fierent curiæ, quæ suum singulæ sacellum, ubi sacra facerent, deosque colerent, habuerunt: curiæque & ipsa sacella sunt appellata. post hanc distributionem in partes, aliam rursus in hominum genera fecit. non enim, ut quædam nationes, viribus impetuque corporis fretæ, in armis omnia posuit: sed ita se ad incrementa regni optime consulturum arbitratus, si consilium viribus adjungeret, ex omni civium numero centum deligi voluit, qui ætate, atque prudentia cæteros anteirent. in quo sapientissimi regis moderationem & ingenium licet animadvertere: qui neque sorte in senatu instituendo, neque suo tantum judicio sibi utendum censuerit: cum maximi momenti rem si sorti committeret, imprudentiæ videret esse: si suo unius judicio, arrogantiæ. sortem igitur exclusit omnino: judicium in summo honore mandando & suum esse noluit, & civitatis: sed ita, ut civitas majorem, quam ipse, qui rex erat, ipse majorem, quam unus civis, potestatem haberet. ita, cum civium gratiæ tribueret plurimum, habuit tamen, quam debuit, suæ quoque rationem dignitatis. cum enim ipse, qui pro regio jure senatores legere omnes posset, unum modo legisset, in quo præcipuo jure fuit, quia reliquorum civium, ut unus aliquis unum senatorem legeret, nemini concessit: civitati, ut reliquos nonaginta novem legeret, largitus est. Nam, cum tres tribus, & ex tribubus triginta curias, ut diximus, fecisset, primum a singulis tribubus trinos senatores, hoc est, novem omnino, creari jussit: deinde a singulis curiis item trinos, qui nonaginta fuere. ita ad novem, quos tribus legerant, additis nonaginta, quos curiæ crearant, & eo, quem ipse primum legerat, quasi duce adjuncto, centum consiliariorum numerum explevit. hos ad privatarum rerum consultationem non adhibebat: sed ita constituit, ut de privatis injuriis & ipse sine senatoribus, & senatores sine ipso judicarent, ipse de maximis, senatores de minimis. at vero, quæ ad regnum spectarent, omnia per eos cognosci, statuique voluit: quodque major pars censuisset, id vincere. Quod institutum Dionysius Halicarnasseus, vel veritatem secutus, vel ambitiosus in suos, Romulum a Laconibus transtulisse narrat: apud quos non pro suo jure, quidquid vellent, reges peragebant, sed juris omnis publici penes senatum potestas erat. Hoc quidem aliquandiu Romulus servavit: mox & diuturna consuetudine regnandi, & multis magnisque victoriis elatus, cum ad suum arbitrium revocare omnia cœpisset, nihil ad senatores referret, non abfuit suspicio, ab iratis ob eam caussam ad Capræ paludem fuisse discerptum. Fuit vero senatus eximia dignitas & ante Reipublicæ tempora, & multo etiam magis post liberam civitatem: isque ordo cæteris ordinibus, publicisque consiliis omni honore atque auctoritate semper antecelluit. *populo enim*, quod ait Livius, *magistratus præerant, magistratibus autem senatus*. quod ipsum & Cicero in oratione pro Sextio satis plane significat his verbis: *Majores nostri, cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus Reipublicæ præponerent sempiternum. senatum Reipublicæ custodem, præsidem, propugnatorem collocaverunt*. hujus ordinis auctoritate uti magistratus, & quasi ministros summi consilii esse voluerunt. Patres autem senatores appellati, tum ob honorem, tum ut civitatem patria quadam caritate, studioque complexi, totam suis consiliis, suaque prudentia foverent. inde patriciæ familiæ, quæ ab his originem duxere, nomen acceperunt. Atque a principio, sacra curare, magistratus gerere, jus dicere, tantum ad patricios, id est, ad senatores, pertinuit. plebeii agros plerique

colebant: &, ut homines rudes, civilibus negotiis abstinebant, rustica re, aut quæstuariis artibus victum sibi comparantes, ab agris in urbem veniebant, vel ut magistratus crearent, vel ut leges scirent, vel ut bella, a rege rogati, suffragiis juberent. hæc enim tria, cum cætera per senatum omnia curarentur, a populo statuebantur: & hanc illi potestatem Romulus permisit, neque tamen absolutam, sed ita, ut, quod plebs jussisset, id tum demum ratum esset, si senatus idem approbasset. Post exactos reges video rationem esse commutatam. non enim de plebiscitis senatus judicavit: sed ea, quæ senatus decreverat, populi arbitrio subjecta, tamquam a domino pendebant, præsertim si aut ad magistratus, aut ad leges, aut ad bellicam rationem spectarent: ut confirmanda potius per populum, quæ senatus decreverat, viderentur, quam quæ populus jusserat, per senatum. quod magis in Republica motibus & contentionibus caussam præbuit. in quem fere morbum omnes civitates delabi necesse est, quæ, ne peregrinis militibus ad bella utantur, plebem urbanam armis assuescere patiuntur. insolescit enim facile plebs, & ubi se, quod libeat, intelligit posse: quid licet, non attendit, vi contra consilium, armis contra leges utitur. ita fit, ut gubernacula Reipublicæ, extorta de manibus optimorum ac sapientissimorum civium, improbi & imperiti homines, nullo publico consilio, pro sua temeritate, libidineque tractent. quod cum evenit, tum libertas, quasi recto cursu amisso, fluctuat, & jactatur, non quatenus conservari possit, sed usque eo, ut naufragium passa dispereatur. quæ quia in utramque partem satis accurate disputabuntur in eo libro, in quo tres trium ætatum florentissimas Respublicas, Spartanam, Romanam, Venetam, inter se comparabimus, omisso, quod hujus loci non est, argumento, id, quod instituimus, persequamur.

Romulus, ut erat singulari consilio & alta quadam mente præditus, cum vereretur, ne quid injuriæ plebs, per inscitiam circumventa, a senatoribus ferret: indeque concordiam, sine qua diuturnum nihil est, exorta seditio dissolveret: universæ civitatis animos quasi quodam necessitudinis vinculo conjunxit. constituit enim clientelas & patrocinia. quod erat hujusmodi, ut plebeii patronum sibi deligerent e senatoribus, quem quisque vellet; senatores plebeiis in clientelam receptis fidem suam ac studium benignissime præstarent. Erat autem hæc inter utrosque officiorum vicissitudo, ut patricii plebeios, ab usu rerum urbanarum imperitos, consilio erudirent, accusatos defenderent, præsentes, absentes, omni ope tuerentur: contra, clientes ad collocandas senatorum filias, si parentibus copiæ non suppeterent, de suo conferrent: in æris alieni dissolutionem gratuitam pecuniam erogarent: ab hostibus in bello captos redimerent: in magistratibus & honoribus officiosa sedulitate deducerent ac reducerent. quod si clientem patronus, aut patronum cliens accusasset, contrave testimonium dixisset, aut suffragium tulisset, is proditionis lege tenebatur, eumque qui occidisset, pie fecisse, & inferno Jovi hostiam mactasse putabatur. atque hujusmodi clientelæ quamquam ab initio potissimum urbanæ plebis caussa sunt institutæ, tamen per ea, quæ consecuta sunt, tempora, aucta jam urbis ditione, ita sunt amplificatæ, ut non coloniæ solum, sed gentes etiam, aut bello victæ, aut societate amicitiaque populo Romano conjunctæ, sese civium Romanorum in patrocinia contulerint. sic M. Marcellum Syracusani, Q. Fabium Allobroges, alios alii, a quibus victi fuerant, eosdem post victoriam patronos habuerunt. cujus officii tanquam hereditas etiam ad posteros pervenit. nunquam enim neque Siculis Marcellorum, neque Allobrogibus Fabiorum fides officiaque defuerunt. Factum est autem, ut quam diu soli patricii senatum tenuerunt, tam diu sub eorum tutela plebeiæ familiæ fuerint. ubi vero non patriciis modo, sed generatim omnibus civibus senatoria dignitas patuit: tum, ut cuique magis libuit, patronum sibi, sive patricium, sive plebeium, adoptavit. discrimen enim in deligendo nullum esse potuit: cum, honoribus inter omnes cives communicatis, æque plebeii hominis ac patricii polleret auctoritas.

Sed, ut tanquam in viam, unde paullulum divertit, oratio redeat, quæ fuerit in primis senatoribus creandis ratio, ea quæ jam exposuimus, declarant. reliquos senatores, qui deinde ante liberam civitatem aut in demortuorum locum suffecti, aut agendi senatus caussa creati sunt, non populi suffragiis, sed voluntate judicioque regis in amplissimo ordine pervenisse existimarim. neque vero me in hanc opinionem inanis quædam conjectura ducit: sed Livii sequor auctoritatem, cujus hæc sunt verba libro 4. in concione C. Canuleii trib. pl. *Cavent, ne societur sanguis. quid, hoc si polluit nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi ex Albanis & Sabinis, non genere, nec sanguine, sed per cooptationem in patres habetis, aut ab regibus lecti, aut post reges exactos jussu populi, sinceram servare privatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororesque enubere sinendo e patribus?* Id & Festus confirmat his verbis: *Reges legebant, sublegebantque quos in consilio publico haberent.* Intelligit autem de aucto senatu, cum ait, *legebant*, cum vero, *sublegebant*, de suffectis in demortuorum locum. regno sublato, utrum a populo, an a censoribus creati senatores sint, absurde nonnulli dubitant. nam, etsi utrumque legitur, non tamen alterum esse verum, alterum a veritate dissentire necesse est. omnem enim dubitationem tollit una distinctio. a regibus ejectis cooptandorum senatorum jus populus habuit in multos annos. i. donec censores creati sunt. censura non illa quidem ob eam caussam est inducta, ut esset magistratus, a quo uno sine populi suffragiis senatores crearentur, sed, quod in populo per multos annos incenso neque differri census poterat, neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, temporis fore satis ad id negotium videbatur. *deinde tanto incremento*, ut ait Livius, *hic magistratus auctus est, ut morum disciplinæque Romanæ penes eum regimen, senatus equitumque centuriæ, decoris dedecorisque discrimen sub ejus ditione, publicorum jus privatorumque locorum, vectigalia populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.* Creavit igitur senatores populus ante censuram institutam, atque etiam post censuram per aliquot annos, ut ex Livianis verbis, quæ proxime recitavi, facile colligitur. Censorum deinde potestas fuit in legendo senatu. quod auctoritate veterum confirmare, puto esse supervacaneum. millies enim in historia scriptum est. at de populo senatores creante, quia non ita crebris exemplis declaratur, ea, quæ sunt in Canuleii concione, Livii verba hunc in locum transferre necessarium duximus. quod si quis uno exemplo contentus non est, illa Ciceronis in oratione pro Sextio, quæ sunt apertissima, ad Livii testimonium adjungat. *Majores*, inquit, *nostri, cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos creaverunt, ut consilium senatus reip. præponerent sempiternum; deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ ac virtuti pateret.* quibus verbis non modo id, quo de agimus, patet, senatores universi populi suffragiis a principio creatos esse: verum etiam hoc significatur, honorem illum non solis patriciis fuisse mandatum, sed, contra quam reges instituerant, promiscue modo patriciis, modo plebeiis, uti maxime consilio meritisque erga rempublicam præstarent. quo factum est, ut nunquam viris fortibus, ac sapientia

præditis, civitas eguerit. *est enim*, ut ille inquit, *divinum bonum honor*: & ad præclare agendum nihil magis, quam honoris gloriæque cupiditas, impellit. quod si præmia tolluntur & debita virtuti merces denegatur, languescit in civibus industria, & extinguitur animorum illa vis atque alacritas, quam etiam in iis, qui obscuris parentibus nati sunt, proposita merces facile solet excitare. quocirca reipublicæ rationibus in eo consultum est egregie, quod bene merentibus, si peregrini essent, civitas: si cives, ordo in civitate amplissimus præmii loco datus est. sed, ut in re pergamus (paullulum enim extra rem egressa videtur oratio) quæri potest a curiosis hominibus, quibus comitiis a populo senatores crearentur, curiatis ne, an centuriatis, an tributis. hic si omnis nostra cognitio pendet ab exemplis, &, nisi veterum testimonio comprobetur, inanis est: sane, quid dicam, non habeo, valdeque mihi, quod ajunt, aqua hæret. nomen enim comitiorum, quibus senatoria dignitas ante creatos censores tribuebatur, nulli prorsus docent antiquorum libri. sin autem, ubi exemplorum inopia laboramus, aliqua tamen veritatis investigandæ spes relinquitur: non deest, quod quærentibus respondeam. puto enim, nec opinor absurdum esse, quod puto, cum senatorius ordo cæteris ordinibus dignitate præstaret, eos homines, qui in illum ordinem adscripti sunt, iis comitiis id muneris accepisse, quæ omnium comitiorum præstantissima, ac nobilissima, ducerentur. ea porro sine dubio centuriata fuerunt, quibus & majores magistratus creatos, & maxima bella esse jussa, & leges eas esse latas, quæ maxime e republica viderentur, vetustatis monumenta declarant. Creatis vero censoribus, creatos esse curiatis comitiis senatores, legimus apud Festum: in quo scripta sunt hæc: *Tribunitia potestate sancitum est, ut censores ex omni ordine optimum quemque curiatum in senatu legerent*. Vetus illud Romuli institutum, qui primos senatores curiatis comitiis legi voluit, spectarunt sine dubio tribuni pl. idque renovandum existimarunt. Injicitur & in eo scrupulus, quod, exactis regibus, potestatem legendorum senatorum ad populum delatam esse diximus. hoc enim Livius, & Tacitus, & Festus refellere omnino videntur: qui senatum, quem Tarquinius Superbus cædibus exhauserat, novis senatoribus repletum ac restitutum a consule prodiderunt. etsi, cum in re consentiant, differunt in nomine. nam Livius, & Tacitus L. Brutum consulem nominant, Festus P. Valerium, cui Publicolæ cognomen fuit. ego, etsi, uter fuerit, ad rationem doctrinæ nihil attinet, Livium tamen, & Tacitum potius, quam Festum, sequi malim: primum, quia libentius & duobus, quam uni, & vetustioribus, quam recentiori, assentior: deinde, quia, cum L. Brutus ad constituendam libertatem omnes curas, omniaque studia ita intenderet, ut singularem in eo, maximeque propriam laudem ferret, qui etiam filios suos, de restituendo Tarquinio rege cogitantes, interfici jusserit, inter primas illius actiones eam fuisse consentaneum est, quæ ad confirmandam custodiendamque libertatem momenti plurimum habere videretur. nam, si sapientium consilio, & consulentium auctoritate civitatibus consulitur, consilium in senatu summum fuit, auctoritas vero, etiam regum ætate, maxima. quare, quod e publica re maxime fuit, id nulla interposita mora factum esse verisimile est. ut tria L. Bruti præclara facinora pro inducenda statuendaque libertate numerentur: unum, quod & primum, & omnium maximum fuit, regem Tarquinium ejicere: alterum, consules creare, dignitate regia, potestate legibus definita: tertium, senatum constituere, cujus auctoritate consules uterentur. Hæc de consulis nomine. de re ita statuo, in eo, quod dixi, de populi potestate in senatoribus legendis, Livii, & Taciti, & Festi sententiam ab opinione mea non discrepare. nam senatores illos, qui ad explendum trecentorum numerum creati sunt, lectos quidem primum judicio consulis existimo, deinde tamen, ipso, qui legerat, consule ferente, populi suffragiis esse comprobatos. quam in creandis senatoribus, ante censorum tempora, perpetuam fuisse consuetudinem duco: ut neque consul sine populi consensu senatorem illum fecerit: neque populus, nisi de quo rogaretur a consule, suffragia tulerit. quod si, quod factum deinde non est, uni L. Bruto licuisse velis, ut sine populi suffragiis centum & sexaginta quatuor homines (tot enim fuisse Festus ait) in curiam induxerit, detur hoc viri excellentis eximiæ virtuti: ut, quem vindicem, auctoremque libertatis populus habuerat, ejus in restituendo senatu liberum esse judicium voluerit. Reges igitur primum senatores crearunt, sed Romulus, quod ex Dionysio liquet, curiatis comitiis, reliqui reges nullis, opinor, comitiis, ipsorum arbitratu: quod a Livio, ex Canuleii persona, traditum ostendimus. in republica, censoria potestate nondum inducta, creatos a consulibus, aut a tribunis mil. consulari potestate, docet Festus: comitia nulla nominat. ego tamen, quæ non nominat, excludi non puto. sed videlicet id significat, judicio primum consulum, aut tribunorum delectos, qui senatoria dignitate honestarentur: deinde, quos illi delegerant, populi suffragiis mox esse comprobatos, etiam si non aperte narrat, licet tamen intelligere: neque dubitationi locum illum Livius relinquit, cum ait in eadem illa Canuleii concione: *Aut ab regibus lecti, aut, post reges exactos, jussu populi*. nec a Livio dissentire Ciceronem ostendimus, qui scripserit illa in oratione pro Sextio: *Deligerentur in senatum ab universo populo*. De numero autem senatorum, quos Romulus legit, aut quos alii reges adscripserunt, difficilis quæstio est: de qua nostram sententiam exponemus, ut moneri tamen, & corrigi, si minus recte senserim, facile patiar, atque adeo vehementer cupiam. Romulus, ut Dionysio teste jam probatum est, centum creavit, ex iis tantum, quos ipse secum adduxerat. postea, civitate Sabinis communicata, totidem adscripsit. quod idem Dionysius, & præterea Plutarchus ostendit. a Romulo ad Hostilium, qui tertius Romæ regnavit, ducenti tantum fuere. nam Numa senatum non auxit, totus ad res divinas conversus. Hostilius, Alba eversa, non plures senatores, sed plures patritias familias fecit, quæ ordinis senatorii possent esse participes. ita quasi seminarium auxit. ita creandorum senatorum, septem patriciis familiis, quas Dionysius Liviusque nominant, adjectis, numerum tamen, qui antea fuerat, eundem reliquit. Secutus est Ancus Marcius. hic neque ad senatum, neque, quod traditum sit, ad patricias familias addidit. Quinctus rex Tarquinius Priscus senatores centum allegit, ut omnino trecenti fuerint; de quo Livius. *Nec minus*, inquit, *regni sui firmandi, quam augendæ reip. memor, centum in patres legit: qui deinde minorum gentium sunt appellati*. At Cornelius Tacitus lib. 11. familias majorum gentium a Romulo, minorum a L. Bruto dictas esse narrat. ego hoc nomen commune omnium fuisse crediderim, qui tam a Tarquinio quam a L. Bruto, ut ait Livius, aut, ut Festo Pompeio placet, a P. Valerio Bruti collega, suffecti sunt. sicuti & patres conscriptos senatores eos dictos esse, crediderim, quicumque ad veteres patres, quos Romulus scripserat, vel a Tarquinio, vel a consulibus post ejectos reges adscripti sunt. quod tamen haud sane diuturnum nomen fuit. nam reip. temporibus hac appellatione senatores non distinguebantur, sed omnes æque modo Patres, modo Patres conscripti dicebantur. Sed de trecentis a Prisco factis magna inter Livium, & Dionysium, ac Plutarchum videtur esse controversia. nam Livius libro 1. centum

modo senatores fuisse, cum Romulus obiit, non dubie significat his verbis: *Timor deinde patres incessit, ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, multarum circa civitatum irritatis animis, vis aliqua externa adoriretur. & esse igitur aliquod caput placebat: & nemo alteri concedere in animum inducebat. itaque rem inter se centum patres, decem decuriis factis, singulisque in singulas decurias creatis, qui summæ rerum præessent, consociant. decem imperitabant. unus cum insignibus imperii, & lictoribus erat. quinque dierum spatio finiebatur imperium, ac per omnes in orbem ibat: annuumque intervallum regni fuit. id ab re, quod nunc quoque tenet nomen, interregnum appellatum. fremere deinde plebs multiplicatam servitutem: centum pro uno dominos factos* centum nominat. de centum e Sabina gente a Romulo creatis nusquam meminit. At Dionysius libro Romanæ historiæ II. & Plutarchus in Romuli vita, ducentos fuisse post initam cum Sabinis societatem, plane narrant. utrum igitur Livio nostro, an duobus Græcis, habenda fides est? rem perpendere soleo, non homines. si consequi veritatem non licet, in re dubia, quod verisimilius est, sequor; veri autem multo similius est, quod Dionysius & Plutarchus tradunt, ducentos fuisse Romæ senatores, cum Romulus interiit. nam si, ut ipse Livius ait, *non modo commune, sed concors etiam Romulo & Tatio regnum fuit*, quis credat, ejus ordinis, qui esset in civitate amplissimus, expertes Sabinos fuisse? quæ ista inter duos populos communio, quæ concordia fuisset? at homini in Italia nato Romanas res notiores fuisse quam Græcis, verisimile est. immo Græcis potius, qui Romæ viverent, quam Italo, qui Patavii. hoc mihi ita videtur. cupio tamen ab iis, qui mihi judicio doctrinaque præstant, dijudicari. ipse enim me, ut ingenue fatear, non satis explico. nam si de ducentis senatoribus contra Livium cum Dionysio, & Plutarcho sentimus, nos quidem, ut diximus, quod ad hanc partem attinet, verisimile sequimur: sed ex altera parte difficilem in nodum incidimus, quia trecentorum senatorum numerus a quo rege sit explicatus, non facile statuemus. ab Hostilio ne dicemus? at post eum Tarquinius Priscus centum addidit. a Prisco? at Hostilius ante eum ex Albanis familiis, ut cum Livio Dionysius affirmat, ordinem senatorium auxit. plures igitur, quam trecenti, videbuntur. dixi equidem, nec nihil omnino dicerem, componi rem ita posse, ut Hostilius non senatum, sed earum familiarum, unde senatores legi solerent, numerum adauxerit. verum, quod dixi, vereor ut satis firmum sit: cum & Livius libro I. de senatu ab Hostilio rege aucto manifeste narret, ait enim: *Templum ordini ab se aucto curiam fecit, quæ Hostilia usque ad patrum nostrorum ætatem appellata est*: & Dionysius libro 3. familias Albanas ab Hostilio senatus participes esse factas, non obscure dicat. quare, ut in dubia caussa, vetus illud, *Non liquet*, pronunciabimus. Oritur etiam alia dubitatio, cur Plutarchus in Numa, cum de rege in Romuli locum sufficiendo ageretur, centum & quinquaginta senatores fuisse dicat. in quo neque cum Livio & Dionysio consentit, quorum alter, ut ostendi, centum significat fuisse, alter, ducentos Romanis & Sabinis factos esse, tradit: neque, quod miremur magis, ipse sibi satis constat, qui in Romuli vita, centum Romanis senatoribus, totidem & Sabino populo adjectos esse, dixit. nam si, a quo tempore ducenti facti sunt, ad interitum Romuli quinquaginta periisse credamus, ut ne plures, quam centum & quinquaginta, superfuerint: hanc opinionem facile ratio refellet. quis enim, cum senator aliquis e vita discederet, neminem a Romulo suffectum existimarit? an deminui senatum quotidie magis, & ad nihilum redigi pateretur? non est ut credi possit. quare ne hic quidem mihi satis liquet. Quod reliquum est, satis patet, neque negat quisquam, cum Tarquinius Superbus regnare cœpit, trecentos omnino fuisse, cum ejectus est, multo pauciores. qui enim regnum non, ut ante ipsum alii, populi jussu, patribus auctoribus accepisset, sed, socero suo, Tullio rege cæso, per scelus occupasset, neglecta superiorum regum consuetudine, senatum de publica re nunquam consuluit, suam voluntatem pro senatu voluit esse, numerumque senatorum non modo non auxit, verum etiam, quo despectior, atque infirmior esset is ordo, quem soceri studiosum cognoverat, quotidianis cædibus imminuit. quo deinde Bruti virtute pulso, P. Valerius consul, ut ait Festus, *ob inopiam patriciorum ex plebe allegit in numerum senatorum* CLXIV. *ut explerent numerum senatorum* CCC. qua in re partim consentire eum cum Livio, partim dissentire video. consentit de plebeiis tunc primum in senatum allectis. nam id sine dubio significat Livius, cum ait lib. 2. *Mirum, quantum id profuit ad concordiam civitatis, jungendosque patribus plebis animos*, dissentit in eo, quod Livius non a P. Valerio, sed ab ipso Bruto expletum esse trecentorum numerum affirmat, his verbis: *Brutus prior, concedente collega, fasces habuit. is, omnium primum, avidum novæ libertatis populum, ne postmodum flecti precibus, aut donis regiis posset, jurejurando adegit, neminem Romæ passuros regnare: deinde, quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret, cædibus regis diminutum patrum numerum, primoribus equestris gradus electis, ad trecentorum summam explevit*. Dionysius autem, ab utroque dissentiens, neque a Valerio, neque a Bruto, sed ab utroque simul expletum esse numerum senatorum, neque CLXIV. ut Festus, sed C. duntaxat esse adjectos, in historia sua scriptum reliquit. In hoc tamen omnes consentiunt, ex plebe novos senatores esse allectos. nam, etsi non de plebe, sed de primoribus equestris ordinis Livius meminit: nihil tamen obstat, quin de plebe intelligatur: cum equester ordo patriciorum, & plebeiorum æque communis esset, in quo quasi suorum verborum interpres ipse Livius videtur esse: subjungit enim, ad concordiam civitatis. jungendosque patribus plebis animos id maxime profuisse. & Festus duobus in locis modo plebem, modo equestrem ordinem nominat: nec tamen facit inconstanter. plebeios enim homines utrobique significat, sed eos, qui, equestrem ordinem adepti, reliquis plebeiis tantum dignitate præstarent, quantum reliquis patriciis patricii senatores. quod si qua remanet dubitatio, tollitur Dionysii testimonio, qui de senatu plebi dato satis plane loquitur lib. 5. Ac potest fieri, ut ex adscriptis CLXIV. quos nominat Festus, plebeii fuerint centum, patricii reliqui. ita inter Dionysium, qui de solis centum meminit, ejusque ait fuisse plebeios, & Festum, qui CLXIV. nominat, etiam de numero conveniat. Quemadmodum igitur in regno non omnes patricii senatores, & nemo tamen senator, quin idem patricius: sic in rep. non omnes senatores patricii, sed tum ex patriciis, tum ex plebeiis familiis delecti, ut quisque vel gratia valebat apud consules, tribunosve mil. consulari potestate, a quibus, ante creatos censores, lectos esse, sublectosque senatores Festus docet: vel, postquam creati censores sunt, meritis in remp. eminebat, neque Suetonium audio ita loquentem in Augusto: *Gens Octavia a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta in senatum mox a Ser. Tullio in patricias traducta*. quibus verbis aperte significat, qui patricii nondum essent, ordine senatorio donatos. quod esse falsum ac mendosum, & jam ostendimus Livii Dionysiique testimonio, quo quidem, curiam plebi non nisi post expulsos reges patuisse, planum fit: & ex ipsis me hercule Suetonii verbis, si quis ea ponderet accurate, facile cognoscitur. quod enim est hoc loquendi genus? *inter Romanas*

gentes allecta in senatum. quasi vero, ante quam ellegeretur in senatum, una de Romanis gentibus esset Octavia: aut ita participem senatus, ut reliquas Romanas gentes, esse factam. quod utrumque absurdum, & inane est: cum neque ante id temporis inter gentes Romanas fuerit Octavia, neque Romanæ gentes ordinis senatorii omnes participes. Puta igitur, (ut hic aliqua ratione solvatur nodus) Octaviam gentem primum civitate a Prisco rege donatam, deinde a Servio in patricias traductam. quod Suetonium quoque existimo sensisse, & reliquisse scriptum sic: *Ea gens a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes allecta, mox a Ser. Tullio in patricias traducta*: non, ut est in pervulgatis libris, *allecta in senatum*. corruptus enim, nisi fallor, ab iis locus est, qui verbum, *allegere*, usurpari tantum de senatoribus putarunt: nec sententiam, & ordinem attenderunt, sed præpostere senatorium ordinem ante genus patricium statuerunt: cum eo tempore primum civitas peregrinis daretur, deinde patricii, postremo senatores fierent: nisi si quis apud regem tanti esset, ut patricius simul & senator fieret. Hoc idem duobus eruditissimis, optimisque viris, & sine dubio in antiquitatis doctrina primis, Carolo Sigonio, & Onuphrio Panvinio videbatur. Numerus trecentorum, a Prisco constitutus, mansit idem usque ad L. Sullæ dictaturam. nam viginti supra trecentos, qui Machabæorum lib. 1. nominantur, non puto fuisse senatores, qui a censoribus lecti essent, sed eos, quibus jure magistratus, quem gerebant, ingredi curiam, & cum reliquo senatu de publica re consulere liceret. Sulla, in ordinem senatorium propensus, inimicus plebi, sicuti potestatem tribunitiam imminuit, valdeque afflixit, ita senatum ut auxerit, veri simillimum videtur. auxit enim quæstorum quoque numerum, prætorum, augurum: pomerii etiam terminos, quartus a Romulo protulit: & alia multa in rep. novavit. quod eo magis existimo, quia non ita multis post annis mentionem a Cicerone lib. 1. epist. ad Atticum fieri video CDXV. in oratione autem post reditum in senatu CD. Cæsare dictatore senatores CIↃ. fuisse, legimus in Dione, cum ex libertorum quoque filiis, & de suis militibus multos, & haruspices etiam quosdam ordine senatorio donasset. Post Cæsaris interitum, alii quoque, obscuræ conditionis homines, nullo delectu, in tanta rerum omnium perturbatione, in curiam venerunt: ut, omnino supra mille fuisse, Suetonius tradat. qua indignitate permotus Augustus, victo jam Antonio, senatum ad pristinum modum, & splendorem redegit. Senatores igitur fuere, qui primo a regibus, deinde a consulibus, tribunisque mil. consulari potestate, postremo a censoribus in senatum lecti sunt. ac præter hos tamen duo genera hominum in curiam aditum habuere, qui magistratum gerebant, etiam si curulis non esset, ut ædiles pl. tribuni pl. quæstores, & qui jam gesserant, modo curulis fuisset, ut ædiles cur. prætores, consules. quibus licebat omnibus ingredi senatum, & sententiam dicere: senatores autem neque erant, neque in edicto consulis senatum vocantis dicebantur. de quo Festi Pompeii verba recitare operæ pretium existimo. *Cum senatus*, inquit, *vocatur, senatores adesse jubentur, quibusque in senatu sententiam dicere licet: quia ii, qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum cepere, & in senatu sententiam dicunt, & non vocantur senatores ante, quam in senioribus sunt censi*. Satis igitur constat, qui senatores essent, quique in Senatu sententiam dicerent: cum senatores essent duntaxat ii, qui lecti a censore in senatum essent: sententiam autem dicerent, non ipsi modo senatores, sed etiam ii, qui jure magistratus in senatum introirent. Illud minime constat, utrum, cum dixit Festus, *qui post lustrum conditum ex junioribus magistratum cepere*, de omnibus magistratibus, an de curulibus tantum intellexerit. Ego, etsi Festus omnes potius magistratus communi vocabulo videtur comprehendere, quia tamen huic sententiæ monumenta veterum repugnant, de solis curulibus accipio. quod ut auctoritate confirmetur, Livii verba libro 23. consideremus. *Recitato vetere senatu*, (loquitur de M. Fabio Buteone, qui dictator legendo senatui creatus erat) *inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium, C. Flaminium censores, curulem magistratum cepissent, necdum in senatu lecti essent, ut quisque eorum senator primus creatus erat. tum legit qui ædiles, tribuni pl. quæsitoresve fuerant, tum ex iis, qui magistratus non cepissent, qui spolia ex hoste fixa domi haberent, aut civitatem Romanam accepissent*. Legit novum senatum Buteo ex triplici hominum genere, primum, ex iis, qui curulem magistratum ceperant: secundo loco, ex iis, qui magistratum, licet non curulem, gesserant: (curulis enim magistratus non erat neque ædilitas pl. neque tribunatus pl. neque quæstura) postremo ex iis, qui, magistratum nondum adepti, meritis tamen in rempublicam insignes erant, e quibus omnibus eos tantum in senatum antea introiisse, qui curuli honore usi erant, Livius significat, *cum* ait: *Ut quisque eorum senator primus creatus erat*, ut enim quisque curulem magistratum assecutus in senatum primus venerat, & dicendæ etiam post magistratum sententiæ jus adeptus erat, ita eum Buteo primum legit, eundem ordinem in legendo secutus, quo illi magistratum ceperant; & ex magistratu curiam introierant. ædiles vero, tribunos, quæstores, quia post magistratum non idem iis licebat, quod curuli honore functis, ut in senatum venirent, & sententiam dicerent, hos non ait Livius senatores creatos esse. In quo & illud animadversione dignum est, senatorem creari, & in senatum legi, non idem fuisse: cum jure & beneficio magistratus crearentur & fierent senatores, in senatum autem a censore legerentur, quanquam, cum dixit Livius, senatores creatos, qui curulem magistratum administraverant, non videtur, si ad veterem consularis edicti formulam respicias, satis proprie locutus. non enim senatores hi nominabantur: sed ut a senatoribus distinguerentur, in edicto consulum his verbis in senatum citabantur: *Quibus in senatu sententiam dicere licet*. Perpendamus & alium Livi locum libro 36. *Adeo*, inquit, *in apparatum curamque ejus belli civitas intenta fuit, ut P. Cornelius consul ediceret, qui senatores essent, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset*. Et hic minores magistratus distinxit ab iis, quibus in senatu sententiam dicere licebat. minores autem magistratus intellexit ædiles pleb. tribunos pl. ædiles curules, & alios, de quibus agetur in libro de magistratibus. distinxit autem non ob eam caussam, quia minoribus magistratibus in senatu sententiam dicere non liceret, sed quia potius multi sententiam dicerent, qui neque magistratum gererent, neque senatores essent. licebat enim omnibus magistratibus in senatum introire, post magistratum autem iis tantum, qui curuli honore usi erant. quo spectant illa quoque Ciceronis pro Cluentio: *Qui tribunus mil. legionibus quatuor primis, quive quæstor, tribunus pl. quive in senatu sententiam dixit, dixerit*. Satis aperte significat, iis, quos nominavit, non licuisse post magistratum sententiam in senatu dicere. Scripsit etiam M. Varro in satyra Menippea, quam ὑπποκύων inscripsit, equites quosdam *Pedarios* appellatos: eosque Gellius putat significari, qui nondum a censore in senatum lecti erant: quos ait senatores quidem non fuisse: sed, quia honoribus populi usi erant, in senatum venisse, & sententiæ jus habuisse. deinde subjungit hæc: *Nam & curulibus ma-*

giſtratibus functi, qui nondum in ſenatum a cenſore lecti erant, ſenatores non erant: &, quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias, ſed, quas principes dixerant, in eas diſcedebant. Hoc ſignificabat edictum, quo nunc quoque conſules, cum ſenatores in curiam vocant, ſervandæ conſuetudinis cauſſa translaticio utuntur: cujus hæc ſunt verba: *Senatores, quibuſque in ſenatu ſententiam dicere licet*. In eo tamen hæreo, quod eos, quibus in ſenatu ſententiam licuiſſe dicere, jam tradidit, eoſdem poſtea non rogatos eſſe ſententias ſubjunxit. nam, ſi non rogabantur, quo modo dicebant? &, ſi dicebant, cur non ante rogatos putemus? non facio libenter, ut ab antiquis diſſentiam: quia hæc Romanæ urbis inſtituta, quæ nos interdum conjecturam ſecuti inveſtigamus, vel præſentes videre, vel ex eorum, qui viderant, libris facile cognoſcere potuerunt. quare, ne Gellium inſcitiæ condemnemus, quem Varronis libros diligenter evolviſſe conſtat, concedamus, non dixiſſe ſententiam verbis eos, qui beneficio magiſtratus adminiſtrati in ſenatum venirent, ſed, cum alienam ſententiam vel probare, vel improbare poſſent, quod diſceſſione facienda ſignificabant, pro eo acceptum putemus, ac ſi ſententiam dicerent: quia in hanc vel in illam partem diſcedentes, quodammodo ſuam ſententiam dicere viderentur. Licuit igitur iis, qui curulem honorem cepiſſent, in ſenatum venire: iis, qui non curulem, non licuit. atque hoc tum ea, quæ diximus, tum hiſtoria de Q. Fabio Maximo tradita declarat. nam, cum ſenatu egreſſus in P. Craſſum, hominem quæſtorium, caſu incidiſſet, quaſi cum eo, qui in ſenatu fuiſſet, loqueretur, ita de rebus in ſenatu decretis ſermonem habuit, memoriæ vitio deceptus. putavit enim Craſſum, quem triennio ante quæſtorem fuiſſe ſciret, in ſenatu affuiſſe: cum iis, qui quæſturam geſſiſſent, quæ curulis magiſtratus non erat, aditum in curiam non dari, niſi a cenſore legerentur, oblitus eſſet. quo errore virum graviſſimum, ſummiſque honoribus & in Rempublicam meritis inſignem, objurgatum vehementer eſſe a conſulibus, Valerius prodidit. Quod autem in eo loco idem Valerius ait, etiam iis, qui honores geſſiſſent, una ratione curiam patuiſſe, ſi a cenſoribus in ordinem ſenatorium legerentur: id videtur non ſatis vere dictum. ſiquidem iis, qui curules magiſtratus ceperant, etiamſi a cenſore lecti in ſenatum non eſſent, ingredi curiam licuiſſe jam oſtendimus. quare, ſi de omnibus magiſtratibus Valerius ſignificavit, non eſt, ut vere dictum exiſtimem: ſin de ſolis non curulibus, aſſentior. Huc addatur: non hoc modo privilegium fuiſſe iis, qui curulem honorem ceperant, ut in ſenatum convenirent: ſed illud etiam, ut cum a cenſore ſenatus legeretur, præteriri non poſſent. id mihi videor ex eo, quod apud Livium libro 22. ſcriptum eſt, poſſe conjicere. ait enim ſic: *XXC. præterea ſenatores cæſi, aut qui eos magiſtratus geſſiſſent, unde in ſenatum legi deberent*. Loquitur de parte ſenatorum. quod ſi de parte, certe de curulibus: quos eo legi in ſenatum oporteret, quia veniendi in ſenatum poteſtatem jam haberent, & ſatis ordine ſenatorio digni viderentur, quibus curulis honor a populo mandatus eſſet. hinc, ut opinor, ſatis patent illa Ciceronis in oratione pro Cluentio: *Quis*, inquit, *hoc ſenator accuſavit, ut cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi Rom. eſſet conſecutus, eo ſe putaret durioribus legum condicionibus uti oportere?* Altiorem gradum dignitatis vocat ordinem ſenatorium: nec tamen intelligit, quicumque ſenatores eſſent, eos a populo creatos: (quod enim jus populi fuit in iis, qui cenſoris arbitratu in ſenatum legebantur?) ſed ſignificat, omnes, qui curulem honorem populi ſuffragiis accepiſſent, beneficio populi ſenatores eſſe factos, quia in ſenatum a primis cenſoribus legerentur: non enim, quicumque a cenſore legebantur, populi beneficio ſenatores erant: cum legerentur multi, nondum curuli honore functi: ſed quicumque curulem honorem ceperant, ii populi beneficio ſenatoriam dignitatem conſequebantur. Ad eandem ſententiam illud refero, quod in eadem oratione paullo poſt ita ſcriptum eſt: *Cum hæc recuſarent, & palam fortiſſime atque honeſtiſſime dicerent, ſe potuiſſe judicio populi Rom. in ampliſſimum locum pervenire, ſi ſua ſtudia ad honores petendos conferre voluiſſent*. Non obſcure ſignificat, eos in ſenatum pervenire, qui magiſtratus adipiſcantur, idque populi beneficio: quia, ſi magiſtratum adeptis (de curuli loquor) aditus in curiam permittitur, & magiſtratus a populo datur: certe, qui jure magiſtratus in ſenatum eunt, hanc dignitatem populo acceptam referre debent. Quod autem multi, curulem magiſtratum non aſſecuti, in ſenatum legerentur, factum id non populi beneficio, ſed ex eo potius, quod ea fuiſſet eorum vita, ea domi foriſve in Remp. merita, ut eo loco, qui eſſet in civitate ampliſſimus, digniſſimi judicarentur. nam, cum per annos multos conſules, quique conſulari poteſtate tribuni militum fuere, propinquos quiſque ſuos legere in ſenatum conſueviſſent, eóſque primo ex patriciis, deinde ex plebeiis, tribunitia poteſtas intervenit, qua ſancitum eſt, ut cenſores curiatim, hoc eſt, ex omni ordine, plebeio, equeſtri, ſenatorio, optimum quemque in ſenatum legerent. Licuit præterea flamini Diali in ſenatum venire. idque primum C. Flaminio cum toga prætexta & ſella curuli datum eſt. quam conſuetudinem, inertia ſuperiorum flaminum per multos annos intermiſſam repetiit, & renovavit C. Valerius Flaccus. reliquis ſacerdotibus jus in ſenatum veniendi non fuit, niſi ſi aut in ſenatum lecti a cenſore eſſent, aut curulem magiſtratum accepiſſent. id videtur Cicero ſignificare in epiſtola, *Si forte*, libro IV. ad Atticum. *Habetur*, inquit, *ſenatus frequens. adhibentur omnes pontifices, qui erant ſenatores*. Et in oratione de haruſpicum reſponſis: *Cum omnes pontifices, qui erant hujus ordinis, adeſſent*. Venit etiam interdum in mentem ſuſpicari, ne ex condemnatione ſenatoris locum in ſenatu conſequeretur is, qui accuſaſſet, non ex omni tamen condemnatione, ſed ex ea tantum, qui reus ordinem ſenatorium amitteret, ut furti, peculatus, captarum pecuniarum crimine. nam, ſi prætoriam ſententiam, & prætextam togam multi accuſatores, reo condemnato, legum præmio ſunt adepti, quod in oratione pro Balbo ſcriptum legimus: quanto magis, ſententiæ, privato loco in ſenatu dicendæ, poteſtatem accuſatoribus propoſitam fuiſſe, credibile eſt? hoc tamen ita ſuſpicor, ut aliorum probata opinione, quam mea conjectura, ſtare malim.

Licuit etiam, ante Papirii Prætextati ætatem, prætextatis ſenatorum liberis in curiam cum parentibus introire. qui mos ſenatuſconſulto ſublatus eſt, unique Papirio puero, qui matrem de re in ſenatu acta cupide rogantem lepido commento fefelliſſet, conceſſum eſt, ut cum patre in ſenatum prætextatus ingrederetur: eique Prætextati cognomen ejuſdem ſenatus decreto eſt inditum, ob tacendi, loquendique in prætextata ætate prudentiam, ſed rurſus veterem morem multis poſt annis Auguſtus renovavit, qui liberis ſenatorum permiſit, ut, quo celerius Reipublicæ aſſueſcerent, protinus virili togæ latum clavum inducerent, curiæque intereſſent. fuit autem latus clavus ſenatoria tunica. itaque ſæpe veteres ita locuti ſunt, ut dicerent: ſenatori latum clavum Imperator ademit, aut, latum clavum dedit, cum ſenatoriam dignitatem aut ademptam, aut datam ſignificare vellent.

Diximus de iis, qui, a cenſore lecti, ſenatores eſſent, deque iis, qui non lecti, tamen in ſenatum venirent. Reliquum eſt, ut pauca quædam addantur

de iis, qui, licet ob eximiam prudentiam ac fortitudinem digni summo loco viderentur, aditum tamen in senatum non habuerunt. Placuit, neminem, qui patrem & avum liberos citare non posset, in senatum introire. nam, etsi Ap. Claudius Cæcus censor libertinorum filios in senatum legit, quod, ut ait Livius, primus fecit: statim tamen a proximo posteriore censore Q. Fabio ejectos esse a curia, ejusdem Livii verba significant. unum habemus exemplum, unum, inquam, & singulare, ut opinor, de Cn. Flavio, libertini hominis filio, ædili curuli creato: cui, vel si lectus in senatum a censore non sit, quod incertum habeo, jure tamen curulis magistratus ingredi senatum licuit. Ciceronis quidem ætate L. Popillium a Cn. Lentulo censore in senatum ideo lectum non esse, quia libertini filius erat, legimus in oratione pro Cluentio, & ab Ap. Claudio censore, P. Clodii fratre, Appii Cæci, cujus mentionem proxime fecimus, pronepote, libertinorum filios, qui in curiam irrepserunt, omnes ejectos esse, scripsit Dion libro 40. videlicet hoc dignitatis caussa factum est: ne locus ille, in civitate honorificentissimus, ab infimi ordinis hominibus, quibus paterna, aut avita servitus objici posset, inquinaretur. Etiam illud ordini senatorio maxime fuit honorificum, neminem in senatum legi, nisi cui octingentis millibus, hoc est, scutatorum aureorum XXIV. millibus, census esset. quod etsi tum fieri solitum non existimo, cum aratro terram findentibus magistratus & imperia deferebantur: quo tempore plus virtutis, quam divitiarum, Romæ fuit: postremis tamen Reipublicæ temporibus, cum privatorum opes una cum imperio crevissent, observatum esse, Suetonius in Augusto satis plane videtur ostendere, cum ait: *Senatorum censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies H-S. taxavit, supplevitque non habentibus.* Fuit igitur senatorius census equestri censu duplo major: cum eques esse nemo posset, nisi cujus res quadringentis millibus æstimaretur. de quo Horatius:

Si quadringentis sex septem millia desunt,
Plebs eris. ——— ———

Et Cicero epist. ad Dolabellam: *Res ei familiaris vix equestris est*: pro, vix ei census est CD. vix tuetur ordinem equestrem; quia vix tantum habet, quantum equiti habere necesse est. quod si quis aut senator, aut eques, non fortunæ culpa, sed suo vitio, ita rem imminuisset, ut ad legitimum censum non perveniret, senator a summo loco dejectus in equestrem ordinem recidebat, si equestri familia, aut patricia, aut plebeia, natus esset: sin familia non equestri, in plebeium, hoc est, eum, qui infra senatorium, & equestrem erat. item eques, equestri censu deminuto, equestrem ordinem amittebat, & ad plebeium, hoc est, infimum, descendebat. ita & bonis moribus, & rei familiari cives Romani operam æque dare cogebantur: moribus, ut senatorio loco digni judicarentur: rei familiari, ne, quo virtus aditum aperiebat, inde ob inopiam excluderentur.

CAP. II.

De principe Senatus.

QUIS in senatu dignitate præstaret, & quis inter senatores, quæri potest. in senatu præstabat is, qui summum magistratum gerebat: inter senatores is, quem in recitando senatu censor primum legerat. ante secundum Punicum bellum, quod Hannibale duce in Italia gestum est, princeps legebatur is, qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset. quod cum censor M. Cornelius Cethe-
A gus fieri censeret oportere, ne mos a patribus traditus desereretur, ideoque T. Manlium Torquatum principem legendum contenderet; alter censor P. Sempronius Tuditanus, cujus lectio erat, se, cui legendi sortem dii dedissent, acturum arbitrio suo dixit, lecturumque Q. Fabium Maximum, quem tum principem Rom. civitatis esse, vel Hannibale judice victurus esset. ita Fabium, qui tum erat consul, principem in senatu legit. inde manavit consuetudo, ut in legendo principe, non, qui inter censorios vetustissimus esset, observaretur: sed is de censoriis legeretur unus, qui sapientiæ laude, rerumque gestarum gloria maxime inter omnes emi-
B neret. itaque ubi res ferret, ut aliquem honoris caussa veteres nominarent: is, si principem in senatu locum judicio censoris habuerat, non ab ullo potius magistratu, quam ab hoc titulo significabatur: quia magistratum obtinere multi possent, princeps senatus legi nemo posset, nisi qui & magistratum ita gessisset, & omnia, quæcunque summo cive digna sunt, ita in omni vita præstitisset, ut in civitate non modo anteferri, sed nec jure comparari quisquam videretur. Non dixit Cicero in ea pro Rabirio, M. Æmilius, homo consularis, sed, M. Æmilius, princeps senatus: quia, cum defensioni suæ auctoritatem quæreret a personis, nominandum in
C Æmilio, quod in illo maxime fuerat honorificum, existimavit. sic in dissuasione legis ægrariæ secunda, & in 8. in Antonium: *Cum a majoribus vestris P. Lentulus, princeps senatus, in ea loca missus esset: P. Lentulum, principem senatus, complures alios summos viros, &c.* Quinctus etiam Fusius Calenus apud Dionem libro 46. cum in Ciceronem invehitur, quo plus illi quærat invidiæ, *Illius*, inquit, *Lentuli nepotem, qui princeps senatus fuit, occidi in carcere jussisti.* Hunc honorem P. Scipio Africanus, is, qui Hannibalem pugna vicit, ter consecutus est: M. Æmilius Lepidus, qui pontifex maximus fuit,
D sexies: quod nemini præterea contigerit. Erat autem non utriusque censoris lectio, sed alterius tantum, cui sorte contigisset. Itaque & censorem ipsum a collega senatum legente principem in senatu lectum invenio, ut L. Valerium Flaccum a M. Porcio Catone, M. Æmilium Lepidum a M. Fulvio Nobiliore. Opinor etiam P. Scipionem Africanum a collega P. Æmilio Pæto principem esse lectum. nam, etsi Livius libro 32. ubi de utriusque censura mentionem facit, de principe lecto nihil addit: tamen conjectura ductus in hanc opinionem venio, Scipionem a collega primo loco lectum esse. affert autem ipse mihi Livius conjecturæ caussam: scribit enim
E sic libro 34. *Creati censores Sext. Ælius Pætus, & C. Cornelius Cethegus principem senatus P. Scipionem consulem, quem & priores censores legerant, legerunt.* Priores enim censores fuisse video Africanum ipsum, & P. Æmilium Pætum. a quibus ad Sext. Ælium, & C. Cornelium censores integrum quadriennium interfuit. ut inter utramque censuram nullis censoribus locus esse potuerit: cum hic magistratus quarto quoque ineunte anno crearetur. atque hoc eo minus dubito, quod jam Livius libro 38. id ipsum, quod libro 34. scripserat, confirmat. ait enim P. Scipionem a censoribus T. Quinctio Flaminino, M. Claudio Marcello principem in senatu ter-
F tium esse lectum. quorum locorum observatio cum edocuit me de Scipione a collega principis loci dignitate honestato, tum illud ostendit, corruptum esse locum in ipso Livio, libro 39. nam, cum ait, *Censoribus M. Porcio, L. Valerio principem senatus ipsum L. Valerium lectum invenio, cum superioribus duobus lustris Africanus fuisset*, dissentire videtur a se ipso, qui de Scipione principe tertium lecto jam scripserat. quamobrem aut scripsit Livius, 3. *lustris*, quod deinde librarii culpa corrupit, & pro 3. factum est 2. aut, si, 2. *lustris*, ipse tradidit, μνημονικὸν

ἁμάρτημα commiſit. quod in antiquis novum non eſt: cum Cicero noſter in libro de Divinatione 2. bis in hoc genere peccaverit. nam primum, quod erat Ulyxis, Agamemnoni tribuit, deinde, cum Ulyxem nominare debuerit, meminit Ajacis. legatur Homerus ἐν τῷ τῆ Ιλιάδος β, καὶ ἐν τῷ ι. quamquam, quod ad Ajacis mentionem attinet, vereor, ne indiligentia potius, quam oblivione peccaverit. nam, cum legiſſet illum verſum, qui eſt ἐν τῷ ι. Νεῦσ' Αἴας Φοίνικι, νόησε δὲ δῖος Ὀδυσσεύς, opinatus eſt ab Ajace potius, quam ab Ulyxe, apud Achillem pronunciari ea, quæ ſequuntur. qui ſi deinde legiſſet, uſque ad eum locum, ubi Achilles reſpondet: Ulyxem, non Ajacem, queri de ferocitate Trojanorum cognoviſſet. reſpondet enim in eo libro Achilles his verbis: Διογενὲς Λαερτιάδη, πολυμήχαν' Ὀδυσσεῦ. Idemque in 2. libro de gloria oblivione lapſus eſt. quod Gellius notavit lib. 15. cap. 6.

CAP. III.

De cauſſis amittendi ordinis ſenatorii.

QUINQUE de cauſſis ejectos e ſenatu ſenatores invenimus: quas deinde omnes exponemus. quacunque ejicerentur, ignominioſum, & turpe fuit. tametſi *præteriti ſenatores*, ait Feſtus Pompeius, *quondam in opprobrio non erant: quod, ut reges ſibi legebant ſublegebantque, quos in conſilio publico haberent, ita, regibus exactis, conſules quoque, & tribuni militum conſulari poteſtate conjunctiſſimos ſibi quoſque patriciorum, & deinde plebeiorum legebant, donec tribunicia poteſtas intervenit: qua ſancitum eſt, ut cenſores ex omni ordine optimum quemque curiatim in ſenatu legerent. quo factum eſt, ut, qui præteriti eſſent, & loco moti, haberentur ignominioſi.* itaque & M. Cato cenſor, is, qui cenſorius mox appellatus eſt ob cenſuram graviter ac ſevere adminiſtratam, hominem conſularem e ſenatu ejecit L. Flaminium, quia, cum eſſet conſul in Gallia, exoratus eſſet in convivio a ſcorto, ut ſecuri feriret aliquem eorum, qui in vinculis eſſent damnati rei capitalis: & Cn. Lentulus, ac L. Gellius, item cenſores, C. Antonium, qui poſtea cum Cicerone conſul fuit, de ſenatu moverunt, ſubſcripta cauſſa, quod ſocios diripuiſſet, quod judicium in ſua civitate cum peregrino recuſaſſet, quod propter æris alieni magnitudinem prædia mancipaſſet. quibus exemplis, ut omittam alia (ſunt enim innumerabilia) eos, qui ſenatu ejecti eſſent, ideo ignominioſos habitos eſſe conſtat, quod, cur ejicerentur, dignam cauſſam turpis eorum vita præbuiſſet. omnino enim, ſi quid turpiter aut flagitioſe ſenator aliquis commiſiſſet, eum cenſor in recitando ſenatu præteribat: præteritus ordinem ſenatorium continuo amittebat: neque amiſſum jus recuperabat, niſi aut ab altero cenſore mox probaretur: quam ob cauſſam libro 30. Livius ait: *Tres ejecti de ſenatu: retinuit quoſdam Lepidus a collega præteritos.* aut aliorum poſtea cenſorum judicio in curiam revocaretur. aut iis criminibus, quæ cenſores in ſubſcriptionem nominaſſent, juratorum judicum ſententiis abſolveretur. aut populi Rom. ſuffragiis cenſorum judicium reſcinderetur. aut denique ſe ad eos, quos geſſerat, honores item petendos retuliſſet, donec minores magiſtratus conſecutus ad curules perveniret, quorum jure & in ſenatu ſententiam poſſet dicere, & a primis cenſoribus legi deberet. hoc tamen ſervabatur, ut, qui curules nondum honores ceperant, ii eos ipſos, quos geſſerant, denuo caperent, deinde ad curules pergerent: qui vero curules geſſerant, iis ad omnes, quos geſſerant, redeundum non erat, ſed unum modo curulem iterum capere ſatis erat: ut, quod cenſoris animadverſione amiſerant, jure magiſtratus recuperarent. utrumque probatur exemplo Salluſtii, hiſtoriarum ſcriptoris & Lentuli, qui cum Catilina contra patriam conſilia iniit. nam Salluſtius poſt quæſturam e ſenatu ab App. Claudio & L. Piſone cenſoribus ejectus, iterum quæſturam petiit, & adeptus eſt: poſtquam in ſenatum rediit, non ipſius quæſturæ beneficio, (nam curulibus tantum magiſtratibus, ut dixi, privilegium hoc erat) ſed quod, Cæſarem civili bello ſecutus, facile, quod legibus non licebat, a victore per gratiam impetravit. unde illud in oratione, quam ſcripſit in eum neſcio quis (nam certe, quod ipſum dicendi genus, & qui Græce dicitur χαρακτὴρ, facile declarat, eam Cicero non ſcripſit.) Sic igitur eſt in ea: *Tu, C. Salluſti, tantidem putas eſſe, bis quæſtorem, & bis ſenatorem fieri, quanti, bis conſularem, & bis triumphalem?* At Lentulus, geſto jam conſulatu, cum ob mollitiem, ut ait Plutarchus, e ſenatu eſſet ejectus, iterum præturam, qui curulis erat magiſtratus, petiit: quam conſecutus, jure magiſtratus in ſenatum rediit. quod & in Dionis libro 37. legimus. & ob hanc cauſſam Philiſtus objicit Ciceroni apud Dionem, quod Lentulum, hominem conſularem prætorem, indicta cauſſa conſul occidiſſet. & Velleius cum ait libro 1. eum conſularem, & prætorem iterum in carcere necatum, ſignificat de ſecunda prætura poſt conſulatum, quam ideo petiit, ut dignitatem ſenatoriam, cenſorum judicio amiſſam, magiſtratus beneficio reciperet. Fuit etiam, præter cenſoriam notationem, amittendæ ſenatoriæ dignitatis alia cauſſa. nam, ſi quis judicio turpi, exempli gratia furti, peculatus, captarum pecuniarum, pro ſocio, eſſet condemnatus, hic ſtatim poſt condemnationem, non ordine ſolum ſenatorio, ſed omni prorſus honore privabatur, eoque gravior erat hæc pœna, quod non ad tempus, ſed in perpetuum irrogabatur: cum ii, qui a cenſoribus e ſenatu eſſent ejecti, ea tamen ſpe præſentem dolorem lenirent, quod recuperare ſuum jus aliquando poſſent. præterea, locum ſenatorium adimere cenſores poterant, poteſtatem petendi magiſtratus minime poterant. at infami judicio damnati, non curia magis, quam honoribus cunctis excludebantur. quod Cicero in oratione pro Cluentio Avito declarat his verbis: *C. Geta, cum a L. Metello, & Cn. Domitio cenſoribus e ſenatu ejectus eſſet, cenſor ipſe poſtea eſt factus: &, cujus mores a cenſoribus erant reprehenſi, hic poſtea & populi Romani, & eorum, qui in ipſum animadverterant, moribus præfuit. quod ſi illud judicium putaretur, ut cæteri, turpi judicio damnati, in perpetuum omni honore, ac dignitate privantur, ſic hominibus ignominia notatis neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus eſſet.* Dixit, *omni honore, ac dignitate*: pro, omni magiſtratu, ac ordine ſenatorio, quod ipſe quoque exponit, cum infert, *neque ad honorem aditus, neque in curiam reditus*. Hæc ſtudioſis hominibus cum ad intelligentiam, ut opinor, non injucunda eſſe poſſunt, quia Romanarum rerum explicata notitia delectat: tum hoc habent commodi, quod incurrentibus in obſcura loca, qualia veterum in libris multa ſcimus eſſe, lucem afferunt, efficiuntque, ut, quod a multis ſine labore vix perciperetur, id ab omnibus facile cognoſcatur. exempli cauſſa, Suetonius ait in Tiberio: *Ex juventute utriuſque ordinis profligatiſſimus quiſque, quo minus in opera ſcænæ, arenæque edenda ſenatuſconſulto tenerentur, famoſi judicii notam ſponte ſubibant.* Hæc ſatis illuſtrantur a prædictis. multos enim, qui, quod ſenatores erant, operam in ſcæna, aut in arena præbere vetabantur, ſenatoriam dignitatem amittere maluiſſe Suetonius ſignificat, quam in ſcæna non agere, & in arena non pugnare: quorum alterum erat hiſtrionum, alterum gladiatorum: hoc ſervile, illud minus honoratum, nec ſatis libero dignum, ſed potius libertinis hominibus, quam ingenuis,

genuis, concessum: cum etiam, si quis ingenuus operam in scæna præbuisset, nisi si Atellanam egisset, eum tribu motum, Valerius libro 2. scriptum reliquerit. Ergo, (ut ad Suetonium redeam) ut senatorio loco moverentur, accusatores inducebant, a quibus aliquo turpi crimine in judicium vocati, volentes damnarentur: ut soluti quasi vinculo senatorio, agerent in scæna, pugnarent in arena. hoc autem, quod de senatorum damnatione dicimus, etiam ad equites pertinuisse, indicare videntur duo illa Suetonii verba, *utriusque ordinis*: quibus, & senatorem senatorio loco, & equitem equestri gradu dejectum, si turpi judicio damnarentur, licet intelligere. nisi si, quod fortasse verius est, non de senatoribus & equitibus, sed tantum de senatoribus Suetonius significavit, & ,*utriusque ordinis*, dixit, pro, & patricii ordinis, & plebeii: cum in senatum plebeii pariter & patricii legerentur. atque huic opinioni (quid alii sentiant, liberum cuique sit) ego quidem magis acquiesco. Videtur etiam lege Servilia sancitum, ut, si quis de Latino populo senatorem Romanum accusasset, & damnasset, accusator civitate Romana donaretur, damnatus loco senatorio moveretur. hoc ego de Ciceronis verbis expressi, quæ sunt in oratione pro Balbo. sunt autem hæc: *Lege Servilia principes viri, ac gravissimi, & sapientissimi cives hanc Latinis viam ad civitatem populi jussu patere passi sunt: neque in his est hoc reprehensum Licinia, & Mucia lege: cum præsertim genus ipsum accusationis & nomen, & ejusmodi præmium, quod nemo assequi posset, nisi ex senatoris calamitate, neque senatori, neque bono cuiquam nimis jucundum esse posset*. Non dubito, quin, cum dixit, *ex senatoris calamitate*, ordinis amissionem significaverit. quibus autem ex criminibus lex Servilia Latinis hominibus hoc dederit, quia Cicero nominatim non exponit, obscurum videri potest. mihi tamen dubium non est, quin accipiendum sit de omnibus criminibus, quibus senator damnatus ordinem senatorium amitteret: ut, quem locum reus nocens vacuum reliquisset, eum accusator, quasi diligentiæ suæ præmium, beneficio legis occuparet. crimina vero, quibus senator condemnatus amplissimo loco excluderetur, cum ea fuerunt, de quibus jam memini, furti, peculatus, captarum pecuniarum, pro socio, tum multo magis ea, quibus, qui damnatus erat, ei aqua & igni iterdicebatur. quibus de criminibus populus erat judex. cum igitur, cui aqua & igni interdiceretur, ei simul & senatu, & omni prorsus re interdici constaret: nominatim tamen in ipsa condemnationis lege addebatur, ut, cui populus damnato aqua & igni interdixisset, eum ne suo loco censor in senatum legeret. quod cum Clodius in ea lege, qua Ciceronem urbe expulit, omisisset, ac ne illud quidem tulisset, ut ei aqua & igni interdiceretur: ideo se, etiam cum aberat, senatorem fuisse. Cicero ait in oratione pro domo sua. *Cur*, inquit, *ego senator tum non fui, cum neque tuleris, ut mihi aqua & igni interdiceretur, neque caveris, ne meo me loco censor in senatum legeret? quæ, cum alterutrum satis sit, utraque tamen ad eripiendam senatori dignitatem in legibus conjunguntur, ut in tua lege neutrum fuit*. Hæc fere de Ciceronis verbis in Clodium elicitur argumentatio. Quatuor caussas, cur senatores e senatu ejicerentur, enumeravimus, quintum genus fuit, cum populus imperium abrogabat. quibus enim abrogabat, ii senatu excludebantur: id lege Cassia sancitum Pedianus significat his verbis, *L. Cassius, L. F. Longinus trib. pl. C. Mario, L. Cassio cos. legem tulit, ut, quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu non esset: ut scilicet inimicum suum, qui ante biennium consul fuerat, Q. Cæcilium Metellum senatu ejiceret, quod ei populus, propter rem adversus Cimbros male gestam, imperium abrogaverat*.

CAP. IV.

De loco habendi senatus.

MULTUM sane vidisse veteres Romani mihi videntur, qui, non ut profanis in locis, sed ut in sacris ædibus senatus haberetur, instituerint. nimirum sapientissimi homines id spectarunt, ut senatores, quasi præsentes deos veriti, eadem religione consilium de republica caperent, qua divinam rem administrare sacerdotes consuevissent. Habebatur senatus loco per auguria constituto, id est, aut in curiis, aut in deorum templis: tum, aut in urbe, aut extra urbem. primus Romulus, senatu creato, ut in templo Vulcani extra urbem haberetur, instituit. Hostilius rex curiam Hostiliam, quæ erat in urbe, consultandi locum senatoribus esse voluit. post exactos reges, modo in Jovis, Apollinis, Martis, Bellonæ, Castoris, Concordiæ, Virtutis, Fidei, alia præterea templa, modo in curias, Hostiliam, Pompeiam, Juliam, senatum convenisse legimus. erat utrobique religio par: neque enim minus sacræ curiæ, quam deorum ædes. ideoque & Hostiliam curiam templum Livius appellat: & ubicunque senatus haberetur, sive in curia, sive in templo, eum locum curiæ nomine indifferenter veteres significant. Illud attente considerandum, cur senatum in templo Virtutis habitum esse, Cicero dixerit in oratione pro Sextio: at in eadem, & pro domo sua, in templo Jovis: cum de ejusdem diei senatu manifeste loquatur. non enim puto de Virtutis aliqua cella significari posse, quæ in ipsius Jovis templo esset. non enim cella fuit, in quam eo die senatus convenit, sed templum illud Virtutis, quod C. Marius fecerat. itaque & in hac pro Sextio, & in de divinatione lib. 1. Marii monumentum appellatur. Festus etiam, non fuisse cellam Virtutis in Jovis templo, sed templum separatum, & ipsius Virtutis proprium, declarat his verbis: *Summissiorem aliis ædem Honoris, & Virtutis C. Marius fecit: ne, si officeret auspiciis publicis, augures eam demoliri cogerent*. In urbe senatus plerumque habebatur, extra urbem in æde Bellonæ non nisi duabus de caussis, vel, quod ait Festus, & ex historia cognoscitur, ut legati exterarum gentium adesse possent, quibus in urbe senatum dari mos non fuit, præsertim, ut libro 42. Livius ostendit, si ab hostibus venirent: vel, quod ipsum ex historia patet, ut adesse liceret iis, qui cum imperio erant. esse autem cum imperio dicebantur ii, quibus senatus populusque Romanus exercitum dederat: qui, nisi prius imperium deposuissent, ingredi urbem legibus vetabantur. Olim tria tantum senacula, ubi senatus haberetur, fuisse Romæ, scripsit Nicostratus in libro de senatu: unum, ubi postea ædes Concordiæ fuit, inter Capitolium, & forum: alterum ad portam Capenam: tertium in æde Bellonæ. Nicostrati liber non exstat: sed, quæ nobis ex Nicostrato accepta Festus narravit, ea renunciamus.

CAP. V.

De tempore habendi senatus.

ERANT certi dies, quibus haberi senatus posset: item certi, quibus non posset: qui comitiales dicebantur, quasi popularibus comitiis dicati: per eos enim dies agi cum populo licebat. atque hoc, non equidem puto a regibus, cum nondum tot institutis civitas egeret, sed in republica video diligenter observatum: nisi si rei magnitudo ferret, ut sine mora referendum ad senatum esset. tunc enim dierum comitialium ratio non habebatur. quod

A tamen semel factum esse legimus, ut in senatusconsulto, quod est in epistola M. Cœlii, libro 8. Fam. epist. successionem enim provinciarum primo quoque tempore expediri, ut Cæsar de provincia Gallia revocaretur, ipsius Cæsaris inimici cupiebant. Kalendis Januarii, quo die magistratum consules inibant, post sacrificia rite peracta coacto senatu consules primum de divinis rebus, deinde de republica referebant, non utrique, sed alter, is inquam, qui priore loco consul creatus esset. servabatur autem non primo tantum anni die, sed quoties haberetur senatus, ut is, qui senatum habiturus esset, antequam ingrederetur, sacra faceret, hostiis majoribus

B in foro ad præconem & ad tibicinem immolatis. reliquis sex, qui Kalendas consequuntur, Januarii diebus haberi senatum potuisse, biduo excepto comitiali, ex Cæsare cognovimus, libro 1. de bello civili. qui tamen inter hos essent duos comitiales dies, quos Cæsar non nominat, non cuivis internoscere facile est. quod nos, utpote qui Romanarum rerum tractatione ita oblectamur, ut nihil, quamvis humile, contemnamus, non gravabimur ostendere. Ad 7. idus Januarii senatum habitum esse Cæsar significat, cum ait: *Hæc senatusconsulta perscribuntur ad 7. idus Januarii*. & subjungit proxime: *Itaque quinque primis diebus, quibus haberi se-*

C *natus potuit, biduo excepto comitiali, & de imperio Cæsaris, & de amplissimis viris tribunis pl. gravissime, acerbissimeque decernitur*. His verbis a Kalendis Januarii ad 7. idus quinque senatus habendi dies esse demonstrat: ut tamen in his quinque diebus & Kalendæ ipsæ, & 7. idus includantur. cum igitur de quinque jam habeamus duos, Kalendas scilicet, & 7. Idus: reliqui tres qui esse possint, videamus. Nonarum dies, ut opinamur, unus erit: cum & inter nefastos, hoc est, festos dies, a Macrobio referatur, & eo die senatum esse habitum, illa Ciceronis verba pro Flacco significent: *O Nonæ illæ De-*

D *cembres, quæ me consule fuistis*. reliquos duos, quibus haberi senatum licuit, crediderim esse 4. nonas, & 8. idus: 4. nonas, quia comitialis esse non potuit, ut Macrobius Saturnaliorum libro 1. significat: 8. idus, quia ne hic quidem comitialis fuit: sequitur enim post nonas: & post Kalendas, nonas, idus, religiosos dies fuisse, Verrius Flaccus, Livius, & Festus tradiderunt. quos autem religiosos dies Livius nominat, eos Verrius, Festus, & Macrobius atros appellant: atros autem Macrobius exponit, neque prœliares, neque puros, neque comitiales. Jam igitur patet, qui fuerint quinque dies, per quos haberi senatum potuisse Cæsar scripsit. fuerunt enim,

E ut probavimus, Kalendæ Januarii, 4. nonas, nonæ, 8. idus, 7. idus. patet igitur simul, quod fuerit biduum comitiale, de quo idem Cæsar meminit. sequitur enim necessario, ut fuerit 3. nonas, & 2. nonas. itaque in oratione in Pisonem, cum ait Cicero, *Triduo post a P. Clodio lex Ælia & Fusia eversa est*, significat diem 2. nonas. nam cum triduo post Kalendas Januarii latam a Clodio eam legem dicat, quæ legem Æliam & Fusiam evertit, necesse est, ut intellexerit aut de 2. nonas, quo die triduum perficitur, aut de nonis, quæ perfecto & transacto jam triduo sequuntur. de nonis intelligere non potuit,

F quia Kalendæ, nonæ, idus habendo senatui legitimos dies fuisse, jam diximus. restat igitur, ut de 2. nonas intellexerit. diem autem 3. nonas, etsi, comitialem fuisse, satis patet: quia, cum de primis septem diebus, qui fuerint quinque senatorii, demonstraverim, relinquitur, ut duo reliqui, 3. nonas, 2. nonas, comitiales fuerint: tamen exemplum etiam afferemus ex epistola Ciceronis ad Metellum l. 5. Famil. in qua hæc sunt verba: *Ad 3. nonas Januarii cum agere cœpisset, tertio quoque verbo orationis suæ me appellabat*. Loquitur de Metello Nepote tribuno pl. qui ad populum acerbe contra Ciceronem agebat.

Post 7. idus paucos habuit senatorios dies mensis Januarius. tantum enim ad usque 18. Kalendas Februarii senatus haberi potuit. nam post 18. Kalendas Pupia lex haberi senatum vetuit. quod ex duabus Ciceronis epistolis, altera ad P. Lentulum, altera ad Quinctum Fratrem, cognoscitur. scribit enim ad fratrem his verbis: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum*. Quod si post Quirinalia sequuntur comitiales: Quirinalium dies videtur fuisse 18. Kalendas Februarii: quia in epistola ad Lentulum, & fuisse senatum 18. Kalendas, nec deinde futurum ob legem Pupiam significatur. erant enim comitiales dies, quibus haberi senatum per legem Pupiam non potuisse Cicero ad Lentulum scribit. quod ipsum, eadem de Lentuli re, in alia ad fratrem epistola declarat his verbis: *Per obtrectatores Lentuli res calumnia extracta est, consecuti sunt dies comitiales*. Atque hos ipsos comitiales dies, quos Pupia lex in Januario sanxit, significat & in oratione pro Sextio, cum ait: *Consecuti dies pauci omnino Januario mense, per quos senatum haberi liceret: sed tamen actum nihil, nisi de me*. Paucos post Kalendas Januarii senatorios dies dicit fuisse, quia post 18. Kalendas Februarii omnes erant comitiales. Post 7. igitur idus usque ad 18. Kalendas haberi poterat senatus. utrum autem hoc toto intervallo omnes essent senatorii dies, nulli comitiales, affirmare difficile est. quod autem me docuit observatio, id ego item alios docere possum. Itaque primum illud dicam, 4. idus non fuisse comitialem diem: quia cum Cannensis illa funesta clades ad 4. nonas Sextiles accepta sit, atri dies, quod jam diximus, omnes quarti ante Kalendas, nonas, idus habiti sunt. Addam & illud, idus, 19. Kalendas, 18. Kalendas non fuisse comitiales: quia per hos tres dies habitum senatum in Cicerone observavimus. quod, qui duarum ad Lentulum epistolarum loca contulerit, simulque consideraverit, facile cognoscet. Hæc sunt, quæ de Januario collegimus: nec dubitamus, quin de senatoriis & comitialibus diebus eadem in reliquis mensibus ratio fuerit: ut scilicet omnes Kalendæ, nonæ, idus, omnes postridie Kalendas, nonas, idus, omnes ante 4. Kalendas, 4. nonas, 4. idus non comitiales, sed senatorii dies fuerint: item, ut in Januario 3. nonas senatorius, 2. nonas comitialis, 8. idus comitialis, 7. idus senatorius, itidem in reliquis mensibus. hoc tamen in Januario diversum, quod propter Pupiæ legis interdictum pauciores habuit senatorios dies quam reliqui menses: sexdecim enim dies, id est omnes, qui post 18. Kalendas numerantur, lex auferebat. & quemadmodum Januarius pauciores senatorios, sic Februarius pauciores comitiales habuit, quam omnes reliqui menses. *nam*, ut ait Pedianus in commentario 3. orationis in Verrem, *hoc mense frequens senatus postulatis provinciarum, legationibus audiendis dabatur*. de quo sic in epistola ad Lentulum: *Senatus haberi ante Kalendas Februarias per legem Pupiam non potest. neque mense Februario toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus*. quo in loco non & de Januario simul, & de Februario lege Pupia sancitum, sed de Januario tantum intelligo. nam de Februario non Pupia, sed Gabinia lex sanxerat, ut ipso Cicerone interprete ostendemus. sic enim in epistola, *Risi*, libro 2. ad Quinctum Fratrem: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum, & quod Gabinia sanctum sit, etiam cogi, ex Kalendis Februariis usque ad Kalendas Martias legatis senatum quotidie dari*. Cum igitur in mense, qui senatorii, quive comitiales dies fuerint, consideretur: rursus in die senatorio, (nam de comitiali proprius erit locus in libro de Comitiis) qua hora in curiam senatores coiverint, qua discesserint, considerandum videtur. atque hoc quidem satis

apertum est. nam senatores neque ante solis ortum in curiam convenisse, neque post occasum permansisse, ideo verisimile est, quia senatusconsulta, aut ante solis ortum, aut post occasum facta, irrita fuisse, tum apud Gellium legimus, qui Varronis verba recitat, tum ex ipso Cicerone cognovimus, qui Philippica tertia consuli objicit Antonio de senatusconsulto vespertino. nam etsi anno ab urbe condita CCXC. senatusconsultum noctu factum esse constat: tamen est hoc non consuetudinis, sed necessitatis exemplum: urgebat enim tum res, & procrastinandi locus non erat, cum Sp. Furium consulem cum exercitu ab Æquis & Volscis obsideri nunciatum esset. Eadem nunc est in magno nostræ Reipublicæ consilio, quo magistratus creantur, consuetudo. nam & meridie fere in illud amplum excelsumque conclave, quod magni consilii atrium vocant, omnes patricii conveniunt, neque post primas tenebras permanent. præclare: ne nox, qua delicta teguntur, alicui suffragium ferrenti ad fraudem occasio sit, præsertim in tam frequenti consilio, cum patricii mille ducenti, interdum etiam plures, de singulis magistratibus suffragium ferant. at in consilio Rogatorum, & in consilio Decemvirum diversa ratio est. sæpe enim in multam noctem pro rei magnitudine consultatio producitur. neque tamen in suffragiis vitium timetur: non solum, quia minor est senatorum numerus, quam in magno consilio, & ubi minor numerus, ibi plus ordinis, & rationis: verum etiam, quia senatores ipsi, qui in his duobus consiliis de publica re disceptant, hi sunt fere præter cæteros a malis artibus alieni, ætate temperati, bonitate justi, religione pii.

CAP. VI.

De potestate habendi senatus.

JUS habendi senatus non dubium est, quin ad eum magistratum spectaverit, qui summam in urbe potestatem gerebat. itaque vocari senatum quandoque a dictatore, plerunque a consule, interdum etiam a prætore legimus: a dictatore, quia summum erat dictaturæ jus, & libera potestas, nec nisi periculosissimis reipublicæ temporibus creabatur: a consule, quia neque superior magistratus, neque par consulibus erat: a prætore, duntaxat eo tempore, cum consules abessent: absentibus enim consulibus consulare munus sustinebat is, qui dignitate proximus erat; erat autem prætor. illud erat dissimilitudinis, quod consules, quacunque de re videretur, senatum convocabant; prætor autem nunquam, nisi ad rem novam. non enim vetera absentibus consulibus tractari, sed in eorum adventum reservari, honestius visum est. at nova, quia moram non ferrent, sed præsenti consilio egerent, ei magistratui, qui absentibus consulibus senatum habebat, qui prætor urbanus erat, permittebantur. Enimvero & ab aliis, pro temporum conditione, senatum esse vocatum, ex Gellio cognovimus. is enim hæc: *Varro in libris de quæsitis per epistolam, in epistola ad Oppianum scribit, qui fuerint, per quos more majorum senatus haberi deberet: eosque nominat, dictatorem, consules, prætores, tribunos plebis, interregem, præfectum urbi: neque alii, præter hos, jus fuisse dixit facere S.C. quotiesque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum, quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus consulendi jus fuisse. addit deinde, extraordinario jure tribunos quoque militares, qui proconsules fuissent, item Decemviros, quibus imperium consulare tum esset, item Triumviros reipublicæ constituendæ caussa creatos, jus consulendi senatum habuisse. Postea scripsit de intercessionibus dixitque, intercedendi, ne S.C. fieret, jus fuisse iis solis, qui eadem potestate, qua ii, qui S.C. facere vellent, majoreve essent. Tum de locis, in quibus S.C. fieri jure posset, docuit: confirmavitque, nisi in loco per auguria constituto, quod templum appellaretur, S.C. factum esset, justum id non fuisse: propterea & in curia Hostilia, & in Pompeia, & post in Julia, cum profana ea loca fuissent, templa esse per auguria constituta, ut in iis S.C. more majorum justa fieri possent. inter quæ id quoque scriptum reliquit, non omnes ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum esse. Post hæc deinceps dicit, S.C. ante exortum solem, aut post occasum factum ratum non fuisse: opus etiam censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore S.C. factum esset. Docet deinde inibi multa, quibus diebus haberi senatum jus non sit: immolareque hostiam prius, auspicarique debere, qui senatum habiturus esset. De rebus quoque divinis prius, quam humanis, ad senatum referendum esse. Tum porro referri oportere aut infinite de republica, aut de singulis rebus finite: S.q.C. fieri duobus modis, aut per discessionem, si consentirentur, aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas: singulos autem debere consuli gradatim, incipique a consulari gradu. ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum, qui princeps in senatu lectus esset:* tum autem, *cum hæc scriberet, novum morem institutum refert per ambitionem gratiamque, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet, qui haberet senatum, dum is tamen e gradu consulari esset. Præter hæc de pignore quoque capiendo disserit, deque mulcta dicenda senatori, qui cum in senatum venire deberet, non adesset.* unde illud in I. Philippica: *Quis unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut mulctam? Ateius* autem *Capito Tuberonem dicere scribit, nullum S.C. fieri posse non discessione facta, quia in omnibus S.C. etiam in iis, quæ per relationem fierent, discessio esset necessaria. idque ipse Capito verum esse affirmat.* quod Varronis sententiæ videtur repugnare. Hæc Gellius. de cujus postremis verbis, utrum a Varrone dissentiat Tubero, infra videbimus, ubi de senatusconsulto agetur. nunc, quo instituimus, ordine pergamus. Ex duobus consulibus, vocandi senatus potestatem is habebat, cujus eo mense fasces erant. quem morem & Decemviri secuti sunt. quod si vocari ab utrisque consulibus senatum interdum legimus: id non communem utriusque potestatem, sed consentientes utriusque animos significat. nam alterutrius quidem menstruam fuisse potestatem, ex Dionysio, Livio, Suetonio, Gellio cognovimus. Senatores primo in curiam a præcone e cœnaculo citabantur: qui locus fuit, ubi senatus habebatur. idque aliquandiu servatum est, cum a Romulo esset institutum: nam & a Decemviris per præconem citatos in curiam patres invenio. postea, civitate aucta, & urbis pomerio prolato factum est, ut edicto accerserentur. neque hoc deinde est immutatum. quod si quis accersitus edicto parere recusaret, ad hunc, ut ab eo pignora caperent, apparitores esse missos, non solum Gellius ex Varrone, sed Cicero etiam, Livius, Dion memoriæ prodiderunt. quod & ipse Cicero Philippica I. significat. patet autem ex quadam libri 4. ad Atticum epistola, non nisi eos senatores, intra pomerium qui essent, edicto vocari solitos. extra urbem si qui erant, non cogebantur. neque vero senatores tantum edicto consul in curiam vocabat, sed eos etiam, quibus in senatu sententiam dicere liceret. nam re vera senatores & erant, & dicebantur ii, quos censor in senatu legerat. In curiam alii pedibus itabant, alii curru vehebantur. pedibus itabant, qui curulem magistratum nondum gesserant: (erant autem curules magistratus, Ædilitas curulis, Prætura, Consulatus, Censura, Dictatura) qui senatores pedarii dicebantur. qui curulem magistratum gesserant, curru solitos in curiam vehi honoris gratia, C. Bassus in commentariis suis

scriptum reliquit, cum in eo curru sella esset, supra quam considerent: quæ ob eam caussam curulis appellabatur. erant autem, ut jam dixi, ex his ipsis multi, qui nondum senatores erant: qui tamen ob eos honores sententiæ in senatu dicendæ jus habebant.

CAP. VII.

De jure referendi.

REFEREBATUR in senatu primum de divinis rebus, secundo loco de humanis. referebat autem is, qui senatum habebat, sive is esset consul, sive alius magistratus. habebat autem senatum primo magistratus mense, id est, Januario, e duobus consulibus is, qui priori loco creatus erat consul. ejus enim fasces erant primo mense. itaque Livius libr. 9. *Valerius*, inquit, *Corvinus interrex consules creavit Q. Publilium Philonem, & L. Papirium cursorem iterum. qui cum eo, quo creati sunt die, magistratum iniissent, solemnibusque sanctis perfectis, de pace Caudina retulissent: Publilius, penes quem fasces erant, Dic Spuri Postumi, inquit*. Ergo & senatum habebat primo mense, & referebat, & sententias rogabat is consul, cujus eo mense fasces erant. quod si, qui senatum habebat, is referre nollet: quod sæpe usu venit: tum tribuni pl. referebant: &, cum retulissent, etiam sententias rogabant. hinc illud in oratione pro Sextio: *Princeps P. Lentulus, consul designatus, auctoritate, ac sententia sua, consulibus Pisone & Gabinio repugnantibus, caussam suscepit, tribunisque pl. octo de me referentibus, præstantissimam de me sententiam dixit*. Et in epistola ad Plancum: *Flagitare*, inquit, *senatus institit Cornutum, ut referret statim de tuis literis*. (erat autem hic prætor, & absentibus consulibus senatum convocaverat) *ille se considerare ait velle. cum ei magnum convicium fieret cuncto a senatu, quinque tribuni pl. retulerunt*. patet etiam hoc ex epistola prima libri 2. ad Q. Fratrem, & e secunda libri 1. ad Lentulum: in qua etiam illud cognoscitur: si quando de eadem re & consul & tribunus pl. retulissent, moris fuisse, ut ante tribunum pl. discessionem consul faceret, id est, de eo, quod retulisset, per discessionem senatorum judicium fieri juberet. non enim, etsi de eadem re, tamen idem referebant. satis enim unius relatio fuisset, si in utriusque relatione nihil esset, quod differret. sed referebant eadem de re non eodem modo: ut in ea, de qua dixi, epistola manifestum est, Lupum tribunum pl. retulisse, ut Pompeius Ptolomæum in regnum reduceret, cum consules retulissent, utrum reducendus esset, & si reducendus, a quo. Legimus etiam in 7. Philippica, diversis de rebus diversos magistratus eodem die retulisse. sic enim in ea scriptum est: *De Appia via, & de Moneta consul, de Lupercis tribunus pl. refert*. Notandum & illud: cum de utroque consule referente, aut de pluribus tribunis pl. aut prætoribus legitur, non re vera omnes retulisse, sed referendi partes unum sustinuisse, reliquos collegæ relationem comprobasse. itaque in 3. Philippica tribunos pl. ait de præsidio consulum & senatus retulisse: in 4. vero, de eadem relatione verba faciens, *Hodierno*, inquit, *die primum referente Marco hoc Servilio, collegisque ejus, ad spem libertatis exarsimus*. Unum Servilium populo nominat, principem relationis: cum in tertia, quam habuit in senatu, bis de tribunis pl. referentibus communiter meminerit. sic in oratione pro domo sua modo senatum ab utroque consule, modo ab uno Metello vocatum dicit: quia revera uterque consentiret in vocando senatu, sed propriæ Metelli partes essent, qui, ut opinor, eo mense fasces haberet.

CAP. VIII.

De ordine rogandi sententias.

VETEREM fuisse rogandarum sententiarum morem, & ab ipsis etiam regibus observatum, Livius significat. inde ad rempublicam promanavit. Post relationem consul, aut magistratus ille, qui senatum convocaverat, ubi, quod e Republica videretur, id ut quisque diceret, hortatus erat, ordine sententias rogabat: rogabat autem, ut paullo ante significatum est, non omnes, qui aderant in senatu, sed eos tantum, qui senatores erant. nam cæteri ita sententias dicebant, ut senatoribus, qui dixerant, assentirentur. Sed ordinem rogandi non eundem fuisse omnibus temporibus animadverto. alias primus rogabatur, qui a censore princeps in senatu lectus erat: quod Varronis ætate fieri desiisse, ex ipso Varrone Gellius ostendit. alias, qui designati consules erant, si modo post comitia senatus haberetur: sin ante, consules studio aut necessitudine adducti, quem iis visum erat, honoris caussa extra ordinem sententiam primum rogabant. in quo etiam illud observatum est, ut ne quis quemquam ex alio, quam ex consularibus, sententiam primum rogaret. anno post urbem conditam 260. dignitatis habitam esse rationem in rogando, Dionysius significat: primum enim rogatum esse T. Largium Flavum; qui quia dictator primus creatus fuerat, honore omnibus anteire videbatur. & anno deinde proximo seniores consulares ordine rogatos esse, idem Dionysius testatur. ex quo patet, non hoc anno, item ut superiore, primum esse rogatum T. Largium: erant enim alii consulares in senatu, qui ante illum consulatum gesserant, ut M. Valerius Volesus, P. Postumius Tubertus, Menenius Agrippa Lana, Sp. Cassius Viscellinus: qui etiam eo die, præter Cassium, legati ad sedandos plebis animos missi sunt. Sed anno superiore ideo primum rogatum esse Flavium crediderim, tum, ut dixi, quia dictator primus fuerat, tum etiam, quia, cum a finitimis populis bellum parari nunciaretur, rei magnitudo ferebat, ut is suam sententiam primus diceret, qui bellorum usu præter cæteros excellebat: qua ipsa de caussa potissimum & dictator creatus erat. at in sequenti anno, cum non de bello gerendo, sed de domestica seditione dissolvenda consilium caperetur, jure consularium vetustissimi pro cujusque ætate deinceps rogati sunt. observatum autem illud Suetonius tradit, *ut, quem ordinem interrogandi sententias consul Kalendis Januariis instituisset, eum toto anno conservaret*. quam consuetudinem Cæsar, qui ad gratiam, id est, ad potentiam suam, omnia referret, in suo consulatu neglexit. nam, cum Crassum primum rogare solitus esset, Cn. Pompeium post Juliæ filiæ nuptias rogare primum cœpit. Hæc Suetonius. quæ si vera sunt, non video, qui sententias rogari primi potuerint consules designati. nam, si quem ordinem in rogando consul Kalendis Januariis instituisset, eum toto anno conservabat: occupato jam primo loco, designati consules non primi, sed post primos rogabantur. mendax igitur Suetonius? vereor antiquitatem: nec, ut illi detraham, adduci temere soleo. sed tamen, si quis argueret mendacium, defendendi ratio mihi quidem non suppetit: nisi si, quod in eo scriptum est, toto anno, accipias non plane pro toto anno, sed pro toto illo tempore, quod ad rogandas sententias liberum consuli daretur, id est, ad usque designationem consulum, qui fere designabantur Quinctili mense: ut post designationem ordine commutato primo rogati sint consules designati. nam, si ad illam conjecturam, tanquam ad arcem defensionis, confugeres, de consulibus designatis primo loco rogandis antiquum non fuisse, sed, ut primi rogarentur, post Cæsaris consu-

latum in consuetudinem venisse, ideoque non esse veritatis expertem Suetonii sententiam, quoniam quidem de ordine rogando, qui servatus est ante Cæsarem consulem, intellexerit, infirma ratio est: debilitatur enim, & frangitur exemplorum vi. nam consules designatos etiam ante Cæsarem consulem primo loco rogatos animadverto, ut D. Julium Silanum in Sallustii & Appiani historiis: quem, ante Cæsarem gessisse consulatum, nemo nescit. itaque hæret adhuc dubitatio, neque tolletur, opinor, (fortasse fallor: sed erudiri, & corrigi facile patior) nisi si interpretationem illam, de qua jam dixi, sequaris, ut accipias, *toto anno*, pro quam diu liceret, nimirum usque eo, dum consularibus comitiis designati consules essent: nam & P. Lentulus consul Kalendis Januarii, cum ageret de Cicerone restituendo, consulibus insequentis anni nondum designatis, sententiam primum rogavit L. Aurelium Cottam, ut est in oratione pro Sextio. at idem Sextili mense, cum jam designati consules essent, principem rogavit de liberanda Ciceronis domo C. Cornelium Lentulum Marcellinum consulem designatum, ut est in oratione de haruspicum responsis. ac de consulibus designatis, primo loco sententiam rogatis, etsi satis apertum est, recitabo tamen ipsius Ciceronis testimonium, quod instar multorum exemplorum erit. is igitur sic in oratione 5. in Antonium: *Qui ordo in sententiis rogandis servari solet, eundem tenebo in viris fortibus honorandis. a Bruto igitur consule designato more majorum capiamus exordium*. Hunc morem usque ad Tiberii imperatoris ætatem viguisse, ex Taciti docemur historia. scribit enim lib. 3. sic: *Tiberius Drusum consulem designatum exemit dicendæ primo loco sententiæ*. Sed omittamus imperatores, qui civitatem nulla certa ratione, aut lege, sed pro voluntate, vel pro libidine potius administrarent: nam etiam ante Tiberium Augustus, ut supra jam diximus, veterem in rogando consuetudinem neglexit. itaque continebimus nos intra Reipublicæ tempora. & ea, quæ a liberis civibus in libera civitate sunt instituta, persequemur. posteriora ejusmodi fuerunt, si pauca quædam excipias, ut ea præstet ignorare, quam scire. non enim, unde libertas abest, ibi adesse potest virtus. neque vero sine virtute quidquam ita geritur, ut exemplo prodesse possit. porro, quæ legentibus non prosint, aut etiam quæ nocere possint, mandare litteris qui cogitat, is & otio abuti, & de litteris ipsis male mereri simul cogitat. quare, ut apes non, ubicunque consederint, decerpunt, sed pulcherrimos flosculos, & suave quiddam redolentes aucupantur: sic nos, non quæcumque occurrent ex antiquitate, sed illustria quæque maximeque laudabilia colligemus. Movit me aliquandiu, quod in 10. Philippica Q. Fufium Calenum, qui nondum consul fuisset, primo tamen loco rogatum sententiam videbam, contra Gellii testimonium, qui neminem, nisi consularem, primum sententiam rogatum esse tradit. postea ex duobus locis ejusdem Ciceronis conjecturam feci, Calenum Pansæ consulis socerum fuisse: ut in rogando plus necessitudini, quam dignitati, tribuisse consul videatur. prior locus hic est in 8. Philippica: *Satis multa cum Fufio, ac sine odio omnia, nihil sine dolore. credo autem, qui generi querelam moderate ferat, æquo animo laturum amici*. Alter locus est in 10. *Loquere*, inquit, *cum sapientissimo homine genero tuo*. Alioqui nunquam certe primum Calenum sententiam consul rogasset, Cicerone ipso, aliisque consularibus omissis.

CAP. IX.

De dicenda sententia.

CUM consules, alter ambove retulissent, sententias rogati senatores dicebant. cum dixissent, consul eas pronunciabat, ut facta discessione A voluntas senatus appareret. erat autem in hoc, sicut in aliis rebus, maxima consulis potestas: qui, si cujus senatoris sententiam improbaret, quod aut amici hominis rationibus adversariam, aut inimico honorificam atque utilem duceret, veritus, ne in eam senatusconsultum fieret, non pronunciabat. itaque L. Lentulus consul, qui Pompeio studebat, Cæsaris honori acriter adversabatur, sententiam Calidii, qui neutram in partem propensus æqua senserat, se omnino pronunciaturum negavit. Senatori jus erat, ante quam de re proposita suam sententiam definiret, alia de re, quidquid vellet, & quoad vellet, B dicere. quo factum, ut senatores id, quo de agitur, perfici nolentes, diem dicendo eximerent. fecit hoc in bona caussa sæpe P. Clodius, Ciceronis inimicus: in mala M. Cato, ille, qui postea Uticensis est dictus, cum uterque cuperet impedire. Cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectebatur: eæ si non omnes probabantur, postulabatur, ut divideret, id est, separatim de rebus singulis referret. *neque erat*, Pedianus ait, *ei, qui hoc postulabat, oratione longa utendum, ac ne consurgendum quidem. multi enim sedentes hoc unum verbum pronunciabant, Divide*. quo commento usus est in caussa Milonis T. Munatius Plancus tribunus C pl. nam, cum Q. Hortensius in sua sententia dixisset, ut de Milone, qui ob necem P. Clodii in judicium vocabatur, veteribus legibus extra ordinem quæreretur, Plancus, qui quæri sane extra ordinem vellet, veteribus autem legibus nollet, sed novam ideo ferri cuperet, ut adversus Milonem plus invidiæ concitaretur, qui flagitium nova lege vindicandum patrasset: Q. Fufium senatorem, Clodianarum partium studiosum, induxit, ut divisionem ab Hortensio postularet. quod in concione, quam Pedianus recitat, ut a se excogitatum idem Plancus gloriatus est. futurum enim id, quod evenit, intelligebat, ut, divisa sententia, caput illud de veteribus legibus irritum fie- D ret, nimirum cum ipse, qui tribunus pl. erat, intercessisset, & S. C. fieri vetuisset. nam, quatenus de extraordinaria quæstione Hortensius dixerat, assensus est. hoc illud est, quod in Miloniana Cicero significat his verbis: *Reliqua senatus auctoritas empta intercessione sublata est*: cum intelligat, senatus voluntatem fuisse, ut in Hortensii sententiam S. C. fieret, sed divisione sententiæ factum esse, ut, quod ad quæstionem extraordinariam attinebat, id quidem non mutaretur: quod autem de veteribus legibus reliquum erat, quam vocat *reliquam senatus auctoritatem*, quia senatus, ut in capite de extraordinaria E quæstione, sic in hoc de veteribus legibus simul cum Hortensio sentiebat, id mercenaria Planci intercessione tolleretur. Dicebant sententias suo quisque loco. primi sedebant majores magistratus, consules, prætores: quod si censores essent in senatu, (non enim censura perpetuus magistratus fuit, sed quarto quoque anno ad censendam civitatem creabatur) eos infra prætores. proxime tamen sedisse crediderim: infra, quia Messalla in libro de auspiciis, cum majores magistratus nominat, consules primum, deinde prætores, tertio loco censores constituit: proxime, quia, cum inter majores magistratus censura fuerit, supra minores magistratus sedisse censores nemo du- F bitaverit. Sedebant deinde minores magistratus, ædiles curules, ædiles plebis, quæstores: tum, qui magistratus gesserant, ordinatim, consulares, prætorii, ædilicii, quæstorii: de his autem singulis ordinibus, ut quisque magistratum primus gesserat. invenio etiam, inter prætorios sedisse, non qui præturam gessisset, sed qui prætorium hominem accusasset eo crimine, quo damnatus ordinem senatorium amisisset. locum enim damnati consequebatur. de quo sic in oratione pro Balbo: *Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit. quod hic assecutus est legis de ambitu præmio, minus invidioso, quam qui*

legem præmiis prætoriam ſententiam , & prætextam togam conſequuntur . Significat enim Cicero , loco prætorio ſediſſe , & ſententiam dixiſſe , qui prætorium hominem in judicio conviciſſet : neque hoc ſolum , ſed , qui deſignatum magiſtratum judicibus nocentem probaſſet , eum , eo magiſtratu damnato, prætextam togam , id eſt, magiſtratum illum , quem is , qui damnatus eſſet , initurus erat , præmii loco cepiſſe . poſuit enim prætextam pro magiſtratu , quia prætexta toga magiſtratus utebantur . ſic & pro Cluentio dixit , *toga prætexta* , *ſella curulis*, cum per togam prætextam communiter omnes magiſtratus , per ſellam curulem curules tantum , id eſt, nobiliorem partem , ſignificaret .

CAP. X.

De Senatuſconſulto .

NON ſimplex eſt ſenatuſconſulti , ſed varia multiplexque cognitio . quærendum enim , qua ratione fieret , qua impediretur , ne fieret , qua factum tolleretur, quo numero ſenatorum fieret, quam poteſtatem daret, utrum abſolutam , an definitam : ſi abſolutam , utrum pluribus, an uni : ſi definitam , utrum ita definitam , ut eam poteſtatem, quam lex ſine S. C. dabat , adæquaret : an ita, ut aliquanto, quam lex, eſſet infirmior. quærendum etiam , de publica re tantum , an etiam de privata , fieret : item , ſenatuſconſultum , ſenatus decretum , ſenatus auctoritas, in quo differant: denique , quale eſſet id , quod tacitum ſenatuſconſultum appellabatur . quæ & ſeparatim ſingula , & ſuo quidque loco exponemus . Cum ſenatus a Romulo ſit inſtitutus, non dubium eſt, quin eo regnante ſenatuſconſulta multa facta ſint. ſed exempla deſideramus . unum ponit Dionyſius, quod factum eſt in hanc ſententiam , ut Sabinæ mulieres ad gentiles ſuos, urbem obſidentes, reconciliationis cauſſa proficiſcerentur . poſt obitum Romuli , primum ſenatuſconſultum fuit de creandis interregibus; alterum illud, quo patres decreverunt, ut, cum populus regem juſſiſſet , id ſic ratum eſſet , ſi patres auctores fierent . tertium , quo regnum Numæ Pompilio , populo acceptam poteſtatem ad ſenatum rejiciente , patres detulerunt. alia deinde , ut res tulit . fiebat autem ſenatuſconſultum hoc modo . Conſul , aut is, qui cum inſignibus imperii , & lictoribus erat , convocato ſenatu , cum, qua de cauſſa convocaſſet, retuliſſet, ſententias rogabat . dictis ſententiis , eam, quam ipſe magis e Republica ducebat , primam pronunciabat . tum , ut ſenatus judicaret , his verbis utebatur : *Qui hoc ſentitis* , *illuc tranſite* , *qui alia omnia*, *in hanc partem* . &, cum diceba, *Qui alia omnia* , ominis videlicet cauſſa ita loquebatur , ne diceret, *Qui contrarium ſentitis* . quod tamen ipſum ſignificabat. ſed , *contrarium* , ut mali ominis verbum , effugiebat . hinc ſæpe illa in antiquorum ſcriptis uſitata locutio : *Ire in alia omnia* , aut *Tranſire* , aut *Diſcedere* , pro contrarium ſentire . hanc apud Romanos conſuetudinem cum etiam ſub regibus fuiſſe videam ; (indicat enim Livius libro I.) quis tamen eam primus induxerit, compertum non habeo : ſed, quicumque ille fuit , videtur a Spartanis tranſtuliſſe . ſcribit enim Thucydides libro I. Stenelaidam Ephorum, cum adverſus Athenienſes tanquam fœderis violatores bellum ſatis acri oratione ſuaſiſſet, ita pronunciaſſe : *Quicumque violatum ab Athenienſibus fœdus exiſtimant* , *ſurgant* , *in illam partem eant ; qui contra* , *in hanc* . & ait idem Thucydides novum & apud Spartanos hoc fuiſſe , primumque a Stenelaida inſtitutum , cum antea ſententias elata voce dicere conſueviſſent . Ergo ſenato-

A res Spartano more , cum ea verba conſul pronunciaſſet, & in alterutram partem primus diſceſſionem feciſſet , ipſi deinde , quam quiſque partem probabat , in eam tranſibant : deinde numerabantur , & ex numero voluntas ſenatus apparebat . ſi frequentiores ſenatores ſententiam a conſule pronunciatam comprobaſſent , in eam ſenatuſconſultum ſcribebatur : ſin minus , aut abjiciebatur omnino res , aut in aliud tempus rejiciebatur . ſæpe enim accidit , ut , quod frequenti ſenatu rejectum fuerat atque improbatum , id interjecto tempore ſuſceptum comprobaretur . Interdum etiam non rogatis , neque dictis ſententiis, tantummodo per diſceſſionem ſenatuſconſultum fie- B bat : tumque ſenatores *pedibus ferre ſententiam* dicebantur . quod , ut opinor, eo tempore fieri ſolitum eſt , cum de parvi ponderis negotio ageretur : nimium enim temporis in re leviore conterendum non putabant , & appellabatur *ſenatuſconſultum per diſceſſionem factum* . illud autem , quod fiebat auditis diſputatiſque ſenatorum ſententiis , etſi & ipſum diſceſſione ſenatorum fiebat , tamen ſimpliciter *ſenatuſconſultum* dicebatur . quod utinam Varronis, Tuberonis, Labeonis, Capitonis, Galli, Felicis , Baſſi , Nicoſtrati libros haberemus , paterent multa , quæ nunc ex obſcura, tenuique umbra vix cogno- C ſcimus . Baſſi quidem verba Gellius recitat , quæ id, quo de nunc agimus, ſatis aperte declarant . *pedibus* , inquit , *ſenatores omnes ſententiam ferebant* , *cum ſenatuſconſultum per diſceſſionem fiebat* : cum ſcilicet exquiſitæ ſingulorum ſententiæ non eſſent . quo ſpectat & illud Ciceronis oratione 3. in Antonium , cum ait : *Effugere feſtinans* , *ſenatuſconſultum de ſupplicatione per diſceſſionem fecit* . *quibus verbis adſcripſit illa* , *Cum id factum eſſet antea nunquam : ob eam cauſſam*, *quia moris erat* , *ut in ſupplicatione decernenda ſententiæ rogarentur a conſule* . quod ex epiſtola M. Cœlii , quæ legitur 8. Fam. libro, perſpicuum eſt . Suetonius etiam de Tiberio D ſic : *Cum ſenatuſconſultum per diſceſſionem forte fieret* , *tranſeuntem eum in alteram partem* , *in qua pauciores erant* , *ſecutus eſt nemo* : dixit, *per diſceſſionem*, ut diſtingueret a ſenatuſconſulto, quod exquiſitis ſingulorum ſententiis fiebat : quod , ut diximus jam , ſenatuſconſultum unico verbo dicebatur . quam loquendi formulam non videtur Gellius agnoviſſe, qui libro 14. cap. 7. putat Tuberonem a Varrone diſſentire , quia ſcilicet Varro dixerat in epiſtola ad Oppianum , *ſenatuſconſultum duobus modis fieri*, *aut per diſceſſionem*, *ſi conſentiretur : aut* , *ſi res dubia eſſet*, *per ſingulorum ſententias exquiſitas* : E *Tubero autem* , *nullum ſenatuſconſultum fieri poſſe diſceſſione facta* , *quia in omnibus ſenatuſconſultis* , *etiam in iis*, *quæ per relationem fierent* , *diſceſſio eſſet neceſſaria* . in quo neuter aberravit a vero : neque , ut putat Gellius, ſententiæ Varronis repugnat id , quod ſcripſit Tubero . non enim dixit Varro , alia ſenatuſconſulta per diſceſſionem ſine ſententiis fieri ſolita , alia per ſententias ſine diſceſſione : ſed hoc ſignificavit , alia per diſceſſionem quidem omiſſis ſententiis , alia vero ſententiis exquiſitis per diſceſſionem tamen facta . & cum dixit , *per ſingulorum ſententias exquiſitas* , ideo non addit per diſceſſionem , quia nullum ſenatuſconſultum ſine diſceſſio- F ne fieri poſſe notiſſimum erat : itaque omiſit ut ſupervacaneum , & obſcurum nemini , niſi ſi quis Romanarum rerum plane rudis eſſet . Facta diſceſſione , ſenatuſconſultum ſcribebatur , & ſcribendo aderant non omnes plane , qui ſententiam ſenatuſconſulti probaverant, ſed ii potiſſimum , qui præter cæteros ita decerni concupierant : qui ſenatuſconſulti auctoritates dicebantur : non tam , quod ii maxime auctores fuiſſent , ut ita ſtatueretur , quam , quod in eo ſenatuſconſulti poſita eſſet auctoritas , ſi per claros viros ſcriptum videtur . video etiam M. Catonem , cum ſua ſententia ſupplicationem Cicero-

A ni non decrevisset, tamen, cum plures eam decrevissent, scribendo affuisse. quod autem non omnes, qui pro senatusconsulto senserant, scribendo affuisse dixi, non est, cur in dubium vocari possit. extat enim in ea Cœlii epistola, de qua jam meminimus, integra senatusconsulti formula: quæ perpaucos affuisse scribendo significat, cum tamen in decernendo plurimi consensissent. illud considerandum, cur in hoc ipso, quod Cœlius recitat, senatusconsulto bis eorum nomina, qui scribendo affuerunt, polita sint. nam, si semel tantum in singulis senatusconsultis adscribebantur, cur in hoc bis? sin, quot erant in senatusconsulto capita, toties B adscribi solebant: cur in hoc, in quo quattuor esse capita manifeste constat, non quater potius, quam bis? quod si quis, non quattuor esse senatusconsulti capita, sed quattuor senatusconsulta contenderit: hærebit tamen nihilominus, magis etiam aliquanto: nam ad quattuor senatusconsulta quater adscribi senatorum nomina debuisse, multo etiam verisimilius est, quam ad quattuor senatusconsulti partes. verum de pluribus senatusconsultis credere absurdum est, cum ne suspicioni quidem Cœlius ipse locum reliquerit, cujus hæc sunt verba: *Senatusconsultum, quod tibi misi, factum est.* non enim, cum dicit, *Huic senatusconsulto intercessit C. Cœlius*, & C cum iterum tertioque idem subjungit, plura senatusconsulta significat, sed plures ejusdem senatusconsulti partes. quare hoc satis apertum. magis illa me torquet dubitatio, cur non aut quater adscriptæ sint auctoritates, ut ad quattuor senatusconsulti capita, aut semel tantum, ut ad unum senatusconsultum. equidem non expedio me: quiddam tamen, ut accipiatur, dicam. licet opinari, & ante senatusconsultum, & post senatorum nomina fuisse perscripta, cum quidem senatusconsultum erat: nam cum intercedebatur, non erat senatusconsultum, sed auctoritas senatus dicebatur. quod si ita D est: jure hic ad eam senatusconsulti partem, cui intercessit nemo, quæque vere senatusconsultum fuit, auctoritates appositæ sunt, & in principio, & in extremo: ad illas autem partes, quæ senatusconsulti nomine caruerunt, propterea quod iis intercessum est, nullæ sunt adscriptæ auctoritates. hoc eruditi examinent: vel potius, quid probabile sit, ipsi comminiscantur. nam hoc nostrum ita diximus, ut in eo non plane conquiescat animus. Formulam senatusconsulti in ea Cœlii epistola licet videre, & in 5. Philippica, & in 10. Scripta senatusconsulta usque ad Consules L. Valerium, M. Horatium arbitrio consulum supprimebantur, & nunciabantur. ab his consulibus, ut ad E ædem Cereris deferrentur, institutum est. postea tamen ad ærarium video esse delata, ut ibi asservarentur, ubi & leges, & pecuniæ populi Romani, & pretiosa quæque custodiebantur. erat autem ærarium in æde Saturni: quasi tutissimum esse videretur ejus dei numine, quo regnante, aureo illo sæculo, nulla vis illata, nullum furtum factum, nihil omnino facinoris esset comissum. Senatusconsulta ad ærarium non delata, rata non erant, & pro infectis habebantur. quod significatione quidem non expressa, nec tamen omnino dubia, Suetonius ostendit in Augusti vita. *Auctor*, inquit, *est Julius Marathus, ante paucos, quam Augustus nasceretur, menses pro-* F *digium Romæ factum publice, quo denunciabatur, regem populi Rom. naturam parturire: senatum exterritum censuisse, ne quis illo anno genitus educaretur: eos, qui gravidas uxores haberent, quod ad se quisque spem traheret, curasse, ne senatusconsultum ad ærarium deferretur.* Hanc ipsam de senatusconsultis ad ærarium deferendis consuetudinem non Livius modo significat libro 39. cum ait: *Quid ab eo consule quemquam novi expectare, qui per infrequentiam furtim senatusconsultum factum ad ærarium detulerit?* & Cicero oratione 5. in Antonium: verum etiam Cornelius Tacitus libro 3. nam cum C. Lutorius Priscus ægrotanti Druso Tiberii filio carmen composuisset, quod, si extinctus esset, magno præmio vulgaretur, adductus in eam spem, quia Germanici obitum celebri carmine defleverat, & ob id a Tiberio donatus erat: accusatus, & damnatus, in carcere est interfectus. *tum Tiberius*, (ipsa Taciti verba ponam) *solitis sibi ambagibus, id apud senatum incusavit, cum extolleret pietatem, quamvis modicas principis injurias acriter ulciscentium, deprecaretur tam præcipites reorum pœnas.* quo loco mendose, ut opinor, scriptum est, *verborum pœnas.* & paullo post: *Igitur*, inquit, *factum senatusconsultum, ne decreta patrum ante diem decimum ad ærarium deferrentur, idque vitæ spatium damnatis prorogaretur.* in quo veterem consuetudinem de senatusconsultis ad ærarium deferendis indicavit: quo leges quoque delatas esse, in libro de Populo, qui post hunc proximus sequetur, exemplis ostendemus. Nunc, quando satis de ratione faciendi senatusconsulti locuti sumus, ordo postulat, ut de impediendi ratione, quæ legendo notavimus, pauca subjungamus. Impedimento erat, quo minus senatusconsultum fieri posset, aut tribunus pl. aut senator aliquis, aut aliquis etiam non senator, aut consul ipse, alius alio modo. tribunus pl. intercedebat: eoque intercedente fiebat, ut id, quod senatus decreverat, senatusconsultum esse non posset, sed senatus auctoritas diceretur. hanc potestatem sacratæ leges jam ab illo tempore, quo plebem tribunicio præsidio muniri placuit, tribunis pl. non solum universis, sed etiam singulis dederant. itaque uno ex omnibus tribunis pl. intercedente, cæteris collegis cum senatu consentientibus, æque tamen senatusconsultum tollebatur, ac si tribuni omnes intercessissent. Impedimento senator erat, cum, *Numera senatum*, consuli dicebat: nihil enim in senatu decerni poterat, nisi certus senatorum numerus legibus statutus adesset. Tertia ratio impediendi erat cum adesset in senatu aliquis, qui senator non erat: tunc enim decerni nihil poterat. & ob eam caussam, ut est in Dionis historia, C. Cato tribunus pl. senatum ingressus est: quem vi extrudere, cum sacrosancta essent tribunorum corpora, non licebat. sed hic oritur dubitatio: si C. Cato, quia nondum esset in senatum lectus, curiam ingredi non poterat, cur & in epistolis ad Lentulum, & in iis, quæ sunt ad Quinctum Fratrem, sæpe hunc ipsum Catonem tribunum pl. in senatu adesse legitur? distingue, & dubitationem solves. non poterat, quia senator non erat: poterat, quia tribunus: quis enim sacrosancto vim afferret? & certe de tribunis in senatu sententiam dicentibus sæpe legimus. qui si tantum erant tribuni, ideo adesse poterant, quia sacrosanctos pelli non licebat: sin etiam senatores, ideo aderant, quia ut senatoribus licebat. ut mirer, quod in Valerio scriptum animadverti, *tribunis non licuisse curiam intrare, sed eos ante valvas positis subselliis decreta patrum examinasse: itaque veteribus senatusconsultis T. litteram subscribi solitam. qua nota significaretur, illa tribunos quoque censuisse.* Hæc ego, ut dixi, miror, cum tribunos in senatu fuisse ita sæpe legerim, ut exempla recitare putidum prope existimem. num igitur antiquitatis Valerius imperitus? non est, ut credi possit: cum & proximus fuerit Reipublicæ temporibus, si quidem, ut ipse testatur, duce Sex. Pompeio Magni filio militavit: & in hac ipse re idem, quod Dion, sentire videatur. sed ita illius auctoritatem tuebimur, si non de tribunis omnibus generaliter, sed de iis dumtaxat, qui tribuni, non etiam senatores, fuerint, dictum accipiamus. nam, si de omnibus plane intelligamus, aperte veterum exemplis refellemur. Erant etiam consules ipsi senatusconsultis impedimento, ut auctor est Livius: cujus libro 30. hæc sunt verba:

Inclinatis omnium ad pacem animis, Cn. Lentulus consul, cui classis provincia erat, S. C. intercessit. quam intercessionem sublatam mox esse constat, cum populus jussisset, ut senatus pacem cum Carthaginensibus faciendam decerneret, quod ita senatus decrevit. Idem & libro 42. C. Popillium ait præ se tulisse, si quid senatus decerneret, intercessurum. Scribit etiam Pedianus, Q. Scævolam consulem, cum animadverteret Crasso collegæ suo propter summam ejus in republica potentiam ac dignitatem senatum in decernendo triumpho gratificari: majorem reipublicæ, quam collegæ, rationem habuisse: ac, ne fieret senatusconsultum, intercessisse: non enim senatusconsulto tribunus pl. tantum intercedebat, sed omnes, qui eadem potestate, qua ii, qui senatusconsultum facere vellent, majoreve essent. quod in ea, cujus fere sententiam ex Gellio jam recitavimus, ad Oppianum epistola testatur Varro. itaque, si senatusconsultum fiebat a consule, jus intercedendi habebat alter consul: erat enim eadem potestate: si a prætore, poterat non modo alius prætor, sed consul etiam intercedere: prætor, quia eadem potestate, consul quia etiam majore esset. sed hujusmodi intercessiones admodum infrequentes invenimus. Tribuniciæ sunt creberrimæ, nam tribunorum pl. proprium erat intercedere: est enim tribunicia potestas non ad inferendam injuriam, sed ad prohibendam inducta. Hactenus de ratione, qua, ne fieret senatusconsultum, impediretur. at postea quam factum esset, tollendi ratio quæ erat? eadem, quæ legis abrogandæ: nam, ut lege lex abrogabatur, sic senatusconsultum senatusconsulto tollebatur: ut, cum senatus decrevit, quas civitates L. Sulla pecunia accepta ex senatusconsulto liberavisset, eæ rursus vectigales essent, neque iis pecunia, quam pro libertate dederat, restitueretur. quod imperio turpe fuit. *piratarum enim*, inquit Cicero, *melior fides, quam tum senatus:* neque, si quid utile, propterea honestum: sed si honestum, propterea utile: sic enim interpretantur boni viri. verum hæc de re. nos autem exemplum quærebamus. quod inventum recitare satis fuit. sed me res ipsa commovit in exemplo. illud addo, senatusconsultum, nisi senatusconsulto aut lege tolleretur, perpetuo valuisse, nullo certo tempore definitum. tametsi scriptum a Dionysio legimus, non perpetuam vim, sed annuam tantummodo habuisse ea, quæ senatus decerneret. quod me quidem eo minus perturbat, quia non ex Dionysii sententia prolatum est, sed ex persona consulum: qui adversus C. Genucium tribunum pl. quærentem ex eo senatusconsulto, quod Cassio Virginioque consulibus factum erat, publicos agros plebi non distribui, responderunt, decretum id in suo magistratu non esse, sed consulibus Cassio, Virginio: itaque ad illos eam distributionem pertinuisse: se quidem eo senatusconsulto propterea non juberi, quia, quæ senatus decerneret, ultra anni spatium firma non essent. quod non ex animi sententia, sed, ut aliquid potius quam nihil responderent, calumniantes afferebant. subterfugere enim id muneris admodum cupiebant, a quo senatus, & patriciorum mentes etiam atque etiam abhorrere intelligebant. Nunc agamus de numero senatorum, qui senatusconsulto necessarius esset. de quo nihil equidem affirmare possum: nec enim, quot plane senatores adesse oporteret, expresse significatum invenio: sed certum tamen numerum lege præfinitum fuisse, Dio, & Festus memoriæ prodiderunt. equidem de ipso quoque numero, quandoquidem in obscuris rebus sæpe conjectura lucem attulit, nonnihil dicam. Pedianus in Cornelianæ, quæ non extat, commentario, C. Cornelium tribunum pl. quo anno C. Calpurnius Piso, M. Acilius Glabrio consules fuerunt, legem ait promulgasse, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi CC. affuissent: neve quis, cum solutus es-

A set, intercederet, cum de ea re ad populum ferretur. eamque legem, etsi pro senatus auctoritate esset, tamen invitis optimatibus esse latam, qui vel pauci senatusconsulta facere solebant, idem Pedianus adscribit. quod si de aliquo legibus solvendo senatusconsulta fieri a paucis solebant, nimirum non ante id tempus legem fuisse latam de numero senatorum, qui senatusconsultis faciundis adesset, manifestum est. nam, si lata esset, non hoc senatusconsulti genus, quo quis legibus solveretur, exclusisset, cum in hoc maxime genere locus esset gratiæ, sed æque ad omnia senatusconsulta spectasset. B ergo & tulit primus C. Cornelius: &, ne pauciores quam CC. adessent, in ea, quam tulit, lege sanxit. nec tamen Cornelii lex ea fuit, de qua & Dio, & Festus tradiderunt. hæc enim ad ea tantum senatusconsulta, quibus aliquem solvi legibus placeret, ea vero, quam illi significarunt, ad omnia pertinuit. nisi si, quod Cornelius de uno tantum genere tulit, id mox in omnibus senatusconsultis observatum velis, ut senatores non minus CC. adessent. legis quidem senatorum numerum communiter ad omnia senatusconsulta statuentis, sive Cornelia fuerit, sive alia, rationem esse habitam consulibus Marcellino, & Philippo, scribit Dion: ut latam esse necesse sit eo temporis intervallo, quod a C Pisone, & Glabrione consulibus ad Marcellinum & Philippum consules, fuit. nam ante tribunatum Cornelii, quem gessit consulibus Pisone, Glabrione, ullam ejusmodi fuisse legem, tantum abest ut invenerim, ut etiam, cur contra fuisse nullam putem, argumento, quod jam posui, facile persuadear. Pergamus ad alia. Potestatem senatusconsultum dabat modo absolutam, modo definitam: absolutam, aut pluribus magistratibus, aut uni: pluribus sic: *Dent operam consules, prætores, tribuni pl. ne quid Respublica detrimenti capiat.* quibus verbis maximam potestatem magistratibus sine populo D senatus dabat: licebat enim iis hoc senatusconsulto, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios, atque cives. aliter sine populi jussu earum rerum jus consulibus non fuisse, Sallustius tradit. quo loco de consulibus tantum loquitur, quia fere soli consules in ejusmodi senatusconsulto nominabantur, cum ita decernebat senatus: *Dent operam consules, ne quid Respublica detrimenti patiatur:* idque, quia tuendæ Reipublicæ cura ad consules, qui cæteris magistratibus anteibant, maxime pertinebat. ubi vero majus aliquod instare periculum videretur, tunc non consules modo, sed & prætores, & tribunos pleb. & eos etiam, qui pro-E consules ad urbem essent, nominatos invenio: ut in eo senatusconsulto, quod initio civilis belli a Pompeii studiosis contra Cæsarem factum est: de quo cum in epistola ad Tironem, & in oratione pro Deiotaro, & in 2. Philippica meminit hic noster, tum Cæsar ipse libro 1. de bello civili queritur his verbis: quæ, non ut impressa sunt, sed, ut censeo esse corrigenda, recitabo. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum, atque ultimum senatusconsultum, quo nisi pene in ipso urbis incendio, atque desperatione omnium salutis, latorum audacia nunquam ante descensum est: Dent operam consules, prætores, tribuni pl. quique pro-*F *consules ad urbem sunt, ne quid Respublica detrimenti capiat.* Curavit enim Pompeius ita decerni, quo gravior Cæsari, quasi domesticæ seditionis auctori, quæreretur invidia. legimus etiam, non utrique consuli, sed alteri tantum hanc potestatem fuisse delatam, ut in Gracchano tumultu, cum decrevit senatus, ut L. Opimius consul videret, ne quid Respublica detrimenti caperet. quod non consuetudinis, sed temporis caussa factum est: aberat enim alter consul Q. Fabius Maximus, ut quidem ego existimo: existimo autem propter eam caussam: quia, quo anno C. Gracchus est interfectus, nullam Fabii consulis actionem urbanam

banam neque Plutarchus narrat, neque Appianus, neque Asconius, neque omnino quispiam. tantum de Opimio meminerunt. ut abfuisse magnam anni partem verisimile sit, eoque magis, quod Allobroges, & Bituitum & Avernorum regem ab eo consule devictum esse L. Florus ex Livio colligit. Uni etiam Pompeio summam potestatem senatusconsulto traditam, quo anno solus ipse consul tertium consulatum gessit, ex oratione Miloniana cognovimus. quanquam, cum senatusconsultum illud est factum, consulem nondum fuisse Pompeium, sed proconsulem ad urbem, Pedianus tradit; neque uni summum jus esse permissum, sed interregi etiam, & tribunis pl. & sane, cum creati nondum neque consules essent, neque prætores, interregem in eo senatusconsulto primum nominari, deinde tribunos pl. tertio loco ipsum Pompeium, qui proconsul ad urbem erat, æquum fuit: sicuti factum est. cum vero consul sine collega creatus Pompeius esset, ad eum potestas illa, ut ad magistratum, transferri tota visa est: itaque & leges tulit, & M. Cœlio tribuno pl. obsistere conanti arma minatus est, & armatos homines in foro, atque in omnibus templis, quæ circa forum sunt, ad cohibendos Clodianæ factionis impetus, & omnino ad omnem vim repellendam collocavit. ipse, cum Milonis judicium exerceretur, cujus caussa præsidia in foro & ad omnes fori aditus disposuerat, armatis copiis circumfusus pro ærario sedit. ut summam potestatem senatusconsulto permissam unus administrare videretur, non solum sine interrege, qui jam nullus erat, sed etiam sine tribunis pl. tametsi in illo senatusconsulto nominatis. quod in ea oratione Cicero significat. Illud mihi videor animadvertisse, hujusmodi senatusconsulta pæne semper civilium discordiarum & intestini dissidii caussa esse facta: cum domestica mala, quæ fere haud paullo plus habent periculi, quam externa, hoc maxime remedio sanari posse senatus putaret, si unico senatusconsulto totam rempublicam consulibus commendaret: *uno enim versiculo*, ut ait Cicero, *satis armati consules erant, etiam nullis armis datis*. hoc Cicero confirmat in 2. Philippica, cum ait: *In te, M. Antoni, decrevit senatus, quod in hostem togatum decerni est solitum more majorum*. Et in eadem paullo post, omnes, contra quos id decretum est, interfectos significat his verbis: *Tum illud, multis ante tentatis, necessario tibi vulnus inflictum, quod paucis ante te, quorum incolumis fuit nemo*. Hanc autem potestatem Opimio consuli primum esse permissam, Plutarchus tradidit. quod, si generaliter dictum accipias, falsum est. nam multis ante annis, atque adeo ætatibus, cum Hernici, Sp. Furium consulem a Veientibus, acie fusum, cum exercitu obsideri nunciassent, *tantum terrorem incussere patribus, ut (quæ forma senatusconsulti ultimæ semper necessitatis habita est) Postumio alteri consuli negotium daretur, Videret, ne quid respublica detrimenti caperet*. Hæc Livius. Plutarchum autem sic a mendacio tuebimur. primum fuisse Opimium dicemus, cui adversus cives potestas dictatoris data sit. qua ille ita est usus, ut non modo C. Sempronium Gracchum tribunum pl. & Q. Fulvium Flaccum consularem, seditionis auctores, sed omnino ad tria millia civium occiderit. Neque vero civiles discordiæ, præsertim quæ ad sanguinem cædemque pervenerint, ante dictaturam in republica sunt exortæ, sed ita multo post, ut a dictatura T. Largii Flavi (is enim primus dictator est dictus) ad Q. Opimium consulem, cui primum in civili seditione senatus commisit, ut videret, ne quid respublica detrimenti caperet, anni numerentur CCCLXXVII. quo minus periculi ab externis hostibus esse cœpit, eo plus inter cives discordiæ. quæ fere humanarum rerum ratio, & natura est, ut consistere nunquam possint. bella dum geruntur, non facile seditiones in urbibus existunt: ubi sublata sunt,

A otium & copia discordiam parit. propterea quamdiu gerendis bellis occupata Roma fuit, non magnopere seditionibus laboravit. eversa Carthagine, & omni prorsus hostili metu sublato, seditiones illico sunt exortæ, & ejusmodi quidem, ut ad sanguinem, & ad cædes eruperint, anno demum ab urbe condita 621. itaque hujusmodi senatusconsultis sero admodum Respublica indiguit, tum scilicet, cum civitatis aliquam quasi corrupti corporis partem ferro amputandam judicaret. ut in homine ex ignavia & nimia cibi copia, sic in Republica ex otio & nimia rerum abundantia gignuntur morbi: quod malum cum multo ante tanquam sagax & peritus medicus

B Scipio Nasica prospiceret, auctor in primis fuit, ne Carthago tolleretur, affirmans ea, quæ mox eventus comprobavit: Romanis nihil esse timendum magis, quam ne hostes non haberent: cum primum ab externis bellis quiescere cœpissent, futurum ut domesticis discordiis affligerentur: itaque non esse delendam eam urbem, quæ etsi sæpe fœdus frangeret, sæpe bella renovaret, id ipsum tamen esse saluberrimum: quando, ne per otium Romana virtus hebesceret, exerceri eam assidue, & tanquam ad cotem acui necesse esset. O te nimium sapientem, nimium vera prædicentem, Scipio Nasica. tu tuis ci-

C vibus, ut Cassandra suis olim, fata concinebas: nec tibi tamen magis, quam illi, fides habita est. hinc Gracchorum illæ contra senatum acerbissimæ contentiones, quæ justam extremi senatusconsulti caussam attulerunt; hinc Sullana bella: hinc ad extremum Cæsaris & Pompeii perniciosa Reipublicæ discordia. sed longius fortasse provectus sum, quam res ipsa patitur. quamquam cur non patitur? an eventa simul cum caussis intelligere inutile est? modice tamen digrediar, nec nisi in ea, quæ connexa ex aliqua parte cum argumento cohærebunt. quod cum faciam, non omnino mihi videbor aberrare. Sed reliqua persequamur. Senatusconsulto potestas uni permitteba-

D tur absoluta, cum dictatorem dici senatus jubebat. nam, etsi dictatorem non senatus ipse creabat, sed is, qui summus erat in urbe magistratus: tamen, quia dictatorem, qui dicebat, dicendi potestatem a senatu accipiebat, senatusconsulto dictatorem fuisse dictum, possumus intelligere. Summum autem & liberum imperium penes dictatorem fuisse, ignorare opinor neminem: neque tamen est hic narrandi locus, petat hæc, qui cupit, a libro de magistratibus inscripto. Videtur etiam, in illis senatusconsultis, quibus leges tollebantur, potestas fuisse, non absoluta quidem ad omnia, ut in illis senatusconsultis, quibus cavere magistratus, ne quid

E Respublica detrimenti caperet, jubebantur, sed absoluta tamen, quod ad eam rem attinebat, cujus rei caussa facta erant. itaque multas leges uno senatusconsulto, atque uno versiculo, ut inquit Cicero de legibus, puncto temporis sublatas esse legimus, ut L. Marcio, Sex. Julio consulibus eas, quas M. Livius Drusus tribunus pl. tulerat: decretum est enim, contra auspicia esse latas, neque iis populum teneri: & Q. Cæcilio, M. Junio consulibus eas omnes, quæ militiæ stipendia minuebant, ideo abrogari placere, quia rem militarem impedirent. Cujus fere generis videntur fuisse & illa senatuscon-

F sulta, quæ legibus aliquem solvebant; quodam enim modo tolli leges videntur, cum aliquid alicui præter leges conceditur: ut, cum senatus P. Scipionem, aut cum Cn. Pompeium legibus solvit, quo maturius, quam per leges licebat, consules fieri possent. quamquam & sine senatusconsulto lege ad populum lata solvi legibus licebat. qua de re in libro de Legibus agetur. At, quibus senatusconsultis hostis aliquis judicabatur, non in illis absoluta potestas erat? erat sane: non enim ii, qui ejusmodi senatusconsulto essent condemnati, provocationem ad ullum magistratum, aut ad

populum habebant: nec erat, ut senatus judicium infirmare possent. de refectione tamen eorundem magistratuum senatusconsulta hujus generis levia & irrita fuisse video, ut, cum consulibus App. Claudio & L. Quinctio Cincinnato, in reliquum magistratus continuari, & eosdem tribunos plebis refici senatus vetuit: idque si fieret, contra rempublicam esse judicavit. quod a tribunis neglectum est: qui reclamantibus consulibus refecti sunt, neque tamen propterea senatus ulla gravior actio aut animadversio fuit: puto, ne plebs irritata perniciosam seditionem excitaret. Quatuor omnino senatusconsulta posuimus: id, quo respublica magistratibus committebatur: id, quo dictator dici jubebatur: id, quo leges tollebantur: id, quo quis ob scelerate facta hostis judicabatur. primis duobus absolutam potestatem non ipse sibi senatus assumebat, sed alteri dabat. duobus extremis non dabat, sed assumebat, vel assumpta potius utebatur. Hæc de absoluta senatusconsulti potestate: reliquum est, ut deinceps de definita disseramus. Senatusconsultum definitæ potestatis si cum lege jungebatur, suas quasi vires augebat: &, quod in eo fuerat definitum, absolutum fiebat: si legis auxilio carebat, (ut sæpe accidit, cum voluntas plebis a senatus judicio discreparet) non solum minus habebat ponderis, quam si cum lege conjungeretur, sed minus etiam, quam lex. itaque C. Flaminius tribunus plebis legem agrariam aliquot annis ante secundum Punicum bellum tulit invito senatu, neque solum tribuni plebis, sed consules etiam, qui patroni senatus habebantur, contra senatus voluntatem sine senatusconsulto sæpe leges tulerunt: cujusmodi fuisse illas constat, quas diversis temporibus a tribus Valeriis latas, Publio, Lucio, Marco, ex Cicerone, Livio, Dionysio, Plutarcho didicimus. Caius etiam Cæsar omisso senatusconsulto, lege Vatinia cisalpinam Galliam cum Illyrico administrandam accepit: cum in lege tantum esse positum intelligeret, ut senatusconsulto non egeret. quod & senatus judicio, ita esse declaratum est: qui mox & comatam illi Galliam attribuit, veritus, ne, si ipse negasset, populus & hanc daret. Quod si, cur in accipienda provincia cum Cæsar, tum alii multi legem antepofuerint senatusconsulto, quærit quispiam: respondetur, quia exeuntibus in provincias imperium tantum senatusconsulto dabatur, lege autem simul cum imperio sumptus. quis porro esset aut ita stultus, ut exercitum alere de suo vellet, aut ita opulentus, ut posset? hinc evenit, ut D. Brutus, Galliæ cisalpinæ a senatu præfectus, supra H. S. quadringenties in stipendia militum de suo erogarit: quod ipse in quadam epistola ad Ciceronem queritur. provinciam enim habebat non lege curiata, quæ præfectis provinciarum ad alendos milites stipendia de publico dabat, sed senatusconsulto, quo imperium quidem, sed sine stipendio dabatur. nam, cum senatus Cæsaris interfectoribus faveret, populus ab Antonio concitatus infensus esset, Brutus, iram populi timens, desperata lege curiata, cum eo tantum imperio, quod a senatu acceperat, in provinciam propere abiit. lege autem eandem provinciam non multo post Antonio Cæsaris mortem persequenti populus tradidit. ut eodem tempore eandem provinciam & Decimus, & Antonius, alter senatusconsulto, alter lege haberet. Omnino provinciam lege habere nemo potuit, qui noluerit. militarem enim rem attingere sine lege, id est, sine pecunia, quam lex dabat, qui liceret? nam etsi App. Claudius, Publii frater, ejus, qui cum Cicerone gravissimas inimicitias gessit, iturum se in provinciam sine lege suo sumptu confirmabat: (sic enim tribus epistolis, ad Lentulum, ad Atticum, ad fratrem, scripsit Cicero) tamen id, non quia legem contemneret, cogitabat; sed quia vereretur, ne perferri non posset, aliquo sibi inimico tribuno pl. intercedente. nam legis cupidum fuisse, indicant illa verba in epistola ad Lentulum: *Sese, si licitum esset legem curiatam ferre, sortiturum esse cum collega provinciam.* eoque clarius id constat, quia, licet Appius iturum se in provinciam sine lege suo sumptu dictitasset, non ivit tamen, sed lege perlata imperium a Populo & pecuniam accepit. unde conjicis hoc, inquit aliquis? quia reversus e provincia triumphum petiit: licet, accusatus a Dolabella, statim triumphi postulationem ad vitandam invidiam abjecerit. in provinciam autem sine lege profectis, triumphum sperare non licebat. qui probas hoc, inquit idem? nimirum testis locupletis auctoritate, hujus, inquam, nostri: sic enim ad Atticum scribit: *Pontinus vult ad IV. Non. Nov. triumphare. huic obviam Cato, & Servilius prætores aperte, & Q. Mucius tribunus. negant enim latum de imperio: & est latum hercule insulse.* Omnes fere, in provincias exituri, ad senatusconsultum legem adjungebant: ut esset, unde stipendia legionibus persolverent, quibus non modo socios ab injuria finitimarum gentium tuerentur, sed ipsas etiam ultro interdum bello peterent. occasiones enim pugnandi, ut triumphi materiam, multi quærebant. Senatusconsulto, præter datum imperium, etiam regendæ provinciæ tempus video definitum; idemque lege, cum ex senatusconsulto ferretur, confirmatum. spatium autem illud erat annuum: de quo vetus lex Sempronia sanxerat. sed Cæsari contra legem Gracchi in quinquennium decreta primum Gallia est, mox & in alterum quinquennium senatusconsulto ac lege prorogata. & ut in stipendia militum ærarii pecuniam senatus elargiri injussu populi non poterat: sic neque de agris, neque de urbibus legitimum jus habebat. ideo Thermitanis populis in Sicilia, quod semper in amicitia fideque mansissent, non senatus sine populo urbes, agros, legesque reddidit, sed senatus quidem censuit, populus autem jussit. Vectigal etiam victis bello gentibus, non sine populo senatus imponebat: scriptum est enim, Mamertinos pecuniam ex senatusconsulto & lege dissolvisse: & omnes Siciliæ civitates, frumentum populo Romano singulis annis certo pretio vendere, ex senatusconsulto, itemque ex lege Terentia, & Cassia esse jussas: & L. Octavio, C. Cottæ consulibus senatum legum dicendarum potestatem in locandis vini Siculi, oleique vectigalibus ita permisisse, ut populus idem jusserit. quibus locis, & aliis præterea eodem spectantibus, adductus sum, in Verrem lib. III. act. 2. corruptum locum, ut opinor, emendare. legebatur: *Cum ex Sicilia, & ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret.* offensus sum, & imprimi jussi, *cum ex S. C. & ex legibus.* quod mendum ab imperitia librariorum originem duxit. veterem enim scribendi morem ignorantes, pro *S. C.* scribendum putarunt, *Sic*, dictione contracta, quæ apposito puncto significaret Sicilia. & cum ipsi reposuissent *Sic*, alii producta dictione scripserunt *Sicilia*. idem in Pediani libros mendum irrepserat: quod nos impressione nostra sustulimus. legebatur enim in Milonianæ commentario, *sic esse factum*, pro *S. C. esse factum*. Redeo unde diverti. Largiri de publico senatus sine populo non poterat: quod contra sine senatu populus poterat. itaque Cæsar in consulatu suo campum Stellatem, & Campanum sine senatusconsulto plebi divisit, lege contentus: idemque publicanos, in conducendis vectigalibus cupiditate prolapsos, tertia debitæ pecuniæ parte non senatusconsulto, sed lege relevavit. fecisset enim, si licuisset, per senatum Cæsar, quod per populum fecit; hæc enim fere verba sunt in ea pro Plancio. nec vero hujus generis exempla desideramus. nam & P. Clodius, Ciceronis inimicus, etiam regna latis legibus vendidit verius, quam donavit: & multis jam annis ante Ti. Sempronius Gracchus de dividendis agris legem tulit senatu non consulto,

item frater ejus C. Gracchus de coloniis deducendis, A de vestibus publice militibus præbendis, de frumento plebi distribuendo, senatu non solum non decernente, sed etiam invito & adversante, leges tulit. Illud, quod Plutarchus tradit, primo miratus sum, Tiberio ad divisionem agrorum profecturo senatum novenos nummos in singulos dies pro sumptu decrevisse: quasi & senatus distribuendæ publicæ pecuniæ potestatem haberet. sed deinde meam admirationem res ipsa sustulit. nam hoc illi per populum in levi re licuisse, quis miretur? sicuti etiam, cum exterarum gentium legatis munera dabantur: quod senatus arbitrio fiebat. non enim, ubi quid pecuniæ promi ex ærario oporteret, continuo propter eam B caussam legem ferri ex dignitate populi Romani videbatur. In judiciis etiam constituendis, aut mutandis, & omnino in hoc genere, jacebat senatus voluntas sine populi consensu, id est, senatusconsultum sine lege. lex autem, non solum si senatusconsulto comprobaretur, verum etsi contra senatus voluntatem lata esset, rata tamen habebatur. itaque quoddam senatusconsultum adversus eos, quorum opera factum esset, ut judicium publicum corrumperetur, in oratione pro Cluentio Cicero repudiat, & infirmum significat, ob eam caussam, quia postea legem ex eo consules non tulissent. at vero legem, C qua L. Aurelius Cotta judicia inter tres ordines communicavit, senatum, equites, tribunos ærarios, cum antea penes unum ordinem senatorium lege Cornelia fuissent; hanc, inquam, legem; quæ senatus potentiam admodum imminuebat, latam sine senatusconsulto, latam invito senatu, firmam tamen fuisse, & observatam diligenter non solum reipublicæ temporibus, sed aliquandiu etiam ab ipsis imperatoribus, intelliget qui scripta veterum evolvet. nec minus invito, aut certe non favente senatu, biennio post C. Cornelius legem tulit, ut prætores ex edictis suis perpetuis jus dicerent: cum antea varie jus dicere solerent. potuit igitur etiam in hoc genere D populus sine senatu, atque etiam contra senatum. leges enim contra senatusconsultum latæ eandem vim habuerunt, quam, si nullum senatusconsultum ante factum esset, habuissent. itaque legimus in Plinio: *cum sanatusconsultum vetus fuisset, ne liceret pantheras Africanas in Italiam advehere, Cn. Aufidium tribunum pl. contra ad populum tulisse, &, in Circensium ludorum gratiam ut liceret Africanas importare, lege lata permisisse*. Quia vero sæpe contigit, ut cum senatu populus consentiret, ideo, non quia populus sine senatu non posset, sed quia senatus & populus idem vellent, leges ex senatusconsulto latas plerumque licet invenire. quod E si, quod sæpe contigit, minus inter senatum & populum conveniret, aut etiam si senatusconsultum obstaret, ut in tribus legibus, Aurelia, Cornelia, Aufidia, proxime docuimus. nihilo tamen erat imbecillior lex, sed easdem vires habebat, quas habuisset, si ex senatusconsulto perlata esset, aut nullum contra senatusconsultum fuisset. anno quidem post urbem conditam CCLXIII. nondum ullam legem nisi e senatusconsulto fuisse latam, M. Minucius consul in eo sermone, quem de Coriolani judicio cum tribunis pl. habuit, affirmat: neque plebem de aliqua re judicasse, aut suffragia tulisse, nisi senatus F eadem re jam consulta auctor fuisset: idque a regibus institutum, ad eam usque diem ait constantissime servatum. quod tamen in Coriolani caussa est omissum, senatu universam ejus judicandi potestatem plebi concedente: ne quam seditionem irata suscitaret. sed triennio post cum tribuni pl. judicium de Coriolano factum rescindere, & damnationem abrogare lege vellent: senatu contradicente, sine senatusconsulto legem ferre noluerunt. & anno ab urbis initio CCXCVII. cum augeri tribunorum numerum, & plebs, & tribuni vehementer cuperent: tamen eam legem non prius ferre sunt aggressi, quam ut eam ferri liceret, senatus decrevit. sed post quotidie magis senatus auctoritas est imminuta: legesque multæ sine senatusconsulto perlatæ, senatu etiam ægre ferente, vim tamen habuerunt, & servatæ sunt. Atque hæc a me dicta sint pro eo, quatenus dici opus fuit de infirmitate senatusconsulti. nunc, ubi valeret, etiamsi lege non confirmaretur, exponemus. Multa erant, in quibus ad senatusconsultum lex non adjungebatur: ut cum de cura sartorum tectorum alicui demandanda senatus decernebat, cum de vestitu ob calamitatem aliquam aut mœrorem mutando, cum de supplicationis honore, aut etiam de triumpho concedendo: cum de fide aut ei danda, qui alicujus indicium maleficii deferret, aut ei, qui hostis esset: cum de magistratu ante diem deponendo: de comitiis producendis: de annona procuranda: de regibus appellandis, de consulibus ad bellum mittendis, de supplendo exercitu: de aris, quæ dedicatæ essent injussu populi, tollendis, de religionibus tuendis: de salute bene meriti civis exteris gentibus commendanda: de jure legationis liberæ tribuendo, aut de legatis legendis: de itinere ab iis, qui in provinciam reipublicæ caussa irent, mutando: de laudandis iis, aut ornandis, qui aliquid pro republica fecissent; aut, qui contra, puniendis: de feriis Latinis: de legatis exterarum nationum donandis: de curatione viarum, de usurarum modo: & si qua præterea sunt. sunt enim multa. neque tamen in hujusmodi rebus propriam fuisse, & singularem dico senatus potentiam, populum nihil juris habuisse: sed hoc dico, volente, & permittente populo institutum, atque observatum, ut per senatum ea transigerentur. quod tamen quasi legitimum jus, diuturna consuetudine confirmatum, aliquando populus, per improbum tribunum inductus, arripuit. de quo Vatinium Cicero aspere & acerbe in oratione exagitat. sed hoc non magnopere usitatum, & tanquam extra ordinem fuit. Accidit etiam interdum, ut aliquid ex eo genere, quo de genere multa enumeravimus, neque a solo senatu censeretur, neque a solo populo juberetur: credo, quod momenti res esset paulo majoris, quam soleret, ut extraordinaria potestate curanda videretur: sicuti P. Lentulo, Q. Metello coss. cum ex senatusconsulto perlata lex est, ut Pompeio per quinquennium potestas omnis rei frumentariæ toto orbe terrarum traderetur. &, ut hoc extraordinarium fuit: sic illud, quod in epistola ad Q. Ciceronem legimus, pecuniam Pompeio in rem frumentariam senatus consulto decretam: cum erogare publicam pecuniam, ut jam diximus, non senatus, sed populus soleret. quod tamen permissu populi factum esse non dubitamus. jam enim ex senatusconsulto perlata lex erat de Pompeio rei frumentariæ præficiendo: in qua ita scriptum licet opinari, ut ad eam curationem tantum ei daretur pecuniæ, quantum senatus decrevisset. ut in hac re duo senatusconsulta facta fuerint, alterum ante legem de Pompeio deligendo, ex quo perlata lex est: alterum post legem de pecunia tribuenda, quod ex ipsa lege factum est. Fiebant etiam de privata re senatusconsulta, raro, sed fiebant tamen: quale illud, quod in heredes C. Vennonii factum fuisse Cicero docet libro XIII. epist. quæ familiares dicuntur: & illud, quo libera legatio decernebatur: hoc enim genus legationum non nisi privatæ rei caussa a civibus petebatur. & cum senatus decrevit, ut L. Vettius, quod confessus esset se cum telo fuisse, in vincula conjiceretur. Senatusconsultum differre a senatus decreto, & decretum consulti esse particulam quandam, putabat Ælius Gallus: sic enim scribit Festus. ego autem existimo equidem in uno senatusconsulto multa interdum fuisse capita, & unumquodque caput decreti nomine appellatum, neque solum decreti, sed etiam consulti: ut in illo

senatusconsulto satis manifeste patet, de quo in epistola M. Cœlii descripto supra meminimus: sed hanc tamen distinctionem in historiis, aut omnino in ullo libro nondum observavi. neminem enim video ita locutum, ut diceret, *in illo senatusconsulti decreto*: quin pro ipso senatusconsulto decretum sæpissime usurpatum invenio. neque ratio repugnat. nihil est enim aliud senatusconsultum, nisi id, quod senatus decernit. itaque & decretum, & senatusconsultum de eadem re Cicero vocat. nam in oratione pro Sextio, *Quis*, inquit, *unquam consul senatum ipsius decretis parere prohibuit?* at in Pisonem: *Omitto illud, consulem edicere, ut senatus senatusconsulto ne obtemperet.* Est tamen hæc differentia: quod, etsi pro senatusconsulto, non tamen pro quovis senatusconsulto ponitur decretum, sed pro eo tantum, quod aut unius hominis caussa factum sit, aut, si ad plures pertineat, minime tamen ad universam rempublicam spectet. & ut senatusconsultum sæpius de communi, quam de privata re dicitur: sic decretum sæpius de privata, quam de communi, vel potius de communi nunquam, semper de privata. nunquam enim invenias, senatus decretum de ambitu factum esse, aut de judiciis, aut de creditis pecuniis, quæ generatim ad omnes pertinent, sed senatusconsultum: decretum autem vel de uno tantum dici videas, ut in oratione post reditum in senatu: *immensum quiddam est, atque infinitum, quod huic ordini debemus, a quo sæpe magnificentissimis decretis sumus honestati*. vel de duobus, ut in Suetonio: *senatus decreto tribunus plebis Metellus Nepos, & prætor Cæsar administratione reipublicæ summoventur*: vel ita de pluribus, ut particulare sit, ut de Buthrotia civitate libro ad Atticum XVI. *Decreta consulum de Cæsaris actis*. erant enim acta Cæsaris, beneficia aut in hunc & illum hominem collata, aut in hanc & illam civitatem. Et ibidem paulo post *Decretum consules secundum Buthrotios fecerunt*. itaque decretum nunquam de publica re dici, sed aliquanto contractius esse, quam senatusconsultum, vere diximus: cum tamen senatusconsultum & de privata re nonnunquam dici supra docuerim. fiebat autem utrumque per discessionem senatorum: &, quod pluribus visum erat, id aut senatusconsultum, aut decretum dicebatur, diverso nomine, non quod diverse fieret, sed quod diversa res esset, cujus caussa fieret: cum senatusconsultum modo de publica, modo etiam de privata, decretum autem de publica nunquam, sed de privata semper fieret. Differunt etiam in hoc, quod, quemadmodum senatusconsultum, si res, de qua fit, spectatur, latius est, quam decretum; (fit enim, ut sæpe jam dixi, tum de publica, tum de privata: cum decretum de privata tantum fiat) sic, si a quibus fiat, consideratur, angustius quodammodo videtur, quam decretum. fit enim a senatu tantum senatusconsultum: at decretum & a senatu, & ab alio ordine, neque solum a paucis, sed etiam ab uno: a senatu, ut ex eo loco patet, quem ex oratione post reditum proxime recitavimus: neque plura congerenda sunt exempla. nam in hoc cum senatusconsulto consentit; nos autem id, in quo dissentit, quærimus. ab alio ordine, ut in oratione pro domo sua, cujus sententiæ verba jam posuimus: & ad Atticum lib. IX. *Volet*, inquit, *Augurum decretum*: & pro Sex. Roscio: *Decurionum decretum fit, ut decem primi ad Sullam proficiscantur*. &, *Pontificum decreta*, sæpe legimus, ab uno, ut exemplum declarat, ex oratione pro Milone, *de Cn. Pompeii decreto*: & Philippica I. *Ne qua tabula post Idus Martias ullius decreti Cæsaris, aut beneficii figeretur. decretum autem prætoris*, millies invenimus. & apud jurisconsultos: *Imperatoris decretum, Principis decretum, Judicis decretum*. Reliquum est, ut, in quo senatus auctoritas a senatus-

A consulto differat, ostendamus. Differt autem, ut jam significavimus, in hoc, quia senatusconsultum id erat, cui cum nemo intercessisset, perficiebatur ea res, qua de scriptum erat. at senatus auctoritas erat illa quidem voluntas, & sententia senatus, sed aliquo intercedente debilitata vim senatusconsulti non habebat: neque enim parebat ei quisquam: neque ei, qui non paruisset, pœna erat. perscribebatur tamen in publicis tabulis: ut, quid eo die senatus censuisset, appareret. nam illud in epistola ad Lentulum, *His de rebus senatus auctoritas gravissima intercesserat: cui cum Cato, & Caninius intercessissent,* B *tamen est perscripta*, sic est accipiendum, non Catonem & Caninium tribunos pleb. intercessisse, ne fieret senatusconsultum: (non enim senatusconsultum fieri solebat de eo, quod propositum frequens senatus improbaverat, sed de eo, quod frequens probaverat: hic autem, cum dicit, *Senatus auctoritas gravissima*, intelligit sententiam illam Bibuli de tribus legatis, quam frequens senatus improbaverat) sed intercessisse, ne senatus auctoritas perscriberetur: quod cum ipsa verba declarant, tum in alia ad eundem epistola est quædam quasi consentiens significatio, his verbis: *Senatusconsultum nullum exstat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit: eaque,* C *quæ de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur*. dupliciter enim Cicero liberam esse Lentulo reducendi regis potestatem ostendit, uno modo, cum reductionem illi nullo senatusconsulto esse ademptam dicit: altero, cum eam ipsam senatus auctoritatem, quæ de ea scripta est, ut ne quis omnino regem reduceret, infirmam significat. infirmam, inquam, non ob eam caussam, quia non senatusconsultum sit, sed senatus auctoritas, (neque enim hæc una senatus auctoritas, cujus hic mentio fit, hoc habebat proprium, ut senatusconsulti vi careret: sed e- D rat omnibus senatus auctoritatibus communis & æqua conditio, ut ad rem perficiendam ponderis nihil haberent, tantum ad testificandam senatus sententiam valerent) verum ideo infirmam, tum quia intercessionem passa sit, tum quia magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium, præseferat. apparet enim ita senatum censuisse, non consilio adductum, sed iratum regi, quia nonnullorum animos largitione corrumperet. in quo illud est notandum, intercessionis non eam rationem esse habitam in senatus auctoritate, quæ habebatur in senatusconsulto: siquidem, cum tribunus pleb. E intercedebat, ne fieret senatusconsultum, non fiebat: cum intercedebat idem, ne perscriberetur senatus auctoritas, perscribebatur tamen. Et dicebatur senatus auctoritas, quia voluisset quidem, & auctor fuisset senatus, ut senatusconsultum fieret, sed, intercedente tribuno, non potuisset. neque tamen senatus auctoritas ea sola dicebatur, quæ, cum frequens senatus aliquid probaverat, ob intercessionem senatusconsultum esse non potuerat: sed ea quoque, quæ, frequenti senatu aliquid improbante omnino, etiam nemine intercedente, senatusconsultum esse non poterat. non enim, cum proposita sententia improbaretur, sed cum probaretur, senatusconsulta fieri F solebant. in hac autem ad Lentulum epistola, de improbata Bibuli sententia, quam de tribus legatis dixerat, nisi me fallit opinio, sermo est.

Ex libro de legibus Romanis vide illa verba: Quoniam spectandi locum senatores, *&c.*

Item: Item illa C. Cassii, *&c.*

Item ab his verbis, Ac primum, quod, *&c. usque ad illa*, Postea ne caussam diceres, tribunos pl. appellasti?

EX COMM. IN EP. CIC.

LIB. I. EP. I.

Ex Argumento.

SENATUM haberi per dies comitiales non licuit.

Ibidem:

Senatus voluntas perscripta, quod impedito S. C. fieri solitum est, ut memoriæ traderetur, atque extaret in publicis tabulis, quid senatus, nisi obstitisset intercessio, fieri voluisset. Hac de re sic in ep. 7. *Nullum exstat S. C. quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit, eaque, quæ de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse videatur.*

Ex Notis Lib. 1. ep. 2.

Cum senatus legitimus, id est, quo loco, quo die, quo numero, a quo magistratu oporteret, habitus, aliquid vel de publica, vel de privata re decreverat, tum si ex collegio tribunorum pl. nemo intercedebat, rata senatus voluntas erat, & S. C. dicebatur, eoque nomine inscriptum publicis tabulis consignabatur: sin autem vel senatus non legitimus aliquid decreverat, vel tribunus plebis intercesserat, infirmum, ac prorsus irritum decretum illud erat, nec S. C. sed *senatus auctoritas* vocabatur: propterea quod auctoritatem quandam publicis tabulis testata senatus voluntas habere videbatur: testis Livius libr. 4. *Si quis*, inquit, *intercedat, S. C. auctoritate se fore contentum*. Testis Dionis historia. nam cum Q. Cassius Longinus, & M. Antonius, tribuni pl. intercederent, quo minus fieret S. C. de Cæsare ex Gallia revocando, cumque senatus, Pompeio deditus, a Cæsare alienus, propterea vestem, ut in adversa tristique re, mutasset: tamen ne sic quidem factum esse S. C. sed perscriptam sententiam esse, Dio libro 41. significat. Idemque libro 42. cum S. C. intercederent tribuni plebis, senatus tamen auctoritas perscripta est. Planissime autem libro 55. his fere verbis: *Si quando aliquid senatus decrevisset, nec legitimus senatorum numerus affuisset: non inerat in eo vis S. C. sed auctoritas senatus dicebatur, qua tantum constaret eorum, qui tunc affuissent, voluntas, & sententia. observatum idem est, cum vel senatus alieno loco, aut tempore, aut non legitimo edicto habitus esset, vel tribuni pl. intercessissent. impedito enim S. C. extare tamen senatus voluit sententiam suam*. Accedit Ciceronis testimonium in ep. 7. *S. C. nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit: eaque, quæ de ea scripta est, auctoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam vim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium, esse videatur*. Et ibidem paullo post: *Offensionem esse periculosam propter interpositam auctoritatem, religionemque video*. Et epist. 2. lib. 4. ad Attic. *Nondum satis erat allatum, quomodo Cæsar ferret de auctoritate perscripta*. Loquitur ibi Cicero de S. C. ab intercedentibus Cassio & Antonio, tribunis pl. impedito. quod ex Dione jam ostendimus. Nec dubito, quin de auctoritate perscripta, cum senatus decreto intercessum esset, Cicero significet libro 3. de leg. in eo loco: *Senatus decreta rata sunto. ast ni potestas par, majorve prohibessit, perscripta servanto*. Quæ licet exempla satis hunc morem ostendant: ut dubitatio tamen omnis auferatur, adscribemus verba S. C. quod Cœlius inclusum epistolæ ad Ciceronem misit: *Si quis huic S. C. intercesserit, senatui placere auctoritatem perscribi, & de ea re ad senatum, populumque referri*. Et in alio ejusdem S. C. capite: *Si quis huic S. C. intercessisset, auctoritas perscriberetur*. Huic opinioni locum adversari Ciceronis oratione pro Deiotaro, aliquis fortasse dixerit. *Cum audisset Deiotarus*, inquit, *senatus consentientis auctoritate arma sumpta, consulibus, prætoribus, tribunis pleb. nobis imperatoribus remp. defendendam datam*. Senatus auctoritatem vocat in ea re, de qua S. C. esse factum, Cæsar ostendit libro 1. de bel. civil. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum, atque ultimum S. C. quo, nisi pæne in ipso urbis incendio, atque desperatione omnium salutis, nunquam ante descensum est: Dent operam consules, prætores, tribuni pleb. quique proconsules sunt ad urbem, ne quid respub. detrimenti capiat. Hæc S. C. perscribuntur ad 7. Id. Januar.* Hoc argumentum duplici ratione refellitur: vel quod cum S. C. illud contra Cæsarem belli civilis initio factum esset, nec tribunis pl. ad intercedendum paratis locus esset, non auderet Cicero, ad Cæsarem, jam omnia tenentem, pro Deiotaro reo suppliciter agens, S. C. appellare: præsertim cum sciat, si tribunis pl. Antonio & Cassio intercedere licuisset, quod Pompeianorum factioni non licuit, S. C. esse non potuisse. itaque sapienter, tempori, caussæque serviens, odiosum Cæsari vocabulum Cicero vitavit, a quo salutem Deiotari regis impetrare cupiebat. Altera est ratio, mihi quidem valde probata, quod senatus auctoritas non semper decretum illud significat, quod ne senatusconsulti vim & nomen haberet, intercessione fiebat: sed, ubi nulla intercessionis mentio fit, pro ipso accipitur S. C. ut in oratione in Pisonem: *Quam provinciam P. Lentulus cum & senatus auctoritate, & sorte haberet, deposuisset*. Significat enim a Lentulo depositam Ptolemæi regis reductionem, quam ei senatusconsulto esse mandatam, & supra demonstratum est. Et in ea pro domo: *Ex senatus auctoritate & senatum, & omnes bonos mutata veste vidi*. Senatus auctoritatem appellat, cum tamen S. C. de mutanda veste factum esset: quod ex oratione pro Sextio cognoscitur. In Vatinium: *Nec hoc quidem senatui relinquebas, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur?* Quis non intelligit, *ex ejus ordinis auctoritate*, pro, ex S. C. dictum esse? cum paullo post sequatur: *Quis legatos unquam audivit sine S. C.? ante te nemo*. Ergo *senatus consentientis auctoritate arma sumpta*, idem valet, quod, universo approbante senatu, decreto senatus universi. Vel duæ senatus auctoritates intercesserunt, hæc, quæ probabat reductionem regis, altera, quæ improbabat: cujus mentio fit ep. 7.

Ibidem:

Intercedere, modo est impedire, ut infra: *Cui cum Cato, & Caninius intercessissent, tamen est perscripta*: modo *intervenire*, ut hic, & epist. 2. lib. 15. *Cum vestra auctoritas intercessisset, ut ego regem Ariobarzanem tuerer*. Eodem sensu dixit Cœlius ep. 6. lib. 8. *Significatio ulla si intercesserit, clarius, quam deceat, aut expediat, fiat*. Et in Verrem libr. 2. *Cum imperatoris populi Romani auctoritas, legatorum decem dignitas S. C. intercederet. Intercessissent*) impedissent, ne S. C. fieret. ideo senatus auctoritas, S. C. impedito, perscripta est. Intercedere enim, proprie tribunorum pl. fuit. quanquam participes ejus fuisse potestatis omnes, qui eadem potestate, qua ii, qui S. C. facere vellent, majoreve essent, docet Gellius ex Varrone lib. 14. cap. 7.

Lib. 1. ep. 4.

Senatores plures quadringentis in senatu affuisse, bis omnino, ut mea memoria est; legi: 410. in oratione post reditum in senatu, 415. ep. 10. lib. 1. ad Attic.

Lib. 1. ep. 7.

Et stipendium, & legatorum numerum, & supplicationes senatus decernebat sine populi suffragio. quæ Cicero significat in ep. 9. cum ait, *singularibus, & novis honoribus, ac judiciis senatus ornatum esse Cæsarem*. idque exponit aperte in oratione de provinciis, his verbis: *Relatum est ad nos nuper de stipendio exercitus: non decrevi solum, sed etiam, ut vos decerneretis, laboravi: multa dissentientibus respondi: scribendo affui*. stipendium autem a senatu impetrare, in tantis angustiis ærarii, non facillimum fuit. quod ex eadem oratione conjeci. dixit enim: *In his angustiis ærarii, publicanis tamen subveniatis, necesse est, credulitate Gabinii pæne afflictis jam, atque eversis*. Hac de re sic in ea pro Balbo: *C. Cæsarem senatus & genere supplicationum amplissimo ornavit, & numero dierum novo. idem in angustiis ærarii, victorem exercitum stipendio affecit: imperatori decem legatos decrevit: lege Sempronia succedendum non censuit. harum ego sententiarum & princeps, & auctor fui*.

Lib. 1. ep. 9.

Certus erat Senatorum numerus, qui si non adesset, S. C. fieri leges vetabant. Unde illud M. Fulvii contra M. Æmilium, libro 39. apud Livium: *Qui per infrequentiam S. C. factum ad ærarium detulerit*. Festus: *Numera senatum, ait quivis senator consuli, cum impedimento vult esse, quo minus faciat S. C. postulatque, ut aut res, quæ afferuntur, dividantur, aut singuli consulantur: aut si tot non sint senatores, quo numero liceat præscribi S. C.* Legimus etiam apud Pedianum, C. Cornelium trib. pl. legem tulisse, ne quis in senatu legibus solveretur, nisi ducenti affuissent. Quod si quis necessarium S. C. conficiendo senatorum numerum scire velit, Dionem consulat, cujus hæc sunt verba lib. 54. *Augustus, cum videret, frequentes non semper convenire senatores, decrevit, ut a paucioribus, quam quadringentis, S. C. fieri possent. cum antea, nisi quadringenti affuissent, rata non essent*.

Lib. 3. ep. 9.

Discedebat senatus Aprili mense, cujus fere dies omnes vel ludis dabantur, vel festi erant, vel comitiales, quibus haberi senatum non licebat. id quod ex antiquis dierum Fastis, quos a nobis explanatos edidimus, licet intelligere.

Lib. 4. ep. 1.

Senatus appellari non debet, in quo nec senatores multi, nec eorum libera, metuque soluta voluntas est.

Lib. 4. ep. 4.

Scripsit Varro, teste Gellio, lib. 4. Epistolic. quæstionum, S. C. duobus modis fieri solitum, aut per discessionem, si consentiretur: aut, si res dubia esset, per singulorum sententias exquisitas.

Lib. 5. ep. 2.

Quid *præscriptione* significetur, communis intelligentia fortasse non assequitur: quod exponere conabimur. Duplex erat in S. C. præscriptio, necessitatis una, honoris altera: necessitatis, quod infirmum erat S. C. cum in decernendo

certus, ac lege definitus ſenatorum numerus non affuiſſet. itaque ſingulis S C. ut valerent, præſcribebatur, quot ſenatores affuiſſent. de quo Feſti verba recitabo: *Numera ſenatum, ait quivis ſenator conſuli, cum impedimento vult eſſe, quo minus faciat S. C. poſtulatque, ut aut res, quæ afferuntur, dividantur, aut ſinguli conſulantur, aut ſi tot non ſint ſenatores, quo numero liceat præſcribi S. C.* Tulit etiam legem C. Cornelius tribunus pl. quem Cicero defendit, non ille quidem de omnibus S. C. ſed de iis, quibus aliquem ſolvi legibus placeret, ut ita rata eſſent, ſi ducenti ſenatores affuiſſent. Quod Feſti locus, etſi non plane, tamen quodam modo confirmat. Altera, quæ auctoritatem S. C. adderet, perſcriptio erat, cum nobiliſſimi ſenatores ſcribendo aderant. qui certus numerus non erat, ſed pro ejus dignitate, & gratia, cujus de honore in S. C. ageretur. quo de genere præſcriptionis hic puto ſignificari: & illud infra, *Obſcurum eſſe non poſſit*, ſic interpretor, ob eorum claritatem, qui ſcribendo affuerunt. Et in eo S. C. quod Cœlius Ciceroni miſit, ep. 10. lib. 8. legendum opinor, *S. C. quod tibi miſi, factum eſt, auctoritateſque præſcriptæ*: non, *perſcriptæ*. nam ſenatorum nomina, qui affuiſſent ſcribendo, S. C. auctoritates dicebantur, & ante S. C. ſcribebantur. de qu etiam more loquitur in ep. ad Catonem 6. lib. 15. cum inquit: *Hæc S. C. non ignoro ab amiciſſimis ejus, de cujus honore agitur, ſcribi ſolere.* non quod ii ſcriberent, ſed quod ſcribendo adeſſent, & fortaſſe etiam dictarent. Sic in Agraria 2. *Collegas ſuos, adſcriptores legis Agrariæ, non repudiabit, a quibus ei locus primus invidiæ in præſcriptione conceſſus eſt.* Et lib. 3. de Or. legitur in antiquo Borromæi libro: *In auctoritatibus præſcriptis extant.* non, ut eſt in pervulgatis, *perſcriptis*.

Lib. 6. ep. 18.

Senatores vel coloniarum, vel municipiorum, decuriones vocabantur. & ut Romam ad ſenatum conſules, item in municipiis ad decuriones quattuor viri, in coloniis duumviri referebant.

Lib. 8. ep. 8.

Senatus habebatur vel in ſacris ædibus, vel in templis non ſanctis, ut in curia Hoſtilia, & ep. 13. lib. 10. Senatus in templis habebatur.

Ibidem:

Adeſſe ſcribendo ſoliti ſunt, qui ſenatuſconſultum fieri vellent.

Ibidem:

Cum plura ſimul ad ſenatum referebantur, non facile omnia ſenatus major pars comprobabat. ita ſæpe fiebat, ut una res repudiata reliquas, quæ omnino placerent, impediret. nam, cum dixiſſet ſenator, *Divide ſententiam*, ut de ſingulis rebus referretur, orta contentione dies conſumebatur, lege permittente ſenatoribus, qua quiſque de re vellet, quamque diu vellet, dicere. itaque Feſtus inter impedimenta ſenatuſconſulti numerat hoc in verbo, *Numera*, cum ſenator diviſionem poſtulabat earum rerum, quæ referebantur.

Ibidem:

Per dies comitiales haberi ſenatum leges vetabant. ep. 2. lib. 2. ad Quinctum Fratrem: *Conſecuti ſunt dies comitiales, per quos ſenatus haberi non poterat.* Et eodem libro, epiſtola *Riſi*: *Comitialibus diebus, qui Quirinalia ſequuntur. Appius interpretatur, non impediri ſe lege Pupia, quo minus habeat ſenatum.* Ad Lentulum autem ep. 4. lib. 1. iidem dies ſignificantur iis verbis: *Senatus haberi ante Kal. Febr. per legem Pupiam, id quod ſcis, non poteſt.*

Ibidem:

Dixi jam, tres ordines lege Aurelia, ſenatum, equites, tribunos ærarios judicaſſe. Sed omnes ſenatores, qui judicabant, a judiciis in ſenatum convenire, ideo ſenatus noluit, ne per infrequentiam, quod ſæpe accidit, fieri S. C. non poſſet. certum enim ſenatorum numerum faciendo S. C. lex definiebat. Feſtus, & Dio: quorum teſtimonio hac ipſa de re jam uſi ſumus. Judiciis autem implicati tenebantur ſenatores multi: itaque ille, qui ſcripſit ad C. Cæſarem de rep. ordinanda, cujus exſtat epiſtola, cum Salluſtii fragmentis edita: *Duabus*, inquit, *rebus confirmari poſſe ſenatum puto: ſi numero auctus per tabellam ſententiam feret. tabella obtentui erit, quo magis animo libero facere audeat: in multitudine, & præſidii plus, & uſus amplior eſt. nam fere, his tempeſtatibus, alii judiciis publicis, alii privatis ſuis, atque amicorum negotiis implicati, haud ſane reip. conſiliis affuerunt: neque eos magis occupatio, quam ſuperba imperia, diſtinuere.* Trecentos autem ordinis ſenatorii judices Plutarchus nominat in Graccho: ſed hoc tempore trecenti ſexaginta, electi a Pompeio tertium conſule, judicabant. docet hoc Velleius lib. 2. & Plutarchus in Pompeio. itaque miror trecentos duntaxat nominatos. niſi ſi perfecti numeri potius, quam imperfecti, placuit appellatio: ut in Piſonem dixit Cicero. *quadraginta annis*, pro triginta ſex. quo loco Aſconius uſitatum ait fuiſſe Ciceroni, ut, omiſſa ſubtiliore annorum computatione, ſummatim tempus comprehenderet: recitatque illa in Catilinam: *Vigeſimum jam diem patimur hebeſcere aciem horum auctoritatis*: cum octavus decimus dies eſſet. Aut igitur falſum judicum numerum hac ratione tueamur: aut deeſſe LX. cenſeamus: ut omnino ſint, qui a Velleio, & Plutarcho nominantur.

Ibidem:

Si habetur eorum ratio, qui provincias obtinent, Cilicia conſularis eſt, cum a viro conſulari Cicerone adminiſtretur: ideoque non in hoc S. C. ſed in eo, quod de provinciis conſularibus factum eſt, nominari debuit. verum, quia ſit prætoria, cum decernat ſenatus, ut in eam proficiſcatur, qui prætor, non qui conſul fuerit, propterea in hoc S. C. rejecta, & reliquis provinciis, quas prætorii obtinebant, aggregatur. erat enim poteſtas ſenatui, quos vellet, in provincias mittendi, ſive conſulares, ſive pretorios: &, in quas prætorii mittebantur, prætoriæ: in quas conſulatu functi, conſulares provinciæ vocabantur. id ex hoc ipſo primum cognoſcitur S. C. quo prætorius, non conſularis in Ciliciam, cui præerat hoc anno Cicero conſularis mittitur: deinde confirmatur oratione de provinciis. potuit tamen tribunus pl. hanc poteſtatem eripere ſenatui, & conſularem provinciam, lata rogatione, ab homine conſulari ad prætorium transferre. quod objicit Clodio Tullius, factumque extra ordinem queritur in oratione pro domo. Sed, ut redeam ad Ciliciam, cogitanti mihi, cur prætoria nunc fiat, quæ conſularis antea fuerat, adminiſtrata per annos aliquot a tribus conſularibus, Lentulo, Appio, Cicerone, viſum eſt hoc a Pompeianis aſtuto conſilio factum, ut conſularium provinciarum numerus, una exempta, fieret anguſtior, eoque certior ſpes eſſet adimendi Gallias Cæſari: cum duas tantum conſulares provincias lege Sempronia decerni per ſenatum oporteret. quod orationes pro domo, & de provinciis, & Cæſar lib. 1. de bel. civ. docet: Conſulares autem, id eſt, a conſularibus hoc anno adminiſtratæ, quattuor eſſent, Hiſpaniæ, Cilicia, Galliæ, Syria: (nam Macedonia, a quo tempore L. Piſoni conſulari Q. Ancharius prætorius ſucceſſit, prætoria fuit) nec in Hiſpanias mitti quiſquam poſſet, cum eas lege Trebonia conſul iterum Pompeius in quinquennium, poſteaque tertium conſul, altera lege in alterum quinquennium, ut ait Dio, vel, ut Plutarchus, in quadriennium accepiſſet. reliquæ tres erant: e quibus duas tantum decerni oportuit lege Sempronia. inventa ratio eſt, ut ex tribus una tolleretur: prætoriamque ſenatus Ciliciam facere conatus eſt. Sed tribuni pl. Pompeianorum arte cognita, interceſſerunt. Poſt alterum tamen annum, Lentulo, & Marcello coſſ. hoc arbitror ſenatuſconſultum, ſpreta tribunorum pl. interceſſione, renovatum, Ciliciamque prætoriam eſſe factam, cum apud Cæſarem lib. 1. de bel. civ. mentionem fieri videam de provinciis duabus conſularibus, Gallia, & Syria, in ſortem conjectis, quarum Gallia L. Domitio, Syria Scipioni obvenit. quanquam in eo loco de una tantum Gallia ulteriore intelligendum: nam citeriorem ſenatus prætoriam fecit. id ex ep. 11. ad Tironem lib. 16. cognovi, ſcribente Cicerone, ulteriorem Domitio Galliam, Conſidio autem, quem ſcimus conſulem non fuiſſe, citeriorem obtigiſſe.

Lib. 9. ep. 21.

Erant regum ætate ſenatores omnes, ſive majorum, ſive minorum gentium, patricii: &, qui allegebatur in ſenatum, ſtatim patricius erat.

Ibidem:

Patres dicti centum illi, ex quibus ſenatum Romulus conſtituit: qui ingenui fuere. nam reliquos, qui ab initio urbis Romæ cum Romulo fuere, patrem, & avum liberos ciere non potuiſſe, Livii verba lib. 10. ſignificant. quod Cincius quoque ſenſiſſe videtur in libro de Comitiis, qui non extat, ſed ejus hæc apud Feſtum mentio eſt: *Patricios, Cincius ait in libro de Comitiis, eos appellari ſolitos, qui nunc ingenui vocentur.* Et, quia per annos multos patriciis tantum gentibus curia patuit, propterea *patres* appellat hic Cicero, cum de patriciis loquatur: licet ejus ætate, atque adeo multis ante ſeculis, plebeiis etiam familiis ſenatoria dignitas impertiretur, & ideo patres plebeiis quoque familiis orti dicerentur. reſpexit igitur ad priſca tempora, cum aditus in curiam ſolis patriciis daretur. Suetonius quoque in Julio, *Clodium*, inquit, *a patribus ad plebem tranſire conantem, eadem die, horaque nona traduxit*, *a patribus*, dixit, pro, a patriciis.

Lib. 10. ep. 28.

Antonii fœdiſſimus diſceſſus explanatur Philip. 3. his verbis: *Cum de rep. relaturus fuiſſet, allato nuncio de legione quarta, mente concidit, & fugere feſtinans, S. C. de ſupplicatione per diſceſſionem fecit, cum id factum eſſet antea nunquam. Quæ vero profectio poſtea? quod iter paludati? quæ vitatio oculorum, lucis, urbis, fori? quam miſera fuga, quam fœda, quam turpis?* Et Philip 5. *Neque ſacrificiis ſolemnibus factis, neque votis nuncupatis, non profectus eſt, ſed profugit paludatus.* Item Phil. 13.

Ibidem:

Senatum vocare poterant dictator, conſules, prætor, tribuni pl. interrex, præfectus urbi. Varro apud Gellium.

Lib. 11. ep. 1.

Legationes liberæ privatarum rerum caussa senatoribus dabantur: tum quod iis, non permittente senatu, abesse non licebat: tum etiam, ut essent honoratiores apud exteras nationes, addito legationis nomine. ep. 18. ad Att. lib. 2. & ep. 11. lib. 15. ad eundem, & in orationibus in Rullum, pro Flacco.

Lib. 13. ep. 5.

Nemo senator esse poterat, nisi CCCIↃ. millia possideret. Suetonius in Augusto.

EX COMM. IN EP. CIC.

AD ATT. LIB. I. EP. I.

SENATORI ab urbe diutius abesse, nisi jure liberæ legationis impetrato, non licebat.

Lib. 1. ep. 17.

Senatores, qui curules magistratus gessissent, curru in curiam honoris gratia vehebantur: ceteri pedibus itabant: unde *Pedariorum* nomen. Gellius libro tertio, cap. 18.

Ibidem:

In S. C. adscribebantur eorum nomina, qui, dum scriberentur, affuissent, eæque dicebantur *Senatusconsulti auctoritates*, in ep. famil. ep. 7. lib. 8. & in procemio lib. 3. de Oratore.

Lib. 2. ep. 24.

In senatum ire cum telo lex vetabat. Itaque P. Cornificius in senatu, ut invidiam Miloni faceret, ferrum dixerat eum habere intra tunicam ad femur alligatum. Pedianus.

Lib. 4. ep. 2.

Iis, qui senatores non erant, ingredi senatum non licebat. & pontificum collegium apparet non fuisse totum ordinis senatorii: cum pontificiam dignitatem, etiam qui senator non esset, consequi posset: ut in oratione de harusp. resp.

Lib. 4. ep. 12.

Cum senatus vocabatur, senatores, qui erant in urbe, adesse jubebantur in senatu: qui non erant, juberi non poterant: senatoribus autem, qui in urbe erant, in senatum non venientibus pignora auferebantur. oratione 1. in Antonium.

Lib. 5. ep. 2.

Senatus auctoritas quid sit, paucis aperiendum est. Cum aliquid senatorum major pars decreverat, S. C. scribebatur, nisi tribunus pl. aliquis intercederet. intercedente, S. C. non erat, sed scribebatur tamen, quod senatus eo die statuisset. eaque *perscripta auctoritas* dicebatur.

Lib. 12. ep. 5.

Mos erat, ut senatus Kalendis haberetur. quod indicat locus ille ep. 26. *Circiter Kalendas affuturus videtur. vellem, tardius.* & illud ep. 46. lib. 13. *Rogat magnopere, ut sim Kalendis, in senatu.* Item ep. 6. lib. 16. *Maxime dolebat me Kalendis Sextilibus in senatu non fuisse.* & ep. 22. lib. 14. alibique non apud ipsum modo, sed & apud alios.

Lib. 12. ep. 39.

Post 16. Kalend. Februarii, senatores plerique Roma discedebant: quod senatus reliquis Januarii diebus per legem Pupiam haberi non poterat, ac ne Februario quidem toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus. Ad Appium lib. 3. Famil. *In ipsum discessum senatus incidisse credo meas litteras.*

Lib. 14. ep. 9.

S. C. fuerat, ut, quæ Cæsar egisset, rata manerent, ipso maxime suadente Cicerone. quod & Dio libro 44. & ipse in epist. ad Cassium his verbis: *Ulta resp. suas injurias est per vos interitu tyranni, nihil amplius: ornamenta vero sua quæ recuperavit? an, quod ei mortuo paret, quem vivum ferre non poterat? cujus æra refigere debebamus, ejus etiam chirographa defendimus? at enim ita decrevimus. fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ valent in rep. plurimum: sed immoderate quidam, & ingrate nostra facilitate abutuntur.*

EX COMM. IN. ORAT. CIC.

IN Orat. pro P. Quinctio:

Senatores cum binis lictoribus liberas legationes obibant.

Ibidem:

Senatorius census erat DCCC. millia.

Ibidem:

Senatorum filii senatores non erant, nisi a censoribus lecti essent in senatum. ibidem.

Ibidem:

Senatorum tunica lato clavo purpureo erat intexta.

Pro Sex. Roscio Amerino:

Senatoria ætas 30. annorum fuit.

A Ibidem:

Senatores soli, cum Cicero Sex. Roscium defendit, judicabant, lege Sullæ.

Ibidem:

Senator esse non poterat, qui abavum suum civem Romanum nominare non posset.

Ibidem:

Senatorium ordinem tribui solitum a veteribus ostendit Suetonius, non civium R. pronepotibus, verum abnepotibus.

Lib. 1. act. 2. in C. Verrem.

Senatorio censu amisso, nemo eum ordinem retinere poterat, ut nec eques Romanus esse quisquam sine equestri censu.

Lib. 2. act. 2. in eundem:

B Senatori licebat, quamdiu vellet, dicere. Lib. 3. de Legib. *Nec est unquam longa oratione utendum, nisi aut exspectante senatu, quod fit ambitione sæpissime, cum, nullo magistratu adjuvante, tolli diem utile est, aut, &c.*

Ibidem:

Docet hic locus, quo ætatis anno Romæ senatores legi possent. cum enim Halesini de senatu cooptando leges ab senatu Romano petiverint, non est dubitandum, quin eæ leges imaginem quandam Romani senatus expresserint. itaque cum Pompeio, in Africam contra Domitium proscriptum, & Hiarbam regem proficiscenti, consulare imperium cum exercitu, adhuc equiti Romano, datum esset, dicente L. Philippo in senatu contra nescio quem, objicientem, non oportere mitti hominem privatum pro consule, non se illum sua sententia pro consule, sed pro consulibus mittere, laudavit eum Cicero his verbis in suasione Maniliæ legis: *Quid*
C *tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium, atque exercitum dari?*

Lib. 2. act. 2. in eundem:

Proprie splendor equitibus, dignitas senatoribus tribuitur.

Lib. 4. act. 2.

Negotiari licebat equitibus Romanis, senatoribus per leges non licebat. unde in Parad. *Propter aviditatem pecuniæ nullum quæstum turpem putas: cum isti ordini ne honestus quidem esse possit ullus.*

Ibidem:

Senatoria tunica a latis purpureis clavis *latus clavus* dicebatur.

Lib. 5. act. 2.

D Senatori nec habere, nec mercari quidquam trans mare licuit.

Ibidem:

Senatus sociorum querelas audit, crimina vero judicibus committit.

Pro lege Manilia:

Senatoribus negotiari non licebat.

Pro A. Cluentio Habito:

Toga prætexta, sella curulis, fasces magistratuum, non senatorum, insignia sunt: insignia vero senatorum omnium fuere latus clavus, calcei lunati.

Ibidem:

Senatores dicuntur, quos censor in senatum legit.

1. in Catilinam:

Senatus in Capitolio, in templo Jovis Statoris habebatur: de quo sic infra: *Magna diis immortalibus habenda gra-*
E *tia est, atque huic ipsi Jovi Statori, antiquissimo custodi hujus urbis:*

Pro domo sua:

In Capitolio senatus habebatur.

Pro P. Sextio:

Senatum diversis nominibus appellat, *publicum consilium, summum ordinem, amplissimum ordinem, principem ordinem.*

Ibidem:

A senatu, non a populo, reges appellabantur. primum igitur in eo peccat Clodius, quod reges per populum, non per senatum appellat: deinde quod eos appellat, qui id nunquam, non modo a populo, sed ne a senatu quidem postularint.

Ibidem:

F Pecunia, & legationes S. C. dabantur, provincia verprimum S. C. deinde lege Curiata: nisi si quis, cum per ferri legem Curiatam non liceret, eo imperio, quod senatus lege Cornelia dabat, contentus, suo sumptu in provinciam vellet ire. quod paucissimi fecerunt.

Ibidem:

Senatus auctoritas dicitur ea, quæ, ne senatusconsultum esset tribunorum pl. intercessione factum erat. de quo diximus in libro de Senatu. hic *senatus auctoritas* est summa voluntas: cum senatusconsultum de Ciceronis reditu factum cunctus senatus magnopere vellet.

Ibidem:

Non omnium ordinum hominibus in senatum aditus est, sed iis tantum, qui neque libertini sint, & CCCIↃ. millia

A poſſideant. municipibus autem; & ruſticis, & negotia gerentibus, de quibus proxime loquitur, patere curiam non dicit: quia municipales in municipiis vivunt, ſuiſque legibus utuntur. ruſtici ſenatorium cenſum non habent. negotia gerentes, quia quæſtum aperte curant, non valde honorati.

Ibidem:

Non a populo, ſed a cenſoribus, ſenatores lecti ſunt. a populo autem deligebantur conſule nominante.

Pro M. Cœlio:

Multi ſenatores ex municipiis erant.

Pro C. Rabirio Poſtumo:

Ordo ſenatorius ſummus erat civitatis.

Pro Deiotaro:

S. C. numquam, niſi extremis reip. temporibus, decerni ſolebat. de quo queritur Cæſar lib. 1. bell. civ. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum atque ultimum S. C. quo niſi pæne in ipſo urbis incendio, atque deſperatione omnium ſalutis, latronum audacia, nunquam ante deſcenſum eſt. Dent operam conſules, prætores, tribuni pl. quique proconſules ſunt ad urbem, ne quid reſp. detrimenti capiat.* Idem in ep. ad Tironem: *Poſteaquam ſenatus conſulibus, prætoribus, tribunis pl. & nobis, qui proconſules ſumus, negotium dederat, ut curaremus, ne quid reſp. detrimenti caperet: nunquam majore in periculo civitas fuit: nunquam improbi cives habuerunt paratiorem ducem.*

Philippica 1.

Sollennes, & legitimi ſenatus habendi dies fuere, Kal. nonæ, idus. quod quidem in antiquorum ſcriptis obſervaverim, ſed, interfecto idibus Mart. Cæſare, ſenatum eo die in poſterum haberi non licuit. Suetonius & Dio.

Ibidem:

Senatoribus, qui in ſenatum vocati non veniſſent, pignora auferri ſolebant. infra: *Quid eſt ultra pignus, aut multam?*

Philip. 3.

S. C. ſi veſpertina, non præclara, ſed turpia, & irrita. non enim poſt horam decimam referri ulla de re licuit. auctor Seneca lib. 1. de tranquillitate vitæ, c. 14. Et S. C. vel ante ortum ſolis, vel poſt occaſum facta, irrita fuiſſe, docet.

Ibidem:

Patebant valvæ templi, in quo ſenatus habebatur.

Philipp. 5.

Numquam ſenatus hoc, *Ne quid reſp. detrimenti accipiat*, niſi difficillimis reip. temporibus decernere ſolitus eſt: & cum decernebat, ſummum imperium conſulibus dabat. neque decretum hoc unquam video, quin ſtatim ad arma, ut in præſenti reip. diſcrimine, ventum ſit. Decretum Opimio conſule: quamprimum C. Gracchus tribunus pl. eſt interfectus. Decretum Cicerone conſule: comprehenſi illico, & in carcere necati, qui contra patriam cum Catilina conjuraverant. qua re exponenda vim ejus S. C. Salluſtius oſtendit his verbis: *Cicero rem ad ſenatum refert. itaque, quod plerunque in atroci negotio ſolet, ſenatus decrevit, ut darent operam conſules, ne quid reſp. detrimenti caperet. Ea poteſtas per ſenatum more Romano magiſtratui maxima permittitur, exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque cives, domi militiæque imperium, atque judicium ſummum habere. aliter ſine populi juſſu nulli earum rerum conſuli jus eſt.* Decretum idem eſt L. Lentulo, C. Marcello coſs. anno primo belli civilis Pompeiani, quod queritur Cæſar lib. 1. bel. civ. *Decurritur*, inquit, *ad illud extremum, atque ultimum S. C. quo niſi pæne in ipſo urbis incendio, atque deſperatione omnium ſalutis, latronum audacia, nunquam antea deſcenſum eſt, Dent operam conſules, prætores, tribuni pl. quique procoſs. ſunt ad urbem, ne quid reſp. detrimenti capiat.*

PRIMI ſententias in ſenatu a conſule rogabantur conſules deſignati, ſi modo poſt conſularia comitia ſenatus haberetur: ſin ante, rogabat conſul arbitratu ſuo, non quem vellet ex omni ſenatorum frequentia, ſed quem vellet e numero conſularium. & antiquæ conſuetudini dabatur, ut, quem ordinem interrogandi ſententias conſul Kalendis Januariis inſtituiſſet, eum toto anno conſervaret. quo ordine, Cæſar, neglecto, primum Pompeium poſt affinitatem conſul rogare ſententiam cœpit, cum antea Craſſum ſolitus eſſet. Quoniam autem, cum deſignati conſules fuiſſent, ii ſententiam primi rogabantur, venit in mentem, quæri poſſe, uter ex ipſis deſignatis prior rogaretur. neç difficile eſt quærenti reſpondere. nam me quoque olim ex ipſa re in eandem dubitationem adductum, & aliquandiu hærentem, obſervatio vetuſti moris expedivit. Sciendum igitur, ſive patricius & plebeius, ſive duo plebeii deſignati conſules eſſent, qui priore loco declaratus eſſet conſul, eum in magiſtratu priorem quoque ſententiam rogaſſe. ideoque rogavit in re Catilinaria non C. Antonius, ſed M. Cicero, quia conſul priore loco declaratus: nam genere pares erant, uterque plebeius. & lib. 1. ep. ad Att. rogat ſententiam M. Pupius Piſo, conſul, ex familia plebeia; M. Valerius Meſſalla, etſi patricius, tamen non rogat. plebeius igitur anteponitur patricio. cur? quia priore loco declaratus conſul. Uter in magiſtratu prior rogaret, oſtendi! ex quo conjicitur & uter rogaretur, cum deſignati eſſent. Ex noſtro commentario in ep. ad Att.

Legitimi habendo ſenatui dies erant, Kalendæ, nonæ, idus: reliquis diebus, modo comitiales non eſſent, haberi quidem ſenatus poterat, ſed certus neque lege, neque more ſtatutus erat dies. poſitum id erat in voluntate magiſtratuum. Ex noſtro commentario ad Q. Fr.

Animadverſione dignum eſt, quod legendo obſervavimus, qui ex equeſtri ordine, ſenatoriæ dignitatis ad gradum aſcendiſſent, eos inter ſenatores quidem eſſe cenſos, ut, ſi quid ordine ſenatorio minus dignum admiſiſſent, ſenatu moverentur; verum eoſdem, cum deinde equitum centuriæ recognoſcerentur, inter equites, quandoquidem ipſi quoque equum publicum haberent, citatos eſſe, ut ſi flagitium ullum, quod in equite Rom. dedecet, feciſſent, equum publicum amitterent. patet hoc apud Livium duorum cenſorum exemplo, Neronis, & Salinatoris, quorum alter alteri, cum cenſus equitum ageretur, equum ademit: quos tamen ante, cum ſenatorum cenſus ageretur, in recitandis ſenatorum nominibus eſſe lectos, dubitari non poteſt. Atque ego hujus generis cives, minime crediderim, ſua manu, ut cæteros equeſtris ordinis, equum per forum traduxiſſe. proprius enim eorum cenſus non in equeſtri, ſed in ſenatorio erat ordine, nec equeſtris ordinis, ſed ſenatorii dicebantur: nec ideo, quod equeſtris eſſent ordinis, quem adepti ſenatorium amiſerant, ſed quia equum publicum haberent, inter equites citabantur. qui vero in ſenatum, etſi nondum a cenſoribus lecti, jure tamen magiſtratus, quem ante geſſiſſent, aditum haberent, eos video, ſi equites eſſent, equum publicum inter cæteros equeſtris ordinis cives ante cenſores per forum traduxiſſe, nec inter ſenatores, cum tamen irent in ſenatum, eſſe lectos: quod de Pompeio, qui poſtea cognomentum Magni eſt adeptus, a Plutarcho traditum obſervavimus. is enim eques adhuc nondum in ſenatum lectus, conſul ob virtutem ac ſingularia in remp. merita ante legitimam ætatem creatus (ſolvebantur enim legibus boni viri) equum publicum ipſe ad cenſores adduxit. præclarumque fuit populo Rom. ſpectaculum, conſulem ſua manu equum publicum ducentem intuenti. Atque hæc, quæ diximus de civibus Romanis & ex equeſtri ordine & ex plebe in ſenatum lectis, ita tradimus, ut ad reipub. tempora ſpectemus. nam regum ætate ſolis patriciis curia patuit: cum tamen, quod Dionyſius Halicarnaſſeus docet, non omnes patricii ſenatores eſſent, ſed alii ſenatores equites, alii de plebe; ut vere diceres, ſenator eſt, ergo patricius: non contra, patricius eſt, ergo ſenator. &, quamquam ex familiis tum patriciis, tum plebeiis ſenatus conſtaret, veteres tamen ita locutos animadverti, ut de univerſo plane ſenatu nobilitatis nomen uſurparent: quia ſcilicet ſummus ordo ſenatus eſſet, eumque adepti præter cæteros nobiles eſſe viderentur: quandoquidem ob virtutem, quæ nos ſola nobiles, ſola patricios, ſola reges vere facit, dignitas illa mandaretur. Ex noſtris obſervationibus.

Ex Plutarcho in Pompeio.

LIBERTINOS homines e ſenatu Fabius Rullus amovit, qui ex eo Maximi cognomen accepit.

Ex Velleio. lib. 1.

Vide *colonias juſſu ſenatus* ductas. & ibidem *de militaribus coloniis.*

Ex eodem, lib. 2.

C. Marius VI. conſul, Glauciam, & Saturninum in Hoſtilia curia morte mulctavit.

Ex Valerio Maximo, lib. 2.

Aditus in curiam iis dabatur, quos in ordinem ſenatorum cenſores elegiſſent. reliqui, etiamſi honores geſſiſſent, excludebantur.

Ex Eodem, eodem lib.

Ante ſenatus e ſenaculo citatus in curiam veniebat, non edicto juſſus, ut poſtea ſervatum eſt. Senaculus autem locus fuit, quo primo ſenatus haberi ſolitus eſt.

Ex Salluſtio, in Catilin.

Maximam poteſtatem ſenatus ſine populo magiſtratui permittit, cum ita decernit, Dent operam conſules, ne quid reſp. detrimenti capiat: quo S. C. licebat iis exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis ſocios atque cives. aliter ſine populi juſſu earum rerum jus conſuli nullum eſt.

Ex eodem:

D. Junius Silanus primus ſententiam rogatus, quod conſul deſignatus erat.

Ex Appiano Alexandrino, lib. 2.

Senatum habituris mos erat, antequam ingrederentur, ſacra facere.

Ex Polybio, lib. 6.

Senatus ærarii dominus eſt, atque adminiſtrator. nam & reditus omnes in ejus poteſtate ſunt, & ejuſdem arbitratu impenſæ fiunt. Quæſtores enim ſine ſenatus auctoritate, præter ea quæ conſules juſſerint, ne minimum quidem, cum opus fuerit,

rit, in rem ullam sumptum facere possunt. gravissimæ autem illi, ac maximæ impensæ, quam censores in quinquennales lustri apparatus faciunt, senatus præest: ab eoque auctoritas illa, & facultas his permittitur. jam vero de maleficiis per Italiam commissis, de quibus judicium publice fieri debet, de legationibus mittendis, fœdere faciendo, rebus repetendis, bello indicendo, senatus cognitio est: atque hæc minime sunt ei cum populo communia.

Ex Eodem, ibidem.

Sine S. C. neque frumentum, neque vestimenta, nec obsonia legionibus administrari possunt.

Ex Eodem, ibidem.

Postquam iis, qui provincias obtinent, annuum tempus præterierit, senatus potestatem habet aut successores mittendi, aut imperium prorogandi, atque etiam triumphos neque ducere, neque, uti decet, apparare cuiquam licet, nisi senatus assensus fuerit, & in sumptum, quod opus sit, erogaverit.

Ex Eodem, ibidem.

Si quis ex provincia decedere velit, populi assensu opus est. nam, ut jam dictum est, quidquid decidendum, componendumve est, id per populum ratum, irritumve fieri debet; & omnes, qui cum imperio fuerint, cum id deponunt, populo rerum gestarum rationem reddere oportet. in maximis autem quæstionibus eorum maleficiorum, quæ contra remp. commissa capite plectuntur, nihil senatus exsequi potest, nisi prius ejus auctoritatem populus approbaverit.

Ex Eodem, ibidem.

Si quis ex tribunis pl. intercesserit, nedum senatus nihil eorum, quæ decrevit, perficere, sed ne sedere quidem, aut omnino in curiam venire potest.

Ex Eodem, ibidem.

Senatus vectigalibus præest, idemque potestatem habet diem publicanis proferendi, si quam calamitatem acceperint, eos relevandi, aut etiam locationem inducendi.

Digest. lib. 1. tit. 2. de orig. juris.
Pomponius lib. 1. singulari Enchiridii.

Eodem pæne tempore tria hæc jura nata sunt, leges 12. tabularum. ex his fluere cœpit jus civile. ex iisdem legis actiones compositæ sunt. omnium tamen harum, & interpretandi scientia, & actiones apud collegium Pontificum erat: (Cicero 1. de Orat. & 2. de Leg.) *ex quibus constituebatur, quis quoque anno præesset privatis. & fere populus annis prope 100. hac consuetudine usus est. Postea, cum App. Claudius proposuisset, & ad formam redegisset has actiones, Cn. Flavius, scriba ejus, libertini filius, subreptum librum populo tradidit: & adeo gratum fuit id munus populo, ut tribunus plebis fieret, & senator, & ædilis curulis. Hic liber, qui actiones continet, appellatur Jus civile Flavianum, sicut ille, Jus civile Papyrianum. nam nec Cn. Flavius* (Valer. lib. 2. cap. 1. Gellius lib. 6. cap. 9. Cic. pro Mur. Plinius libr. 33. cap. 1.) *de suo quidquam adjecit libro. Deinde, cum esset in civitate lex 12. tabularum, & jus civile, essent & legis actiones, evenit, ut plebs in discordiam cum patribus perveniret, & secederet, sibique jura constitueret; quæ jura Plebiscita vocantur. mox, cum revocata est plebs, quia multæ discordiæ nascebantur de his plebiscitis, pro legibus placuit & ea observari, lege Hortensia:* (Gell. lib. 15. cap. 27.) *& ita factum est, ut inter plebiscita & legem, species constituendi interesset, potestas autem eadem esset:*

Digest. Lib. 1. tit. 9. de senatorib. Marcellus. lib. 3. Dig.

Cassius Longinus non putat ei permittendum, qui propter turpitudinem senatu motus, nec restitutus est, judicare, vel testimonium dicere: quia lex Julia repetundarum hoc fieri vetat.

Ibidem. Modestinus lib. 6. Regularum:

Senatorem, remotum senatu, capite non minui, sed Romæ morari, D. Severus & Antoninus permiserunt.

Ibidem. Ulpianus lib. 2. de censibus:

Senatores accipiendum est eos, qui a patriciis, & consulibus usque ad omnes illustres viros descendunt: quia & hi soli in senatu sententiam dicere possunt.

Digest. lib. 23. tit. 2. de ritu nuptiarum.
Celsus lib. 30. Digestorum:

Lege Papia cavetur, omnibus ingenuis, præter senatores, eorumque liberos, libertinam uxorem habere licere.

Ibidem. Ulpianus lib. 3. ad l. Juliam & Papiam:

Si quis in senatorio ordine agens, libertinam habuerit uxorem, quamvis interim uxor non sit, attamen in ea conditione est, ut, si amiserit dignitatem, uxor esse incipiat.

Ibidem. Paulus lib. 1. ad l. Juliam & Papiam:

Lege Julia ita cavetur: Qui senator est, quive filius, neposve ex filio, proneposve ex filio nato, cujus eorum est, erit ne quis eorum sponsam, uxoremve sciens dolo malo habeto libertinam, aut eam, quæ ipsa, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit, neve senatoris filia, neptisve ex filio, proneptisve ex filio nato, nata, libertino, eive, qui ip-

A

se, cujusve pater, materve artem ludicram facit, fecerit, sponsa, nuptave sciens dolo malo esto, neve quis eorum dolo malo sciens sponsam uxoremve eam habeto.

Digest. lib. 48. tit. 7. ad l. Jul. de vi privata:
Martianus lib. 14. Institutionum:

De vi privata damnati pars tertia bonorum ex lege Julia publicatur: & cautum est, ne senator sit, aut decurio, aut ullum honorem capiat, neve in eum ordinem sedeat, neve judex sit, &c.

Digest. lib. 50. Scævola:

Senatores navem habere, ex lege Julia non licet.

Ex Dione lib. 43.

Cæsar adscripsit complures in senatum, nullo in discrimine ponens, sive quis miles esset, sive libertinus, adeo ut summa senatorum CCIↃ *fuerit.*

Lib. 48.

B

In senatum etiam adscripti permulti non modo e sociis, militibusve, & libertinis, sed servi etiam.

Eodem libro:

Edicto cautum est, ne quis senator dimicaret ludis gladiatoriis, neve quis servus lictor esset, ac ne mortui intra duo millia passuum ab urbe cremarentur.

Lib. 52.

Omnes senatores ex æquo de plerisque rebus sententiam ferre: sed, ubi quis senator reus agitur, non omnes, nisi reus, aut senator nondum sit factus, aut quæstorius adhuc sit. Est enim a ratione alienum, eum, qui nondum tribunus plebis, aut ædilis, de eo, qui hos magistratus obierit, suffragium dicere, aut hos de prætoriis, vel rursum hos de consularibus.

Eodem libro:

C

Edixit Augustus, ne quis senator injussu suo, permissuque extra Italiam abiret, idque etiam hodie observatur, cum nulli senatori, alio, quam in Siciliam, Galliamque Narbonensem, liceat peregre proficisci: eo autem propter propinquitatem, ac quia pacatæ sunt regiones, armisque vacant, etiam sine venia impetrata licet quoties velint senatoribus proficisci, iis, qui aliquam ibi locorum habent possessionem.

Lib. 54.

Senatorum delectum instituit, quorum ut magnus ei esse numerus videbatur, ita plerique nullius erant ejus existimatione pretii; quippe qui non malitiosis modo, sed adulatoribus etiam apertis infensus esset. Et, quoniam neque ultro quisquam (quod antea factum fuerat) dignitate senatoria cedebat: neque ipse solus omnem culpam, si qui ea essent dejecti,

D

sustinere volebat, triginta viros optimos (hos enim se delecturum jurejurando affirmarat) ex omnibus elegit. eos juramento eodem adactos jussit in tabellas quinque virorum nomina conscribere, ita tamen, ut ne ii cognatos suos inter hos referrent: deinde ex hoc quinario unum sorte delegit, qui senator esset. post alios quinque eadem ratione iterumque alios conscribi, ac deligi curavit, donec numerus triginta senatorum hoc modo conficeretur: qui vero peregre aberant, in eorum locum alii sorte suffecti sunt. Hoc primum aliquot ita diebus actum est. Post, cum mala fide quædam acta essent, non amplius quæstoribus tabulas credidit, neque sorti quinarias istas classes commisit: sed ipse reliquos, qui ad explendam senatorum summam deessent, elegit, donec numerus sexcentorum senatorum compleretur statuerat quidem trecentos tantum secundum antiquam consuetudinem constituere, abunde

E

contentum esse debere se censens, si tot dignos senatoria majestate reperisset: sed omnibus hoc ægre ferentibus (futurum enim erat hac ratione, uti plures senatu moverentur, quam in eo remanerent, majorque iccirco apud unumquemque metus amittendæ dignitatis, quam spes ejus retinendæ erat) DC. senatores collegit.

Eodem libro:

Absente adhuc ab urbe Augusto, senatusconsultum fuerat factum, ut 20. viri (magistratus hoc nomen est) ex equitibus constituerentur, quorum deinde nullus in senatum est allectus, nisi quem etiam alium magistratum, cujus ratione senator posset fieri, gessisset. Porro hi viginti viri in locum viginti & sex virorum successerunt. eorum tres ad capitalia judicia sunt ordinati, alii tres cudendo numismati præsunt, quatuor vias urbanas curant, decem judiciis, quæ ad centumviros sorte de-

F

feruntur, præficiuntur: duo enim ii, qui vias extra urbem curabant, & quatuor qui in Campaniam mittebantur, tunc abrogati erant.

Eodem libro:

Augustus senatum legit: &, cum videret non semper frequentes convenire senatores, S. C. etiam a paucioribus, quam C. D. senatoribus ut fieri possent, statuit, cum antea hunc numerum, ut rata essent, ea requirerent.

Lib. 55.

Si quando casu fieret, ut non tot, quot opus erat, convenirent, (nam præterquam quod imperatore præsente numerus senatorum, qui adessent, accurate inibatur, idem hoc etiam ferme omnibus aliis, quibus senatus habebatur diebus, fiebat) consilium quidem ii capiebant, &, quod statuissent, id

perscribebatur : non tamen vim Senatusconsulti obtinebat , sed Auctoritas senatus dicebatur , quæ videlicet ostenderet , quæ fuisset sententia eorum , qui consilio interfuerant , senatorum . Idemque hoc etiam tum observatum est , cum aut loco aut tempore alieno , aut nullo legitimo edicto vocati festinato coiissent , aut tribuni aliqui plebis intercessissent . nam hic quoque cum senatusconsultum fieri nequiret , tamen sententiam senatus nolebat esse occultam , quæ deinde more Romano rata foret , ac nomen senatusconsulti acciperet . Idque ab antiquis multo tempore studiosissime retentum , nostro tempore fere exolevit .

Eodem libro .

Prætoribus , cum indigne ferrent , se , cum honore tamen tribunos plebis anteirent , in senatu sententiam dicend. jus non habere , Augustus id juris concessit , quod tamen tempus eis postmodum abstulit .

Lib. 59.

Tunc enim primum senatoribus , ne nudis asseribus insiderent , pulvinaria subdita .

Eodem libro .

Tiberius quibusdam eorum , quos in ordinem equestrem allegerat , usum vestis senatoriæ , antequam magistratum ullum gessissent , quo in senatum aditus paratur , concessit , ut spem senatoriæ dignitatis haberent adipiscendæ . antea id solis patriciis permissum .

Dio scribit, jus secundæ relationis Augusto concessum a senatu . Ex quo patet , non licuisse ei , qui semel ad senatum retulisset , iterum eadem de re eodem die referre . Hinc illud , quod sæpe animadvertimus , concessum imperatori jus tertiæ vel quartæ relationis .

Vide de consule , priore creato , bellum indicente . Ergo & is prior senatum vocabat , ejusque potestatis primus mensis , & fasces erant . Servius ad illud Virg. lib. 7.

—— Reserat stridentia limina consul :
Ipse vocat pugnas .

Regnante Romulo , senatus in Curiam Calabram a rege sacrificulo vocabatur : ut , quoniam adhuc fasti non erant ludorum , & sacrificiorum prænoscerent dies . Servius ad illud libr. 8:

Romuleoque recens horrebat regia culmo .

Ex Macrobio , Saturn. lib. 1. cap. 16.

Mos antea senatoribus fuit , in curiam cum prætextatis filiis introire . qui S. C. sublatus est : concessumque uni Papirio puero , qui matrem , cupide rogantem de re in senatu acta , lepido commento fefellit : eique & Prætextati cognomentum , ejusdem senatus decreto , inditum , ob tacendi , loquendique in prætextata ætate prudentiam .

Ex A. Gellio , lib. 3. cap. 18.

Senatores Pedarii dicebantur , qui , magistratu curuli nondum capto , pedibus itabant in curiam . nam , qui curulem magistratum gesserant , curru solitos honoris gratia in curiam vehi , C. Bassus in Commentariis suis scriptum reliquit : cum in eo curru sella esset , supra quam considerent , quæ ob eam caussam curulis appellabatur . Senatores autem erant , qui a censore in senatum lecti erant : cum senatores multi non essent curulibus magistratibus functi , qui tamen ob eos honores sententiæ dicendæ jus habebant . sententiam tamen hi , scripti in postremis , non rogabantur , sed , quas principes dixerant , in eas discedebant . itaque in edicto , quo senatores in curiam a consulibus vocabantur , hoc erat : Senatores , quibusque in senatu sententiam dicere licet . pedibus autem senatores omnes sententiam ferebant , cum S. C. per discessionem fiebat .

Lib. 4. cap. 10.

Ordo rogandi sententias in senatu varius fuit . alias primus rogabatur , qui a censore princeps in senatum lectus fuerat . alias qui designati consules erant . quidam e consulibus , studio , aut necessitudine aliqua adducti , quem iis visum erat , honoris gratia extra ordinem sententiam primum rogabant . observatum tamen est , cum extra ordinem fieret , ne quis quemquam ex alio , quam ex consulari loco sententiam primum rogaret . Et senatori jus erat , ut , sententiam rogatus , diceret ante , quidquid vellet alius rei , & quoad vellet . quo factum est , ut multi senatores rem , qua de ageretur , perfici nolentes , diem dicendo eximerent .

Lib. 14. cap. 7.

Varro in libro de Quæsitis per epistolam , in epistola ad Oppianum , scribit , qui fuerint , per quos more majorum senatus haberi deberet , eosque nominat dictatorem , consules , prætores , tribunos pleb. interregem , præfectum urbi : neque alii præter hos jus fuisse dixit facere S. C. quotiesque usu venisset , ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent , qui eorum prior aliis esset , ei potissimum senatus consulendi jus fuisse . Addit deinde , extraordinario jure tribunos quoque militares , qui proconsules fuissent , item decemviros , quibus imperium consulare tum esset , item triumviros reip. constituendæ caussa creatos , jus consulendi senatum habuisse . Postea scripsit de intercessionibus , dixitque intercedendi , ne S. C. fieret , jus fuisse iis solis , qui eadem potestate , qua ii , qui S. C. facere vellent , majoreve essent . Tum de locis , in quibus S. C. fieri jure posset , docuit , confirmavitque nisi in loco per augures constituto , quod templum appellatur , S. C. factum esset , justum id non fuisse : propterea & in curia Hostilia , & in Pompeia , & post in Julia , cum profana ea loca fuissent , templa esse per augures constituta , ut in iis S. C. more majorum justa fieri possent . inter quæ id quoque scriptum reliquit , non omnes ædes sacras templa esse , ac ne ædem quidem Vestæ templum esse . Post hæc , deinceps dicit , S. C. ante exortum , aut post occasum solem factum , ratum non fuisse : opus etiam censorium fecisse existimatos , per quos eo tempore S. C. factum esset . Docet deinde inibi multa , quibus diebus haberi senatum jus non sit : immolareque hostiam prius , auspicarique debere , qui senatum habiturus esset . De rebus quoque divinis prius , quam humanis , ad senatum referendum esse . Tum porro referri oportere , aut infinite de republic. ante de singulis rebus finite : S. que C. fieri duobus modis , aut per discessionem , si consentiretur , aut , si res dubia esset , per singulorum sententias exquisitas : singulos autem debere consuli gradatim , incipique a consulari gradu : ex quo gradu semper quidem antea primum rogari solitum , qui princeps in senatum lectus esset . tum autem , cum hæc scriberet , novum morem institutum refert per ambitionem , gratiamque , ut is primus rogaretur , quem rogare vellet , qui haberet senatum , dum is tamen e gradu consulari esset . Præter hæc de pignore quoque capiendo disserit , deque multa dicenda senatori , qui , cum in senatum venire deberet , non adesset . Ateus autem Capito Tuberonem dicere scribit , nullum S. C. fieri posse , non discessione facta , quia in omnibus S. C. etiam in iis , quæ per relationem fierent , discessio esset necessaria . idque ipse Capito verum esse affirmat . quod Varronis sententiæ videtur repugnare .

Ex Epitome Livii , lib. 60.

C. Gracchus tribunus pl. perniciosas aliquas leges tulit , inter quas frumentariam . ut semisse , & triente frumentum plebi daretur : alteram agrariam , quam frater ejus tulerat : tertiam , qua equestrem ordinem cum senatu consentientem corruperat : (trecenti senatores erant , sexcenti equites) ut trecentis senatoribus admiscerentur , id est , ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet : & continuato in alterum annum tribunatu , &c.

Lib. 67.

Marius , triumpho de Jugurtha peracto , triumphali veste in senatum venit : quod nemo ante eum fecerat .

Ire in alia omnia , & *discedere* , & *transire* , pro dissentire , veteres dicebant . De quo Festus sic : *Qui hoc censetis , illuc transite ; qui alia omnia , in hanc partem . His verbis præit , omnis videlicet caussa , ne dicat , Qui non censetis .* Sic locutus Cœlius lib. 8. Fam. *Cum prima M. Marcelli sententia pronunciata esset , qui agendum cum trib. pleb. censebat , frequens senatus in alia omnia iit .* Et libr. 10. *Cum gratia effecisset , ut sua sententia prima pronunciaretur , frequens eum senatus reliquit , & in alia omnia discessit .* Et lib. 1. ad Q. Fr. *Ibatur in eam sententiam .* Hirtius autem libro 8. de bello Gall. *Discessionem faciente Marcello , senatus frequens in alia omnia transit .*

DE VETERUM DIERUM RATIONE.

SI duo dierum in genera distribui Annum oporteat , multifariam recte dividetur , ut sic : Annus constat ex Diebus vel Fastis , vel Nefastis : aut sic , ex Diebus vel Fastis , vel Profestis : aut sic , ex Diebus vel Senatoriis , vel non Senatoriis : aut sic , ex Diebus vel Comitialibus , vel non Comitialibus . harum enim quatuor divisionum , si separatim singulæ considerentur , totum Annum quælibet complectitur . Nos autem , cum de Diebus ea , quæ scitu digna censuimus , quæque ad Romanæ historiæ notitiam valde pertinent , breviter ostendere instituerimus , ex his divisionibus utemur ea , in qua quæ major pars est , (duas enim partes habent singulæ) ea , cum ea parte , quæ in aliis divisionibus item major est , comparata , uberior aliquanto esse cognoscitur . incipiemus igitur a nominatis in prima divisione , Fastis , & Nefastis : quandoquidem Fasti , quæ duarum primæ divisionis partium plenior est , plures in Anno sunt , quam quæcunque pars in tribus reliquis divisionibus latius patet , hoc est , quam vel Profesti , vel non Senatorii , vel non Comitiales . quod si quis opponat , in Kalendario plures notatos esse dies littera C , quam littera F , unde plures significantur Dies Comitiales , quam Fasti : itaque non recte me a Fastis , ut a pleniore parte , exordiri : sciat , non a me Fastos modo vocari , quos notatos littera F videmus , sed omnes plane , quibus *fari* tria verba , *Do* , *Dico* , *Addico* , Prætori licebat : quorum e numero Comitiales erant , & ii , quos in Kalendario hæ litteræ demonstrant , EN. NP. Q. REX. C. Q. ST. DF. P. quibus o-

mnibus cum fari liceret, etiamsi non id semper fieret, qua de caussa notati sunt aliis litteris potius, quam F, ut indicetur, præter *fari*, aliquid etiam fieri licuisse: non absurde mihi facere videor, si ad Fastos, littera F. notatos, qui quidem vere Fasti dici possunt, quod iis aliud prorsus nihil fiebat, quo Prætor a jure dicendo impediretur, eos quoque dies aggrego, quibus, fari semper quidem licebat, non tamen, quod liceret, fieri semper solebat. ut omnino tria essent genera, quibus de singulis agetur suo loco: primum Fasti ii, quibus fari semper & liceret, & soleret, qui notantur littera F, suntque omnes 38. hi & proprie erant Fasti, & toti. proprie, quod per eos, nisi cum aliquis casus extra ordinem interveniret, nunquam Prætor jus non dicebat: toti, quod Fari, horis omnibus liceret. Alterum genus fuit Fasti ii, qui & ipsi proprie Fasti erant, sed non toti, quod iis quidem omnibus fari, non tamen horis omnibus, liceret. erant autem hi, EN. NP. F. P. EN. Q. REX. C. Q. ST. D. quas litteras infra explanabimus. atque hi erant omnes 65. Tertium genus Comitiales fuere, casu Fasti, non proprie, quia, cum Comitia non haberentur, tunc fari solum Prætor solebat. hi modo toti erant Fasti, cum nulla scilicet Comitia haberentur; modo ex parte, cum haberentur illa quidem, sed minime per totum diem. hi 184. erant. Nos igitur Fastos omnes vocamus, quibuscunque fari liceret, sive Fasti proprie, sive non proprie essent. itaque, ab his profecti, paullatim progrediemur dividendo, ut, qui nobis propositus est hujus narrationis finis, eo perveniamus. Omnes Dies aut Fasti sunt, aut Nefasti: & Fasti, partim Festi, partim Profesti. Festos plerosque partim Fastos, partim Nefastos fuisse, ut Quirinalia, Lupercalia, Terminalia, ex Kalendario cognoscitur. quibus enim Festis diebus adscriptum est NP. ii sunt Nefasti simul, & Fasti: Nefasti, priore parte, Fasti, posteriore. Dies Feralia adscriptam habet F, qui festus proprie non fuit, sed gestandæ ad mortuos cœnæ dicatus dies quod quia non hora stata fiebat, sed ut cuique commodum erat, ideo totus dies potuit esse Fastus: propterea, ut opinor, littera F. notabatur. Festis porro diebus, non dubito, quin omnibus haberi Senatum licuerit. cujus rei exempla sunt in Antiquorum libris admodum multa. quanquam sollemne hoc non erat, ut semper diebus festis Senatus haberetur, sed legitimum, ut haberi posset. sollemne autem illud, ac statum, ex more majorum, ut Kalendis, Nonis, Idibus, haberetur. itaque in Kalendario neque Kalendis, neque Nonis, neque Idibus littera C. quæ Comitiales dies significabat, per quos haberi Senatus non poterat, neque diebus omnino ullis Festis adhæret. Profesti dies aut Fasti erant, aut Nefasti, & omnibus profestis nefastis haberi Senatum licebat, profestis autem fastis non plane omnibus. sed iis tantum, qui comitiales non essent. quibus autem profestis haberi Senatus poterat, iis omnino agi cum populo non poterat. contra, quibus profestis haberi Senatum non licebat, iis agi quidem cum populo licebat, nec tamen semper agebatur: cum ea res ex eorum voluntate penderet, penes quos populi cogendi potestas esset. non enim, quod licet, id etiam necesse est. Quod autem dixi, Comitialibus haberi Senatum non licuisse, declarant illa verba, in epistola Ciceronis ad fratrem, quæ tertia est lib. 2. *Consecuti sunt dies Comitiales, per quos Senatus haberi non poterat*. & illa in S. C. quod Cœlius ad Ciceronem misit, Epist. famil. lib. 8. *Utique ejus rei caussa per dies Comitiales Senatum haberent, S. Q. C. facerent*. Quibus verbis, quod extra ordinem a Senatu eo S. C. decretum est, id omnino fieri solitum non esse, dilucide constat. ita Senatus fastis quibusdam haberi poterat, quibusdam non poterat: siquidem comitiales inter Fastos jam retulimus. Nefastis autem haberi omnibus potuisse jam diximus. Sane, qui me torqueat, nodus est, mihi quidem perdifficilis, in epistola ad Atticum lib. 1. in qua, cum dixisset jam, *Nam, cum dies venisset rogationi ex S. C. ferendæ*, paucis post versibus subjunxit, *Senatus vocatur*. quod certe mos majorum minus fere videbatur. nam, si rogationi ferendæ dies est, certe comitialis est: quod si comitialis, haberi Senatum non licet: cujus rei testimonio sunt ea, quæ paullo ante recitavimus, & ex epistola ad fratrem verba Ciceronis, & e S. C. nisi si factum id extra ordinem dicamus, ut Pisonis consulis iniquissimis conatibus obviam iretur: qui cum esset lator rogationis, & ejus rogationis, quam ex S. C. & de religione ferebat, idem tamen erat dissuasor. Comitialium magnus erat numerus: eosque fuisse dies fastos, quod supra dixi, ita existimo, ut mihi videar affirmare posse. non enim inani quadam conjectura, sed certa in primis, ut puto, ratione commoveor. nam in Orationibus Ciceronis, in Pisonem, de Provinciis consularibus, pro Sextio, mentionem video fieri ea de lege, qua P. Clodius tribunus pl. sanxit, ut omnibus diebus fastis agi cum populo liceret. quo fit apertum, fastis quibusdam non id licuisse, quod ut omnibus liceret, lege Clodia sancitum est. quam tamen legem non fuisse observatam, demonstratum est a nobis in libro de Legibus Romanis. Nec vero mirari satis possum, cum fa-

A stos aliquot fuisse comitiales pateat, qui venerit in mentem Macrobio, fastis, dicere, lege agi licuisse, cum populo non licuisse; comitialibus autem utrunque licuisse. quorum alterum vere dictum constat, comitialibus, inquam, & lege agi, & cum populo licuisse: quia scilicet comitiales erant de numero fastorum, itaque & illud omnium fastorum commune habebant, ut lege agi posset, & hoc præterea proprium, ut etiam cum populo posset: Alterum autem de fastis diebus, quibus ait lege agi licuisse, cum populo non licuisse, in prima parte verum esse video; in secunda, qui possit non esse falsum, haud facile reperio. qui enim fastis agi cum populo non licet, cum comitiales omnes fasti sint, & comitialibus agi licuisse cum populo, jam ostenderim? dixisset hoc modo: Fastis omnibus lege agi licet, cum populo non omnibus licet: nihil erat, quod reprehenderes,
B siquidem quod docuimus, quibusdam fastis agi cum populo poterat, quibusdam non poterat: quibus poterat, eos si quis fastos, aut fastos comitiales diceret, non erraret. cum dies fuerit nullus comitialis, quin idem & fastus: sed comitiales potius, quam fasti, ut a reliquis fastis proprio nomine distinguerentur, & comitiales item potius, quam fasti comitiales, brevitatis caussa, vocabantur. Verum, quia libenter, quantum in me est, antiquitatem soleo tueri, Macrobium, a quo multa didici, quasi gratiæ referendæ loco, ita conor excusare: ut, cum fastos nominavit, de iis tantum intellexerit, qui fasti vulgo dicebantur, non etiam de iis, qui, etsi fasti ipsi quoque erant, comitiales tamen appellabantur. spectavit igitur non verbi vim, quæ dies omnes, quibus prætor tria verba fari posset, sive comitiales essent, sive non, complectitur, sed consuetudine loquendi,
C quod fastos nominabant eos, quibus tantum lege agi posset, cum eos, quibus cum populo posset, comitiales præcipuo vocabulo mallent appellare. Quæritur hic fortasse: cum comitiales omnes essent fasti, iisque & cum populo, & lege agi posset; cum populo, quia comitiales; lege, quia fasti: fieret ne simul utrumque. Negatur. nam, etsi licebat utrunque eodem die, non tamen utrunque poterat eodem tempore. cum enim populus in forum convenisset, quid judicibus, aut litigantibus loci relinqueretur? porro, si vacaret locus, qui tamen posset prætor, aut judices, in tanto strepitu, quantus coactæ in unum locum multitudinis solet esse, eorum, qui caussas agerent, orationes attentis auribus, animisque, ut par est, excipere. sedata mente diligenter aliquid considerantibus opus est. itaque absurdum est, credere, potuisse eodem tempore & cum populo agi, & judiciis
D operam dari: sicuti fastis iis, qui comitiales non erant, eodem quidem die, non tamen eodem tempore, & lege actum, & senatum esse habitum invenio, sic, ut lege ageretur primum, deinde senatus haberetur, quod cum ex aliis locis, tum ex 3. & 12. epistola libri 2. ad Quinctum fratrem intelligitur. Ergo, cum omnes comitiales essent fasti, non quia semper lege ageretur, sed quia semper liceret, si modo cum populo non ageretur, (nec enim utrunque simul fieri, jam diximus) ita concludemus: Fastos, littera F in Calendario notatos, jurisdictionem omnes habuisse: Fastis, littera C notatis, & jus dici. & agi cum populo, non eodem tamen tempore, potuisse: ideoque fastos eos quoque fuisse dico, non ex eo quod fieret, sed ex eo, quod liceret. Hæc de fastis: supersunt nefasti. His omnino neque lege agi, neque cum populo licebat. cum enim opponantur fastis, quorum e numero sunt comitiales, eo jure, quod
E omnes fasti, sive comitiales, sive non comitiales, habent, prorsus careant, necesse est. Festus etiam sic: *Die nefasto apud prætorem lege agere, religiosum erat*. Caussas tamen agi, & concionem haberi, & legem promulgari, licebat. nam neque caussas agi, est lege agi: neque concionem haberi, aut, legem promulgari, est cum populo agi. quæ probare singula, magni negotii non est. Agitur lege, cum prætor tria verba fatur, *Do*, *Dico*, *Addico*: qui est ultimus judicii dies: cum vero caussis audiendis prætor operam dat, lege tunc non agitur. quare fastos esse necesse non est omnes dies, quibus aut pro reo, aut contra reum dicitur: sed fastum eum quidem esse, necesse est, quo prætor, aut qui judicio præest, cum consilio judicum sententiam ferre debet. itaque in epistola 3. libri 2. ad Quinctum fratrem, *Ad 3. Idus*, inquit, *dixi pro Bestia, de Ambitu, a-*
F *pud prætorem Cn. Domitium*. Quem tamen diem (est autem 3. Idus Februarii) fastum non fuisse, Kalendarium indicat, notatur jam, ut nefastus, littera N. nec omnino de octo diebus, qui ad Idibus appellantur, mense Februario fastus ullus fuit, ultimo tantum die, hoc est, Idibus ipsis, excepto, qui nefastus priore, fastus posteriore parte fuit: notatur enim sic, NP. Conciones licet ad populum haberentur, non tamen comitiali tantum die, sed & fasto, qui comitialis non esset, & nefasto pariter haberi poterant. nolo enim quenquam in eo falli, quia fortasse, agi ad populum, & agi cum populo, idem esse videatur: quæ diversa sunt. nam agebatur ad populum cum ad populum concionem aliquis habebat, ut Gellius docet lib. 13. cap. 5. Agebatur autem cum populo, ut ait Festus, cum magistratus

ad consilium, aut comitia, vocabat. quod fieri comitiali duntaxat die licebat. Concionari autem omnibus æque diebus licuisse, exempla demonstrant. itaque, quoties aliquod S. C. erat factum, dimisso Senatu, & S. C. ad populum recitato, magistratus aliquis, aut etiam privatus Senator, concione ei a magistratu data, ad populum verba faciebat. nec tamen is erat dies comitialis. nam comitialibus fieri S. C. aut omnino senatum haberi non potuisse, demonstratum est. & Festus hæc aperte distinguit, cum ait: *Forum est, in quo judicia fieri, cum populo agi, conciones haberi solent.* Quo die igitur, *agi cum populo*, eodem, *agi apud populum*, licebat: quo autem, *agi apud populum*, eodem, *agi cum populo*, non semper licebat. Exempla sibi quisque notet in legendo: quod facillimum est: sunt enim infinita itaque puto me facere non inepte, quod iis recitandis, quæ passim exstant, conterendum mihi tempus esse non existimem. Illud addendum unum videtur: Cum advocabatur concio, ut populus aliquid suffragiis, rogante magistratu, sciseret, tunc actum esse cum populo, non ad populum: cum vero magistratus, aut etiam privatus aliquis, magistratu ei concionem dante, ad populum verba faciebat, non ut suffragia deinde ferrentur, sed ut aliquid exponeretur, tunc non cum populo, sed ad populum actum esse. Aliud est igitur, *habere concionem*: aliud, *advocare concionem*. *Habere concionem*, est *agere ad populum*: *advocare concionem*, si advocatur, ut suffragia ferantur, est, *agere cum populo* ideo scripta sunt hæc apud Macrobium lib. 1. Sat. *Julius Cæsar Auspiciorum lib. 16. negat, Nundinis concionem advocari posse, id est, cum populo agi: ideoque Nundinis Romanorum haberi comitia non posse.* Addita enim sunt illa verba, *id est, cum populo agi*, quia non semper, concione advocata, cum populo agebatur, sed interdum ad populum duntaxat. Nundinis autem, cum populo quidem agere, non licuit, ex quo sequebatur, ut comitia haberi non possent ad populum autem agere, hoc est, concionem habere, certe licuit. non enim adversatur illud, quod a Cicerone scriptum est, lib. 4. ad Atticum: *Ante diem 10. Kalen. Nundinæ: Concio biduo nulla.* Quibus verbis, id, quod factum non est, non id, quod non licuit, ostenditur. nam, cum haberi Nundinis comitia non possent, quod non ex Macrobio tantum, verum etiam ex Plinio libro octavo, cap. 3. cognoscitur, propterea ne concionandum quidem P. Clodius, Appius, Metellus putaverant, qui proximis diebus, Comitiorum caussa, conciones habuerant. Superest de lege promulganda: id enim de tribus, quæ proposuimus, erat tertium. Ferendæ Legis, & promulgandæ non eadem ratio fuit. Ferebatur die tantum comitiali, promulgabatur etiam non comitiali, sive fastus, sive nefastus esset. itaque C. Cato Tribunus pl. rogationem de abrogando Lentulo imperio, die non comitiali, promulgavit. cum enim & post 4. Nonas Februarii, & ante 8. Idus ejusdem mensis promulgaverit, quod ex epistola 3. libri 2. ad fratrem colligitur, comitiali die promulgare non potuit, ac ne festo quidem. primi enim duodecim Februarii dies nefasti omnes fuerunt. Haberi autem Senatum per nefastos omnes licebat: nec per omnes tamen, sed tantum, cum res postularet, habebatur, eorum Magistratuum, quibus id juris erat, arbitratu. ita Senatus in hoc præstare populo videbatur: quod agi cum populo per unum modo dierum genus, hoc est, per comitiales, quæ fastorum pars erat: haberi autem Senatum per duo genera, hoc est, & per fastos eos, qui comitiales non essent, & per nefastos omnes, licebat. Erant præterea dies aliquot promiscui, quibus totis lege agi, neque omnino non licebat, sed partim fasti erant, partim nefasti. horum tria erant genera: alii, prima & postrema diei parte nefasti, media fasti, qui dicebantur *intercisi*, & in Kalendario his duabus literis notantur, EN. quod est, *endotercisi*, pro *intercisi*. Veteres enim *endo*, pro *in*, usurpabant itaque dixit Cicero lib. 2. de Legibus. *Quos endo cœlum merita vocaverint.* Et Festus notat, *endoitium*, pro *initium*. Varro autem, lib. III. de re Rust. *Endo suam domum.* Alii priore parte nefasti, posteriore fasti: qui notantur ipsi quoque duabus literis NP. sed conjunctis, hoc modo NP. quod valet, *nefastus primo*. cujusmodi fuisse dies fere omnes festos, inspecto Kalendario, cognoscitur. Nonnulli, priore parte fasti, posteriore nefasti: qui notantur sic, F. P. quod *fastus primo*, significat. quo ex genere videmus in Kalendario Vinalia fuisse. Dies eos, qui priore parte aut fasti erant, aut nefasti de veteribus, quod meminerim, nemo nominat. de fastis autem media diei parte, hoc est, de intercisis, Varro sic lib. V. de lingua Lat. *Intercisi dies sunt, per quos mane & vesperi est nefas: medio tempore inter hostiam cæsam, & exta porrecta fas: a quo, quod fas tum intercedit, Intercisi dies: aut, quod intercisum nefas.* Patet jam, his literis, quæ sunt in Kalendario, F. N. C. F. P. NP. EN. sex dierum genera significari, *Fastos, Nefastos, Comitiales, Fastos primo, Nefastos primo, Intercisos.* Quod si cui veniat in mentem, hac duarum literarum connexione NP. non significari, quod nos diximus, *Nefastus primo.* sed potius, *Nefas Prætorii*: hujus opinionem argumentum primo e conjectura, vel ex ipsa potius, ut ego sentio, ratione ductum, deinde etiam Historiæ veteris infirmat auctoritas. argumentum hoc est. Nemo cui pauciora sufficiunt, pluribus utitur. quid opus erat, ut ii dies, quibus adscriptum videmus NP. nefasti esse indicarentur, duas potius literas, quam unam, apponere? cur NP. inquam, non N? præsertim cum nefasti dies omnes hac una littera, N, notentur: sicuti & fasti, eorum quasi adversarii, una litera, F, demonstrantur. Age, dicat aliquis, leve hoc esse, planeque nugatorium argumentum. quod sane mihi videtur contra. quid Ciceroni respondebitur? mendacii ne, & falsitatis, quasi testem corruptum, aut inscientem, arguemus? non ita, ut opinor, quisquam desipiet. Sunt igitur hæc in Epistola, *Risi*, Ciceronis verba, lib. 11. ad fratrem: *Cognosce nunc Idus. Decimus erat Cœlio dies. Domitius ad numerum judices non habuit.* Quibus verbis, cum Idus Februarii, de quibus Cicero loquitur, fastum ex parte diem fuisse, satis constet: quandoquidem eo die Prætor Domitius, ut de reo cognosceret, sententiamque ferret, in forum descendit: sequitur, ut NP. quod Idibus omnium mensium exceptis Juniis, in Kalendario adscriptum videmus, Nefastus dies omnino significari non possit. Eodem in libro altera est Epistola, quæ sic incipit, *Sextius noster absolutus est ad 11. Idus Mart.* qui dies, si eo die Sextius absolutus est, certe nefastus plane non fuit. fuit autem, cum ei sit adjunctum NP. priore quidem parte nefastus, posteriore autem fastus: sicuti & Idus Februarii, de quibus proxime diximus, & omnes dies, quibus in Kalendario NP. appositum animadvertimus. Aggrediamur nunc (quando & de Dierum ratione, & de literis, eos significantibus, satis multa, atque etiam, ut arbitramur, satis vera dicta) alias, quæ a Kalendario sunt, literas: aut concisas, eoque obscuriones dictiones interpretari: ut, quos Antiquitas capit, eorum commodo pro nostra virili parte consulamus.

KALENDARII ROMANI EXPLANATIO.

F. *Fastus dies.*
C. *Comitialis.*
N. *Nefastus.* NP.

JAN.

NON. *Nonæ.*
AGON. *Agonalia.* Ovidius.
EN. *Endotercisus*: pro, *Intercisus.* Varro, & Macrobius.
CAR. *Carmentalia: quod sacra tum, & feriæ Carmentis.* Varro.
EID. Idus.

FEBR.

LUPER. *Lupercalia: quod in Lupercali Luperci sacra faciunt.* Varro.
QUIR. *Quirinalia*: a *Quirino, quod huic deo feriæ.* Varro. ad Quinct. fr. 2. Ovid. fast. 11.
FERAL. *Feralia, ab inferis, & ferendo, quod ferunt tum epulas ad sepulchrum, quibus jus ibi parentare.* Varro.
TER. *Terminalia: quod is dies anni extremus constitutus. duodecimus enim mensis fuit Februarius.* Varro.
REGIF. *Regifugium.* Ovidius. quamquam est inter Ovidium, & Kalendarium, de die Regifugii controversia. ille enim assignat ei Februarii diem XXIII. in Kalendario autem video ad XXIV. esse appositum. nec sane, si modo Regifugii dies N. fuit, videtur esse potuisse die XXIII. hoc est, Terminalibus: qui NP. dies fuit. alioqui dies idem & NP. & N. fuisset.
EQ. *Equiria.* Varro, Festus, Ovidius.

MART.

LIB. *Liberalia.* Varro.
QUIN. *Quinquatrus.* Varro.
TUBIL. *Tubilustrum: quod eo die in atrio sutorio sacrorum tubæ lustrantur.* Varro lib. 5. Ovidius libr. 3. Fast. & 1. & Festus.
Q. REX. C. F. *Quando Rex Comitiavit, Fas.* Varro, Festus. Scaliger in Festi castigationibus.

In Fastis marmoreis, qui exstant Romæ, invenio bis notatum hunc diem, IX. Kal. April. item IX. Kal. Junii. Nemo, quod sciam, explicavit, quis esset mos hujus diei, qui ritus, quæ antiquitas. Sciendum, Regi sacrorum neque magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas fuisse. propterea in comitium ire illi non licebat, nisi hoc die, qui notatus est in Fastis. Ibat enim in comitium sacrificii caussa, quo properanter patrato protinus fuga se e comitio proripiebat. Plutarchus: Ἐστι γὰρ τις ἐν ἀγορᾷ θυσία τῷ λεγομένῳ κομιτίῳ πάτριος, ἣν θύσας ὁ βασιλεὺς κατὰ τάχος ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. *Fit in foro, in comitio, quod dicitur, sacrificium secundum morem patrium, quod cum fecit Rex celeriter aufugit ex foro.* Varro: *Dies, qui vocatur sic, Quando Rex comitiavit, fas, dictus ab eo, quod eo die Rex sacrificulus dicat ad comitium.* Si a docto viro quæram,

quid sit, *dicere ad comitium*, sane non agnoscet Latinum hoc genus loquendi. & profecto ineptum est. Legendum enim, *Itat ad comitium*. Ita loquitur alibi; *Milites appellant, quod itent, uti milites, cum ferro*. Quare ob id aliter notas, quæ legebantur in Fastis, interpretabantur: Q. R. C. F. *Quando Rex Comitio Fugit*. Quod Ovidius manifesto nos docet:

Quattuor inde notis locus est: quibus ordine lectis,
Vel mos sacrorum, vel fuga Regis inest.

Utrumque enim complexus est: *Quando Rex Comitiavit*, hic enim est mos sacri, quod faciebat in Comitio. & *Quando Rex Comitio Fugit*. Tangit enim fugam Regis e Comitio. Plutarchus: ἄπεισι φεύγων ἐξ ἀγορᾶς. Quid certius hoc testimonio? At Paulus. *Quando rex sacrificulus divinis perfectis in comitium venit*. Immo, quando rebus divinis perfectis abit e comitio. quare ejus commenticiæ caussæ in ruderibus Festi ne vestigium quidem apparet. At, quid ajunt docti viri? Ovidium ignorasse, quid sibi vellent illæ litteræ singulares. quasi fas sit doctissimum poetam ignorare, quod formularios, legulejos, litigantes, ac minimos quosque de fæce Numæ scire oportuit. Nam, de Regifugio ipsum non intellexisse, testis erit ipsemet, qui de eo in mense Februario ante tractaverat.

APR.

CIRC. *Circenses*.
FORD. *Fordicidia*: *a Fordis bubus*. *Bos forda, quæ fert in ventre, quod ea die publice immolantur boves prægnantes in Curiis complures, a Fordis cædendis Fordicidia dicta*. Varro lib. 5. Ovid. lib. 4.
CER. *Cerialia*. Varro.
PAR. *Parilia*, *a pariendo*, ut ait Victorinus Afer. Alii, *Palilia*, *a Pale*: *quod eo die Feriæ ei deæ fiunt*. Varro lib. 5. Ovid. lib. 15. Festus in verbo, *Pales*; &, *Parilibus*. Tibullus, el. 6. lib. 2. Propertius in 4.
VIN. *Vinalia*: *a Vino*. Varro.
ROB. *Robigalia*: dicta ab *Robigo*. *secundum segetes huic deo sacrificatur, ne rubigo occupet segetes*. Varro.
FLOR. *Floralia*. Ovidius, Plinius.

MAJ.

COMP. *Compitalia*.
LEM. *Lemuria*. Varro, Ovidius.
LUD. MART. IN. CIRC. *Ludi Marti in Circo*. Ovidius.

JUN.

MART. CAR. MONET. *Marti, Carnæ Deæ, Monetæ Junoni*. Macrobius, Ovidius.
IN. CAPIT. *In Capitolio*.
VEST. NF. *Vestæ, Nefas Prætori*.
MATR. *Matri Matutæ*. Ovidius.
Q. ST. DE. *Quando Stercus Defertur*. Varro, Festus, Ovidius.

JUL.

POPLIF. *Poplifugium*: pro, *Populifudium*.
APOLLIN. *Apollinares*.
MERK. *Merkatus*.
VICT. CÆSAR. *Victoriæ Cæsaris*.
NEPT. *Neptunalia*.
FURR. *Furinalia*.

AUG.

FER. *Feralia*.
HISP. VIC. *Hispaniam vicit*.
PORT. *Portumnalia*.
VIN. F. P. *Vinalia, Fas Prætori*. Varro, Plinius.
CONS. *Consualia*. Plutarchus.
VOLC. *Volcanalia*. Varro.
OPIC. *Opiconsiva*. Varro.
VOLT. *Volturnalia*. Varro.
H. D. ARA. VICTORIÆ. IN. CURIA. DEDIC. EST. *Hoc die ara Victoriæ in Curia dedicata est*.

SEPT.

FER. NEP. *Feriæ Neptuno*.
F. EQUOR. PROB. *Feriæ Equorum probandorum*. Valerius Max. lib. 11.
LUD. CIR. *Ludi Circenses*. in Augusti die natali. Suetonius, Dio.

OCT.

MEDITR. *Meditrinalia*, a *Meditrina* Dea. Varro.
AUGUST. *Augustalia*.
FONT. *Fontinalia*. Varro.
ARM. *Armilustrum*. Varro.

NOV.

EPUL. INDICT. *Epulum indictum*.
LUD. PLEB. IN. CIRC. *Ludi Plebeii in Circo*. Suetonius.

DEC.

AGON. *Agonalia*.
SAT. *Saturnalia*, Macrobius.
OPAL. *Opalia*, Varro, Macrobius.
DIV. *Divalia*, Divæ *Angeronæ* dies festus. Is dies a Varrone lib. v. de ling. Lat. appellatur *Angeronalia*, *ab Angerona, cui sacrificium fit in curia*. Macrob. Saturn. 1. XII. *Kal. Jan. feriæ sunt, divæ Angeroniæ, cui Pontifices in sacello Volupiæ sacrum faciunt*.
LAR. *Larentinalia*. Varro, Ovidius, Plutarchus.



JOHANNIS SARII ZAMOSCII
DE
SENATU ROMANO
LIBER I.

AD AMPLISSIMUM
REGNI POLONIÆ PROCANCELLARIUM
PETRUM MISCOVIUM
PRÆFATIO.



Uod te minime fugit, PETRE MISCOVI, *rerum etiam maximarum, atque adeo partibus omnibus expletarum, ut nihil descriptius, perfectiusque esse possit, non ita facile excellentia, præstantiaque cognoscitur, nisi temporum momenta, & necessitates declarent. Atque hoc non solum is, qui artes, & opera ad usum nostrum excogitata, quotidianamque vitæ consuetudinem considerare, verum & ille, qui in Imperia ac Respublicas intueri, & summorum virorum atque altissimis mentibus præditorum memoriam animo repetere velit, longe verissimum esse fatebitur. Celebrantur annalibus, & litteris multi sapientissimi, & fortissimi homines, quorum opera, atque consilio florentissimorum populorum nutantibus adversa fortuna rebus subventum, libertasque, & dignitas conservata est. At eorum omnium virtuti, & sapientiæ, nisi formidolosissimæ tempestates se obtulissent, haud profecto ulli essent memoriæ posteritatis commendati. Quæ cum ita sint*, PETRE MISCOVI, *si tempore isto non omnino optabili regni Poloniæ Procancellarius factus es, amplissimi magistratus, in patria domesticis malis laborante, gravissimum onus, ingentem laudis tuæ segetem, ac materiam debes existimare. Mihi quidem cum de munere tanto, summa Regis optimi & sapientissimi voluntate, summoque studio ad te delato, jucundissimum nuncium accepissem, fati ipsius incredibilem in universa regnorum & imperiorum ratione ordinem venit in mentem admirari. Cum enim vitæ tuæ cursum cogito, serius te, non dico honorem hunc adeptum, quem nunquam concupisti, nisi ut patriæ prodesse posses, sed negotio huic difficillimo præpositum reperio, quam præstans tua virtus, prudentia admirabilis, & exquisita doctrina postulabat. Neque vero lumen animi ingeniique tui, cujus splendor exterarum nationum quoque oculos perstrinxerat, apud nos obscurum esse, neque probitas, cujus fama alienioribus ita te commendarat, ut tuæ laudi mirum in modum faverent, non conciliare tibi singularem apud Regem nostrum amorem potuit. Quamobrem ita statuo, ut neminem propter se a Deo optimo maximo, verum ad sublevandum mortale genus instrui, & ornari plurimis & gravissimis artibus atque virtutibus; sic non tam hominum dignitate, aut gratia, quam illius supremi principis, & creatoris regnorum omnium providentia, ad magistratus mandandos Regum mentes allici & impelli. Quo quidem divino nutu, ac consilio, sapientia, & opera tua in tempus magis necessarium reservata est patriæ; non autem honos is, qui tibi semper debebatur, humano judicio, & voluntate dilatus. Etenim molesto, & negotioso isto Reipublicæ perfunctus munere, Ecclesiæ alicujus, te tanto Pontifice dignæ, gubernacula prehendere jampri-*

dem necesse habuisses. Ac in illo fastigio collocatus gregi tibi a Deo commisso æternæ utilitatis fructus præberes innumerabiles; & ex rerum divinarum assidua tractatione, non fluxam, & commutabilem, verum certam, ac constantem caperes voluptatem. Sed nunc in tanta perturbatione veteris disciplinæ patria legum & institutorum custode vigilantissimo, SIGISMUNDUS *vero* AUGUSTUS *Rex ad eas difficultates, & asperitates rerum communium depellendas, quas, qui de imperio nostro sapienter cogitant, animo provident, administro, adjutoreque fidissimo, & in maximis negotiis gerendis, & sustinendis exercitatissimo careret. Ac illa quidem oblectatione salutari brevi, amplissima dignitate collecta, gloriaque divina nomini tuo constituta, in firmo jam, & sempiterno Reip. domicilio perfruere. Tuendæ autem religionis amplior occasio nunc tibi oblata esse videtur. Etenim non solum jura, judicia, dignitatem imperii nostri confirmari, verum etiam labentem, & prope cadentem summi Dei cultum, sublatis in perpetuum exitiosi dissidii caussis, auctoritatis, & doctrinæ tuæ pondere fulciri, & stabiliri hoc tempore oportet. Namque tanta est expectatio magistratus tui, ut nihil tam perturbatum, ac permutatum in Republica homines esse credant, quod nunc componi, & in antiquum statum restitui nequeat; talis de innocentia, & voluntate tua in patriam insita in omnium mentibus opinio, ut nullas solicitudines, nullos labores, juvandæ te illius caussa recusaturum, nulla cupiditate, nullis voluptatum illecebris, nulla commodorum spe animum tuum non modo flecti, sed ne tentari quidem ullo modo posse confidant. Facile enim perspiciunt quid de eo sperare debeant, qui ita semper vixerit, ut omnia consilia, atque facta ad solam honestatem referret; atque ita ab ineunte ætate imbutus sit, & institutus, ut se non sibi, sed patriæ natum, nec ulla in potestate avaritiæ prædam, aut libidinum fructus, sed instrumenta, adjumentoque moris majorum, disciplinæ, ac æquitatis tuendæ, & conservandæ quærenda esse arbitretur. Quare quemadmodum te antea, tanquam ex annalium memoria divinum quendam hominem, universi admirabantur; sic, divulgato nunc de tua dignitate hoc nuncio, cuncti incredibili afficiuntur lætitia; pro tua salute vota suscipiunt; Regis optimi, ac præstantissimi in hominum ingeniis, ac moribus æstimandis judicium laudibus in cœlum ferunt. Quo in omnium eximio gaudio, ne solus Reip. nostræ bonum non videar agnoscere, hos duos de Senatu Rom. libros gratulatores ad te mitto. Neque me latet quem mihi compellandum proposuerim. Verum altera ex parte novi tuam singularem humanitatem, novi præstans erga litteras studium. Itaque daturum te hanc veniam meæ in patriam pietati, tibique debitæ observantiæ; atque etsi fortasse non desideres, tamen te id genus officii, quamvis a tenui & uno de multis homine profectum, minime aspernaturum, non modo mihi facile persuadeo, sed etiam pro re certa statuo, planeque confido. Vale Patavii.* IV. *Kal. Jul. M. D. LXIII.*

CAP. I.

De operis cum obscuritate, tum utilitate ac nobilitate.



QUI ita versantur in litteris, ut non sibi solum, sed aliis quoque velint prodesse, vigilias suas, easque prodere cupiant posteris, ad commendationem virtutis, & nominis sui famam, non nisi timide, & cum deprecatione ad obscurissimas res quasque, ac difficillimas aggredi solent.

Hanc vero putant dari sibi potissimum veniam excusationis, si ad eam, quam ingrediuntur, disputationem se accessisse ostendant, vel maxima adductos utilitate, vel rei, in qua versantur, præstantia, & nobilitate commotos. Etenim pondus oneris non æstimare, sed maximum quodque appetere, arrogantis hominis, & temerarii esse videtur. At vero delirantis certe est incredibiliter, extremeque insanientis, ad eam rem incumbere, quæ inventa, post infinitos exantlatos labores, nec aliis utilitatis fructum aliquem, nec inventori suo ullam adferat laudem. Qui autem ad suam, & communem omnium utilitatem, in pulcherrimis, licet non facillimis quæstionibus elaborant, tanto majorem consequuntur gloriam, quanto graviore perfuncti sunt labore. Nemo igitur mirari debet, me Senatus Romani historiam exponere conari, rem quidem fateor perobscuram, & arduam inprimis. Nam cum esset antiquis illis temporibus a M. Varrone, & Atejo Capi-

tone, itemque Nicostrato litteris explicata, eorum monimenta exquisitissima, & immortalitate dignissima, consumptrix omnium rerum vetustas exedit & confecit. Nunc vero ob auctorum penuriam, & eorum, qui ad nos pervenerunt, negligentiam, vix restitui potest: Verum tamen, quod facile concedent omnes, non indigna est, in qua nervos ingenii & industriæ, si qua est in me, contendam. Quis enim locus in tota antiquitate Romana, aut ad intelligendos libros Latinorum scriptorum magis necessarius, quam hic de Senatu Rom. reperitur? aut iis, qui ad gubernacula Reip. accessuri sunt, utilior? aut ipso munere senatorum, & amplitudine gravior? Quod si expressam illius, & germanam effigiem, in tam obsoleta priscorum institutorum memoria, assequi non possumus, saltem nos umbra & imagine oblectemus. Ac, quantum ingenio conniti, & præstare diligentia nobis licebit, ad eam curam incumbemus, ut hominum in hoc genere avidorum, non dico omnino depulisse & explevisse famem, sed tamen levasse, & aliqua ex parte sedasse videamur.

Et primum quædam, quæ adhuc in obscuritate latent, e veteribus litteris eruere conabimur; deinde ea, quæ in doctissimorum virorum commentariis passim dispersa sunt, colligemus; ac postremo operam dabimus, ut doctrinam hanc relinquamus, etsi non compositissimam fortasse, & rotundissimam, at certe non omnino temere exstructam, & conscriptam; nec tantum non temere exstructam, sed etiam priscorum annalium verbis accurate confirmatam, & optime fundatam.

Nam, ut concedam refertam auctoritatibus orationem non ita gratam & jucundam esse; genus tamen hoc tale est institutæ scriptionis, ut nisi obsignatis quasi tabulis agatur, nullam habeat per se fidem simplex & nuda narratio. Quo fit, ut, in aliud tempus reservato, qui ex continenti & perpetua percipitur oratione, suavitatis fructu, ne quis fidem diligentiamque nostram in dubium possit vocare, laborandum nobis nunc, & omni cura providendum esse existimem. Verum jam ad hoc, quod suscepimus, munus, conficiendum, erecto atque alacri animo, pergamus.

CAP. II.

De vocabuli Senatus significatione, & Senatoris definitione.

DUOBUS modis, ex antiqua Romanorum loquendi consuetudine, senatum appellari invenio: uno, cum nomine hoc universos complectimur Senatores; altero, cum significamus Senatorum, & eorum, qui jus sententiæ haberent, conventum coactum, ab illo, qui ei muneri præfuit, ad consilium de Republica loco, tempore, atque modo instituto & introducto legibus, moreque majorum. Unde dicimus legere in senatum, & movere senatu; itemque habere senatum, & dimittere senatum. Quibus in loquendi formulis non parum discriminis est, quanquam in utraque significatione idem senatorum subest veluti corpus. Itaque ad duas hujus vocabuli significationes omnem accommodabo, quæ sequitur, de senatu Rom. disputationem. Et primum de Senatoribus; deinde vero de Senatu dicam, ejusque antiquum morem, & officium explicabo.

Si quis igitur definire, atque paucis verbis, quid esset senator, complecti velit, quem quidem constat introitum quæstionis cujuslibet aptissimum esse, nescio an non pessime ita patefieri & describi possit, ut dicamus, *Senatorem, civem Rom. fuisse per legitimam magistratus ejus lectionem, cui munus istud incumbebat, in summo ordine constitutum.* Cujus definitionis partes singulæ, summa cum diligentia, expendendæ, ac stabiliendæ nobis sunt. Ac primum vereor, ne nimium lectorum ingeniis, diligentiæque diffidere videar, si genus, quod constitui, senatoris probabo. An enim quisquam tam alienus erit a litteris, ut ignoret, tres ordines Romæ, Senatorium maximum, Equestrem huic dignitate proximum, & Plebeium infimum, nihil aliud quam distinctionem in tres gradus civium Rom. fuisse. Sed quoniam ita me scripturum de Senatu Romano recepi, ut nihil mihi non testatum proferendum sit, dabunt mihi hoc, credo, concedentque omnes, si etiam qua de re nemo dubitare possit, argumentabor. Itaque veterum auctorum verba, quibus hoc confirmari potest, audiamus. Cicero primo oratorio dialogo sic scribit: *C. Mancinum*, inquit, *nobilissimum, atque optimum virum, ac consularem, cum eum, propter invidiam Numantini fœderis, pater patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius M. filius, tribunus pl. de senatu jussit educi, quod eum civem negaret esse, quia memoriæ sic esset proditum, quem pater suus, aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium.* Si igitur amissa civitate amittitur senatorius ordo, clarum & perspicuum est, civitatis expertem nullum senatorem fingi posse. Et in caussa Sex Roscii, de judicibus, qui fuere dati ex senatoribus, per legem Corneliam, idem Cicero loquitur hoc modo: *Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consilium delecti estis propter severitatem.* Atque hanc sententiam nostram sustinet etiam Livii historia, in qua hoc fere est: *Cum ob solitudinem curiæ, & infrequentiam convenientium ad publicum consilium, M. Æmilius Pr. dictatore, post Casilinum amissum, profecto jam ad exercitum, exposcentibus cunctis retulisset, tum Sp. Carvilius, cum longa oratione, non solum inopiam, sed paucitatem etiam civium, ex quibus in patres legerentur, conquestus esset, explendi senatus caussa, & jungendi arctius Latini nominis, pro magna re, se suadere dixit, ut ex singulis populis Latinorum, binis senatoribus, si patres Romani censuissent, civitas daretur, iique in demortuorum locum in senatum legerentur. Eam sententiam haud æquioribus animis, quam ipsorum quondam postulatum Latinorum, patres audiverunt, & cum fremitus indignantium tota curia esset, præcipue Manlius esse nunc quoque stirpis ejus virum dicebat, ex qua quondam in Capitolio consul minatus esset, quem Latinum in curia vidisset, eum sua manu se interfecturum.* Omitto Ciceronis aliud testimonium, in oratione pro domo, in qua morem quendam explicat, ut de quibus civibus ferebatur lex, qua iis aqua & igni interdicebatur, in eadem lege adscriberetur, ne eos in senatum legerent censores, aut, si essent ante lecti, præterirent. Hæc enim est hujus loci sententia: *Me ne tum quidem cum aberam negare poteras esse tua lege senatorem. ubi enim tuleras, ut mihi aqua & igni interdiceretur? quod Gracchus de Popillio, Saturninus de Metello tulit, homines seditiosissimi, de optimis, ac fortissimis civibus, non ut esset interdictum, quod fieri non poterat, tulerunt, sed ut interdiceretur. ubi cavisti, ne meo me loco censor in senatum legeret, quod de omnibus, etiam quibus damnatis interdictum est, scriptum est in legibus?* Quibus ex omnibus locis efficitur, civitatem senatorii ordinis quasi fundamentum esse. Civem vero intelligo, qui optimo jure sit civis. Et civium nomine municipes, qui habuerunt hoc jus plenum, comprehendo. Quos, quam primum Romam venissent, ibique sedem rerum suarum collocassent, & conditione eadem, qua cives natos in urbe, vixisse constat, & plurimos eorum magistratus summos gessisse, amplissimisque honoribus perfunctos esse,

se, ac supremi consilii fuisse participes. Unde ille noster in Syllana: *At hic etiam, id quod tibi necesse minime fuit, facetus esse voluisti, cum Tarquinium, & Numam, & me tertium, peregrinum regem esse dixisti. mitto jam de rege quærere, illud quæro peregrinum cur me esse dixeris? nam, si ita sum, non tam est admirandum, regem esse me, quia, ut tu vis, etiam peregrini reges Romæ fuerunt, quam consulem Romæ fuisse peregrinum. hoc dico, inquit, te esse ex municipio. fateor, & addo ex eo municipio, unde iterum jam salus huic urbi imperioque missa est. sed scire ex te pervelim, quamobrem, qui ex municipiis veniant, peregrini tibi esse videantur. nemo enim istuc M. illi Catoni seni, cum plurimos haberet inimicos, nemo Ti. Coruncanio, nemo N. Curio, nemo huic ipsi nostro C. Mario, cum ei multi inviderent, objecit unquam.* Ex illa porro historia (huc enim ut venirem paullo fortasse longius superior fluxit oratio) intelligi potest, Latinos ante civitatem acceptam in senatum nunquam admissos. Ergo nec Italicos, nec provinciales, quorum jus incommodius, & minus honestum quam Latinitas extitit.

Et hic mos ad DCLXII. annum urbis duravit, ut nemo jure originis in senatum venerit, nisi Romæ natus, aut in eo municipio, quod non modo munere honorario, ut Cærites, cum populo R. uteretur, sed & civitate & suffragii latione frueretur. Mutata demum est hæc ratio sociali bello, cum Italicis propter civitatem denegatam, cujus summa cupiditate flagrabant, gesto, ob quod bellum civitatem maximæ datam parti Italiæ, jam a Carolo Sigonio demonstratum est in extremo libro eorum, in quibus antiqua jura Italiæ rotundissime, & litteris explicavit illustrissimis. Quo in statu & in iis, quæ veteri nomine coloniæ, præfecturæ, fœderatæ civitates, fora, & conciliabula dicebantur, oppidis orti, Romæ magistratus gerebant. Demonstrabimus autem paullo post, magistratus fuisse patrum conscriptorum quasi seminarium. Nihil vero de privilegiis loquor. Auctoritate enim, & exemplo Romuli principis, & creatoris urbis, nunquam a Romanis intermissa est largitio & communicatio civitatis, præsertim vero bene meritis. Principio quidem, in magna paucitate civium, Sabinos, & Albanos, qui in partem civitatis venerant, & pulsis regibus Actium Clausum Regillensem, non solum in patres, sed & in senatum, *Plutarcho in Poplicola teste*, lectum scimus. Verum occupata Republica innumerabiles peregrinos senatores Romana curia vidit. C. enim Cæsar, & quosdam e semibarbaris Gallorum recepit in curiam. Unde lepidissimus ille libellus propositus est, cujus meminit Suetonius: *Bonum factum ne quis senatori novo curiam monstrare velit.* Et illa vulgo canebantur: *Gallos Cæsar in triumphum ducit: Iidem in curia Galli braccas deposuerunt, latum clavum sumpserunt.* Ac deinceps tantæ possessio dignitatis omnibus gentibus patebat, multique urbi Romæ consiliarii fuere, qui eam, ut D. Augustinus loquitur, ne de facie quidem norant. Ita autem bracchati illi patres lecti sunt, ut primum in civitatem, deinde in curiam, *auctore Suetonio*, venirent: idemque ordo ab aliis omnibus Imperatoribus in honorandis peregrinis observabatur. Sed hac de re satis, ac fortasse etiam nimium multa. Quare progrediamur longius, & quorum hominum fidei atque potestati lectio erat senatus commissa, videamus.

CAP. III.

De Senatus institutione, & qui magistratus Senatores legerint.

PRO variis Reipub. temporibus, diversos etiam senatum legisse Romæ, in historiis videmus. Nam, quoniam urbs Roma sub imperio re-

A gum ineuntem illam quasi ætatem exegit, initio quoque arbitrium legendorum senatorum penes reges erat. Ac primum omnium senatum instituisse Romulum constat. Qua de re sic Dionysius lib. II. *Romulus autem, his constitutis, statuit continuo sibi consiliarios cooptare, virosque centum ex patriciis legit, quibuscum Remp. administraret.* Livius autem hoc modo: *Cum jam virium haud pœniteret, consilium deinde viribus parat, centum creat senatores. Postea vero & Romulus, & cæteri reges, auctore Sex. Pompeio, sibi legebant, sublegebantque senatum, & pulsis regibus consules, & tribuni militum consulares.* Sed verba Festi adscribam: B *Præteriti senatores quondam in opprobrio non erant. ut enim reges sibi legebant sublegebantque quos in consilio publico haberent, ita post exactos eos consules, & tribuni militum consulari potestate conjunctissimos sibi quosque patriciorum, & deinde plebejorum legebant.* Illud tamen venit in mentem, quæri posse, cum tribuni militares primi anno CCCX. *ut est apud Livium*, iniissent, annusque sequens, qui consules habuit M. Geganium Macerinum & T. Quinctium Capitolinum, initium censuræ fuerit, quomodo tribuni militares præterire senatores, vel legere potuerint? Præsertim cum Livius dicat, ortum inde censuræ principium, quod C in populo per multos annos incenso, neque differri census poterat, neque consulibus, cum tot populorum bella imminerent, operæ erat id negotium agere. Additque Dionysius intra XVII. annos, post Q. Fabium L. Cornelium coss. Romæ censum nullum actum. Illud autem constat iis, quæ subsecuta sunt, temporibus, & quando Respublica florebat maxime, hoc jus lectionis habuisse censores. Testes requiris? quemcumque appellabo, nemo negabit. Livius lib. IX. *Ob infamem atque invidiosam senatus lectionem verecundia victus collega C. Plautius magistratu se abdicaverat. Appius jam inde insitam pertinaciam familiæ gerendo solus censuram obtinuit.* D Epitoma lib. XVIII. *P. Sempronius Sophus, & Valerius Maximus censores, cum senatum legerent, XIII. senatu moverunt.* Idem lib. XL. Metellum hoc modo facit adhortantem ad concordiam, in campo sedentes, sellis curulibus, ad aram Martis, Lepidum & Fulvium Nobiliorem censores: *Quos conjunxit suffragiis suis populus R. hac etiam reconciliatione gratiæ a nobis conjungi sinatis, uno consilio legatis senatum, equites recenseatis, agatis censum, lustrum condatis.* Et Cicero pro domo: *Ubi cavisti ne meo me loco censor in senatum legeret?* Quid dicam de Valerio? qui lib. VIII. ait, M. Perpernam septem E tantummodo, quos censor legerat, e patribus conscriptis reliquos vidisse. Denique plena est Romana historia innumerabilium testimoniorum. Nominat Festus Oviniam quandam legem, qua lectionem senatus censoribus commissam esse ait. Illis enim, quæ nunc recitavimus, ejus verbis hæc continentia sunt & adjuncta: *Donec Ovinia tribunicia intervenit, qua sanctum est, ut censores ex omni ordine optimum quenque curiatim legerent.* Quæ lex quando lata sit incertum est, neque ejus alibi in veterum libris, quos legerim, fit mentio. A Varrone quidem accepi Romæ fuisse gentem Oviniam. nam in lib. de re rustica II. inter ea nomina Romanorum, quæ F tracta sunt a pecore, & Caprilium, & Ovinium numerat. Atque Lampridius in vita Severi, meminit Ovinii Camilli, ex antiqua, ut ait, stirpe, senatoris delicatissimi. crederem tamen pro OVINIUS, in eo libro, FURIUS reponendum esse. Paullus ille, a quo libri Festi, invita Minerva, & infelici quodam posteritatis fato, in breviorem sunt redacti formam, ita hunc locum edidit: *Donec potestas tribunicia intervenit, nulla scilicet mentione nominis a legislatore tracti.* Sed cur ego meam sententiam non omnibus libere aperio? Quis enim, & si erratum sit, studium tamen & laborem, qui in vero

exquirendo ponitur, non laudet? Suspectus igitur est mihi hoc loco Sex. Pompeius, & ut credo, non falso suspectus. Etenim est apud Livium, secundos censores Mamercum, quam primum abiit dictatura, tribu movisse, & octuplicato censu ærarium fecisse. Itaque existimo ego, non ariolans, sed vera & firma nixus conjectura, non alia lege, quam qua creari cœpti sunt, ordinum omnium regimen censores usurpasse. Neque hoc dico, quod Festum, vel potius Verrium Flaccum, quem fere sequitur Festus, non fuisse in rebus Rom. peregrinum atque hospitem ignorem, cujus mihi potius nutus, quam aliorum quorundam jusjurandum faceret fidem: verum in ætatem superiorem omnem confero culpam; nam ejus inertia, & iniquitate, lacerata, & corrupta hujus auctoris præstantis scripta, vix aliquam sanguinis puri guttam hoc tempore retinent. Quod si non libet ab his, quæ in commentariis linguæ Latinæ leguntur, Festi verbis recedere; dicendum est non lustris, verum singulis annis senatum ante legi solitum, illudque certum esse, ante annum CCCXIX & hujus ordinis, & totius civitatis Romanæ disciplinam censoribus commissam. Nam, & Cicero, ne qua hujus antiquitatis dubitatio in animo meo resideat, effecit, cum censorium judicium notionemque quadringentis ante illatam annis, quam Piso, Gabiniusque consules essent, ait. Animadverti autem extra ordinem dictatorem senatus legendi caussa dictum a consule Terentio N. Fabium Buteonem. Nec solum Buteo senatum legit, sed & illi, qui Rempublicam invaserant, Sylla, & Cæsar dictatores. Et post necem Cæsaris Antonius, & III. viri, & post hos Octavianus. Ac ne quid prætermisisse videar, de Gracchi, & Drusi lectione infra meam sententiam, ubi de numero senatorum agam, explicabo. Cæterum illud hujus loci, & temporis est, quod Appianus scribit L. Cornelium Syllam, & Q. Pompeium Rufum consules, propter solitudinem curiæ, senatores adlegisse. Doctissimus vir, & antiquitatis veterumque scriptorum peritissimus, putat hoc ita accipiendum, ut hanc lectionem factam a L. Cæsare & P. Crasso censoribus intelligamus. Ego mallem suspicari id extra ordinem factum, turbulentissimo illo præsertim anno, quo a Mario, & consulibus in urbe ipsa ad Esquilias dimicatum est, victisque Marianis jam tum quoque Sylla dominationem sibi quæsiverat. Qua dominatione moderata & minime crudeli, pro dignitate & auctoritate tantum senatus, usus est. Nam cum collega & comitia tributa sustulit, ut suffragiis pauperes, atque in his audacissimos quosque spoliaret, & jus vi prius ademptum patribus restituit, ut nulla ad plebem rogatio ferretur sine senatusconsulto, &c, ut diximus, adlegit in senatum CCC. ut non modo, accisa tribunorum pl. potentia, senatus plus virium haberet, sed quoniam tum valde diminutus erat ordinis quoque frequentia. Ac de institutione senatus, & quinam magistratus senatum Romæ legere solebant, vel aliquando extra ordinem legerunt, exposui breviter.

CAP. IV.

De modo legendi Senatores.

DEINCEPS de legendi modo dicendum nobis esse videtur. Dionysius lib. II. hac ratione, & modo senatum lectum a Romulo tradit. *Centum*, inquit, *viros ex patriciis ita secrevit; unum ex omnibus præstantissimum ipse declaravit, quem voluit præesse rebus urbanis, si quando ad bellum proficisceretur. Deinde jussit singulas tribus tres viros ætate, prudentia, & genere præcipuos seligere. Post hos novem singulas curias jussit denuo tres viros e patriciis maxime idoneos deligere. Adjectis ad illos novem bis* XC. *quos curiæ crearant, & illo præfecto, quem ipse antea decreverat, centum senatorum numerum explevit*. Ita & illos ex Sabinis a curiis selectos idem Dionysius ait. De aliis regibus, & consulibus, tradit Festus, eos legisse, sublegisseque sibi, quos maxime dignos censebant, vel amabant, senatores. Id patet ex ejus verbis, quæ paullo ante attulimus. Sed hæc iterum mihi negotium facessunt. Nam huic toti rationi videtur adversari Cic. cum in Sextiana inquit: *Majores nostri, cum regum potestatem non tulissent, ita magistratus annuos crearunt, ut consilium Reipub. præponerent sempiternum. deligerentur autem in id consilium ab universo populo, aditusque in illum summum ordinem omnium civium industriæ pateret*. Quod incommodum cupienti mihi vitare, nulla occurrit vitatio, nisi, aut idem a Cicerone bis dictum interpretemur, nempe liberata dominatu regio Rep. ex toto corpore civitatis, nullo ordinum discrimine senatores lectos; aut habuisse jus consules credamus eos, quos vellent, nominandi, qui quidem senatores essent, si eos populus suis suffragiis approbasset. Et hoc videtur postremum defendendi Sex. Pompeii genus placere eloquentiæ, omnisque elegantioris doctrinæ principi Paullo Manutio. Quarum autem rerum reges, & consules in legendo rationem habuerint, referam infra, ubi pauca de censoribus dixero; neque res natura conjunctissimas a se separabo. Censores igitur singulis lustris totum senatorium ordinem diligenter examinabant, & in demortuorum locum, vel eorum, quos moverant, novos sublegebant. Livius certe ait lib. XL. senatum a Fulvio & Æmilio biduo lectum. Expleto autem senatorum legitimo numero, & omnium nominibus in tabulas relatis, suo quenque loco jubebant recitare. Unde inquit Livius lib. XXIX. *Dum hæc consules diversis regionibus agunt, censores interim Romæ M. Livius & C. Claudius senatum recitarunt*. Et lib. XXIII. dixit se transcribi tantum, recitarique eos jussurum. Video autem Buteonis dictatoris senatum in foro recitatum. Nam sic scribit Livius: *Ita* CLXXVII. *cum ingenti approbatione omnium in senatum lectis extemplo se magistratu abdicavit, privatusque de rostris descendit*. Unde quis suspicari possit, hoc semper eo loco fieri solitum. Sed inter cætera vetustate incognita, hoc quoque in incerto pono. Qui vero primus legebatur, senatus princeps erat, post principem vero senatus, discrimine graduum & ætum servato, cæteri senatores & scribebantur, & recitabantur. Quod de principe senatus dixi, clarum ac perspicuum est ex his Livii verbis: *Lectus a Sempronio princeps in senatu Q. Fabius Maximus consul. Inde alius lectus senatus*. De reliquis senatoribus ex Ciceronis oratione pro domo sua colligo. in qua L. Cottam hominem censorium in senatu juratum dixisse refert se, *si censor tum esset cum ego*, *inquit*, *aberam, me meo loco* (id est inter consulares) *senatorem recitaturum fuisse*. Item ex Gellio, cum ait hoc modo: *Quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias*. Atque hinc perspici potest, quem annales populi Rom. & monumenta vetustatis principem senatus appellent; verissimumque illud esse, honoris hoc genus iis tantum deferri solitum, qui auctoritate, & amplitudine rerum gestarum maxime excellebant. Nam dignitate princeps senatus omnes magistratus anteibat, etsi nec imperium, nec potestatem haberet. Cujus rei auctorem & præceptorem habeo Zonaram. Cæterum Livius eo, de quo paullo ante loquebar, loco narrat eum, qui ex censoriis vetustissimus esset, senatus principem legi solitum: *Cornelius*, inquit, *morem traditum a patribus sequendum ajebat, ut qui primus censor ex iis, qui viverent, fuisset, eum principem legerent. Is T. Manlius Torquatus erat*.

Neque tamen hanc consuetudinem secutus est Sempronius, sed, cum diu certatum esset verbis, suo arbitrio fecit principem in senatu Q. Fabium Maximum consulem. Addit Livius l. XLIX. *nisi senatu motus esset, uno vivo, alium in locum ejus nunquam lectum.* Itaque videmus eundem pluribus lustris senatus principem fuisse. Nam, ut alios præteream, memorat in Bruto Cicero M. Lepidum a sextis censoribus principem senatus recitatum. Facit quoque mentionem sortitionis inter censores verissimus index antiquorum institutorum Livius: *Sempronius*, inquit, *cui dii sortem legendi dedissent, ei jus liberum eosdem dedisse deos ajebat.* Atque, ut alia omnia, ita senatus lectionem poterant impedire tribuni pl. Dat hujus rei luculentam significationem haud levis, & incertus testis Dio XXXVII. libro, ubi censores quosdam nihil egisse narrat, quod tribuni pl. ne senatum legerent, intercessissent, ne forte ipsi præterirentur. Atque etiam consules Bubulcum & Barbulam, Appii & Plautii lectionem sine recti pravique discrimine ad gratiam & libidinem factam rescidisse, & senatores citasse eo ordine, qui ante fuerat, invenio. Nunc dicam, qui more majorum poterant in senatum adscribi.

CAP. V.

Qui potuerint in senatum adscribi, ac primum de fama adscribendorum.

De senatu cooptando non dubito leges fuisse conscriptas, quarum tamen nullum omnino extat vestigium. Sed qui in monumentis populi Rom. versantur, facile concedent, spectata fuisse genera hominum, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret. Ac quod haud levissimis & infirmissimis coargui potest conjecturis, cautum fuisse dico de Fama, Genere, ordine, Ætate, Magistratu, Censu, & Quæstu. Quare ordine, quæ de iis rebus observavi, quam brevissime & planissime potero, explicabo.

Primum autem, quod attinet ad incorruptam famam, scio, ut improbum senatorem civitas habeat neminem, magis optari & expeti, quam aut effici, aut sperari posse. Neque ausim affirmare multos senatores Romæ, ac ne Scaurum quidem, aut Catulum, aut Nasicam, quos miris in cœlum fert laudibus Cicero, tales fuisse, qualem, ac quantum, in eo libro, quem ad illustrissimum Comitem, & senatorem sapientissimum ac constantissimum, Stanislaum Tarnovium, Sendomiriensem Palatinum brevi mittam, informavi, & expressi. Quapropter optimos senatores, & præstantissimos non habuit populus Rom. improbos vero ne haberet, etsi sanxerat, non paucos tamen passus atque expertus est. Sanctionis autem istius, quam dico, hæc sententia fuit, ut est in Cluentiana: *Ut hominibus turpi judicio damnatis, in perpetuum, neque ullum ad honorem, neque in curiam aditus esset.* Turpi judicio nominat condemnatos, ut qui de alea, de falso convicti sunt, aut furti, vel alterius hujusmodi facinoris macula famam suam contaminarunt & violarunt. Item illa summæ existimationis judicia habita Cicero pro Q. Roscio docet, fiduciæ, tutelæ, societatis. Cætera petenda sunt ex Jurisconsultorum commentariis, capite de his, qui notantur infamia. Huc denique referenda erunt & illa, quæ infra de criminibus, ob quæ senatorium nomen perderetur, dicemus.

CAP. VI.

Quo genere lecti.

Genus autem tribus modis spectatum invenio. Uno, *ut solum patricii*. Altero, *ut*, quando jam patebat curia plebeiis, *ingenuo saltem, non libertino sanguine, procreati legerentur.* Tertio, quod a Syllæ dominatione ad Cæsaris dictaturam custoditum est, *ne proscriptorum filii cooptarentur.* Atque ab initio quidem patricios tantum in senatum lectos significat Sex. Pompeius his verbis: *Reges, consules, & tribuni militum consulares legebant sibi conjunctissimos quosque patriciorum, ac deinde plebeiorum.* Item Dionysius l. VII. cum ait: *Ab eo tempore opes plebis creverunt. Patres vero multas partes priscæ amplitudinis amiserunt, cum, & in senatum, & ad magistratus, & ad sacerdotia plebeios admisissent, & reliquorum ornamentorum illos fecissent participes, quæ propria patriciorum fuerant.* Propterea illi Romuli, Prisci, & Bruti Valeriique consulum primum in patricios relati, post in senatum cooptati sunt, eodem Dionysio teste. Qui autem plebeiis ad publicum consilium aperuerit viam, adhuc omnes quærunt. Legimus quidem & notavimus apud Livium, P. Licinium Calvum, qui primus de plebe honorem tribunatus militaris consulari potestate delibavit, veterem senatorem fuisse. Quin immo & ante, eo tempore, quo Sp. Mælius, post tribunatum pl. gestum, ob affectatam dominationem cæsus est, plebeios legi potuisse, argumento sunt illa Quinctii apud Livium verba: *Ut quem senatorem vix concoquere posset civitas, regem ferret.* Nam ipse Mælius, Livio auctore, non ex senatorio, sed ex equestri erat ordine. Zonaras tamen jam inde a Servio Tullio plebeios lectos tradit: *Ut gratiam*, inquit, *plebi referret, cum aliis muneribus illam affecit, tum nonnullos ex plebis corpore in senatum legit. Ac plurimis quidem rebus deteriore quam patricii conditione plebeii tum erant, procedente vero tempore interregno, & sacerdotiis quibusdam exceptis, par cum illis jus obtinuerunt.* Hæc ille. Nam quod, in lib. de Verborum significatione, Festus refert plebeios a Valerio consule adlectos, id ita factum esse, ut docuimus auctorem secuti Dionysium, & ipse Festus alio ejusdem libri loco aperte indicat: *Conscripti*, inquit, *dicebantur, qui patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur.* Suetonius vero de gente Octavia loquens mire omnia turbare videtur. Primum enim dicit eam *a Tarquinio Prisco rege inter Romanas gentes adlectam in senatum, mox a Ser. Tullo in patricios traductam.* Quare illud *in Senatum* abundare libenter existimaverim, additum ab aliquo, qui dictionem *adlectam* exponeret. Ut autem erratum hoc librariis potius, quam Suetonio viro eruditissimo adscribo, ita Suidam hominem Græcum de interregno quædam quasi in strepitu audisse, cum patricios decem ex centum senatoribus a Romulo lectos scriberet, sine ulla dubitatione affirmo. Senatorio autem ordine communicato cum familiis plebeiis, alterum institutum inductum observavi, ne servili & libertino sanguini aditus in curiam esset. Cicero in defensione Cluentii: *Gellius censor Popillium, quod erat libertini filius, in senatum non legit.* Sic & Appius censor Pisonis collega, ut est apud Dionem, libertinos ejecit senatu. Alter vero Appius, qui cum Plautio censor XXVI. lustro fuit, primum in supremum ordinem libertinorum filios legit. De hac lectione sic Livius extrema pagina l. IX. *Cæterum Flavium dixerat ædilem forensis factio Ap. Claudii censura vires nacta, qui senatum primus, libertinorum filiis lectis, inquinaverat; & posteaquam eam electionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat, opes urbanas, humilibus per omnes tribus divisis forum*

& campum corrupit. Usurpat ejus rei memoriam & Suetonius in Claudio. Nam inquit: *Latum clavum libertini filio tribuit. sed sub conditione si prius ab equite Rom. adoptatus esset. Ac sic quoque reprehensionem verens, etiam Appium Cæcum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in senatum adlegisse docuit; ignarus temporibus Appii, & deinceps aliquandiu libertinos dictos non ipsos, qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos*. Neque vero hanc Appii lectionem, ut vocat Livius, infamem secuti sunt alii censores. Sæpe tamen plerosque libertinos in curiam irrepsisse, nemini dubium est. Ac maxime in illa confusione rerum omnium bello civili Pompeiano, & sub triumviris. Cæterum proscriptorum liberi, ab initio urbis ad bellum Marsicum, altissimi civitatis gradus poterant esse participes. Dionysius enim narrat lib. VIII. supplicio sumpto de Cassio mentionem quoque ejus filiorum illatam, sed iniquum visum sævire in prolem innocentem. *Inde*, ait, *consuetudo a Romanis ad nostram usque ætatem est servata, ne liberi plecterentur, quorum patres damnati essent etiam ob gravissimum crimen, ut ob affectatam dominationem, aut parricidium, aut proditionem. Sed nostra memoria fuere, qui post Marsicum bellum, contra morem ab antiquis traditum, proscriptorum a Sylla filios, quoad rerum potiebantur, magistratuum petendorum jure privarent, iisque aditum ad senatorium ordinem intercluderent. Quod exemplo sane apud homines invidioso fecerunt, vindictaque deorum immortalium digno. Ac certe procedente tempore pœnas justas divino numini scelerum vindici dederunt. Ex tanto enim fastigio honorum in maximas dejecti sunt calamitates, atque ex illis familiis solæ supersunt fœminæ. Consuetudo vero illa antiqua revocata est, & retenta*.

CAP. VII.

Ex quo ordine legendi.

FUISSE autem hoc moris Isidorus nescio de quo vetere auctore accepit, ut quamvis senatoria origine esset aliquis, tamen ad legitimos annos eques esset; deinde vero senatorium ordinem iniret. Equester enim ordo quasi gradus ad senatorium erat. idcirco Perseus Macedoniæ rex apud Livium l. XLII. equites appellat Rom. *principes juventutis*, & *seminarium senatus*. *Inde*, inquit, *lectos in patrum numerum consules imperatores creant*. Ælius vero Lampridius multis post annis eversa Rep. idem Alexandrum Severum Imp. dixisse narrat. Ejus hæc sunt verba: *Nunquam libertinos in equestrem locum redegit, asserens senatorum seminarium equestrem locum esse. Ita, quod omnes sciunt, Brutus, primoribus equestris gradus lectis, senatum explevit*. Hinc & Festus: *Adlecti dicebantur, qui ob inopiam ex equestri ordine in senatorum numerum sunt assumpti*. Hoc autem modo rationem equitum habitam intelligere oportet, ut qui erant ex infimo ordine & plebe, non omnino excluderentur. Sed rarius, & ægrius admitterentur. Nam, etsi non parum momenti in publico equo positum fuit, industriæ tamen omnium civium ac virtuti, auctore M. Tullio in Sextiana, in summum ordinem, ac gravissimum consilium, aditus patebat. Atque loco jam sæpe a nobis citato, sanctione veteri institutoque censores ex omni ordine optimum quemque legisse, Festus tradit.

CAP. VIII.

Ætas senatoria.

SEQUITUR ille, quem deinceps proposui, ætatis senatoriæ locus. Non quavis ætate in senatum Romanum cooptari licuisse, satis demonstrant

A illa Ciceronis verba, in suasione legis Maniliæ: *Quid tam præter consuetudinem, quam homini peradolescenti, cujus a senatorio gradu ætas longe abesset, imperium atque exercitum dari?* Et hæc in Plutarchi Pompeio: *Sylla triumphum petenti Pompeio obstitit. Etenim invidiosum ei honorem hunc fore dicebat, si triumpharet pæne imberbis, & cui propter ætatem aditus in senatum non pateret*. Apud Dionysium quoque l. VI. annalis hujus legis extat vestigium. Nam hoc modo Cassium Postumiumque consules facit loquentes: *Lege, quam feremus de ætate senatoria, coercebimus istam juvenum intemperiem*. Quæ autem

B hæc ætas fuerit, video ab omnibus, qui hanc attigerunt quæstionem, dubitari. Mihi vero intentis, ut ajunt, oculis hanc rem intuenti, & quam diligentissime perpendenti, non eodem modo ad tam ambiguam interrogationem visum est respondere. nam multi tradunt, senatores primos illos senes, & ætate grandes fuisse. Quod indicat in Catilina Sallustius: *Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapientia validum erat, Reip. consultabant*. Et Cicero in Catone: *In agris erant tunc senatores, id est, senes*. Item in Fastis Ovidius:

Nec nisi post annos patuit tunc curia seros.

Et post hos Lactantius Firmianus in l. de origine

C erroris: *Romulus legit in senatum eos, qui ætate anteibant*. Ac, quoniam verborum explicatio gravissimis auctoribus probatur, si exquiramus unde verbum *senatus*, sit dictum, senatum multi nominatum a senio credunt. In ea sententia fuisse invenio Ciceronem in Catone majore, Ovidium in Fastis, Quinctilianum cap. VI. lib. I. Florum initio suæ historiæ, Plutarchum in eo commentario, in quo disputat, utrum seni sit administranda Respublica, & Eutropium lib. I. A quibus etsi non dissentit Dionysius, tamen & aliam adfert caussam: *Is consessus*, inquit, *verbo pro verbo Græce expresso, γερουσίαν, hoc est, senatum significat, & nunc quoque eodem nomine a*

D *Romanis vocatur*. An vero propter senectutem eorum, qui lecti erant, an propter virtutem, hoc nomen invenerit, nihil affirmare ausim. Ab antiquis enim, & qui natu grandes, & qui boni viri essent, *γέροντες*, id est, senes nominabantur. Ego, quia de senatu scribo, morem sequor antiquum, & in quam sententiam plures scriptores quasi discessionem fecere, in ea sum & ipse. Nam & patres profecto ab ætate nominatos senatores accepimus a Probo in lib. de viris illustribus: *Centum senatores*, inquit, *ab ætate patres appellavit*. Et a Sallustio in Catilina, qui sic scribit: *Hi, vel ætate, vel curæ similitudine, patres*

E *appellabantur*. Idem Sex. Pompeius tradit de utroque vocabulo: *Senatores*, ait, *a senectute dici, satis constat, quos initio Romulus legit centum, quorum consilio Remp. administrabat. Itaque etiam patres appellati sunt*. Quæ de nominibus istis dixi copiosius hoc loco, quod in ætatis cognitionem pertineret eorum ratio & interpretatio. Neque enim vereor, ne mihi quis invideat, quod eadem opera duplicem quodam modo assequor mercedem. Videmus ergo priscos illos Romanorum senatores senes fuisse. Cum autem res Romanorum gestas considero, facile adducor, ut non multo post immutatum hoc institutum credam. Quanquam annus ætatis senatoriæ ab

F antiquis, quos habemus, auctoribus non est proditus litteris. Onuphrius Panvinius, scriptor diligens sane, narrat in commentario primo Fastorum, quando cautum est, uti senatorum filii cum patribus in curiam, quod illis ante licuit, ne introirent, nisi unus Papirius, qui Prætextatus appellatus est, eodem quoque tempore S. C. factum, ne cui minori XXV. annis in curiam aditus pateret. Hic ego testem aliquem gravem & locupletem excitari volo ex monumentis annalium. Producit non alienum ab religione Plutarchum, in vita Pompeii Magni. Neque tamen ego, in eo, quo di-

cit, libro id ſcriptum reperire potui, cum totum diligentiſſime perlegiſſem. Niſi hoc ſit, quod dicit Plutarchus, potuiſſe ea ætate, qua triumphum ex Africa petebat, Pompeium legi in ſenatum; verum majori ſibi honori futurum crediſſe, ſi primus eques Rom. triumphaſſet. Sed; ſi ſibi conſtare Plutarchum volumus, non aliter, quam extra ordinem, & legibus ſolutum ait cooptari potuiſſe. Quod nonnunquam tributum magni animi, induſtriæque adoleſcentibus, demonſtrant multa clariſſima & illuſtriſſima exempla, ut Octaviani, & aliorum. Atque notum eſt Pompeium XXIV. ætatis anno, non XXV. expleto, ut ille ſcripſit, triumphum egiſſe. Itaque libentius aſſentior Carolo Sigonio, viro acumine ingenii ſummo, & in conjicienda antiquitate prope divino, qui annum ſenatorium eum, qui ſequeretur quæſturam, fuiſſe ſuſpicatur. Quam conjecturam ſuam tuetur auctoritate Valerii, cum ait; *P. Craſſo Q. Fabius narravit, quod in curia erat actum, memor eum triennio ante quæſtorem factum, ignaruſque nondum a cenſoribus in ordinem ſenatorum lectum*. Neque hoc unum ſolum, ſed multa alia ejus rei in veterum libris veſtigia ſunt impreſſa. Et ne alios quæram, apud eundem Valerium ita eſt lib. VI. *C. Marius Arpinatibus honoribus judicatus inferior, quæſturam Romæ petere auſus eſt, patientia deinde repulſarum, irrupit magis in curiam, quam venit. In tribunatus quoque, & ædilitatis petitione conſimilem campi notam expertus*. Haud difficile id etiam eſt confirmare exemplis. Non pauca enim in veterum libris notavi, ut Ciceronis. Hic enim, antequam ædilitatem obtinuiſſet, ſenatorem ſe multis indicat in locis. Ut in accuſatione Verrina, quando inquit: *Declarat hoc meum pudorem, ac religionem, quod cum veniſſem ſenator ad ſocios populi Rom. qui in ea provincia quæſtor fuiſſem, ad hoſpites ac neceſſarios, cauſſæ communis defenſor, diverti potius, quam ad eos, qui a me auxilium petiverunt*. Eodem modo, Dione teſte lib. LIV. Auguſtus quæſtorios, qui cenſum haberent ſenatorium, in ſenatum legit omnes. Qui tamen me torqueat ſcrupulus eſt, quod verba Sex. Pompeii oſtendere videntur neminem, niſi cenſus eſſet in ſenioribus, ſenatorem fuiſſe. Ait enim: *Senatores a ſenectute dici ſatis conſtat, quos initio Romulus legit centum, quorum conſilio Remp. adminiſtrabat. Itaque etiam patres appellati ſunt. & nunc, cum ſenatores adeſſe jubentur, additur, Quibuſque in ſenatu ſententiam dicere licet. quia ii, qui poſt luſtrum conditum ex junioribus magiſtratum ceperunt, in ſenatu ſententiam dicunt, ſed non vocantur ſenatores ante, quam in ſenioribus ſunt cenſi*. Neſcio an intelligat juniores annis ſex & quadraginta, quæ ætas in delectu ſpectata eſt, auctore Tuberone I. & Livio XLIII. libro. Quod falſum eſſe multis exemplis convincitur. Nondum vero aliud quidquam, de ſenioribus, aut junioribus, apud bonum ſcriptorem aliquem reperi. Ita fit, ut, quid velit Feſtus, non intelligam. Neque hoc me ſententia movebit, quo minus credam ex quæſtura ſtatim aditum patuiſſe in ſenatum. Sed quanquam XXVII. anno quæſtura geri potuit, vix tamen eam quiſquam hac ætate habuit; vel ſi habuiſſet, raro in ſequentem annum luſtrum incidebat, proptereaque neſcio an quiſquam ante XXX. annum lectus ſit. Ex quo apparet id quo me conjectura perduxit, non multum diſcrepare a lege, quam de ſenatu cooptando Haleſinis C. Claudius, & Bithyniis Cn. Pompeius dedit; ne quis XXX. annis minor in ſenatu eſſet. Nam hoc ſancitum ad exemplum Rom. Reipublicæ facile crediderim. Et licet credere, cum intelligamus ex Plinii ad Trajanum Epiſtolis, ceteris in rebus omnibus, quod ad ſenatum, magiſtratuſque attinet, a Pompeio diſciplinam Bithyniorum Romanis aſtrictam legibus.

CAP. IX.

Ex quibus magiſtratibus lecti ſenatores.

Atque hæc, quæ de ætate diximus, veriora videbuntur, ſi jus magiſtratus demonſtraverimus. Dico igitur per magiſtratuum gradus ad ampliſſimum & altiſſimum civitatis ordinem omnes fere perveniſſe. Cujus præcepti principem, & auctorem habeo Livium, qui narrat, in pugna Cannenſi cæſos LXX. ſenatores, aut, qui eos magiſtratus geſſiſſent, unde in ſenatum legi deberent. Et Dionem lib. LIV. in quo ait, S. C. fuiſſe quoddam factum, ut XX. viri ex equitibus crearentur. Quorum deinde, inquit, nullus in ſenatum eſt adlectus, niſi quem etiam alium magiſtratum geſſiſſet, ex quo in ſenatum legi jus eſſet. Cui non diſſimilis videtur conſuetudo, quæ in Rep. noſtra obſervatur. Nam, qui ceperunt Pontificatum, aut majorem magiſtratum, ut qui Palatini, aut Caſtellani facti ſunt, in maximo & graviſſimo totius Regni Polonici concilio locum habent, & quoniam hi honores perpetui ſunt, ſine alia lectione ordinem acquirunt ſenatorium. Sed cum Romanæ Reipublicæ annui magiſtratus præeſſent, qui jure magiſtratus in curiam ingreſſi erant, poſtquam eo abierant, non excludebantur quidem, & ſententiam dicere poterant: ſed neque fruebantur, neque tenebantur jure ſupremi ordinis, niſi poſt eſſent a cenſoribus lecti. Quamobrem ait Feſtus: *Qui magiſtratuum ceperunt, non vocantur ſenatores ante, quam ſunt in ſenioribus cenſi*. & Gellius lib. 3. *M. Varro in Satyra Menippea, quæ ἱπποκύων inſcripta eſt, equites quoſdam dicit pedarios appellatos. Videturque eos ſignificare, qui nondum a cenſoribus in ſenatum lecti, ſenatores quidem non erant, ſed quia honoribus populi uſi erant, in ſenatum veniebant, & ſententiæ jus habebant. Nam & curulibus magiſtratibus functi, qui nondum a cenſoribus in ſenatum lecti erant, ſenatores non erant, &, quia in poſtremis ſcripti erant, non rogabantur ſententias: ſed quas principes dixerant, in eas diſcedebant*. Quibus ex verbis apparet, qui fuerint pedarii ſenatores. Qui videlicet in alienam pedibus ſæpe irent, raro, & niſi poſtulata a conſule poteſtate, quia nunquam rogabantur, ſtantes ſententiam dicerent, nec jure tenerentur, aut fruerentur ſenatorio. De quibus Cicero ad Atticum: *Et raptim in eam ſententiam pedarii concurrerunt*. Item: *Eſt illud S. C. ſumma pedariorum voluntate, nullus noſtrum auctoritate factum*. Atqui, ut Gellius refert, alia etiam vocabuli iſtius ratio eſſe dicitur, quam C. Baſſus in commentariis ſuis ſcriptam reliquerat. De qua aptiore, & commodiore loco. Videtur autem ad hoc tempus, hujuſque libri inſtitutum pertinere, ut de Atinio plebiſcito aliquid dicam, ante quod tribunos plebis ſenatores non fuiſſe, idem Gellius lib. XIV. narrat. Si enim jure, ut quidam ajunt, magiſtratus ſine cooptatione cenſoria ſenatores erant, falſa eſt definitio ſenatoris, quam ab initio propoſuimus. Sed certum eſt ejus rogationis fuiſſe hanc ſententiam, *ut tribuni pl. ex iis, quibus ab aliorum honorum functione, aditus in ſenatum datus erat, & qui jam ſenatores erant, crearentur*. Etenim gerebatur tribunatus pl. poſt quæſturam. Hinc Cicero Curioni: *Petivi ſæpius per litteras, ſed tum quaſi a ſenatore nobiliſſimo, & adoleſcente gratioſiſſimo, nunc a tribuno pl. & a Curione tribuno*. Et Suetonius in Auguſto: *Comitiis tribuniciis, ſi deeſſent candidati ſenatores, ex equitibus Romanis creavit, ita ut, poteſtate tranſacta, in utro vellent ordine manerent*. Tribunos autem pl. in ſenatum lectos a cenſoribus indicat Livius lib. XLV. *Cenſoribus*, inquit, *petentibus, ut ex inſtituto, ad ſarta tecta exigenda, & ad opera, quæ locaſſent, probanda, anni & bimenſis tempus prorogaretur, Cn. Trebellius tribunus, quia lectus*

A *non erat in senatum, intercessit. Verum enim vero postea C. Atinius Labeo tribunus pl. cum timeret, ne a sequentibus censoribus in senatu legendo praeteriretur, quod Q. Metellum Macedonicum censorem de saxo Tarpejo dejici jusserat, eam rogationem tulit.* Probabile id quidem est. nam & caussa legis ferendae aptissima conjicitur, & latoris nomen congruit. Sed vel hoc nos docere potest, quam sint infirmae omnes in antiquitate concipienda conjecturae. Extreme enim insanit Piso, qui teste Dione lib. XL. vult movere Curionem illum tribunum pl. qui bellum civile Pompeianum concitavit, si diis ac hominibus invitis jure tribunatus, quem gerebat, senator fuit; B non solum timidus, sed ridiculus est Curio, atque etiam illi tribuni Caesare & Bibulo consulibus, de quibus idem lib. XXXVII. qui propter censorum minas trepidant, & irati magistratus voces sine potestate, tanquam strepitum inanem, pertimescunt.

CAP. X.

Census Senatorum.

De censu porro conjicio ex Asconii verbis in explicatione Verrinarum: *Moris*, inquit, *erat*, C *cum aliquis civis Rom. ostendendus esset, ut significaretur, aut a praenomine suo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a tribu, in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si esset senator, equesve Rom.* Item ex Seneca, tum in declamationibus, tum in lib. de beneficiis. Etenim in lib. de beneficiis ita scribit: *Video istic mensas, & aestimatum lignum senatoris censu.* In declamationibus autem hoc modo: *Senatorium gradum census ascendere facit. census Rom. equitem a plebe discernit.* Unde Arnobius scite & pie adversus gentes lib. V. *Quis ad extremum deam pecuniam esse credat? quam, velut maximum numen, vestrae indicant litterae donare annu*D*los aureos, loca in ludis atque spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinemque magistratus.* Multi tamen negant census rationem habitam stante Rep. quod ita scriptum legerint a Plinio lib. XIV. *Posteris laxitas mundi & rerum amplitudo damno fuit. Postquam senator censu legi coeptus, judex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare quam census, pessum iere vitae pretia.* Sed certe Asconius respexit illud tempus, quo accusabat Cicero Verrem. Atque audiamus etiam Livium lib. XXII. *Cum deessent nautae, consules ex S. C. edixerunt, ut qui L. Aemilio C. Flaminio censoribus millibus aeris quinquaginta ipse, aut pater ejus census fuisset, usque ad* E *centum millia, aut cui postea res tanta esset facta, nautam unum cum sex mensium stipendio daret. qui supra centum millia, usque ad trecenta millia, tres nautas, cum stipendio annuo. qui supra trecenta millia, usque ad decies aeris, quinque nautas. qui supra decies, septem. senatores, octo nautas, cum annuo stipendio darent. Qui autem itam edixerunt consules Q. Fabius Maximus IV. & M. Marcellus III. fuere.* Non est igitur recens hoc institutum. Nam quia videmus servos ex censu numero constituto, datos ad remum, illique dederint septem, qui supra decies aeris censum haberent, census senatorum profecto, F quia dederant octo nautas, major erat. Stat & illa pro me ratio, quod cum certus equitum census semper fuerit, nulla potest reddi caussa, cur non etiam idem in senatoribus sit observatus. Scio multos esse contentionis cupidiores quam veritatis, qui delicato quodam fastidio inventa aliorum rejiciant. Quamobrem ut istis praecludatur occasio calumniandi, ad has conjecturas, quae sane sunt probabiles, perspicuum Livii testimonium adjiciam, quod ejusmodi est: *Cum Sp. Carvilius longa oratione non solum inopiam, sed etiam paucitatem civium, ex quibus in patres legerentur, conquestus esset.* Diserte, ut existimo, non tectis verbis, id, quod dicimus, probat. Reperi autem eam auctoritatem ex XXIII. lib. Quare constat, si non ab initio Reipublicae, at certe jam ante bellum Hannibalis, censum in amplissimo ordine legendo custoditum, eumque non modo eorum, qui classis quintae erant, quod non vult fateri Grucchius, sed illorum quoque, qui supra decies aeris possiderent, censu majorem fuisse ac nescio an minorem quam C. Caesaris aetate. Hannibalis deinde bello, infinitis exhausto aerario sumptibus, illa voluntaria collatio, post aliquot annos, nihil reliquum fecerat senatoribus, praeter annulos sibi, & conjugi, & liberis, & filio bullam, & quibus uxor filiaeve erant, singulas uncias auri pondo; argenti, qui curuli sella sederant, equi ornamenta, & libras pondo, ut salinum patellamque deorum caussa habere possent; caeteris senatoribus libram argenti tantum, aeris signati quinque millia. Caeterum omne aurum, argentum, aes signatum ad III. viros mensarios, ne Respublica stipendio egeret, collatum est, summo certamine injecto, ut prima inter primos nomina sua vellent in publicis tabulis esse. Haec ad verbum ex XXVI. historiae Livianae libro. Ita Republica conservata & aucta, privatae res postea civium Romanorum facile creverunt. Nam doctissimi colligunt viri, ante Augustum censum senatorium fuisse octingenta millia HS. & post Augustum duodecies. Ejus rei testes citant Suetonium & Dionem. Suetonium in vita Augusti, cum scribit: *Senatorium censum ampliavit, ac pro octingentorum millium summa duodecies HS. taxavit, supplevitque non habentibus.* Dionem vero LIV. lib. quando ait: *Inde senatus iterum lectus est. Cum enim census, qui initio senatoribus, amissis per bella a multis patrimoniis, centum millium erat praefinitus, procedente tempore, magnis partis opibus, ad CCL. millia perductus esset, nemo inveniebatur, qui legi vellet. quin etiam filii senatorum, & nepotes, aut propter angustias rei familiaris, aut propter parentum & avorum calamitates animis fracti, non modo non appetebant senatoriam dignitatem, sed ea se quoque abdicabant.* Centum millia drachmarum procul omni dubio intelligit, quae non octingenta, ut Suetonius vult, sunt, sed quadringenta HS. Romanorum. Itaque sciendum est Augustum exinanita urbe diminuisse primum censum, & minorem, quam fuisset antea, constituisse; deinde, post continua bella, & proscriptiones recreata civitate, & aucta divitiis, alio decreto, non solum explevisse superiorem, quem diminuerat, census numerum, sed & ampliasse. Quod ex Dionis verbis perspicuum est; nam, cum dicit censum fuisse praefinitum centum millium, caussam hanc subjicit: *Quod multi*, ait, *bellis patrimonia amisissent.* Hunc autem censum centum millium non veterem, sed ab Augusto institutum constat, ex eodem Dionis libro. In quo paullo ante scriptum ita reliquit: *Qui centum millia census haberent, eis magistratuum petendorum potestatem dedit.* Hunc enim primum constituerat senatorium censum, quem deinde usque ad CCL. protulit. Ac de censu ab Augusto aucto, suo loco exquiremus; decies autem aeris aureorum sunt, quos vocamus scutatos XV. millia. Verum priusquam auctum esset aeris pretium Hannibalis bello, totidem erant, quot X. millia. Octingenta vero HS. millia, & CC. drachmarum cum XXIV. aureorum nostrorum millibus comparo. Neque hic omnia ad vivum resecavimus, sed lusimus, ut hominum voluntati morem gereremus, qui cum nostri saeculi opibus antiquas illas divitias conferre studebunt. Itaque si me poenitebit, id mihi licere velim, quod in XII. scrupis concedebatur, ut calculum reducam, quo me errasse, repetito lusus totius ordine, recordabor.

CAP. XI.

Quæstus Senatorum.

NEC solum de censu cautum fuit, verum etiam de quæstu turpi & sordido. Etenim Cicero in Verrinis dixit Claudium Pulchrum prætorem ex S. C. leges Halesinis de senatu cooptando conscripsisse, in quibus tum alia multa, tum de quæstu sanxisse, quem qui fecisset ne legeretur. Quod Romæ observatum non dubito, ne sordibus illiberalis quæstus majestas ordinis amplissimi pollueretur. Ut si quis egestatem lenocinio sustentasset, aut vocem in lucrum contulisset, aut haruspicinam fecisset, aut ludicram artem exercuisset. De histrionibus patet ex illo D. Augustini loco libr. I. de civitate Dei cap. XIII. *Romani vero hominibus scenicis, nec plebejam tribum, quanto minus senatoriam curiam, dehonestari sinunt.* De præconibus, & haruspicibus indicat Cicero in epistola ad Leptam, in qua in principio ita est: *Simul accepi a Seleuco tuas litteras. statim quæsivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. rescripsit, eos, qui facerent præconium, vetari esse in decurionibus; qui fecissent, non vetari. quare bono animo sint & tui, & mei familiares: neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romæ legerentur, eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.* Quod ad lenones attinet, non est ita res obscura, ut testimonium desideret.

CAP. XII.

Buteonis lectio.

SEQUITUR lectio Buteonis dictatoris, quam Livius libr. XXIII. & Plutarchus in Fabio, sub bellum II. Punicum ponunt. Narrat uterque, cum dictator M. Junius Pera in castris esset, alterum quoque eodem tempore in urbe N. Fabium Buteonem, legendi senatus caussa dictum, cum non solum convenientium ad publicum consilium post tot gravissimas clades magna infrequentia, verum etiam, ut Livius addit, civium, qui in patres legerentur, summa paucitas & inopia esset. Dictus autem est nocte, ut mos erat, auctore Livio, ex S. C. cujus a me, referendæ antiquitatis caussa, talis est informata perscriptio.

**. *Quod M. Æmilius pretor V. F. de senatu supplendo D. E. R. I. C. dictatorem, qui censuram ante gessisset, vetustissimusque ex iis, qui viverent, censoriis esset, senatus legendi caussa, in sex menses, sine magistro equitum, oportere creari, adque eum dicendum consulem Terentium ex Apulia acciri.* Qua vero animi moderatione Buteo in dictatura fuerit, quos, & quot numero senatores legerit, pluribus verbis describit Livius. Ego tamen hoc solum, quod ad institutam scriptionem pertinere videbatur, infra apposui: *Dixit se neminem senatu moturum ex iis, quos C. Flaminius, L. Æmilius censores in senatum legissent. transcribi tantum recitarique eos jussurum, ne penes unum hominem judicium arbitriumque de fama ac moribus senatoris fuerit, & ita in demortuorum locum sublecturum, ut ordo ordini, non homo homini, prælatus esse videretur. Recitato vetere senatu, inde primum in demortuorum locum legit, qui post L. Æmilium & C. Flaminium censores curulem magistratum cepissent, necdum in senatum lecti essent, ut quisque eorum senator primus creatus erat. tum legit, qui ædiles, tribuni, prætores, quæstoresve fuerant. tum ex iis, qui spolia ex Romano hoste fixa domi haberent, aut civicam coronam accepissent. Ita CLXXVII. cum ingenti approbatione omnium, in senatum lectis, exemplo se magistratu abdicavit, pri-*A *vatusque de rostris descendit.* Quod autem narrat eos lectos, qui spolia hostium domi fixa haberent, id ita observatum scribit Plinius lib. XXXV. ab antiquis, ut foris, & circum limina majorum suorum, fortissimorum virorum, imagines disponerent, affixis hostium spoliis. Neque miror eorum quoque, qui civem conservassent, habitam rationem, cum, ut idem auctor tradit lib. XVI. ineuntibus ludos a senatu assurgi in more esset, sedendique jus in proximo senatui haberent.

B

CAP. XIII.

Syllæ, Cæsaris, Antonii, & Triumvirorum lectio.

DIXI de N. Buteonis dictatura. Lectionis vero consularis Syllæ, & Rufi, præter id, quod supra attuli ex Appiano, in veterum libris nullum aliud vestigium agnovi.

At in dictatura Sylla senatum ex equitibus supplevit, Livio teste, libr. LXXXI. Quanquam Dionysius, sub finem libr. V. cum Syllæ crudelitatem, & C impotentiam in dictatura commemorat, id ei, inter cætera, vitio vertit, quod nullo discrimine, quosvis in senatum legerit. Et Sallustius multos ex gregariis militibus senatores post Syllæ victoriam factos prodit. Quomodo vero id fecerit, dubitari non potest, cum scribat Appianus ab eo concessa fuisse tribubus de singulis suffragia. Tacitus in Annali XI. refert, cum ante essent quæstores octo, lege Syllæ viginti creatos, supplendo senatui, cui judicia tradiderat.

Julio Cæsari Africa subacta a senatu decretos, tum alios singulares honores, tum ut moribus præfectus esset in triennium, ex Dione constat. Itaque Cæsa- D rem significat Cicero, cum sic ad Papirium Pætum scribit: *Quandiu hic erit, noster hic profectus moribus, parebo auctoritati tuæ.* Præfectum autem moribus appellavit senatus, Dione teste, quod censoris nomen parum ei decorum esse putaret. Cæsarem tamen senatum legisse, antequam in Africam trajecisset, reperio apud eundem historicum XLII. lib. *Hic peregrinos, milites, libertinos, tonsores, haruspices in senatum legit.* De peregrinis patet ex iis, quæ ab initio sunt a nobis disputata. De militibus vero narrat lib. XLII. Dio, in hanc ferme sententiam: *Equitibus, centurionibus, & qui his minora in exercitu obibant munera, cum alia præmia* E *tribuit, tum quosdam ex iis, in locum demortuorum senatorum sublegit.* Et de libertinis lib. XLIII. hoc modo: *Adscripsit in senatum plurimos, nullo discrimine sive quis miles, sive libertinus esset. Lucium vero Licinium, tonsorem opulentissimum, senatorem Cæsar fecit, quia dicebatur nimium odisse Pompeium.* Hoc Acro in explicatione Poeticæ. alium enim auctorem habeo neminem. Quod attinet ad haruspices, indicio est Ciceronis, quam supra citavi, epistola ad Leptam data. Macrobius scribit, hanc facilitatem Cæsaris in eligendo senatu Ciceronem palam irrisisse. Nam cum ab hospite suo, F P. Mallio, rogaretur, ut ejus privigno, qui decurionatum ambiebat, auxilio esset, assistente frequentia dixit: *Romæ si jus habebit Pompejus, difficile est.* Sed quid mirum est Ciceronem joco perstrinxisse Cæsarem, cum, ut refert Dio, etiam milites ei in probris, senatus lectionem objicerent? Antonianæ lectionis mentio fit apud Plutarchum, & Appianum. Hic lib. III. refert ab Antonio ex actis Cæsaris, ut fingebat, infinita civitatibus, regibus, & amicis, beneficia tributa; & non paucos in senatum adlectos. Ille libro quinto Antonium Cæsaris commentariis multa suo arbitratu adscripsis-

se tradit, nonnullis magistratus, multis senatorium ordinem dedisse, quosdam etiam ab exilio reduxisse, & publicis vinculis exemisse, hosque universos per jocum a Romanis χαρωνίτας appellatos, quod se defuncti Cæsaris commentariis tuerentur. Quæ cum sic prodita, & litterarum monumentis consignata sint a Plutarcho, Suetoniusque scribat illos indignissimos senatores, qui post necem Cæsaris per gratiam & præmium erant adlecti, *abortivos* vocatos, non dubito eo loco reponendum *orcinos*. Quod venit jam ante nos in mentem Petro Victorio, homini summa doctrina prædito. Sic enim & liberti quidam orcini dicuntur, ut in jure civili didicimus, qui directam ex testamento accepere libertatem, nec unquam patronum vivum habuere.

Subsequuta est deinde III. virum R. C. lectio, multo magis infamis. Nam ab his, L. Marcio, & C. Sabino coss. socios, milites, libertinos, atque etiam servos in senatum cooptatos ex XLIIX. libr. Dionis intelligi potest.

CAP. XIV.

Augusti lectio.

RESTAT ut de temporibus Augusti dicamus. Cum anno DCCXXVI. Augustus imperium Cæsaris, quod devicto Antonio ad Actium ipse sibi vendicavit, confirmasset, post aliquot annos censoriam potestatem in perpetuum populus ei mandare cupiebat, quam ille repudiavit, ac statim creavit alios censores Paullum, Plancumque. Hos ultimos privatos censuram obtinuisse tradunt. Qui censores utrum senatum legerint, nec ne, compertum non habeo. Verum illæ quinque non sunt prætermittendæ Augusti lectiones, quas Dio memoriæ & litteris prodidit. Primum igitur in Appuleii, & suo quinto consulatu Augustus cum in Agrippa censor, annos fere octo ante illos, quos modo nominavi, senatum legit; & quoniam Republica laborante plurimi, ut disserui, indignissimi, & fœdissimi homines in senatum irrepserant, & propterea ad M. usque senatorum numerus excreverat; eum ordinem perpurgavit, & pristino nitori restituit. qua lectione multos, qui sibi libertini generis, vel alicujus criminis conscii essent, adhortatione sua levissima, permovit, ut in quod patrimonium quasi dignitatis invaserant, de ejus possessione sponte decederent. Deinde P. & Cn. Lentulis coss. præfectus morum in quinquennium, cum senatum legere instituisset, ne movendis senatoribus in odium incurreret, juratus se eos, quibus plurimum confideret, delecturum, XXX. creavit viros; quorum singulos, jurejurando eodem adactos, jussit quinque civium nomina edere, quos maxime idoneos ad senatoria munera obeunda ducerent, & ex his quinque sorte unus in senatum cooptabatur. Si vero nomen alicujus, qui non adesset, primum exiret, res iterum revocabatur ad sortem. Sed cum ita aliquot diebus res acta esset, reliquos, ad explendum numerum DC. senatorum, ipse arbitratu suo legit, propter fraudem, & XXX. virum quorundam, & Quæstorum, quibus tabellas crediderat, quas nominibus inscriptis quinque illorum civium in urnam conjicerent, ut deinde manibus pueri ducerentur. Mox Licinium Regulum narrat Dio, graviter conquestum esse de sortis injustitia, quæ se dignitate senatoria spoliarit, eamque filio suo, & quibusdam aliis, nullo modo secum comparandis, detulerit; & enumeratis stipendiis, veste lacerata in curia, ut cicatrices ostenderet, corpus denudasse: atque etiam alium quendam, cui Articuleio Pæto nomen erat, ut sibi patri loco cedere liceret, omnibus precibus obsecrasse; hujusque pietate, & illius querimonia adductum Octavianum, & quod non paucos indignos illa lectione cooptatos videret, totum ab initio senatum recitasse ait, & nonnullis senatu motis, alios sublegisse. Tertio senatum legit Augustus Tiberio, & Quinctilio coss. quo tempore aucto censu, cum nemo senator esse vellet, & ideo ne tribunatum quidem quisquam peteret, ex quæstoriis, & nondum XL. annos natis tribuni pl. ut fierent aliqui, omnes ipse perquisivit, ac eos quidem, qui XXXV. annum (nescio an. LXV. dicere velit) excesserant, præteriit: qui vero infra eam ætatem erant, & censum senatorium habebant, nisi qui membris capti essent, senatores esse coegit. Quinto Augustus præfectus item morum Julio & Fabio coss. senatum legit. Sexto Sabino, & Rufo, ut arbitror, coss. Legit autem per III. viros, quos ex decem senatoribus, quorum maxime habebat probitatem, & fidem perspectam, sorte creavit. Ad hos Suetonius spectavit, cum in vita Augusti illa scripsit: *Quo plures partem administrandæ Reipublicæ caperent, nova officia excogitavit, curam operum publicorum, viarum, aquarum, alvei Tyberis, frumenti populo dividendi, præfecturam urbis, III. viratum legendi senatus, & alterum recognoscendi turmas equitum.* Lectiones vero illas, nunc a nobis ope historiarum Dionis pluribus verbis commemoratas, vix attigit Suetonius. Namque hoc solum de iis reperi in ejus commentario: *Senatorum affluentem numerum deformi & incondita turba (erant enim super mille, & quidam indignissimi, post necem Cæsaris, per gratiam & præmium adlecti, quos orcinos vulgus vocabat) ad modum pristinum & splendorem redegit duab. lectionibus, prima ipsorum arbitratu, quo vir virum legit, secunda suo & Agrippæ, quo tempore æstimatur lorica sub veste munitus, ferroque cinctus præsedisse, decem valentissimis senatorii ordinis amicis sellam suam circumstantibus. Cordus Cremutius scribit, ne admissum quidem quenquam senatorum, nisi solum, & prætentato sinu. Quosdam ad excusandi se verecundiam compulit, servavitque, etiam excusantibus, insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandique publice jus.* Suspicor autem ab Augusto multa ad perpetuitatem de senatu cooptando sancita, duo tamen illius tantum instituta ad eam rem pertinentia, veterum annalium auxilio, tanquam duæ tabulæ e naufragio quodam, servata sint. Primum enim intulit Dione auctore lib. LV. *ut quotannis senatorum nomina perscripta in albo proponerentur.* Deinde, quod ante diximus, censum auxit. Illud Marcio & Asinio consulibus cœptum Dio aperte dicit; hoc vero ante lectionem tertiam factum ex eo loco ejusdem historici conjicio, ubi ait, *censu prolato ad ducenta & quinquaginta millia, qui senator esse vellet, reperiri potuisse neminem.* Cæterum ducenta & quinquaginta millia drachmarum, decies sunt HS. non duodecies, quod scribit Suetonius. Duodecies autem HS. trecentis millibus drachmarum respondent. Quem octoginta senatorum tantum, non omnium, censum prodit Dio libr. XLV. *Quoniam*, inquit, *multi senatores, & equites citra suam culpam redigebantur ad paupertatem, plerisque constitutum censum eorum ordini supplevit, octoginta autem quibusdam usque ad trecenta millia ampliavit.* CCL. millia drachmarum & decies HS. fere sunt XXX. aureorum nostri temporis millia; & duodecies HS. itemque CCC. millia drachmarum circiter XXXVI. millia. Verum & alium ab initio intulerat, ut disserui, Augustus senatorium censum. Is centum drachmarum, hoc est, HS. fere CCCC. millia erat, quibus XII. millia aureorum oppununt rerum nummorumque antiquorum periti.

De senatus lectione satis a nobis est disputatum. Dein-

Deinceps ad eam curam toto pectore incumbemus, ut senatoris Rom. statum exprimamus, & quasi ante oculos lectorum constituamus. Quæramus igitur primum, quid muneris sustinerent senatores; deinde quibus in rebus durior illis vitæ conditio quam reliquis civibus esset constituta; tum postremo quæ præmia & ornamenta haberent.

CAP. XV.

Munus senatorum.

MAXIMUM ac potissimum senatorum munus erat de Rep. cum magistratibus consultare. Neque hoc in senatu solum, verum etiam in ducum potestatumve, ut Plinius vocat, consiliis. In quibus præcipuas partes senatorum fuisse, non obscure significare videtur Sallustius, cum ait: *Metellus propere cunctos senatorii ordinis ex hibernis accersiri jubet. eorum & aliorum, quos idoneos ducebat, consilium habet. Ita more majorum ex consilii decreto per legatos Jugurthæ imperat argenti pondo ducenta millia.*

Cætera vero senatoria munera investiganti mihi accuratius, primo loco judicia occurrunt. Principio Romulus, Dionysio lib. II. teste, ita judicandi munus partitus erat cum senatoribus, ut illis tantum rerum leviorum cognitionem permitteret; sibi autem non solum criminum, quibus Resp. læderetur, vindicationem, sed & privatæ cujusque caussæ maximi momenti judicium omne reservaret. Idem historicus infra Ser. Tullium, velut operis maximi auctorem, laudat, quod privatos judices omnium privatarum controversiarum constituisset. Verum regiorum judiciorum omnis fere memoria vetustate obliterata evanuit. Illud autem æternis litterarum notis testatum ab historicis omnibus est, senatorium ordinem solum judicasse, a primis libertatis temporibus, ad annum DCXXX. ad urbe condita. tot enim numerantur ad tribunatum C. Gracchi, qui sua lege judicia senatui eripuit, & ad equites transtulit. Quod cum alii sexcenti, tum M. Varro apud Nonium aperte demonstrat his verbis: *C. Gracchus senatui iniquus, equestri ordini judicia tradidit, ac bicipitem civitatem fecit discordiarum civilium fontem.* Prudenter sane, quoniam hac quasi materia præbita occultis odiorum scintillis, gravissima dissensionum inter ordines incendia, brevi tempore, exarserunt: & cum judicia modo huc, modo illuc transferrentur, & ab altera parte semper maxima animorum contentione repeterentur, inde ad exitum usque Reip. nullus finis certaminum fuit. Itaque cum XVI. annos tantum essent penes equites, mox consulari Servilii Cæpionis lege, ut refert Obsequens, utrique ordini communicata sunt. Neque hic cogitationum suarum aculeos doctissimi viri dissimularunt. Etenim quærunt quid caussæ fuerit, cur de eadem lege Drusus tribunus pl. anno DCLXII. referret. Atque hujus difficultatis explicandæ duplex adhuc reperta est ratio. Alii minorem fuisse lege Servilia numerum senatorum dicunt, & opinantur hoc esse, quod in epitomis Livii de sexcentis equitibus, trecentis senatoribus admixtis, ad C. Gracchi rogationem refertur: idcircoque postea Drusum lege commisisse judicia trecentis equitibus, totidemque senatoribus, ut amplissimus ordo, cujus dignitati mirum in modum favebat, multitudinem alterius assequeretur, & exæquaret. Quidam vero ex eo concludunt, rogationem Serviliam, aut Q. Cæpione latore damnato abrogatam, aut certe nunquam servatam. Id quod magis placet: scriptum est enim apud Ciceronem in oratione pro C. Cornelio, primum lege Plotia senatores cum equitibus judicasse. Legibus enim Liviis quoque S. C. sublatis, ad pristinum statum res judiciaria redierat. Plotiæ autem tribunitiæ hæc fuit sententia, ut singulæ tribus suffragiis quinos denos per annum judicaturos crearent, ex eoque factum esse ait Asconius, ut senatores quoque in eo numero essent, & quidam etiam de plebe. Tandem iterum soli senatores judicarunt lege Syllæ dictatoris. Hic enim rerum potitus equites, quod partes Cinnæ fovissent, judiciorum regno spoliavit. Sylla autem mortuo Aurelius Cotta prætor judicia divisit, inter senatores, equites, & tribunos ærarios. Omitto legem Pompeiam consularem, nihil enim de ordinibus mutavit. Senatorum porro, qui ea tempestate judicarent, numerus notatur in veteri senatusconsulto, Cœlii epistolis interposito, cujus caput quoddam tale est: *Et cum de ea re ad senatum referretur a consulibus, qui eorum in* CCC. *judicibus essent, sex abducere liceret.* Plutarchus vero in Pompeio, & Paterculus lib. II. CCCLX. edunt. Propterea que vereor ne lacuna sit in libro Cœlii. Mendosum certe esse argumento est dictio *sex*, non opportuno loco collocata. Judicum autem senatorii tantum ordinis hanc fuisse summam, etsi neque in S. C. neque in Plutarchi, Velleiique historia id expressum sit, ex eo licet existimare, quod universos judices DCCCL. Cicero lib. VIII. ad Atticum numerat. Indæ Cæsar dictator ad equites, & senatores judicia redegit, tribunos ærarios sustulit. Post M. Antonius ad duas decurias senatorum & equitum, tertiam centuriorum ac manipulariorum legionis Alaudæ; & mox Augustus quartam ducenariorum adjunxit. Verum quidem hæc hactenus. Plura qui volet, librum de Legibus Paulli Manutii diligenter legat, a quo omnis hujus loci quæstio plene cumultateque est perfecta.

Vetus etiam institutum fuit, ut publici populi R. nuncii, cum mandatis ad exteras nationes, ex solo ordine senatorio mitterentur. Ac hujus quidem rei testem habemus Livium libro IV. *Solitudinem*, ait, *in civitate ægra experti consules sunt, cum in legationes non plus binis senatoribus invenientes, coacti sunt binos equites adjicere.* De ultimis Reipub. temporibus nulla, quod sciam, extat veterum auctoritas; neque aliquo exemplo hoc obeundarum legationum munus communicatum cum aliis ordinibus probari potest. Nam Servium Honoratum ego non arbitror esse antiquitatis auctorem satis idoneum, qui cum lib. IIX. Virg. Æneam ex omni ordine ad Latinum oratores delegisse fingit, expressam ab eo veterem dimittendarum legationum rationem, quæ ad suam usque ætatem permanarit, interpretatur. Fetiales certe constat non fuisse senatores. Livius lib. XXXI. *Consuli a patrib. commissum est, ut quem videretur, ex iis, qui extra senatum essent, legatum mitteret ad bellum regi indicendum.* Atque etiam imperatores nonnunquam sibi legasse in equestri adhuc ordine constitutos, certum est. Scribit enim Cornelius Nepos, Atticum equitem Rom. ne cum Q. quidem Cicerone voluisse ire in Asiam, cum apud eum legati locum obtinere posset.

Jam vero cum senatorio ordine magistratus colligati, atque vinculo quodam constricti erant. Docet hoc Cicero in Cluentiana his verbis: *Senatorem hoc queri non posse, quod ea conditione honores petere cœpisset, quodque permulta essent ornamenta, quibus eam mitigare molestiam posset, locus, auctoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, provinciæ.* Et in defensione Postumi, cum de equitibus loquitur: *Quonam modo se defendent posthac qui vestri ordinis, cum magistratibus nostris, his erunt caussis implicati.* Et supra in eadem oratione: *Delectat amplissimus civitatis gradus, sella curulis, fasces, imperia, provinciæ, sacerdotia, triumphi.* De provinciis autem, sunt hæc apud Florum: *Quid ad jus libertatis magis efficax, quam ut, senatu*

regente provincias, ordinis equeſtris auctoritas ſaltem judiciorum regno niteretur. Fere enim provinciæ, & imperia ſenatoribus mandabantur, vel iis, qui jure magiſtratuum in ſenatum venerant. Raro equitibus, ac neſcio an alicui ſtante Rep. præter Pompeium, quem cum XX. & III. annum vix exceſſiſſet, a Sylla adverſus Carbonem & Perpernam cum imperio miſſum conſtat. Hinc M. Tullius in Pompeiana: *Quid tam præter conſuetudinem, quod homini peradoleſcenti, cujus a ſenatorio gradu ætas longe abeſſet, imperium, atque exercitum dari? Siciliam permitti, atque Africam, bellumque in ea adminiſtrandum?* Cæterum narrat Dio lib. LIII. Auguſtum aliis provinciis ſenatores præfeciſſe, Ægypto autem equites, quod eam gentem haberet ſuſpectam, ne novis reb. ſtuderet. Quoniam vero idem tradit infra lib. LIV. ampliato cenſu, in magna paucitate ſenatorum XX. viros ex equitibus conſtitutos; quorum ſunt III. viri capitales, III. viri auro, argento, ære, flando feriundo, III. viri viarum in urbe muniendarum, & X. viri ſtlitibus judicandis; II. viros autem viarum extra urbem ſubſtruendarum marginandarumque, & IV. viros, qui in Campaniam mittebantur, abrogatos; inde fit ut iſta quoque in hunc numerum referenda exiſtimem. X. viri quidem ſtlitibus judicandis, præerant iis judiciis, quæ ad centumviros ſorte deferebantur. At hoc munus quæſtorii ante obibant. Eſt enim ex Suetonio minime dubium hac de re argumentum: *Auctor*, inquit, *fuit, ut centumviralem haſtam, quam quæſtura functi cogere conſueverant, X. viri cogerent*. Ad ejus rei illuſtrationem facit quoque monumentum, patrum noſtrorum memoria repertum, cum indice tali: SCÆVA. QUÆSTOR. X. VIR. STLITIBUS. JUDICANDIS. S. C. POST. QUÆSTURAM. ET. X VIRATUM. STLITIBUS. TRIB. PL. &c. Eodem modo ex Plutarcho reperi Cæſarem Appiæ viæ ſternendæ, muniendæque poſt quæſturam præfectum.

Utrum autem in rebus divinis aliquid operæ, & curæ a ſenatoribus poneretur, nec ne, nihil certi ſcio. Niſi forte lectum ſternerent, quoties pacem Deorum, graviſſimis preſſa calamitatibus, civitas expoſceret. Sic enim Livius narrat lib. XXII. *Poſtremo ex libris Decembri jam menſe immolatum eſt, lectiſterniumque imperatum, & eum lectum ſenatores ſtraverunt*. Sed non auſim affirmare, hoc perpetuo in Republica Romana cuſtoditum, cum nullum habeam ſcriptorem, quo ſatis certo auctore ſtari poſſit. Illud teſtimonio Ciceronis in cauſſa Rabirii Poſtumi, & Dionyſii Halicarnaſſei lib. VIII. firmum ratumque eſt, ſacerdotia ad cives nobiliſſimos, & fere ſenatorii ordinis deferri ſolita.

CAP. XVI.

Senatorum onera.

HIS ita conſtitutis, quæ onera legum, ac judiciorum ſenatoribus impoſita eſſent, videamus. Ac primum hæc tot fuiſſe, & adeo gravia, ut optime cum iis agi videretur, qui in inferiore civitatis gradu conſtitiſſent, nemo veterum ſcriptorum non omni aſſeveratione affirmat. Sed unus mihi pro cunctis eſt Cicero. Quid igitur hic ſcribit? *Multa ſunt*, ait, *impoſita huic ordini onera, multi labores, multa pericula, non ſolum legum, ac judiciorum, ſed etiam rumorum, ac temporum*. ſic in frumentaria. in Cluentiana vero hoc modo: *Iniquum tibi videtur, Acci, eſſe, non iiſdem legibus omnes teneri. Primum, ut id iniquiſſimum eſſe confitear, hujuſmodi eſt, ut commutatis eis opus ſit legibus, non ut iis, quæ ſunt, legum conditionibus non pareamus: deinde quis unquam hoc ſenator accuſavit, ut cum altiorem gradum dignitatis beneficio populi R. eſſet conſecutus, eo ſe putaret durioribus uti non oportere? quam multa ſunt commoda quibus caremus, quam multa moleſta ac difficilia, quæ ſubimus? atque hæc omnia tantum honoris & amplitudinis commodis compenſantur*. Quarum quidem omnium rerum utinam nobis monumenta litteræ prodidiſſent. Verum noſtræ eſt diligentiæ has perquirere, quæ in locis reconditis abditæ latent.

Ordiamur autem ab illa lege de indicio, cujus etſi annus tanto temporis (quod ne ſibi quidem ipſi parcit) intervallo exoleverit, vetuſtiſſimam tamen eſſe haud invitus crediderim. His, qui proditionis, majeſtatis, vel alterius id genus facinoris latebras detexiſſent, ſi ejus conſcii reperirentur, impunitas dabatur. Solis ſenatoribus indicium profiteri, ſalvis legibus, numquam licuit. Auctor eſt, quem veriſſimum & certiſſimum omnes appellant, Aſconius in commentario divinationis in Cæcilium Nigrum.

Ignoratur etiam quando illud inductum ſit in Rempublicam inſtitutum, ne ſenatorib. Italia egredi liceret, niſi jus haberent legationis liberæ. Non licuiſſe vero ut credam, eo ducor, quem ſubſcribam, Ciceronis loco lib. VIII. ad Atticum. *Quod videris non dubitare, ſi conſules tranſeant, quid nos facere oporteat, certe tranſeunt, vel, quomodo nunc eſt, tranſierunt. Sed memento præter Appium neminem eſſe fere, qui jus non habeat tranſeundi. Nam aut cum imperio ſunt, ut Pompeius, ut Scipio, Fannius, Voconius, Sextius, ipſi conſules; quibus more majorum conceſſum eſt vel omnes adire provincias, aut legati ſunt eorum. Ergo hi tantum tranſeundi mare poteſtatem habebant, & præter hos nemo*. Quæ etſi tecte ſcribuntur a Cicerone, ita tamen, ut facile poſſimus imaginem antiqui moris cognoſcere. Quod ſi quis repugnat, nec manus dare vult, appellabo Dionem, qui hoc non innuit, ſed dicit nominatim: *Juſſit*, inquit, *ut ſenatores omnes, omneſque ſe magiſtratus ſequerentur, propoſito S. C. quo impunitatem ejus demigrationis oſtendebat*. Poſt hoc S. C. cum multa alia, graviſſimis illis motibus concitata civitate, perperam & temere fierent; tum etiam contra morem majorum ſenatores per gentes, per omnes provincias volitabant, donec interceſſit Auguſti decretum, cujus apud Dionem lib. LII. extat memoria; *ne quis ſenator, niſi id ipſe permiſiſſet, Italiæ fines excederet*. Ante occaſum autem Reipublicæ liberæ legationes a ſenatu dabantur; demum homines populares, cum eas a ſenatu impetrare non poſſent, ad populum confugere cœperant. Scriptum enim eſt in quadam Epiſtola ad Q. Fratrem: *Illud, quod cupit Clodius, eſt legatio aliqua, ſi minus per ſenatum, per populum libera*. Dabatur vero libera legatio, vel negotii privati procurandi, vel pecuniæ exigendæ, vel hereditatis obeundæ, vel voti ſolvendi cauſſa. Negotii privati, Cicero in II. Rulliana: *Legatos noſtros, qui rerum privatarum cauſſa legationes obeunt*. Exigendæ pecuniæ, idem pro Flacco: *Legationes ſumere liberas exigendi cauſſa juſtum eſt*. Hereditatis obeundæ, ut de lege Agraria K. Jan. *Hereditatum obeundarum cauſſa, quibus vos legationes dediſtis*. Voti ſolvendi, ad Atticum epiſtola, *Poſt tuum*, libri XV. *Scripſi ad Eutrapelum, ut is meas litteras redderet, legatione mihi opus eſſe. Honeſtior eſt votiva, ſed licet uti utraque*. Quidam vero præter rationem ſcripſerunt, concedi quoque ſolitas, otioſæ ceſſationis, ſuffragatorum conciliandorum, periculi vitandi gratia. Quorum primum ex lib. I. Legum, alterum ex tertia ad Terentiam, poſtremum ex prima ad Atticum epiſtola, poſſe inveniri putant. Sed eorum locorum expoſitiones, quas illi litteris tradiderunt, a vera ſententia longe aberrant. Quanquam enim ſenatores ea, quæ dicunt, propoſita haberent, alias tamen cauſſas petendi honeſtiores prætendebant. Harum legationum

nullum tempus definitum fuit, ante Ciceronis consulatum. Unde III. de legibus hoc modo loquitur: *Sed quæro quid reipsa turpius, quam sine procuratione senator, legatus sine mandatis, sine ullo Reipublicæ munere? quod quidem legationis genus ego consul, quanquam ad commodum senatus pertinere videatur, tamen approbante senatu frequentissimo, nisi mihi levissimus tribunus pl. intercessisset, sustulissem: tamen minui tempus, & quod erat infinitum, annuum feci. ita turpitudo manet, diuturnitate sublata.* Fuit item lex Julia consularis, de legationum tempore. De qua epistola ad Atticum II. lib. XV. *Dolabella me sibi legavit ad IV. non. Apr. id mihi heri vesperi nunciatum est. votiva ne tibi quidem placebat. etenim erat absurdum, quæ, si stetisset Respublica, vovissem, ea me, eversa illa, vota dissolvere. & habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Julia, nec facile addi potest. idque adeo genus legationis, ut cum velis introire, exire liceat, quod nunc mihi additum est. bella est autem hujus juris quinquennii licentia.* Observavi vero, lib. 2. ad Quintum fratrem, ita fuisse comparatum, ut in S. C. quo jus hoc liberæ legationis concedebatur, quo ituri essent senatores, exprimeretur. Unde concludo eos proficisci alio nequivisse. Sed propositum persequamur.

Referendum in hunc numerum existimavi & institutum de censu. Non enim tantum ad consequendum senatorium gradum census requirebatur, verum etiam ad tuendum. Et ne absque pignore, ut ajunt, nobis credatur, dico me id hausisse ex illo eloquentiæ & morum antiquorum fonte M. Cicerone. Nam hæc ejus verba, in litteris ad Q. Orcam datis, nihil aliud significant: *C. Curtius habet in Volaterrano possessionem. hoc autem tempore Cæsar eum in senatum legit, quem ordinem ille, ista possessione amissa, vix tueri potest.* Cum Ciceronis epistola congruit Annalis secundus Taciti. In eo libro sic est: *Cæterum, ut honestam innocentium paupertatem levavit, ita prodigos, & ob flagitia egentes, Vibidium Varronem, Marium Nepotem, Appium Appianum, Cornelium Syllam, Q. Vitellium, movit senatu, aut sponte cedere passus est.*

Adversus senatum quoque fuit lex de redemptionibus, ne quid senatori, præter illa, quæ erant nominatim excepta, redimere ab ærario liceret. Pedianus in posteriorem earum, quæ integræ non extant, pro Cornelio: *Antonius redemptas habebat ab ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem senatori habere licet per legem.*

Nunc eas leges, eaque instituta, quorum auctores annalium litteris celebrantur, ordine temporum servato referamus. Antiquissima in his est Claudia tribunicia, P. Cornelio & T. Sempronio coss., ut Livius prodit, lata: *Ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quæ plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet.* Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. quæstus omnis patrib. indecorus visus est. Utitur ea lege Cicero in oratione de suppliciis.

Post Claudiam venit in mentem Sulpicia, & ipsa tribunicia, de qua Plutarchus in Sylla: *Cum legem tulisset, ne quis senator supra duo millia denarium deberet, repertum est eum, cum moreretur, ære alieno obstrictum fuisse ad centum & vicies HS.*

Ac ne illud quidem alienum est facere mentionem hoc loco legis a Sylla dictatore latæ, ut de nummariis judicibus, de corruptoribus judiciorum, deque fictis & mercenariis testibus quæreretur. quæ crimina, cum aliis quibusdam, uno nomine falsi continebantur. Ante fuit etiam nescio quid ejus rei a C. Graccho rogatum, placuit tamen eam potius tribuere Syllæ, cum ab omnibus Cornelia, non Sempronia nominetur. Ratio vero cur hanc legem non putarim silentio prætereundam, hæc me impulit, quod viderem, a Cicerone in Cluentiana non semel

A dictum, hoc genere quæstionis senatores tantum, & eos, qui magistratum habuerunt, alligatos esse. Etenim caput de falsis testibus ita tractat: *Quis de plebe Romana testimonium dixit unquam, cui non hoc periculum T. Accio auctore paratum esse videatis? nam dicturum quidem certe, si hoc judicium plebi Romanæ propositum sit, neminem unquam esse confirmo.* De iis vero, qui convenerunt, quo quis judicio condemnaretur, sic agit: *Ut hæc ad me caussa delata est, qui leges eas, ad quas adhibemur, & in quibus versamur, nosse deberem, dixi Habito statim, de eo, qui coisset, quo quis condemnaretur, illum esse liberum, teneri autem nostrum ordinem.* B Et infra: *Illi non hoc recusabant, ea ne lege accusarentur, qua nunc Habitus accusatur, quæ tunc erat Sempronia, nunc est Cornelia: intelligebant enim ea lege equestrem ordinem non teneri.* Et cum senatores, equites, & tribuni ærarii, per legem Aureliam, judicarent, illo capite, quo constituitur quæstio in eos, qui corrupti pecunia, innocentem damnarunt, aut nocentem absolverunt, solos senatores ait teneri: *Fidiculanius quid fecisse dicebatur? accepisse a Cluentio* HS CCCC. *cujus erat ordinis? senatorii. qua lege in eo genere a senatore ratio repeti solet de pecuniis repetundis, ea lege accusatus, honestissime est absolutus.* Itidem in Postumiana di-C cit: *Potentissimo, & nobilissimo tribuno pl. M. Druso, unam in equestrem ordinem quæstionem ferenti, si quis ob rem judicatam pecuniam cepisset, aperte equites Rom. restiterunt.* Notavimus quidem lib. I. ad Atticum epistola, *Magna mihi*, cum post absolutum Clodium promulgatum ex S. C. esset, ut de iis, qui ob judicandum pecuniam accepissent, quæreretur, equites hoc valde graviter tulisse. & ex jurisconsultorum, qui eam legem interpretati sunt, commentariis intelligimus, de omnibus, qui hæc crimina admittunt, tanquam Cornelia lege teneantur, pronunciandum esse. Itaque hoc magnopere D considerare oportet, utrum Cicero in Cluentiana vere serioque loquatur, an tempori caussæque serviat.

Ad hæc scripserunt quidam se legisse in Suetonio lege Cornelia de fictis testamentis, neminem præter senatores fuisse alligatum. Non satis intelligenter meo quidem judicio. Non enim id colligi potest ex Suetonii verbis, quæ ejusmodi sunt: *Cum de falso testamento ageretur, omnesque senatores lege Cornelia tenerentur.*

Noster vero Cicero gravissimam ambitus pœnam senatoribus irrogavit. Tulit enim in consulatu, ut senatoribus ambitus damnatis aqua & igni ad an-E nos decem interdiceretur. Ejus legis multa vestigia jampridem doctissimi viri ostenderunt. Nos unum tantum testimonium instituti nostri tuendi caussa apponemus. Cicero pro Murena: *Legem ambitus flagitasti, quæ tibi non deerat: erat enim severissime scripta Calpurnia. gestus est mos & voluntati & dignitati tuæ. Sed tota illa lex accusationem tuam, si haberes nocentem reum, fortasse armasset; petitioni vero refragata est. pœna gravior in plebem tua voce efflagitata est: commoti animi tenuiorum. exilium in nostrum ordinem: concessit senatus postulationi tuæ, sed non libenter duriorem fortunæ communi conditionem te auctore constituit.*

F Neque excluditur ab hoc genere III. virum R. C. institutum, quod tamen paullo post Augusto imperante mutatum est. Sanxisse videntur III. viri, *ut senatores vias suis munirent sumptibus.* Dio lib. XLVII. senatores scribit, vias suis sumptibus munire coactos. Libro vero LIII. *Cætera deinde*, inquit, *viæ munitæ, sive publico*, (neque enim senatores libenter impensas faciebant) *sive ipsius Augusti sumptu.*

Ab iisdem decretum est, *ut, qui senatores, aut senatorum filii, natalem Cæsaris diem lauro coro-*

nati non celebrassent, ii multam decies HS. penderent. Dio lib. XLVII.

Fuit item lex, cum Augustus omnia teneret, lata, ne senator libertinam uxorem ducere posset. Ab initio libertinis, non modo cum senatoribus connubia non erant, sed ne cum ingenuis quidem etiam de plebe. Nam apud Livium lib. XXIX. legimus, ex S. C. legem latam, ut Fecenix Hispalæ libertinæ, quod ab ea detecta Bacchanalia essent, nubere ingenuo liceret, neve ei, qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæve esset. Inde Cicero objecit ut probrum, in Philippicis Antonio, & in Sextii caussa Gellio, quod libertinas in matrimonio haberent. Quo fit, ut non tam novam legem Octaviani ætate latam, quam vetustissimæ illi derogatum existimem. Nec idem traditur ab omnibus de latore. Celsus legem hanc Papiam vocat, Paullus Juliam. Dio assentitur in parte Paullo. Quia id narrat ad augendam prole urbem, in paucitate summa ingenuarum fœminarum, ab Augusto decretum P. & Cn. Lentulis consulibus, annis circiter XXX. ante Papium & Poppæum ex K. Jul. coss. decretum tamen non latum. Quæ me varietas priscorum scriptorum nihil omnino movet. Namque fieri potest, ut hoc, quod principis indulgentia ante concessum fuerat, consul ille multo post in rogationem suam transtulerit.

Cum lege de matrimonio libertinarum conjungit Paullus & aliam, ne jus connubii esset senatori, vel ejus liberis, ad eum usque, qui ex pronepotis filio est natus, cum illa, quæ ipsa, cujusve parentes ludicram artem fecerint.

Nec omittendum fortasse est Augusti edictum, *ne quis senator, vel senatoris filius gladiatorio munere depugnaret*. Devicto enim Pompeio, senatores ad gladiatorias operas, quæ semper habitæ sunt turpissimæ & inhonestissimæ, faciles se præbere cœperant, quemadmodum Suetonius & Dio, locupletissimi illorum temporum testes, historiarum monumentis prodiderunt. Retinendæ igitur priscæ consuetudinis caussa, Claudio & Norbano coss. Augustus ita edixit. Tandem etiam cavit, Marcello & Aruntio coss. ne & illi, qui nepotes senatorum aut equites essent, scænicum, gladiatoriumque artificium attingere auderent. Atque hæc fere sunt, quæ aliquo vestigio odorari potuerimus, tum quod viderentur pertinere ad tuendam dignitatem ordinis amplissimi, tum libidine quoque magistratuum adversus senatores, ab initio urbis ad Tiberium Cæsarem, constituta.

Jam ergo quod doctrinæ ordo, quem proposuimus, postulat a nobis, ad tantorum onerum, tantorumque laborum fructus animum & cogitationem transferamus. Cujus loci partes erunt duæ: Quoniam enim non omnes eodem jure, eademque conditione erant, primum de honoribus & præmiis, quæ senatorio ordini universo; deinde vero de ornamentis & commodis, quæ senatoribus quidem, sed non omnibus proposita erant, agemus.

CAP. XVII.

Senatorum honores & præmia.

SENATORII ordinis utilitates non tam in potestate nocendi aliis, & peccandi licentia, quam in honoris & amplitudinis fructu positæ erant. Namque omnibus in rebus si non deteriore, at certe eodem jure cum reliquis civibus utebantur. Excipio jus adversus conviciatores; de quo nullum omnino verbum fecissem, nisi me gravissima Arnobii, hominis eruditissimi, auctoritas commovisset. Ejus verba hæc sunt: *Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris secus obmurmuraverint aliquid legibus, magistratum in ordinem redigere, senatorem autem convicio prosequi, suis esse decrestis periculosissimum pœnis, carmen malum conscribere, quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune*. Præterea secerno & illud institutum, ut, qui in provincia senatori litem inferret, is Romam rejici, Cicerone ad Sulpicium teste, posset. Item Corneliæ legis beneficium: Sylla enim, quod est in oratione de signis, plebeiis & equitibus judicum non amplius quam trium, senatoribus vero etiam plurium rejiciendorum potestatem dedit. Nam illud, *ne quis senator in jus de latrocinio vocaretur*, sero, & in illo misero Reipublicæ statu paullo ante Actiacam Octaviani victoriam, decretum Dio lib. XLIX. aperte narrat.

Ornamenta vero & commoda amplitudinis, hæc monumentis & litteris potissimum celebrantur. In urbe, locus ludis honestissimus, epulandi publice jus, & lati clavi, calceorumque insigne. In provinciis autem, præter hæc insignia, lictorum quoque & apparitorum pompa.

Ac quod attinet ad senatorium in consessu theatrali locum, ex Plutarcho suspicor in vita Flaminini: *Romæ*, inquit, *ludis cum senatus, ut erat moris, honestissimo loco consedisset*. Nec aliud intelligit Cicero in oratione pro Cluentio, cum ait: *Lentulus Popillium, quod erat libertini filius, in senatum non legit, locum quidem senatorium ludis, & cætera ornamenta reliquit*. Spectabant autem senatores in cavea, qui locus scenæ proximus, & idcirco commodissimus erat. Atque hæc quidem caussa fecit, ut Juvenalis caneret:

Æquales illic habitus, similesque videbis
Orchestram, & populum ——

Secreta vero sunt in theatro senatorum loca anno DLIX. P. Africano II. & Ti. Longo coss. sic enim Cicero in caussa Cornelii: *P. Africanus, cum consul esset, passus est tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari*. Factum id esse Antias, apud Pedianum, tradidit, ludis Romanis, quos fecerunt Ædiles curules Attilius Serranus, T. Scribonius Libo. idque eos fecisse jussu censorum, Sex. Ælii Pæti, C. Cornelii Cethegi. In circo autem jam inde a Tarquinio Prisco rege, loca divisa sunt patribus, equitibusque, ut Livius narrat, vel ut Dionysius, curiis, ubi spectacula sibi quisque facerent, quos foros appellarunt. Unde Varro libro IV. de Lingua Latina. Circus maximus dictus, quasi circum spectaculis ædificatus.

Solos senatores inisse epulas conviviorum publicorum, concedet non invitus ille, qui ea, quæ Dio & Suetonius historici scribunt, diligenter attendet. Suetonius quidem in Augusto: *Quosdam ad excusandi verecundiam compulit, servavitque etiam excusantibus insigne vestis, & spectandi in orchestra, epulandique publice jus*. Dio vero lib. LV. *Sacerdotium deinde Cajo dedit, utque illi in senatum venire, & ludos inter senatores spectare, publicasque inire epulas liceret, decrevit*.

Vestitu senatores a plebe & equitibus fuisse distinctos, documento est illud, quod Dio Ciceronem, cum de ejus exilio legem ferret Clodius, senatoria veste abjecta, equitis habitum assumpsisse scribit. Hoc autem insigne erat tunica lati clavi. Cujus rei testem habeo Suetonium, antiquorum institutorum auctorem valde idoneum. Hic enim de Gallis in senatum a Cæsare lectis ait illa vulgo decantata: *Galli in curia bracchas deposuerunt, latum clavum sumpserunt*. Et alio loco narrat, cum Augusto, sumenti virilem togam, tunica lati clavi resuta ex utraque parte ad pedes decidisset, fuisse qui interpretarentur, non aliud significare, quam quod is ordo, cujus insigne id esset, aliquando ei subjiceretur. nempe ordo senatorius. Postremis vero temporibus Augustus in-

tulit, ut senatorum quoque filii hanc tunicam protinus induerent. Quæro tamen a Suetonio, qui id prodidit litteris, quomodo ipsi Augusto sumenti virilem togam, cum adhuc in senatum lectus non esset, ad pedes deciderit. An quod ea pueri, ut & prætexta, ornarentur? Falsa autem opinio illorum mentes occupavit, qui genus hoc tunicæ nomen invenisse credunt, vel a retinaculis, ut ita dicam, quibus pars vestis alteri conjuncta retinetur; vel quod hæc tunicæ forma latior cæteris esset. Clavata enim vestimenta vocabantur, auctore Festo, clavis, & tanquam floribus intertexta & distincta. Hoc modo & sacerdotum vestes, & mappas variari solitas, ex Martiale, Silioque Poetis intelligitur. Hi autem clavi in tunicis senatorum purpurei erant. Plinius lib. XXXIII. *Anuli distinxere alterum ordinem a plebe, ut semel cœperunt esse celebres: sicut tunica ab anulis senatum tantum, quanquam & hoc sero, vulgoque purpura latiore tunicæ usos invenimus etiam præcones, sicut patrem L. Ælii Stilonis*. Unde etiam, si quis quærat, quando hoc inductum sit institutum, haud difficile erit respondere. Lati clavi autem angustis opponuntur. Varro lib. VIII. de lingua Latina: *Si quis tunicam ita consuit, ut altera plagula sit angustis clavis, altera latis, utraque pars in suo genere caret analogia*. Sed ne cui mirum videatur Propertium, elegiarum scriptorem eruditissimum, senatum appellare prætextatum. magna enim supremi consilii pars magistratibus constabat. Eodem modo, cum, ut mea fert opinio, statuæ fere iis senatoribus, qui magistratus habuerunt, ponerentur; vel etiam cum ipsi se vestitu cultuque pingi vellent lautissimo, in Nerva refert Dio, senatores in tunica, & prætexta purpurea, cum corona aurea pingi solitos.

Calceos senatores habuisse diversos a reliquorum civium calceis, non est quod dubitetur, cum habeamus Ciceronis testimonium. Testatur autem id XIII. Philippica: *Est etiam Asinius quidam senator voluntarius lectus ipse a se, apertam curiam vidit post Cæsaris mortem, mutavit calceos, pater conscriptus repente est factus*. Quales autem senatorum fuerint calcei, ingenue me nescire fateor. Neque ut sciam valde laboro. Omnes ajunt hos fuisse lunatos. Id secus est, si Zonaram historicum audias: *Plebeii*, inquit, *cum olim pluribus rebus deteriore conditione essent quam patricii, procedente tempore, interregno, & sacerdotiis quibusdam exceptis, par cum illis jus obtinuerunt, neque præter calceos quidquam diversum ab illis habuerunt. Nam patricii in urbe gestabant calceos adornatos corrigiarum inflexione, & forma litteræ C, ut a centum Romuli senatoribus originem trahere viderentur*. Et Isidorus, auctor non contemnendus, calceos lunatos, patricios nominat. Sex. autem Pompejus ita scribit: *Mulleos genus calceorum ajunt esse, quibus reges Albanorum primi, deinde patricii usi sunt*. M. Cato originum lib. VII. *Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos alutatos, cæteri perones*. Legendæ sunt eadem de re Quæstiones Plutarchi, & Satyra VII. Juvenalis, itemque VI. Horatii, libri primi, sermo. Servius Honoratus nugatur de calceamentis Thuscis, hoc est, crepidis nescio quid, quibus ait usos primum senatores, post equites Rom. & demum illa ætate, qua vixit, milites.

Cæterum lictores (id enim postremum erat) senatoribus, & si non lege, veteri tamen consuetudine, & instituto majorum in provincia datos, colligo ex ea Ciceronis epistola, qua Anicium, legatum in Africam legatione libera, Q. Cornificio commendat.

Superest, ut præmia & ornamenta illa referamus, quæ senatorum quidem, sed non omnium erant. Senatores in honoribus petendis versatos esse, supra ostendimus. Nunc vero, quanta ex gradibus magi-

A stratuum extiterit inter eos dissimilitudo, considerare oportet. A magistratibus, quos ultimo loco gessissent, qui ex supremo ordine erant, alii quæstorii, quidam tribunicii, multi ædilicii, nonnulli prætorii, consulares, & censorii nominabantur; ac ut quisque maximo perfunctus erat magistratu, ita dignitate supremus habebatur. Servavit eos gradus Cicero in recensendis illis, qui a Pompeii partibus steterant XIII. in Antonium Philippica: *Hoc igitur fretus senatu, Pompeianum senatum despicit, in quo decem fuimus consulares*. Quos ubi enumeravit, subjungit hæc deinceps: *Qui vero prætorii?* Et paullo

B post: *Qui ædilicii? qui tribunicii? qui quæstorii?* Notat item hoc discrimen Mœcenas, cujus oratio exposita est in Dionis annalibus, in qua cum alia multa, tum ut senatui cognitionem de senatorum criminibus permitteret suadens Augusto, addit non esse ferendum, ut sententiam dicant inferiores dignitate, de iis, qui majore perfuncti essent magistratu, verbi gratia de ædiliciis quæstorii, aut de prætoriis ædilicii. Ac censorius quidem gradus hoc juris antiquitus habuit, quod ex eo tantum princeps senatus legebatur. Consulares vero soli in luctu civitatis togis induebantur. Cicero VIII. Philippica: *Equidem P. C. quanquam hoc honore usi togati solent es-*

C *se, cum est in sagis civitas: statui tamen a vobis, cæterisque civibus in tanta atrocitate temporis, tantaque perturbatione populi R. non differre vestitu. Non enim ita gerimus nos hoc bello consulares, ut æquo animo populus R. visurus sit nostri honoris insignia*. Et quanquam post consulatum censura gerebatur, principes tamen sententiarum consulares Livius vocat. Credo quod censorii raro venirent in senatum, cum ætatis fere omnes haberent vacationem. Prætoriis autem licebat uti prætexta toga festis diebus. quod patet ex hoc loco Senecæ lib. I. Declamationum: *Prætorio uti licet prætexta toga, festis & solemnibus diebus, nunquid necesse est?* Et ex hoc Plu-

D tarchi in Catone minore: *Senatus frequens, præter alios honores, Catoni præturam extraordinariam decrevit, utque ludos toga purpura prætexta spectaret*. Cæterum quod ad ædilicios pertinere videtur, Gellius refert C. Bassum in commentariis suis scripsisse, *senatores veterum ætate, qui curulem magistratum gessissent, curru solitos honoris gratia in curiam vehi, in quo curru sella esset, supra quam considerent: quæ, ob eam caussam, curulis appellaretur. Sed eos, qui magistratum curulem nondum ceperant, pedibus itavisse in curiam, propterea que pedarios nominatos*. Quo loco mihi non satisfacit Bassus. Nam primum ostendimus, non ob eam caussam pedarios senato-

E res dictos. Deinde videtur Bassus fuisse consuetudinis senatoriæ morumque veterum oblitus. An enim credemus Q. Metellum id, inter cætera summa, cum patrem suum in funere laudaret, relaturum fuisse, quod mediocres homines, mediocribus honoribus usi, omnes sunt consecuti? vulgatumque ac tritum hoc fuisse, quod admiratione populi R. perspicua declaratum, & in lapidem ad posteritatis memoriam, senatus decreto, populique jussu, incisum videmus. Nam hæc verba traduntur inscripta in monumento quodam, quod se vidisse in Capitolio Dionysius testatur.

F

S. P. Q. R.

L. METELLUS. PONT. II. COS. DICT. MAG. EQ. XV VIR. AG. DAND. QUI PRIMUS ELEPHANTOS PRIMO PUNICO BELLO DUXIT IN TRIUMPHO. PRIMARIUS BELLATOR. OPTUMUS ORATOR. FORTISSIMUS IMP. AUSPICIO SUO MAXIMAS RES G. MAXIMO USUS HONORE. SUMMA SAPIENTIA. MAX. SEN. PARTAM EX ÆQUO PECUNIAM MAG. SING. L. RELIQUIT. CLA-

RISSIMUS IN CIVITATE FUIT. TRIBUIT EI P. R. UT QUOTIES IN SENATUM IRET. CURRU VEHERETUR AD CURIAM. QUOD A CONDITO ÆVO NULLI ALII CONTIGIT.

Et tanto magis credemus hoc soli tributum Metello, si caussam, cur hoc magnifico munere affectus sit, cognoverimus. Eam reddit Plinius cap. III. lib. VII. his verbis: *Magnum hoc & sublime, sed pro oculis datum, quos amisit incendio, cum Palladium ex æde Vestæ raperet*. Senatorios vero tribunicii gradus honores, præter antiquiorem, quam esset quæstorius, sententiæ dicendæ locum, nullos reperio. Intelligendum est autem, quæ tribuimus ornamenta inferioribus senatoribus pro magistratuum gestorum amplitudine, ea omnia obtinuisse illos, qui majorem habuissent magistratum. Hæc res, etsi non ita est obscura, cum constet neminem, nisi per minores magistratus, ad majores potuisse pervenire, tamen exemplo uno proposito declaranda videtur. Demonstravimus prætorios prætexta diebus festis usos. quo honore carebant tribunicii, & quæstorii. Consulares tamen ejus erant participes, ut in II. Antoniana licet animadvertere. *Nescis*, ait, *heri in circo quartum diem ludorum Romanorum fuisse? te autem ipsum ad populum tulisse, ut quintus præterea dies Cæsari tribueretur? cur non sumus prætextati?* Præterea invenio rationem quandam, etiam non capto magistratu majore, consequendorum alicujus honestioris gradus ornamentorum, si quis senatorem, qui non esset designatus, & alium magistratum ante cepisset, de ambitu damnasset. Quod Cicero pro Balbo hoc modo dixit: *Objectum est etiam, quod in tribum Crustuminam pervenerit: quod hic assecutus est legis de ambitu præmio, minus invidioso, quam qui legum præmiis prætoriam sententiam, & prætextam togam consequuntur*. Potuit item superior gradus S. C. extra ordinem dari.

Illis vero solis (si ne hoc quidem silentio prætereundum est) qui in legationibus operam suam Reip. navabant, antiquis temporibus dabantur anuli aurei. Admonuit me hujus rei Plinius lib. XXXIX. *Longo*, inquit, *tempore ne senatum quidem Romanum habuisse anulos aureos, manifestum est. Si quidem his tantum, qui legati ad exteras gentes ituri essent, anuli publice dabantur, credo, quoniam ita exterorum honoratissimi intelligebantur*. Sed hi post, equites a plebe distinguere cœperunt. Illa quoque ætate quosdam legatos, qui Athenas propter leges ierant, X. viros creatos a Livio didicimus, ut pro legatione tam longinqua præmio esset honos. Qui autem ferro in legatione esset interfectus, mors ejus, statua ex S. C. posita, honorabatur. Jus vero istud tractatur a Cicerone integra IX. in Antonium Philippica.

Et quoniam hunc sermonem semel sum ingressus, uno verbo dico, judices supellectili, rebusque necessariis quibusdam instrui publice solitos. Neque aliud quidquam ex monumentis annalium de præmiis eorum, qui judiciis operam darent, suspicari potui. Et hoc ipsum vetustas, ut alia fortasse non pauca, oblivione obruisset, nisi unius Lampridii testimonio cognitum esset. Historicus autem hic ita narrat in vita Severi: *Judices cum promoveret, exemplo veterum*, ut & Cicero docet, *& argento & necessariis instruebat*.

CAP. XVIII.

De numero senatorum.

HIS igitur ex rebus breviter a nobis disputatis, quale fuerit jus supremi ordinis, facile, meo quidem judicio, quilibet conjectura assequi poterit. Quibus si ea adjecero, quæ de numero senatorum observavi, & quomodo senatorius ordo admitteretur exposuero, huic parti primæ muneris, in qua mihi de senatoribus dicendum proposui, abunde me satisfecisse arbitrabor.

Ad numerum senatorum cognoscendum temporum ratio & discrimen permagni momenti est. Itaque ordiamur a primo urbis ortu, unde, tanquam per gradus, ad ultimum libertatis tempus, & unius Augusti imperium descendemus. Romulus ex Albanis, qui cum eo urbem condiderant, centum creavit senatores; deinde, ut quidam tradunt, centum, vel, ut alii, quinquaginta ex Sabinis. Hæc fere Dionysius. Plutarchus autem in Romulo refert post Sabinum fœdus, regem utrumque cum centum suis senatoribus, primum seorsum, postea uno eodemque in loco consultasse. Verum Livius longe secus hac de re sensisse videtur. Etenim regnante Tarquinio Prisco, ducentos tantum fuisse innuit; centum ab illo lectos, & priores Romuli centum. Liberata certe Republica trecentos lectos inter omnes convenit. Livius quidem testatur, cum crudelitate & scelere Superbi senatus esset diminutus, Brutum ex equestri gradu patrum numerum ad trecentorum summam explevisse. Atque etiam Sex. Pompeius, & Plutarchus adlectorum numerum adnotarunt; neque tamen hujus facti auctorem Brutum, sed collegam ejus Valerium laudant. In Festi libro ita est: *Quo tempore, regibus urbe pulsis, P. Valerius consul, propter inopiam patriciorum, ex plebe adlegit in numerum senatorum centum sexaginta & quatuor, ut expleret numerum senatorum trecentorum*. In Plutarchi autem Romulo in hanc sententiam: *Cæso Bruto, Valerius patrum numerum explevit. Multi enim a Tarquinio rege trucidati erant, multi nuper in pugna adversus Vejentes & Tarquinienses ceciderant. qui vero adscripti ab ipso sunt*, CLXIV. *fuisse traduntur*. Dionysius vero lib. V. laudem hanc utrique communicat: & eandem summam senatorum, quod caput est hujus loci disputationis & orationis meæ, prodit. Ac tum duo genera senatorum extiterunt, auctore Festo, veteres illi patres, novi vero conscripti. Id Livio quoque probatur. *Traditumque*, ait, *inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent: conscriptos videlicet, in novum senatum appellabant lectos*. Sed postea universos hisce duobus nominibus solitos vocari, Plutarchus aperte docet his pene verbis: *Hoc nostro sæculo senatores a Romanis patres conscripti, ab exteris principes vocantur*. Ad hæc videmus, in omnibus orationibus in senatu habitis, conjunctim patres conscriptos compellari. Porro eundem numerum senatorum edit, post Asiam Eumeni attributam, Judæus ille scriptor, qui res Machabæorum gestas litterarum monumentis mandavit, dicitque trecentos viros de Republica illis temporibus Romæ consultasse. Neque lego de immutando hoc numero actum ad C. Gracchum usque tribunum plebis. Hic enim, ut reperio in epitoma Livii lib. LX. legem tulit, qua equestrem ordinem, tum cum senatu consentientem, corrumperet, ut sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur. Verum locus ille mendosus est. Et ex iisdem epitomis constat Gracchum legem tulisse de judiciis a senatu amovendis, non autem de equitibus in supremum ordinem adlegendis. Itaque nunquam adductus sum ut crederem Sempronia lege senatum auctum. Multo vero minus assentior iis, qui lege Livia ad trecentos senatores veteres, totidem numero novos ex equitibus adscriptos ajunt. Etsi enim rogavit ejus rei nescio quid Drusus, historia Græca Appiani teste, tamen nemo, qui Ciceronis libros vel extremis digitis attigerit, ignorat, referente Philippo consule, eodem anno, uno versiculo senatus, omnes Livias leges sublatas. Carolus Sigonius concludit argumentis haud levissimis & infirmissimis, senatus numerum a Sylla fuisse amplificatum. Quod videlicet &

consul, & dictator trecentos ex equitibus legerit. Cum eo igitur non contendo, sed dico paullo post immutatum etiam esse senatorum numerum a censoribus lustri LXVII. Pisone, & Messala coss. Hoc autem, cum apud Dionem legerim, non divinans affirmo: *Iisdem*, inquit, *consulibus omnes eos, qui magistratus gesserant, censores supra legitimum numerum in senatum legerunt*. Numeri autem hujus notavi apud Ciceronem & Appianum vestigia quædam. Cicero enim in Epistola ad Atticum, hoc ipso anno data, sic scribit: *Homines ad XV. Curioni nullum S. C. facienti assenserunt, facile ex altera parte CD. affuerunt*. Et in senatu, postquam ab exilio reversus est, dixit: *Quo quidem die cum CDX. senatores essetis*. Appianus vero lib. II. cum retulisset Curio, ecquid censerentne patres, & Cæsarem, & Pompeium imperium deponere, XXII. in alia omnia; trecentos autem & septuaginta in Curionis sententiam pedibus ivisse narrat. Paucos post annos Cæsar Dictator IV. quemadmodum Dio lib. XLIII. refert, DCCCC. legit; & post mortem Cæsaris Antonius & III. viri mille, auctore Suetonio. Quem numerum senatorum, affluentem incondita turba, diminuit Augustus, & ad DC. tantum redegit. Expedita mihi erunt omnia, si testem protulero. Dio lib. LV. *Statuerat quidem exemplo, institutoque majorum, CCC. tantum senatores legere, & præclare agi cum civitate existimabat, si tot in ea dignos ordine amplissimo reperiret. DC. tamen recitavit, quod invidiam, & offensionem timeret, si plures, quam legisset, senatu moveret*. Satis de numero.

CAP. XIX.

Quibus de caussis senatu moti.

Admittebatur autem ordinis amplissimi dignitas ab illis, quos aut senatus removendos censuisset, aut qui turpi de crimine aliquo, aut de ambitu convicti, aut a populo damnati, aut censoria animadversione notati essent. A senatu quidem L. Sulpicium consulari familia summoque ingenio virum, ob libidinosæ suspicionis notam, loco motum, L. Porcius Latro litteris tradidit. De turpi vero judicio colligo ex oratione pro Flacco, cum ait; *Lysanias adeptus est ordinem senatorium; sed cum Rempublicam nimium complecteretur, peculatus damnatus, & bona, & nomen senatorium amisit*. At de Tennensi senatore, non de Romano loquitur? Certe. Non tamen est cur valde hoc incommodum pertimescam. Etenim patet jam, ut opinor, ex iis, quæ de lectione diximus, Romæ idem cautum fuisse. Qua de re & Zonaras; *Post constitutum est, ut qui semel in senatum lectus esset, per omnem ætatem in eo ordine permaneret, nisi aut turpi judicio damnaretur, aut ob vitæ dedecora pelleretur*. Cæterum C. Piso cum M. Glabrione consul tulit, ut qui ambitione magistratum a populo contendissent, omni honorum petitione & senatorio gradu prohiberentur, & insuper certa pecunia mulctarentur. Hæc Dio lib. XXXVI. Antiquior hac consulari Calpurnia, Cassia tribunicia fuit. Nam ejus annum ponit Asconius, interpres Ciceronis optimus, & in demonstranda antiquitate accuratissimus, C. Mario C. Flavio coss. Tulit autem Cassius Longinus his consulibus, ut quem populus damnasset, cuive imperium abrogasset, in senatu ne esset. Transibo deinceps, ut institui, ad judicia & notationes censorum, si prius admonuero illud, ut de vi privata convicti, neque senatores essent, neque ullum honorem caperent, non in lege Julia scriptum, quod fortasse videri possit, Martianum jurisperitum significare, sed ex S. C. (Volusiano credo, cujus in Pandectis eodem loco fit mentio) additum. Perdebant demum senatorium ordinem illi, quorum nomen in recitando senatu censores præteriissent. Namque ut censores jus legendi in senatum, ita etiam movendi, quos vellent, habebant. *Sub ditionem enim ejus magistratus*, ut Livii verbis utar, *senatus, equitum centuriæ, decoris dedecorisque discrimen erat*. Itidem Plutarchus in Paullo tradit: *Habent censores potestatem movendi senatu, qui impure ac flagitiose vivunt, senatus principem legendi, juvenes immoderatos & intemperantes, adempto equo, notandi*. Explicandum hoc loco est, quæ notæ censoriæ dicerentur. Patrum memoria, teste Livio lib. XXXIX. institutum erat, ut censores motis e senatu adscriberent notas. Unde Catonis, & aliorum orationes feruntur editæ, in eos, quos aut senatorio loco moverant, aut quibus equos ademerant: Itaque notam adscribere, nihil aliud fuit, quam caussam infamem & ignominiosam in præteritum aliquem edere. Hanc vero in Appii & Pisonis censura editam in senatu observo, apud Dionem lib. XL. Jam ergo perspicuum est, notare, & ordine movere, quantum inter se distent. ob leviores siquidem caussas movebant tantum censores; gravioribus autem pollutos sceleribus notabant. Verbi gratia Lentulus, ut est in Cluentiana, Popillium, quod erat libertini filius, in senatum non legit, & eum ignominia omni liberavit. Notatos autem quosdam, tribu etiam motos, & ærarios factos, Livius lib. XLII. memorat. Festus significat hoc institutum notarum adscribendarum inductum, postquam censores creari cœpti sunt. Etsi vero, ut idem scribit, turpe ducebatur ejici senatu, & loco moti ignominiosi habebantur, non ita tamen, ut iis a civibus incorruptæ famæ convictus interdiceretur. Et quod Jurisconsulti capite de judiciis tradunt, lege impediri ne judex sit, qui senatu motus est, id Reipublicæ temporibus non servatum, satis aperte Ciceronis hæc verba pro Cluentio demonstrant: *Prætores urbis qui jurati debent optimum quenque in selectos judices referre, nunquam sibi ad eam rem censoriam ignominiam impedimento esse duxerunt*. Comperi autem adversus censoris vim eos, qui pellerentur, sæpe auxilio usos collegæ. Cicero in eadem oratione: *Atque etiam ipsi inter se censores judicia tanti esse arbitrantur, ut alter alterius judicium, non modo reprehendat, sed etiam rescindat, ut alter de senatu moveri velit, alter retineat, & ordine amplissimo dignum existimet*. Exemplum ex antiquitate vis ut proferam? Haud magni negotii est id invenire. Livius lib. XL. *Tres ejecti de senatu, retinuit quosdam Lepidus a collega præteritos*. Cæterum Curionem tribunum pl. cum moveretur senatu ab Ap. Claudio censore, sententiis patruum eam labem repulisse Dio auctor est. Commemorat vero Pedianus legem a Clodio tribuno pl. latam, Gabinio & Pisone coss. ne quem censores in senatu legendo præterirent, neve qua ignominia afficerent, nisi qui apud eos accusatus, & utriusque censoris sententia damnatus esset. Itaque cum vix accusatores reperirentur, neque censoris conscientia ad animadversionem in homines indignos sufficeret, clamat ille noster ubique censoriam notationem, gravissimum judicium sanctissimi magistratus, omnem denique virtutis disciplinam de civitate sublatam. Hoc tamen plebiscitum non multo post, Q. Scipio consul, Cn. Pompeii collega, abrogavit. Non fuisse autem ita firma & fixa censorum judicia, ut ab aliis censoribus convelli non possent, facile est veterum testimoniis convincere. Pedianus in Divinationem in Nigrum: *Eorum*, inquit, *notam successores plerunque solvebant*. Recuperandi ergo ordinis caussa loco moti, petebant denuo magistratus. Sic in illa asperrima & acerbissima declamatione Sallustius dicitur in senatum post quæsturam reductus. Dio vero lib. XXXVIII. hoc modo scribit: *Catilina negotium agebat, per administros consulem inprimis C. Antonium & P. Lentulum, qui post con-*

ſulatum ſenatu ejectus erat, atque iterum præturam ceperat, ut jus ordinis recuperaret. Quantum igitur conjectura auguror, recipi in ſenatum, notati poſt quæſturam poterant. Verum & majores magiſtratus gerebant, propter ornamenta ea, quæ diximus, & quod non prius ſe deleturos hanc infamiam, putarent, quam ad illud dignitatis faſtigium, de quo dejecti erant, reveniſſent. Excipio infami judicio, & de ambitu damnatos, quibus neque ad honores, neque in curiam reditus dabatur. Quorum illud Cic. pro Cluentio; hoc vero lib. XXXVI. & XXXVII. Dio teſtatur. De his, qui lege Caſſia ordinem amiſerunt, certum neſcio, nec libenter progredior longius, quam mihi annalium monumenta concedunt.

CAP. XX.

Exempla eorum, qui ſenatu moti & ob quas cauſſas.

QUONIAM autem hæc ſcribimus, ut inde vitæ documenta ſumi poſſint, breviter ob quas cauſſas, qui loco moti aliquando fuerint, exponamus. Primum luſtro ordine XII. anno octavo poſtquam hic magiſtratus creari cœptus eſt, Mamercum, quam primum depoſuit dictaturam, quo in magiſtratu legem pertulerat, ne plus quam annua ac ſemeſtris cenſura eſſet, quæ antea quinquennalis erat, C. Furius Pacilus, & M. Geganius Macerinus tribu moverunt, & octuplicato cenſu ærarium fecerunt, cauſſam hanc ignominiæ, ut ait Livius lib. IV. adſcripſerunt, quod magiſtratum populi R. minuiſſet. Nec ullam deinceps cauſſam edunt annales ignominiæ ſenatoriæ ad M. Valerium Maximum, & C. Junium Bubulcum Brutum, qui Antonium ſenatu moverent, quemadmodum Valerius lib. II. refert, *quod, quam virginem in matrimonium duxerat, repudiaſſet, nullo amicorum in conſilium adhibito*. Hos autem cenſores comparant lapides Capitolini, & luſtrum condidiſſe teſtantur XXVII. in Claudii Cæci & Volumnii Flammæ conſulatu. Sequenti luſtro Fabius Rullianus libertinos ejecit. Teſtis eſt Plutarchus in Pompeio. Trigeſimo vero tertio Fabricius cenſor P. Rufinum conſularem ſenatu movit, quod decem pondo argenti facti haberet. Ita ſcribit Livius lib. XIV. meminit item lib. XVI. epiſtolarum Seneca, & Plinius XXXIII. naturalis hiſtoriæ. Anno DXLIV. Fabio V. Fulvio IV. coſſ. a Cornelio Cethego, & Sempronio Tuditano cenſoribus, qui XLIV. luſtrum condiderunt, octo ſunt præteriti, auctore Livio lib. XXXVI. ſenatores, inter quos L. Cæcilius Metellus erat, infamis deferendæ Italiæ poſt Cannenſem cladem auctor; aliis quæ notæ fuerint adſcriptæ, neque a Livio, nec ab alio quoquam, eſt proditum. Anno deinde DLXIX. P. Claudio Pulchro & L. Porcio Licino coſſ. M. Cato cum L. Flacco XLIX. luſtri cenſor L. Quinctium Flamininum, & Manilium inter alios notavit. Flamininum, quod, cum conſul præeſſet Galliæ provinciæ, transfugam Bojum, fidem populi R. implorantem, manu ſua transfodiſſet, oblectandi gratia chari ſcorti Philippi Pœni. Cauſſam hanc prodiderat ipſemet Cato, teſte Livio, in ea, quam compoſuit in L. Quinctium, oratione. Ita etiam Cicero in lib. de Senectute, & Plutarchus in vita Catonis. Valerius Antias fabuloſe ſcripſerat, non transfugam, ſed damnatum, ſecuri percuſſum, tempus tantum ſpectaculi ad arbitrium & ſpectaculum mulierculæ delectum. Quem ſecutus eſt ille noſter, qui dicta & facta quædam memorabilia collegit. Manilium vero propterea movit, quod is interdiu, præſente filia, uxorem eſſet oſculatus, nunquam mulierem in ſuum amplexum veniſſe addens, niſi cum vehemens tonitru extitiſſet, ſeque joco ſo-

A litum dicere, *Jove tonante, ſe felicem eſſe*. Plutarchus in Præceptis connubialibus, & in vita Catonis. Violentiſſimum item par cenſorum fuit, Q. Fulvius Flaccus, & A. Poſtumius Albinus, luſtro LI. Sp. Poſtumio, & Q. Mucio coſſ. Aſperior tamen Flaccus. Nam L. Fulvium fratrem germanum, & etiam conſortem, *auſum injuſſu conſulis*, ut tradit Valerius de diſciplina militari, *domum dimittere cohortem, in qua tribunus militum erat, ſenatu movit. Perſequamur notam ſeveritatem Caſſii Longini & Cæpionis, qui Æmilium Lepidum Augurem* ob ſumptum habitationis *adeſſe juſſerunt, quod ſex millibus habitaret*. Sic Velleius Paterculus libro priore. B Fuerunt autem hi cenſores Plautio & Fulvio coſſ. LX. luſtro. Plutarchus ſcribit Caſſii Sabaconis, qui Marium præ cæteris in præturæ petitione juvit, ſervum comitiis intra ſepta conſpectum, cumque Marius de ambitu cauſſam diceret, Caſſium, a judicibus interrogatum, reſpondiſſe ſe, contracta ob æſtum ſiti, frigidam popoſciſſe, ſervumque cum poculo ſepta intraſſe, & aqua allata, e veſtigio abiiſſe. Et quanquam Marius abſolutus ſit, Caſſium tamen a cenſoribus notatum refert, ſive quod falſum teſtimonium dixiſſet; ſive quod in publico bibere, aut aliquantiſper ſitim pati non poſſe, C intemperantis hominis eſſe videretur. Notatus hic procul dubio eſt a Scauro & Druſo cenſoribus, vel a Fabio & Geta. Hæc vero me in eam ſententiam ratio potiſſimum ducit, quod me Cicero III. de officiis docuerit, C. Marium, cum a ſpe conſulatus abeſſet, ſeptimum annum poſt præturam jacuiſſe. Itaque, annorum conjectura utens, Marium prætorem fuiſſe Balbo & Catone coſſ. reor. Poſt hos vero conſules tertio anno Scaurus & Druſus cenſores fuerunt, &, cum Druſus in magiſtratu mortuus eſſet, Fabius Allobrogicus & Licinius Geta, in eorum locum, inſequenti anno creati, luſtrum LXIII. condiderunt, ut demonſtratum eſt a doctiſſimo viro, qui faſtos D Capitolinos temporum injuria fractos & mutilos, aliquot ante annos, conſolidavit, & perfecit. *M. autem Antonius & L. Flaccus cenſores* luſtro LXV. *Duronium ſenatu moverunt, quia legem de coercendis conviviorum ſumptibus latam tribunus plebis abrogaverat*. Eam rem iiſdem verbis commemorat Valerius de cenſoria nota. Luſtro etiam ſequenti Lentulus & Gellius diligentem & ſeveram cenſuram geſſerunt, quatuor & ſexaginta ſenatu motis. Cauſſæ non extant præter has, apud Pedianum in Antonium, quod ſocios diripuerit, judicium recuſarit, propter æris alieni magnitudinem prædia E mancipārit, bonaque ſua in poteſtate non haberet. Et illas, quas Cicero commemorat in Cluentiana, in M. Aquillium & T. Guttam, de captis ob rem judicandam pecuniis, & in alios quoſdam, de furto, & in L. Popillium, quod erat libertini filius. Appius autem Claudius anno DCCIII. Paullo & Marcello coſſ. cum L. Piſone cenſor, libertinos ejecit, Dione auctore. Ex his Tullius quidam ab Horatio ſermone ſexto nominatur. reliquorum memoria abiit. Idem vero cenſor, ut ex hiſtoria Dionis, & ex declamatione, quæ Ciceroni tribuitur, intelligi poteſt, Salluſtium, ob adulteria, perditoſque mores notavit. Et Auguſtus homo ſapientiſſimus multos, ut F expoſui, ad verecundiam excuſandi compulit, cum de genere & vita, ipſorum conſcientia ſe contentum eſſe dixiſſet. Plutarchus in Cicerone refert, Lentulum Catilinariæ conjurationis participem, ob effuſam intemperantiam & petulantiam ejectum. De tempore nullum omnino verbum. neque nobis etiam, hanc rem animo rationeque luſtrantibus, certi quidquam licuit ſuſpicari. Ac de ſenatoribus quidem hactenus. Quare, cum novæ quaſi diſputationis inchoandæ capiendum ſit exordium, jam hic primi libri finem faciamus.

JOHANNIS SARII ZAMOSCII
DE
SENATU ROMANO
LIBER II.

CAP. I.

Operis continuatio & ordo libri secundi.



AGNA suscepti muneris parte, &, ut ego quidem arbitror, gravissima perfunctus sum. Sed hæc, in qua antiquum senatus habendi morem exquiro, jucundior certe lectori disputatio futura est; & quanquam ex illa fortasse superiore homines non stupidi plura, quæ ad Rempublicam bene administrandam spectant, præcepta haurire possunt, non minus tamen ex hac posteriore ad eos, qui in libris Latinorum scriptorum versantur, utilitatis, & fructus perveniet. Quo mihi magis laborandum video, ne quid prætermittam, quod ad eam rem demonstrandam, & illustrandam spectet. Definitionem quidem senatus ab initio proposui hanc: *Senatus fuit senatorum, & eorum, qui jus sententiæ haberent conventus, coactus ab eo, cujus hoc potestati commissum erat, ad consilium capiendum de Republica more & instituto majorum.* Neque enim conventus quilibet senatorum, senatus dicebatur. Unde Cicero Sulpicio: *Atque ipse antea scripsissem te frustra in senatum, sive potius in conventum senatorum esse venturum.* Item Livius lib. IV. *Consules, cum per senatum intercedentibus tribunis nihil agi posset, consilia principum domi habebant.* Et infra libro eodem: *Nec tribuni militum nunc in senatu, nunc in consiliis privatis principum cogendis, viam consilii inveniebant.* Dicendum igitur est, ex quo genere hominum hic conventus constaret, quique ejus cogendi jus haberent, & qui convocandi modus fuerit: tum quem numerum consilium istud conficere deberet, quibus locis, quo tempore iniretur, quæ ratio esset consulendorum patrum, & rogandorum sententias, quæ sententiarum dicendarum forma. Quibus pertractatis, dabimus operam, ut quædam, quæ pertinent ad S. C. exponamus; inde vero ad summi consilii potestatem, & cognitionem, veniemus.

CAP. II.

Quibus in senatum venire licuerit.

NUMEREMUS igitur, si placet, eos, quibus in senatum venire licuit. Primum omnium senatoribus, atque etiam sexagenariis. De senatoribus aliis constat, de sexagenariis dubitare quispiam possit. Testibus igitur hoc convincendum est. Qui multi sunt quidem, verum Seneca præ cæteris id apertissime dicit. Nam apud eum ita est lib. II. Declamationum: *Senator post sexagesimum quintum annum in curiam venire non cogitur, nec vetatur. quidquid honoris nomine datur, in utramque partem licet; alioquin desinit præmium esse, cui necessitas imponitur.* Deinde magistratibus omni-

A bus ad quæstorem usque. Plutarchus in Catone minore: *Cato quæstor in senatum, quoties haberetur, semper venit, veritus ne quid per gratiam iis, qui ærario aliquid deberent, remitteretur, aut ex vectigalibus erogaretur.* Quod si jam obtinui, quæstores consilii illius maximi fuisse participes, si id de censoribus, prætoribus, ædilibus, qui majores erant magistratus, probare deinceps vellem, cui non inanissimus & non stultissimus noster hic labor fore videretur? Illud autem Valerius, de institutis antiquis, litteris prodidit, tribunis pl. priscis temporibus curiam ingredi non licuisse, sed eos, ante valvas positis subselliis, decreta patrum attentissima cura examinasse, ut, si qua ex iis impro- B bassent, rata esse non sinerent. Addit Zonaras, in sua Græca historia, post & in curiam, & ad senatoriam dignitatem admissos esse. Urbi præfectum sententiæ jus non habuisse Mucius apud Gellium ait, cum ea ætate fieret, quæ non esset senatoria. Nobilissimus enim quisque, Strabone auctore, adolescens sub feriarum Latinarum tempus urbi præficiebatur. Principio vero generis ac imperii Romani, non solum senatorem, sed & principem senatus, Romulus urbi præfectum esse voluit. Præter hos, quos diximus, omnibus, qui honores gesserant, aditus in curiam dabatur. Qua de re nihil C necesse est iterum argumentari, cum jam supra demonstrata sit, ubi de magistratibus, qui in senatore legendo spectarentur, disputavimus. Flaminum jus difficilem habuit quæstionem, de eoque magnis est contentionibus actum, Fabio V. Flacco IV. coss. *Consensu famæ*, inquit Livius, *elatus ad justam sui fiduciam C. Flaccus flamen dialis rem intermissam per multos annos, ob indignitatem flaminum priorum, repetivit, ut in senatum introiret. Ingressum eum curiam cum L. Licinius prætor inde eduxisset, tribunos plebis appellavit flamen. Vetustum jus sacerdotii repetebat, datum id cum toga prætexta & sella curuli C. Flaminio esse. Prætor non exoletis ve-* D *tustate annalium exemplis stare jus, sed recentissimæ cujusque consuetudinis usu volebat, nec patrum, nec avorum memoria dialem quemquam id jus usurpasse. Tribuni rem inertia flaminum oblitteratam, ipsis, non sacerdotio, damno fuisse, cum æquum censuissent, ne ipso quidem contra tendente prætore, magno assensu patrum plebisque flaminem in senatum introduxerunt.* Verum Pontifices, Augures, & alii quovis sacerdotio publico præditi cives, nisi quem habuissent magistratum, aut a censoribus lecti essent, non veniebant in senatum. Quod Cicero demonstrat ad Atticum lib. IV. his verbis: *Kal. Oct. habetur senatus frequens. adhibentur omnes pontifices,* E *qui erant senatores.* Historia porro de Papirio Prætextato scripta a Catone, in illa invectiva ad milites contra Galbam, quam Gellius a clade totius orationis, & cæterorum auctoris ejusdem librorum eripuit, satis indicat morem antea senatoribus Romæ fuisse in curiam, cum prætextatis filiis, introeundi, & ob intemperiem matris Papirii, & aliarum mulierum factum esse, ut senatus decerneret, ne ingrederentur in posterum. Annus autem, quo id senatus decrevit, oblivione sepultus, in hominum ignoratione versatur. Verumtamen sero eum morem solutum

ex Polybio possumus conjicere. Nam lib. III. in explicatione rerum bello Hannibalis gestarum, sic adversus quosdam historicos disputat: *Ex altera parte haud credibile est pueros omnes, qui duntaxat duodecimum annum transgressi essent, in senatum a parentibus perductos, & consiliorum omnium non ignaros, nihil unquam cuiquam secretum aperuisse*. Cum vero studiose tempus istius S. C. quærerem, incidi in Plinii Junioris epistolam, in qua refert Romanos adolescentes, quod fortasse Panvinius dicere voluit, decem peractis stipendiis, ad honores petendos in urbem reversos, muneris senatorii cognoscendi, & perdiscendi caussa ad fores curiæ stare solitos. Ad extremum Augustus institutum illud priscum revocavit, & liberis senatorum, ut celerius Reipublicæ adsuescerent, protinus virilem togam, latumque clavum induere, & curiæ interesse, Suetonio teste, permisit. Omittenda putavi scribarum, & id genus summi consilii ministeria. Quis enim est, cui istud non pateat? Illud potius observandum esse arbitror, Flaminem, de quo modo memini, pelli a prætore senatum habente, hunc auxilium petere a Tribuno. Mancinum autem apud Ciceronem primo dialogo oratorio Rutilius tribunus plebis e curia educi jubet.

CAP. III.

Qui senatum convocandi jus habuerint.

CONVOCARE vero senatum nemo privatus potuit. Docet hoc Livius lib. III. cum ait: *Senatum in diem posterum indicunt, qui aliquando spe ipsorum frequentior convenit, quo facto proditam a patribus plebs libertatem rata, quod iis, qui jam magistratu abiissent, privatisque jus abesset, tanquam jure cogentibus, senatus paruisset*. Et Lucanus cum de senatu a Cæsare, quem privatum facit, coacto canit:

> —— *Phœbea palatia complet*
> *Turba patrum, nullo cogendi jure senatus,*
> *E latebris educta suis* ——

Sequitur ergo ut magistratus tantum convocandi potestatem haberent. Qui autem hi fuerint videndum est. Primum CCXLIV. annis illis ante libertatem præter reges & interreges senatum invenio habuisse neminem. Nota enim est illa Servii apud Livium querela: *Quid hoc*, inquit, *Tarquini, rei est? qua tu audacia me vivo vocare ausus es patres?* Nisi quis suspicetur licuisse convocare senatum Præfectis urbi, penes quos summum imperium, cum reges abessent, diximus Romæ fuisse; aut tribunis Celerum, quod ex IV. Dionysii lib. colligi posse videtur. Pulsis deinceps regibus, ut memoriæ prodidit M. Varro, lib. Epistolicarum quæstionum IV. more majorum habebant senatum Dictator, Consules, Prætores, Tribuni pl. Interrex, Præfectus urbi; neque alii præter hos, nisi extra ordinem tribuni militum, & X. viri consulari potestate, itemque III. viri Reip. constituendæ caussa creati, & amissa libertate Cæsares. Quod si etiam aliorum auctoritate confirmandum est, testatur id de Dictatore Livius: *Q. Fabius Maximus dictator, quo die magistratum init, vocato senatu, pervicit, ut X. viri libros Sibyllinos adire juberentur*. De Consulibus Sallustius in conjuratione Catilinæ: *Consul convocato senatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodias traditi erant*. Et Livius lib. VIII. *Cum repentino tumultu coacti consules senatum vocarent, introeuntibus in curiam patribus laceratum juvenis tergum ad singulorum pedes ostendebant*. Demum quis est locus, in quo non sit fixum in veterum monumentis testimonium hujus rei? De Prætoribus Livius XXII. P. *Furius Philus, M. Pomponius prætores in curiam Hostiliam senatum vocaverunt*. Sequuntur Tribuni pl. de quibus dubitari non potest. Etenim Cicero in epistola ad Trebonium sic scribit: *Cum senatum ad XIII. K. Jan. tribuni pl. vocavissent, deque alia re referrent, totam Remp. sum complexus*. Interregem autem Ap. Claudium video habere senatum apud Sallustium historiarum lib. I. cui Remp. committendam Philippus censet, cum Q. Catulo procos. uti videant ne quid Resp. detrimenti capiat; & Papirium Mugillanum, & alios quosdam apud Livium lib. IV. At præfectum urbi Latinarum gratia relictum, senatum habere posse Mucius negat, teste Gellio, quoniam ne senator quidem sit. Ateius vero Capito, in Conjectaneorum CCLIX. libro, assentitur Varroni. namque & tribunis, inquit, senatus habendi jus erat, quanquam senatores non essent ante Atinium plebiscitum. Ego autem, cum memoriam vetustatis, resque populi R. gestas intueor, Tricipitino & Gemino, item Minucio & Nautio coss. Romæ, a Q. Fabio præfecto urbi senatum habitum reperio. Quanquam tunc, nondum prætoribus illatis in Rempublicam, major imperii vis, atque auctoritas fuit in præfectis. Idem observavi de Magistro Equitum, quod a Varrone prætermissum esse miror. Livius quidem id de Q. Fabio litteris testatum reliquit lib. VIII. & de M. Antonio lib. XLII. Dio. Apud Dionem hæc prope sunt: *Quoniam Antonius magister equitum senatum convocabat, popularis Reipublicæ status quasi umbra quædam & species cernebatur*. Apud Livium autem illa: *Magister equitum clam e castris Romam profugit, & patre auctore M. Fabio, qui ter jam consul, dictatorque fuerat, vocato extemplo senatu, cum maxime conquereretur apud patres vim atque injuriam dictatoris, repente strepitus ante curiam lictorum submoventium auditur*.

Quæres deinde, cum omnes isti magistratus Romæ essent, quid fiebat? Respondeo, quo supra recitati a nobis sunt ordine, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum, ut scriptum est, a M. Varrone senatus cogendi jus fuisse. Itaque non nisi absente consule prætor senatum habebat. Cic. ad Planc. *Placuit nobis, ut statim ad Cornutum prætorem urbanum litteras deferremus, qui, quod consules aberant, consulare munus sustinebat more majorum. Senatus est continuo convocatus*. Eleganter imprimis, & vere. Nam jurisdictio urbana honorificentissima fuit, ac L. Cæsar, apud Festum, prætorem majorem urbanum dici putat, minores cæteros. Quanquam aliquando videamus duos vocasse, ut post cladem ad Thrasymenum illos, quos nominavi, Philum, cui inter cives & peregrinos, & Mathonem, cui juris dicendi urbana sors evenerat. Tribuni porro pl. M. Valerio & P. Virginio coss. senatus cogendi jus sibi usurpare cœperunt, ut memoriæ prodidit Dionysius lib. X. *Antea enim concilii populi tantum indicendi potestatem habebant. Patres autem convocare, aut ad senatum referre, iis non licebat: sed erat consulum hic honos*. Quorum verborum manifesta est vis, atque perspicua, nempe tribunos pl. etiam cum adessent consules, cogere senatum potuisse. Idem observavi apertius, in prooemio tertii oratorii lib. a Cicerone scriptum. Narrat eo loco Drusi tribuni pl. vocatu, non solum senatum, sed etiam Philippum consulem in curiam venisse. Quod circa Varro dixit, consules cum Romæ essent, non solos, sed potissimum jus senatus cogendi habuisse. Etenim raro tribuni pl. nec nisi in re nova, aut in novo aliquo tumultu, ipsi sua auctoritate senatum indicebant. Adeo vero consulare munus hoc erat, ut absentibus quoque iis non ita sæpe supremum consilium, Cicerone auctore lib. XII. epistolarum, iniretur. Quoniam autem consulum æqualis erat, & par plane

Potestas, facileque alter intercedere poterat, si eo invito collega aliquid ageret, effici concludique posse ex eo videtur, senatum nunquam nisi utriusque consensu habitum. Quod si quis nondum assentitur, saltem Appiani testimonio fidem habeat, ex quo ego locum totidem verbis transtuli, & infra apposui: *Patres vero, cum in domum Bibuli convenirent sæpius, ibique inter se consultarent, (neque enim senatus haberi poterat sine voluntate & auctoritate utriusque consulis) nihil adversus Cæsaris vim proficiebant*. Collega vero non intercedente, & ab uno senatum cogi potuisse non uno loco in annalibus & veterum monumentis notavi. Atque ut etiam de illis, supra a me commemoratis, magistratibus extraordinariis aliquid dicam, Dionysius auctor est, translato ad X. viros imperio, unum ex iis præfinito dierum spatio cum fascibus & insignibus fuisse, quoties res postularent senatum convocasse, & regimen totius magistratus obtinuisse. Tribunos autem militares, si omnes adessent, eodemque modo & III. viros, credibile est communi edicto patres citare solitos. De tribunis quoque militaribus legi, cæteris ad varia bella profectis, tres in urbe relictos; unum, ut urbem, mœniaque custodiret; alterum, ut arma, tela, frumentum, quæque belli tempora requirerent, provideret; tertium, ut publici consilii præses, & rerum omnium urbanarum custos esset.

Cæsar primo in urbem adventu senatum per Curionem & Antonium tribunos pl. ut ait Dio, convocavit. Post dictatura decennalis, tribunicia potestas perpetua illi est tributa, & ad extremum usque vitæ magistratus prope continuos gessit, eorumque jure, quod me tacente quoque ipsa ratio indicat, senatum convocabat. Augusto vero, eodem Dione teste, honos hic, in Marcelli & Aruntii consulatu, decretus est novo modo, hoc est, ut, etiamsi nullum magistratum haberet, senatum cogere posset. Quo exemplo insequentes Imperatores id juris sibi usurparunt, ut ex fragmento veteris cujusdam legis de imperio Vespasiani, cujus verba, ex tabula Lateranensi descripta, in libro Epigrammatum antiquorum referuntur, intelligitur. Erit jam finis hujus loci, si admonuero minores magistratus, & privatos, quoties opus esset, consules, aut aliquem eorum, quos enumeravi, adire solitos, & ab eo cognitionem senatus petere, ut Q. Fabium ædilem curulem apud Livium libro octavo, & Mucium apud Dionysium libro quinto. Hæc de magistratibus, qui jus cogendi senatum haberent, hactenus.

CAP. IV.

De ratione & modo senatum convocandi.

NUNC videamus quæ fuerit convocandi ratio. Convocabatur senatus, aut edicto a consulibus vel alio magistratu proposito, aut præconis voce. Nam proponebatur nonnunquam edictum multos ante dies, cum de re graviori deliberandum esset, & quæ frequentem senatum desideraret. Per præconem vero, cum aliquid incidisset, de quo propere & sine mora consulendi essent datres, neque operæ videretur id in aliud tempus pifferre negotium. Hunc morem describit Livius. *Postquam*, ait, *audita vox in foro est præconis, patres in curiam ad X. viros vocantis, velut nova res mirabundam plebem convertit*. Sic & Appianus libro primo: *Opimius armatos in Capitolio prima luce collocat, senatum per præcones convocat*. Illius vero meminit consuetudinis Cicero in sexta ad D. Brutum epistola: *Cum tribuni pl. edixissent, senatus adesset ad XIII. K. Jan. haberentque in animo de præsidio consulum des. referre: quanquam statueram in senatum ante K. Jan. non venire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi ita haberi senatum, ut de tuis divinis meritis sileretur*. Cui loco similis est ille libri IX. epistolarum ad Atticum: *Senatum K. velle se frequentem adesse, etiam Formiis proscribi jussit*. Et tertiæ in Antonium Philippicæ: *Cum tot edicta proposuisset Antonius, edixit, ut adesset senatus frequens ad IIX. K. Dec. eo die ipso non affuit*. At quo modo edixit? hæc sunt, opinor, verba in extremo: *Si quis non affuerit, hunc omnes existimare poterunt, & interitus mei, & perditissimorum consiliorum auctorem fuisse*. Erat autem edicti formula quædam solemnibus quasi verbis concepta, cujus illa est apud Livium, Festum, & Gellium clausula: SENATORES, QUIBUSQ. IN SENATU SENTENTIAM DICERE LICET. At ab initio statim post magistratus annuos institutos, teste Livio, citabantur hoc modo: QUI PATRES, QUIQ. CONSCRIPTI ESSENT. Bello vero Punico secundo ita consules edixerunt, ut docet Livius lib. XXIII. quoties senatum vocassent, *uti senatores, quibusque in senatu sententiam dicere liceret, ad portam Capenam convenirent*. Alii vero, cum Hannibal tria millia passuum ab urbe castra admovisset, frequentem senatum continebant in foro, si quid in tam subitis rebus consulto opus esset, ut idem tradit lib. XXVI. Item, in apparatum Macedonici belli conversa civitate, P. Cornelius consul edixit, *qui senatores essent, quibusque sententiam dicere liceret, quique minores magistratus essent, ne quis eorum longius ab urbe Roma abiret, quam unde eo die redire posset, neve uno tempore quinque senatores ab urbe Roma abessent*. Suggerit postremo Livius simile quiddam an. DXXIV. Mancino & Serrano consulibus: *Interim*, ait, *Marcio prætori mandatum, ut edicto senatores omnes ex tota Italia, nisi qui Reip. caussa abessent, Romam revocaret: qui Romæ adessent, ne quis ultra mille passuum ab urbe abesset. Ea, uti senatus censuit, facta sunt*. Antiquitus vero cum in agris habitarent senatores, ad eos accersendos viatores mittebantur. quod significat Cicero in Catone majore, Plinius lib. XIIX. & Columella lib. I. Fuit & illa quondam ratio præclara, quam Valerius commemorat lib. 2. *Antea*, inquit, *senatus assiduam stationem eo loco peragebat, qui hodie quoque senaculum appellatur, nec expectabat ut edicto contraheretur, sed inde citatus protinus in curiam veniebat: ambiguæ laudis civem existimans, qui debitis Reip. officiis non sua sponte, sed jussus fungeretur. quia quidquid imperio cogitur, exigenti magis, quam præstanti acceptum refertur*. Ætate porro Augusti signum conveniendi suffimento dari cœptum est. Dio lib. LIV. Præter hæc autem, quæ de modo senatus cogendi diximus, M. Varro, ut apparet ex lib. XIV. Gellii, de pignore capiendo, deque mulcta dicenda senatori, qui, cum in senatum venire deberet, non adesset, disputavit. Cicero lib. III. ea de re hanc legem rogat: *Senatori, qui nec aderit, aut caussa, aut culpa esto*. Caussam vocat excusationem justam, & legitimam, ut ætatis, ut judiciorum, ut funeris familiaris, ut morbi. Sexagenarii enim habent vacationem, auctore Seneca illo, quem recitavimus, loco, & libro de brevitate vitæ. Datur etiam excusationis venia illis, qui judiciis operam navant; propterea Augustus, cum certos dies, quib. senatus haberetur, constituisset, cavit, ne iis dieb. jus dicere, vel aliud id genus publicum negotium, quod senatores impedire posset, quo minus in senatum venirent, attingere fas esset. Hæc Dio lib. LV. Et in S. C. illo in epistola Cœlii additum est, ut eos, qui in CCC. judicib. essent, quando coss. de provinciis referrent, abducere liceret. Itidem & Sallustius in libro de Rep.

A ad Cæsarem ait : *His tempestatibus alii judiciis publicis, alii privatis suis atque amicorum negotiis implicati, haud sane Reip. consiliis adfuerunt*. Illos, qui familiaris funeris procuratione impediti abessent, non potuisse mulctari dixi, quod in defensione C. Rabirii animadverterim, hanc caussam, etiam ad prolationem judicii, satis gravem & idoneam habitam. Morbi excusatione utitur Cicero in Philippicis: *An ea res agebatur, ut etiam ægrotos deferri oporteret? Hannibal, credo, erat ad portas, aut de Pyrrhi pace agebatur: ad quam caussam etiam Appium illum & cæcum & senem delatum esse, memoriæ proditum est. De supplicationibus referebatur; quo in genere senatores deesse non solent:* B *coguntur enim non pignoribus, sed eorum, quorum de honore agitur, gratia. quod idem fit, cum de triumpho refertur. ita sine cura consules sunt, ut pæne liberum sit senatori non adesse. qui cum mihi mos notus esset, cumque de via languerem, & mihimet displicerem, misi, pro amicitia, qui hoc ei diceret*. de quo fonte & illud manavit: *Nec erit justior P. C. in senatum non veniendi morbi caussa, quam mortis*. Ex illo autem superiore loco intelligitur etiam, qua pœna senatores, qui erant in culpa, afficerentur. Mulcta enim iis dicebatur, & antequam hæc solveretur, pignora capiebantur. Rem ita se habere paul- C lo post in eadem oratione Cicero clarius significat: *Quis unquam tanto damno senatorem coegit? aut quid est ultra pignus, aut mulctam?* Et Livius lib. III. *Postquam citati non conveniebant, dimissi circa domos apparitores simul ad pignora capienda, sciscitandumque num consulto detrectarent*. Vendi autem solita innuit Cicero in proœmio tertii de Oratore, cum ita Crassum facit loquentem: *An tu, cum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris, eamque in conspectu populi R. conciderís, me his pignoribus existimas posse terreri? non tibi illa sunt cædenda, si Crassum vis coercere: hæc tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa, spiritu ipso libidi-* D *nem tuam libertas mea refutabit*. Cædere antiquo verbo dixit, pro eo quod est auctione distrahere. Namque cædere significabat consumere, ut est a Nonio in commentariis linguæ Latinæ verissime traditum. Et homo eloquentissimus, ac senator constantissimus, lusit in verbi ambiguitate, ut hoc ipso ostenderet se consulis furiosi amentiam & acerbitatem contemnere, & pro nihilo ducere. Leviculum autem est quod putavit Franciscus Connanus, vir cæteroqui juris, antiquitatis, & litterarum peritissimus, pignora ablata consules concidere & frangere consuevisse. Indeque ait Antonium se distur- E baturum ædes Ciceronis minari. Sed utrum talia tantæ civitatis instituta & cogitata, siccorum, an vero asotorum hominum cœpta, & temulentorum somnia judicabimus? Eodem modo consules minores magistratus, pontifex maximus sacerdotes, & imperatores in castris legatos, & senatores coercebant. Quæris unde hoc præceptum hauserim? unde, nisi ex historiæ fonte. Plutarchus in Catone: *Narrat dixisse Munacium, se, re comperta, neque ad cœnas & prandia venisse, neque si ad consilium vocaretur paruisse, cumque minaretur se eum pignore (ita enim agi solet cum illis, qui non obtemperant magistratibus) coacturum, nihil istos terrores* F *curasse*. Livius lib. XXXVII. *Priusquam in provincias prætores irent, certamen inter P. Licinium pontificem maximum fuit & Q. Fabium Pictorem flaminem Quirinalem, quale patrum memoria inter L. Metellum & Postumium Albinum fuerat. conf. illum, cum C. Lutatio collega in Siciliam ad classem proficiscentem, ad sacra retinuerat Metellus pont. max. prætorem hunc, ne in Sardiniam proficisceretur, P. Licinius tenuit. & in senatu, & ad populum magnis contentionib. certatum est: & imperia inhibita ultro citroque, & pignora capta, & mulctæ dictæ, & tribuni appellati, & provocatum ad populum est. religio ad postremum vicit, & dicto audiens esse flamen pontifici jussus, & mulctæ ex jussu populi remissæ*. Cæterum summam, quam penderent senatores, si Reip. consiliis nollent adesse, legibus credo fuisse præfinitam. Etenim Dio prodidit Augustum, cum unus omnia teneret, has mulctas ampliasse. Mulctabantur vero non solum si abessent, verum etiam si venissent tardius, ut eidem placet libro LIV. Ac de modo cogendi senatus diximus.

CAP. V.

De numero senatorum in senatusconsultis faciendis.

INTELLIGENDUM autem est, nisi legitimus esset coactus senatorum numerus, nullum S. C. fieri potuisse. Livius lib. XXXVIII. *Neque his contentus Æmilius consul fuit, sed postea per infrequentiam adjecit S. C. Ambraciam non videri vi captam esse*. Et apud eundem lib. XXXIX. *Fulvius quærit, quid ab eo quisquam possit æqui expectare, qui per infrequentiam furtim S. C. factum in ærarium detulerit*. Item Dio XXXIX. sic scribit: *Cum non conveniret is numerus, quem ad S. C. faciendum leges præscribunt*. Itaque, Sex. Pompeio teste, *cum impedimento esse vult senator, numera senatum, ait consuli*. Ac certum numerum ad S. C. faciendum necessarium fuisse, inter omnes constat, qui vero hic fuerit, variæ sunt & discrepantes virorum doctorum opiniones. Me vero haud pœnitet eorum sententiæ, quibus de senatus consilio, quem numerum conficere deberet, non eodem modo, sed pro magnitudine rerum, de quibus ageretur, definitum placet; & cum, ut disserui superiore libro, non eadem semper Romæ senatorum esset summa, ratione & proportione totius ordinis numerum S. C. faciendis legitimum modo auctum, modo diminutum. Livius lib. XXXIX. narrat, *S. C. cautum, ne qua Bacchanalia Romæ, neve in Italia essent. si quis tale sacrum solemne, & necessarium duceret, nec sine religione & periculo se id omittere posse, apud prætorem urbanum profiteretur, prætor senatum consuleret, si ei permissum esset, cum in senatu centum non minus essent*. De re igitur adeo gravi centum senatorum consilium satis habuit ponderis illa ætate, qua trecenti in altissimum ordinem legebantur. Hoc enim S. C. factum est anno DLVII. Sp. Albino, Q. Philippo coss. Anno autem post id a senatu decretum CXX. in M. Glabrionis & C. Pisonis consulatu, tulit legem C. Cornelius tribunus pl. *ne quis in senatu legibus solveretur, nisi CC. affuissent*. A paucioribus tamen alia S. C. facta, præter id, quod nominatim in lege scriptum erat de iis, qui legibus solverentur, Cicero etiam in Epistolis ad Q. Fratrem palam ostendit: *Sane*, inquit, *frequentes fuimus in senatu, omnino ad ducentos*. Unde & aliud argumentum urget pro me, si Lentulo & Metello coss. pauciores quam ducenti sufficiebant, multo magis ante legem Corneliam, & post eam latam quinque circiter annis, antequam Pisone & Messala coss. tot in summum gradum civitatis essent cooptati. Ac quæcunque hæc fuerit lex, eam sæpe violatam ab optimatum factionibus ex Asconii in Cornelianam commentario clarum & perspicuum est. Propterea que hanc nobilium hominum licentiam numero senatus multiplicato reprimendam esse Cæsari suadet Sallustius, in libro de Republica ordinanda. Si quis vero antiquorum temporum memoriam recordari velit, C. Cæsarem, in illa senatorum multitudine, numerum senatusconsultis faciendis majorem intulisse non negabit. Quod si quibusdam hominibus, qui sibi

nimium acuti videntur, in mentem venisset, non adeo temere Dionem mendacii accusassent, cum lib. LIV. in hanc ferme sententiam scribit: *Videns Augustus senatum non semper frequentem convenire, decrevit, ut S. C. etiam a paucioribus quam quadringentis fierent. Namque prius usque eo rata non erant, quoad is numerus effectus esset.* Non enim hæc verba, ut illi inepte censent, referenda sunt ad illud sub libertate populi R. & gubernatione magistratuum, sed ad hoc sub dominatione Cæsaris positum tempus. Ab eodem historico proditum est Augustum, cum C. Mario & C. Asinio coss. denuo ea, quæ vitiis & violentia superiorum temporum invecta erant, mutaret, & legibus universam alligaret senatus disciplinam, numerum S. C. faciendis alium atque alium, ut res, de quibus senatus consultabat, diversæ erant, constituisse.

CAP. VI.

De loco habendi Senatus.

NUNC de loco senatus habendi ordiri pergam. Ac primum scire omnes velim, solum Festum senaculum curiam appellare: Livius autem lib. XLV. & Varro lib. IV. itemque Valerius lib. II. senaculum dicunt fuisse locum quendam ante curiam, in quo senatus aut seniores consisterent, dictum ut γερουσίαν apud Græcos. Ita vero more majorum comparatum erat, ne S. C. nisi loco legitimo factum, justum haberetur. cujus rei multos habemus præceptores, sed neminem aut doctrina præstantiorem, aut auctoritate graviorem Varrone, qui hoc lib. IV. Epistolicarum quæstionum, ut memorat Gellius, prodidit. Si quis autem in altiorem memoriam diligenter aciem quasi mentis intendat, primum statuet, nullum privatum locum senatui habendo fuisse legitimum. deinde non omnes publicos, sed templa tantum. Quorum unum Zonaras, & si non aperte dicit, significatione tamen quadam ostendit. Quoniam Vulsiniensium legatos clam missos Romam ægre impetrasse narrat, ut in ædibus privatis, ne eorum legatio evulgaretur, senatus conveniret. Alterum M. Varro lib. IV. ad Oppianum perspicue demonstrat. In eam vero intuenti rem doctissimo viro multa occurrebant, inde factum esse, ut in curia Hostilia, inde ut in Ponpeia, & post in Julia templa constituerentur, cum ante profana ea loca fuissent. Idem etiam affirmat Cicero, quando, in defensione Milonis, curiam templum sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici appellat. Et Lampridius haudquaquam spernendus rerum scriptor, in libro de vita Severi, quando ait senatum frequentem in curiam, hoc est, in ædem Concordiæ templum inauguratum convenisse. credo autem disputationis illius epistolicæ Varronis sententias persecutum esse Servium Honoratum in explicatione lib. VII. Æneidos. Nec enim apis similior est api, quam id quod in septimum Virgilii librum adnotavit, doctrinæ illi Varronis, paulo ante a nobis ex Gellii lib. XIV. allatæ. *Augusta*, inquit, *mœnia vocat augurio consecrata. Hinc non multo post: Tectum augustum ingens. Et nisi in augusto loco senatus consilium habere non poterat.* Subjicit deinceps Gellius, Varronem scriptum reliquisse non omnes ædes sacras templa esse, ac ne ædem quidem Vestæ templum videri. Quod idem Servius non solum tradit, sed aliud etiam præceptum ex Varrone prætermissum a Gellio profert, atrium Vestæ ab æde non ita procul remotum templum fuisse, & senatus consilium eo loco habitum. Ac potissimum quidem habebatur senatus in deorum immortalium templis, ut veneratione quoque loci senatores a pravis cogitationibus abducerentur. Sic enim Tullius pro domo: *Censor*, inquit, *penes quem majores nostri (id quod tu sustulisti) judicium senatus de dignitate esse voluerunt, Concordiæ signum volebat in curia, curiamque ei deæ dedicare.* Præclara voluntas, atque omni laude digna. Præscribere enim se arbitrabatur, ut sine studiis dissensionis sententiæ dicerentur, si sedem ipsam, ac templum publici consilii religione Concordiæ devinxisset. Quare maxime illæ celebrantur annalium monumentis propter senatus consilia ædes; Jovis Statoris, Jovis in Capitolio, Jovis Mariana, Concordiæ, Fidei, Telluris, Vulcani, Virtutis, Apollinis, & Bellonæ. Illud tamen addo, si quis templi vim definiendo explicans, genus ejus universum ædem alicujus Dei esse diceret, næ ille in Latinorum consuetudine observanda haud plurimus fuisse videretur. Jam id patet ex eo, quod de atrio Vestæ diximus. Et hoc amplius quod campus etiam, modo sit per augures constitutus, templum est. Propterea bello Hannibalis Flaccus castra inter portam Esquilinam Collinamque cum posuisset, consules eo, ut inquit Livius, senatusque convenerunt, & ibi de Republica consultarunt. Idem intelligere licet, ex illis Propertii nobilissimi & doctissimi Elegiarum scriptoris de antiqua Roma, & Romulo versibus:

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites,
Centum illi in prato sæpe senatus erat.

Et ex VIII. Plinii libro, in quo narrat Romæ custoditum, ne, cum bovem locutum nunciatum esset, Senatus consilium sub tecto iniretur.

Præterea fuerunt quædam nullius diei religione obstricta templa, sed tanquam sedes ab universo populo uni senatorio concessæ ordini; ut curia Calabra, curia Hostilia, & alia ad portam Capenam, item Pompeia, Julia, Octavia. De quibus, quæ observavi non alienum videtur ab instituti sermonis officio deinceps subtexere. Curiam Calabram Romulus condidit, ad quam senatus mandato regis, & populus jussu pontificis, ut rationem dierum, sacrificiorum, ludorumque cognosceret, calabatur, hoc est, vocabatur. Auctor Servius, homo non summa præditus doctrina, sed tamen non nihil scit. Curiam autem Hostiliam, ut nomen ipsum declarat, & Varro lib. IV. de lingua Latina Liviusque libro primo testantur, Tullus Hostilius exstruxit. Ejus situm indicat Varro his verbis: *Ante hanc sunt rostra.* Et Festus, cum narrat antiquissimam fuisse curiam illo loco ubi, Nicostrati ætate, (cujus libro de senatu habendo usus est, in componendis de verborum priscorum significatione libris) ædes Concordiæ fuit, inter Capitolium, & forum. Cæterum & ante Cæsarum imperium cogitavit Cassius censor signo Concordiæ, quod a Q. Marcio in publico collocatum erat, translato in curiam, templum illud ei deæ dedicare, sed ex commentariis pontificum M. Æmilius pontifex pro collegio respondit, nisi eum nominatim populus R. præfecisset, atque ejus jussu faceret, non videri recte posse dedicari. Cum autem Milo interfecisset Clodium, corpus illius a plebe vanissimo & levissimo hominum genere in curiam perlatum, ibique rogo ex subselliis constructo, cum ipsa curia combustum omnes tradunt. Verum statim a Fausto Syllæ F. Dione teste, ex S. C. refecta est, & de secundi conditoris nomine aliam traxit appellationem. *Nam & prius*, inquit, *Sylla pater curiam eandem Hostiliam novo ædificii genere exornaverat.* Quo fit, ut ita Pisonem verba facientem quincto de Finibus dialogo Cicero induxerit: *Equidem curiam nostram, Hostiliam dico, non hanc novam, quæ mihi minor esse videtur,*

postea quam est major, solebam intuens Scipionem, Catonem, Lælium, nostrum vero imprimis avum cogitare. Rursum in tertia, ut opinor, aut quarta Cæsaris dictatura ædem hanc demolitum esse Lepidum Dio refert, verbo quidem propterea, quod Felicitati fanum in ea area inædificandum visum esset, re autem, ut ne hoc monumentum Syllani nominis extaret: tum ut altera, quam exstruxisset Cæsar, senatorii ordinis sedes, curia Julia vocaretur. Deinde vero Hirtio & Pansa coss. multorum, & metuendorum prodigiorum nunciis perculsa urbe, S. C. factum fertur de antiqua illa reficienda. Ad portam autem Capenam aliam fuisse curiam dixi, haud infirmo testimonio Festi, & Livii libro XXIII. nixus. Verum Pompeiæ multo crebior in rebus R. gestis fit mentio, ejusque origo, & situs certis litterarum notis ita sunt expressa, ut de iis nihil sit, cur magnopere laboremus. Nam Plutarchus eam a Pompeio dedicatam, & ornamenti caussa theatro adjectam, in Cæsare & Bruto scribit. Quo fundamento jacto etsi jam satis patet curiam Pompeiam fuisse extra pomœrium, tamen instituti tuendi caussa Dionis etiam testimonium proferam. Hic lib. XL. *Ad theatrum*, inquit, *extra pomœrium senatus habitus est*. Atque hoc quidem in templo senatum ludorum diebus haberi solitum Appianus lib. II. docet. curia autem Julia, quæ erat prope comitium, in locum Hostiliæ successit. Quam ut Cæsar construeret senatus decreverat, sed a III. viris demum condita est, & post ab Augusto, qui sibi unus imperium Cæsaris vendicaverat, dedicata. Dio lib. XLVII. & LI. Restat Octavia extra pomœrium, ut testatur idem lib. LV. sita. Itaque cum acrius aliquanto, & attentius hanc rem considerarem, in ea mente, & cogitatione versabar, curiam hanc in locum Pompeiæ, quæ post cædem Cæsaris est obstructa, Augustum consecrasse.

Reliqua post commodius cognoscentur. Hæc vero de senatus loco in præsentia generatim dixisse satis sit.

CAP. VII.

De tempore convocandi Senatum.

De tempore autem quo senatus aut convocaretur, aut haberetur, illud constat apud me non ut certum diem sacrificii, sic hujus supremi consilii expectari, sed, quotiescunque res postularent, subito cogi solitum. Præcipiunt quidam lege fuisse cautum, *ne diebus comitialibus haberetur*. A quibus ego dissentire nec debeo, nec, cum suam conjecturam gravissimis locupletissimorum auctorum testimoniis confirment, possum. Producunt autem Ciceronem, qui ad Q. Fratrem scribit secutos esse comitiales dies, per quos senatus haberi non poterat. Citant etiam Cælium, quando ait in S. C. illo, cujus jam aliquoties mentionem fecimus, additum, ut de provinciis consularibus per dies comitiales consules senatum haberent. Adjungo his & ipse Cæsarem commentario primo de bellis civilibus, ita narrantem: *Qua ex die consulatum iniit Lentulus, biduo excepto comitiali, de imperio Cæsaris, & de amplissimis viris tribunis pl. gravissime in senatu acerbissimeque decernitur*. Et M. Ciceronem infra scribentem ad Quinctum hoc modo: *Comitialibus diebus, qui sequuntur Quirinalia, Appius interpretatur non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum*. Sed quos hi auctores comitiales dies nominent, quæro? Respondent eos, ut Livius Macrobiusque docent, quibus cum populo agere licuit, quique in Fastis die-

A rum ex vetusto marmore descriptis littera C. notantur. Ego, cum liberæ esse debeant omnium in re litteraria sententiæ, verecunde tamen, mihi id non placere dico. Et ut non placeat, adducit me senatoriæ consuetudinis diligens in veterum libris observatio. Notavi in Ciceronis orationibus in Antonium dies, quibus est senatus habitus, XIII. K. Oct. IV. & VIII. K. Dec. XIII. K. Jan. & I. in Catilinam XII. K. Novemb. tum in litteris ad Lentulum Ciceronis XVI. K. Feb. & in Cœlii ad Ciceronem XI. K. Sext. & apud Cæsarem VII. Id Jan. & alios sexcentos, qui littera C. in antiquo marmore

B ignantur. Deinde moveor dierum, quibus magistratus cum populo agendi potestatem habebant, multitudine. In illo enim lapide numero ad ducentos. Quemadmodum homines doctissimi id accepturi sint horreo. Sed humanum est labi. Itaque profiteor me existimare comitiales dies a Cicerone illis locis, & a Cælio, Cæsareque appellari, non quibus comitia haberi possent, sed quibus haberentur. Ita definit Festus dies comitiales, cum in comitio conveniebant. Ergo, verbi gratia, si indicta essent comitia ad III. Non. Mar. quo die legem ferre, aut magistratus creare licuit, non potuit ad eam diem ut senatus adesset consul edice-

C re, ne senatores vel a petitione, vel a suffragiis avocarentur. Ferebant enim suffragia etiam tributis comitiis. De quo non est cur magnopere dubitetur, cum id Varro lib. II. de re Rustica doceat: *Comitiis*, ait, *ædiliciis cum, sole caldo, ego, & Q. Axius senator tribulis, suffragium tulissemus*. Verum si non essent comitia, die illo, quo haberi poterant, nihil vetabat, quo minus cives amplissimi senatorio munere fungerentur. Itaque legimus, & notavimus, si res incidisset gravior, quæ senatus desideraret cognitionem, comitia ex S. C. sæpe delata. Cicero pro Murena: *His rebus auditis, meministis fieri S. C. referente me, ne postero*

D *die comitia haberentur, ut de his rebus in senatu agere possemus*. Neque hoc tam comitialibus diebus, quam comitiis ipsis tributum, multa sunt quæ declarent, in antiquorum libris exempla. Eodem enim die statim post comitia vocatos sæpe in curiam patres videmus. Nam ita narrat lib. XXXVIII. Livius: *Senatus deinde concilio plebis dimisso haberi est cœptus*. Et XLVIII. *Consul dimissis comitiis senatum vocavit. censuerunt frequentes ad populum cum Flacco agendum*. Omitto Ciceronem lib. II. ad Q. Fratrem, prætereo Dionem lib. XXXVII. & alios. Considerandum vero est, utrum illi, quos recitavi-

E mus, loci possint hanc admittere interpretationem. Et primum de illis verbis ex epistola *Non occupatione*, lib. II. ad Q. Fratrem non ambigo. Nam etsi comitia habita, aut concilium aliquod plebis statim post XVI. K. Feb. quo illa acta esse in senatu Cicero, de rege Alexandrino ad Lentulum scribens, narrat, nullibi reperio: tamen ne id credam, nihil omnino intercedit. Ut vero in Cœlii epistolis legimus, senatus decrevit Reip. tempora flagitare, ut ex K. Mar. posthabitis aliis omnibus rebus, de provinciis consularibus referretur. Sed cum lex esset, *ut diebus comitialibus, si agere vellent magistratus cum populo, superséderetur a publi-*

F *co consilio*, ne hoc modo mora ab aliquo afferretur, quo minus de provinciis consularibus patres consuli possent, adjectum est in S. C. extra ordinem comitialibus diebus senatus potius & publici consilii, quam comitiorum rationem oportere haberi. Diebus porro duobus, quorum meminit Cæsar, cum populo actum nemo negabit; cum sic reperiatur in eodem libro scriptum: *Completur urbs ad jus comitiorum*. Ultimus, & difficillimus est locus in lib. epistolarum II. ad Q. Fratrem. caussa autem difficultatis hæc est, quod sententiam legis Pupiæ, & tempus adhuc invenire non potui. Ex-

plicatur ita a nonnullis : *Tulit... Pupius ... ne senatus a* XVI. *K. Feb. ad usque K. Feb. haberetur, ne nisi perfectis, aut rejectis legationibus, aliis de rebus senatus haberetur*. Verum hoc de legationibus non lege Pupia, sed Gabinia sanctum fuit, ut intelligitur ex verbis Ciceronis : *Comitialibus diebus, qui Quirinalia sequuntur, Appius interpretatur, non impediri se lege Pupia, quo minus habeat senatum*. Hæc de lege Pupia. Sequitur de Gabinia. *Et quod*, inquit, *Gabinia sanctum sit, etiam cogi usque ad K. Mar. legatis senatum quotidie dari*. Et quanquam ad Lentulum non nominat legem Gabiniam, distincte tamen dixit ; *Senatus haberi ante K. Feb. per legem Pupiam, id quod scis, non potest. Neque mense Feb. toto, nisi perfectis, aut rejectis legationibus*. per legem Gabiniam scilicet. Cum vero, ut superius commemoratum a nobis est, dixerit, Appium interpretari se non facturum contra legem Pupiam, si diebus comitialibus, qui sequuntur Quirinalia, senatum haberet, manifestum est decipi eos, qui de extremo tantum Januario mense Pupium sanxisse credunt. Quirinalia enim sacra, Sex. Pompeio & marmore antiquo testibus, Februario mense, non Januario fiebant. Crederem lege hac cautum fuisse ; ut diebus comitialibus ratio haberetur comitiorum potius, quam patrum consilii, ac maxime si aliquibus magistratibus civitas careret. Nam scribit Q. Fatri, Appium consulem ex interregno creatum, detrudere comitia prætoria in mensem Martium conari. At Philippo & Marcellino coss. quo anno illa ad Lentulum epistola est missa, comitia turbulenta Clodii ædilis mense Januario fuisse constat. Scivit autem post ædiles Lentulus, & quæstores, & alios non paucos magistratus minores, more institutoque veterum, creari debere. Exposui de re obscurissima opinionem meam. Quanquam hic mihi valde, ut ajunt, aqua hæret. Itaque non ero pertinax, & si quid probabilius audiero, non gravate in aliorum sententiam pedibus ibo. Sed certe aut ita sentiendum, aut fastis dierum marmoreis, quod licet mallem, tamen hactenus, veneratione, qua omnem prosequor antiquitatem adductus, eloqui non sum ausus, fides est abroganda. Quæritur secundo loco, atris & religiosis diebus utrum consulerentur patres. Negat Dio, ut quidam ajunt, lib. XLV. his verbis. *A. Hirtio C. Pansa coss. K. Jan. senatu convocato per dies perpetuos tres deliberatum est. Nam eo, quod impendebat, bello, prodigiisque plurimis & admirabilibus perterriti, ne religiosis quidem diebus de iis rebus, quæ ad salutem & incolumitatem pertinerent, consilia intermittebant*. Diem vero religiosam verbo Græco ἀποφράδα vocat, quo nomine & Plutarchus in Camillo utitur, cum narrat de XV. die K. Sext. quo ad Alliam cum exitio urbis fœde pugnatum est. Quæ religio non solum erat XV. K. Sext. verum postridie & Idus, & Nonas, & Kalendas omnes. Jam igitur nescio, an id verum esse possit. Cicero lib. I. ad Atticum : *Perfectum a nobis est, ut frequentissimo senatu, & libentissimo uterentur, multaque a me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt K. Dec. & postridie*. Et lib. IV. cum scripsisset senatum K. Oct. fuisse frequentem, paucis interjectis adjicit hæc : *Postridie S. C. factum est, quod ad te misi*. Quincto demum Fratri nunciat lib. II. quod Idibus Maii, & postridie fuerat dictum, de agro Campano in senatu actum iri, non esse actum. Possem & alia multa proferre testimonia; verum aut hoc testimoniorum satis est, ut ille dicere solitus erat, aut ego quid satis sit omnino ignoro. Festi vero dies licet senatui habendo essent legitimi, tamen non ita sæpe iis supremum consilium initum Cicero lib. II. ad Q. Fratrem significat. Nam in prima ejus libri epistola ait : *Senatus fuit frequentior, quam putabamus esse posse mense Decembri, sub dies festos*. Idus vero, Nonas, Kalendas solemnes senatus dies fuisse puto, quod sæpe in annalibus nominentur ; maxime autem insignes K. Jan. & antea Id. Mar. atque alios quosvis, quibus consules ex instituto majorum inibant. Itaque Livius lib. XXVI. refert M. Marcellum, cum Id. Mar. consulatum iniisset, senatum eo die moris tantum caussa habuisse, professum nihil se absente collega, neque de Rep. neque de provinciis acturum. Et Ovidius lib. IV. de Ponto, nobilem illam K. Jan. pompam pulcherrimis describens versibus, canit :

Curia te excipiet, patresque ex more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.

Cæterum non videtur antiqua illa senatus distinctio quam multis placere video, ut alius legitimus esset, alius indictus. Primus enim Augustus instituit, Dione teste lib. LV. cum antea nihil esset hac de re sancitum, certos singulis mensibus senatus habendi dies, quibus necessario senatores, quibusque jus erat sententiæ, in senatum venirent. De quo Augusti decreto Suetonius : *Sanxit ne plus quam bis in mense legitimus senatus cogeretur, scilicet K. & Id. neve Septembri, Octobrive mense ullos adesse alios necesse esset, quam sorte ductos, per quorum numerum decreta confici possent, sibique institutis consilia sortiri semestria, cum quibus de negotiis ad frequentem senatum referendis ante tractaret*. Quo loco legitimum senatum admoneo opponi non indicto, sed Octobris, Septembrisque mensis senatui, & semestri senatulo. Hæc enim consilia nova erant, nullis legibus, nullo exemplo majorum introducta. Ad tempus quoque spectat, quanquam sæpe ad solis occasum senatus retineretur, post horam tamen decimam nihil novi referri potuisse. Docet hoc Seneca cap. XIV. lib. I. de Tranquillitate vitæ. *Majores*, inquit, *nostri novam relationem post horam decimam fieri vetabant*. Et quod Varro præcepit S. C. ante exortum, aut post occasum solis factum ratum non fuisse ; opus etiam censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore S. C. factum esset. Postremo scribit Suetonius & Dio, interfecto Cæsare Id. Mar. solemnem senatus diem, parricidium a III. viris nominatas, ac ne unquam senatus eo die haberetur decretum.

CAP. VIII.

Ritus & solemnia Curiæ.

JAM vero ritus, & solemnia curiæ describenda, ac depingenda nobis sunt. Primum omnium magistratus, qui senatum habiturus esset, immolabat hostiam, auspicabaturque teste Varrone. Quod est etiam ab Appiano lib. II. in hanc ferme sententiam scriptum : *Est autem mos*, inquit, *magistratibus in curiam ingressuris prius uti haruspicina, ac rursum in Cæsaris victima cor, vel, ut alii dicunt, caput extorum non est inventum*. Ultimis temporibus, cum in Rempublicam invasisset, Octavianus decrevit, ut senatores ture ac mero supplicarent illi Deo, in cujus templo senatus habebatur. Est id apud Dionem lib. LIV. *Posthæc Augustus, in aliud quinquennium præfectus morum factus, sanxit, ut senatores, quoties in curiam convenire, aut ad se accedere vellent, suffimentum adolerent ; eo & religionis studium inculcabatur, & signum conveniendi facilius dabatur*. Et apud Suetonium in vita Augusti : *Quo autem lecti probatique & religiosius, & minori molestia senatorio munere fungerentur, sanxit, ut priusquam consideret quisquam, ture ac mero supplicaret, apud aram*

ejus Dei, in cujus templo coiretur. Nec prætermittam C. Marium, in secundo consulatu, primum triumphali veste in senatum venisse. Non enim visum est hoc indignum Livio homini summo, quod historiarum monumentis proderet. etsi Dio, alios secutus auctores, coactum eum deponere ornamenta triumphi, & togatum consilium patrum convocasse lib. XLVIII. dicit. Cicero autem in gratiarum actione pro Marcello *consessum* appellat senatum. Et in epistolis ad Ap. Pulchrum, *longum subsellium*. propterea quod judicum subsellia breviora essent. Consules vero in senatu sellis curulibus sedebant, quem Cicero morem aperte expressit in ea, quam Non. Dec. in senatu contra Catilinam habuit: *Non denique*, inquit, *hæc sedes honoris sella curulis, unquam vacua mortis periculo atque insidiis fuit*. Cæsari etiam victori inter maxima ornamenta tributum legimus, apud Dionem, ut in senatu propter consules, & ipse sella curuli sederet. Eundemque locum honoris & Augustus tenuit.

CAP. IX.

De ratione referendi ad Senatum.

ATQUE hæc, etsi ad intelligendos libros Latinorum non inutilia sunt, tamen fortasse prudentibus hominibus possunt leviora videri. Quare non immorabimur in iis diutius, & jam antiquam ad senatum referendi consuetudinem investigare ordiemur. Consulebant igitur patres non solum ii, qui habebant senatum, verum & alii magistratus. Quod quoniam pauci sciunt, nemo certe docuit, pluribus argumentis demonstrandum puto. Primum Cicero quandam in senatu orationem orsus est hoc modo: *Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur P. C. de Appia via, & de Moneta consul, de Lupercis tribunus pl. refert*. Deinde in epistolis, cum Lentulo scripsisset quæ quis patrum ex relatione coss. censeret, Volcatium quoque nunciat referente Lupo tribuno pl. Pompeium, ut Ptolemæum reducat, decernere. Tum in Sextiana L. Mummium tribunum pl. consule Gabinio nolente, tempore suo gravissimo, ad senatum retulisse, cumque senatus frequens pro salute ipsius mutandam vestem censuisset, Gabinium exanimatum, evolasse ex senatu dicit. Postremo Plutarchus ita narrat de Antonio tribuno pl. *Cum Cæsaris litteras recitari in senatu Pompeiani non finerent, ipse, (nam magistratus jure poterat) eas recitavit*. Quanquam enim litteras privatim missas, si id ad Reip. commodum pertineret, privatis licuit in senatu recitare; illas tamen, quæ publice mittebantur, nemo, nisi qui referendi potestatem habebat, potuit. Obtinuimus ergo senatum habentibus consulibus, tribunis pl. concessum fuisse ad illorum relationem aliquid addere, & de eo, quod in rem videretur patres consulere. Quid vero prætores? an referebant ad senatum? Dio lib. LV. præcise ante Augusti imperium negat. At Livius & Cicero, quibus credidisse malis, ajunt; sed tum solum, quando major potestas non vetabat. Livius quidem lib. XLIX. refert S. C. cautum, ut si quis sacrum Bacchi necessarium sibi duceret, apud prætorem urbanum profiteretur, prætor senatum consuleret, si ei permissum esset. Et libro XLII. *Cajus*, inquit, *Licinius prætor consuluit senatum, quem quærere ex rogatione vellent. Patres ipsum eum quærere jusserunt. Tum demum in provinciam coss. profecti sunt*. Ciceronis autem hæc sunt verba in oratione pro lege Manilia, quam suasit prætor: *De quo legando spero consules ad senatum relaturos: qui si dubitabunt, aut gravabuntur, ego me profiteor relaturum*. Unde & in III. de Legibus jure sanxit: *Cum populo patribusque agendi jus esto prætori*. Itidem, ut ibi scifcit, magistro equitum. *Censores vero Flamininus & Marcellus*, teste Livio, *Campani ubi censerentur senatum consuluerunt, decretumque uti Romæ censerentur*. Qua de re & infra: *Campani, cum eos ex Senatus Consulto quod priore anno factum erat, censores Romæ censeri coegissent, petierunt, ut sibi cives Romanas uxores ducere liceret*. At si quid alii magistratus invitis consulibus referrent, vetare poterant? Fateor, & addo honorem hunc consulum præcipue fuisse. Sed non ex eo concluditur, prætores, & cæteros jus consulendi patres non habuisse. Nam & consulis relationi intercedit tribunus pl. Tacitus Annali I. *Scaurus dixerat, spem esse ex eo non irritas fore senatus preces, quod relationi consulum jure tribuniciæ potestatis non intercessisset*: tamen consules potestatem referendi maximam habuisse nemo ignorat. Et quanquam ille, penes quem fasces erant, hoc jure collega superior erat, Dionysio lib. IX. auctore, uterque tamen cos. referebat. Exempla passim occurrunt in annalium monumentis. Itaque de re minime dubia plura non loquar. Referebant tamen ambo plerumque. Livius lib. XXVI. *Consulum de provinciis communis relatio fuit*. Ita & de tribunis, & aliis, quos enumeravi, magistratibus, observo, aliquando totius collegii unam fuisse relationem, aliquando vero simul aliquot, sæpe separatim suo quemque nomine retulisse. Augusto XI. cum Pisone consuli, quo tempore L. Sestium in suum locum subrogavit, referendi potestatem, etiamsi consulatum non haberet, Senatus Consulto tributam Dio prodit. Inde honos is, ut & cogendi jus, ad alios Imperatores permanavit. Nemo vero, ut in veterum libris scriptum est, magistratus nisi stans in senatu verba faciebat. Cicero lib. II. ad Q. Fratrem: *Racilius surrexit, & de judiciis referre cœpit*. Dionysius lib. V. *Hæc cum legati dixissent, surrexit Brutus consul, & hujuscemodi verba locutus est*. Lego apud Dionem, Augustum, cum ægrotaret, quæstoris in senatu ministerio usum. eundemque absentem de flagitiis filiæ libellum per quæstorem recitasse. Quod quasi honoris & amplitudinis, non necessitatis & pudoris caussa factum, successores illius imitatos tum ex aliorum monumentis, tum ex Taciti XI. Annali colligo. In quo hæc sunt: *Et oratio principis per quæstorem ejus audita est*. Duo etiam genera relationum Varro edit: Unum, cum infinite de Rep. alterum, quando singulis de rebus finite patres consulebantur. Sæpe vero aliquot magistratus priusquam sententiæ rogarentur, referre ordine quenque, si quid haberent, consuevisse, etsi nemo tradit aperte, tamen ex Ciceronis VII. Philippica, epistolisque ad Lentulum existimare licet. Sæpe item uno Senatus Consulto unaque re perfecta, aliam relatam Seneca lib. de Tranquillitate vitæ innuit. Anno CDXXII. Plautium cos. accepi hoc modo retulisse, hancque fere relationis formulam esse: *Quoniam auctores defectionis meritas pœnas, & ab diis immortalibus, & a vobis habent, Patres Conscripti quid placet de innoxia multitudine fieri? Equidem, etsi meæ partes exquirendæ magis sententiæ, quam dicendæ sunt; tamen cum videam Privernates vicinos Samnitibus esse, unde nunc nobis incertissima pax est, quam minimum irarum inter nos illosque relinqui velim*. Postremo, qui jus referendi habebant, iis cum vellent relationem remittere concessum erat. De quo significat, ut opinor, legis de imperio Vespasiani, quæ in æs incisa, & perscripta adhuc Romæ extare dicitur, caput illud: UTIQUE EI SENATUM HABE-

HABERE, RELATIONEM FACERE, REMITTERE LICEAT, ITA UTI LICUIT DIVO AUGUSTO.

CAP. X.

De sententiarum rogandarum modo.

SEQUITUR ut doceam, qui fuerit sententiarum rogandarum modus. Si separatim consules retulissent, vel cum his tribuni quoque, aut alii quivis magistratus, credibile est non omnes, sed eum tantum consulem, qui cum fascibus erat, rogasse. hanc ego facio conjecturam ex his Livii verbis: *Consules de pace Caudina retulerunt, & penes quem fasces erant, dic Sp. Postumi, inquit.* At si consules abessent, qui rogaret quæres? Mihi quoque hac de re dubitanti nullum, quo stari possit, indicium in antiquorum libris occurrit. Sed si dicerem urbanum prætorem, prætoribusque absentibus tribunum, quem universum collegium delegisset, nescio an judicarent homines morum disciplinæque Romanæ periti, non omnino ineptam hanc meam responsionem esse. Memini tamen apud Ciceronem lib. II. ad Q. Fratrem me legisse, cum Lupus tribunus pl. caussam agri Campani peroraffet, & senatum se dixisset non morari, Racilium de judiciis retulisse, & sententias rogasse. Atque antea quidem, ut docet Gellius ex lib. IV. Varronis de quæsitis per epistolam, in exquirendis sententiis consul incipiebat ab eo, quem principem in senatum censores legissent: tum autem, cum illa Varro ad Oppianum scriberet, novum morem inductum ait, ut is primus rogaretur, quem rogare vellet, qui haberet senatum, dum is tamen ex gradu consulari esset. Etenim, ut supra dixi, Livius consulares principes sententiarum fuisse refert. Itaque concedebatur hoc benevolentiæ & amori; tribuebatur sanguinis conjunctioni; pietati in parentes dabatur; hominum sapientissimorum amplitudini & dignitati deferebatur. Invenio in annalium monumentis jam ante multis annis tribunum militum consularem P. Licinium Calvum a patre suo orsum. quod principe senatus vivo, qui facere potuerit non video, si statim soluta regia potestate illud, quod dicit Varro, institutum erat. Addit Suetonius & Gellius, observatum esse, ne consuli liceret modo hunc, modo illum ante alios rogare, sed ut, a K. Jan. ad comitia usque, eundem ordinem in consulendis patribus custodiret. Quocirca C. Cæsar consul, cum quatuor solos extra ordinem, in iisque principem Crassum, rogasset, & deinde Pompeium desponsa illi filia cœpisset, rationem ejus rei in senatu reddidit, Tirone Ciceronis liberto teste. Id ipsum Capito Ateius, in libro de officio senatorio, quem injuria temporum amisimus, litteris prodiderat. Post comitia vero, consules des. primi in consulari gradu erant. Multa sunt hujus consuetudinis expressa, & omni luce clariora signa. Quorum potissima referre non gravabor. Primum Cicero, cujus quot intueor verba, tot pulcherrimorum institutorum vestigia agnosco, quinta in Antonium ita dicit: *Qui ordo in sententiis rogandis servari solet, eundem tenebo in viris fortissimis honorandis. a Bruto igitur consule des. more majorum capiamus exordium.* Deinde Sallustius in conjuratione Catilinæ hujuscemodi verba facit: *D. Junius Silanus, primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul des. erat.* Caussam istius instituti, ut a consulibus des. principium rogandi sumeretur, hanc reperi ex Appiano, lib. II. *ut cautius & circumspectius censerent, cum illis exequenda essent omnia, quæ senatus decrevisset.* Ambos autem ante cæteros senatores dicere consuevisse sententiam, indicat Seneca in lepidissimo quodam libello, qui ἀποκολοκύντωσις inscribitur, quando ait: *Proximus interrogatur sententiam Diespiter, Nicepotæ F. & ipse des. consul.* Cum igitur locus hic nihil habeat dubitationis, consules novos antequam inirent primos rogatos, deinceps uter ex illis prior rogaretur, merito ambigi potest. Sed mea quidem sententia facilis est deliberatio, & jam ab aliis plane explicata. Nam si quis in historiarum monumentis evolvendis paullo attentius versetur, eum, qui prius renunciatus esset, priore quoque loco in senatu sententiam dixisse inveniet. Post consulares vero prætorii, post prætorios ædilicii, ac demum tribunicii, ac quæstorii censebant, ut gradus gradui semper præferretur. Sic enim quod Cicero in Verrem dicit per ædilitatem se assecutum antiquiorem sententiæ locum, rationem habet. Et in lib. XII. ejusdem ad Atticum ita est: *Catonem primum sententiam putat de animadversione dixisse, quam omnes ante dixerant, præter Cæsarem: & cum ipsius Cæsaris tam severa fuerit, qui tum prætorio loco dixerit, consularium putat leniores fuisse.* Ergo hic prætorii ante ædilicios dicunt. Nam Cato post Cæsarem rogatur; quorum ille tribunus pl. ut inquit Velleius, hic prætor creatus in sequentem annum, auctore Dione, fuit. Quo cognito supervacaneum est in singulorum graduum jure demonstrando hærere. Ac si prætor des. inter prætorios censebat, ut ex hoc loco patet, non dubito, & eum, & omnes designatos magistratus sui quemlibet gradus principatum tenuisse. Cæterum qui dicebantur pedarii senatores, ut supra memini, non rogabantur, sed tamen consulis permissu dicere poterant. Qua de re Gellius: *Quia in postremis erant scripti, non rogabantur sententias.* Et diligentissimus rerum Rom. scriptor Dionysius lib. VII. *Ubi seniores dixerunt, ex junioribus Coriolanus, postulata, & impetrata dicendi potestate, adversus plebem hujusmodi orationem habuit.* Et infra lib. eodem: *Solebant consulares, ac potissimum seniores, primi rogari. Juniores vero non rogabantur, aut rogati non dicebant, sed discedebant in seniorum sententias.* Quo spectavit Laberius Poeta antiquissimus, cum in Mimis *caput sine lingua* pedariam sententiam nominavit: caussam cur non dicerent, reddit Dionysius: *Quoniam,* inquit, *veterum senatorum sententiis addere aliquid juvenes, & rerum imperitos, aut detrahere velle, impudentiæ summæ videretur.* Necessitate quidem pressis excusatio erat. Hinc ille agipes Lucilii vocem mittere cœpit. Utrum autem magistratus rogarentur, nihil habeo quod sequar, etsi in eo quærendo non parum sane operæ & studii posuerim. certum est illos habuisse jus sententiæ. Sed, cum privatis omnibus præstarent, non existimo rationi consentaneum, eos posteriore loco rogatos. Itaque considerare oportet, an majorum magistratuum referendi potius, quam censendi, partes fuerint; minorum vero partes admonendi, si quid per gratiam contra leges de rebus, quas illorum fidei populus credidisset, homines potentes in senatu molirentur. Itaque Cato quæstor semper in senatum venit, non aliam ob caussam, Plutarcho teste, quam ut, si quid ex vectigalibus detraheretur, aut ex ærario erogaretur, impediret. Quanquam nihil affirmo. rem tantum noto, judicium autem ejus doctissimis viris relinquo. Manifestum porro est ex Ciceronis ad Atticum epistola II. lib. IV. in senatu nullam pontificum, vel aliorum sacerdotum rationem habitam in rogandis sententiis, perinde ac si senatores solum essent. Intelligendum est etiam, etsi hoc ordine senatores censerent, tamen cuilibet liberum fuisse petere a consule, ut interfari aut præfari posset. Livius lib. III. *Proditum memoriæ est, Potitum post relationem Ap.*

Claudii, priuſquam ſententiæ rogarentur, poſtulando ut de Rep. liceret dicere, prohibentibus minaciter x. viris, proditurum ſe ad plebem denunciantem, tumultum excivisse. Ita igitur ſtante rep. Confecto vero Africano bello decretum Dio tradit, ut Cæſar primus omnium ſententiam ſuam exponeret. Et Auguſtus, Suetonio teſte, de majoribus negotiis, non more priſtino curiæ, nec vetere conſuetudine ſenatus, ſed prout libuiſſet patres rogabat, ut perinde quiſque animum intenderet, ac ſi cenſendum magis, quam aſſentiendum eſſet. Imperatoribus aliis referentibus conſules illi ficti, commenticiique principes ſententiarum erant. Tacitus lib. II. *Primus ſententiam rogatus Aurelius Cotta conſul: nam referente Cæſare magiſtratus eo etiam munere fungebantur.*

CAP. XI.

Forma ſententiarum dicendarum, & modus decernendi in Senatu.

His ita conſtitutis, rationem, & formam ſententiarum dicendarum inveſtigemus. Senatores rogati longis utebantur orationibus, quas aliquando ex ſcripto recitabant. *Erat enim ſenatori jus*, ut Capito teſtatum reliquit apud Gellium, *vi ſententiam rogatus diceret ante quidquid vellet alterius rei, & quoad vellet.* Tacitus Annali XIII. *De bello, & pace, de vectigalibus, & legibus, quibuſque aliis Reſp. continetur, ſuadere, diſſuadereve patribus licebat, quoties dicendæ ſententiæ jus accepiſſent, & quæ vellent expromere, relationemque in eo poſtulare.* Scite hercules. Etenim egreſſus ſenator relationem & ſi rem ſuaſiſſet, qua vel ſola niteretur ſalus civitatis, tamen de ea S. C. ſine relatione nova, fieri non potuit. Unde Livius lib. XL. cum mentio facta eſſet de pace Carthaginenſi, conclamatum ex omni parte curiæ prodit, uti referret P. Ælius prætor. Itidem docet Tacitus, cujus locum infra ſcripſi: *Magno aſſenſu celebrata ſententia, non tamen S. C. perfici potuit, abnuentibus conſulibus ea de re relatum.* Ubi dixiſſet quoad vellet, rationemque ſui conſilii explicaſſet, ſententiam orationi fere epilogi vice paucis verbis addebat. Exemplis librum infercire nolo, cum omnibus pateant orationes Ciceronis in ſenatu habitæ, Salluſtiique, & aliorum hiſtoriæ. Ut autem uno verbo dicam, id quod relatum erat, aut ſuadebat, aut diſſuadebat, aut, ſi poſt alios rogaretur, alteri verbo aſſentiebatur, aut dividi relationem poſtulabat. Explicandum hoc loco eſt, quid eſſet petere ut relatio divideretur. Sæpe, ut apparet ex Varronis apud Gellium teſtimonio, infinite de Rep. referebatur. Si igitur relatione illa generali res continerentur ita diverſæ, ut non idem de omnibus ſtatuendum Senatoribus videretur, poſtulabant, ut ſeparatim de ſingulis conſulerentur. Exemplum hujus rei ſuppeditat nobis Liviana hiſtoria: Camillus conſul de Latinis omnibus populis ad ſenatum retulit; principes relationem illius laudabant, ſed cum aliorum alia cauſſa eſſet, ita expediri poſſe conſilium dicebant, ut pro merito cujuſque ſtatueretur, ſi de ſingulis nominatim referretur populis.

Atque ſicut magiſtratus, ita & ſenatores dicebant ſtantes. Quare, cum hiſtorici faciunt aliquem in ſenatu ſuadentem, eum ſurrexiſſe ajunt: Gellius lib. VII. *Sententiæ rogari cœptæ, tum M. Cato exurgit.* Sic, cum aſſediſſe ſenatorem narrant, ſignificant eum finem feciſſe dicendi. Salluſtius in Conjuratione Catilinæ: *Poſtquam Cato* A *aſſedit, conſulares omnes, itemque ſenatus magna pars ſententiam ejus laudat.* Et quemadmodum ſtantes cenſere, ſic aſſentiri ſedentes Latini loquuntur. Cicero Metello: *Nulla eſt a me unquam ſententia dicta in fratrem tuum. quotieſcunque aliquid eſt actum, ſedens iis aſſenſi, qui mihi leniſſime ſentire viſi ſunt.* Animadverti autem liquando ſententias juratos dixiſſe ſenatores; ut Lentulo & Præto coſſ. *Patres*, inquit Livius, *jurati (ita convenerat) cenſuerunt, uti conſules provincias inter ſe compararent, ſortirenturve, uter Italiam, uter claſſem L. navium haberet.* Addo etiam illud; ſe- B natori, cum eſſet a conſule rogatus, non dicere ſententiam ſuam, aut non probare alterius haud licuiſſe. Quod indicant hæc ejuſdem Livii: *Q. Fulvius poſtulavit a conſule, ut palam in ſenatu diceret, permitteretne patribus ut de provinciis decernerent, ſtaturuſque eo eſſet, quod cenſuiſſent, an ad populum laturus. Cum Scipio reſpondiſſet, ſe quod e Republica eſſet, facturum, tum Fulvius, Non ego ignarus quid reſponſurus, facturuſve eſſes, quæſivi: quippe cum præ te feras, tentare magis, quam conſulere ſenatum: & ni provinciam tibi, quam volueris, extemplo decernamus, paratam rogationem habeas. Itaque a vobis tribuni pl. poſtu-* C *lo*, inquit, *ut ſententiam mihi ideo non dicenti, quod ſi in meam ſententiam diſcedatur, non ſit ratum habiturus conſul, auxilio ſitis. Inde altercatio orta. conſul negabat æquum eſſe tribunos intercedere, quo minus ſuo quiſque loco ſenator rogatus ſententiam diceret.* Hactenus Livius. Nec prætermittendum puto, quod in lib. III. Ciceronis de Oratore notavi, aſperitatem, & acrimoniam in dicendo Craſſi, pignoribus a Philippo conſule coerceri; & quod tradit Gellius, Catonem, præfracte obſiſtentem relationi, & diem eximentem dicendo, a Cæſare conſule in carcerem ductum. Ac de antiquo more ſententiarum diximus.

D Perrogatis omnibus ſententias, vel ſi non adeſſet quiſquam, qui aliud dicere vellet, cum tres, aut quatuor, ut ſemper accidere videmus, controverſæ invenirentur, oportuit in aliquam earum S. C. fieri. Fiebat vero in eam, quam plures laudaſſent. Nam Cornelius Nepos lib. V. exemplorum, auctore Gellio, & Livius XXXVII. memoriæ & litteris tradiderunt, multis placuiſſe, ut ii, qui de permutandis captivis, poſt Cannenſem cladem, jurati ab Hannibale miſſi redire nollent, datis cuſtodibus ad eum reducerentur; ſed eam ſententiam numero plurium, quibus id non vide- E retur, ſuperatam. Diverſæ igitur ſententiæ ordine pronunciabantur a magiſtratibus, cujus præcepti fundamentum & ſedem, non magni negotii eſt oſtendere. Cæſar commentario primo de bello civili: *Lentulus conſul ſententiam Calidii pronunciaturum ſe omnino negavit.* Cicero Lentulo: *Sententia prima Bibuli pronunciata eſt, ut tres legati regem reducerent; ſecunda Hortenſii, ut tu ſine exercitu reduceres; tertia Volcatii, ut Pompeius reduceret.* In perſequendis porro ſententiis non tam qui primus ſuaſiſſet, quam qui verbis luculentioribus & pluribus rem comprehendiſſet, conſules ſpectare ſolitos notavi in Ciceronis XII. libro ad F Atticum. Tribuebatur hoc quoque gratiæ, eodem lib. X. epiſtolarum teſte. Pronunciatis differentibus opinionibus ſenatorum in ſingulas diſcedebatur, ut quam plures probarent cognoſceretur. Neque vero auguror cum id dico, ſed rem claram ac teſtatam affero. Primum hoc intelligitur ex iiſdem litteris ad Lentulum. Deinde ex illis Hirtii verbis: *Sententiis dictis, diſceſſionem faciente Marcello, qui ſibi omnem dignitatem ex Cæſaris invidia, quærebat ſenatus frequens in alia omnia tranſiit.* Poſtremo ex his ſextæ in Antonium Philippicæ: *Itaque hæc ſententia ſic per triduum valuit, ut, quanquam diſceſſio facta non*

eſſet, tamen, præter paucos, omnes mihi aſſenſuri viderentur. Manſiſſe hanc conſuetudinem redactis omnibus in poteſtatem Cæſarum Lampridius in Severo innuit: *Nullam*, ait, *conſtitutionem ſacravit ſine viginti juriſperitis, & doctiſſimis, ac ſapientibus viris, iis denique diſertiſſimis, non minus quinquaginta; ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ, quam ſi S. C. conficeret; & id quidem ita ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur quid quiſque dixiſſet*. Neque me valde angit, quod apud Dionyſium nulla diſceſſione facta Appius xvir Cornelii ſententiam ſibi obnoxiam viciſſe pronunciavit. Nam, ut alia multa, quæ mos majorum minus ferebat, ita & hoc nullo exemplo veterum imminente bello periculoſo, cupidiſſimus imperandi homo fecit, cum perrogatis ſententiis denuo quidam ſenatores referri vellent rem integram ad ſenatum; & tempus extrahendo, aut dominationem xvirorum infringere, aut hoſtium potius vim, quam tyrannorum impotentes animos & ſuperba imperia perpeti. Quæ quidem conſuetudo, & ratio a ſapientiſſimis hominibus introducta fuit, & excogitata, ut qui ante dixerant, ſi poſt ab alio melius quidpiam cenſeri animadvertiſſent, in ejus ſententiam poſſent pedibus ire. Ita in hiſtoria Salluſtii Silanus conſul des. cum primus ſuum expoſuiſſet conſilium, poſtea permotus oratione Cæſaris, pedibus in ſententiam Ti. Neronis iturum ſe dixerat. Et xi. Philipp. Q. Fuſius pollicitus eſt, ſi quis eorum, qui poſt ſe rogati eſſent, graviorem ſententiam dixiſſet, in eam ſe iturum. Diſcedebatur ergo primum in eorum ſententias, quæ de illo, quod conſules retuliſſent, erant. Itaque cum Lupus tribunus pl. exemplo novo contendere cœpiſſet, ante ſe oportere diſceſſionem facere, quam conſules, ejus orationi vehementer reclamatum Cicero ſcribit. Interdum autem, ſi ſententia res contineret duas, quarum una placeret, altera diſpliceret, antequam inciperent pedibus ire, patrum aliquis poſtulabat dividi ſententiam, ut tradit Pedianus in commentario Milonianæ. Idem indicat & Seneca lib. Epiſtolarum iii. cum ait: *Quod fieri in ſenatu ſolet, faciendum ego in Philoſophia quoque exiſtimo. cum cenſuit aliquis, quod ex parte mihi placeat, jubeo illum dividere ſententiam, & ſequor*. Dices exemplo opus eſſe? Non longe abiero. Nam eſt in ea, cujus jam ſæpe mentionem feci, ad Lentulum epiſtola: *Poſtulatum*, inquit, *eſt, ut Bibuli ſententia divideretur, quatenus de religione dicebat: ei rei quia jam obſiſti non poterat, Bibulo aſſenſum eſt. de tribus legatis frequentes iverunt in alia omnia*. Permittendæ autem diſceſſionis formula in commentariis linguæ Latinæ Feſti talis extat: *Qui hoc cenſetis, huc tranſite; qui alia omnia, in illam partem*. Atque *alia omnia* dicebat conſul, non *qui non cenſetis*, ominis vitandi cauſſa. Præire vero ſolitum his verbis magiſtratum Plinius junior ſignificat. Nam ſic ſcribit lib. viii. *Non conſul etiam ubi quiſque remanere, quo tranſgredi debeat, non modo ſolemnibus verbis, ſed manu, geſtuque demonſtrat*? Neque enim ambigo, hoc, quod dicit Plinius, ex antiqua ſenatus diſciplina tractum. Eodem autem modo de diſcedendi ratione & Feſtus: *Pedarius ſenator*, inquit, *appellabatur, quod nunquam diceret; ſed cum diſcederetur tranſeundo tantum ad eum, cujus ſententiam probabat, quid videretur indicaret*.

Sæpenumero autem nullis ſententiis dictis, relatione facta ſtatim fiebat diſceſſio, quod Varro nominat *S. C. per diſceſſionem*, illud autem *per relationem*. Atque ita duæ opiniones, quas putat Gellius diſcrepantes, una Varronis de duobus generibus S. C. altera Atei, vel potius Tuberonis, qui putat in omnibus S. C. faciendis requiri diſceſſionem, inter ſe convenientes, & quaſi geminæ reperiuntur. Faciebant autem S. C. per diſceſſionem magi- A ſtratus, vel ne quod ſimultatis onus ſenatoribus imponerent, neve quis metu, aut verecundia compulſus, ſecus quam ſentiret diceret, ut arbitratur Dio lib. xli. vel celeritatis cauſſa; ut Cicero narrat, Antonium allato nuncio de legione quarta effugere feſtinantem, de ſupplicatione S. C. per diſceſſionem feciſſe. *Ac tum maxime diſcedebatur tantum*, inquit Varro, *quum res minime dubia eſſet*. Nam quid neceſſe erat, verbi gratia, de ſolemni religione, de qua K. Jan. vel prout qua ætate anni principium agebatur, conſules priuſquam rerum humanarum aliquid attingerent, more majorum referebant, ſingulorum ſententias perquirere? B Itaque dicis ſolum cauſſa ea de re S. C. fieri ſolita per diſceſſionem facile crediderim.

Antea quam vero exeamus e curia, quibus rebus ſumma voluntas ſenatus, quo minus S. C. fieret, impediretur, exponamus. Horum ergo impedimentorum genera non pauca invenio. Primum genus eſt interceſſio. De qua legem hanc rogat lib. iii. Cicero: *Ni poteſtas par, majorve prohibeſſit. S. C. perſcripta ſervanto*. Qua ex rogatione, non tam ad effigiem moderati civitatis ſtatus, quam ad hiſtoriæ fidem lata, patet, rationem impediendi edita voce, *Veto*, non ut alias quaſdam C ſenatorum quoque, ſed magiſtratuum ſolum fuiſſe; nec quorumvis magiſtratuum, verum majorum tantum. Hoc vero nomine & tribunos pl. nunc comprehendo, quos etſi minores vocent, maximam tamen poteſtatem habuerunt, & intercedendi jus ſummum. Ac ob eam cauſſam, & ut ſacroſancti eſſent, Dione auctore, Cæſares tribuniciam poteſtatem aſſumebant. Alterum invenio, cum magiſtratus non vetabant, ſed moram afferebant; veluti cum Serranus noctem ſibi ad deliberandum poſtulavit, quando de revocando Cicerone ab exilio agebatur. Tertium genus eſt, cum, nullo magiſtratu intercedente, longa oratione ſenator tollit D diem. Etenim quod poſt ſolis occaſum ſenatus decernit, irritum eſt. Quo in genere magnus fuit Cato. Quartum eſt, cum offertur religio magiſtratui ſenatum habenti, non ſatis eum auſpiciis operam dediſſe. Nam, ſi hoc collegium augurum comprobaſſet, differebatur res in poſterum. Quintum impedimentum fuit, ſi ſenatus eſſet nullo edicto legitimo coactus. Sextum, cum loco non auſpicato habebatur. Septimum, cum dies erat non ſenatorius. Neque vero ſubjiciendis auctoritatibus ſingulis generibus mihi & aliis moleſtus eſſe volui. Quod ſi qui nolint nobis ſine pignore, ut E dicitur, credere, Dionis hiſtoriæ librum lv. & Ciceronis iii. de Legibus, orationem pro Sextio, atque epiſtolam *Etſi* ad Plancum, legant. Illis autem, quos Feſtus commemorat, modis, cum *numera ſenatum* dicebat conſuli ſenator; aut, cum poſtulabat, ut res quæ adferebantur dividerentur; aut, ut ſinguli conſulerentur, non tam ſenatus conſilium tardabatur, quam magiſtratuum artes eludebantur. Si quis autem S. C. interceſſiſſet, aut moram attuliſſet, id quod patres decreverant ſenatus auctoritas, ut docet Dio lib. lv. vocabatur. Unde Servilius Hala apud Livium lib. iv. ſi quis intercedat ſenatuſconſulto, auctoritate ſe fore con- F tentum dixit. Cicero tamen nonnunquam ſenatuſconſulti, & auctoritatis nomine pro eodem utitur. ut iii. legum, cum ſic loquitur: *Quo in genere ſeveritatem majorum noſtrorum ſenatus vetus auctoritas de Bacchanalibus, & conſulum exercitu adhibito quæſtio, animadverſioque declarat*. Nam Livius S. C. mandatam hanc quæſtionem Albino Philippoque coſſ. aperte narrat. At enim pro libidine magiſtratibus voluntati ſenatus adverſari licitum erat? Minime vero. Nam referebatur ſtatim de eorum interceſſione, eſſet a Republica, nec ne, atque cum non eſſe ſtatuebatur, ſi interceſſionem remittere nollent

puniebantur. Cicero lib. II. ad Atticum, Cæsar lib. I. & alii.

Ubi S. C. esset factum, jussu magistratus recitabatur. Dionysius lib. XI. *Quibus dictis mandavit scribæ, ut recitaret S. C.* Dimittebatur autem senatus in hæc verba: *P. C. nemo vos tenet*. aut in hæc: *Nihil vos moror P. C.* Cicero lib. II. ad Q. Fratrem: *Tum ille se negavit senatum tenere*. Capitolinus in Antonino: *Nunquam discessit e curia, nisi consul dixisset, nihil vos moramur P. C.* At par potestas, aut major potuit retinere senatum. Nam, & cum dixisset Lupus tribunus pl. se non tenere senatum, surrexit, ut narrat Cicero, Racilius collega ejus, & de judiciis retulit. Quod qua ratione factum esset non video, nisi Racilio retinere senatum pro potestate tribunicia, dimittente Lupo, licuisset. Dimisso senatu si S. C. factum, & perscriptum esset, recitabatur ad populum a magistratu, aut senatores concione impetrata verba faciebant. In recitando autem S. C. fere nominis ejus, in cujus sententiam itum erat, interponebatur honorifica commemoratio. Hinc ille noster lib. IV. ad Atticum: *Factum est S. C. in meam sententiam, ut cum Pompeio ageretur, ut eam rem susciperet, lexque ferretur. quo S. C. recitato, cum concio, more hoc insulso & novo, plausum meo nomine recitando dedisset, habui concionem.*

CAP. XII.

A quibus scripta, & quomodo concepta S. C.

HACTENUS senatoriam decernendi consuetudinem, quæ diu terris exterminata omnibus prope in tenebris jacuit, in lucem revocare, & pristino splendori restituere conati sumus. Deinceps de senatusconsultis triplex mihi exoritur dubitatio. Nam & a quo scriberentur, quomodoque conciperentur; & a quibus magistratibus asservarentur, & quo loco; tum quam vim haberent, quamque diu magistratus alligarent, ambigo.

Dicamus autem primum de prima. Scribebant igitur S. C. scribæ, quem ordinem non adeo gravem, atque honestum fuisse Romæ alii ostenderunt. ut vero in cæteris monumentis publicis, sic & in S. C. tabulis mandandis versatum hoc genus hominum Dionysius significat lib. XI. in quo scribarum, qui senatui apparebant, mentionem facit. Legi etiam, qui intelligerent Ciceronem scribæ alicujus posuisse nomen, cum in XII. epistolarum ad Atticum lib. ita ait: *Tantum rogat ut S. C. corrigas. Hoc quidem fecisset etiam Ranio, si admonitus esset.* At in magnis difficultatibus, & perturbationibus, si interesset Reipublicæ, ne senatus decretum evulgaretur, vel ut summa prudentia, & fide omnia litterarum notis ad posteri temporis memoriam consignarentur, senatores quique consuetudine scribendi, integritate, memoria, scientia præstantissimi, scribarum officio & munere fungebantur. Ita indicia conjurationis facinorosorum, & perditorum civium, cujus dux & auctor erat Catilina, non solum, ut est in oratione pro Sylla, perscribunt in senatu ex inferioribus gradibus tres sapientissimi, & altissimis mentibus præditi senatores, verum etiam prætor populi R. Sic, ut dixi, S. C. quæ a nonnullis *tacita* appellantur, scribi solita a senatoribus observavi. Qua de re Capitolinus in hanc sententiam: *Hunc morem apud veteres necessitates publicæ repererunt, ut si forte aliqua vis ab hostibus immineret, quæ vel cogeret humilia capere consilia, vel aliqua constituere, quæ non prius oporteret dici, quam effici, S. C. tacitum fieret, ita ut neque scribæ, neque servi publici senatus consilio interessent, verum senatores omnia exciperent, ipsique scribarum*

A *officio fungerentur*. Atque etiam cum hujusmodi S. C. fierent, non solum scribæ senatus consilio non apparebant, verum etiam pedarii senatores in curiam non admittebantur. Quo factum est, ut quemadmodum legimus apud Valerium, consules objurgarint Q. Fabium, quod P. Crasso, qui, etsi ante triennio gesserat quæsturam, nondum tamen a censoribus in senatum lectus erat, narraverit, quod secreto in senatu erat actum, de tertio bello Punico indicendo. At cætera S. C. adeo non occulta erant, ut omnes prope cives senatusconsultorum libros domi suæ quisque haberent, donec intercessit Augusti decretum, quo, Suetonio auctore, vetuit, ne senatus

B acta in posterum publicarentur. In S. C. autem scribendo tempus primum ponebant, & locum, in quo senatus decrevisset: deinde nomina eorum, qui scribendo affuissent, recitabant; tum relationem, cum nomine magistratus, paucis verbis perstringebant; atque his omnibus ultimo loco senatusconsultum subjiciebant. Quod autem diximus de iis, qui scribendo affuissent, illud ita intelligendum est, solita adscribi nomina testium senatusconsulti faciendi. Qua ratione in libro constitutionum nostrarum, legibus a quolibet rege, senatu censente, & legatorum equestris ordinis collegio

C consciscente, perlatis, nomina eorum, qui præcipui ei concilio interfuere, apposita videmus. Si quis autem auctoritatis momenta desiderat, ita interpretatur genus hoc loquendi Lampridius, de Heliogabalo impurissimo, & fœdissimo monstro loquens: *Ubi primum*, inquit, *senatus diem habuit, matrem suam rogari jussit. quæ cum venisset vocata, ad consulum subsellia scribendo affuit, id est, S. C. conficiendi testis.* Horum vero testium nomina *senatusconsulti auctoritates* a Cœlio & Cicerone lib. III. de Oratore nominantur. Nec illud ignorari velim, etsi non paucos senatores videamus sæpe adfuisse, tamen quædam a duobus tantum senatusconsulta esse

D scripta. Id quod ex XIV. ni fallor, Josephi antiquitatum Judaicarum libro poterit reperiri. Exempla senatusconsultorum non pauca extant in veterum monumentis; sed cum omnium eadem fuerit velut solemnibus verbis concepta formula, unum solum, quo jam sæpe usus sum, ut quærendi vitem molestiam, recitabo. Missum id S. C. est a Cœlio M. Ciceroni. *S. C. Auctoritates. Pridie K. Oct. in æde Apollinis. scribendo affuerunt L. Domitius Cn. F. Ahenobarbus, Q. Cæcilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Villius L. F. Pom. Annalis, C. Septimius T. F. Quirina, C. Lucceius C. F. Pup. Hirrus. C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Ateius L. F. An. Capito,*

E *M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus cos. V. F. de provinciis consularibus. D. E. R. I. C. uti L. Paullus, C. Marcellus coss. cum magistratum inissent, ad ex K. Mart. quæ in suo magistratu futuræ essent, de consularibus provinciis ad senatum referrent, neve quid prius ex K. Mart. neve quid conjunctim de ea re referretur a consulibus: utique ejus rei caussa per dies comitiales senatum haberent, S. Q. C. facerent: & cum de ea re ad senatum referretur a consulibus, qui eorum in CCC. judicibus essent, abducere liceret: si quid de ea re ad populum, plebemve lato opus esset, ut Ser. Sulpicius, M. Mar-*

F *cellus. cos. præt. trib. pl. quibus eorum videtur, ad populum, plebemve ferrent.* Ac illæ notæ celeritatis gratia adhibebantur, *Q. V. F. C.* hoc est, *quod verba fecit consul.* Et hæ: *Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. Quid de ea re fieri placeret, de ea re ita censuerunt.* Item S. C. istius clausula, ut docet Probus, hac brevi scriptura signabatur. *S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COS. PR. TR. PL. Q. E. V. A. P. P. V. F.* Illa autem verba, *si eis videatur*, honoris caussa addebantur in S. C. si quid mandabatur magistratibus, ut facerent, quod observavit Donatus in commentario in Adelphos Terentii.

Pro Donato ſtant ſexcenta apud Ciceronem, & alios exempla, quæ putidum eſſet colligere. Adhæc Valerius tradit veteribus ſenatusconſultis T. litteram ſubſcribi ſolitam, eamque notam ſignificaſſe tribunos pl. S. C. aſſenſos eſſe. In auctoritatibus vero, perſcripto ſenatus conſenſu, adjiciebatur, qui S. C. interceſſiſſet. Id animadverti ex iis auctoritatibus, quæ Cœlii epiſtolis interpoſitæ ſunt.

CAP. XIII.

Quo loco & a quibus ſenatuſconſulta aſſervata.

ANTIQUITUS autem S. C. (jam enim ad alteram dubitationem oratio mea delabitur) in Cereris fanum deferebantur ad ædiles. Livius lib. III. *Inſtitutum eſt a Valerio & Horatio coſſ. ut S. C. in ædem Cereris ad ædiles pl. deferrentur, quæ ante arbitrio conſulum ſupprimebantur, vitiabanturque.* verum Dio extrema pagina lib. LIV. munus hoc inter tribunos pl. & ædiles communicat, ab hiſque, imperante Auguſto, translatum ad quæſtores ait. Penes quos manſit demum perpetuo ætate Cæſarum, quemadmodum ex Tacito colligo, ſenatuſconſultorum cuſtodiendorum cura. Ac jam pridem mutata & illa priſca conſuetudine deferendorum ad Cereris S. C. in intimo ærario reponebantur. Quod ſi quis rerum antiquarum imperitus arbitretur, Cereris fanum ærarium populi Romani fuiſſe, cum ego, non tam conjecturis, quæ non ſemper ſunt efficaces ad concipiendam antiquitatem, quam manifeſtiſſimis veterum teſtimoniis, utens, hoc errore gravi levabo. Sed quid, alios quærendo, fruſtra opus eſt conſumere tempus, cum mihi ſubito in mentem venerit Macrobius? Nullum enim eſſe puto, qui huic omnibus, quæ apud ſcriptores æquales illis temporibus legit, vere referendis fidem defuiſſe exiſtimet. Quid igitur Macrobius ſcribit? *Ædem*, inquit, *Saturni Romani ærarium eſſe voluerunt; quod tempore, quo incoluit Italiam, fertur in ejus finibus nullum eſſe furtum commiſſum.* Probandum nunc eſt S. C. in ærario Romanos reponere ſolitos. Cicero quinta Philippica, cum in Antonium acerbiſſime invehitur, id ei maxime crimini dat, quod S. C. tanquam facta ad ærarium detuliſſet. Item Livius lib. XLIX. Fulvium conſulem S. C. per frequentiam factum in ærario repoſuiſſe narrat. Et *Julius Marathus*, apud Suetonium, *auctor eſt, ante paucos quam Auguſtus naſceretur menſes, prodigium Romæ factum publice, quo denunciabatur regem populi R. naturam parturire; ſenatum exterritum cenſuiſſe, ne quis illo natus anno educaretur; eos qui gravidas uxores haberent, quod ad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe ne S. C. ad ærarium deferretur.* Quibus etiam ex verbis Suetonii efficitur, ſummi ordinis mandatum, & præceptum magiſtratus exequi nequiviſſe, antequam eſſet ad ædem Saturni delatum.

CAP. XIV.

Quæ vis ſenatuſconſultorum, quamque diuturna fuerit.

RESTAT tertium dubitandi genus, quanta vis ſenatusconſultorum, quamque diuturna eſſet. Video in hiſtoria Livii lib. IV. cum nollent coſs. ex S. C. dictatorem dicere, tribunos pl. pro collegio pronunciaſſe, ſi adverſus conſenſum ampliſſimi ordinis ultra tenderent, in vincula ſe eos duci juſſuros. Ita quod ſemel ſenatui viſum eſſet probabile, eo ſtandum erat. neque a quoquam magiſtratu S. C. immutari potuit, ſed ab ipſo ſenatu

A inducebatur, quoties converſis rebus, ac commutata tempeſtate, uſus eum, quem laudaſſet, curſum, evidenter arguebat. Cicero pro domo: *Cœptum eſt referri de inducendo S. C. ab univerſo ſenatu reclamatum eſt.* Idem Attico: *Inducendi S. C. maturitas nondum eſt; quod neque ſunt, qui querantur; & multi partim malevolentia, partim opinione æquitatis delectantur.* Cæſarum autem ætate, comitiorum jure, Tacito lib. I. teſte, ad ſenatum translato a Tiberio, ſenatuſconſulta perpetuarum & æternarum legum vim habebant, ut ex Pomponio Juriſconſulto conſtat. Verum ante jubendarum B jus legum populo vi ademptum, uno tantum anno magiſtratus ea, quæ cenſuerat ſenatus, alligabant. Sic enim Dionyſius optimus antiquitatis auctor ſcriptum reliquit lib. IX. *Conſules negabant S. C. de diviſione agrorum in ſuo magiſtratu factum, ſed in Caſſii, Virginiique; neque ut leges ſenatus decreta æterna, ſed annua tantum eſſe dicebant.* In provinciis tamen ſenatuſconſultis diutius obtemperatum ex ultima epiſtola lib. V. ad Atticum, & aliis multis locis colligo.

CAP. XV.

De ſenatus poteſtate, & primo quam varia illa variis temporibus fuerit.

C AT ecce jam in manibus eſt de ſenatus poteſtate, & cognitione, perobſcura multiſque partibus impedita quæſtio. Experiri tamen libet, utrum opera & diligentia mea aliquid illi poſſit adferri lucis. Quod totius diſputationis de ſenatu, non ſolum difficillimum, verum etiam graviſſimum caput, ingredienti mihi neceſſario repetendum videtur; id quod ante nos a multis doctiſſimis viris traditum, & demonſtratum eſt; non D unam perpetuo, ſed varias, ac multum inter ſe diverſas Reip. Rom. formas extitiſſe. Unde ſi eodem modo de ſenatus Rom. poteſtate ſtatuendum exiſtimem eſſe, quæ modo aucta & ad ſummum faſtigium perducta, modo diminuta & prope conciſa erat, haud optime hercle de Rom. antiquitate mererer. Tum autem demum meo me perfunctum munere arbitrabor, cum inde a primo urbis ortu initio ſumptu, omnes mutationes, omniaque ſenatus tempora renovavero, & quam potero, in hac annalium paucitate, & rerum veterum obſcuritate, planiſſime ac veriſſime demonſtravero.

E Romulus igitur, auctor & conditor Reip. illius maximæ ac nobiliſſimæ, ſenatui hoc juris & honoris tribuit, quemadmodum Dionyſius lib. II. litteris prodidit, ut quibus de rebus ipſe, vel cæteri retuliſſent reges, de iis ſenatores cognoſcerent, & ſententias dicerent, ac quod videretur pluribus id ratum eſſet. Hinc de Tarquinio Superbo Livius: *Hic enim regum primus traditum a prioribus morem, de omnibus ſenatum conſulendi, ſolvit: domeſticis conſiliis Remp. adminiſtravit: bellum, pacem, fœdera, ſocietates, per ſe ipſe, cum quibus voluit, injuſſu populi ac ſenatus fecit.* Ac etſi populo legum jubendarum, magiſtratuum creandorum, & belli F pacisque decernendæ a Romulo permiſſa poteſtas eſſet, neceſſarium tamen fuit, ut populi juſſum ſenatus judicium & auctoritas confirmaret. Qua de re Dionyſius in hanc ſcripſit ſententiam: *Cæterum plebi hæc tria conceſſit, magiſtratuum conferendorum poteſtatem, legum jubendarum jus, & belli decernendi arbitrium, ſi quando de eo ſuſcipiendo rex cogitaret.* Neque tamen de iis rebus judicium populi ſatis per ſe ponderis habuit, niſi illud ſenatus auctoritas confirmaſſet. Eodem modo & Livius: *Decreverunt*, inquit, *patres, ut cum populus regem juſſiſſet, id ſic ratum eſſet, ſi patres auctores fie-*

rent. Liberata etiam Republica regio dominatu prope idem erat ſtatus, eademque temperatio civitatis. Illa tria populus obtinebat; ſenatus cætera omnia ſuo conſilio moderabatur; magiſtratus vero, quibus juriſdictio, & hoc genus alia quædam conceſſa erant, ſumma cura & diligentia patrum exequebantur voluntatem. Sed poſtquam patricii, ex quibus ſenatus conſtabat, in plebem ſævire cœperunt, Aventinum ſacrum montem multitudo armata inſedit, tribunos ſibi creavit, qui, ob paucorum vitia univerſo ordine invidia flagrante, turbulentis concionib. levem plebem quovis incitabant; auctoritatem ſenatus oppugnabant; eamque diminuendo potentiam ſuam augebant. Exinde comitiis tributis inſtitutis, legeque ut omnes Quirites plebiſcitis tenerentur perlata, ſummam licentiam tribunorum pl. nacta temeritas, procedente tempore non ſolum omne jus ſenatus fregit, ac debilitavit; ſed demum etiam univerſam Rempublicam evertit. Ab eo igitur tempore, quo ſenatus non omnia ſolus potuit, ſed multa etiam per populum agebantur, illius cognitio diligentius & accuratius nobis eſt conſideranda.

CAP. XVI.

De ſenatus auctoritate & poteſtate in cognitionibus.

POLYBIUS hiſtoricus, qui Africani minoris doctor fuit, & perpetuus in militia comes, de diſciplina & temperatione illorum temporum Romanæ civitatis diſputans, hæc ſenatui tribuit: Ait primum ſenatum ærarii totius dominum, & adminiſtratorem fuiſſe; quod & vectigalia omnia in ejus poteſtate fuiſſent, & ejuſdem arbitratu impenſæ omnes fierent; nec quæſtores ſine auctoritate ſenatus, præter ea, quæ conſules juſſiſſent, vel minimum, cum opus eſſet, in rem ullam ſumptum facere poſſent. Graviſſimæ etiam illi impenſæ, quam cenſores in quinquennales luſtri apparatus faciebant, præfuiſſe; a ſenatuque auctoritatem illam & facultatem cenſoribus concedi, & permitti ſolitam. Maleficia item ac crimina per Italiam commiſſa, de quibus publicum judicium conſtitui oportebat, ut proditionis, conjurationis, veneficii, cædis, atque inſidiarum, ad ſenatum relata, ejuſque de his cognitionem fuiſſe. Quod ſi qua in Italia controverſia dirimenda, ſi publice, vel privatim quiſpiam, vel civitas objurganda, ſi cui auxilium ferendum erat, de his omnibus ſenatum ſtatuiſſe: eodemque modo, ſi qua extra Italiam ad aliquos legatio erat mittenda, aut ad aliquid decidendum, aut ad fœdus faciendum, aut ad cohortandum, aut ad imperandum, aut poſtremo ad res repetendas, & ad bellum indicendum, hæc ſenatum curaſſe. præterea quid de legatis exterarum gentium agendum, quid eis reſpondendum eſſet, decreviſſe. Ad id autem, quod de ærario dixit, referendum & illud eſt de publicanis, quibus præfuiſſe ſenatum eodem libro narrat; ſenatumque diem proferendi, ſi quam calamitatem accepiſſent, eos relevandi, ſi quæ difficultas, aut publica calamitas, quo minus ſolvendo eſſent, obſtitiſſet, locationemque prorſus inducendi jus ac poteſtatem habuiſſe. Addit idem auctor parvam rei militaris partem in arbitrio ſupremi conſilii poſitam fuiſſe. *Etenim frumentum*, inquit, *veſtimenta, obſonia non niſi ex S. C. exercitui ſuppeditabantur, adeo ut imperatorum expeditiones, & conſilia omnia, quoties illorum gloriæ obſtare, & inique cum eis agere ſenatus vellet, irrita redderentur*. Atque etiam prorogandi imperii, aut ſucceſſorem mittendi, annuo elapſo ſpatio jus penes ſenatum narrat fuiſſe, ita ut non difficile ei

A eſſet, belli confecti laudem cui vellet præripere. Denique potuiſſe res imperatorum geſtas aut extollere & exornare, aut elevare ac deprimere; cum triumphum, in ejuſque apparatum ex publico ſumptum, nemo niſi beneficio ſenatus conſequi poſſet.

Hæc fere Polybius libro ſexto, cujus etſi auctoritatis neminem poſſet pœnitere, tamen, ut ſit planior hic de ſenatus cognitione locus, quæ de iis rebus apud alios ſcriptores obſervavi in medium proferam. Ut autem ab ærario ordiar, & ordinem ſervem Polybii, ſic dixit Cicero in interrogatione in

B Vatinium, *ærarii diſpenſationem penes ſenatum ſemper ita fuiſſe, ut nunquam a populo ſit appetita*. Quamobrem non miror ante M. Æmilium Lepidum & C. Flaminium coſſ. ſenatum de pecunia in publicum non relata quæſiviſſe, ut me XXXVIII. lib. Livius docuit. Quod vero ſcripſit publicanos calamitate infortunioque preſſos ad ſenatum ſemper confugiſſe, ejus rei veſtigium invenio in Cic. epiſt. ad Att. quando ait, *Aſianos, qui de cenſoribus conduxerant, queſtos eſſes in ſenatu, ſe cupiditate prolapſos nimium magno conduxiſſe, ac ut induceretur locatio poſtulaſſe*.

De cognitione criminum Italiæ publicorum non

C admodum facilis eſt judicatio, quoniam ex nullo alio ſcriptore iſtud potui reperire. Hoc ſolum memini ab Appiano hiſtoriarum monumentis proditum, lege judiciaria accepta C. Gracchum dixiſſe, *ſe penitus nervos ſenatorii ordinis inciſiſſe*, idque vere ab eo uſurpatum rem ipſam poſtea comprobaſſe. Nam cum equitibus poteſtatem permiſiſſet, ut de civibus Romanis, atque Italicis, & ſenatoribus ipſis judicarent, ac mulctam, exilium, ignominiam irrogarent; eos quaſi conſtituiſſe dominos, ſenatum vero illis ſubjeciſſe viſus eſt. Quare videndum eſt, utrum hoc potius ad ordinem ampliſſimum, qui ſolus fortaſſe cum hæc ſcriberet Poly-

D bius judicabat, quam ad ſenatus conſilium ſit referendum. Miſſos quidem ſæpe lego a ſenatu magiſtratus, in quaſdam Italiæ urbes, ut de iis quærerent, qui proditionis, aut defectionis conſilia agitaſſent. Itidem ad civitates objurgandas. Neque vero de cæteris quæ ſequuntur, opus eſt tanquam de re dubia argumentari. An enim quiſquam reperietur, qui ambigat auxilia Italicis ex S. C. cum bello urgerentur lata? quorum fere in fœderibus erat, ne ipſi pro ſe inſcio ſenatu Romano arma caperent; aut componendarum inter populos Italiæ controverſiarum arbitros, qui in re præſente cognoſce-

E rent, a ſenatu datos; cum tabula ænea ſuperioribus annis inventa in Liguria declaret, *miſſos a ſenatu arbitros finium regundorum inter Genuates & Viturios eſſe, reque cognita, eos Romam venire juſſiſſe, & Romæ coram ex S. C. ſententiam dixiſſe*.

CAP. XVII.

Legati ex auctoritate ſenatus delecti.

LEGATOS autem, qui cum mandatis ad exteras

F nationes, & cum imperatoribus in exercitum, aut cum magiſtratibus in provincias irent, ex auctoritate ſenatus ſemper delectos, indicat oratio Ciceronis, in qua Vatinium, qui ſibi lege ſua detulerat legationem, hoc modo interrogat: *Volo audire de te, quo tandem S. C. legatus ſis? de geſtu intelligo, quid reſpondeas: tua lege dicis. es ne igitur patriæ certiſſimus parricida? ſperaras ne id, ut patres conſcripti ex Republica funditus tollerentur? ne hoc quidem ſenatui relinquebas, quod nemo unquam ademit, ut legati ex ejus ordinis auctoritate legarentur? adeo ne tibi ſordidum*

consilium publicum visum est, adeo afflictus senatus, adeo misera & prostrata Resp. ut non nuncios pacis ac belli, non curatores, non interpretes, non bellici consilii auctores, non ministros muneris provincialis senatus more majorum deligere posset. Unde & in Sextiana sic in Pisone invehitur: *Pro te ipso, Piso, nemo ne vestem mutavit? ne isti quidem, quos legatos, non modo nullo S. C. sed etiam repugnante senatu, tute tibi legasti*. Non videtur tamen silentio prætereundum legatos a magistratibus jussu senatus nominari solitos. Livius XLIII. *Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius prætor tres ex senatu nominet legatos*. Tacitus autem legationibus, ne ambitioni aut inimicitiis locus foret, exempla veterum sortem posuisse narrat.

CAP. XVIII.

Responsa exterarum gentium legatis a senatu data.

ILLUD supervacaneum puto exemplis, aut testimoniis probare, responsa omnibus omnium gentium postulatis, ex publici consilii sententia semper data. Quin potius antiquum morem excipiendarum, & audiendarum legationum breviter perstringamus, remque a nemine hactenus explicatam in pauca conferamus. Nam & ad exitum operis festinat oratio, & singula copiose tractare fortasse hujus loci non est. Romana consuetudine, si quando reges, aut legati, venire nunciarentur, primo quid vellent, ab exploratoribus cognoscebatur, postea ad eos egrediebantur magistratus minores. Nominatim istud munus Livius quæstorib. defert. *Egresso*, inquit, *nave Masgabæ Masinissæ filio præsto fuit L. Manlius quæstor*. Quod si essent legati hostium, in urbem non admittebantur, sed iis & hospitium, & senatus extra urbem dabatur. Livius lib. XXX. de Carthaginiensium legatis loquens: *Quibus vetitis in urbem ingredi, hospitium in villa publica, senatus ad ædem Bellonæ datus est*. Idem lib. XLV. *Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. Eos in oppidum intromitti non placuit, cum jam bellum regi eorum & Macedonibus, & senatus decrevisset, & populus jussisset*. Et Nicostratus in libro, quem inscripsit de senatu habendo, tertium senaculum citra ædem Bellonæ fuisse memoriæ prodidit, in quo exterarum nationum legatis, quos in urbem admittere nolebant, senatus dabatur. Legationes autem sociorum, & amicorum regum, aut populorum non excludebantur urbe. Unde Livius narrat, pace decreta a senatu, permissum Carthaginensibus urbem introire, & cum captivis civibus suis colloqui. Varro etiam prodit locum prope curiam Hostiliam substructum, ubi nationum subsisterent legati, qui ad senatum essent missi, eumque Græcostasin a parte, ut multa, appellatum. Quæ vero dabantur legatis hospitii gratia *lautia* dicebantur, auctore Sex. Pompeio. Livius lib. XXIIX. *Locus inde, lautiaque Saguntinorum legatis dari jussa, & muneris ergo in singulos dari ne minus dena millia æris*. Et lib. XLII. *Quæsitum ecquid ita non adissent magistratum, ut ex instituto loca, lautia acciperent*. Huc pertinet lex Gabinia, de qua jam disserui, *ut ex K. Febr. usque ad K. Mar. legatis senatus quotidie daretur*. Quo fit ut in epistola quadam ad Q. Fratrem, lepidissime Cicero scripserit: *De Commageno rege, quod rem discusseram, mirifice mihi & per se, & per Pomponium blanditur. Appius. videt enim hoc dicendi genere si utar in cæteris, Februarium sterilem futurum*. Cognitionem porro patrum conscriptorum poscebant a maximo qui in urbe esset magistratu, hicque, cum patribus visum esset, eos in senatum introducebat. Unde in explicatione rerum a Rom. bello Hannibalis gestarum ferunt, legatis Carthaginiensium, & Philippi regis petentibus, ut senatus sibi daretur, responsum jussu amplissimi ordinis a dictatore, consules novos eis senatum daturos esse. Introduci autem solitos more majorum ab eo, in quo summa esset tum in urbe imperii vis atque auctoritas, testantur annales omnes. Ita Polybius libro sexto tradit, consulibus cæteros magistratus, præter tribunos pl. subjectos esse, hos legationes in senatum introducere, de reb. quæ nullam admittunt moram, statuere, quando res tempusque postulat ad senatum referre. Ita consulibus absentibus Livius lib. X. legationes sociorum a M. Attilio prætore in senatum introductas narrat. Introducti mandata exponebant per interpretem, etiam qui nationis sermonisque essent Græci, quem nemo non modo senatorum, sed ne elegantium quorumvis hominum Romæ ignorabat. Primum observat Valerius Molonem Rethorem, qui studia M. Ciceronis acuit, & sine interprete auditum esse, & volubilitati linguæ gentis illius aures curiæ in posterum patefecisse. Hi autem interpretes cives erant nobiles, senatoriique gradus. conjecturam meam tuetur Gellius lib. VII. ubi agit de legatione Atheniensi, quam tres Philosophi nobilissimi, Oratores eloquentissimi, Critolaus Peripateticus, Carneades Academicus, Diogenesque Stoicus obiere, quos in senatu interprete usos esse Cæcilio senatore refert. Magna vero laus senatorum fuit legatos bene interrogare, & efficere ut aliquid, quod nollent fortasse, responderent, percontandi arte & calliditate irretiti. Hoc ejus, qui senatum habebat, jussu concessuque postquam illi dixissent, fieri solitum ex historiæ Livianæ XXX. libro clarum, ac manifestum est. *Cum more*, ait, *tradito a patribus, potestatem interrogandi, si quis quid vellet, legatos prætor fecisset: senioresque, qui fœderibus interfuerant, alia alii interrogarent, nec meminisse se per ætatem dicerent legati, conclamatum ex omni parte curiæ est, Punica fraude electos, qui veterem pacem repeterent, cujus ipsi non meminissent*. Responsa vero non subito & temere, verum jussis excedere e templo legatis, re diu multumque agitata & deliberata, dabant. Sic enim apud Livium sequitur: *Emotis deinde curia legatis, sententiæ interrogari cœptæ*. Libro etiam XXXVII. apud eundem ita scriptum est: *Cæterum & præsentes interrogationibus undique senatorum concessionem magis noxæ quam responsa exprimentium fatigati sunt; & excedere curia jussi magnum certamen præbuere*. Postremo, quod placuisset senatui, ejus nomine magistratus respondebat. Livius lib. IIX. *Cum de postulatis Samnitum Ti. Æmilius prætor senatum consuluisset, reddendumque his fœdus patres censuissent, prætor Samnitibus respondit*. Hostibus autem dies præfiniebantur, citra quos urbe, post responsum acceptum, Italiaque excederent. Ita Ætoli, Livio teste, lib. XXXVII. Italia intra XV. dies excedere, urbe eodem die jussi. Socios autem quæstores sæpe prosecutos notavi, & omnem sumptum, quoad in Italia essent, iis præbuisse. Quam vero pie studioseque jus gentium, quod legatorum corpora sancta & inviolata esse jubet, Romani coluerint, notius esse puto, quam ut a me præcipi hoc loco debeat. Sed de antiqua legationum ratione, & consuetudine hæc a nobis breviter dicta sunt.

CAP. XIX.

Potestas senatoria in provinciis decernendis.

UT autem illud, quod de stipendiis exercitus, & de successione provinciarum sequitur, cujusmodi fuerit intelligatur, paullo longius exordium ejus rei demonstrandæ repetendum est. Senatus, Cicerone auctore in Vatiniana, provinciæ decernendæ potestatem habebat. Ex quo fonte illud ad Atticum manavit: *Senatum bonum putas, per quem sine imperio provinciæ sunt*. Hoc autem ita fiebat, ut quas vellet consulares, prætoriasque provincias nominaret, & eas, quas constituisset, consules, prætoresve, sortirentur. Quandoque etiam consules comparabant inter se. Sic enim Livius: *Consulibus alteri Pisæ cum Liguribus, alteri Gallia provincia decreta est*. Comparare inter se, aut sortiri jussi. Idem lib. XLVII. *cum Scipio Læliusque permisissent, ut ex provinciis duabus decretis nominatim utram utri vellet senatus suo arbitrio conferret, scribit rem hanc relatam ut novam, aut vetustate exemplorum memoriæ jam exoletæ expectatione certaminis senatum erexisse*. Ac nescio an post aliud par adeo elegans consulum sit repertum, quod senatus judicium potius, quam temeritatem sortis & fortunæ, experiri mallet. Itaque si vellet senatus alicui succedi, provinciam ejus in sortem conjiciebat. Quam potestatem Ti. Gracchus, qui senatum oppugnabat, etsi a summi consilii gubernatione non abstulit, eam tamen nova lege astrinxit, qua tulit, *ne quem plus anno provinciam consularem tenere senatus pateretur*, ut ex oratione pro domo, & de provinciis consularibus, animadvertere licet. Postea Cæsar victo Pompeio, cum ipse per novem annos Gallias contra Sempronium plebiscitum, obtinuisset, pertulit, Dione lib. LXIII. teste, ut prætoriæ provinciæ annuæ tantum essent, neve consulares ultra quam in alterum annum a senatu prorogarentur. Non solum autem decernebantur a senatu provinciæ, sed etiam, post legem curiatam, ornabantur, hoc est, summum consilium statuebat, quo viatico, quo comitatu de publico instructi magistratus in provincias proficisci, & si provinciæ tuendæ armis essent, quot legionibus rem gerere deberent. Livius lib. XL. *Disceptationem inter prætorem legatumque consulum relatio interrupit, qui suas ornari provincias priusquam de prætorio exercitu ageretur, æquum censebant. Novus exercitus omnis consulibus decretus est; binæ legiones Rom. cum suo equitatu, & socium Latini nominis, quantus semper numerus, XV. millia peditum, & DCCC. equites*. Postremo senatus de alimentis, vestibus, & stipendio exercitus providebat. Argumento nobis est epistola Cn. Pompeii lib. III. historiarum Sallustii, qua suis legionibus frumentum, stipendiumque a Senatu poscit, & flagitat. Extat item insignis hujus antiquitatis memoria cum aliis locis, tum in epistolis Cœlii, quando inquit; *Cum referretur de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari*.

CAP. XX.

De potestate senatus in supplicatione, imperatoris appellatione & triumpho decernendo.

DEINCEPS de triumpho dicendum est, quo pertinet imperatoris appellatio, atque supplicationis honos. Ordiamur autem a supplicatione. hanc enim prærogativam triumphi creditam Cato ad Ciceronem scribit. Ac certe plurimum in ea momenti ad augendas & exornandas victorias positum fuit, gloriosissimique dies illi imperatoribus A erant, quibus ad omnes aras ab universa civitate, pro re bene gesta, diis immortalibus gratiæ agebantur. Quod gratulationis publicæ genus ex senatus decreto semper indicebatur. Auctoritates, quibus adductus ita judicaverim, passim legentibus occurrent. Supplicationum autem hanc fuisse rationem video. Re bene gesta ductor exercitus, a militibus imperator appellatus, nuncium victoriæ ad senatum mittebat: allatis litteris, recitatisque a consule, vel, si is abesset, a prætore, referebatur ad senatum, ac demum ejus auctoritate in dies aliquot a magistratu edicebatur supplicatio, & ad pulvinaria consti- B tuebatur. Nihil necesse in his rebus sigillatim confirmandis immorari: uno loco indicantur a Livio omnes, quem idcirco subscribam. Livius lib. XXVIII. *Cum ægre in curiam perventum esset, multo ægrius summota turba, ne patribus misceretur: litteræ* (quas prætori redditas paullo ante dixit) *in senatu recitatæ sunt, inde traducti in concionem legati. L. Veturius, litteris recitatis, omnia quæ acta erant exposuit, cum ingenti assensu, postremo etiam clamore universæ concionis, cum vix gaudium animis caperent. Discursum inde ab aliis circum templa deum, ut grates agerent, ab aliis domos, ut conjugibus liberisque tam lætum nuncium impertirent. Senatus,* C *quod M. Livius & C. Claudius coss. incolumi exercitu, ducem hostium, legionesque occidissent, supplicationem in triduum decrevit. eam supplicationem C. Hostilius prætor pro concione edixit*. Numerus autem dierum, quibus supplicabatur, alius aliis temporibus, ac pro rerum, & victoriarum conditione fuit. Livius lib. V. ait, *Veiis captis, Camilli nomine senatum in quatriduum, quot dierum nullo ante bello, supplicationes decrevisse*. Tempus certe consularis supplicationis diu non ultra dies sex progressum, Cicero demonstrat, cum de se ipso inquit: *Quo consule referente primum decem dierum supplicatio decreta Cn. Pompeio Mithridate interfecto, confecto-* D *que Mithridatico bello, & cujus sententia primum duplicata est supplicatio consularis. mihi enim estis assensi, cum ejusdem Pompeii litteris recitatis, confectis omnibus maritimis terrestribusque bellis, supplicationem duodecim dierum decrevistis*. Quibus ex verbis illud quoque apparet, in eam ambitionis consuetudinem ultimis temporibus ventum fuisse, ut & ad numerum dierum assidue adderetur, & novi verborum honores in S. C. concipiendo, quo ducum laudi senatus deorum templa patefaciebat, quotidie excogitarentur. Ac ob eam quoque caussam, ut senatoribus differendi de virtute imperatorum locus E daretur, S. C. de supplicatione nunquam per discessionem, Cicerone auctore, sed per relationem semper, fieri solitum suspicor.

Appellabantur item, qui vicissent, honoris caussa imperatores a senatu. Ei præcepto firmat fidem Ciceronis in Pisonem oratio, in qua dixit, *Torquatum, se referente, absentem imperatorem appellatum*. Et XIV. ejusdem Philippica, in qua hæc leguntur: *Augebo omnino numerum dierum, præsertim cum communiter tribus ducibus sint decernendæ. Sed hoc primum faciam, ut imperatores appellem eos, quorum virtute, consilio, felicitate maximis periculis servitutis atque interitus liberati sumus. ete-* F *nim cui viginti bis annis supplicatio decreta est, ut non imperator appellaretur, aut minimis rebus gestis, aut plerunque nullis? quamobrem aut supplicatio ab eo, qui ante dixit, decernenda non fuit, aut usitatus honos, pervulgatusque tribuendis iis, quibus etiam novi & singulares debentur*.

Quod vero ad triumphum attinet, certius nihil esse potest in scientia memoriaque rerum veterum. Hoc enim institutum, præter Polybium, nobilissimum par historicorum Livius Dionysiusque commemorant. Dionysii quidem hæc pene sunt verba libro sexto: *Claudius collegæ, triumphum, qui ob*

insignem

A *insignem aliquam victoriam a senatu more majorum dabatur, petenti, impedimento fuit*. Apud Livium vero lib. III. quidam senator loquitur nunquam ante de triumpho per populum actum, semper æstimationem, arbitriumque ejus honoris penes senatum fuisse, ne reges quidem majestatem summi ordinis imminuisse. De ratione autem petendorum, & decernendorum triumphorum hæc habeo, quæ dicam. Fusis hostium copiis, rediens in urbem imperator, edictum senatus ut conveniret, præmittebat. qui mos clarissimis est Livii testatus & consignatus monumentis, veluti cum lib. XXVIII. de Nerone & Salinatore ait: *Forte evenit, ut eodem die ambo coss. Præneste venirent. Inde præmisso edicto, ut triduo post frequens senatus ad ædem Bellonæ adesset, omni multitudine obviam effusa ad urbem accessere.* Quod quidem ita accipi volo, si imperator qui ex bello rediret, nemini eorum, qui in urbe adessent, imperio & potestate cederet. Nam minoribus a magistratu urbano senatus dabatur. Moris autem erat senatum dari honorem hunc postulantibus imperatoribus ad ædem Bellonæ, aut Apollinis, quam fuisse extra portam Carmentalem, inter forum Olitorium & circum Flaminium, in orationis in toga candida commentario Pedianus refert. Illius templi meminit Livius eo quem modo attuli loco. Hujus autem lib. III. his verbis: *Consules ex composito eodem biduo ad urbem facessere senatumque in campum Martium evocavere. ubi cum de rebus ab se gestis agerent, questi primores patrum, senatum inter milites dedita opera terroris caussa haberi. Itaque inde consules, ne criminationi locus esset, in prata Flaminia, ubi nunc ædes Apollinis est, (circum jam tum Apollinarem appellabant) avocavere senatum.* Atque propterea rerum gestarum audiendarum caussa senatus extra urbem ut haberetur custoditum est, quod, ut Appianus lib. II. & Plutarchus in Cæsare scribunt, lege cautum esset, *ne quis urbem ingressus, iterum triumphans iniret*. Quamquam ego notaverim apud Livium victis Volscis A. Cornelium Cossum in urbem venisse, & conjecto demum M. Manlio in carcerem triumphasse. Proconsulibus autem, & proprætoribus hanc ob caussam quoque senatus in urbe non dabatur, quod nemini sine magistratu cum imperio intra pomœrium nisi eo die, quo inibat triumphans, & hoc lege prius lata, esse liceret. Potuit tamen in urbe de triumpho agi, si non ipse imperator, sed magistratus urbanus referret. Sic enim Q. Fabius præfectus urbi absenti Quinctio Cincinnato dictatori triumphum decrevit. Formula petendi quæ fuerit, ex his Livii verbis lib. XLIX. intelligitur: *Priusquam consules redirent Romam, M. Fulvius procos. ex Aetolia redit, isque ad ædem Apollinis, cum de rebus in Aetolia Cephaleniaque ab se gestis disseruisset, petiit a patribus, ut æquum censerent, ob Remp. bene ac feliciter gestam, & diis immortalibus honorem haberi jubere, & sibi triumphum decernere*. In triumpho porro decernendo magistratum, auspicia, res gestas, numerum amissorum civium, hostium devictorum conditionem a senatu observatam reperio. Quæ singula si hoc tempore persequi vellem, merito me viri eruditi ad nullum genus doctrinæ idoneum censerent.

CAP. XXI.

Alia quædam præclara senatus jura, nec non & operis epilogus.

HACTENUS Polybii locus sit a nobis illustratus. Fuere autem & alia præclara, & ad memoriæ æternitatem illustria summi consilii jura. Nam Publilia lege centuriatarum legum, ante suffragium initum, patres auctores fiebant. quam legem Philo dictator tulit, ut diminueret, non ut augeret supremi ordinis potestatem. Livius libro VIII. *Philonis dictatura popularis, & orationibus in patres criminosis fuit, & quod tres leges secundissimas plebi, adversas nobilitati tulit; unam, ut plebiscita omnes tenerent Quirites; alteram, ut legum, quæ comitiis centuriatis ferrentur, ante initum suffragium patres auctores fierent; tertiam, ut alter utique ex plebe, cum eo ventum sit, ut utrumque plebejam fieri liceret, censor crearetur.* Quo loco indicare videtur Livius, tum primum antiquum jus senatus, de quo supra scripsi, confirmandarum, vel repudiandarum legum B solutum. Quamquam si verba Dionysii tum lib. IX. ubi de comitiis tributis loquitur, tum aliis locis plurimis attendas, hunc morem ante Philonis dictaturam commutatum statues. *Nihil*, inquit, *centuriatis comitiis ferebatur, nisi prius senatus auctor esset; tributis vero institutis, inter alia extorserunt tribuni pl. ut deinceps cum populo sine senatus auctoritate*, (quod ille προβούλευμα vocat) *agere possent*. Jam vero, cum Dionysium testem locupletem habeamus, constat in legibus tributis senatus cognitionem, & auctoritatem haud fuisse necessariam. Habuit quidem civitas Romana quosdam tribunos viros moderatos, qui ex S. C. tulerint, neque potestate C tuendæ libertatis caussa data ad licentiam pestilentem abusi sint. Livius lib. IV. *Tentatum a L. Sextio tribuno pl. ut rogationem ferret, qua Volas coloni mitterentur; per intercessionem collegarum, qui nullum plebiscitum, nisi ex auctoritate senatus, passuros se perferri ostenderunt, discussum est*. In curiatis autem legibus senatus auctoritas requirebatur. Livius lib. VI. *Nec centuriatis, nec curiatis comitiis patres auctores fiant*. Invenio autem in Appiani Græcis annalibus Publiliam hanc legem, temporibus illis, quibus sibi tantum licentiæ furens plebejorum magistratuum petulantia sumpserat, non observatam. Appiani verba totidem Latinis expressa infra apposui. D Loquitur de Sylla & Pompejo consulibus: *Primum vetus institutum Reipublicæ, sed quod jamdudum in desuetudinem abierat, renovabant, atque censebant, nihil posthac ad populum oportere ferri, quod ante a senatu decretum non esset. Deinde postulabant, ut comitia centuriata, ex commentariis Servii, non tributa haberentur: arbitrabantur enim his duabus rationibus, & si patres ante auctores fierent, & suffragia pauperibus, atque in iis audacissimo cuique adimerentur, rebus a vi ad consilium revolutis, defore seditionum materiam.*

Omitto jus illud senatus clarum, & testimoniis E omnium notum, quod totam Rempublicam gravi tempore posset consulibus permittere, ut delectum haberent, bellum gererent, de sociorum, civiumque vita sine populi jussu statuerent.

Venio ad religionem. Tertullianus docet nullum Deum Romæ cultum, nisi qui S. C. ascitus esset. Et Dio lib. XXXIX. nunquam carmen Sibyllinum nisi senatus decrevisset, evulgatum. Ad hæc maxima pars juris divini amplissimi ordinis fidei, potestati, voluntati permissa erat. Hinc in senatus disciplina cautum fuisse ex Varronis scriptis, & multis exemplis antiquis cognovimus, ne prius de *rebus humanis, quam de religione, ad senatum referre*-F *tur*.

Hæc fuerunt, quæ diligentia eruere potuerim, potissima, & quæ diu solus tenuit sine controversia, senatus jura. Nam & si jam ante anno urbis CCCIV. triumphatum est ex populi jussu, tamen hoc raro factum in annalibus reperietur; & alia nonnulla vulgata quidem sunt cum populo, sed in illo demum statu maxime populari annis aliquot antequam Respublica concidisset. Si vero quæ Senatus cognosceret animo complecti voluerimus omnia, curiam interpretem legum, religionum & cærimoniarum præsidem, magistratuum custodem, civitatis magi-

ſtram, gentium aram atque perfugium fuiſſe inveniemus; ab hac ſocii ornamenta expectabant, hujus vigilantia & providentia urbem, imperium, populumque vacuum metu & periculo reddebat. denique ſummum conſilium omnia ſtatuebat; præter illud, quod populi judicium, ut Livius lib. IV. docet, & eas rogationes, quas populus accepiſſet, nunquam reſcinderet, niſi illis quatuor modis jam ab aliis ante nos explicatis; & quod de civibus injuſſu populi nihil agere poſſet, Livio lib. XXVI. auctore. Præterea antiquo jure nemo legibus, niſi per populum, ſolvebatur. Sed poſtea etiam ſenatus id ſibi uſurparat, quemadmodum Aſconius & Dio teſtantur. Non repeto, quod ab initio dixi, ſenatum ne-

A que magiſtratus creaſſe, neque leges juſſiſſe, nec de bello, aut pace ſtatuiſſe; etſi iis de rebus ſæpe conſultaret. Excipio item a ſenatus cognitione juriſdictionem, & illa, quibus magiſtratus, ſacerdoteſque publici præerant. Quorum explicatio in aliud tempus eſt differenda. Atque his ex rebus breviter a nobis pertractatis omnia tempora, univerſamque ſummi conſilii cognitionem ab hominibus non ſtupidis perſpici poſſe arbitror. Itaque hic jam depono, quam ſuſceperam, de ſenatu Romano diſputationem, & vehementiſſime gaudeo me tandem ad operis, utinam ita mihi glorioſi ad poſteri temporis memoriam, quam difficilis & laborioſi, exitum & finem perveniſſe.



INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A

D

E

F.

H

I

K.

L.

N

O

P

civi-

Q.

S

sem-

F I N I S.

JOANNES ANTONIUS MOZZATUS VENETUS,

ET

FRANCISCUS BENALIUS TARVISINUS

omni ſtudio, ac diligentia emendarunt.





